# R. P. NATALIS
# ALEXANDRI
## HISTORIA ECCLESIASTICA
### VETERIS NOVIQUE TESTAMENTI
## In Novem Tomos diſtributa.

# R. P. NATALIS
# ALEXANDRI
## ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,
IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS, ET EMERITI PROFESSORIS

# HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS
## NOVIQUE TESTAMENTI

Ab orbe condito ad Annum post Christum natum millesimum sexcentesimum: Et in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.

EDITIO OMNIUM NOVISSIMA,

*Notis & Animadversionibus, quoad Historiam & Dissertationes novi Testamenti, aucta ad castigationem & illustrationem opinionum quarumdam Auctoris,*


*OPERA ET STUDIO*

## CONSTANTINI RONCAGLIA
Lucensis, Congregationis Matris Dei.

*EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI*

## ANTONIO XAVERIO
S. R. E. CARDINALI GENTILI.

## Tomus Primus



LUCÆ MDCCXXXIV.
Typis Leonardi Venturini.
*DE SUPERIORUM LICENTIA.*

# EMINENTISSIME PRINCEPS.

SEMPER ego eruditionem ſcientiamque tuam ſingularem cum dignitate & virtute conjunctam admirans atque ſuſpiciens, nunquam tamen ſperabam fore, ut obſequii admirationisque hujus meæ parem aliquam ſignificationem exhibere valerem. Optabam id autem vehementer, quòd intelligerem, inter ſollicitas profeſſionis meæ curas hanc eſſe ſummam, ut de Viris ſcientia & dignitate præſtantibus quàm egregiè promeritus, præſidium ab illis & levamen quærerem. Cùm verò nuper præter expectationem acciderit, ut Natalis Alexandri Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Opus per ſe magnum, nunc autem novis acceſſionibus maximum, typis meis excudendum offerretur; oblatam mihi occaſionem eſſe duxi, ut opinionem hanc meam dudum de Te conceptam tibi proderem, & Doctis omnibus adprobarem.

barem. Nosti enim quale quantumque sit Opus istud, quod magno Eruditorum applausu & assensu exceptum, cùm primum Gallicis typis ab Auctore suo vulgaretur, statim per Galliam universam, Italiam, Germaniam, Orbemque totum literatum dissipatum distractumque fuit. Sed in tanta Doctorum hominum approbatione, quædam tamen exciderant Auctori, quæ solidæ veritatis studiosis displicerent, publicæque utilitati dispendium inde timerent, unde emolumentum majus sperabatur. Huic quidem incommodo ab ipso Auctore nonnihil provisum fuit, cùm secundis curis Opus suum recensitum ac reformatum, publicam judiciorum aleam subire, iterata Parisiis editione præcepit. Verùm syrtibus scopulisque impeditius infestiusque erat pelagus istud, (ut ipse de Opere hoc suo in Præfatione Comment. ad Quatuor Evangelistas fatetur) quàm ut tentata semel iterumque navigatione feliciter decurri posset; votaque Eruditorum ejus emendationibus sollicitata quidem non expleta fuisse, nemo, qui literas novit, ignorat. Laudabili proinde consilio Vir doctissimus P. Constantinus Roncaglia eruditionis doctrinæque suæ nervos omnes intendit, ut convulsis scopulis, cotibusque submotis ad solidam Ecclesiasticam eruditionem iter tutum expeditumque pararet. Namque opportunis animadversionibus adhibitis, castigationibus pro rei necessitate admotis, additis quæ pro dignitate argumenti desiderari videbantur, novum absolutissimum Opus ex veteri refinxit, in quo vetera omnia manent intacta, incommoda verò pro virili omnia absunt. Curatissimæ igitur Editioni huic Te Patronum quærens & Mecenatem, quàm egregiè de virtute tua sentiam, abundè satis significasse me arbitror. Luculento enim hoc testimonio demonstratum censeo, quanta sit apud me opinio de insigni illa meritorum tuorum præstantia, qua amplissima Ecclesiasticæ Reipublicæ indeptus munia ita gessisti, ut nihil desiderandum, nisi id fortè unum relinqueres; nimirum tibi semper Tuive similibus demandari oportere ea, quæ nihil nisi summum exposcerent, ingenium, prudentiam, consilium, doctrinam. Quantam enim tunc, & nunc pariter spectavimus in uno Viro integritatem, sapientiam, maturitatem!

Vidit

Vidit & admiratus eſt intentus ille Eccleſiaſticæ ſpeculæ Vigil Clemens XII. qui in tanto ſummorum virorum affluxu, quos Romam accivit ſeu in Pontificem amor, ſeu in Religionem pius ardor & ſtudium, Te inter paucos & cum paucis deſignavit delegitque, ut in conſortium Sacri Principatus partemque curarum adſciſceret; quò & merito huic tuo paria referret, & ſibi Eccleſiæque univerſæ conſuleret. Crevit tunc, Princeps optime, cum dignitate in Te virtus; nec enim, ut plerique mortalium cùm ſummum faſtigium attigiſti, verſo curſu raptus es ad inferiora; partumque laboribus tuis præmium, non otium Tibi & vacationem reputas. Hinc vigil illa in rebus diligentiæ fideique tuæ commiſſis cura, labor in rebus perſequendis conſtans & improbus, in Eccleſiæ commodis provehendis ſtudium ſollicitum, in literas Literatoſque amor & patrocinium. Hinc pariter Summi Eccleſiæ Paſtoris in Te charitas & æſtimatio in dies ſincerior, quem providis conſiliis regis, egregia opera ſublevas, doctrina adſiſtis. Quæ cùm ita ſint, ANTONI XAVERI CARDINALIS ampliſſime, veniam audaciæ mææ facilis indulgebis, ſi in eximii hujus Operis nuncupatione excellentiam egregii Mecenatis expromens, modeſtiam tuam laudabili rubore ſuffundo, quam crebra amoris & æſtimationis ſignificatione Summus Eccleſiæ Præſul graviſſimo adeo vulnere ſauciare non deſiſtit. Id inſuper rogo, ut quod Operi, ſi fortè indiguerit, præſidium alacris impenſurus es, illud etiam mihi in obſèquium tuum ſollicito nunquam invideas.

EMINENTIÆ TUÆ

*Humillimus, & Obſequentiſs. Famulus*
Leonardus Venturini.

BENE-

# BENEVOLO LECTORI
## CONSTANTINUS RONCAGLIA.

*Statim ac Natalis Alexandri in Historiam Ecclesiasticam celeberrimum Opus e Catholicorum manibus suprema Ecclesiæ Tribunalia eripuerunt; vota fuisse multorum, ut in quibus offenderat, corrigeretur, atque ita publico usui restitueretur; testis est Papebrochius* in respons. ad art. 13. n. 30. *& nihilominus nemo hucusque tantam provinciam suscipere attentavit. Non solùm difficultate laboris, ut opinor, territi, grandia enim plurimaque volumina erant evolvenda, in Natalem insurgere abstinuerunt, sed etiam quia fortè videbant nonnisi hominem scientiâ præclarissimum, ac fere in omnibus versatissimum posse tanti Viri vel errata deprehendere, vel deprehensa emendare. Et quidem ea fuit hujus Auctoris celebritas, ut passim ubique gentium viri ejusdem plauderent Libris, obviis ulnis exciperent, & in eis integram possidere Bibliothecam sibi blandirentur; unde non semel, sed iterum iterumque excusi summo etiam pretio prostabant. Nec obfuit non omnia veritati consona postea deprehensa fuisse; etenim cùm Ecclesiæ historiam nova nec exigua luce perfuderit, Fideique catholicæ omnia ferè dogmata pro suo virili adversùs heterodoxos constabiliverit, adhuc celeberrimi Theologi nomine meruit nuncupari; quo titulo dignum censuit etiam præstantissimus Sfondratus in eo libro, cui titulus:* Innocentia Vindicata. *Temeritatis itaque me arguendum dubito, dum manum primus admovi ad ea confutanda, quæ in Natalis Alexandri Ecclesiasticam Historiam, eique adnexas Dissertationes censurâ digna irrepserunt. Spero tamen me de hujusmodi viros æquos absoluturos, qui sciant hæc ausum esse, non quòd rem numeris omnibus absolutam conficere posse crediderim, sed quòd ipsos conatus profuturos putaverim. Deficere sub tanto onere veritus sum; adhuc tamen cùm publicæ me fortè consulturum utilitati speraverim, si quæ confutatione digna visa sunt primus oppugnare inciperem, ut ita saltem alios ad semper magis veritatem aperiendam excitarem; ideo diversas Notas, longasque Animadversiones in universis libris, in quibus Novi Testamenti historia exponitur, inserui. Neque etiam animis despondendum putavi, quia non ego primus id genus controversiarum excitavi; unde Auctorum jam probatorum vestigia relego, quorum nomen si aliquando omissum videant, nollem Lectores tanquam occultum plagiarium me traducere: ita etenim sæpè factum est, quia memoriâ exciderat Auctor, a quo adnotanda animadvertendaque didiceram. Sed nec ex mea sententia publici juris fient quæ, qua majori potui diligentia libros versando, comparavi; verùm Amicorum judicio, quibus ea elargiri animus est, acquiescendum reor, vel scilicet typis evulgare, vel flammis donare decernant. A temeritatis nota ex eo etiam me æqui bonique æstimatores vindicaturos credo, quia si in Natalis historia dissertationibusque non solùm quædam magis explicanda duxi, sed alia etiam a quibus esset discedendum, ipsum Natalem mihi consentientem vidi; in Præfatione etenim in quatuor Evangelia enavigasse dicit Historiæ Ecclesiasticæ immensum pelagus scopulosis cotibus infestum, ac proinde in eo ad scopulos non offendere, non allidi difficillimum fuisse.*

*Ut alii hoc mare emetientes periculosas syrtes vitarent, suo periculo didicit sapientissimus Scriptor hanc regulam in eadem præfatione anteponere:* Votis, *ait*, ferventissimis exopto & precor, ut omnes homines literati privatos sensus suos & opiniones Sedis Apostolicæ, & Episcoporum judicio in rebus fidem aut disciplinam quoquo modo spectantibus religiosè subjiciant & conforment: Ecclesiæque ordini, paci, unitati propriæ sententiæ amorem sacrificent. *Ab hac nihilominus regula discessit Natalis, sæpè potiùs Facultatis Parisiensis placita præ oculis habens, ejusdemque in quasdam innoxias propositiones censuras; unde factum est, ut non satis Sedis Apostolicæ judicio suas opiniones conformaverit.*

*rit. Vidit hanc Parisiensi Scholæ adhæsionem etiam Elias Vejelius è Protestantium grege; unde in sua* Dissertatione Isagocica in selecta Historiæ Ecclesiasticæ Capita R. P. F. Natalis Alexandri *hoc etiam animadvertit, ut velit vel ipsos Theologos Romanos haud gravatè se componere ad mores interpretationesque Ecclesiæ Gallicanæ. Absit nihilominus a me ut florentissimæ Academiæ, quæ non solùm in Gallia, sed etiam in toto orbe inferiorem aliis locum sibi tribui non pateretur, aliquid detractum velim. Ipsius Historia nobis exhibet, quanta fuerit ejusdem fama, quanta in ecclesiasticis negociis auctoritas, quanta in propagandâ fide, in extirpandis schismatibus, in componendis controversiis solertia & industria; quapropter omni reverentia colendam unusquisque existimabit. Quia tamen in multis offendimus omnes, non semper tantæ Facultatis (cujus sententias nullo peculiari modo dirigit Spiritus S. neque enim dogmatum Judex constituta est, sed ut Judicibus, prout cæteræ id genus Academiæ, opituletur instituta) opinionibus subscribens veritatem assequetur, sed & quandoque ab ea desciscet. Et re vera ne præclarissima Facultas sibi nimis sideret, sed humillime Christi in terris Vicario obsequeretur, non semel permisit Deus in errores prolabi, quos non desiit qui colligeret; videndusque liber, cui titulus la* Sorbone Tombee. *Hunc vulgatum legimus unà cum Clementis XI. decreto, quo suspenduntur privilegia a Sede Apostolica Parisiensi Facultati elargita, quia major quamvis non sanior DD. pars decretum, quo jam Constitutionem* Unigenitus *summa cum reverentiâ ac obsequio exceperant, adulterinum postea, commentitium, & e Facultatis Commentariis eradendum declararunt. Cùm ita agendo oculos a Petri Cathedrâ averterint, ac gravis inobedientiæ crimine se inquinaverint, meruerunt a Clemente privilegiorum suspensione puniri; eos etiam redarguens quia eamdem Constitutionem multiformiter impetere atque proscindere non verebantur: divexando insuper clarissimos illos collegas, qui a veritatis semita non recesserant. Magis magisque item in errore obdurati, ut idem Pontifex narrat, illorum Episcoporum decreta, quibus sese abhorrere ab hujusmodi perversâ agendi ratione ostenderant, despicere ac publicè oppugnare non erubuerunt. Hæc innuenda credidi, ut appareat non semper firmum esse opinionum præsidium, eisdem Facultatem Parisiensem consentire; eò enim pervenit ut Christi Vicario solemniter definienti obtemperare detrectaverit; unde originem traxisse hæreses & schismata ita conqueritur S. Cyprianus Ep. 55. quæ est ad Cornelium:* Neque enim, *ait*, aliunde hæreses exortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur. *Cæterùm non me latet quantùm Summo Pontifici obsequendum agnoverit, quantum ipsius definitionibus tribuendum; qua de re potissimùm consulenda ipsius antiquiora decreta apud Mauclerum, Duvallium, aliosque ejusdem Scholæ Doctores.*

*Si verò fortè ab aliquibus, qui ergo Christi Vicarium satis æqui non sunt, inter aulæ assentatores me adnumeratum videro, injuriam patienter feram, testimonium mihi perhibente conscientia mea. Fateor tamen quòd me summopere puderet, si veritatem prodidissem aliorum aures mulcendi prurigine. Num fortasse Sedes Apostolica assentatorum voce indiget, ut sua privilegia in Petri personâ divinitùs sibi collata tueatur? Perpetuus profectò sum in asserendo Romani Pontificis definitiones omni prorsus infallibilitate pollere, in ipsum supra Oecumenica Concilia extollendo; at ita ex S. Scripturis didicisse profiteor, ita ex jugi Ecclesiæ consensu, ad quem & ipsi adversarii nos provocant: atque utinam id omnibus suadere concederetur, tunc etenim membra a suo capite divulsa Ecclesia nunquam lugeret. Ad alia etiam diverti, ut multoties innuerem quæ nostra hac ætate sapientioribus criticis magis arrideant. Illud tamen ingenuè fatendum tali eruditione ac omnigena literatura Natalem præditum ubique reperisse, ut si a quibusdam præjudiciis liber extitisset, non auderem illis contradicere, qui postremis hisce temporibus nemini esse secundum contendunt. In ejus verò libris examinandis postremam ipsorum editionem perlustravi, ibi enim quædam omissa, quæ etsi in prioribus legerentur, non ampliùs ut sua agnoscere demonstravit.*

Quia

*Quia tamen eamdem ac Natalis semitam aggressus est Bossuet* in Defensione Declarationis Cleri Gallicani ( *hoc Opus ut legitimum tanti Antistitis fœtum non pauci agnoscere renuunt* ) *ideo utrumque, ubi eadem est doctrinæ communio, confutandum unà duxi; sicut et non semel sejunctim de eodem Bossuet verba facere non omisi. Fateor quidem præclarissimum hunc Præsulem summâ me semper veneratione fuisse prosequutum; at in præfato Opere, si inter ipsius Opera sit recensendum, catholici præsulis partes non implesse fidenter dicam; cùm ubique Christi Vicarii potestati detrahere sibi mentem fuisse ostendat; ubique Romanorum Pontificum seu vera, seu præsumpta errata extollere [ absit invidia verbo ] satagat: ac ubi quandoque errasse ut particulares personas agnoscere debuisset, Pontifici ut Christi Vicario, ut universalis Ecclesiæ Magistro errores tribuendos pro viribus propugnat. Ita latam schismatibus viam aperit; neque etenim religioni ducunt, ut hac etiam ætate nostris oculis perspicimus, Magistro non obedire, quem erroribus obnoxium credunt. Quòd si Vejelius in supracitata dissertatione tantùm cum suis gregalibus plaudit, quòd, ut & ipse judicat, oppugnati fuerint a Natale Romani Pontifices, eorumque infallibilitas ac superioritas, quòd Romana Curia divexata, quòd Pontificiæ auctoritatis assertores dejecti, crepantibus profectò buccinis Bossuetum excipient, cùm, ni mea me fallat opinio, Natalem longè superet Romanos Pontifices impetendo. Cæterùm cùm nullius sit particularis Auctoris censuras aliis inurere, id Ecclesiæ Judicibus omnino relinquo; ac propterea prætereunda ea omnia duxi, quibus Bossuet Declarationem Cleri Gallicani ab omni censura immunem ostendere nititur. Omnes scire sufficiat Alexandrum VIII. cùm non potuisset ea dissidia componere, quæ inter Sedem Apostolicam Regemque Christianissimum flagrabant, morti proximum adstantibus Cardinalibus illud jamdudum conceptum diploma publicari voluisse, quo quicquid a Galliæ Episcopis an. 1682. in Conventu Parisiensi actum fuerat, improbatur. Cùm postea Innocentio XII. pax tandem fuerit conciliata, inter alias hæc etiam conditio intercessit, quòd* Galliæ Antistites, qui a Rege nominati ad Ecclesias fuerant, Conventus Parisiensis decreta revocarent. *Hæc videsis apud Sfondratum in calce Regalis Sacerdotii, ubi narrat quo pacto inter Sedem Apostolicam, ac Regem Christianissimum certamen finierit.*

*Monendum demum duxi amicum Lectorem ita Notas, ac Animadversiones disposuisse, ut singulæ suis aptentur locis, nec ex eis particulare volumen conflandum existimasse. Sæpissimè ad ea quæ in præcedenti capite, seu dissertatione Natalis affirmavit, referuntur; unde absque eo quòd molestè jam ab eo dicta repetantur, facillimè in anterioribus perleguntur, atque ita sub oculos sunt quæ in Notis vel magis explicantur, seu ibi, aut in Animadversionibus confutantur. Ubi verò particulare volumen certè non exiguæ molis ex illis conflare animus fuisset, non pauca improbo labore ex Natale erant transcribenda, ne Lector, dum Notas &c. legeret, continuum subire fastidium cogeretur, tomum illum nempe consulendi, ubi de iis sermo esset, quæ in eisdem Notis &c. ad examen revocarentur. Sed non solùm transcribendi non spernendum incommodum, sed novus etiam ordo, quo particulare volumen fuisset exarandum, ab hoc novo onere subeundo animum avertit: & quamvis quibusdam ita agendum placuisset, quorum tamen consilium meo, cui omnes quos consului, suffragati sunt, præponere nescirem, adhuc ne eis assentirer valetudo semper magis adversa coegit, quæ me imparem novis reddidit scriptitationibus.*

*Si autem quandoque fiat has meas lucubrationes publica luce gaudere, cum ipso Natale Alexandro in generali præfatione sanctè testor non esse tam amenter superbum, ut nulla in re errasse præsumam; sicut & vereor quædam in tam vasta Natalis historia me fugere potuisse quæ forent corrigenda. Cujuscumque igitur viri docti censuræ me libentissime submitto, sed multò magis summi Ecclesiæ Hierarchæ judicio, in quo D. Petrum loquentem audire profiteor.*

PRÆ-

# PRÆFATIO GENERALIS.

NOvæ huic Historiæ Ecclesiasticæ ab Orbe condito ad annum Christi sexcentesimum supra millesimum Editioni multis præfari non est opus. Prodiit illa secundis curis emendatior ac locupletior. Nam præter Observationes plurimas, quas scribendo proficiens passim addidi, Dissertationes aliquot seorsim ante vulgatæ, suis quæque locis opportunè insertæ sunt, scilicet de Confessione Sacramentali adversùs Libros Joannis Dallæi Calviniani Ministri: De divina Episcoporum supra Presbyteros eminentia adversùs Blondellum: de Chorepiscopis: De Sacrorum Ministrorum Cœlibatu & Paphnutii Historia: De Vulgata Scripturæ Sacræ Versione: Dissertationis ejusdem Vindiciæ seu Anticritica adversùs eruditum Ordinis FF. Minorum Theologum Parisiensem, variaque Opuscula critica & encomiastica Doctorem Angelicum S. Thomam Aquinatem spectantia. Nova etiam Dissertatio his maximè necessaria temporibus accessit adversùs errores Beguardorum in Quietistis redivivos, qua superiorum Mysticorum fanaticum systema funditus evertitur, periculosa dogmata refelluntur.

Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi Quarti Appendicem de Canone quadragesimo septimo Concilii Carthaginensis tertii, seu de Libris Canonicis in primâ Editione subjunxeram, nondum inito consilio de scribenda Testamenti Veteris Historia: in qua cùm uberiùs & accuratiùs a me tractata sint suis locis singula, quæ Libros sacros Veteris Testamenti spectant, quæ verò ad Novi Testamenti Libros attinent convenientiùs tractata sint in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi I. Cap. XI. Articulo II. Appendicem illam, quæ superflua jam videretur, hac in Editione prætermisi.

Scholia quòd spectat passim intertexta (si pauca exceperis Historiam Veteris Testamenti illustrantia) his occasionem dedit Indiculus Anonymus Religiosorum Censorum, mihi primùm benevolè oblatus ab Eminentissimo Cardinali, quem singulari cum nominis encomio, & grati animi significatione appellarem, nisi ejus Eminentia prohibuisset; Româ tandem ad me missus post obitum Innocentii Undecimi sanctæ memoriæ Pontificis Maximi. Hoc in Indiculo mihi tribui plurima a verbis plerumque meis & mente planè aliena, multa per se innoxia deprehendi; quæ historicè dumtaxat tracto ac refero, persæpe acerbis criminationibus impeti, quasi asserta essent ut dogmata inconcussa fide ab omnibus tenenda; nonnulla mihi affingi contra debitam Sanctæ Sedi Apostolicæ & Christi Jesu in terris Vicario, omniumque Christianorum Patri observantiam cùm perspexissem, Religiosorum Censorum Notas uno veritatis elucidandæ studio, justæque defensionis causa, quàm modestiori stylo potui, diluendas suscepi, Scholiis ad singula capita, Dissertationes, Quæstiones vel Articulos, in quibus aliquid censoria animadversione dignum æstimarunt, subjunctis. Id nemo, ut spero, improbabit veritatis & æquitatis amator. Accusatis enim Auctoribus Scripta sua editis Apologiis tueri semper licuit. Dionysium Alexandrinum, Hieronymum, Orosium, Julianum Toletanum Patres Sanctissimos priscis Ecclesiæ sæculis: Alphonsum Tostatum Abulensem deinde Episcopum, Joannem Picum Mirandulanum Comitem, aliosque Scriptores illustres, & inter illos Ludovicum Thomassinum recenti memoria, Apologeticas Respon-

sio-

ſiones dediſſe ut Operum ſuorum Cenſoribus ſatisfacerent, res eſt doctis omnibus explorata. Sanctos illos Patres & celebres Auctores imitatus, Religioſorum Cenſorum in Hiſtoriam meam Eccleſiaſticam Notas Scholiis diluo; mentem meam ſicubi obſcura fortè viſa eſt, explico; agnitam defendo veritatem, cui præſcribere nihil poteſt; quod meum eſt, agnoſco ſincerè; quod alienum, rejicio; quod hiſtoricè dumtaxat, non dogmaticè a me ſcriptum eſt, ita ſcriptum declaro, ita accipi rogo; quod in opinione poſitum eſt, ut opinionem propono, tametſi nec privatam, nec novam: quàm Catholicè, quàm magnificè ſentiam de ſumma Romani Pontificis toto orbe Chriſtiano poteſtate ac privilegiis a Chriſto collatis, vel ab Eccleſia univerſa agnitis, ubi opus eſt, expono, meamque erga ſanctam Sedem Apoſtolicam obſervantiam confirmo. Non ſum tam amenter ſuperbus, ut nulla in re me erraſſe confidam. Scribendo me profeciſſe docti fortè agnoſcunt: a perfectione ſine ullo errore ſcribendi in iſta etiam ætate longè me abeſſe ipſe agnoſco, palamque profiteri non erubeſco: ſed intereſt quantum & in quibus erretur, & quàm facilè quiſque vel quantâ pertinacia ſuum defendere conetur errorem. Securum me exiſtimo, Cathedræ Sancti Petri, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, ex qua veritatis oracula funduntur, & Doctrinæ Fidei, Morum Diſciplinæ, quæ in ea prædicatur & traditur, ab Apoſtolis acceptæ, & ad nos uſque per continuam Pontificum ſucceſſionem derivatæ, firmiter adhærens: Eccleſiæque Romanæ omnium Eccleſiarum Matris & Magiſtræ; ac Summi Pontificis doctrinarum omnium ac librorum ſupremi Cenſoris ac Judicis examini & judicio hoc Opus, cæteraque a me edita, vel deinceps edenda, ut humilis filius ac diſcipulus ſumma reverentia & devotione ſubjiciens: UT EJUS AUCTORITATE QUÆ SUSCIPIENDA SUNT, APPROBENTUR, ET QUÆ CORRIGENDA SUNT, EMENDENTUR.

*S. Anſelm. in præfat. Libri de Fide Trinitatis.*

HISTORIAM

# HISTORIA
# ECCLESIASTICA
## VETERIS TESTAMENTI
### A PRIMA MUNDI ORIGINE
## AD NATALE CHRISTI,
### IN SEX ÆTATES DIVISA,
## ET SELECTIS DISSERTATIONIBUS
### ILLUSTRATA.

---

## *PRÆFATIO.*

ECCLESIASTICA Hiſtoriâ ad annum ſexcenteſimum ſupra milleſimum perductâ, vix manum e tabula ſubduxeram, dilatâ in aliud fortè tempus, ſi vitam Deus commodaverit, vel aliis relicta rerum hoc ſeculo geſtarum tractatione; cùm aliquid deeſſe Operi a me ſuſcepto exiſtimavi, & operæ pretium me facturum, ſi Eccleſiaſticam Teſtamenti Veteris Hiſtoriam ſelectis etiam Obſervationibus ac Diſſertationibus illuſtrarem: ſic enim demum completum fore & integrum totius Hiſtoriæ Sacræ, nova nec antea tentata methodo adornatæ corpus. Id penſi literarii eò quidem lubentiùs a me ſuſceptum eſt, quòd nemini ingratum fore intellexerim, utile verò futurum ad Scripturarum Divinarum intelligentiam, ad quam ſuos Candidatos & Baccalaureos accuratiùs informari Sacra Facultas Pariſienſis ſapientiſſimis Decretis edixit, approbante Rege Chriſtianiſſimo LUDOVICO MAGNO, Religionis ac Literarum Reſtauratore, Conſervatore, Protectore. Atque eò delectabiliùs huic me Operi addixi, quòd nova inde mihi detur occaſio Scripturam Sacram relegendi, ſcrutandique, ac Divina Eloquia meditandi, præ favo mellis dulciora. Id autem Opus in ſex Epo-

chas seu Ætates distribuo, & uno, Deo dante, Volumine in folio complectar. Prior Ætas ab initio temporis ad Diluvium excurrit. Altera a fine Diluvii ad vocationem *Abrahami*. Tertia a vocatione *Abrahami* ad egressum Israelitarum ex Ægypto. Quarta ab egressu Israelitarum ex Ægypto ad ædificationem Templi Salomonici. Quinta ab ædificatione Templi ad captivitatem Babylonicam. Sexta a captivitate Babylonica ad Nativitatem Christi, qui homines e duriori longè & infœliciori captivitate eruit. Eamdem autem sector methodum, quam in Ecclesiastica post Christum Historia sum secutus. Primò scilicet exhibeo Synopsim Historiæ Sacræ, ut in Libris Canonicis scripta est. Deinde ut a *Josepho* illustrata, vel ab illo, Hebræisque reliquis interpolata. Demùm ut ab Ethnicis Scriptoribus confirmata vel adulterata. Synopsim subjicio Historiæ exoticæ ac profanæ ad singulas Ætates pertinentis. Post Historiæ compendiariam tractationem, in argumenta difficiliora Historiam, Chronologiam, Criticam, spectantia incumbo; eaque selectis Dissertationibus pro modulo meo conor illustrare. Deum precor immortalem, ut gratiæ suæ radiis tenebras meas illuminet, quò id Operis ad ædificationem Ecclesiæ perficere valeam; cujus, & Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio, illud, qua par est humilitate, observantia, & devotione subjicio.

DE Mandato Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Octavii Archidiaconi Sardi Vic. Capitul. vidit Jo: Vincentius Roncaglia, & imprimi posse judicavit.

IMPRIMATUR.

OCTAVIUS ARCHIDIAC. SARDI Vic. Capitul.

CAROLUS DE NOBILIBUS Illust. Offic. super Jurisdict. Præpos.

# INDEX

## ARTICULORUM, DISSERTATIONUM, Propositionum, Assertionum, Capitum, & Paragraphorum, quæ in hoc primo Volumine continentur.

## ÆTAS MUNDI I.

### A TEMPORIS PRINCIPIO AD DILUVIUM.

### HISTORIÆ SYNOPSIS.


ART. I. HUJUS *Ætatis exponitur Historia ut in Sacris Literis traditur*. Pag. 1.

Art. II. *Hujus Ætatis Historia, ut a JOSEPHO illustrata vel interpolata; & Hebræorum ac Arabum fabulis adulterata*. 6.

Art. III. *Hujus Ætatis Historia, ut ab Ethnicis Scriptoribus confirmata vel interpolata*. 9.

Differt. I. *De Opificio sex Dierum*. 15.

Art. I. *Quid nomine Principii, in quo Deum Cælum & Terram creasse Moses scripsit, intelligendum veniat?* ibid.

Prop. I. *Cælum & Terram* in Principio *creata scripsit Moses, ut ante omnia & in ipso Mundi ac temporis exordio condita significaret*. ibid.

Prop. II. *Principii nomine Filius Dei congruè intelligitur in hoc Geneseos Exordio:* In principio creavit Deus Cælum & Terram: *Eaque expositio apud Antiquos pervagata est*. 17.

Art. II. *De Opere primæ Diei*. 19.

Prop. I. *Cæli ac Terræ nominibus, sive Materiam informem intellexeris, sive supremum Cælum, sive Cœlestium Orbium Systema, cum Terra elementari, sententiam propugnabis probabilem. Postrema tamen interpretatio scopo Mosis convenientior videtur*. ibid.

Prop. II. *Spiritum Domini, qui super aquas in Mundi exordio ferebatur, sive Aerem aut ventum, seu vitalem spiritum, aut efficaciam intellexeris, probabilem interpretationem affers: Antiquis verò Patribus longè probatissimam, si Spiritum Sanctum designari censeas*. 21.

Prop. III. *Lucem primâ die Mundi a Deo conditam, si vel Angelicam naturam, vel Gratiam, qua illustrata & ornata est, intellexeris, a Fidei Regula non aberras: Si corporeum lucem interpreteris, consonam certè Mosaicæ narrationi propugnas sententiam*. 23.

Art. III. *De Opere secundæ Diei*. 25.

Prop. I. *Quid Firmamenti nomine, quod secunda die conditum est, Moses intellexerit; an Cælum Sydereum, an intervallum Aeris, in quo nubes coguntur, Cælum inter & Aquas inferiores oppansum, haud liquidò constat*. ibid.

Prop. II. *Etsi Firmamenti nomine Cælum Sydereum intellexeris, supra illud veras aquas admittere oportet, Scripturâ Sacrâ, Patribusque persuadentibus*. 26.

Art. IV. *De Opere tertiæ diei*. 28.

Prop. I. *Aquarum inferiorum in sua conceptacula collectio, ipsarum condensatione, quæ antea rariores erant & in nubem attenuatæ; & immensis receptaculis, alveisque ad eas excipiendas & continendas excavatis, facta intelligi verisimiliter potest; & Maris etiam supra Terram eminentia explicari*. ibid.

Prop. II. *Plantas & Arbores tertiâ die causaliter tantùm & in semine creatas probabile S. Augustino fuit: Aliis Patribus & Interpretibus meritò probabilius videtur, actu & reipsâ stirpes omnes, atque sata jam grandia & matura prodiisse, cum fructibus ad usum aptis*. 30.

Art. V. *De Opere quartæ Diei*. 31.

Prop. unica. *Solem & reliqua Sydera qui primâ die cum primigeniâ luce condita volunt, opinionem tuentur Mosaicæ narrationi minimè consentaneam*. ibid.

Art. VI. *De Opere quintæ Diei*. 32.

Prop. unica. *Quintâ die tam pisces, quàm aves ex aquis prodiere*. ibid.

Art. VII. *De Opere sextæ Diei*. 34.

Prop. I. *Sextâ Die omnis generis animalia Deus ex terra produxit: In quibus nullum per se noxium aut inutile est*. ibid.

Prop. II. *Homo ad imaginem Dei secundùm Animam conditus est. In quo sita sit, non una est Patrum sententia*. 36.

Art. VIII. *Utrùm sex dierum intervallo Mundus sit conditus? & quâ Anni Tempestate?* 40.

Prop. I. *Etsi propter S. Augustini reverentiam nulla sit inurenda nota erroris illi sententiæ, quæ mysticam & figuratam, non propriam putat sex dierum, quibus Mundum a Deo conditum Moses narrat, significationem; longè certè probabilior est, & Scripturæ Sacræ magis consentanea sententia, quæ sex dierum intervallo perfectum a Deo Mundi opificium interpretatur.* ibid.

Prop. II. *Autumno conditum esse Mundum probabilius est, quàm Vere primo.* 42.

Differt. II. *De Paradiso.* 44.

Art. I. *De Loco & Situ Paradisi.* ibid.

Prop. I. *Paradisus corporeus quidam locus fuit, oculis ac sensibus subjectus; arcanarum licèt ac spiritualium rerum adumbrans rationes. Meritò igitur sunt erroris a Patribus damnati, qui in Mosaicâ Paradisi descriptione nihil propriè, sed allegoricè omnia intelligenda putarunt.* ibid.

Prop. II. *Qua in regione consitus fuerit Paradisus, obscura certè quæstio; probabilior eorum sententia, qui in Arabia Felice, vel Mesopotamiâ, aut circa Babyloniam in Mesopotamiæ limite collocatum fuisse censent.* 46.

Prop. III. *Utrùm Paradisus terrestris etiamnum superfit, incertum; probabilius est non extare ampliùs quoad cultum & amœnitatem loci.* 51.

Art. II. *De Arboribus Paradisi.* 52.

Prop. I. *Cujus speciei fuerit Arbor scientiæ boni & mali, incertum est. Ab eventu nomen accepisse, quàm a vi quadam naturaliter inditâ, longè probabilius.* ibid.

Prop. II. *Arbor vitæ ita ab effectu nuncupata est, quòd ad vitam in perpetuum propagandam conduceret, non naturali virtute, sed divinitus accepta: Eaque Arbor corporea licèt ac spectabilis, simul erat sacramentalis.* 53.

Differt. III. *De Adamo & Evâ.* 55.

Art. I. *Utrùm Adam primus omnium Hominum fuerit? an verò fuerint homines Præadamitæ?* ibid.

Affert. unica. *Præadamitarum Systema verbo Dei planè contrarium est, nec ullo probabili nititur argumento.* ibid.

Art. II. *De Evæ Creatione.* 64.

Affert. unica. *Quod a Mose narratur de Mulieris productione ex costâ Adami, historicè & secundùm literæ sensum intelligendum est; & Cajetani sententia, ad metaphoricum & parabolicum sensum narrationem illam detorquentis, ut minùs consona verbo Dei meritò rejicitur.* ibid.

Art. III. *De Adami & Evæ Tentatione, Lapsu, Pœnitentiâ.* 66.

Affert. I. *Eva seducta est a Diabolo veri serpentis organo utente. Unde nec S. Cyrilli Alexandrini singularis opinio probatur, speciem dumtaxat & simulacrum Serpentis Evæ a Diabolo exhibitum fuisse tradentis, non veri Serpentis corpus ad tentationem assumptum; & error Cajetani rejicitur, asserentis, tentationem Evæ internâ tantùm suggestione peractam a Dæmone, qui Serpentis nomine a Moyse metaphoricè significatur.* ibid.

Affert. II. *Etsi Adam eo modo seductus non fuerit quo Eva, quodam tamen modo & ipse deceptus est superbiæ merito, ut in apertam inobedientiam laberetur.* 69.

Affert. III. *Adamum peccato suo per pœnitentiam expiato salutem æternam consecutum, dogma Catholicum est, contra Tatianum & Encratitas Scripturæ Sacræ & Traditionis auctoritate confirmatum. Per Fidem verò Christi Mediatoris, cujus ipsi facta post lapsum promissio a Deo est, ipsum salvatum nemo dubitet.* 70.

Differt. IV. *De Polygamiâ Lamechi.* 71.

Prop. unica. *Insolens Lamechi Polygamia, qui plures simul Uxores primus duxisse legitur, Patriarcharum qui post Diluvium vixere exemplis a crimine vindicari non potest, ut nec illorum Polygamia Lamechi exemplo damnari.* ibid.

Differt. V. *De Raptu, & Prophetiâ Henochi.* 75.

Prop. I. *Henoch mortuus non est, ut Rabbini quidam asserere non dubitarunt, sed a Deo translatus vivit: Quo in loco, incertum.* ibid.

Prop. II. *Quamvis Henoch Propheta fuerit, & suæ Ætatis hominibus ultimum Judicium vaticinatus sit, Librum tamen Henoch a Veteribus quibusdam Patribus laudatum, velut Apocryphum consultiùs alii rejecerunt.* 78.

Differt. VI. *De Cibo Antediluviano.* 80.

Prop. unica. *Carnium esum Antediluvianis Hominibus insuetum, etsi plerique Patres asserant, a Deo tamen prohibitum fuisse, ex Scriptura Sacra certò colligi non potest.* ibid.

Differt. VII. *De filiis Dei cum filiabus Hominum commixtis; & de Gigantibus Antediluvianis ex illâ copulâ genitis.* 82.

Prop. I. *Veterum Patrum plurimi Angelos mulierum specie captos, stupri cum iis consuetudinem habuisse senserunt, & ex nefando illo concubitu ortos Gigantes; sed hunc errorem & Scripturæ Sacræ, & aliorum Patrum convenientiùs cum eâ sentientium Auctoritas refellit.* ibid.

Prop. II. *Antediluvianos Gigantes Dæmones sub humana specie fuisse, absurdum commentum. Homines enim fuere, non robore solùm, feritate, violentiâ, aliisque vitiis insignes, sed insolenti staturâ & corporis proceritate ab hominibus reliquis distincti.* 86.

Differt. VIII. *De annis Patriarcharum Antediluvianorum.* 88.

Prop. unica. *Hebraici Textûs Chronologiæ potiùs adhærendum, quàm LXX. Inter-*

pre-

*pretum calculis*. 92.

Differt. IX. *De Patriarcharum Longævitate*. 100.

Prop. unica. *Annos Patriarcharum a Mose numeratos tam breves fuisse, ut decem ex illis unum ex nostris non superarent, falsissimum est; hujusque sententiæ falsitas documentis evidentissimis ostenditur. Pares ergo fuere nostris. Neque tamen incredibilis est Mosis de tantâ longævitate narratio*. ibid.

Differt. X. *De Arca Noe, & Diluvio*. 103.

Art. I. *De Arcæ Amplitudine*. ibid.

Prop. unica. *Quamvis Moses nec geometricos, nec sacros cubitos, sed communes & vulgares in describendis Arcæ dimensionibus intellexerit, tanta nihilominus fuit Arcæ capacitas & amplitudo, ut omnium specierum tot animalia, quot in eam introducta Scriptura commemorat, cum alimentis congruis, Noe ac familiam, cum annonâ, & utensilibus, facilè contineret*. 105.

Art. II. *De Arcæ Mystica significatione*. 107.

Prop. unica. *De Arca atque Diluvio nec illis est consentiendum, qui solam historiam recipiunt sine allegorica significatione; nec illis qui solas figuras defendunt repudiatâ historiæ veritate. Arca porro typus mirabilis fuit Christi & Ecclesiæ, sicut aquæ Diluvii Baptismi figura extiterunt*. ibid.

Art. III. *Utrùm his Dei Verbis (Genes. 6.)* Eruntque dies illius centum viginti annorum: *Vitæ humanæ duratio, an Temporis ad agendam Pœnitentiam hominibus ante Diluvium concessi definitum sit intervallum?* 109.

Prop. unica. *His verbis non vitæ humanæ duratio, sed temporis ante Diluvium hominibus ad agendam pœnitentiam concessi intervallum definitum est*. ibid.

Art. IV. *De Universalitate Diluvii Noetici*. 110.

Prop. unica. *Noeticum Diluvium Universale fuit, non Palestinæ solius, sed totius Terræ*. ibid.

Art. V. *De Æterna illorum Hominum sorte qui Diluvio perierunt*. 121.

Prop. unica. *Quòd aliqui ex iis qui Diluvio perierunt, damnationem æternam evaserint, gratis asseritur*. ibid.


---

ÆTAS MUNDI II.

A FINE DILUVII

AD VOCATIONEM

SEU

PROFECTIONEM ABRAHAMI.

HISTORIÆ SYNOPSIS.


Cap. I. *Hujus Ætatis exponitur Historia ut in Sacris Literis traditur*. 125.

Cap. II. *Exponitur hujus Ætatis Historia ut Ethnicorum fabulis adulterata, & Judæorum, vel Christianorum etiam quorumdam Scriptorum figmentis & falsis opinionibus deformata*. 128.

Cap. III. *Historia Exotica hujus Ætatis exponitur*. 133.

Differt. I. *De ordine Filiorum Noe; & quis ex illis sit primogenitus*. 137.

Prop. unica. *Japhetum ortûs principatu Semo præponendum probabilius est*. ibid.

Differt. II. *De Noachidarum Præceptis*. 139.

Differt. III. *De Noachi Ebrietate, & Propheticâ Filiorum Benedictione*. 142.

Prop. I. *Ebrietas Noe non solùm innoxia, sed & mystica fuit*. ibid.

Prop. II. *Hæc verba Noe filiis benedicentis:* Dilatet, Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, *Prophetiam continent de Ecclesia & vocatione Gentium*. 143.

Differt. IV. *De Cainan Arphaxadi Filio in Vulgata Editione memorato, an verus sit, an insititius?* 144.

Prop. unica. *Cainan, qui in Semi Genealogia inter Arphaxad & Sale habetur, irreptitius ac suppositilius est*. ibid.

Differt. V. *De Babelica Linguarum confusione; cuius occasione disquiritur, Quæ sit Lingua omnium prima & antiquissima*, 146.

Prop. I. *Babelicæ Turris Ædificatores graviter peccarunt, eorumque superbiam ac fastum Deus confusione Linguarum justè punivit*. ibid.

Prop. II. *Quamvis communis sit Veterum Patrum Sententia, Linguas ex Babelicâ confusione septuaginta circiter vel paulò plures natas esse, minùs tamen probabilis est. Earum numerum definiri non posse, longè probabilius*. 147.

Prop. III. *Ante Babelicam confusionem una erat omnium hominum Lingua*. 149.

Prop. IV. *Pristinam illam & primigeniam Linguam, quæ ante Babelicam confusionem obtinebat, fuisse Linguam Hebraicam, eamque Mundo ipso coævam esse, & Adami priorumque Patriarcharum usu concelebratam, & post Babelicam Linguarum divisionem in familia Heber integram ad Abrahamum usque & Israeliticam Gentem perseverasse, sententia est Sanctorum aliquot Patrum auctoritate, & verisimilibus rationibus firmata*. ibid.

Differt. VI. *De Anno Natali Abrahami, & Profectionis ejus in Terram Chanaan*. 152.

Prop. unica. *Abraham a Deo vocatus, cùm esset in Mesopotamia, seu in Ur Chaldæorum Regione, jussus a Deo relinquere patriam, profectionem in Terram Chanaan adornavit cum patre Thare, Sarâ uxore, & Loth nepote. Cùm autem Harane aliquandiu substitissent, Thare ibi defuncto, Abraham in Chananæam abiit anno ætatis suæ septuagesimo quinto; adeoque anno Thare centesimo trigesimo ipsum natum esse demonstratur*. ibid.


iii.

## III. MUNDI ÆTAS A PROFECTIONE ABRAHAMI IN CHANANÆAM, AD EXITUM FILIORUM ISRAEL EX ÆGYPTO.

### HISTORIÆ SYNOPSIS.


Cap. I. *Hujus Ætatis exponitur Historia ut a Mose descripta.* 155.
Art. I. *De Abrahamo.* ibid.
Art. II. *De Isaaco.* 161.
Art. III. *De Jacob, ejusque Filiis.* 163.
Art. IV. *De Jobi Historia.* 167.
Art. V. *Summa Historiæ Sacræ a morte Josephi, ad Exitum usque Israelitarum ex Ægypto.* 168.
Cap. II. *Exponitur hujus Ætatis Historia ut ab Hebræis, vel Exoticis Scriptoribus interpolata vel confirmata.* 172.
Art. I. *De Abrahamo.* ibid.
Art. II. *De Isaaco.* 175.
Art. III. *De Jacob, & ejus Filiis.* ibid.
Art. IV. *De Mosis Initiis.* 178.
Cap. III. *Quod tertiæ Mundi Ætatis Exoticam Historiam complectitur.* 180.


## IN III. MUNDI ÆTATEM DISSERTATIONES SELECTÆ.


Differt. I. *Unde numerandi sint Anni 430. Peregrinationis Hebræorum, qui tertiæ Ætatis Mundi periodum constituunt.* 188.
Prop. unica. *A Promissione facta Abrahamo Genes. 12. secundùm quam statim Charane exiens in Chananæam profectus est, ad exitum Israelitarum ex Ægypto, anni quadringenti & triginta numerandi sunt: Quo temporis spatio definitur tertia Mundi Ætas. Quamobrem audiendi non sunt qui hunc annorum numerum ad servitutem Israelitarum in Ægypto referunt.* ibid.
Differt. II. *De Raptu Saræ.* 193.
Prop. unica. *Abraham uxorem suam Sarai sororem vocavit absque mendacio aut imprudentiâ: Eamque cùm a Pharaone, tum ab Abimelecho Regibus intactam recepit.* 194.
Differt. III. *De Melchisedecho.* 197.
Prop. I. *Melchisedechus nec fuit Virtus cœlestis Christo major, neque Spiritus Sanctus.* 198.
Prop. II. *Melchisedech Angelus non fuit humanâ specie Abrahamo aspectabilis.* 199.
Prop. III. *Melchisedech non est Filius Dei, qui in carne assumptâ ad tempus Abrahamo apparuerit, sed merus homo; non tamen Sem filius Noe, sed Rex Salem, idemque Dei Altissimi Sacerdos.* ibid.
Prop. IV. *Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ, oblatione panis & vini a Melchisedecho significatum est.* 203.
Differt. IV. *De Terræ-promissæ finibus a Deo descriptis; & de Sacrificio cujus oblationem Abramo Deus imperavit in promissionis Argumentum.* 207.
Prop. I. *Quamvis totum illum Terrarum tractum, qui ab Ægypti fluvio ad Euphratem interjacet, nusquam possederint Hebræi, stat nihilominus divinæ promissionis inconcussa veritas.* ibid.
Prop. II. *Sacrificium in signum Terræ promissæ Abramo a Domino præscriptum, & Prophetica futurorum figura fuit, & solemnis pactio fœderis Deum inter & Patriarcham humano more initi.* 210.
Differt. V. *De Abrami cum Agara ancilla copulatione.* 211.
Prop. unica. *Abrami cum Agara ancilla copulatio nec ipsius Patriarchæ, nec Saræ uxoris respectu inhonesta fuit; illamque a Sara traditam accepit uxorem absque intemperantiæ labe, aut infidelitatis.* ibid.
Differt. VI. *De divina Circumcisionis Institutione, & Antiquitate.* 212.
Prop. unica. *Circumcisionem neque Abrahamus suo consilio ad Ægyptiorum exemplum suscepit: Neque Deus ei ut Ægyptiorum Superstitionibus addicto præscripsit: Unde absque temeritate asseri non potest, Circumcisionem ab Ægyptiis ad Hebræos pervenisse.* ibid.
Differt. VII. *De facto Lot filias Sodomitarum libidini exponentis, ut cœlestes Hospites a stupro tueretur: Necnon de illius ebrietate & incestu.* 218.
Prop. I. *Lot Angelis hospitio susceptis, a Sodomitis vim passus, utramque filiam illorum libidini illicitè ac imprudenter obtulit.* ibid.
Prop. II. *Lothi ebrietas, & cum utraque filia incestus, a crimine excusari non possunt.* 219.
Differt. VIII. *De Abrahami Sacrificio.* 222.
Prop. unica. *Abrahami promptus & alacer ad Filium suum immolandum animus nullo prævio Ægyptiorum, vel Gentium aliarum exemplo obscurari potest.* ibid.
Differt. IX. *De facto Jacob Benedictionem Paternam surripientis, seque Primogenitum asserentis.* 227.
Prop. unica. *Si literali Scripturæ sensui inhæreamus, Jacob a mendacio vix aut nullo modo excusari potest: At si sensus figuratus attendatur, & gravissimorum Patrum auctoritati hac in Quæstione cedendum sit, magisque communi sacrorum Interpretum & Theologorum sententiæ, asserendum est Jacob paternam benedictionem accepisse absque fraude & mendacio.* ibid.


Dif-

Differt. X. *De filiorum Jacob facinore, quo Sichimitas, ob stuprum Dinæ sorori a Sichem Regionis Principe illatum, peremerunt.* 229.
Prop. unica. *Sichimitæ a filiis Jacob ob Dinæ raptum iniquè perempti sunt.* 230.
Differt. XI. *De Judæ & Thamaris Historia.* 232.
Prop. I. *Jus Levirationis, quo frater defuncti fratris Viduam ducere tenebatur, & fratri semen excitare, ante Legem institutum erat, & a Sanctis Patriarchis observabatur, Deo (ut credere par est) Auctore; non Ægyptiorum, Chananæorum, aut vicinarum Gentium exemplo.* ibid.
Prop. II. *Incertum est an Judæ & Thamaris Historia ante vel post venditionem Josephi contigerit.* 233.
Prop. III. *Thamaris cum Juda concubitus a peccato excusari nullâ ratione potest.* 235
Prop. IV. *Scortationem ante Legem prohibitam non fuisse, Maimonides, aliique Hebræorum Magistri, & post illos Marshamus, perperam asserunt.* 237.
Differt. XII. *De Oraculo quod Judæ filio moriens Jacob edidit.* 240.
Prop. I. *Hoc Oraculum,* Non auferetur Sceptrum de Juda, &c. *venturi Messiæ prædictionem continet.* ibid.
Prop. II. *Oraculum illud Jacobi morientis, Judæ editum, in Domino JESU completum est.* 242.
Prop. III. *Jacobæum Oraculum:* „ Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de „ femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & Ipse erit Expectatio „ Gentium, *non ad solam Tribum Juda, „ sed ad totam Judaicam Gentem pertinet.* 246.
Differt. XIII. *De Historia, & Libro Job.* 251.
Prop. I. *Vera est Jobi Historia, non fabulosa, vel parabolica, ut Thalmudistæ, Maimonides, R. Schem Tob, Anabaptistæ, & Lutherus impiè delirarunt.* ibid.
Prop. II. *Jobum Idumæum fuisse, ex genere Esau ortum, longè probabilius est, quàm Chananæum extitisse.* 256.
Prop. III. *Liber Jobi Sacer est & Canonicæ Auctoritatis.* 258.
Prop. IV. *Quis sit Auctor Libri Job, incertum est.* 262.
Differt. XIV. *De cæde Ægyptii Hebræum vexantis a Mose perpetratâ.* 263.
Prop. unica. *Moses Ægyptium insultantem Hebræo interficiens, homicidii reus non extitit.* ibid.
Differt. XV. *De apparitione Dei Moysi in Rubo facta, ejusque in Ducem ac Liberatorem Israelitici Populi Electione.* 265.
Prop. unica. *Æquè probabilis est utraque sententia, cùm asserentium ipsum Filium Dei Moysi in Rubo apparuisse, tum propugnantium Angelum fuisse, qui ipsi apparuit, legationem Dei obeuntem.* 266.
Differt. XVI. *De Institutione, Celebratione, & Ritu Judaici Paschatis.* 268.
Art. I. *De Paschæ Nomine.* ibid.
Art. II. *De Tempore Paschatis.* 269.
Art. III. *De loco ubi celebrandum erat Pascha.* 271.
Art. IV. *De Paschalis Sacrificii Ministris.* ibid.
Art. V. *De Convivis Agni Paschalis.* 272.
Art. VI. *De Ritibus Sacrificii, & convivii Paschalis.* 273.
Art. VII. *De Paschalis Agni Mysterio.* 276.

---

## IV. MUNDI ÆTAS, AB EGRESSU ISRAELITARUM EX ÆGYPTO, AD ÆDIFICATIONEM TEMPLI.

Cap. I. *Hujus Ætatis exponitur Historia, ab Exodo usque ad mortem Moysis, ut in Sacris Literis traditur.* 278.
Art. I. *De egressu Israelitarum ex Ægypto, primisque quatuor eorum Mansionibus.* ibid.
Art. II. *De secutis Israelitarum Mansionibus usque ad Desertum Sinai, & miraculis in iis patratis.* 280.
Art. III. *De Mansione duodecima, & rebus in ea gestis.* 283.
§. I. *De Legis Promulgatione.* ibid.
§. II. *De Rebus aliis ad Montem Sinai gestis.* 285.
Art. IV. *De Mansionibus 13. & 14. rebusque inibi gestis.* ibid.
Art. V. *De Mansione 15. & reliquis usque ad trigesimam secundam.* 286.
Art. VI. *De Mansione 33. & reliquis usque ad 42. & rebus per hæc temporum intervalla gestis.* ibid.
Art. VII. *De Mansione 42. rebus in ea gestis, & Mosis obitu.* 287.
Cap. II. *De Josue, & ejus Gestis ut in Sacris Literis narrantur.* 289.
Art. I. *De Transitu Jordanis, Josue Duce.* ibid.
Art. II. *De Terræ Chananeæ occupatione.* 290.
Art. III. *De Terræ Chananeæ Distributione, & Josue obitu.* 292.
Cap. III. *De Regimine Judicum.* 293.
Art. I. *De Interregno post mortem Josue.* ibid.
Art. II. *De Judicum munere, numero, annisque Principatûs.* 294.
Art. III. *De Gestis Judicum.* 295.
Cap. IV. *De Regibus Hebræorum, & eorum Gestis usque ad jacta Templi Fundamenta.* 299.

Art. I. De *Regiæ Dignitatis apud Hebræos Institutione, & de Saule Regum primo.* ibid.
Art. II. De *Davidis Regno ac Gestis.* 302.
Art. III. De *Salomonici Regni initiis.* 305.
Cap. V. De *Historia quartæ Ætatis, ut ab Hebræis confirmata vel interpolata.* 306.
Art. I. De *Mosis Historia,* ibid.
Art. II. De *Josue Historia, ut ab Hebræis interpolata vel confirmata.* 315.
Art. III. De *Judicum Historia ab Hebræis interpolata.* 317.
Art. IV. De *Regum Saulis & Davidis Historia, ut ab Hebræis interpolata, vel confirmata.* 320.
Cap. VI. De *Historia quartæ Ætatis ut ab Ethnicis Scriptoribus confirmata vel interpolata.* 323.
Art. I. De *Moyse, & Rebus ab eo vel sub eo gestis.* ibid.
Art. II. *Quòd Ethnicorum Theologia ex Historia Mosis derivata sit.* 328.
Art. III. De *Ritibus, Legibus, Moribusque Gentium ex Lege, Librisque Mosis derivatis.* 331.
Art. IV. De *Historia Josue ab Ethnicis interpolata.* 334.
Art. V. De *Historia Judicum ab Ethnicis interpolata.* ibid.
Art. VI. De *Historia I. & II. Libri Regum ab Ethnicis interpolata.* 336.
Cap. VII. De *Historia Exotica quartæ Mundi Ætatis.* ibid.

## IN IV. MUNDI ÆTATEM

### DISSERTATIONES SELECTÆ.

Differt. I. DE *Exitu Israelitarum ex Ægypto.* 348.
Art. I. De *spoliis Ægyptiorum ab Israelitica Gente ex Ægypto migrante ablatis.* ibid.
Prop. unica. *Hebræi spoliis Ægyptiorum absque furti crimine ditati, ex Ægypto egressi sunt.* ibid.
Art. II. De *Admirabili Transitu Maris Rubri.* 351.
Prop. I. *Circuitum dumtaxat in Mari Rubro fecisse Hebræos, non ab uno littore ad oppositum littus transmisisse, improbabile recutitorum hominum figmentum est.* ibid.
Prop. II. *Transitus Hebræorum non Refluxui Maris, quem observaverit Moyses rerum naturalium peritissimus, alterive causæ naturali, sed Miraculo tribuendus.* 352.
Differt. II. De *Præceptis Moralibus Legis Mosaicæ; sive quæ Decalogo continentur, sive quæ ad illum revocantur; & de pœnis in prævaricatores constitutis.* 354.
Art. I. De *Extensione & Ordine Præceptorum Decalogi.* ibid.
Prop. unica. *Omnia Præcepta Legis Naturæ, necnon omnia Præcepta Moralia Veteris Legis, in Decalogo continentur, vel ad illum revocantur. Sic autem ordinata sunt Decalogi Præcepta, ut tria ad primam Tabulam, septem ad alteram pertineant.* ibid.
Art. III. *Explicatio Decalogi.* 357.
§. I. *Præceptum I.* ibid.
§. II. *Præceptum II. Decalogi.* 362.
§. III. *Tertium Decalogi Præceptum.* 365.
§. IV. *Decalogi Præceptum IV.* 370.
§. V. *Decalogi Præceptum V.* 372.
§. VI. *VI. Decalogi Præceptum.* 375.
§. VII. *VII. Decalogi Præceptum.* 380.
§. VIII. *VIII. Decalogi Præceptum.* 385.
§. IX. *IX. & X. Decalogi Præceptum.* 387.
Differt. III. De *Ceremonialibus Legis Mosaicæ præceptis.* 388.
Art. I. De *Rituum Mosaicorum divisione, & rationibus.* ibid.
Prop. I. *Veteris Legis Ceremoniæ convenienter dividuntur in Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Observantias.* ibid.
Prop. II. *Ceremonias Mosaicæ Legis ratione destitutas qui dixerit, seipsum ratione destitutum probat.* ibid.
Prop. III. *Ceremonialia Præcepta ob eam præcipuè causam Hebræis Deus tradidit, ut eos ab Idololatria averteret. Eaque vel ipsorum Rituum ratio est, quos e Gentium Moribus in Legem transcriptos nonnulli perperam ac falsò asserunt.* 389.
Art. II. De *Legibus Ceremonialibus Sacrificiorum.* 399.
§. I. De *Sacrificiorum Ratione.* ibid.
Prop. unica. *Sacrificia Israelitis non solùm permisit Deus, sed præcepit; illa tamen non expetivit, tanquam iis indigens, aut quasi per se ei grata ac jucunda essent; sed aliarum rerum gratiâ, scilicet ad Idololatriam abolendam; ad Christi Sacrificium adumbrandum; ad spiritualia Sacrificia, quæ exigebat ab hominibus, significanda.* ibid.
§. II. De *Sacrificiorum Materia.* 405.
§. III. De *Sacrificiorum fine, variisque speciebus.* 410.
Art. III. De *Legibus Ceremonialibus Sacrorum.* 413.
§. I. De *Rationibus hujusmodi Legum.* ibid.
Prop. I. general. *Ad reverentiam singularem Deo, ejusque Sacris, ac Ministris conciliandam, nec non ad Mysteria Christi significanda, latæ sunt Leges Ceremoniales Sacrorum.* ibid.
§. II. De *Tabernaculi Origine.* 415.
Prop. II. *Tabernaculum ex profana Gentium Religione originem non duxit, sed ex Dei sapientia, & voluntate.* ibid.
§. III. De *Structura Tabernaculi, seu præ-*

*cipuis illius Partibus, Arcâ, Cherubim, Altaribus.* 418.
§. IV. *De Vestibus Sacerdotalibus, ac de Urim & Thummim.* 425.
§. V. *De Solemnitatibus Veteris Legis.* 436.
Art. IV. *De Legibus Ceremonialibus Sacramentorum Veteris Legis.* 442.
§. I. *De Circumcisione.* ibid.
§. II. *De Consecratione Sacerdotum Veteris Legis.* 443.
§. III. *De Paschalis Agni Manducatione.* 445.
§. IV. *De Panum Propositionum & aliorum Consecratorum Esu.* ibid.
§. V. *De Purificationibus ac Lustrationibus, variisque Legalium Pollutionum speciebus.* ibid.
§. VI. *De Expiatione Generali Israelitarum, & de Hirco Emissario.* 453.
Art. V. *De Legibus Ceremonialibus Veteris Legis Observantias spectantibus.* 458.
§. I. *De Legalibus Observantiis Sacerdotes spectantibus; quoad Matrimonia præsertim & Funera.* ibid.
§. II. *De Observantiis Populum universum spectantibus, & primo de Ciborum discrimine.* 460.
§. III. *Lex de Sexûs utriusque apparatu & vestitu non confundendo.* 465.
§. IV. *Lex vestem ex lino & lanâ mixtam probibens.* 466.
§. V. *Lex de Fimbriis & Philacteriis.* 467.
§. VI. *Lex diversorum seminum commixtionem probibens.* ibid.
§. VII. *Lex de primis agrorum incultorum fructibus per tres annos non comedendis.* 468.
§. VIII. *Lex de Solutione Decimarum.* 469.
§. IX. *Lex Animalium diversi generis conjunctionem probibens.* 470.
§. X. *De aliis quibusdam circa Animalia Observantiis Mosaica Lege præscriptis: Scilicet de ore Bovi triturantis non alligando: De Hœdo in lacte Matris non coquendo.* ibid.
Differt. IV. *De Judicialibus seu Forensibus Legis Mosaicæ Præceptis.* 473.
Art. I. *De Præceptis Judicialibus spectantibus Principes; & de Theocratico Israelitici Populi Regimine.* ibid.
Art. II. *De Præceptis Judicialibus spectantibus Populares & Concives ad invicem comparatos.* 477.
Art. III. *De Præceptis Judicialibus Extraneos spectantibus.* 481.
Art. IV. *De Præceptis Judicialibus Conversationem domesticam spectantibus.* 483.
Differt. V. *De Vitulo aureo ab Aarone conflato.* 487.
Prop. I. *Ad Ægyptiacæ Superstitionis imitationem Vitulus aureus ab Aarone conflatus est, non ad Cherubim similitudinem.* ibid.
Prop. II. *Aaronem gravissimi peccati fuisse reum, cùm Vitulum aureum conflavit Populi desideriis obsecutus, & publicè colendum proposuit, Scriptura Sacra probat: Quamobrem temerè ab Hebræis, & Monœo excusatur.* 488.
Prop. III. *Vituli aurei combustio, comminutio, in aquam injectio, Populique ex ejus pulvere aquæ immixto potatio, Idololatriæ destructionem, Gentiumque conversionem ad Christum significavit.* 489.
Differt. VI. *De æneo Serpente a Mose erecto.* 490.
Prop. unica. *Serpens æneus, non ad exemplum Præstigiarum Ægyptiacarum a Moyse conflatus & erectus est, nec Talismanus fuit excantatione aliquâ vel magicâ vi ad medendum serpentum morsibus adhibitus, sed signum a Deò institutum in typum Christi crucifixi, homines oculis Fidei ipsum aspicientes a letbiferis Serpentis antiqui morsibus sanantis.* ibid.
Differt. VII. *De Miraculo in Asina Balaami facto; & de ejusdem Balaami Vaticinio.* 492.
Prop. I. *Asinam Balaami sermone humano simili Dominum suum esse allocutam, minimè incredibile est.* ibid.
Prop. II. *Balaamus, vir licèt nequissimus, de Populo Dei, & de Christo vaticinatus est Spiritu Sancto afflante.* 494.
Differt. VIII. *De Morte Moysis.* 518.
Prop. unica. *Mortuum esse Moysen, salvâ Fide negari non potest.* ibid.

FINIS.

ÆTAS

# ÆTAS MUNDI I.
## A TEMPORIS PRINCIPIO AD DILUVIUM,
### Annos MDCLVI. complexa.

# HISTORIÆ SYNOPSIS.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Hujus Ætatis exponitur Historia ut in Sacris Literis traditur.*

*Tertull. cont. Marcion.* DEUS Optimus maximus, cum ab æterno sibi ipsi esset *Mundus, & locus, & omnia*, nullius indigus, propter semetipsum *in principio creavit cælum & terram*. Quod temporis principium incidit in noctis illius initium, quæ diem Octobris XXIII. præcessit, anno Periodi Julianæ DCCX. ante Æram Christianam quater millesimo quarto.

*Genes.1.* Primo seculi die, Cælum, hoc est, cælestes orbes universos, infimumque hunc globum ex Aquis & Terrâ conflatum Deus creavit, concinentibus & collaudantibus eum omnibus Angelis simul creatis, juxta illud *Job* 28. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? ....... Quis posuit mensuras ejus, si nosti; vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt? Aut quis demisit lapidem angularem ejus, cùm me laudarent simul Astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Porro cùm Terra esset inanis & vacua, idest, omni cultu & ornatu destituta, & tenebræ essent in superficie Abyssi, Spiritu Domini interim aquis incubante, Deus imperiali verbo Lucem produxit, quam a Tenebris dividens, appellavit diem, & illas noctem. Factusque est ex vesperâ (quo nomine primigenias illas tenebras intelligere nihil vetat) succedente luce, dies unus.

II. Alterâ die fecit Deus Firmamentum, quod Cælum appellavit, seu creatis priùs cælestibus orbibus, munus illi tribuit dividendi Aquas superiores ab inferioribus terræ circumfusis, instar septi cujusdam & muri. Quanquam & Aër Cælum & Terram inter expansus Firmamenti nomine intelligi non incongruè possit.

III. Tertiâ die, Aquis inferioribus unum in locum jussu Dei confluentibus, Terra emersit arida. Aquarum conceptacula Creator Maria appellavit. Emisit & fluvios, qui in Mare refluerent, juxta illud Ecclesiastis 1. *Omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Terram omne genus herbas & plantas eâdem die germinare jussit ac fecit Deus, cum seminibus & fructibus. Paradisum etiam, seu hortum voluptatis in Eden plantis ornavit, in quibus arbor vitæ, & arbor scientiæ boni & mali. Paradisum alluebat fluvius, inde in quatuor capita, seu quatuor alios fluvios divisus, quorum nomina, *Phison, Gehon, Tigris, & Euphrates.*

VI. Quarto die, Solem & Lunam, ac reliqua Sydera Deus condidit, esseque jussit in signa & tempora, & dies, & annos: In signa utique serenitatis, pluviæ, tempestatum, & id generis aliorum, quibus agricultura, medicina, nautica, & pleræque vitæ partes gubernantur, non verò in signa fortuitorum eventuum, ut Astrologi, & Genethliaci ariolantur, quorum vanitatem redarguunt ac refellunt SS. Patres, *Basilius* Homiliâ 6. in *Hexaëmeron* cap.4. *Augustinus* Lib.4. *Confessionum* cap.3. Lib.*Quæstionum octogintatrium* Quæst.45. Lib.5. *De Civitate Dei*, Capp. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. *Theodoretus* Quæst. 15. in *Genesim* & alii.

V. Quinto die, piscium & volucrum genera ex aquis a Deo producta sunt, & fœcunditate donata.

VI. Sextâ die, terrestria animalia creata sunt, tum gradientia, tum repentia. Demùm omnipotens Artifex Hominem creavit ad imaginem suam, tum secundùm mentem, ratione cognitionis & scientiæ, secundùm illud Apostoli ad Colossenses 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus qui creavit illum.* Tum secundùm voluntatem, ratione libe-

liberi arbitrii, ut *Tertullianus* Lib. 2. contra *Marcionem*, cap. 5. *S. Hieronymus* Epistolâ 146. *Titus Bostrensis* Lib. 2. contra *Manichaos*. *S. Joannes Damascenus* Lib. 2. Cap. 12. *S. Bernardus* Lib. *De Gratiâ & Libero Arbitrio*, docent: & ratione sanctitatis, secundùm illud ad Ephesios 4. *Renovamini autem spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, & sanctitate veritatis*. Et corpus quidem hominis ex terrâ finxit, *non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente pramisso: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: ut *Tertullianus* ait Lib. 2. contra *Marcionem* Cap. 4. *Rationalem* quippe *naturam cum consilio factam* his verbis sapientissimus Artifex indicavit [ inquit *S. Gregorius* Lib. 9. Moralium Cap. 27. ] Cùm verò corpus vitæ & sensûs expers finxisset, tum illi spiraculum vitæ inspiravit, id est, animam indidit immortalem. Quò spectat & illud Ecclesiastis 12. *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus*
Genes. 2. *redeat ad Deum, qui dedit illum*. Homo reliquis animalibus ad se adductis, ut dominus eorum designatus, nomina imposuit, in quibus cùm adjutricem sibi similem non inveniret, Deus costâ ex dormientis latere eductâ, Mulierem ex eâ condidit, atque in sociam & uxorem illi tradidit, conjugio in officium naturæ instituto: Tum utrique benedicens, illos fœcunditate donavit. Hic verborum istorum sensus: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Quibus præceptum contineri Hæretici continentiæ, cœlibatûs, & votorum hostes inscitè & temerè affirmarunt, cùm eâdem verborum formulâ Deum piscibus & avibus benedixisse *Moyses* referat, præcepti licèt incapacibus. Ad hæc; dominium in animantia universa novis conjugibus datum, ex quo & jus utendi, an & edendi?

VII. Septimâ die, cùm Deus Mundum condidisset, distinxisset, ornasset, hominique incolendum ac utendum dedisset, quievit ab omni opere, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum. Unde postea constitutus est hic dies signum sanctificationis nostræ in hoc seculo, Exod. 31. *Videte ut sabbatum meum custodiatis: Quia signum est inter me & vos in generationibus vestris: Ut sciatis, quia ego Dominus qui sanctifico vos*. Constitutus est etiam hic dies in signum æterni illius sabbatismi, quo in futuro ab omnibus peccati reliquiis, ab omnibus perturbationibus, & ærumnis plenam liberationem, pacemque perpetuam expectamus. Unde Apostolus ad Hebræos 4. *Ingredimur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in irâ meâ; Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione Mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septimâ sic: Et requievit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam..... Si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de aliâ loqueretur, posthac, die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem*.

Genes. 2. VIII. Creatum hominem Deus in *Paradisum voluptatis*, locum ob insignem amœnitatem ita nuncupatum, introduxit cum uxore, quam in Paradiso creatam ex Scripturâ sacrâ non liquet. Nam secundo Geneseos capite, quo mulieris formatio narratur a *Moyse*, postquam *Adamum* in Paradiso collocatum dixit, ordo temporis non explicatur in divinis operibus observatus, sed epilogus operis sex dierum, & recapitulatio eorum quæ capite primo dicta sunt, accuratiorque descriptio creationis *Adami* & *Eva* continetur. Et nisi ita se res haberet, sequeretur Deum mulierem condidisse, postquam ab omni opere suo quieverat. Novis conjugibus in horto voluptario positis, Deus præcepta dedit, & illud imprimis, quòd *Matricem omnium præceptorum Dei* Tertullianus appellat, ut a fructu Arboris scientiæ boni & mali temperarent, idque sub mortis interminatione.

Haud longa fuit hominis fœlicitas; ipsi quippe Diabolus invidens, mulierem ad divini violationem præcepti per Serpentem, quo velut organo usus est, sollicitavit: Quam ob rem Satanas in Sacris literis *Serpens antiquus* appellatur ( *Apocal.* Genes. 3.
12. & 20. ) Mulier per Serpentem seducta, vir per Mulierem illectus, affectu & complacentiâ maritali pronus fuit ut crederet, *se venialiter transgressorem fore præcepti, si vitæ sociam non desereret in societate peccati*, ut *S. Augustinus* ait. Hinc Apostolus 1. ad Timotheum 2. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Ad Dei tribunal vocatis & convictis, pœnæ impositæ: quas Deus misericors spiritali temperavit solatio, promissione scilicet Seminis benedicti mulieri factâ, quod Serpentis caput contritum esset, id est, Christi, qui opera Diaboli esset dissoluturus; de quo 1. Joannis 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*. Et ad Romanos 15. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter*. Primi parentes pelliceis vestibus a Deo amicti, Paradiso pulsi sunt, eodem, ut plerique conjiciunt Eruditi, quo inducti fuerant die, aut certè post breve temporis intervallum. Cherubim cum flammeo gladio atque versatili a Deo positus est ad custodiam viæ, quæ ad lignum vitæ ducebat, hominesque ab ejus aditu arcendos. Cherubim autem nomine alii spectra & terribiles animalium formas intelligunt, ut *Theodoretus* Interrogatione 40. in Genesim; alii probabiliùs Angelos gladio versatili & flammeo armatos.

IX. Ad hanc Ætatem pertinent decem Patriar- Genes. 4.
chæ, scilicet *Adamus*, *Sethus*, *Enos*, *Cainan*, *Ma-* & 5.
*laleel*, *Jared*, *Enoch*, *Mathusala*, *Lamech*, *Noë*. Adamus verè & propriè primus hominum sator, non typicè tantùm per oppositionem ad secundum *Adamum*, non Judæorum duntaxat, sed omnium prorsus: in quo exordium habuit Ecclesia, paulò post lapsum *Cainum* genuit, deinde *Abelem*.

CAINUS impius fuit, variisque criminibus de- Genes. 4.
ditus, unde *S. Judas* in Epistolâ Canonicâ de impiis & pseudo-didascalis sermonem faciens, eorumque crimina, & inter alia defectum fidei ac sanæ doctrinæ corruptionem enumerans, ait: *Va illis, quia in viâ Cain abierunt*.

ABEL justitiam colebat, ac pietatem, Deum fide promerebatur. Hinc illius sacrificia Deo grata, cui & ipse acceptissimus: *Caini* verò munera, ob impietatem offerentis, Deo invisa & ingrata. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit*. ( Genesis 4. ) Hinc & *S. Paulus* ad Hebræos 9. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur*.

*Abel* Pastor erat ovium, *Cain* Agricola: Hic de fructibus terræ, ille de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum munera Domino obtulit. *Abel* non solùm victimas obtulit pecuarias, sed seipsum; ideo fide plurimam hostiam obtulit Deo quàm *Cain*, qui *malè dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum*: ut ait *S. Augustinus* Lib. 15. *De Civitate Dei*, Cap. 7. Idque significari ait a S. Joanne Epistolâ 3. Cap. 3. scribente: *Hac est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis*

*tis alterutrum. Non ficut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa.* Quòd Deus sacrificium *Abel* acceptum habuisset, sacrificium autem *Caini* despexisset, *non dubitandum est potuisse cognosci signo aliquo attestante visibili.* Quodnam verò illud? Probabile est ignem fuisse de cælo delapsum, quo oblatio Abel consumpta est, *Caini* oblatione intactâ. Suffragatur Versio *Theodotionis*, & *S. Hieronymi* Commentatio in Traditionibus Hebraicis. *Unde* (inquit) *scire poterat Cain, quòd fratris ejus munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotion posuit:* „ Et inflammavit Dominus super Abel & super
2 Paralip. 7. „ sacrificium ejus; super Cain verò & super sa-
„ crificium ejus non inflammavit? *Ignem autem*
3. Reg. 8. *ad sacrificium devorandum solitum venire de cælo, & in Dedicatione Templi sub Salomone legimus, & quando Elias in Monte Carmelo construxit Altare.* Eadem est *S. Cyrilli Alexandrini* Lib. 1. Glaphyrorum in Genesim, *Procopii* in Commentario *Fausti Regiensis* Lib. 2. De Libero Arbitrio, cap. 6. sententia. *Statim ut coli Deus cœpit, invidiam Religio sortita est*, (inquit *Tertullianus*) Fraternam cædem invidiâ irâque percitus *Cainus* meditatus & executus est. Clamor sanguinis ejus ad Deum ascendens de terrâ, pœnas in caput ipsius arcessivit, divino judicio vagus & profugus oberravit, accepto signo a Numine, ne quicunque ipsum obvium habuisset, illum occideret. Quod quidem signum tremor fuit totius corporis, & furiatæ mentis agitatio præ conscientiâ sceleris, ut *S. Hieronymus* & *Theodoretus* conjiciunt. Ille Epistolâ 125. ad *Damasum*, in qua sic loquentem *Cainum* inducit: *Ejicior a conspectu tuo, & conscientiâ sceleris tremebundus, lucem ipsam ferre non sustinens, abscondar ut latitem: eritque omnis qui invenerit me, occidet me, dum ex tremore corporis, & furiata mentis agitatu eum esse intelligit, qui mereatur interfici.* Hic verò Quæstione 42. in Genesim: *Ipsa Dei sententia, qua prohibebat illum occidi, signum erat: & ipsa membrorum concussio notum manifestumque eum reddebat.*

*Abelem* cœlibem obiisse, probat Scripturæ Sacræ silentium, nullam illius generationem enarrantis. *Cain* ex uxore suâ, quam & sororem fuisse necesse est, genuit *Henoch*, cujus nomine conditam a se civitatem insignivit. Occisus est *Abel* ab impio fratre anno Mundi 130. quo *Adam* alterum ex *Evâ* filium genuit, (Genes. 5.) *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.* Certè nullum alium filium *Evam* peperisse inter cædem *Abelis* & conceptionem *Sethi*,
Gen. 4. colligitur ex his illius verbis: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* At si alium filium interim genuisset post cædem *Abelis*, dicendus ille fuisset pro *Abele* datus, potiùs quàm *Sethus*. Vixit *Adamus* annos nongentos & triginta.

X. Duo illi fratres *Abel* & *Cainus*, duas fecere mysticas civitates, nimirum civitatem Dei, & civitatem Diaboli, *Abele* occiso, civitatis Dei princeps fuit *Sethus*. Utraque civitas in Caïnitis & Sethitis continuata & propagata est. Illi *secundùm hominem*; isti *secundùm Deum vivebant*. Illi cives seculi; isti peregrini in seculo, gratiâ pertinentes ad civitatem Dei, gratiâ prædestinati, gratiâ electi, „ gratiâ peregrini deorsùm, gratiâ cives sursùm. „ Unde *Cain* condidit civitatem, quâ de re non cogitavit *Abel*, futuram inquirens. *Superna est enim Sanctorum civitas.* Hæc *S. Augustini* observatio est Lib. 15. *De Civitate Dei* Cap. 1. Ex *Enocho* Cainita natus est *Irad*, ex Irad *Maviael*, ex Maviael *Mathusael*, ex Mathusael *Lamech*, primus Polygamus, quem occidisse *Cainum* non adeo certum est; quantumvis probabile sit; cum *Moyses* virum & adolescentulum a *Lamecho* occisos commemoret, *Cainum* ab eo interemptum disertè non afferat. Ex duabus uxoribus suis, quarum uni *Ada*, alteri *Sella* nomen, genuit *Jabel*, *Jubal*, *Tubalcain*, filiamque *Noëma*. *Jabel* pater fuit habitantium in tentoriis atque Pastorum; non simpliciter inventor pastoritiæ, siquidem Abel pastor fuit ovium, sed primus qui pecudes pavit in „ locis desertis, & sub tentoriis degens, loca „ mutabat pro ratione pascuorum gregis sui, ita „ ut pascuis in uno loco absumptis, in alio loco „ figeret tabernaculum suum. Sic explicat Rabbi Salomon. *Jubal* pater fuit canentium cytharâ & organo, seu Musicæ organicæ inventor. *Tubalcain* fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Invenit ferri & æris polituram, usumque ampliorem, & faciliorem, fortè & noxium armorum, quod ex *Josepho* Judaicarum Antiquitatum Lib. 1. Cap. 3. colligitur. Ex *Jubale* & *Tubalcaino* Appollinem Musicæ parentem, & fratrem ejus Vulcanum ferrariæ & ærariæ artis auctorem Mythici Scriptores expresserunt. *Tubalcaini* sororem *Noëmam*, ob eximiam pulchritudinem, quam nomen ipsum significat, celebratam, lanificium & texturam reperisse conjiciunt *Lipomanus* in Catenâ, *Genebrardus* in Chronicis, & *Vossius* De Origine & progressu Idololatriæ Lib. 1. Cap. 18. quòd tribus præclararum rerum inventoribus *Jabel*, *Jubal*, & *Tubalcain* conjungatur. Ex eâ Minervam lanificii invento celebrem finxere Fabulatores. Unde & in *Plutarchi Libello De Iside*, & *Osiride* Minervam dictam Νημανν hoc est *Noëmam*, Viri eruditi observarunt; eamque diluvio Ogygio antiquiorem fingi a Poëtis notat *S. Augustinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 8. In *Caini* generationibus fœminam commemoratam observat *S. Augustinus* Lib. 5. *De Civitate Dei*. Cap. 17. ut significaretur, *Terrenam civitatem usque in sui finem carnales habituram generationes, quæ virorum fœminarumque conjunctione proveniunt.*

XI. *Seth*, cujus posteri *Filii Dei* vocati sunt, ut Cainitæ *Filii hominum*, anno vitæ suæ quinto supra centesimum genuit *Enos*. Vixit annos duodecim supra nongentos.

XII. *Enos cœpit invocare nomen Domini*, ut habet Vulgata nostra; publicum scilicet cultum instituit, ritumque certis temporibus ad publicas preces & sacrificia conveniendi. Hunc sensum adstruunt Textus Hebraicus & Samaritanus; *Tunc cœptum est invocari nomen Domini*: auctore utique *Enoso* viro religioso & pio. Septuaginta habent: *Hic speravit invocare nomen Domini Dei:* quod eundem sensum reddere videtur, quòd nimirum nominis Dei invocatione se a malis liberatum iri speraverit. Vel significatur ipsum prædixisse ortum populi, qui secundùm electionem gratiæ, nomen Dei esset invocaturus. Sic interpretatur *S. Augustinus* Lib. 15. *De Civitate Dei*, Cap. 18. *Quid sibi hoc vult, Speravit invocare, nisi quia prophetia est, exorturum Populum, qui secundùm electionem gratiæ invocaret nomen Domini Dei! Hoc est quod per alium Prophetam dictum, Apostolus de hoc populo in-* Joël. 2.
*„ telligit ad Dei gratiam pertinente.* Et erit om- Rom. 10.
„ nis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Hoc enim ipsum quod dicitur:* Et nominavit nomen ejus Enos, *quod interpretatur homo: ac deinde additur*, Hic speravit invocare nomen Domini Dei: *Satis ostenditur, quòd non in se ipso spem ponere debeat homo.* Maledictus enim omnis qui spem suam ponit in homine: *ac per hoc nec in se, ut sit civis alterius civitatis, quæ non secundùm filium Cain dedicatur hoc tempore, sed in illa immortalitate beatitudinis sempiternæ.* Atque ut spei

suæ in Deum monumentum ederet, fortassis filios suos ac posteros *Filios Dei* appellari voluit, ut non minùs appellatione, quàm moribus, a Cainitis discernerentur. Quò spectat Versio illa Aquilæ: *Tunc cœptum est vocari ex nomine Domini*. Quam expositionem probat *Theodoretus* Quæstione 27. in Genesim: *Subindicat autem sermo ille* [ inquit ] *quòd propter pietatem primus hic divinam appellationem sortitus est, & a cognatis vocatus est Deus. Unde & qui ex eo nati sunt, vocati sunt* Filii Dei; *quemadmodum & nos quoque ex nomine Christi Domini nuncupamur Christiani*. Rabbini plerique vertunt: *Tunc profanatum est invocando nomen Domini*, illud nimirum falsis Diis tribuendo. Et Targum *Onkelosi*, seu Chaldaica Paraphrasis eundem sensum exprimit: *Tunc in diebus ejus supersederunt filii hominum ab invocando nomen Domini*. Quo loco *Seldenus*, & alii Antediluvianæ Idololatriæ Assertores nituntur, infirmo certè præsidio, ut aliàs fortè explicabimus in Dissertationibus. Sed etsi res ita se habuisset, non ideo accusandus esset idololatriæ *Enos*, vir cumprimis religiosus & pius, quemadmodum ipsum *R. Maimonides* & alii accusant. *Enos* anno ætatis nonagesimo genuit *Cainan*. Obiit anno ætatis quinto supra nongentesimum.

XIII. *Cainan* genuit *Malaleel* anno ætatis septuagesimo. Vixit annos decem supra nongentos. Sepultum eum apud Indos, ac ibidem sepulcrum ejus ostensum *Alexandro Magno* fabulantur Hebræi, ut in Libro *Juchasin*, & apud *R. David Zamach* legere est.

XIV. *Malaleel*, cujus faustum nomen *Laudatorem Dei* sonat, *Jaredum* genuit anno ætatis sexagesimo-quinto. Vixit annos octingentos nonaginta-quinque.

XV. *Jared* genuit *Enochum* anno ætatis centesimo sexagesimo-secundo. Vixit annos nongentos sexaginta duos.

XVI. *Enochus* vitæ sanctitate, spiritu Prophetico, & translatione miraculosâ conspicuus, *Mathusalam* genuit anno ætatis sexagesimo-quinto. Ad Deum vivus raptus est, cùm annos trecentos sexaginta quinque in terris vixisset. Ejus Prophetiæ *S. Judas* Apostolus attestatur in Epistolâ Canonicâ: *Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch*. De illius verò translatione *S. Paulus* ad Hebræos 11. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo*. *Enocho* itaque injuriam faciunt *Jarchius*, & alii Hebræi in *Bereschit Rabbah*, asserere non veriti, Sanctum illum Patriarcham fuisse *hypocritam*, aut certè *levem & inconstantem*, qui citò ad malum deflecteret, ideòque Deum, tempore quo cum Deo ambulabat, ipsum citò sustulisse, ne rursus ad impietatem deficeret.

XVII. *Mathusala* genuit *Lamechum* anno ætatis centesimo octogesimo-septimo. Omnium Patriarcharum maximè longævus fuit *Mathusala*; ut qui nongentos sexaginta novem annos vixerit; non tamen 14. annis ultra Diluvium, sed anno ipso Diluvii mortuus, ut in Dissertationibus probabo. Vixit cum *Adamo* annos trecentos quadraginta novem, ab eoque tam præsentis quàm futuræ vitæ multa accipere potuit documenta, quæ posteris traderet.

XVIII. *Lamech* genuit *Noë* anno ætatis centesimo octogesimo-secundo: idque nominis ipsi indidit prophetico spiritu, * dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terrâ, cui maledixit Dominus*. Quænam verò illa consolatio & quies, quam a NOACHO futuram vaticinatus est *Lamechus*? An quies a primâ terræ maledictione post *Adami* peccatum? Sed hæc ipsi incumbit usque ad illud tempus, quo creatura vanitati subjecta liberabitur a servitute corruptionis: nec prohibuit *Noë*, ne terra spinas & tribulos germinaret, & ne homines in sudore vultûs sui panem ex eâ pararent. An consolatio illa in eo posita est, quòd per *Noachum* resuscitatus est mundus, ut explicat *Abenesra*; & terra mundata diluvio postliminiò per eum culta, & nitori pristino restituta est? sed ad *Lamechum* & eos qui ejus ætate vixerunt, hoc beneficium non redundavit. An filio nomen a quiete ideo imposuit *Lamechus*, quòd in filio post diluvium superstite futuro, & genus humanum, Ecclesiamque propagaturo expectaverit Semen benedictum, Messiam, Mundi Salvatorem, qui maledictionem omnem & peccatum expiaturus esset? Id quidem omnium maximè probabile, & *S. Epiphanium* authorem habet, Libro 1. adversùs Hæreses, Tom. 2. Hæresi 30. *Christi* ( inquit ) *figuram Noëmus olim pratulit, is quem natum pater ut vidit, prophetico quodam afflatu Noëmum appellari voluit: Quoniam*, inquit, *iste requiem dabit nobis a peccatis nostris; hoc est, laboriosis nostris operibus. Atqui Noëmus nullam a peccatis requiem attulit, ut intelligas de Christo vaticinatum esse Lamechum, in quem etiam ipsa nominis ratio convenit. Noëmus enim requiem significat. Quod apprimè Christo congruit, in quo Pater cum Spiritu Sancto requiescit, requieveruntque Sancti ad unum omnes, posteaquam a peccato destiterunt*. Vixit *Lamech* annos septingentos septuaginta septem.

* *S. Chrysostom. Homil. 20. in Genes.*

XIX. *Noë*, quem *Virum justum & perfectum* Moyses prædicat, justitiæ divinæ, ac pœnitentiæ præconio, fide, vaticiniis, Arcæ fabricâ, mirâ in Diluvio conservatione, propagatione novi orbis, instauratione divini cultûs illustris, Deo credidit, Diluvium post annos centum, & viginti futurum denuntianti, & Arcæ fabricam interim imperanti. Diluvium decrevit Deus ob profligatam Cainitarum impietatem, ob Sethianorum ad ipsos defectionem, contractaque cum ipsorum filiabus lasciva pulchritudine eximiis connubia, & promiscuam venerem, quo ex commercio Gigantes orti; ob universorum denique hominum, demptâ Noëmicâ Familiâ, corruptionem, ut ex Cap. 6. *Genesis* discimus. Arca ex ligno *Gopher*, seu Cupressum, seu aliud intelligamus, bitumine obductum ædificata. Ejus longitudo trecentorum cubitorum, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo: capacitas tanta, quanta capiendis omnium generum animalibus, septenis mundis, duobus immundis, octo hominibus, Noë scilicet cum uxore, tribus filiis, & eorum conjugibus, omniumque alimentis sufficeret. *Octo* dumtaxat *Animæ in Arcâ salvæ factæ sunt*, ut docet *S. Petrus* in Epistolâ 1. Canonicâ, Cap. 3. Elogium *Noë* legimus Epistolæ *S. Pauli* ad Hebræos, Cap. 11. ℣. 7. *Fide Noë, responso accepto, de iis quæ adhuc non videbantur, metuens, aptavit Arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit Mundum: & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus*. De eodem *S. Petrus* Epistolâ 2. Cap. 2. *Et originali mundo non pepercit* [ Deus ] *sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium Mundo impiorum inducens*. Ecclesiastici 44. his verbis commendatur: *Noë inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ideo dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluvium. Testamenta seculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro*. Exechielis denique 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job, ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas, ait Dominus Exercituum*. Quibus Scripturæ Sacræ oraculis refelluntur *Philo Ju-*

*Judæus* Lib. *De Abrahamo*, nonnullique alii Rabbini, qui Noë comparatè duntaxat, non absolutè justum dictum fuisse asserunt, respectu reliquorum suæ ætatis hominum, qui in gravissima scelera lapsi erant. Quod commentum, Sancto Patriarchæ injuriosum, refellitur præterea testimonio *Josephi* Lib.1. *Antiquitatum Judaicarum*, Cap. 4. *Noachi* sanctitatem commendant & SS. Patres, *Epiphanius* in Ancorato, *Chrysostomus* Homiliâ 23. in Genesim, *Ambrosius* Lib. de Arcâ & Noë, Cap.4. *S. Hieronymus* Lib. De Traditionibus Hebraicis in Genesim, *S. Augustinus* Lib.15. *De Civitate Dei*, Cap.26. ubi ait: *Noë homini justo, & sicut de illo Scriptura veridica loquitur, in suâ generatione perfecto* [ *non utique sicut perficiendi sunt cives civitatis Dei in illâ immortalitate, quâ æquabuntur Angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti*, ] *imperat Deus ut Arcam faciat*. Tunc primùm liberis operam dare cœpit *Noë*, cum annorum esset quingentorum. *Semum* primogenitum ejus non fuisse, sed *Japhetum*, in Dissertationibus probabimus. Diluvium cœpit anno mundi 1656. mense secundo, 17. die mensis, hoc est, Decembris nostri octavo, anno sexcentesimo vitæ *Noë*. Quadraginta diebus & quadraginta noctibus pluvia cecidit. Obtinuerunt aquæ terram centum quinquaginta diebus: qui utrùm ab initio diluvii, an a fine quadragenariæ pluviæ numerandi sint, quæstio est. Primum visum est Hugoni Victorino, Auctori Historiæ Scholasticæ, & Nicolao de Lyrâ; alterum Josepho, S. Joanni Chrysostomo, Homiliâ 25. in Genesim, Tostato, & Cajetano. Requievit Arca super aliquo ex Gordyæis Armeniæ montibus, mense septimo, vigesimo-septimo die mensis, sexto Maji nostri respondente. Post Corvi & Columbę emissionem ex Arcâ, vidit Noë terram exsiccatam esse mense secundo, die vigesimo-septimo mensis, id est, Decembris nostri 18. Feriâ sextâ, quâ Noë cum Familiâ suâ de Arcâ egressus est. Hìc finit prima Mundi Ætas.

XX. Insignes duas Jesu Christi figuras prima hæc Mundi exhibuit Ætas, *Adamum*, & *Abelem*. Adamum fuisse typum Christi venturi docet Apostolus, qui eum *formam futuri* appellat; & hanc inter ipsos comparationem instituit *ad Romanos* v. 14. 18. 19. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituuntur multi*. Et 1. ad Corinthios 15. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.... Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem.... Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de Cælo, cęlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales cælestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis*. Sexto die creatus est Adamus: Sexto die mortem subiit Jesus. Ad imaginem Dei creatus est Adamus: Jesus est *imago Dei invisibilis, splendor gratiæ, & figura substantiæ ejus, & speculum sine maculâ Dei majestatis, & imago bonitatis illius*. ( Coloss. 1. 5. Hebr. 1. 3. Sap. 7. 26. ) De terrâ virgine formatus est Adamus: de puellâ Virgine natus est Jesus: cujus Virginis typum & Eva prima generis nostri Mater exhibuit. *Tertulliani* verbis Lib. *De Carne Christi* Cap. 17. jucundiùs ac luculentiùs id exprimam quàm meis. *Novè*, inquit, *nasci debebat novæ nativitatis Dedicator; de quâ signum daturus Dominus ab Isaiâ prædicabatur. Quod est istud signum?* Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium. *Concepit igitur Virgo, & peperit Emmanuëlem, nobiscum Deum. Hæc est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis susceptâ, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est, spiritaliter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota novitas ista, sicut & in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta; ex eâ hominem factum accepimus a Deo vivam animam. Igitur si primus Adam de terrâ traditur; meritò sequens, vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit, proinde de terrâ, id est, carne nondum generationi resignatâ, in Spiritum vivificantem a Deo est prolatus. Et tamen ne mihi vacet incursus nominis Adæ, unde Christus Adam ab Apostolo dictus est, si terreni non fuit census homo ejus? Sed & hìc ratio defendit, quòd Deus imaginem & similitudinem suam a Diabolo captam æmulâ operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ: ut quod per ejusmodi sexum abjerat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Sed Eva nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo. Immo concepit. Nam exinde ut abjecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli illi semen fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam. Contra, Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israël interemptorem suum, salvum quandoque præstaret. In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet*. Temperare mihi non possum, quin ejusdem Patris locum alterum referam, typum Christi in Adamo exponentem Lib. *De Resurrectione Carnis*, Cap.6. ubi de primi hominis ex limo formatione sic loquitur: *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientiâ, providentiâ, & ipsâ in primis adfectione, quæ lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus quod & limus & caro; Sermo quod & terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad filium:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Et fecit hominem Deus, id utique quod finxit: Ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, & non rapinam existimavit pariari Deo. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus*. Adamum jussit Deus dominari *piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*. ( Genes. 1. 28. ) Jesus de se ipso ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ* [ Matth. XXVIII. 18. ] Conjugium Adami & Evæ individuum Christi Jesu & Ecclesiæ connubium referre docet *S. Paulus*, ad Ephesios v. 31. 32. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ*. Per lignum morti nos tradidit Adamus; per lignum vitæ nos restituit Jesus. Fructum arboris scientiæ boni & mali Adamus digustavit: de Christo ab Isaiâ prædictum est: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*. ( Isaiæ VII. 15. ) Nudus peccavit Adamus: Nudus peccatum in Cruce expiavit Jesus. Post commissum peccatum, terrestri Paradiso exclusus est Adamus: Post expiatum peccatum in cęlestem Paradisum ascendit Jesus. Ex latere Ada-

mi

mi dormientis formata est Eva: Ex latere Christi morientis nata est Ecclesia. Ex Adamo & Eva homines nascuntur: Ex Christo & Ecclesiâ homines renascuntur.

XXI. Alter iti *Abele* Christi typus occurrit. Abeli integerrimo viro *Caini* fratris invidiam eximia pietas conflavit: Jesu Christo Sancto Sanctorum divinæ virtutes fratrum Judæorum odium pepererunt. Fuit Abel Pastor ovium: Christus Jesus Pastor hominum. Joann.10. *Ego sum*, inquit, *Pastor ovium*. Hebr. XIII. 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono*. 1. Petri 2. 25. *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum*. Abeli mortem paravit Cainus: Mortem Jesu quæsierunt Judæi. Abelem foras eduxit Cainus, ut ipsum occideret: Jesum Christum Judæi ad supplicium extra Hierosolymam rapuerunt. Vox sanguinis Abel ad Deum clamavit de terrâ contra Cainum, qui ipsum fudit: Vox sanguinis Christi meliùs clamavit pro Judæis, qui ipsum fuderunt, veniam petens: Hebr.XII. 24. *Accessistis ad Testamenti Novi Mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem, quàm Abel*. Hanc criminis pœnam Caino irrogat Deus, ut maledictus sit super terram, quæ fraternum sanguinem de manu illius suscepit: Judæi qui sanguinem Christi fuderunt, ubique execrabiles, sed in Ecclesiâ præsertim Christianâ, quæ Jesu Christi sanguine lota ac mundata est. Caino futurum prædixit Deus, ut terram fraterno sanguine fœdatam vanis laboribus exerceret, nullos ipsi fructus daturam: [ *Genes.*IV. 12. ] Judæi abrogatos Mosaicæ Legis ritus frustra concelebrant, nihil ipsis ad salutem profuturos. Exilio Cainum mulctat Deus; sic tamen ut ei vitam servet. Judæi profugi passim & extorres errant, nec tamen penitus exscinduntur. Signo quodam Cainum notavit Deus, ne quis ipsi mortem inferret: [ *Genes.*IV. 16. ] Judæi variis in locis certo colore vel notâ jussu Principum insigniti, ut ab aliis omnibus discernantur. Lege *Rupertum* Abbatem Lib.3. Commentariorum in Genesim, Cap.6.

## ARTICULUS II.

*Hujus Ætatis Historia, ut a Josepho illustrata, vel interpolata; & Hebræorum, ac Arabum fabulis adulterata.*

I. Rectè observat *Josephus*, primo Homini nomen impositum, *Adam*, ab *Adama*, quç vox significat Hebræis *Terram rufam*, eamque *virginem & puram*. Eamdem nominis etymologiam confirmat *S. Hieronymus* Lib. *De Nominibus Hebraicis*. Quâ in re carnis Christi ex Virgine formatæ figuram præcessisse *Tertullianus* docet, Lib. *De Carne Christi*, Cap.15.

II. Kabbalistæ, nomine *Adama*, revolutionem animarum significari commenti sunt, nempe ex tribus Hebraicæ dictionis literis per eam speciem Kabbalæ, quam vocare solent *Notaricon*, fecerunt *Adam*, *David*, *Messias*; Atque hinc fabulantur, Adami spiritum in Davidem, Davidis in Messiam migrasse. Meliùs Patrum nonnulli [ quanquam nullo in Scripturâ sacrâ fundamento ] dixerunt, nomen Ἀδάμ Græcis literis scriptum, designare quatuor orbis partes, quòd harum initiales literæ eædem sint, quæ in nomine Ἀδάμ; Nam Ἀνατολὴ dicitur *Oriens*, Δύσις *Occidens*, Ἄρκτος *Septentrio*, Μεσημβρία *Meridies*. Ex his scilicet quatuor orbis partibus sumptam esse terram, e quâ formatus fuit *Adamus*; Et in easdem quatuor Mundi partes *Adami* posteritatem distribuendam esse. Sic Auctor Libri *de Sinâ & Sion*, editi inter Opera *S. Cypriani*, & *S. Augustinus* Tractatibus 9. & 10. in Evangelium *S. Joannis*.

III. Thalmudistæ in *Gemara Sanhedrin* Cap.4. Sect.2. R. *Jochanam*, & R. *Abenezra*, hæc verba Creatoris: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram ad familiam supernam*, sive ad Angelos dicta commenti sunt. Hoc eorum commentum facilè refellitur, quòd creatio Dei proprium sit opus, non Angelorum. Job 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me*. Et *Isaiæ* 42. v.5. *Ego Dominus Deus, creans cælos, & extendens eos; firmans terram, & quæ germinant ex eâ: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam*. Et cap.45. v.12. *Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego*.. Et infra: *Hæc dicit Dominus creans cælos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse psaltes ejus ... Et* Cap.64. *Et nunc, Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos*. 2. Quia non una est imago Angelorum & Dei. 3. Quia Deus in opere creationis nullius creaturç consilio usus est. Isaiæ.11. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, cælos in staterâ? Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?* 4. Non ad imaginem Angelorum, sed Dei unius factus est homo. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos*. Cap.5. *In die quâ creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum*. Cap.9. v.6. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Ad filium igitur hæc dicta: *Qui est imago Dei invisibilis, & primogenitus universæ creaturæ*. Qui dixit: *Ego & Pater unum sumus*: Et, *Philippe, qui vidit me, videt & Patrem*. Colos. 1.
Legantur *S. Basilius* Homiliâ 9. in Genesim, *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ 8. *S. Augustinus* Lib.16. *de Civitate Dei*, cap.6. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.1. adversùs Julianum, *Theodoretus* Interrogatione 19. in Genesim, & passim alii Patres, pluralitatem Divinarum Personarum contra Judæos, & Filii divinitatem contra Arianos ex hoc oraculo probantes. *Saadias* Deum facit loquentem juxta consuetudinem Regum, personam singularem in plurali numero exprimentium. Sed commentum istud *Theodoretus* luculentè refellit loco mox laudato. *Insani* [ inquit ] *non animadverterunt, quòd plurima Deus omnium effari soleat singulari numero*.
„ Tempus enim, *inquit*, omnis hominis venit
„ coram me: *&*, pœnitet me fecisse hominem: Genes. 6.
„ *&*, Delebo hominem. *Item*: Non erunt tibi Dii Deuteron.
„ alii præter me: *&*, Ecce ego facio nova, quæ 32. Isaiæ
„ nunc oriêntur: *&*, Aperiam in montibus fontes, 4. Isaiç 41.
„ & in collibus flumina. *Et in universâ planè Scripturâ Divinâ licet audire Deum omnium singulari numero loquentem. Rarò autem pluraliter sermonem format, nisi cùm innuit numerum Personarum Trinitatis. Etenim cum linguas confunderet,*
„ *non dixit singulariter*, Descendam; *sed*, Venite
„ descendentes confundamus ipsorum linguas.
*Et hoc igitur loco quoniam Deus animal rationale formabat, quod postea renovaturus erat post multas generationes, Sanctæ Trinitatis invocationibus sacrosanctum baptisma instituens, cum fabricaturus esset naturam, cui hæc mysteria crederentur, obscurè identitatem substantiæ, & Personarum numerum aperuit. Dum enim inquit:* Dixit Deus, *communionem divinæ naturæ indicavit: subjungens autem illud*, Faciamus, *expressit numerum personarum. Similiter cùm iterum singulari numero dixit* Imaginem, *eandem esse naturam ostendit. Cùm autem dixit*, nostram, *numerum Hypostaseon manifestavit*.

10. Ada-

-10 *Adami* corpus biforme a Deo conditum, Rabbini complures fabulantur, *R. Samuel* in *Bereschit Rabbah*, *Manasse Ben-Israel* Conciliatione in Genesim, *Maimonides* in *More Neuochim*, p.2. cap.30. ubi Magistrorum opinionem approbat, qui asserunt, *Quod Adam & Eva creati sunt sicut unus, & tergis vel dorso conjuncti. Postea verò a Deo divisi sunt, qui dimidiam partem accepit, & fuit Eva, & adducta est ad ipsum.* Mirum est quòd huic fabulæ assensum præbuerit *Eugubinus* in *Cosmopœa*, cùm Scripturæ Sacræ tam apertè repugnet, quę *Adamum* solum creatum fuisse docet, deinde cùm non inveniretur ipsi adjutor similis, Deum costam ex ejus latere tulisse, & in mulierem compegisse. *Non est bonum esse hominem solum: Faciamus ei adjutorium simile sibi... Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.* Quæ sanè ruerent, si in eodem corpore compacti essent vir & mulier. Neque huicce commento favent verba illa Gen. 1. v.27. *Ad imaginem Dei creavit illum; masculum & fœminam creavit eos.* Si enim *Adamum* Androginum esse creatum Moyses intellexisset, quidni dixisset potiùs: *Masculum & Fœminam creavit illum?*

V. Thalmudici in Libro *Sanhedrin* asserunt, *Adamum* creatum fuisse *a fine mundi usque ad finem.* Cùmque per peccatum superfluxisset, & putruisset, Deum manum suam super eum posuisse, & usque ad centum ulnas staturam ejus depressisse. Sed & inter Christianos *Joannes Lucidus*, Lib.1. *De Emendatione Temporum*, Cap 4. opinatur *Adamum* proceritate corporis fuisse Gigantum omnium, qui unquam extiterint maximum. Et ad figmentum istud confirmandum abutitur loco illo *Josue* cap.14. v.15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam Maximus ibi inter Enacim situs est.* Verùm *Adami* gigantęa proceritas ex eo loco perperam colligitur, cùm nomen istud ibi proprium non sit, sed commune, & hominem significet, sitque hujus loci sensus, propterea urbem *Hebron* olim civitatem *Arbe* nuncupatam, quòd *Arba* maximus homo fuerit inter Enacinos, seu nominis celebritate, seu staturâ, seu principatûs amplitudine, aut rerum gestarum gloriâ, seu quòd illius urbis conditor fuerit, aut ob aliam similem rationem. Unde Textus Hebraicus sic ad verbum reddi potest: *Nomen Hebron olim Chiriath Arbah: Homo magnus in Hanachim ipse.* 70. Interpretes magnitudinem illam ad *Arba* referendam non censuerunt, sed ad civitatem ipsam, Μητρόπολις τῶν Ενακιμ αυτη. *Metropolis ipsorum Enacim hæc.* Paraphrasis Chaldaica sic habet: *Et nomem Hebron ab antiquis Kiriath-Arbagh, homo magnus in fortibus ipse.* Versio Arabica: *Nomen autem Hebronis erat olim civitas Arbe, hominis scilicet ingentis statura inter gigantes.*

VI. Zabæi *Adamum* ex viro & muliere prognatum fabulantur, & ante ipsum nominant *Janbusar*, *Tzagrith* & *Roane*, de quibus etiam in Libro *Cosri*, Editionis *Buxtorfii* pag.27. Nec id mirum, cùm æternitatem Mundi statuerint. Auctor *Speculi-Ardentis* Cracoviæ excusi, cujus meminit idem *Buxtorfius* in *Synagogâ Judaicâ*, cap.11. *Lilitham* primam *Adami* conjugem fecit, *Evam* secundam uxorem. In Libro *Ben Sira*, quem Judæi Constantinopoli edidère, duæ illæ uxores *Adami* recensentur. *S. Augustinus* Lib. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*, hanc Judæorum *Deuterosim* de duabus primi Hominis uxoribus sugillat. Non minùs ineptum est Auctoris nuperi de Præadamitis figmentum, quod in Dissertationibus exsufflabimus.

VII. Thalmudistæ fabulantur, *Samaël*, qui ipsis est Satanas, accedentem ad *Evam* ut eam falleret inequitasse Serpenti, qui magnitudine camelum ęquaret. *Eratque* (inquiunt) *Samaël equitans super serpente, & Deus erat ridens super camelum, & super equitantem in eo.* Ita *R. Maimonides*, in *More Nevochim*. Tentationis *Evæ* historiam sic adulterant in Bereschit Rabba: *Dixerat Deus, Gen.2. v.17.* In die quippe comestionis tuę ex eo morte morièris: *Ipsa mulier nequaquam sic retulit, sed ait: Genes.3. v.3.* Dixit Deus, non comedatis ex eo, nec accedatis ad ipsum. *Cumque vidisset serpens, quòd mentiebatur, tulit eam, & impulit super illud lignum; dixitque illi: Ecce hinc sicut non es mortua propter accessum ejus, sic non morièris propter esum ejus: sed quia Deus scit, quòd in die comestionis vestra ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum: De arbore enim istâ comedit ipse, & creavit Mundum; proinde ipse dixit vobis, Ne comedatis ex eâ, ne creetis alios Mundos. Omnis quippe homo artifex odis coartificem suum.* Hæc & alia Rabbinorum deliria refert *Raymundus Martini*, in *Pugione Fidei*. III. P. Dist.2. Cap.5.

VIII. *Josephus* Lib.1. *Antiquitatum Judaicarum*, cap.11. in referendâ serpentis pœnâ, seu maledictione, a Scripturâ Sacrâ immaniter aberrat. Scribit enim: *Deus serpenti vocem ademit, iratus ob malitiam, quâ erga Adamum est usus; venenumque lingua ejus indidit, & hostem eorum declaravit ... Ad hæc pedibus privatum trahi per terram ac volvi fecit.* Serpentem vi propriâ locutum æquè fabulosum est, ac illud quod Plato in *Politico* tradidit; Seculo aureo, cum rerum *Saturnus* potiretur, etiam cum bestiis hominem colloquia miscuisse, quod & *Eusebius* refert Lib.12. *De Pręparatione Evangelicâ*, cap.9. Vox igitur non est adempta serpenti, quam nunquam habuit; venenum post *Evæ* seductionem linguæ ejus inditum non est, quo nunquam caruit, pedibus mutilatus non fuit, quibus nunquam instructus est: sed quę erant ipsi naturalia, per maledictionem a Deo inflictam evasere pœnalia, quatenus ejus horrorem homini indiderunt. Mirum quòd *S. Basilius*, Homiliâ De Paradiso, *Josephi* commentum de pedibus serpentis amplexus sit: *Serpens* (inquit) *tum non erat horrendus, sed mitis ac mansuetus, nec terribiliter in telluris superficie velut natans reptabat, sed sublimis & erectis pedibus insistens ingrediebatur.* Meliùs *Theodoretus* Interrogatione 34. in Genesim *Maledictionem Deus propriè intulit ei, qui malum perpetravit. Nam & ille Serpens quoque appellatus est... Sed & ipsum animal quoque ad hominum utilitatem maledictionem recepit. Itaque videntes serpentem repere & volutari super terram, maledictionis antiquæ recordamur, & discimus quanta mala peccatum accersat, non solùm his qui illud admittunt, sed & illis qui subserviunt. At ipse quidem serpens nullum inde damnum accepit, cùm ita gradi natus sit. Hanc enim habet a naturâ motûs speciem. Nihil autem naturale molestum videtur esse. Homo verò multum inde commodi consequitur.*

IX. Rursus fabulantur Rabbini, *Adamum* post mortem *Abelis* se ab uxore suâ separasse centum triginta annis, eoque intervallo *Evam* concepisse & peperisse Spiritus seu Dæmones masculos, & *Adam* spiritus fœmineos. Propterea scriptum esse 2. Regum 7. v.14. *Quem, cum depravatus fuerit, arguam in virgâ hominum, & in plagis filiorum Adam: filiorum Adam Antiquorum.* Hæc in *Bereschit Rabba*, super illud *Genes.3. v.20. Et vocavit Adam uxorem suam Eva, quia ipsa fuit Mater omnis viventis.* Idem delirium habetur in Thalmude Babylonico, Lib. *Erubin*, id est, *De commixtionibus*, cap.11. Legatur clarissimus *Vossius* Observationum in Procemium *Pugionis Fidei*, pag.15.

X. De

X. De *Caini* & *Abelis* sacrificio scribit *Josephus* Lib. 1. *Antiquitatum Judaicarum*, cap. 3. *Cùm visum eis esset sacrificare Deo, Cain agri & arborum fructus obtulit, Abel lac & primogenita pecorum. Hujus sacrificium Deo fuit acceptius, quòd sponte naturæ genitis constaret, quàm ea quæ homo avarus & industrius per vim quandam a naturâ extorserat.* Sacrificium *Caini* displicuisse Deo ratione rerum oblatarum *Josephus* significat, contra Scripturę sensum. *Abelem* obtulisse scribit lac & primogenita gregis, cùm lactis nulla fiat in sacro Textu mentio, nec hujusmodi oblatio in Populo Dei unquam fuerit usitata. Præterea *S. Paulus* ait, *Abelem* obtulisse Deo *plurimam Hostiam* πλείονα θυσίαν. Hostiæ porro nomen pecudibus quæ mactantur, non lacti quod libatum esset, convenire manifestum est. Tandem ratio *Josephi* nulla est. Cùm enim Deus oblationes instituerit ex primitiis, perperam fingitur has Divinæ Majestati acceptas non fuisse, ubi rectè fierent.

XI. Targum Hierosolymitanum narrat colloquium *Caini* & *Abelis* hunc in modum. *Et dixit Cain ad Abel fratrem: Veni & egrediamur foras. Et accidit, cùm egressi essent ambo in agrum, respondit Cain: Non est judicium, nec judex, nec seculum aliud, nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis. Nec Dei misericordiâ creatus est Mundus, nec Dei misericordiâ regitur, eò quòd suscepta est oblatio tua cum beneplacito. Respondit Abel: Est judicium: Est Judex: Est seculum aliud: Est merces pro bonis, & pœna pro impiis: Misericordiâ Dei Mundus creatus est, & misericordiâ Dei gubernatur; quia verò meliora sunt opera mea tuis, suscepta est oblatio mea cum beneplacito; tua autem non est suscepta.* Hanc orationem fabulosam esse nemo non odoratur. Quin & hæc verba *Caini* ad *Abel*, quę in Vulgatâ nostrâ leguntur: *Egrediamur foras*, sive ut habent 70. Interpretes: *Transeamus in agrum*: addititia esse, nec ad sacri Textûs integritatem pertinere, censet *S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis*. Illa enim verba: *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum*, enarrans, ait: *Subauditur, ea, quæ locutus est Dominus. Superfluum ergo est, quod in Samaritanorum & nostro Volumine reperitur:* Transeamus in campum.

XII. Fingunt Rabbini apud R. *Eliezer* in *Pirke*, genitas esse cum *Caino & Abele* gemellas; primam vocatam fuisse *Azrum*, alteram *Auvinam*. Idem figmentum in Annales suos retulit *Saidus Patricides* Patriarcha Alexandrinus. Eadem fabula ad Arabes a Judæis manavit, ut probat *Seldenus* ex vetusto Auctore Libri *De Generatione Mahumet*. Rabbinos porro ad hoc figmentum impulit necessitas conjugii primorum fratrum cum sororibus. Commenti sunt enim primos parentes statuisse, ne gemella soror gemello fratri nuberet, sed ei qui altero partu fuisset editus. Addidere veteres Cabbalistæ, *Caini*, & *Abelis* æmulationem ex eo natam, quòd *Adamus* formosiorem filiarum *Abeli* despondèrit. Eamdem fabulam Historiæ suæ inserit *Eutychius* Alexandrinus Patriarcha, cujus hęc verba sunt, prout ea *Pocokius* ex Arabico transtulit. *Cùm jam provectiores facti essent pueri, dixit Adam Evæ: Ducat Cain Ouvain, quæ unà cum Abele nata est. Abel autem Azrum, quæ cum Caino nata. Dixit autem Cain matri suæ: Ducam ego sororem meam, & ducat Abel sororem suam. Quippe pulchrior erat Azrum Ouvainâ. Quod cùm audisset Adam, malè admodum ipsum habuit, dixitque: Hoc est contra pręceptum, ut sororem tuam gemellam ducas. Et fuit Cain Agricola, Abel Pastor ovium. Dixitque illis Adam: Accipite de fructibus terræ, & de fœtu ovium, & conscenso Montis hujus sacri fastigio, offerte munera vestra, deinde uxores vestras accipietis. Attulit ergo Cain de fructibus terræ in oblationem Deo optimos, selectissimos: Abel e primogenitis ovium suarum optimas, selectissimas. Interea autem dum cacumen Montis ascenderent, indidit Satanas in mentem Caino, ut fratrem suum Abelem occideret, sororis suæ Azrum gratiâ. Ideoque non acceptam habuit Deus oblationem Caini. Quare magis in Abelem irâ & æstu commotus Cain, invidit fratri suo; eumque de Monte descendissent, in ipsum irruens, ac lapide caput ejus feriens, ipsum interfecit.*

Lib. V. De Jure Naturæ & Gentium, Cap. 8.

XIII. De signo posito in *Caino*, ne ipsum interficeret ullus ex iis, qui ipsi occurrisset, multa etiam Rabbini fabulantur. Quidam ipsius fronti signum ex nomine suo impressisse ajunt, ut R. *Salomon Jarchi*. Alii, in *Tanehuma*, divinant signum hoc fuisse *Sabbatum*, quod in remissionis signum *Adamo*, & postmodum *Caino* datum est. Alii, unam fuisse ex Alphabeto Hebraico literam brachio *Caini* impressam, ut *R. Eliezer*, in *Pirke*, Cap. 21. Quidam partem circumstantis terræ tremuisse. Nonnulli fuisse cornu. Sic figmentum quisque suum obtrudit.

XIV. De *Caino*, post latam in eum a Deo justo judice sententiam, scribit Josephus: *Cain autem multas regiones unà cum uxore emensus, tandem Naida condidit (Id loci nomen est) atque illic sedem optavit, ubi etiam liberos procreavit.* De *Naida* urbe a *Caino* conditâ nihil habet Sacer Textus, sed tantùm, *Egressum a facie Domini, habitasse profugum in terrâ ad orientalem plagam Eden.* Et verò *Nasd* terræ aut urbis nomen non esse, sed profugum & errantem significare, *S. Hieronymus* rectiùs admonet. Quanquam hìc ignoscendum *Josepho*, qui 70. Interpretum Versionem sequitur: *Et habitavit in terrâ Naid.* Sic *porro S. Hieronymus*, in *Quæstionibus Hebraicis* super Genesim. *Quod Septuaginta* Naid *transtulerunt, in Hebræo* Nod *dicitur, & interpretatur* σαλευόμενος, *id est, fluctuans, & instabilis, ac sedis incerta. Non est igitur Terra Naid, ut vulgus nostrorum putat: sed expletur sententia Dei, quòd huc atque illuc vagus & profugus oberravit.* Quæ subdit *Josephus*, aut veriora sunt, aut vero similiora. *Cæterùm tantùm abfuit, ut hac castigatione in melius vitam mutaverit, ut pejor etiam sit factus, suis voluptatibus vel eum aliorum injuriâ indulgens, & facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, accitis undecunque latrociniorum ac nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Ad hæc, simplicem hactenus vivendi rationem, excogitatis mensuris & ponderibus immutavit, pristinamque sinceritatem & generositatem ignaram talium artium in novam quamdam versutiam depravavit. Primus agrorum terminos fixit.* Addit urbem ab eo extructam & munitam, *Enosa nomine imposito ab Enoso liberorum natu maximo.* Ενῶχαν ἀπὸ τοῦ Ενώχου τοῦ πρεσβυτάτου ὄν. Memoriâ lapsus est *Josephus*, cùm *Enos* non Caini, sed *Sethi* filius maximus natu fuerit.

XV. Cainitarum & Sethitarum separationem *Patricides*, Arabum figmentis interpolatam ita refert: *Post mortem Adami, subduxit se Familia Sethi a Familiâ Caini maledicti. Seth ergo assumptis secum filio primogenito Enoscho, & Kainano Enoschi filio, & Mahaliele Kainani, unà cum uxoribus & liberis ipsorum, traduxit in Montis fastigium, ubi sepultus est Adam. Cain verò omnesque ipsius filii infrà substiterunt in valle, ubi occisus est Abel. Coluerunt autem filii Sethi in isto Monte puritatem & sanctimoniam, vocem Angelorum, a quibus propè aberant, audientes, unàque cum ipsis Deum laudantes & celebrantes; appellatique sunt ipsi cum uxoribus & liberis suis filii Dei. Neque erat ipsis opificium, nec seges, nec messis; sed victum præbebant arborum fœtus: Nec ullus apud ipsos locus invidiæ, injustitiæ, aut mendacio; juramentum ipsorum*

rum

*rum erat*: Non per sanguinem Abelis. *Quotidie autem fastigium Montis sancti conscendentes, proni Deum adorabant, & corpus Adami visendo, benedictionem captabant. Cumque jam appropinquaret Sethi mors, filios suos per Abelis sanguinem adjuravit, Neminem ex ipsis de Monte isto sancto descensurum, nec permissuros se ut quispiam e liberis suis ad Caini maledicti prognatos migraret.*

XVI. De filiis & Nepotibus *Seth* scribit *Josephus* Lib. 1. *Antiquitatum Judaicarum*, Cap. 3. *Syderalem scientiam, ac cœlestium rerum cognitionem excogitaverunt. Ne autem inventa sua ex hominum notitiâ delaberentur, & priùs perirent quàm pernoscerentur; cùm Adamus rerum omnium exterminationem prædixisset, unam incendio, alteram diluvio, excitatis duabus columnis, utrique sua inventa inscripserunt: ut si lateritia diluvio deleretur, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet: simul & quia lateritiam aliam posuissent. Quæ tamen lapidea permanet hactenus in Syriâ.* Pseudo-Eustathius in Hexaëmeron, fuisse eam scribit *in terrâ Seiriad*, ad sua usque tempora: Cedrenus: *Quæ servatur, ut testis est Josephus, in Siridâ Monte ad hoc tempus.* Totum id fabulam redolet, cùm nec Scripturæ Sacræ, nec alterius probati Auctoris testimonio nitatur. Et si demus temporibus *Josephi* adhuc in Syriâ visam columnam lapideam, quis præstare potest eam a *Sethi* filiis ac nepotibus positam esse? In eâ certè nulla inscriptionis vestigia fuisse argumento est, quòd *Josephus* hanc inscriptionem, aut superstites characteres non inseruerit Historiæ suæ, ad fidem rei memoriâ dignæ faciendam, & ad dirimendam quæstionem curiosam de literis primorum Patriarcharum conducibilem. Hæc fabula affinis alteri *Manethonis*, apud *Eusebium* & *Georgium Syncellum* asserentis; *Mercurii* columnas ante Diluvium extitisse in Siriadicâ Terrâ.

De primis Patriarchis multa hujus generis & ab Hæreticis conficta. De Sethianis scribit S. Epiphanius: *Certos libros Clarissimorum Virorum nominibus inscriptos circumferunt. Ex quibus septem omnino Setho tribuunt.* Eâdem fingendi libidine Catholici quidam Psalmos duos seu Cantica velut ab *Adamo* edita publicarunt, unum post creationem *Evæ*; aliud Pœnitentiale post admissum crimen, a miseris conjugibus alternis pronuntiatum, quæ ex M. S. Bibliothecæ *S. Laurentis* in Scuriali descripsit *Nierembergius* Lib. 2. *De Origine Sacræ Scripturæ*, Cap. 13. Nec majorem huic figmento auctoritatem addunt B. *Amadei* Revelationes, dubiæ & ipsæ fidei. Sanè cum hujusmodi Cantica plurimis utriusque Testamenti sententiis juxta Vulgatam Editionem Latinam constent, suæ suppositionis ac novitatis evidentia præbent argumenta. Eodem numero & loco habendi sunt, Liber inscriptus: *Generationes Adami*, & alter *De Divinitate*, nec non *Revelatio Adami, cùm Deus soporem in illum immisit.* Hæc enim Thalmudistarum & Rabbinorum pura puta figmenta sunt. Nec pluris sunt facienda *Alphabeta Adami & Sethitarum*, quæ ex Vaticanâ Columnâ literarum octavâ memorant *Angelus Roccha* in descriptione Vaticanæ Bibliothecæ, & *Laurentius Sebarderus*, in Monumentis Italiæ. In hunc etiam ordinem redigendus est Liber, de quo Auctor *Operis Imperfecti* in *S. Matthæi* Evangelium, inter *S. Chrysostomi* Opera editi, Homiliâ 2. ad hæc verba; *Vidimus stellam ejus in Oriente*, ita scribens: *Audivi aliquos referentes de quadam Scripturâ, etsi non certâ, tamen non destruente fidem, sed potiùs confirmante: quoniam erat quædam gens sita in principio Orientis circa Oceanum, apud quam ferebatur quædam Scriptura inscripta nomine Seth, de apparitura hac stellâ, & muneribus ejus, nempe Christo hujusmodi offerendis.*

XVII. De *Caini* cæde fabulantur Hebræi & Arabes, cùm ille ætate gravis, cæcus, inter dumeta lateret, a *Lamecho* venationi indulgente occisum, monente puero, feram esse. Deinde verò *Lamechum* irâ percitum occidisse & puerum, quem *Tubalchainum* fuisse volunt. Ita inter Rabbinos *Jarchius*, inter Arabes *Patricides*. Sed ne quidem certum est *Cainum* occisum fuisse a *Lamecho*, cùm Scriptura Sacra id non doceat, sed ex unâ Hebræorum Traditione habeatur, quam *S. Hieronymus* commemorat Epistolâ 125. ad *Damasum*, Quæstione 1. *Majorum nostrorum* (inquit) *ista sententia est, quòd putent in septimâ generatione a Lamech interfectum Cain.* Et infra: *Lamech, qui septimus ab Adam, non sponte, ut in quodam Hebræo Volumine scribitur, interfecit Cain, ut ipse postea confitetur. Quia virum occidi in vulnere meo, & juvenem in livore meo: Quoniam septies vindicabitur de Cain: de Lamech autem septuagies septies. Hæc quidem de Cain, quòd in septimâ generatione a Lamech interfectus sit, & juxta aliam editionem, pœnam sui sceleris dederit, quòd tot generationibus gemens & tremens viveret super terram, nihil obscuri arbitror remansisse.* At hanc Hebræorum Traditionem velut fabulam rejicit *Theodoretus*, Interrogatione 44. in Genesim. *Non duos* (inquit) *ut quidam putaverunt, neque ipsum Cain, ut alii fabulati sunt: sed unum, & hunc juvenem.* Virum enim, *inquit*, occîdi in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum: *Hoc est, virum agentem juvenilem ætatem. Pœnam tamen evasit propter peccati confessionem, & contra se ferens sententiam, evitavit sententiam divinam.* Suidas Rabbinicam fabulam nonnihil immutavit, *Lamechum* duos *Enochi* fratres interfecisse scribens, & propterea *Enochum* fide ad Deum orantem, ne talem mortem videret, exauditum fuisse, & a Deo translatum. Certè *Cainum* occisum non fuisse confici videtur ex Scripturâ Sacrâ. Dicenti enim Caino: *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me:* Respondit Dominus: *Nequaquam ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.* Frustratum porro Dei promissum ac verbum videretur, signumque illud non præstitisse ad quod positum a Deo fuerat, si *Cainus* a *Lamecho*, vel ab alio quopiam fuisset occisus. Dicere verò quòd casu, non sponte *Lamech* ipsum occiderit, divinare est.

XVIII. Præter octo homines, *Noë* scilicet, ejus uxorem, tres filios *Noë*, & illorum uxores, Hebræi in *Berisith Rabba* fabulantur, Gigantes aliquos, & plerosque Dæmones, ex iis qui in aëre isto caliginoso versantur, in Arcâ fuisse servatos. Ex animalibus verò Rhinocerotem ingressum non fuisse in Arcam, sed ad illam alligatum. Eòque ineptè trahunt verba illa *Job* 39. 10. *Nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te?*

## ARTICULUS III.

*Hujus Ætatis Historia, ut ab Ethnicis Scriptoribus confirmata vel interpolata.*

I. De Mundi opificio ita differunt Gentiles Philosophi & Poëtæ, ut dubium nullum esse possit, quin ex *Mosis* Historiâ hortos suos irrigarint. Deum supremum rerum opificem agnoscunt *Plato* in Timæo, & *Timeus* ipse *Locrus*; Mundumque ab eo creatum ad exemplar sive ideam æternam in mente ejus expressam. Ideas suas quomodo a *Moyse* sumpserit *Plato*, docent *S. Justinus* in Parænesi, *Clemens Alexandrinus* Lib. 5. Stromatum, *Eusebius* Lib. 2. *Præparationis Evangelicæ*,

Cap.13.5. *Cyrillus Alexandrinus* Lib.7. contra *Julianum*. Chaos illud in rerum origine, ab *Hesiodo* in Theogoniâ, ab *Appollonio* in Argonautis, ab *Aristophane* in Avibus; apud *Lucianum* in *Philopatride*, & *Suidam*: a *Pseudo-Orpheo*, aliisque agnitum; rudis illa indigestaque moles antequam Sol Mundo illuxisset, ab *Ovidio* initio Metamorphoseon decantata nonne terram inanem & vacuam, ac tenebras abysso circumfusas, prout a *Mose* Cap. 1. Geneseos describuntur, pene exprimunt? Noctem unam priorem fuisse die respondit olim *Thales Milesius*, referente *Diogene Laërtio*. Noctem Deorum & hominum matrem *Pseudo-Orpheus* cecinit. *Mosem* scilicet de primigeniis tenebris legerant, illumque scripsisse meminerant, *Factum est vespere & mane dies unus*. Hinc factum conjiciunt Viri Eruditi * ut Gentes olim quædam spatia temporis non dierum, sed noctium numero definirent: Quod de Numidis in Lybiâ refert *Nicolaus Damascenus* apud *Stobæum* Serm.165. de Gallis a Druidibus institutis, *Julius Cæsar* Lib.6. *De Bello Gallico*, de Germanis *Cornelius Tacitus*, De ipsorum Moribus, Lib.3. Cap.2.

* *Grotius* Lib. 1. De Verit. Relig. Christ. in Observat.

Finem hunc sibi in Mundi productione proposuisse Deum ait *Plato* in Timæo, ut optimum opus & bonitatis suæ particeps conderet, quod ubi perfectum vidit, mirificè delectatus est. Legerat nempe apud Moysem: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. De primâ rerum origine ita disserit *Saneboniato* a *Philone Biblio* laudatus, apud *Eusebium* Lib.1. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.10. Phœnicum Theologiam explicans, ut ipsum a *Moyse* accepisse quem sub *Taauti* nomine indigitat, sit manifestum. *Principium hujus universitatis ponit Aërem tenebrosum ac spiritu fœtum, seu mavis, tenebrosi Aëris flatum ac spiritum, chaosque turbidum, altâque caligine circumfusum. Hæc porro infinita esse, nullumque nisi longo sæculorum intervallo terminum habere. Verùm ubi Spiritus, inquit, amore principiorum suorum flagrare cœpisset, eumque simul esset mixtio consecuta, nexum hunc mutuum Cupidinem appellarunt. Is quidem rerum omnium procreationis principium fuit. Spiritus verò suam ipsius procreationem minimè agnoscebat. Ex hac illius conjunctione prodiit Mot; id quod limum nonnulli, aquosæ alii mixtionis corruptionem esse volunt, ex quâ sequuta productionis semina, ipsaque adeo rerum universarum generatio extiterit*. Et infra: *Hæc in Taauti de Mundi ortu Commentariis scripta reperta sunt, quæ quidem ipse cum argumentis & conjecturis, quas mentis acie perviderat, excogitavit; tum eorum quoque facem nobis lumenque prætulit*. Porro *Taautus* Phœnicum idem est ac *Moyses*, ut demonstrat Vir Clarissimus ac Doctissimus *Daniel Huëtius*, Demonstrationis Evangelicæ, Cap.3. Spiritu Dei infusam rebus vitam canit & *Virgilius* Lib.6. Æneidos. Astra ad determinanda temporis spatia condidisse Deum ait *Plato*, ipsis pene verbis *Mosis* usurpatis; Quod & *Chalcidius* ad *Platonis Timæum* observavit, & *Theodoretus* refert Lib. *De Græcorum Affectionibus curandis*, Sermone 4. *De Materiâ & Mundo*. Idemque metro *Aratus* expressit, *Phænomenon* initio.

*Anaxagoras* Mosis de creatione ac distinctione rerum sententiam his verbis expressit: *Cùm res omnes confusa simul permixtaque ab initio forent, Mens penitus ab illâ perturbatione in ordinem elegantiamque vindicavit*. Ita refert *Eusebius* Lib.10. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.14.

*Diodorus Siculus* Lib.1. Bibliothecæ Historicæ pag.7. Mundi rerumque primam originem ex Ægyptiorum Philosophorum sententiâ ita describit, ut appareat de sacris *Mosis* fluentis suam illos Philosophiam temperasse, sicut & *Euripidem* Anaxagoræ discipulum, cujus ex *Menalippe* hos versus refert idem *Diodorus*.

*Sic una cœlo forma cum terrâ fuit.*
*Sed fecerant a sese ubi divortium,*
*Mox cuncta gignunt, inque lucem dant feras,*
*Aves, folùque quæ vivunt & arbores,*
*Mortaliumque genus.*

Ex eodem fonte derivata sunt, quæ habet *Macrobius* Lib.7. Saturnalium, Cap.16. *Si concedamus*, inquit, *ut ab adversâ parte dictum est, hæc quæ sunt ex tempore aliquod sumpsisse principium, natura primùm singula animalia perfecta formavit. Deinde perpetuam legem dedit, ut continuaretur procreatione successio. Perfecta autem in exordio fieri potuisse, testimonio sunt nunc quoque non pauca animantia, quæ de terrâ & imbre perfecta nascuntur, ut in Ægypto mures, & aliis in locis ranæ, serpentesque, & similia*. Quæ de Mundi origine scripta reliquit *Moyses*, eadem & Indis Brachmanes tradiderunt, quorum sententiam his verbis *Megasthenes* exprimit apud *Strabonem* Lib.15. *De multis eos cum Græcis sentire, ut quòd Mundus & ortus sit, & interiturus; quòd eum opifex ejus & gubernator Deus universum pervadat: Universarum rerum diversa esse primordia, Mundi autem facti aquam*. Ipsius verò *Megasthenis* hæc verba e tertio *Indicorum* deprompta legimus apud *Clementem Alexandrinum* Lib.1. Stromatum. *Omnia quæ antiquitus de rerum natura dicta sunt, etiam apud eos tradita fuere, qui extrà Græciam sunt philosophati, quales apud Indos Brachmanes, in Syriâ verò hi qui dicuntur Judæi*.

Universitatem rerum a Deo creatam & conservatam cùm *Socrates* & *Pythagoras* considerarent, Dei vocem audire sibi videbantur: ut dixisse illos tradunt *Aristobolus* Judæus, Philosophus Peripateticus, apud *Eusebium* Lib.13. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.12. & *Clemens Alexandrinus* Lib.5. Stromatum. *Aristobuli* verba ex *Eusebio* subjicio. *Divinam quippe vocem accipere nos sic oportet, non ut sermonem aliquem conceptis inclusum expressumque verbis, sed ut operum ipsorum molitionem, quo planè sensu creationem Mundi universam, Legislator ille Moyses Dei vocem appellavit. Nam de singulis operibus ita pronuntiat;* Dixitque Deus, & factum est. *Id quod ego Pythagoram, Socratem, ac Platonem, cùm nostra omnia curiosè rimati essent, omnino sequutos existimo, eum se se Dei vocem exaudire dicerent, in illâ universi molitionis, quæ tam accuratè a Deo perfecta, sui semper similis integraque persisteret, contemplatione defixos*. Legerant scilicet apud *Mosem*, verbo Deum res universas, condidisse: *Dixitque Deus, Fiat lux, & facta est lux*. Eumdem legerat *Dionysius Longinus*, Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ a Consiliis & Studiis, in Libro *De sublimi dicendi genere*, Sectione 7. ubi cùm præmisisset, de Deo loquentes curare debere, ut eum nobis magnum sincerumque & impermixtum exhibeant, subdit; *Sic egit & Judæorum Legislator, vir minimè vulgaris, ut qui Dei potestatem dignè, & conceperit, & loquutus fuerit, statim in principio Legum hæc scribens: Dixit Deus. Quid? Fiat lux: & facta est*. Eòdem spectant & hi versus ex Orphicis.

*Illa mihi testis vox sit, quæ prima Parenti*
*Edita, cùm totum fundavit jussibus orbem.*

II. Quòd *Moyses* dixit, Deum formasse hominem de limo terræ, *Hesiodus* expressit in *Operibus ac Diebus*.

*Mulciberumque moras jubet omnes solvere, & undas.*
*Commiscere solo, atque humanam imponere vocem.*

Expressit *Euripides*, Supplicibus;

*Jam finite terra mortuos gremio tegi:*
*Res unde quæque sumpseras primordium,*
*Eò recipitur. Spiritus Cœlo redit,*
*Corpusque terræ.*

Hinc

Hinc apud *Callimachum* in Scazonte, *lutum Prometheum*. Hinc *Censorino* teste, *Democrito Abderita ex aquâ limoque primùm visum est homines procreatos. Nec longè secus Epicurus*.

De Cæli & Terræ creatione, primique hominis formatione, Sinenses aliquid olim a *Noachi* nepotibus inaudivisse, constat ex Gentis illius Scriptoribus. Memorant enim quòd Cælum horam noctis undecimam inter & duodecimam conditum fuerit; Terra verò horam noctis primam inter & secundam. Quòd primus Homo conditus sit inter tertiam & quartam matutinam. Fœmina post meridiem, tertiam inter & quartam. Item primum illum hominem [ quem *Puon-Cu* nominant, & sepultum dicunt in urbe *Tan-Cheu* Provinciæ *Nan Kim*, aut, ut alii in Provinciâ *Pe Kin* in territorio urbis *Ho Kien* ] ex sterili terrâ prognatum, & admirabili rerum scientiâ fuisse instructum, dominatumque omnibus; originem tamen illius ignorari.

III. Animam *Divinæ particulam auræ* vocat Horatius: *Æthereum sensum*, Virgilius: *Sensum a cælesti dimissum arce*, Juvenalis. Animas nostras partem esse Cæli; *Hipparchus* teste *Plinio*, Lib.2. Cap. 26. Hæc scilicet verba *Mosis* legerant: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est in animam viventem*. Secundùm *Mosem*, ad imaginem Dei conditum hominem, Philosophi & Poëtæ Ethnici scripsere: Hinc Platonicæ Ideæ, quas cum Mosaicis optimè convenire demonstrant *Philo Judæus*, & *Clemens Alexandrinus* Lib.6. Stromatum, quorum loca descripsit *Eusebius Cæsariensis* Lib.11. *Præparationis Evangelicæ* Capp.14. & 15. Quod & ipse egregiè præstitit Cap.23. Hinc *Euryfus* Pythagoreus Lib. *De fortunâ*, scripsit: *Hominem corpore similem reliquis, quippe ex eâdem constantem materiâ; sed ab optimo effectum Artifice, qui in eo faciendo semetipsum habuit exemplar*. Ex eodem fonte *Ovidius* 1. Metamorphoseon.

*Sanctius his animal, mentisque capacius altæ*
*Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.*
*Natus homo est: sive hunc divino semine fecit*
*Ille Opifex rerum, mundi melioris origo:*
*Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto*
*Æthere, cognati retinebat semina cæli.*
*Quam satus Japeto, mixtam fluvialibus undis,*
*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*
*Pronaque cum spectent animalia cætera terram,*
*Os homini sublime dedit, cælumque videre*
*Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

*Amelium* Platonicum Philosophum qui audierit, non solùm *Mosem*, sed & *S. Joannem* Evangelistam, quem & Barbari nomine indigitat, audire sibi videbitur, afferentem per verbum omnia facta esse. Verba ejus apud *Eusebium* Lib.11. *Præparationis Evangelicæ* Cap.19. & *S. Cyrillum Alexandrinum* Lib.8. contra *Julianum* legere est. *Atque hoc planè Verbum erat* ( inquit ) *per quod, sempiternum eum esset, existebant omnia quæ fiebant, quemadmodum Heraclitus loqueretur: Quod ipsum videlicet Barbarus etiam ille, apud Deum in principii gradu ac dignitate constitutum, immo & Deum simul esse pronuntiat: per quod facta simpliciter omnia sint, in quo quidquid factum est, & vivens, & vita, & aliquid pro suâ quodque naturâ fuerit. Idem porro in corpora delabi tradit, & carne indutum, humanam speciem præ se ferre, sic tamen ut suæ interea naturæ Majestatem ostendat: Adeoque solutum ubi jam fuerit, Dei locum denuo capessere, ac Deum prorsus eumdem esse, qui erat, priusquam in corpus atque in carnem hominemque descenderet*.

IV. Historiam de Mulieris ex *Adami* costâ formatione a Mose descriptam interpolavit *Plato*, cùm primum hominem Androgynum commentus est, quem bifariam Jupiter secuerit. *Platonis* in *Convivio* locum descripsit *Eusebius* Lib.12. *Præparationis Evangelicæ* Cap.12. Ex Paradiso terrestri ab *Homero* confictus *Hortus Alcinoi*, & fons qui *toto diffunditur horto*, ut ostendit *S. Justinus* Martyr in cohortatione ad Græcos. A *Platone* in Convivio *Jovis hortus* allegoricè expressus, ut *Eusebius* observat Cap.11. ejusdem Libri. *Sub ipsa*, inquit, *conditi Mundi cunabula, Dei Paradisum aliquem extitisse, ubi homo a serpente per mulierem in fraudem inductus fuerit, Moses arcanâ quadam oratione commemorat. Hujus verba palam tantùm & apertè immutata, audisti quemadmodum in Sympofio Plato allegoricè expresserit. Quem enim ille Dei Paradisum, hic Jovis hortum appellavit: Serpentis ac fraudis per eum concinnatæ loco, insidiantem paupertatem introduxit: Primi hominis vice, quem Dei consilium ac providentia, tamquam filium paulò ante natum produxerat, Porum quemdam Metidos ( hoc est consilii ) filium subjecit: Pro eo denique ut conditi Mundi sub cunabula diceret, sub Veneris ortum dicere maluit, ut hoc allegoriæ genere mundi speciem ac pulchritudinem adumbraret*.

Idem ante *Eusebium* observaverat *Origenes* Lib. 4. contra *Celsum*, hæc *Platonis* in *Symposio* verba de Jovis horto referens. *Quando nata est Venus, parato convivio discubuerunt Dii, & inter cæteros Porus affluentiæ Deus, Metidis filius. Post cœnam Penia mendicatura cibum, observabatur pro foribus aulæ, in qua epulabantur. Interim Porus, ebrius nectare ( nondum vinum erat ) Jovis Hortum ingressus, edormiebat crapulam. Ibi Penia quærenti inopiæ suæ remedium in mentem venit clam & per insidias obrepere Poro, procreandorum liberorum gratiâ. Itaque juxta illum accubuit, & ex eo concepit: Inde natus est Amor*. Subdit Origines; *Id Platonis figmentum eò libentiùs apposui, quia Jovis Hortus cujus meminit, videtur habere nonnihil Paradiso Dei simile, sicut insidiatrix Penia serpentem referre, Porus verò per ejus insidias deceptus circumventum hominem. Nec satis liquet casune fortuito Philosophus in hanc similitudinem inciderit: an [ ut quidam putant ] quæ dum in Ægypto peregrinaretur a Sapientibus didicerat, partim ita ut acceperat reddiderit, partim mutaret, ne Græcos offenderet*.

V. *Pandoræ* fabulam ex Historiâ Mosaicâ creationis & lapsûs *Evæ* expressam docet *Origenes* libro quarto contra *Celsum*. *Ergo*, inquit, *allegoriam admittit fabula Hesiodi tui divinitus afflati, de muliere quam Jupiter ignis vice magnum malum dedit hominibus: Hæc verò mulier de sopiti latere desumpta & ædificata a Deo, videtur sub externo involucro nihil reconditioris sensûs tegere? At cujus candoris est, illa non videre ut nugas, sed admirari ut mysterium philosophicum obvelatum fabulâ; hæc verò verbis tantùm inhærendo naso suspendere, & nullius æstimare pretii? Si enim propter verborum simplicitatem accusandum est quod tegit latentem sensum egregium, vide ne Hesiodus Numine, ut ais, afflatus, tuis sannis magis sit obnoxius, qui sic canit;*

*Huic Pater infensus, nubes qui cogit aquosas,*
*Terrifico tales protulit ore sonos:*
*O nimis & plus quàm par est versute Promethee,*
*O nimis in pœnas ingeniose tuas!*
*Lætus es, & celebrem volvis sub corde triumphum,*
*Quòd cautâ summum luseris arte Jovem.*
*Cur rutilum puris ignem subduxeris Astris,*
*Subdolus æthereas ausus inire vias.*
*Heu nociturо tibi, serisque nepotibus, istâ*
*Quò ruis in clades calliditate tuas?*
*Tale genus pestis celso mittetur Olympo,*
*Omnes quod cupidâ sumere fronte volent,*
*Perniciemque suam circumplectentur amanter,*
*Ah nimis exitii nescia turba sui?*
*Sic fatus Divûm Pater atque hominum Rex.*
*Nec mora, Vulcano talia jussa dedit.*

*I celer, & terram misce fluvialibus undis,*
*Materia hæc operi apta futura tuo est.*
*Ex hac formosa fingetur imago puellæ,*
*Quæ referat superas ore habituque Deas.*
*Nec non dulciloquam cum viribus addito vocem,*
*Possit ut humanos promere blanda sonos.*
*Tu quoque de nostro Pallas prognata cerebro,*
*Protinus hanc donis imbue Diva tuis.*
*Edoceas tenui percurrere pectine telas,*
*Atque operosa rudes ducere pensa manus.*
*Affundet capiti pulchram Diva aurea formam,*
*Quæ fuit spumis primogenerata maris.*
*Ut desiderio curisque voracibus omnes*
*In desiderium concitet illa sui.*
*Tu quoque nate tuo non inficiande parenti,*
*Argi quo cecidit percutiente caput,*
*Fallaces indas mores, mentemque caninam,*
*Expers ne possit muneris esse tui.*
*Dixerat, assensere omnes, ac jussa facessunt*
*Illius, excelsi qui regit astra Poli.*
*Lemnius e madidâ format tellure puellam,*
*Cujus adæquabat forma venusta Deas.*
*Dotibus hanc Pallas claris & arte polivit,*
*Instruxit variis pectora docta modis.*
*Aurea marmoreo posuere monilia collo*
*Peitho, & cum geminâ blanda sorore Charis:*
*Nec non auricoma vernis de floribus Hora*
*Fecerunt nitidis rosea serta comis.*
*Ast ornamenta aptavit muliebria membris,*
*Quæ Dea de patris vertice nata sui est.*
*Atque a Mercurio, vigilem qui sustulit Argum,*
*Infidè didicit linguâ docente loqui.*
*Indidit hic mores vafros, tenerosque lepôres:*
*Instituit variis pectora vana dolis.*
*Quodque, ut divino mandarat Juppiter ore,*
*Contulerant dotes Diique Deæque suas.*
*Mercurius recto Pandoram nomine dixit,*
*Dulce simul cunctis exitiale malum.*
*Nam priùs humano generi mala nulla fuerunt:*
*Expers solliciti vita laboris erat.*
*Morborumque aberant vultu pallente caterva,*
*Qui senium cunctis debile ferre solent.*
*Fœmina, sed nocuo dum tollit opercula vase,*
*In mundum pestis provolat omne genus.*
*Sola labris urnæ dum fortè hæreret in imis,*
*Non illo movit spes sua castra loco.*
*Nam priùs injecit, quàm spes evadere posset,*
*Tegmina, consilium Virgo secuta Jovis.*

Idem docet *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 3. contra Julianum. *Vin tu*, inquit, *comparatis iis quæ de mundi ortu scripsit Hesiodus, cum Mosis Genesi, scrutemur ea quæ tu perinde ac tui majores, admiraris? Ille Musas adprecatus, petitâque, ut ait ipse, amabili cantione, putitas nobis & exoletas fabulas congessit. Natum quippe scribit e Terrâ & Cælo Cœum & Hyperionem, & præter hos Japetum ac Prometheum quemdam hujus filium, qui nisi ignem ab Jove furatus esset, mulier in lucem haud prorsus edita fuisset, quam fabricatus est quidem utroque pede ille claudicans, hoc est, Vulcanus: vario autem ornatu decorasse dicitur Pallas forti patre prognata, & pulchrum malum dedisse mortalibus. At si fœmina defuisset, quam ab irato Jove, ut ipsi perhibent, habuimus, quomodo constitisset genus hominum? Aut quo pacto Dii Deorum aliqui fuissent opifices, immortali mortale attexentes, ut Platoni visum est. Hæc sapientissimi Mosis scriptis opponere non exhorruerunt: tametsi præstabat Mosaica sanctis acclamationibus prosequi.* Et infra: *Quid ergo, vir egregie, formatam a Deo mulierem, quæque de illâ scripta sunt a Moyse, ut minùs decora rejiciemus? Hesiodi verò Pandoram admittemus?*

II. Innocentiæ status, & primorum hominum in Paradiso fœlicitas, sub aurei seculi fabulis ab *Hesiodo*, & *Ovidio* decantata, a *Platone* in *Politico* his verbis explicata est: *Illos pascebat Deus, tum eos per sese regens, quomodo nunc homines divinioris animantis naturam sortiti, alia quædam inferioris ac deterioris conditionis animalia pascere consueverunt. Quo dum ipse munere fungeretur, nulla dum Respublicæ erant, nec ducebantur uxores, nec liberi suscipiebantur. Verùm ista cùm abessent omnia, fructuum affatim ex quercubus, aliisque passim arboribus suppetebat, utique quos sine ullo cultu ipsa sponte terra profunderet. Nudi præterea, nullisque ut plurimùm stragulis sub dio passim degebant:* Hunc locum describit *Eusebius* Præparationis Evangelicæ Lib.12. Cap.13. Primos homines aureâ illâ ætate cum bestiis familiari sermone congressos, cùm idem Philosophus asserit, ex serpentis cum *Evâ* colloquio quod Moses commemorat, figmenti sui sumpsit argumentum. Lege *Eusebium* Cap.14. ejusdem Libri. Indis etiam veteribus nota utcumque fuit illius statûs fœlicitas, ut discimus ex *Strabone* Lib.15. ubi *Calanum* Indum sic loquentem inducit: *Olim omnia ita plena erant farinâ ex tritico & hordeo, ut nunc pulvere. Fontes fluebant, aquâ nonnulli, lacte alii, rursum alii vino ac melle. Sed homines præ copiâ rerum ac deliciis ad contumeliam se transtulere: Quem statum exosus Deus omnia ea abolevit, aliudque vitæ genus per laborem agendæ instituit.* Adami, Evæ, Arboris vetitæ, serpentis Historiam apud Indos idololatras fuisse pervagatam notavit *Maimonides* in *More Nevochim* P.3. Cap.29. In antiquis Græcorum Mysteriis acclamatum *Evæ*, simulque monstratum Serpentem, meminere *Plutarchus* in Alexandro, *Clemens* in Protreptico, *Chalcidius* ad Timæum *Platonis*, cujus hæc sunt verba: *Juxtaque Moysea Deus vitæ Primigenis interdixit, ne edulibus arborum, ex quibus notitia boni malique animis eorum obreperet, vescerentur.* Et in alio loco: *Quibus Hebræi concinunt, cùm dicunt, homini quidem a Deo datam esse animam ex inspiratione cælesti, quam rationem atque animam rationalem appellant: Mutis verò & agrestibus ex sylvâ, rationis expertem, jussu Dei vivis animalibus & bestiis terræ gremio profusis: Quorum in numero fuerit etiam illa Serpens, quæ primitias generis humani malis suasionibus illaqueaverit.* Sic & *Demosthenes* in Oratione de Coronâ: *Interdiu præclaros illos cœtus, per viam ducens... Serpentes quas parias vocant, allidens, & supra caput efferens, & clamitans Evoë Saboë, mercedem pro istis muneribus capiebas.* Sic & Catullus: *Evoë bacchantes, Evoë capita inflectentes, pars sese tortis serpentibus incingebant, pars obscura cavis.* Sic & *Virgilius* de Helenâ, Æneidos L.6. *Illa chorum simulans, Evantes Orgia circum, Ducebat Phrygias.* Quę omnia spectans *Clemens Alexandrinus* loco supra laudato ait: *Dionysium Manolem orgiis Bacchi celebrant, coronati Serpentibus, ululantes Evam: Evam illam per quam error & omnigena inde mala in mundo sunt consecuta.* Sed & *Pherecides Syrus* Pythagoræ discipulus, ὀφιονέα Serpentem mali auctorem commemorat, qui adversas acies in cælo instruxerit. Ita *Origenes* refert Lib.6. contra Celsum. *Vide*, inquit, *an non iste, qui nobis impium errorem impingit ut Ænigmata malè intelligentibus, ipse manifestè fallatur, non intelligens quòd Mosaica litera multò antiquiores vel Heraclito, vel Pherecyde, vel Homero etiam, narrant de Malo illo, qui e cælo expulsus est. Nam Serpens ille a quo Pherecydes suum denominavit Ophioneum, qui fuit in causâ, ut primus homo ex Dei Paradiso ejiceretur sub Ænigmatum involucris tale quiddam significat ostentatâ divinitatis & potioris conditionis spe decipiens fœminam, quæ secum maritum quoque traxit in eamdem perniciem.*

VI. *Enoch* ab Arabibus *Edris*, ab Hebræis *Adris* aliquando nominatur. Conjicit Drusius, *Edris* vel *Adris*

*Adris* dictum, quasi *Adlis* vel *Atlis*, hoc est, *Atlas*. Nam *Eusebius* ex *Eupolemo* vetusto Scriptore docet, *Enoch* Græcis *Atlantem esse*.

VII. Frequentiam & magnitudinem delictorum Deum, & famulantes ei Mentes ab hominum familiari commercio abalienasse, post Græcos plurimos refert *Catullus* in Epithalamio *Pelei & Thetidis*:

*Sed postquam Tellus scelere est imbuta nefando,*
*Justitiamque omnes cupidâ de mente fugarunt:*
*Perfudere manus fraterno sanguine fratres,*
*Destitit extinctos natus lugere parentes,*
*Optavit genitor primævi funera nati,*
*Liber ut innuptæ potiretur flore Novercæ:*
*Ignaro Mater substernens se impia nato,*
*Impia non verita est divos scelerare Penates:*
*Omnia fanda, nefanda malo permista furore,*
*Justificam nobis mentem avertêre Deorum.*

Sic interpolarunt id quod apud Mosem legerant: *Dixit Deus, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est... Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ.* Id à *Grotio* observatum Lib.1. *De Veritate Christianæ Religionis*.

VIII. In historiâ diluvii fermè omium gentium memoria desinit. Unde & *Varroni* omne id tempus ignotum vocabatur, de quo Censorinus: *Nunc verò*, inquit, *id intervallum temporis tractabo, quod Historicum Varro appellat. Hic enim tria discrimina temporum esse tradit, primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον Secundum à Cataclysmo priore ad Olympiadem primam: Quod quia in eo multa fabulosa referantur, μυθικὸν nominatur. Tertium à primâ Olympiade ad nos: Quod dicitur ἱστορικὸν quia in eo res gestæ veris Historiis continentur.*

Diluvii Noëtici Sriptores vetustissimi ex Ethnicis meminerunt, scilicet *Berosus* Chaldæus, de quo *Josephus* Libro 1. contra Apionem: *Hic Berosus*, inquit, *antiquissima scripta secutus, eadem quæ Moses narrat de facto diluvio, hominumque per id interitu, ac de Arcâ, in quâ Noachus generis nostri auctor servatus est, cùm ea ad cacumina Armeniorum montium se applicuisset.* Et Libro 1. *Antiquitatum Judaicarum*, Cap.4. *Hujus autem Diluvii & Arcæ meminerunt omnes Barbaricæ Historiæ Scriptores, & in his Berosus Chaldæus. Narrans enim de „ hoc Diluvio, sic fermè scribit:* Fertur autem & „ navigii hujus pars in Armeniâ apud montem „ Gordyæorum superesse, & quosdam bitumen in„ de abrasum secum reportare: Quo vice amu„ leti, loci ejus homines uti solent. *Meminit horum & Hieronymus Ægyptius, qui Antiquitates Phœnicum scripsit, Mnaseas, & alii plures.*

*Abydenus* Assyrius, apud *Eusebium* Libro nono *Præparationis Evangelicæ*, Cap.12. *Huic*, inquit, *tum alii plerique, tum etiam Sisithrus in Imperio successit, qui cùm Saturnus imbrium vim maximam decimo quinto mensis Desii fore prædixisset, & quicquid literis comprehensum erat, id totum apud Heliopolim Sipparorum occultari seponique jussisset: Is Dei mandatis obsecutus, continuò navigationem Armenios versùs instituit, in quâ repentino divinæ prædictionis eventu occupatur. Tertio autem die quàm tempestas remitti cœperat, aves emittit explorandi gratiâ, sicubi terram undis versam atque existentem viderent. Quæ cùm immensum in pelagus incidissent, nec quò succederent omnino quicquam occurreret, ad Sisithrum denuo revolarunt, aliæque posteà similiter emissæ. At cùm tertiò idem fecisset, votique compos evasisset (quippe volucres alis limo plenis redierant) illico Deûm numine, hominum societati oculisque subducitur; navigium autem ad Armeniam appulsum, amuleta suis e lignis confecta, quæ de collo suspensa gestarent, indigenis suppeditavit.* Sisithrus, ut & Ogyges, & Deucalion, nomina sunt Noachum gentibus aliis significantia. Eumdem *Abydeni* locum refert *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.1. contra *Julianum*.

*Alexander Polyhistor*, apud *S. Cyrillum*, ibidem, ait: *Otiarte mortuo filium ejus Xisuthrum regnasse annos duodeviginti: sub eo magnum ajunt fuisse Diluvium; deinde servatum fuisse dicit Xisuthrum, cùm Saturnus ei futurum prædixisset, nempe fabricandam esse arcam, & unà cum animalibus omne genus jumentis, & reptilibus suscipiendam in eâ navigationem.* Platonem diluvii meminisse, quod terræ universæ vastitatem importaverit, quam effugere potuerint *Montani duntaxat Pastores aliquot, qui summis in cacuminibus, tanquam exigua quædam generis humani semina relicti servatique constiterint*, ex principio Librorum ipsius *De Legibus* probat *Eusebius* Lib.12. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.15.

*Lucianus*, Libro *De Deâ Syriâ*, cùm de Templo vetustissimo, quod erat Hierapoli, agere cœpisset, subdit: *Plerique à Deucalione structum ajunt hoc Templum, eo scilicèt Deucalione, cujus ætate vis aquarum fuit maxima. De eo autem Deucalione in Græciâ audivi quod Græci narrant. Est autem sermo talis: Hoc quod nunc est hominum genus non ab initio extitisse, sed id periisse stirpitus: qui verò nunc sunt homines secundi esse generis, quod ortum à Deucalione paulatim in ingentem multitudinem excrevit. De illis autem qui ante fuerant hominibus hæc sunt quæ memorantur. Contumeliosi homines cùm essent, iniqua facinora perpetrabant: nam neque jusjurandum servabant, neque excipiebant hospites, neque curabant supplices: ob quas res maxima eis supervenit calamitas. Statim enim terra plurimùm aqua de se extulit, tum verò plurimi de cælo cecidere imbres, flumina quoque ultra modum exundavere, & mare ipsum superfusum est terris, ita ut res omnes aqua fierent; homines verò perirent omnes. Solus tunc ad secundi generis exordium Deucalion relictus est, prudentiæ & pietatis ergo. Servatus autem hoc modo est. In Arcam magnam quam habebat, liberos mulieresque domûs suæ imposuit, ipseque eam ingressus est: quod cùm facerent, venère apri, & equi, & leonum genera & serpentes, & alia quæ in terrâ pascuntur, bina quæque: ille hæc ad se animantia recepit omnia, quæ nihil nocuere, sed magna ei cum illis divinitus amicitia obvenit: unâque in Arcâ navigarunt omnes, quandiu aqua super terras fuit. Hæc sunt quæ de Deucalione referunt Græci. De iis verò quæ post acciderunt, fertur ab aliis qui Hierapolim habitant res admirabilis, in suâ regione terræ fuisse hiatum, qui aquam absorpserit omnem. Id ubi factum esset, à Deucalione positas Aras, & Junonis Templum super illo hiatu. Hiatum ipse vidi. Valde exiguus est sub Templo quod dixi. An olim major fuerit contractusque sit cum tempore, equidem nescio. Id scio quòd vidi parvulum esse: In historia hujus signum quod agunt, hoc est, Bis anno ex mari aqua in Templum defertur. Ferunt aquam non Sacerdotes tantùm, sed omnis Syria, Arabiaque. Quin ab Euphrate usque eunt ad Mare homines, omnesque aquam ferunt, eam primùm effundunt in Templum. Descendit in hiatum aqua: & is hiatus, quamvis parvus, immensam vim aquæ recipit. Hoc cùm faciunt, ritum hunc ajunt à Deucalione institutum, in calamitatis simul & salutis partæ memoriam. Talis est vetus de Templo hoc sermo.* Noachum pariter *Deucalione* expressit *Apollodorus*, Lib.1. ejusque navigium, λαρνακα Arcam appellavit.

*Melo* quoque in Opere adversùs Judæos, ut refert *Alexander Polyhistor*, apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.19. *Virum quemdam qui*

*qui cum filiis Diluvium effugerat, ab indigenis Armeniâ pulsum, ædibusque ac possessionibus ejectum, suis intermediâ regione peragratâ in desertos Syriæ montes secessisse commemorat.*

*Nicolaus Damascenus*, Libro 96. Historiæ universalis, referente *Josepho* Lib. 1. *Antiquitatum*, Capit. 4. de Diluvio hæc habet: *Est super Minyada ingens in Armeniâ Mons Baris dictus, in quo fama est servatos ex Cataclysmo multos; unum verò in Arcâ vectum ad summum ejus jugum appulisse, diuque lignorum ejus Arca mansisse reliquias. Hic, credo, is fuerit, cujus Moses meminit, qui Judæis Leges condidit.*

Americanos Diluvii notitiam habuisse, *Josephus Acosta*, & *Antonius Herrera* testantur.

IN MUN-

# IN MUNDI PRIMAM ÆTATEM DISSERTATIONES SELECTÆ.

## DISSERTATIO I.

### De Opificio sex dierum.

ARTICULUS I.

Quid nomine Principii, in quo Deum Cælum & Terram creasse Moses scripsit, intelligendum veniat?

PROPOSITIO I.

*Cælum & Terram* in principio *creata scripsit Moses, ut ante omnia & in ipso Mundi ac temporis exordio condita significaret.*

HANC intelligentiam juvant locutionis simplicitas, modusque loquendi apud homines usitatus, qui si de Architecto dicant, In principio fundamenta posuit, ipsum initio operis ante omnia posuisse fundamenta, sive a fundamentis opificium cœpisse significant. Sic *Tertullianus* exposuit Lib. contra *Hermogenem* Cap. 19. *Nos autem unicuique vocabulo proprietatem suam vindicamus, principium initium esse, & competiisse ita poni rebus incipientibus fieri. Nihil enim quod fieri habet, sine initio esse, quin initium sit illi ipsum dum incipit fieri. Ita principium sive initium inceptionis esse verbum, non alicujus substantiæ nomen. Jam nunc si principalia Dei opera cælum & terra sunt, quę ante omnia Deus fecit suorum esse propriè principium, quæ priora sunt facta, meritò sic præfatur Scriptura*: In principio fecit Deus Cælum & Terram. *Quemadmodum dixisset*, In finem Deus fecit Cælum & Terram, *si post universa fecisset*. Quamquam & principii nomine *principatum* vel potestatem etiam intelligi posse dicat Tertullianus: *In principatu enim & in potestate Deus fecit Cęlum & Terram*. Sed priorem expositionem planiorem esse nemo non videt.

II. Sic exponit & *S. Basilius*, quamvis & alias non improbandas interpretationes subjiciat, Homiliâ 1. in Genesim. *Hinc propriè aggressus sermonem de mundo Sapiens, nos his verbis edocet ejus originem*: In principio fecit. *In eo nimirum principio, quod simul fuit cum tempore*. Non tamen simpliciter ante omnia Cælum & Terram Deum condidisse censet *S. Basilius*, cùm Angelos priùs creatos existimet, sed ante cæteras aspectabilis hujus mundi partes. Tum varias principii notiones explicat, & singulas huic loco optimè convenire docet. *Principium sanè dicitur primaria quævis motio, ut in illo*: Principium viç bonę est facere justa. *A justis enim actionibus primùm movemur ad beatitudinem. Dicitur rursus principium id quoque, unde quidvis conficitur, cùm hoc ipsum principium inexistit operi quod moliris; tale quid est in ædibus fundamentum, & carina in navi. Juxta eam acceptionem dictum est*: Principium sapientiæ timor Domini. *Est item principium eorum operum quæ arte conficiuntur, ipsa ars, ut sapientia Beseleelis principium fuit totius ornatûs, qui circa Tabernaculum convisebatur. Principium denique actionum non rarò dicitur perutilis & accommodus finis eorum quæ fiunt. Exempli gratiâ; Eleemosynæ principium spes est laudis & gratiæ apud Deum incundę. Tot igitur modis dici cùm soleat principium; consideres velim, eane vox singulis significatis accommodari queat. Etenim discere utique possis, quo primùm tempore constiterit Mundi origo: siquidem ex hodierno die ad superiores retrogressus ætates, studio contenderis diem invenire quo substitit primùm. Hoc enim pacto invenies, unde primaria illa motio accesserit tempori. Ad hoc deprehendes, cælum & terram quasi fundamenta quadam Universi priùs jacta fuisse & perstructa. Subinde occurret menti Verbum illud rerum artifex, quo praeunte in suum quaque ordinem oculis subjecta atque conspicua distincta sunt. Velut vox ipsa principii tibi nihil obscurè indicat, non temerè nec frustra excogitatam esse mundi fabricam, sed ad eum finem, qui non modicam allaturus esset utilitatem, nec mediocre emolumentum his quæ complectitur. Erudiendis siquidem animabus ratione præditis officina est haud dubiè accommodatissima, & eisdem ad cognitionem Dei provehendis totius eruditionis domicilium appositissimum, per hæc visibilia sensibiliaque præstruens viam ad invisibilium contemplationem, juxta verba Apostoli: Invisibilia ipsius a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Proverb. 1.

III. Ita quoque *S. Ambrosius* Lib. 1. Hexaëmeron, Cap. 3. *Principium aut ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum .... Ad tempus refertur, si velis dicere in quo tempore Deus fecit cęlum & terram, id est, in exordio mundi, quando fieri cœpit, sicut ait Sapientia*: Cum pararet cælum, cum illo eram. *Ad numerum autem si referas, ita convenit ut accipias: In primis Deus fecit cęlum & terram, deinde colles, regiones, fines inhabitabiles. Vel sic: Ante reliquas visibiles creaturas cælum & terram fecit. Si verò ad fundamentum referas, principium terrę fundamenta esse legisti, dicente Sapientiâ*: „Quando faciebat fundamenta terræ, eram penes illum cuncta disponens.

IV. Ita

IV. Ita *S. Augustinus* Lib. de Genesi ad literam imperfecto, Cap.3. *An ideo dictum in principio est, quia primum factum est?* Et Lib. contra Adversarium Legis & Prophetarum, Cap.2. *Ut principium sit ex quo esse coeperunt, non enim Deo coaterna semper fuerunt: sed facta, initium ex quo esse inciperent acceperunt*. Eadem est *S. Cyrilli Alexandrini* sententia Lib.2. contra *Julianum*. Hunc sensum exprimit Versio Arabica: *Primum quod creavit Deus, fuit calum & terra*. Hic sensus ex paralellis Scripturæ Sacræ locis confirmatur. Proverb.8. *In initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Ps.101. *Initio tu Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*.

Sic intellexit Concilium Lateranense IV. Cap. Firmiter, *De Summâ Trinitate & Fide Catholicâ*, definiens Deum *ab initio temporis* simul utramque de nihilo *condidisse creaturam, Angelicam & Mundanam*. Legatur *S. Thomas* 1. P. Quæst.46. Art.3.

V. Objicies, plerosque Patres ante cælum, corporaque omnia, conditos Angelos asserere; adeoque hæc verba: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, non significare, ante omnia, & in ipso temporis initio.

Antecedens est certissimum. Ita quippe censent *Origenes* Homiliâ 1. in Genesim, & Homiliâ 10. in Matthæum, *S. Basilius* Homiliâ 1. in Hexaëmeron, *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 38. quæ est de Natali Christi, & Oratione 42. *Severianus Gabalitanus* Oratione 4. De Mundi opificio. *Cæsarius* Dialogo 1. Interrogatione 41. & Dialogo 3. Interrogatione 123. *Anastasius Sinaita*, Lib.6. Hexaëmeron, & cap.4. ὅλη. *Zacharias Mytilenæus* sub finem libri de Mundi Opificio: *S. Joannes Damascenus* Lib.2. de Fide Orthodoxâ, cap.3. Et Lib.4. cap.14. Ex Patribus Latinis in eâdem sententiâ versantur *S. Ambrosius* Lib.1. in Hexaëmeron cap.5. & Præfatione in Psalmos. *S. Hieronymus* in cap.1. Epistolæ *S. Pauli* ad Titum, *Cassianus* Collatione 8. cap.7. Atque his verbis *Job* 38. nitebantur: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Cùm me laudarent simul Astra Matutina, & jubilarent omnes filii Dei*.

VI. Respondetur 1. Alios Patres contrarium censere, Angelos nempe ante cælum & corpoream omnem creaturam non esse conditos. Ita docet *S. Epiphanius* Hæresi 65. *Illud enim*, inquit, *evidenter divinus sermo declarat, neque post sidera productos Angelos, neque ante calum terramque constitutos. Est enim certa illa & immutabilis sententia, ante calum & terram nihil omnino conditarum rerum extitisse: Quoniam in principio creavit Deus calum & terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit*. Ita *Theodoretus* Interrogatione 3. in Genesim. *Incircumscriptam solam*, inquit, *esse divinam naturam didicimus, quippe qua increata sit, & principii expers, & aterna. Qua enim esse coeperunt, habent illa prorsus esse circumscriptum. Quare licèt expertem corporum fateamur Angelorum esse naturam, circumscriptam tamen illorum substantiam dicimus. Quomodo enim millia millium & decies centena millia, juxta divinum Danielem intelligere quisquam possit, nisi unumquemque in propriâ circumscriptione concipiat? Quòd autem Angeli substantiam habeant circumscriptam, nemo, ut arbitror, repugnabit .... Quòd si verum est illud, sicuti profectò est, loco utique opus habebunt. Nam sola divinitas veluti minimè circumscripta, loco non est obnoxia. At si quod circumscriptum est, in loco est; qui fit ut Angelos ante calum & terram extare arbitrentur? Nam si non sit in rerum naturâ quod ferat, quomodo esse possit quod feratur?* Et Interrogatione 4. *At verò*, inquit, *quo ministerio fungebantur Angeli, qui creationem praecedebant, cùm nullus esset, qui indigeret eorum operâ? Quòd enim ad ministerium hominum Deo universorum inserviant, idoneus rei testis est divinus Apostolus, inclamans:* „ Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in „ ministerium missi propter eos, qui hæreditatem „ capiunt salutis? *Constat igitur, quòd nos quidem illorum operâ indigemus; Deus verò nullius indiget. Cùm autem sit bonitatis abyssus, voluit iis qui omnino non erant, elargiri facultatem ut essent. Caterùm qui Angelos praecedere calum & terram adstruunt, pro firmo & invicto fundamento nobis proponunt illud, quod ipsi Job Deus omnium conditor* „ *dixit:* Quando creabam Astra, laudabant me „ omnes Angeli mei: *Et non advertunt, die quartâ unà cum Sole & Lunâ Deum omnium Astra produxisse. Verisimile autem est, Angelos unà cum calo & terrâ creatos esse, ut lucem de nihilo factam contuentes, & firmamentum in medio aqua compactum, & humidam substantiam a terrâ discretam, ac terram solo Dei verbo generum omnium germinibus exornatam, aliaque omnia Dei nutu perfecta; se ipsos pariter ex iis qua cernebant, intelligerent creatam habere naturam, a Deoque et essent accepisse. Nam & Divinus Apostolus Mundo* „ *illos adjungit, dicens:* Spectaculum facti sumus „ Mundo, & Angelis, & hominibus. *Caterùm hac ego non asseveranter dico. Temerarium enim sit de iis pronuntiare, de quibus Sacra Scriptura apertè nihil tradit. Sed quod piis sensibus congruere visum est, posui. Illud porro scire necesse est, omnia quacunque extant, exceptâ Sanctâ Trinitate, naturam habere creatam. Hoc autem concesso, si quis Angelorum turbas ante calum & terram conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis*. In eamdem sententiam iverunt *Basilius Seleuciensis* Oratione 1. & *Procopius Gazæus* Commentario in Genesim. E Latinis verò *S. Augustinus* Lib.22. contra Faustum, cap.10. Lib.2. *De Genesi ad literam*, capit.8. & Lib.11. *De Civitate Dei*, cap.19. Angelos primo die conditos censet, & lucis etiam nomine intelligendos. Quanquam cap.32. rem in medio relinquat. *Dum tamen Angelos Sanctos in sublimibus cali sedibus, non quidem Deo coaternos, sed tamen de suâ sempiternâ & verâ felicitate securos & certos esse, nemo ambigat*. Cum cælo ac terrâ productos pariter censent *Julius Africanus* Lib.2. cap.2. & Auctor Commentarii in Genesim *S. Eucherio* adscripti. In eâdem sententiâ est *S. Gregorius Magnus* Lib.38. Moralium cap.7. *Quia*, inquit, *prima in tempore condita natura rationabilium Spirituum creditur, non immeritò Matutina Astra Angeli vocantur. Quòd si ita est, dum terra esset invisibilis & incomposita, dum tenebra essent super abyssum, venturum diem subsequentis seculi per lucem sapientia existendo pravenerunt*. Cum *S. Augustino* sentit *Rupertus* Abbas Lib.1. *De Trinitate* cap.1. & Lib.3. *De Glorificatione Trinitatis*, cap.2. Post cælum & terram creatos Angelos pariter censent *Gennadius Massiliensis* Lib. *De Dogmatibus Ecclesiasticis*, cap.10. Auctor Commentariorum in Psalmos, inter Opera *S. Hieronymi* editorum in Psalmum 127. *Ansbertus* in *Apocalypsim* Lib.5. cap.12. *Hugo Victorinus* Tractatu 1. Summæ Sententiarum: *S. Thomas* 1. P. Q.51. Art.3. etsi probabiliorem judicet Sanctorum illorum Doctorum sententiam, qui Angelos simul cum creaturâ corporeâ creatos docent; aliorum tamen opinionem Patrum ab errore procul remotam asserit. In responsione ad secundum Argumentum, *S. Hieronymum* loqui ait secundum *sententiam Doctorum Gracorum, qui omnes concorditer sentiunt, quòd Angeli sunt ante Mundum corporeum creati*. At aliquos non obscuri

*Hebr.1.*

*Job.38.*

ri nominis, *S.* præsertim *Epiphanium*, & *B. Theodoretum* excipiendos observavi.

VII. Respondetur secundò: Etsi secundùm illorum Patrum sententiam, qui Angelos ante mundum hunc aspectabilem & corporeum conditos censent, hæc verba: *In principio creavit Deus cælum & terram*, non significent, quòd ante omnes creaturas, & in ipso temporis intelligibilis initio Deus cælum terramque condiderit, ipsa tamen a Deo creata significant ante cætera corpora, & in ipso temporis nostri, quod motûs omnium corporum, rerumque periturarum mensura est, initio. Hanc Responsionem ex *S. Basilio* colligimus Homiliâ 1. in *Genesim*, ubi statum quendam anteriorem omni tempore, congruentem cælestibus substantiis adstruit, (Ævum Philosophi, Theologique Scholastici nominant) in quo omnes Angelorum Ordines Deus condiderit, qui invisibilis Mundi substantiam complent: Eòque flectit verba illa *S. Pauli* ad Colossenses 1. *Quoniam in ipso creata sunt omnia sive visibilia, sive invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, sive Virtutes, sive Angelorum exercitus, sive Archangelorum Præfectura.* Quo de statu nihil *Mosem* literis mandasse ait, quòd rei tantæ cognitio parum idonea parvulis rudioribusque videretur, qui lacte doctrinæ initiandi, & Fidei rudimentis imbuendi sunt. At res mutationum vicissitudini obnoxias, tempori quoque congeneres affirmat. *Hinc*, inquit, *propriè aggressus sermonem de Mundo Sapiens, nos his verbis edocet ejus originem:* In principio fecit: *In eo nimirum principio, quod simul fuit cum tempore. Neque enim juxta rationem antiquioris aut primigeniæ conditionis contestatur, Mundum hunc ea quæ facta sunt omnia antegredi, dicens in principio factum esse: Sed post ea quæ non oculis istis, sed intellectu solo percipiuntur, principium narrat & originem rerum istarum, quæ visu queunt, aut alio quovis sensu percipi.* Illi duplicis temporis distinctioni favet etiam *S. Augustinus* Lib. imperfecto *De Genesi ad Literam*, cap. 3. etsi inquirendo magis, quàm affirmando scribat: *An in temporibus istis dictum est, ut essent luminaria, quæ tempora homines intervallis morarum in corporis motione metiuntur? Hæc enim tempora, si nullus motus corporum esset, nulla essent, & ipsa sunt hominibus manifestiora. Quod si admittimus, quærendum est, utrùm præter motum corporum possit esse tempus in motu incorporeæ creaturæ, veluti est anima, vel ipsa mens; quæ utique in cogitationibus movetur, & ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi non potest. Quod si accipimus, etiam ante Cælum & terram potest intelligi tempus fuisse, si ante cælum & terram facti sunt Angeli. Erat enim jam creatura, quæ motibus incorporeis tempus ageret .... Sed quoquo modo hoc se habeat, (Res enim secretissima est, humanis conjecturis impenetrabilis) illud certè accipiendum est in fide, etiamsi modum nostræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium, tempusque ipsum creaturam esse, ac per hoc ipsum habere initium, nec coæternum esse Creatori. Potest enim cælum & terra pro universâ creaturâ positum videri.... An Cælum omnis creatura sublimis atque invisibilis dicta est; Terra verò omne visibile, ut etiam sic possit hoc quod dictum est:* In principio fecit Deus cælum & terram, *universa creatura intelligi? Fortasse quippe non incongruè in comparatione invisibilis creaturæ, omne visibile Terra dicitur, ut illa Cæli nomine nuncupetur.*

*PROPOSITIO II.*

*Principii nomine Filius Dei congruè intelligitur in hoc Geneseos Exordio:* In principio creavit Deus Cælum & Terram: *Eaque expositio apud Antiquos pervagata est.*

VIII. HÆc interpretatio aliis Scripturæ Sacræ locis confirmatur. Christus enim se ipsum principii nomine indigitat, Joannis 8. *Principium qui & loquor vobis.* Idem Evangelista omnia per ipsum condita initio Evangelii sui docet: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil.* Hinc Apostolus ad Hebræos cap. 1. ait, Deum novissimè diebus istis locutum esse nobis *in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & secula.* Ac de ipso exponit versum illum Psalmi 101. *Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Et cap. 1. Epistolæ ad Colossenses: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terrâ, visibilia & invisibilia.*

IX. Ita hunc Geneseos locum plerique Patres explicant. *Tertullianus* Libro contra Praxeam, cap. 5. *Ajunt quidem & Genesim in Hebraico ita incipere: In principio Deus fecit sibi filium.*

*Origenes* Homiliâ 1. in Genesim: *Quod est omnium principium, nisi Dominus noster & Salvator omnium Christus Jesus, primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo principio suo, hoc est, in Verbo suo, Deus Cælum & Terram fecit.*

*S. Basilius*, Homiliâ 1. in Genesim, dicit nomine principii significari etiam *Artifex Verbum*, quod aspectabilium rerum ordinationi præfuit.

*S. Ambrosius*, Lib. 1. Hexaëmeron Cap. 4. *In hoc ergo principio, id est, in Christo, fecit Deus Cælum, & Terram: Quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

*S. Augustinus* Lib. 11. Confessionum Cap. 8. & 9. *Cur, quæso, te, Domine Deus meus, utcunque video, sed quomodo id eloquar, nescio, nisi quia omne quod esse incipit & esse desinit, tunc esse incipit, & tunc desinit, quando debuisse incipere vel desinere in æternâ ratione cognoscitur, ubi nec incipit aliquid, nec desinit? Ipsum est Verbum tuum, quod & principium est, qui & loquitur nobis. Sic in Evangelio per carnem ait .... In hoc principio, Deus, fecisti Cælum & Terram, in Verbo tuo, in Filio tuo, in virtute tuâ, in sapientiâ tuâ, in veritate tuâ, miro modo dicens, & miro modo faciens.* Id confirmat Libro 12. Cap. 19. 20. & 28. Item Libro 1. De Genesi ad literam, Cap. 6. *Quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ cæli & terræ nomine, propter id quod de istâ perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuatur Creatoris: Nam dicente Scripturâ*, In principio fecit Deus Cælum & Terram: *Intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principii nomine, qui non Patris, sed per se ipsum creata primitus ac potissimùm spiritualis creatura, & consequenter etiam universæ creaturæ principium est: Dicente autem Scripturâ*: Et Spiritus Dei ferebatur super aquas: *Completam commemorationem Trinitatis agnoscimus: Ita & in conversione atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuatur; Verbum Dei scilicet, & Verbi Generator; cum dicitur:* Dixit Deus: *Et Sancta bonitas, in quâ Deo placet quicquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur:* Vidit Deus quia bonum est.

Idem Lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophe-

phetarum, Cap. 2. *Aut ergo sic intelligendum est quod scriptum est:* In principio fecit Deus Cœlum & Terram, *ut principium sit ex quo esse cœperunt: Non enim Deo coæterna semper fuerunt, sed facta initium ex quo esse inciperent, acceperunt; Aut certè quia in principio sibi coæterno fecit Deus Cælum & Terram, hoc est, in Unigenito Filio. Ipse est enim Sapientia, de qua dicit Apostolus:* Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam. *Et Deo, qui* „ *fecit cælum & terram, dicitur in Psalmo,* O- „ mnia in Sapientiâ fecisti. *Aut si de Psalmo iste non vult accipere testimonium, Apostolum audiat de* „ *Christo loquentem:* Quia in ipso condita sunt „ omnia in cælo & in terrâ, visibilia & invi- „ sibilia.

1. Corinth. 2. Psalm. 103. 1. Coloss. 1.

Idem Sermone 1. aliàs 14. *De Diversis*, ubi Manichæis respondet, calumniantibus contrarium esse illud Evangelii, *Omnia per ipsum facta sunt*, his verbis Geneseos; *In principio creavit Deus cælum & terram:* hæc habet; *Hoccine contrarium est, an potiùs sibimetipsis contrarii sunt, qui ea quæ non intelligunt, cæcitate reprehendere, quàm pietate quærere maluerunt? Quid enim dicturi sunt, cùm ipsum principium Filium Dei esse respondero, in quo Deum fecisse Cælum & terram Genesis loquitur? An fortè hoc probare non potero, cùm de ipso Novo Testamento, cui, velint nolint, fractâ superbia cervice subduntur, testes mihi præsto esse co-* „ *gnoscam? Ait enim Dominus incredulis Judæis:* Si „ crederetis Moysi, crederetis & mihi: ille enim „ de me scripsit: *Cur ergo non ipsum Dominum intelligam, in quo Principio fecit Deus Pater Cælum* „ *& Terram? Nam,* In principio fecit Deus Cæ- „ lum & Terram, *Moyses scripsit, quem utique de Domino scripsisse, ipsius Domini voce firmatur. An fortè non est etiam ipse principium? Neque hinc dubitare oportebit, loquente Evangelio, ubi Judæi cùm a Domino quæsissent quis esset, respondit:* Principium, qui & loquor vobis. *Ecce in quo principio fecit Cælum & Terram. Cælum ergo & Ter-* „ *ram fecit Deus in filio,* Per quem facta sunt „ omnia, & sine quo factum est nihil: *Ut etiam Evangelio concordante cum Genesi, secundùm Testamenti utriusque consensum teneamus hæreditatem, litigiosasque calumnias exhæredatis Hæreticis relinquamus. Nullo modo autem vestram prudentiam movere debet, quod Joannes Evangelista non dixerit:* „ *Omnia in ipso facta sunt, sed,* Omnia per i- „ psum facta sunt: *& non legamus in Genesi,* Per „ principium fecit Deus Cœlum & Terram; *Sed,* „ In principio fecit Deus Cælum & Terram: *Di-* „ *cit enim Apostolus:* Ut ostenderet nobis myste- „ rium voluntatis suæ secundùm bonam volunta- „ tem suam, quam proposuit in illo in dispositione plenitudinis temporum instaurare omnia „ in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in ter- „ ris in ipso. *Quemadmodum itaque hic audis quod ait,* In ipso, *ut intelligas &* Per ipsum: *sic in eo quod dicit Joannes,* Omnia per ipsum, *etiam* In ipso *intelligere cogeris.*

Ephes. 1.

*S. Hieronymus* initio Traditionum Hebraicarum in Genesim, eumdem sensum approbat. *Plerique*, inquit, *existimant, sicut in altercatione quoque Jasonis & Papisci scriptum est, & Tertullianus in Libro contra Praxeam disputat, nec non Hilarius in expositione cujusdam Psalmi affirmat, in Hebræo* „ *haberi:* In filio fecit Deus Cælum & Terram: *Quod falsum esse, ipsius rei veritas comprobat. Nam & Septuaginta Interpretes, & Symmachus, & Theodotio,* In principio, *transtulerunt: & in Hebræo scriptum est,* Beresith: *quod Aquila interpretatur,* In Capitulo: *& non,* Heben, *quod interpretatur,* In filio. *Magis itaque secundùm sensum, quàm secundùm verbi translationem, de Christo accipi potest: Qui tam in ipsâ fronte Geneseos, quæ caput Librorum omnium est, quàm etiam in principio Joannis Evangelistæ, Cæli & Terræ conditor approbatur. Unde & in Psalterio de se ipso ait:* In capite Libri scriptum est de me, *id est in principio Geneseos.* „ *Et in Evangelio:* Omnia per ipsum facta sunt, „ & sine ipso factum est nihil.

*S. Methodius* apud *Photium* in Bibliothecâ, *Cod.* 235. docet, *in illis verbis:* In principio creavit Deus Cælum & Terram: *Eum qui principium dixerit ipsam esse Sapientiam, non aberraturum. Dicitur enim apud quemdam e cœtu Sacro Scriptorum* „ *sic de se ipsâ loqui:* Dominus condidit me Proverb. 8. „ initium viarum suarum ad opera sua: Ante se- „ culum fundavit me. *Erat enim consequens & decentius, omnia quæ creata sunt, esse hac posteriora, cùm per eam facta sint.*

X. Objicit *Joannes Philoponus* Libro 1. *De Mun-* „ *di Opificio*, Cap. 3. Si hæc interpretatio admit- „ tatur, non posse inde probari Mundum existen- „ di initium habuisse: cùm tamen *Moses* hujus „ productionis initium indicare velit. Deinde „ quod dicitur, In Filio factum esse Cælum & „ Terram, detrahere aliquid de eo, quòd etiam „ alia opera in illo facta sunt. Nam de solo cæ- „ lo, terrâque dictum illud est, *In principio:* non „ de iis omnibus quæ Mundo continentur. De- „ nique, quòd consentaneum magis fuerit scri- „ bere, *Per ipsum.*

Verùm hæc argumenta futilia sunt, nulliusque ponderis. Nam cùm dicitur, *In principio*, id est, *In Filio* creavit Deus Cælum & Terram, satis creandi verbo significatur, Mundum existendi initium habuisse. Non sequitur, etiamsi Cælum & Terra in Filio facta sunt, quòd alia opera non sint ab ipso condita: Quia Cæli ac Terræ nominibus tota rerum creatarum universitas significatur, ut *S. Augustinus* exponit Lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophetarum, Cap. 10. Denique, eadem vis est horum verborum, *In Filio*, & *Per Filium* omnia condita sunt, ut idem Sanctus Doctor asserit ac probat contra Manichæos, Sermone 14. *De Diversis*, superiùs laudato.

## SCHOLION.

„ Solus Deus ante omne tempus, immutabilis, „ æternus, ad opus novum, non novum sed sempiternum adhibuit consilium, nec pœnitendo, „ quia priùs cessaverat, cœpit facere quod non „ fecerat. Sed etsi priùs cessavit, & posteriùs „ operatus est (quod nescio quemadmodum „ ab homine possit intelligi) hoc procul dubio, „ quod dicitur prius & posterius, in rebus priùs „ non existentibus & posteriùs existentibus fuit. „ In illo autem non alteram præcedente alterâ „ subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, „ sed unâ eâdemque sempiternâ & immutabili „ voluntate res quas condidit, & ut priùs non „ essent egit, quamdiu non fuerunt, & ut po- „ steriùs essent, quando esse cœperunt: mirabiliter ostendens, quàm non eis indiguerit, sed „ eas gratuitâ bonitate condiderit, cùm sine illis „ ex æternitate initio carente, in non minore „ beatitate permansit. *Ante primordia sæculorum tu es, & Deus es, Dominusque omnium quæ creasti* (inquit S. Augustinus) *Et apud te rerum omnium instabilium sunt causæ; & rerum omnium mutabilium immobiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ vivunt rationes.*

S. Augustinus Lib. 12. De Civitate Dei, c. 17.

AR-

## ARTICULUS II.

### De Opere primæ Diei.

### PROPOSITIO I.

*Cæli ac Terræ nominibus sive materiam informem intellexeris, sive supremum Cælum, sive Cælestium Orbium Systema, cum Terrâ elementari, sententiam propugnabis probabilem. Postrema tamen interpretatio scopo Mosis convenientior videtur.*

I. PRiorem sententiam *S. Augustinus* variis in locis propugnavit, hoc Scripturæ Sacræ loco fretus, Sapientiæ 2. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materiâ invisâ, &c.* Eâ de re audiendus lib.1. De Genesi contra Manichęos, Cap.5. *Sed*, inquit, *illud quod dictum est:* In principio fecit Deus Cælum & Terram: *Cæli & Terræ nomine universa creatura significata est, quam fecit & condidit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter parvulorum infirmitatem, qui minùs idonei sunt invisibilia comprehendere. Prima ergo materia facta est confusa & informis, unde omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis Chaos appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus „ Dei:* Qui fecisti Mundum de Materiâ informi. „ *Quod aliqui Codices habent*, De materiâ in- „ visâ.

Ex istâ materiâ omnia facta esse docet Cap.6. & tamen Deum ex nihilo illa fecisse: *Quia etiamsi omnia formata de istâ materiâ facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Informis ergo illa materia, quam de nihilo Deus fecit* ( inquit Cap.7. ) *appellata est primò Cælum & Terra, & dictum est:* In principio fecit Deus Cælum & Terram: *Non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam & Cælum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est,* In principio fecit Deus Cælum & Terram, *quasi semen Cæli & Terræ, cùm in confuso adhuc esset Cæli & Terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum esse Cælum & Terram: Jam & ipsa materia Cælum & Terra appellata est.* Addit, etiam aquam appellari eamdem materiam. *Hæc ergo nomina omnia, sive Cælum & Terra, sive terra invisibilis, & incomposita, & abyssus cum tenebris, sive aqua super quam Spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ: ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus, & non uno vocabulo, sed multis: Ne si unum esset, hoc putaretur esse, quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo Cælum & Terra, quia inde futurum erat Cælum & Terra. Dicta est aqua, quia facilis & ductilis subjacebat operanti, ut de illâ omnia formarentur: sed sub his omnibus nominibus Materia erat invisa & informis, de quâ Deus condidit Mundum.* Idem argumentum tractat Lib.1. De Genesi ad literam, Cap.13. 14. & 15. & Lib.12. Confessionum Cap.3. 4. 5. 6. & 8. *Tu enim, Domine*, inquit, *fecisti mundum de materiâ informi, quam fecisti de nullâ re penè nullam rem, unde faceres magna, quæ miramur filii hominum. Valde enim mirabile hoc Cælum corporeum, quod firmamentum inter aquam & aquam, secundo die post creationem lucis dixisti:* Fiat; *& sic factum est. Quod firmamentum vocasti Cælum, sed Cælum terræ hujus, & Maris quæ fecisti tertio die, dando speciem visibilem informi materiæ, quam fecisti ante omnem diem. Jam enim feceras & Cęlum ante omnem diem, sed Cęlum Cęli hujus, quia in principio feceras Cęlum & Terram. Terra autem ipsa quam feceras, informis materies erat, quia invisibilis erat, & incomposita, & tenebrę erant super abyssum. De quâ terrâ invisibili & incompositâ, de quâ informitate, de quo penè nihilo faceres hęc omnia, quibus iste mutabilis mundus constat, in quo ipsa mutabilitas apparet, in quo sentiri & dinumerari possunt tempora, quia rerum mutationibus fiunt tempora, dum variantur & vertuntur species, quarum materia prędicta est terra invisibilis.* Legi potest eâ de re & Liber *De Fide & Symbolo*, Cap.2. Hanc interpretationem amplexi sunt *Albinus Flaccus, Beda, S. Isidorus* Hispalensis Lib.1. *De Differentiis*, Cap.9.

II. Unum hac in sententiâ difficultatem facessit non levem, quod concipi vix possit, quomodo priùs extiterit informis illa materies, quàm res omnes ex ipsâ procrearentur. Verùm huic difficultati *S. Augustinus* occurrit Lib.1. De Genesi ad literam, Cap.15. ubi materiam informem, cujus Sapientiæ liber meminit, formatis rebus tempore priorem fuisse negat, *Cùm sit utrumque simul concreatum, & unde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba verò formatam vocem indicant; non autem qui loquitur priùs emittit informem vocem, quàm possit postea colligere atque in verba formare; Ita Creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcumque naturarum, quasi secundâ consideratione formavit: formatam quippe creavit materiam; sed quia illud unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est quàm illud quod inde fit, potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit. Si enim quęratur utrùm vocem de verbis, an de voce verba faciamus, non facilè quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potiùs verba fieri de voce respondeat. Ita quamvis utrumque simul, qui loquitur, faciat, quid unde faciat naturali attentione satis apparet. Quamobrem cum simul utrumque Deus fecerit, & materiam quam formavit, & res in quas eam formavit, & utrumque a Scripturâ dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit, priùs illud unde aliquid factum est, quàm illud quod inde factum est, dici debuisse, quis dubitet?* Idem non minùs dilucidè explicat Libro 12. Confessionum, Cap.29. ubi modum distinguit quadruplicem, quo aliquid alterum præcedit: Æternitate, sicut Deus omnia; tempore, sicut flos fructum; electione, sicut fructus florem; origine, sicut sonus cantum. Subdit, primum & ultimum esse intellectu difficillima. *Namque rara visio est & nimis ardua conspicere, Domine, æternitatem tuam incommutabiliter mutabilia facientem, ac per hoc priorem. Quis deinde sic acuto cernat animo, ut sine labore magno dignoscere valeat quomodo sit prior sonus quàm cantus? Ideo quia cantus est formatus sonus, & esse utique aliquid non formatum potest, formari autem quod non est, non potest. Sic est prior materies, quàm id quod ex eâ fit: Non ideo prior quia ipsa efficit, cùm potiùs fiat, nec prior intervallo temporis. Neque enim priore tempore sonos edimus informes sine cantu, & eos posteriore tempore in formam cantici coaptamus aut fingimus, sicut ligna quibus arca, vel argentum quo vasculum fabricatur. Tales quippe materiæ tempore etiam praecedunt formas rerum, quæ fiunt ex eis. At in cantu non ita est. Cùm enim cantatur, auditur sonus ejus. Non priùs informiter sonat, & deinde formatur in cantum. Quod enim primò utcunque sonuerit, præterit, nec ex eo quicquam reperies*

*ries, quod resumptum arte componas & ideo cantus in sono suo vertitur, qui sonus ejus materies ejus est. Idem quippe formatur ut cantus sit, & ideo prior materies sonandi, quàm forma cantandi; non perficiendi potentiâ prior. Neque enim sonus est cantandi artifex, sed cantanti animæ subjacet ex corpore, de quo cantum faciat. Nec tempore prior, simul enim cum cantu editur. Nec prior electione; non enim potior sonus quàm cantus, quando quidem cantus est non tantùm sonus, verùm etiam sonus speciosus. Sed prior est origine, quia non cantus formatur ut sonus sit, sed sonus formatur ut cantus sit. Hoc exemplo, qui potest, intelligat materiam rerum primò factam & appellatam cælum & terram, quia inde facta sunt Cæli & Terra, nec tempore primo factam, quia formæ rerum exerunt tempora, illa autem informis.*

III. Supremum Cælum, quod Angelorum ac Beatorum domicilium est, & quod *Cælum Cæli* Scriptura nominaverit, his verbis, *In principio creavit Cælum*, Patres aliqui intelligendum volunt. Pro hac sententiâ laudatur *S. Basilius* Homiliâ 3. in Genesim, *Diodorus Tarsensis*, apud *Lipomanum* in Catenâ, *Severianus Gabalitanus*, Homiliâ 1. dicens: *Primo die Cælum, quod non erat condidit: Non hoc quod videmus, sed superius. Hoc enim secundâ die factum est. Fecit Deus Cælum illud, de quo David dicit:* Cælum cæli Domino. *Est autem superior ista contignatio.* Idem censet *S. Joannes Damascenus* Lib. 2. Fidei Orthodoxæ, Cap. 6. *Beda* in Hexaëmeron, aliique Ecclesiastici Tractatores.

IV. Cæteri demum censent, Cæli nomine non aliud hoc loco intelligi, quàm quod videtur à nobis, hoc est, Systema cęlestium orbium, qui supra nos volvuntur, ac terram ambiunt. Sic *Theophilus Antiochenus* Lib. 2. ad Autolycum. *Homo*, ait, *qui in infimâ Mundi regione situs est, a terrâ ædificare incipit, nec nisi fundamento jacto tectum construere potest. Dei verò in hoc potentia monstratur, ut ex iis primò quæ non extant, creata omnia pro voluntate suâ faciat. Quæ enim penes homines impossibilia sunt, penes Deum possibilia sunt. Idcirco Propheta dixit, primò Cæli fabricationem esse factam, quod tecti instar esset, loquens sic:* In principio fecit Deus Cælum, *hoc est, per principium factum esse Cælum.* Eamdem interpretationem ponunt *SS. Gregorius Nyssenus*, *Basilius*, & *Ambrosius* in Hexaëmeron, & alii. Atque Mosaicæ narrationi, quæ simplex & historica est, ejusque consilio sensus iste magis convenit. Illi enim propositum fuisse plerique Veterum existimant, Judæos ab eâ Gentium persuasione abducere, quæ cælestibus corporibus divinitatem, æternitatemque tribuebat. Porro nec Angelicam creaturam, nec Materiam informem, nec Cælum supremum, quod Empyreum vulgò nuncupamus, colebant Ethnici, sed cælestes alios orbes, quos oculis corporeis intuemur, in quibus Sol ac Sydera reliqua volvuntur. Quo de Cælo Psalmo 101. dicitur: *Initio tu Domine, Terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli. Ipsi peribunt, Tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent; & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* De quo Deus *Abrahamo* loquitur Genes. 15. *Suspice Cælum, & numera stellas, si potes.* De quo Apocal. 14. *Adorate eum qui fecit Cælum & Terram, Mare & fontes aquarum.* Illa etiam terra accipienda est, quam Dei imperio ex aquis emersisse, plantas & herbas omne genus germinasse, animalia tam gradientia quàm serpentia produxisse, & ex cujus limo conditum hominem *Moses* commemorat, de quâ dicitur Psalmo 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus.* Quam nimirum aqua in Mundi exordio circumquaque cooperiret, & quasi vestiret, nusquam ut videri posset aut apparere, donec aquę unum in locum essent collectæ. *S. Hieronymi* suffragio hęc interpretatio confirmatur, Epist. 139. ad *Cyprianum* scribentis, *Eorum duntaxat quæ visibilia sunt* creationem *Mosem* in Libro Geneseos enarrasse. His jungendus *S. Ambrosius* Lib. 1. in *Hexaëmeron* Cap. 7. ubi quærentibus cur non initio *ornatus congruos assurgentibus donavit elementis* Deus? respondet: *Potuit utique, sed ideo primò facta, postea composita declarantur, ne verè increata & sine principio crederentur, si species rerum velut ingenerata ab initio, non postea addita viderentur. Incomposita terra legitur, & iisdem a Philosophis æternitatis, quibus Deus, privilegiis honoratur. Quid dicerent, si ab æterno ejus pulchritudo vernasset? Demersa aquis describitur, velut quidam principiorum suorum addicta naufragio: & adhuc a nonnullis facta non creditur: Quid si decorem primogenitum vindicaret?* Nec movere nos plurimum debet *Philastrii* Brixiensis Episcopi auctoritas, Lib. *De Hæresibus*, inter Hæreticos numerantis eos, qui aliam terram nolunt agnoscere ab eâ quam calcamus, eam scilicet, *Quæ veluti matrix est omnium rerum, universaque continet, quæ quasi ὕλη, id est, materia reperitur in Scripturis, quæ est invisibilis & incomposita, quæ a Deo facta est in primo die. Hæc autem in qua habitamus, super aquam fundata ostenditur.* Cui *Philastrii* loco e regione oppositus est ille *Tertulliani* adversùs *Hermogenem* Cap. 25. & 26. *Vult igitur duas proponi terras in istâ scriptura: unam, quam in principio Deus fecit, aliam materiam ex quâ fecit, de quâ dictum sit, Terra autem erat invisibilis & rudis. Nobis autem unus Deus, & una est terra, quam in principio Deus fecit.*

V. Quod verò *Sapientiæ* 11. dicitur, Deum orbem terrarum ex *materiâ invisâ* creasse, huic expositioni non officit, hoc enim nomine materiam primam formâ prorsus omni destitutam intelligere minimè necesse est, sed corpus rude ac impolitum, sui tamen generis ex materiâ & formâ creatum, puta terram, & aquam, ex quibus supremus Opifex molem hanc universitatis extruxerit, absolutasque rerum species formaverit. Hæc enim elementa cùm minus actuosa sint, materiæ nomine commodè significantur. Certè cælos ex aquâ concretos censent *Novatianus* Lib. *De Trinitate* inter Opera *Tertulliani* edito, Cap. 8. *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 9. *S. Cæsarius* in *Dialogo* Quæst. 64. 65. & 66. *Theodoretus* Interrogatione 11. in Genesim, *S. Chrysostomus* Homiliâ 4. in Genesim, *S. Hieronymus* Epistolâ 83. ad Oceanum, *Severianus Gabalitanus*, Venerabilis *Beda*, & alii. Pisces ex aquâ conditos, cætera ex terrâ, certum est. Hæc itaque duo elementa materiæ nomine intelligi possunt, quæ initio invisa erat; terra quidem, quia aquis cooperta; aqua verò, quia tenebris obsita, & caligine *quasi pannis infantiæ* obvoluta, ut dicitur *Job* 38. Utraque verò informis, id est, *incomposita* & inornata, ut exprimit Versio 70. Interpretum.

VI. Gravior hinc enascitur difficultas, quòd Deus secundo die jusserit fieri firmamentum, ut *Moyses* refert: Dixit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis .... Et fecit Deus firmamentum .... Vocavitque Deus firmamentum Cælum.* Quod itaque primâ die vel ante omnem diem Cælum creatum est, non est illud quod videtur a nobis, quod solem ac Stellas continet, quod super capita nostra volvitur.

Responsione duplici hæc dilui potest difficultas. Vel enim dicendum, firmamentum primo

die

die, seu ante omnem diem, secundùm substantiam creatum, secundâ die novo ministerio aptatum, & ad aquas dirimendas velut septum quoddam ac murum adhibitum fuisse. Quæ *S. Joannis Chrysostomi* sententia est, Homiliâ 4. in Genesim; *Dixitque Deus: Fiat firmamentum in medio aquæ. Quid est, Fiat firmamentum? Quasi quis dicat humanâ linguâ: Fiat paries quidam & interstitium in medio dividens & separationem faciens.* Huic sententiæ suffragatur *Severianus Gabalitanus*, unum Cælum admittens, idque primo die productum. Cui opinioni de cælestium orbium creatione primo die, favent admodum verba illa *Mosis* Cap.2. Genesis. *Ista sunt generationes Cæli & Terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Deus Cœlum & Terram.* Vel dicendum, prima illa Geneseos verba: *In principio creavit Deus Cœlum & terram*, non significare peculiare aliquod opus, sed Mundi totum opificium complecti, ac docere totam illam aspectabilem rerum universitatem Deum initio fabricatum esse, postea verò cunctas opificii partes singillatim, eo quo sunt elaboratæ ordine, a *Mose* descriptas. Hanc sententiam laudat, tametsi non sequatur, *S. Basilius* Homiliâ 3. & *S. Ambrosius* Lib.1. in Hexaëmeron, Cap.3. Hanc & *S. Augustinus* Lib.1. contra Adversarium Legis, & Prophetarum, Capit.10. velut probabilem commemorat: *Sive*, inquit, *per Cælum & Terram generaliter priùs insinuata sit spiritalis corporalisque natura: sive aliquid aliud, quod hìc salvâ Fidei regulâ intelligi potest.* Eamdem refert Libro 12. Confessionum Cap. 17. *Nomine, ajunt, Cæli & Terræ totum istum visibilem mundum priùs universaliter & breviter significare voluit, ut postea digereret dierum enumeratione quasi articulatim universa, quæ Sancto Spiritui placuit sic enuntiare. Tales quippe homines erant rudis ille atque carnalis Populus cui loquebatur, ut eis opera Dei nonnisi sola visibilia commendanda judicaret.* Ita sentit & *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.2. contra *Julianum*. Eamdemque sententiam *S. Joanni Chrysostomo* tribuit *S. Thomas* 1. P. Quæst.68. Art.1. in Responsione ad primum Argumentum. Secundùm hanc opinionem, non aliud est Cælum, de quo *Moyses* initio Genesis dixit: *In principio creavit Deus Cælum & Terram*, aliud *Firmamentum, quod secundo die conditum est.*

---

PROPOSITIO II.

*Spiritum Domini, qui super aquas in Mundi exordio ferebatur, sive Aërem aut ventum, seu vitalem spiritum, aut efficaciam intellexeris, probabilem interpretationem affers: Antiquis verò Patribus longè probatissimam, si Spiritum Sanctum designari censeas.*

I. PRiorem expositionem affert *Severianus* Gabalorum Episcopus Oratione 1. De creatione Mundi. *Deinde*, inquit, *& aër audi quando creatus est:* Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. *Spiritum enim hunc, non ipsum Spiritum Sanctum dicit.* [ *Non enim quod increatum est, creatis connumeratur.* ] *Sed spiritum vocat aëris motum. Ac sicut in Eliâ Prophetâ scriptum est:* Et
3. Reg. c.16. cælum contenebravit nube & spiritu: *Ita hìc quoque spiritum aëris naturam dicit.* Et infrà: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Spiritum vocat ventum, quemadmodum alio loco dicit:* In spiritu vehementi conteres naves Tharsis: *Nempe spiritum aëris agitationem vocans. Ut verò ex spiritûs indole ostendatur, ventum aëris esse motum, propterea illâ voce usus est*, superferebatur. *Proprium enim venti est, ut creatura, rebusque Mundo hoc inferiori supervolitet ac superferatur.*

Eamdem interpretationem probabiliorem putat *Theodoretus* Interrogatione 8. in Genesim querens, *Qualisnam Spiritus ferebatur super Aquam?* & hunc in modum respondens: *Quibusdam videtur fuisse Spiritus Sanctus, qui vivificabat & fœcundabat aquarum naturam, designans quodam modo gratiam Baptismi. Verius autem putaverim, quòd hìc aërem vocet spiritum. Nam cùm dixisset Deum creasse cælum & terram, & aquarum meminisset sub nomine abyssi, necessariò aëris mentionem fecit, a superficie aquæ ad cælum usque permeantis. Aëris enim natura est, ut circa inferiora corpora feratur & agitetur. Aptissimè autem non dixit*, incumbebat, *sed* ferebatur, *quia verbum istud* ferebatur, *substantiam aëris mobilem indicat. Quòd si quis huic orationi non assentitur, propterea quòd scriptum est*, Spiritus Dei ferebatur super aquam; *audiat beatum David dicentem de Deo omnium conditore*, Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ. *Quòd verò ventum ita vocaverit, etiam me tacente manifestum est. Siquidem Euro aut Noto flante, aqua congelata dissolvi solet, & liquefieri.* Hanc expositionem ut probabilem referunt *S. Basilius*, *S. Ambrosius* Lib.1. in *Hexaëmeron*, cap.8. & *S. Augustinus* Lib. de Genesi ad literam imperfecto. His omnibus *Tertullianus* præivit Lib. adversùs *Hermogenem*, cap.32. *De*
„ *Spiritu*, inquit, *aquè Amos:* Qui solidat to-
„ nitrum, & condit spiritum, & adnuntiat in
„ homines Christum suum. *Eum spiritum conditum ostendens, qui in terras conditas deputabatur qui super aquas ferebatur, librator & adflator, & animator universitatis: Non, ut quidam putant, ipsum Deum significari Spiritum, quia Deus Spiritus. Neque enim aqua Dominum sustinere sufficerent: Sed eum spiritum dicit, de quo etiam venti constiterunt, ut ait per Esaiam; Quia spiritus a me exivit, & flatum omnem ego feci.* Sanè ventum spiritûs nomine sæpe in Scripturis significari, non allatus duntaxat a *Theodoreto* locus, sed & alia ipsi planè gemina probant: Exodi 15. *Flavit spiritus ejus, & operuit eos Mare.* In Cantico trium puerorum: *Benedicite omnis imber & ros Domino, Benedicite omnis spiritus Dei Domino.* Isaiæ 30. *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Ita quoque ex Hebrǽis interpretantur *R. Moses Maimonides*, & *R. Aben Ezra*. Ita & Targum Onkelos: *Et spiritus a conspectu Dei insufflabat super faciem aquarum.* Ita & versio Arabica: *Et venti Dei flabant super faciem aquæ.*

II. Secundam expositionem recensent *S. Ambrosius* Lib.1. in *Hexaëmeron* cap.8. & *S. Augustinus* Lib. de Genesi ad literam imperfecto, capit.4. *Potest autem*, inquit, *& aliter intelligi, ut spiritum Dei vitalem creaturam, quâ universus visibilis mundus atque omnia corporea continentur & moventur, intelligamus: cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi ad operandum in iis quæ gignuntur. Qui spiritus cùm sit omni corpore æthereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurdè spiritus Dei dicitur. Quid enim non est Dei ex iis quæ condidit? Sed tunc potest iste spiritus sic intelligi, si quod dictum est*, In principio fecit Deus Cælum & Terram, *tantùm de visibili creaturâ dictum sentiamus, ut super materiam rerum visibilium in exordio fabricationis eorum superferretur invisibilis spiritus, qui tamen etiam ipse creatura esset, id est, non Deus, sed a Deo facta atque instituta natura.* Huic interpretationi subscripserat *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 3. in Gene-
„ sim.

„ fim. *Quid*, inquit, *sibi vult quod dicit*, Et Spi-„ ritus Dei superferebatur super aquam? *Mihi videtur hoc significare, quòd & adfuerit efficax quædam & vitalis operatio aquis, & non fuerit simpliciter aqua stans & immobilis: sed mobilis, & vitalem quamdam vim habens. Nam quod immobile, omnino inutile est: Quod verò movetur, ad multa conducit. Ut igitur doceret nos beatus ille Propheta, Aquam illam magnam, & ineffabilem habere vim quandam vitalem, dicit:* Et spiritus Dei superferebatur super aquam. *Idque non absque ratione Scriptura divina præveniendo dicit, eò quòd postea dictura est nobis, quòd animalia ex aquis istis juxta præceptum Dei omnium conditoris producta sint, propterea auditorem hîc nunc docet; Quòd non simpliciter aqua illa sit condita, sed ita ut moveatur, & discurrat, & omnia alluat.*

III. Tertiam interpretationem his duabus anteponunt mox laudandi Patres. *Tertullianus* Libro *De Baptismo*, cap.3. *Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia; dehinc dignationem, quòd Divini Spiritûs sedes, gratior scilicèt cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ tota adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude: solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subjiciebat.*

*S. Basilius* Homiliâ 2. in Genesim: *Et Spiritus Dei ferebatur* ( *inquit* ) *super aquas. Sive hunc dicat spiritum diffusionem fuisse aëris, accipe tibi Mosen horum auctorem, Mundi singulas partes enumerantem: Quia fecit Deus Cælum & Terram, aquam & aërem, & hunc diffusum jam ac diffluentem. Sive, quod & verius est, & a majoribus nostris probatum, Spiritus ille Spiritus Dei Sanctus dictus est: Propterea quòd observatum est, talem de illo peculiari modo Scripturam præcipuèque facere mentionem, & nihil aliud Dei Spiritum appellare, quàm ipsum Spiritum Sanctum, qui Divinæ Beatæque Trinitatis numerum complet. Hanc quoque sententiam si admiseris, majorem ex hoc utilitatem fueris consecutus. At quonam pacto, dixeris super aquas hic ferebatur? Equidem non meam tibi, sed Viri cujusdam Syri sententiam recensebo, qui tantùm a sapientiâ Mundi distabat, quantò verarum scientia rerum propinquior erat. Ajebat igitur ille, Syrorum vocem significatiorem atque evidentiorem esse, & ob affinitatem quam habet cum Hebraicâ linguâ sententias aliquo modo Scripturarum propiùs attingere. Itaque hanc esse hujus dicti sententiam.* „ *Verbum hoc*, Ferebatur, *pro* consovebat, vita-„ lemque fœcunditatem aquarum naturæ præbe-„ bat, *sumunt atque interpretantur, ad similitudinem aviculæ incubantis, vimque vitalem quamdam imprimentis in ea quæ ab ipsâ foventur. Talem hunc is prædicabat eâ voce sensum signari: Super aquas, inquam, Spiritum Dei ferri, id est, ad fœcunditatem vitalem aquæ naturam ipsum Spiritum Sanctum præparasse. Quare satis per hos id ostenditur, quod quæritur a nonnullis, nec ab actu creandi Spiritum Sanctum abfuisse.*

*S. Ambrosius* Lib.1. in *Hexaëmeron* cap.8. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquas. Quem etsi aliqui pro aëre accipiant, aliqui pro spiritu quo spiramus, & carpimus auræ hujus vitalis spiritum: Nos tamen cum Sanctorum & Fidelium sententiâ congruentes, Spiritum Sanctum accipimus, ut in constitutione Mundi operatio Trinitatis eluceat: Præmisso enim, quòd in principio fecit Deus cælum & terram, id est, in Christo fecit Deus, vel, per Filium Deus fecit, Quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Supererat plenitudo operationis in Spiri-„ tu, sicut scriptum est:* Verbo Domini cæli fir-„ mati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eo-„ rum. *Itaque quemadmodum in Psalmo docemur operationem Verbi, quod est Verbum Dei, & virtutem quam dedit Spiritus Sanctus; Ita hîc Propheticum resultat Oraculum, quia Deus dixit, & Deus fecit, Spiritus quoque Dei superferebatur super aquas. Ornando enim polo cæli, germinaturis terris pulchrè Spiritus superferebatur, quia per ipsum habebant novorum partuum semina germinare* „ *secundùm quod dixit Propheta:* Emitte Spiritum „ tuum, & creabuntur, & renovabis faciem ter-„ ræ. *Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat in plerisque & congruit, sic habet:* Et Spiritus Dei fovebat aquas: *Id est, vivificabat, ut in novas cogeret creaturas, & fœtu suo animaret ad vitam.*

*S. Hieronymus* Libro Traditionum Hebraicarum in Genesim: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Pro eo quòd in nostris Codicibus scriptum est,* Ferebatur, *in Hebræo habet*, Merahefeth, *quod nos appellare possumus*, incubabat, *sive* consovebat, *in similitudinem volucris, ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de spiritu Mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu Sancto, qui & ipse vivificator, consequenter & conditor: Quòd si conditor, & Deus. Emitte enim, ait, Spiritum tuum, & creabuntur.* Et Epist.83. ad Oceanum. *Rudis Mundus needum Sole rutilante, nec pallente Lunâ, nec Astris micantibus, incompositam, & invisibilem materiam Abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in auriga modum super aquas ferebatur, & nascentem Mundum in figurâ Baptismi parturiebat.*

*S. Augustinus* Lib.13. Confessionum, cap.5.6. & 7. *Tenebam jam Patrem in Dei nomine, qui fecit hæc; & Filium in principii nomine, in quo fecit hæc, & Trinitatem credens Deum meum, sicuti credebam, quærebam in Eloquiis Sanctis ejus, & ecce Spiritus tuus superferebatur super aquas. Ecce Trinitas Deus meus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Creator universæ creaturæ .... Jam hinc sequatur qui potest intellectu Apostolum tuum dicentem, Quia charitas tua diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, & de spiritalibus docentem & demonstrantem supereminentem viam charitatis, ideoque ab initio supereminens superferebatur super aquas. Cui dicam, quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptam abyssum, & de sublevatione caritatis per Spiritum tuum, qui superferebatur super aquas? Cur dicam? Quomodo dicam? Mergimur, & emergimus. Quid similius, & quid dissimilius? Affectus sunt, amores sunt, immunditia Spiritûs nostri defluens inferiùs amore curarum, & sanctitas Spiritûs tui attollens nos superiùs amore securitatis: at rursum corda habeamus ad te, ubi Spiritus tuus superfertur super aquas, & veniamus ad supereminentem requiem, cùm pertransierit anima nostra aquas, quæ sunt sine substantiâ.* Eandem interpretationem tradit Libro De Genesi ad Literam imperfecto, ubi & id cavendum esse docet, *Ne quasi spatiis Dei Spiritum superferri materiæ putemus, sed vi quadam effectoriâ, & fabricatoriâ, ut illud cui superfertur efficiatur, & fabricetur. Sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quâ ad operandum movet.* Eamdem repetit Lib.1. ex duodecim perfectis *De Genesi ad Literam*, cap.6. & 7. ubi etiam quærit, cur commemoratâ priùs quamvis imperfectâ creaturâ, postea commemoratur Spiritus Dei, priùs dicente Scripturâ: *Terra autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super faciem abyssi;* ac deinde subdente: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquam?* Ad hujus autem quæstionis solutionem viam aperit hac interrogatione: *An* ( inquit ) *quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit subjiciatur;*

Præ-

*Propterea cùm commemoraretur imperfecta creatura, Spiritus Dei, in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua, per indigentiæ necessitatem, potiùs quàm per abundantiam beneficentiæ, Deus amare putaretur? Cujus rei memor Apostolus dicturus de charitate, Supereminentem viam demonstraturum se ait. Et in alio loco: Supereminentem, inquit, scientiæ charitatem Christi. Cùm ergo sic oporteret insinuare Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodiùs factum est ut priùs insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur: Non autem loco, sed omnia superante ac præcellente potentiâ.* Et infra: *Duo sunt propter quæ amat Deus creaturam suam, ut sit, & ut maneat. Ut ergo esset quod maneret, Spiritus Dei superferebatur super aquam: Ut autem maneret, Vidit Deus quia bonum est.* Huic expositioni subscribit *Victor Vitensis*, in Fidei Ratione ad *Hunericum* Vandalorum Regem: *Superferebatur* (inquit) *Spiritus Dei super aquas: utpote Creator virtute potentiæ suæ continens creaturam, ut ex iis viva omnia producturus, ipse rudibus elementis ignis proprii fomenta ministraret.* Hanc demum interpretationem sequitur Ecclesia, quæ in Benedictione Fontium Baptismatis de Spiritu Sancto canit: *Deus cujus Spiritus super aquas inter ipsa Mundi primordia ferebatur, ut jam tum virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet.* Et rursus ipsum invocans Spiritum Sanctum: *Tu super aquas foturus eas ferebaris.*

---

## PROPOSITIO III.

*Lucem primâ die Mundi a Deo conditam, si vel Angelicam naturam, vel Gratiam quâ illustrata & ornata est, intellexeris, a Fidei Regulâ non aberras: Si corpoream lucem interpreteris, consonam certè Mosaicæ narrationi propugnas sententiam.*

I. PRriorem illam de luce spiritali interpretationem pluribus in locis tradit *S. Augustinus*. In primis Lib.1. *De Genesi ad literam*, cap. 17. *Si autem*, inquit, *spiritalis lux facta est, cùm dixit Deus*, Fiat lux, & facta est lux; *non illa vera Patri coæterna intelligenda est, per quam facta sunt omnia, & quæ illuminat omnem hominem, sed illa de quâ dici potuit:* Prior omnium creata est sapientia. *Cùm enim æterna illa & incommutabilis, quæ non est facta, sed genita Sapientia, in spiritales atque rationales creaturas, sicut in animas sanctas se transfert, ut illuminatæ lucere possint, fit in eis quadam luculentæ rationis affectio, quæ potest accipi facta lux, cùm diceret Deus*, Fiat lux: *Si jam erat creatura spiritalis, quæ nomine cæli significata est, in eo quod scriptum est*, In principio fecit Deus cælum & terram: *Non corporeum cælum, sed incorporeum, cælis corporeis, hoc est, super omne corpus, non locorum gradibus, sed naturæ sublimitate præpositum.* Item Libro 11. *De Civitate Dei*, cap.9. *Ubi*, inquit, *de Mundi constitutione sacræ Literæ loquuntur, non evidenter dicitur utrùm vel quo ordine creati sint Angeli, sed si prætermissi non sunt, vel cæli nomine, ubi dictum est:* In principio fecit Deus cælum & terram: *Vel potiùs lucis hujus de quâ loquor, significati sunt.* Tum ubi probavit Angelos in operibus Dei contineri, nec aliis tamen divini opificii diebus esse conditos, ita colligit: *Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cujus unitas ut commendaretur, non est dictus dies primus, sed dies unus. Nec alius est dies secundus, aut tertius, aut cæteri: Sed idem ipse unus ad implendum senarium vel septenarium numerum repetitus est, propter senariam vel septenariam cognitionem: Senariam scilicet operum quæ fecit Deus, & septenariam quietis Dei. Cùm enim dixit Deus:* Fiat lux, & facta est lux: *Si rectè in hac luce creatio intelligitur Angelorum, profectò facti sunt participes lucis æternæ, quæ est ipsa incommutabilis Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei Filium, ut eâ luce illuminati, quâ creati, fierent lux, & vocarentur dies participatione incommutabilis lucis & diei, quod est Verbum Dei, per quod & ipsi, & omnia facta sunt. Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, hoc illuminat & omnem Angelum mundum, ut sit lux, non in se ipso, sed in Deo: A quo si avertitur Angelus, fit immundus, sicut sunt omnes qui vocantur immundi Spiritus, nec jam lux in Domino, sed in se ipsis tenebræ, privati participatione lucis æternæ.* Hoc posito, divisionem lucis a tenebris, discretionem societatis Sanctorum Angelorum a societate malorum interpretatur: cap.19. *Non mihi videtur*, inquit, *ab operibus Dei absurda sententia, si cùm lux illa prima facta est, Angeli creati intelligantur, & inter Sanctos Angelos & immundos fuisse discretum, ubi dictum est:*
„ Et divisit Deus inter lucem & tenebras: Et vo-
„ cavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit no-
„ ctem. *Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam, priùs quàm caderent, præscire casuros, & lumine privatos veritatis, in tenebrosâ superbiâ remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem & noctem, id est, inter hanc lucem, & has tenebras, vulgatissima sensibus nostris luminaria cæli ut dividerent, imperavit.* Fiant, *inquit*,
„ luminaria in firmamento cæli, ut luceant su-
„ per terram, & dividant inter diem & noctem.
„ Fecit Deus duo luminaria magna; luminare
„ maius in principio diei, & luminare minus in
„ principio noctis, & stellas: Et posuit illas Deus
„ in firmamento cæli, lucere super terram, &
„ præesse diei & nocti, & dividere inter lucem
„ & tenebras. *Inter illam verò lucem, quæ sancta Societas Angelorum est, illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id est, malorum Angelorum aversorum a luce justitiæ teterrimas mentes, ipse dividere potuit: Cui etiam futurum non naturæ, sed voluntatis malum occultum, aut incertum esse non potuit.* Suam illam expositionem ex eo confirmat cap.20. quòd ubi lucem a Deo conditam *Moses* narravit, continuò subjunxit: *Et vidit Deus lucem quia bona est:* Non post divisionem lucis a tenebris, noctisque nomen illis inditum, hanc Summi Opificis approbationem retulit, *Ne simul cum luce etiam talibus tenebris testimonium placiti sui perhibuisse videretur. Nam ubi tenebræ inculpabiles sunt, inter quas & lucem istam his oculis conspicuam luminaria cæli dividunt, non ante, sed post infertur:* Et vidit Deus quia bonum est... *Utrumque placuit: quia utrumque sine peccato est. Ubi autem dixit Deus:*
„ Fiat lux, & facta est lux: *Statim sequitur:* Et
„ vidit Deus lucem quia bona est. *Et postmodum*
„ *infertur:* Et separavit Deus inter lucem, &
„ tenebras: Vocavitque Deus lucem diem, &
„ tenebras noctem: *Non hoc loco additum est*, Et vidit Deus quia bonum est. *Ne utrumque appellaretur bonum, cùm esset horum alterum malum vitio proprio, non naturâ. Et ideo sola lux ibi placuit Conditori: Tenebræ autem Angelicæ, etsi fuerant ordinandæ, non tamen fuerant approbandæ.*

Sap.7.

Huic interpretationi subscribit *Rupertus* Abbas Lib.1. *De Trinitate & Operibus ejus*, cap.10. his ductus rationibus: Quòd si lux corporea, quam oculis usurpamus, primo die condita intelligatur, cum dixit Deus, *Fiat lux: Unus hic dies omnium die-*

dierum pauperrimus est; Quippe cùm singuli dierum cæterorum substantiarum creatione vel formatione illustrati sint: Hic dies nonnisi accidentis cujusdam colore instabili injecto dimissus sit, cùm dictum sit, Fiat lux. Nam quæcumque cęteris diebus facta sunt, substantialia sunt, & permanent: Illa autem accidentalis lux tertio reaccensa deinceps omnino deperiit. Et vide utrùm condignum sit tantæ Majestati, ut cæterorum dierum opera, verbi gratiâ Solem, Lunam, & stellas, quæ quarto die facta sunt, & aquarum divisionem, quæ secundo die facta est, statuerit in seculum & in seculum seculi, præceptumque poneret illis quod non præteribit: Opus autem primæ lucis tale faceret, quod mutato consilio post exiguum triduum funditus extingueret? Quid ergo? An idcirco Spiritus Dei ferebatur super aquas, & dixit, Fiat, quod dictum ut verè boni verbi eructationem sancta miratur & concelebrat Scriptura, ut talis tantummodo lux fieret accidens aëri, mox interitura, & nulla crearetur substantia? Meliùs magni & nominatissimi Patres intellexerunt naturam Angelicam lucis nomine significatam. Eorum sensum rationabilem magis approbamus & sequimur, Angelicam creaturam rectè lucem esse appellatam, lucem intellectualem; lucem (inquam) non solùm quia vim discernendi habentem, verùm etiam quia veri & incircumscripti luminis gratiâ refulgentem.

II. At lucem corpoream his verbis significatam & a Deo conditam, Fiat lux, Patres reliqui censent, quanquam in explicandâ lucis naturâ, ac subjecto non conveniant. S. Dionysius Libro De Divinis Nominibus, cap. 4. A summo bono, inquit, lumen proficiscitur, & imago bonitatis est, quamobrem nomine luminis bonum laudatur, tanquam appareat primum exemplar in imagine. Quam lucis cum divinâ bonitate similitudinem pluribus explicat. Quę si consideretur attentiùs, nihil ponderis inesse videbitur argumento Ruperti, objicientis pauperrimum fuisse primum diem, si lux tantùm corporea in eo creata est. Subdit Dionysius: Hoc est illud lumen, tametsi tunc non erat figuratum, quod dixit Divinus Moses distinxisse illud primum dierum nostrorum triduum.

S. Gregorius Nyssenus corpoream sanè lucem prima die a Deo conditam intellexit, qui hanc ignem esse censuit, qui ex informi & confusâ mole, Dei nutu & imperio digeri cœpta, levitate suâ exilierit, splendoreque suo omnia repentè collustrarit. Ejus verba subjicio Libro in Hexaëmeron: Quando (inquit) conditus est orbis universus antequam singulæ partes ipsius apparerent, tenebris totus obtegebatur, quia splendor ignis, qui sub materiæ particulis latitabat, nondum effulserat. Etenim quemadmodum silices in tenebris obscuræ jacent, licèt vim lucidam atque illustrantem naturaliter in se contineant, quippe quæ pariant ignem, si inter se collidantur; scintillâ verò ab ipsis prolatâ, splendore illius ipsæ quoque cernuntur: Sic obscura cæcaque erant omnia, priusquam perlucida atque illustrans natura in apertum proferretur. Nam cùm uno divinæ voluntatis motu nuper indistincta rerum universitas simul extitisset, omniaque elementa inter se concreta permixtaque essent, ignis qui ubique disseminatus erat, obscurus jacebat, materiæque impotentiâ supprimebatur. Verùm quoniam vis ejus velox atque agilis est, simul atque rerum natura ad Mundi constitutionem a Deo motus, principium atque incitatio adhibita est, ante illa omnia, quæ graviora sunt, exiliens lumine cuncta statim illustravit. Et infra: Sic igitur etiam tunc antevertit, & celeritate mobilitateque suâ vis illuminandi a rerum universitate secessit, seque ipsam ab aliis naturis sejunxit, atque ita splendidâ illius potentiâ illustratus est orbis. Quâ autem ratione hæc effecerit ignis natura, solius Dei est explicare, qui naturæ vim inseruit illuminandi atque illustrandi: Quod Scripturâ suâ magnus etiam Moses testatur, cùm ait: Dixit Deus, Fiat lux. Secundùm S. Gregorii Nysseni sententiam lux primigenia merum accidens non erat, sed corpus, nimirum elementum ignis. Eadem est S. Joannis Damasceni sententia Lib. 2. De Fide Orthodoxâ.

S. Basilius Homiliis 2. & 6. in Hexaëmeron, lucem primo die conditam verum accidens, veramque qualitatem sensibilem fuisse censet, absque subjecto primùm consistentem, sed in Solem postea quartâ procreatum die transfusam. In quo Systemate Ruperti objectio evanescit, opus triduo duntaxat daturum, & mox interiturum, a Deo primâ die conditum ajentis, si de luce corporeâ hęc verba intelligantur: Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Verba S. Basilii subjicio, Homiliâ 2. Tum (inquit) fiebat dies, cui cedenti nox vicissim succedebat: non quidem secundùm motionem Solis, sed primigeniâ illâ luce suum splendorem diffundente, seque rursum contrahente; idque pro mensurâ a Deo definitâ. Homiliâ verò 6. Quæstionem hanc proponit: Si lucis ortus Solem anticipavit: Cur nunc Sol ut luceat super terram exortus dicitur? Hæc minimè pugnare respondet. Tunc enim, inquit, ipsa natura lucis producta est; Nunc autem hoc solis corpus eò conditum est, ut illi primogenitæ luci vehiculum esset. Neque verò incredibile est, lucem illam primigeniam absque subjecto copore extitisse, ait S. Basilius. Res quidem omnes compositæ sic a nobis dividi solent, in ipsam essentiam susceptricem, & in eam quæ ipsi accidit qualitatem. Quæ etsi cogitatione solâ separemus, sejungi tamen possunt potentiâ Creatoris utriusque naturæ: ut olim comburendi vis ab igne disjuncta est in rubo ardente, & in fornace Babylonicâ, quando tres pueri in illam injecti sunt. Nil mirum ergo, quòd lux a Sole separata extare potuerit potentiâ Creatoris, & subinde in corpus solare transfundi. Eamdem tenet sententiam Auctor Expositionis Fidei, quæ sub S. Justini nomine edita est.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione in Novam Dominicam, quæ est 43. eamdem interpretationem amplectitur. Conveniebat [inquit] Magno Lumini opificium suum a lumine auspicari, quo tenebras vastamque illam rerum congeriem, & confusionem omnia occupantem solvit ac depulit. Nec verò id organicum a principio, nec, meâ quidem sententiâ, solare protulit, verùm incorporeum & Solis expers: Sed postea ad orbem terrarum illustrandum Soli traditum est. Nam cum in aliis rebus hanc rationem tenuisset, ut materiam priùs conderet, ac deinde eam formâ convestiret, ordine videlicet ac figurâ, magnitudineque unicuique rei impositis; Hic ut majoris cujusdam miraculi specimen ederet, formam materiâ priorem protulit [Forma enim solis, lumen est] ac postea materiam induxit, Solem hunc nimirum diei oculum fabricatus.

S. Ambrosius Lib. 1. Hexaëmeron, cap. 19. Erat quidem [inquit] Deus ipse in lumine, quia lucem habitat inaccessibilem, & erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed eam lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Qui ędificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat, explorat: & ea prima est gratia, quę si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux est, quæ reliquos domûs commendat ornatus. Fiat, inquit, lux. Plena vox luminis, non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturę Opifex lucem loquutus est, & creavit.

Lucem corpoream pariter interpretantur Theodo-

*doretus* Interrogatione 7. in Genesim, *Julius Africanus*, *Beda* & *S. Thomas*. Sed hanc lucem Solis ipsius cum Cælo conditi qualitatem dotemque fuisse censet Doctor Angelicus. Solem, inquam, habentem, dumtaxat vim illuminandi in communi, quæ deinde ad particulares effectus determinata fuerit. (I. P. Quæst.67. Art.4. in Responsf. ad secundam objectionem) Denique hanc expositionem de corporeâ luce primo Mundi die creatâ Ecclesia amplexa est, quæ Dominicâ die ita canit:

*Lucis Creator optime,*
*Lucem dierum proferens,*
*Primordiis lucis novæ*
*Mundi parans originem.*

III. Cæterùm *S. Augustinus* interpretationi suę non adeo tenaciter adhæsit, ut aliorum de corporeâ luce expositionem planè repudiaret, aut improbabilem censeret, aut illam de Luce spirituali indubitanter assereret: Sed Regulâ illâ plurimum usus est in Scripturæ Sacræ locis interpretandis, quorum obscuritas varios parit sensus, quam ipse præscripsit Lib.1. De Genesi ad literam, cap.18. *In rebus obscuris, atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam Divina legerimus, quæ possint salvâ fide quâ imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si fortè diligentiùs discussa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus: Non pro sententiâ Divinarum Scripturarum, sed pro nostrâ ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potiùs eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Idque se opere implevisse in Commentariis Libri Geneseos testatur, cap.20. ejusdem Libri primi. *Ad hoc enim considerandum & observandum*, inquit, *Librum Geneseos multipliciter, quantùm potui, enucleavi, protulique sententias de verbis ad exercitationem nostram obscurè positis, non aliquid unum temerè affirmans cum præjudicio alterius expositionis fortasse melioris, ut pro modulo suo eligat quisque quod capere possit: Ubi autem intelligere non potest, Scripturæ Dei det honorem, sibi timorem.*

## SCHOLION.

Moysen disertis expressisque verbis Angelorum creationem non commemorasse, Theologi & Scripturæ Sacræ Interpretes quidam ajunt, ne Judęi ad idololatriam propensi, Angelos ut numina colerent. Quæ certè ratio non convincit; cum nihil conducibilius sit ad persuadendum divinos honores Angelis deferendos non esse, quàm illorum creatio. Ob hanc igitur rationem a Moyse prætermissa non est, sed quòd aspectabilis duntaxat mundi creationem describere instituisset. In trium puerorum Hymno apud Danielem Angeli inter opera Dei expresse memorantur: *Benedicite omnia opera Domini Domino... Benedicite Angeli Domini Domino.*

## ARTICULUS II.

### De Opere Secundæ Diei.

### PROPOSITIO I.

*Quid Firmamenti nomine, quod secundâ die conditum est, Moses intellexerit, an Cælum Sydereum, an intervallum Aëris, in quo nubes coguntur, Cælum inter & Aquas inferiores oppansum, haud liquido constat.*

I. Opus secundæ diei his verbis a *Mose* descriptum est: *Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum; & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab iis quæ erant super firmamentum; & factum est ita: Vocavitque Deus firmamentum Cælum.* Quid verò firmamenti nomine in illâ Mosis narratione significetur, non convenit inter Patres, & Ecclesiasticos Tractatores. Aliqui idem Cælum, quod in exordio Libri Geneseos conditum dicitur, secundâ die commemorari censent, quo novum ipsi attributum sit officium dirimendi aquas superiores ab inferioribus. Ea est *S. Joannis Chrysostomi* sententia Homiliâ 4. in *Genesim*, *Severiani Gabalitani* Oratione 2. *S. Thomas* hanc probabilem censet, eamque Interpretes non ignobiles recentioris ætatis amplectuntur.

Alii Cælum Sydereum secundâ die creatum putant, scilicet *S. Basilius* Homiliâ 3. in Hexaëmeron. *S. Gregorius Nyssenus* Lib.1. contra Eunomium, *S. Ambrosius* Lib.2. in Hexaëmeron, cap. 4. *Theodoretus* Quæstione 11. in Genesim, cujus hic titulus est: *Sitne unum Cælum, an duo?* Ad quam ita respondet: *Cùm scriptura Divina doceat, in principio Deum creasse Cælum & Terram, deinde post lucis creationem secundâ die dicat firmamentum factum esse, inscitiæ plena videtur esse hujusmodi Quæstio. Oportebat enim ex temporis ratione, & ipso creationis modo Calorum diversitatem nosse, & unum Luce prius, alterum verò post Lucem: & illud quidem non ex aliquâ aliâ materiâ, hoc autem ex aquis creatum esse. Nam, inquit*, Fiat firmamentum „ in medio aquæ, & sit discernens inter aquam „ & aquam. *Deinde cùm dixisset quod verbum res secuta est, hoc enim illa significant*: Et factum est „ ita: *Tum postea docet quomodo facta sit*. Et fecit, „ *inquit*, Deus firmamentum, divisitque aquas „ quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant „ super firmamentum. Vocavitque Deus firma„ mentum Cælum. *At prius Cælum non est appellatum firmamentum, sed Cælum ab initio vocatum est. Hoc enim ab ipsâ re sortitum est appellationem. Siquidem cùm ex aquarum fluidâ substantiâ compositum sit, & natura fluida condensata, & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est. Deinde quia sursum collocatum est, prioris Cæli usum commodo nostro perficiens, Cæli nomen sortitum est... Qui igitur non credit secundum esse Cælum, extra semitam rectam incedit: Qui verò plures numerare conatur, adhæret fabulis, postpositâ Divini Spiritûs doctrinâ. Pluraliter autem Divina Scriptura Cælos nuncupat, dicens*, Cæli Cælorum: *Quoniam Hebraica lingua neque Cælum, neque aquam singulari numero novit appellare.*

Alii Patres & Interpretes firmamenti nomine totam hanc regionem, quæ a terrâ & aquis ad extremam usque Mundi oram ac determinationem porrigitur, intelligendam volunt: Idque Scripturam ipsam persuadere, quæ hoc ipsum, quod hic

Cælum & firmamentum vocatur, aërem esse non raro significat. Velut cùm ait: *Qui operit Cælum nubibus. Triste & rubicundum Cælum*: & passim *Volucres Cæli* appellat. *Mosem* communibus cùm verbis, tum verborum notionibus usum. Vulgo autem Cælum ita sumi. Quare plebejo penè sermonis usu sic etiam *Mosem* Cæli & firmamenti vocabula sumpsisse: Ut cum *Volatile* dicit *volare super faciem*, aut *in facie firmamenti Cæli*, ut Hebræa ferunt, secundùm Versionem *Sanctis Pagnini*, Samaritanus Codex, & Syriaca Versio: Idest, super firmamenti partem illam, & in illâ quam aërem dicit. Huic sententiæ favet *S. Hieronymus* Epistolâ 83. ad Oceanum: *Inter Cælum & Terram*, inquit, *medium extruitur firmamentum: & juxta Hebraici sermonis ἐτυμολογίαν, Cælum, id est*, Samaim, *ex aquis sortitur vocabulum: & aquæ, quæ super Cælos sunt, in laudes Dei separantur. Unde & in Ezechiele Prophetâ, crystallum super Cherubim videtur extensum, id est, compacta & densiores aquæ.* Eamdem interpretationem probat *S. Augustinus* Lib. 11. De Genesi ad literam, cap. 4. *Laudabiliter*, inquit, *conatus est quidam demonstrare aquas super Cælos, ut ex ipsis visibilibus conspicuisque naturis assereret Scriptura fidem. Et priùs quidem, quod facillimum fuit, ostendit & hunc aërem Cælum appellari, non solùm sermone communi, secundùm quem dicimus serenum vel nubilum Cælum; sed etiam nostrarum ipsarum consuetudine Scripturarum, cùm dicuntur* Volatilia Cæli, *cùm aves in hoc aëre manifestum sit volare. Et Dominus cùm de nubibus loqueretur*: Faciem, *inquit*, Cæli potestis probare. *Nubes autem etiam per proximum terris aërem conglobari sæpè cernimus, cùm per declivia jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacuminibus montium. Cùm ergo probasset hunc aërem Cælum dici, nullâ aliâ causâ etiam firmamentum appellatum voluit existimare, nisi quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas, quæ corpulentiùs in terris fluitant. Ergo ex aëre, qui est inter vapores humidos, unde superiùs nubila conglobantur, & maria subterfusa, ostendere ille voluit esse Cælum inter aquam, & aquam. Hanc ergo diligentiam considerationemque laude dignissimam judico. Quod enim dixit, neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.*

Psal. 146.

Matth. 16.

Ezech. 1.

II. Hanc sententiam juvare poterat illud *Isaiæ* 51. secundùm Versionem Septuaginta Interpretum: *Qui firmavit Cælum sicut fumum*: Quod aëri ob tenuem fluidamque naturam convenit. Verùm & Cælo, quod fluidæ naturæ Philosophorum plures censent, & Patrum etiam plerique id pariter convenire dici posset. Quamobrem longè diversa est istius loci ex Hebræo sententia, quam Vulgatus Interpres ita reddidit: *Cæli sicut fumus liquescent*; hoc est, *deficient*. Sive juxta Aquilam & Symmachum: *Comminuentur in nihilum, & in salis modum conterentur, & evanescent*, ut observat S. *Hieronymus* in Commentario, ubi & mirari se dicit, quòd Septuaginta ita verterint. *Si enim firmitas pro robore accipitur, quomodo fumo quod firmum est comparatur?*

At alii respondent, Aërem στερέωμα vocari a Septuaginta Interpretibus, id est *firmamentum*, non propriâ naturæ conditione quæ fluxa & labilis est; sed ab effectu, quod perinde aquas separet, ac si murus esset solidissimus atque firmissimus. Quo sensu & illud *Job.* 37. accipi volunt: *Tu forsan cum eo fabricatus es Cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt?* Sive ut Hebraicus Textus præsefert, secundùm Sanctis Pagnini Versionem; *Fortes & quasi speculum fusum*. Et tamen Hebraicam vocem, quam Vulgatus Interpres, *Pagninus*, & alii *Cælos* reddiderunt, alii Hebraicè etiam peritissimi propriè *nubes* vel *aërem* significare observant. Et Paraphrasis Chaldaica habet: *Extendisti cum eo æthera valida, quorum aspectus sicut speculum fusile*; nimirum quòd Cæli pellucidi sint, ac velut sapphirini. Hebræum vocabulum, quod Interpres noster *firmamentum* reddit, *expansionem* significat, ut Viri linguæ sanctæ periti dudum observarunt. Id autem convenire vastæ illi aëris intercapedini, quæ a terra & aquis ad Cælum usque porrigitur, nemo non novit.

III. Unum est quod majorem hac in sententia difficultatem facessit; quòd verisimile non sit *Mosem* aliter usurpasse firmamenti nomen inferiùs, ubi opus quartæ diei describit, & hìc ubi opus diei secundæ commemorat. Porrò evidens est, ipsum in descriptione operis quartæ diei Cælum sydereum, non aërem firmamenti nomine significare, cùm ait: Solem, Lunam, & reliqua Sydera in firmamento posita ut terram illuminarent. *Fecitque Deus duo luminaria magna: Luminare majus ut præesset diei, & Luminare minus ut præesset nocti: & Stellas. Et posuit eas in firmamento Cæli, ut lucerent super Terram.* Sed alterius expositionis vindices ab eâ difficultate se expediunt, responsione duplici. Vel enim Luminaria & Sydera in firmamento Cæli, id est in aëre, posita dicunt, quia per ipsum hominum oculis sunt exposita & aspectabilia: Nam ut ætherea illa regio magis minusve serena & pura fuerit, clariùs vel obscuriùs jubar ac splendorem suum hominibus ostentant. Vel *Mosem*, Hebræâ voce *Raquiah*, expansionem significante, regionem illam designasse, quæ ad summa Sydera porrigitur, quousque oculorum acies pertingere potest. Neque enim judicio sensuum, nec vulgi existimatione, spatium in quo volvuntur Sydera superiori ab aëris regione discerminatur. Itaque *Mosem* narrationem suam demisisse, & accommodasse ad opinionem sensumque vulgi, existimantis Solem, & Lunam, & reliqua Sydera per hoc spatium vagari, cursusque suos conficere. Quod autem *Moses* popularibus cùm verbis, tum verborum notionibus usus sit, ex eo probant, quòd opus quartæ diei commemorans, Lunam appellaverit Luminare magnum. *Fecitque Deus*, inquit, *duo luminaria magna*: Cùm certis argumentis demonstrent Mathematici, Lunam Syderibus plurimis esse magnitudine longè inferiorem.

---

### PROPOSITIO II.

*Etsi Firmamenti nomine Cælum Sydereum intellexeris, supra illud veras aquas admittere oportet, Scripturâ Sacrâ, Patribusque persuadentibus.*

I. Firmamento munus illud a Deo attributum est, ut superiores aquas ab inferioribus dirimeret, secundùm illud: *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum.* Nomine autem aquarum vel Angelos, vel aquas pluvias intelligere Scriptura vetat, siquidem & in Cantico trium Puerorum, & Psalmo 149. seorsim ab Angelis & ab imbribus ad laudem Domini aquæ invitantur, quæ super Cælos sunt. *Benedicite Angeli Domini Domino; Benedicite Cæli Domino: Benedicite aquæ omnes quæ super Cælos sunt Domino: Benedicite Sol & Luna Domino; Benedicite Stellæ Cæli Domino: Benedicite omnis imber & ros Domino .... Laudate Dominum de Cælis ... Laudate eum omnes Angeli ejus ... Laudate eum Sol & Luna: Laudate eum omnes Stellæ & lumen. Laudate eum Cæli Cælorum; & aquæ omnes, quæ super Cælos* Daniel. 3.

*los sunt .... Laudate Dominum de terrâ, &c. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum.*

II. *S. Basilius* Homiliâ 3. in *Hexaëmeron*, *Origenem* & alios tacito nomine refellit, qui aquas superiores non vero ac simplici sensu a *Mose* dictas intellexerunt, sed figuratè & allegoricè. *Nobis verò* (inquit) *adversus quosdam, qui stetisse ab Ecclesiâ videntur sermo habendus interim est de aquis a se disparatis. Et quidem isti prætextu anagogici sensûs, & sublimioris intelligentiæ ad allegorias se transferunt ac suffugiunt, asserentes Virtutes quasdam spirituales & corporis expertes tropicè significari per aquas. E quibus præstantiores ajunt in loco superiore constitisse supra firmamentum; infra autem in terrenis ac materialibus locis deteriores subsedisse. Idcirco dicunt, & eas aquas, quæ super Cælum sunt collocatæ, Deum laudare, id est, probas illas Essentias, quæ dignæ sunt ob mentis puritatem, decentem accommodatamque reddere laudem Creatori. Aquas autem eas quæ sub Cælis desederunt, esse spiritualia nequitiæ a naturali sublimitate in imam totius improbitatis voraginem delapsa. Has improbas mentes ut turbulentas, ut seditiosas, ut affectuum perturbationumque procellis fluctuantes exæstuantesque, Maria nuncupatas fuisse asserunt, propter mutationis facilitatem & instabilitatem motuum animi ac voluntatis. His igitur & ejus generis sententiis, ut quæ somniorum conjecturis & anilibus fabulis conferendæ veniunt, relegatis, aquam nos ut aquam intelligamus.*

III. *Origenis* interpretationem refellit pariter *S. Epiphanius* Epistolâ ad *Joannem Hierosolymitanum* Episcopum. *Illas verò præstigias quis non statim abjiciat, atque contemnat, dicente Origene de aquis, quæ super firmamentum sunt, non esse aquas, sed fortitudines quasdam Angelicæ potestatis, & rursum aquas quæ super terram sunt, hoc est, sub firmamento, esse Virtutes contrarias, id est, Dæmones, & quomodo legimus, in diluvio apertas cataractas Cæli, & aquas inundasse diluvii? Unde aperti sunt fontes abyssi, & totus mundus opertus est aquis? O furor hominum junctus stultitiæ!*

*Apud S. Hieron. Epist. LX.*

IV. S. *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 9. Cælum ex aquâ constare, & ignea corpora Solem, Lunam ac Stellas, in aquis moveri censet. Dixit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum. Semel dixit Deus, & stetit, neque deinceps decidit aqua. Cælum & ignei in ipso Sol, & Luna, & Sydera. Et quomodo ignea in aquâ currunt? Quod si quis de hoc propter naturas contrarias dubitat, recordetur ignis illius in Ægypto, tempore Mosis exurentis in grandine, & consideret sapientissimum Dei opificium. Cùm enim propter agriculturam opus esset aquis, constituit aquas supra Cælos, ut cùm terra pluviarum irrigatione indiget, paratum sit ad hoc Cælum.*

V. *Severianus* Gabalorum Episcopus Oratione 2. De Mundi Creatione, cùm firmamentum ex eo nominatum dixisset, quòd *ex rariore ac dissolutâ* aquarum substantiâ Deus illud firmaverit, subdit Aquas bifariam fuisse divisas, ac dimidium earum supra Cælum collocasse Deum. *Quia enim* inquit, *Solis flammam & Lunæ Syderumque immensam multitudinem excepturum, ne nimio calore solveretur ac exureretur, substravit Cæli convexo aquarum illa æquora, quibus quasi impinguaret atque liniret, ut in eum modum incendio illi resisteret, nec illo cremaretur. Nec verò exemplum deest: Velut enim si lebetem igni imponas, eique aquam injeceris, igni resistit: Sin autem illa desit, dissolvetur: Sic & Deus igni adversariam aquam commisit, ut Cælo ex aquis ejus convexa linientibus abundè suppeteret, quò duraret ac incolume foret.* Addit ex illâ aquarum immensitate Cælum terræ commodare. Hinc enim rores existere, cùm neque nubes sit usquam, nec aër aquam habeat. Ex quo colligit, Cælum ex eo quod abundat terræ distillare. In eâdem sententiâ est Auctor Quæstionum ad Orthodoxos inter *S. Justini* Opera, in responsione ad quęstionem 93.

VI. *S. Ambrosius* Libro 2. in *Hexaëmeron*, cap. 3. refellit eos, qui aquas super Cælos esse negant, dicentes rotundum esse orbem illum Cæli, cujus in medio terra sit, & illo circuitu aquam stare non posse. *Quasi verò* (inquit) *ut concedam illis quod postulant, & secundùm eorum opiniones illis respondeam, negare possint in illâ altitudine & profundo & longitudinem esse, & latitudinem, quam nemo potest comprehendere, nisi is qui impletur in omnem plenitudinem Dei* [*ut Apostolus ait*] *Quis enim potest facilè esse divini operis æstimator? Est ergo latitudo in ipsâ Cæli altitudine. Sunt etiam,* [*ut de his dicamus quæ scire possumus*] *pleraque ædificia intus rotunda, quibus superiora sunt plana, in quibus aqua hærere soleat. Quæ tamen ideo dicimus, ut advertant opiniones suas opinionibus verisimilibus revinci posse: & desinant tantum opus Dei humanæ operationis, & nostræ possibilitatis contemplatione metiri. Nos autem Scripturarum seriem atque ordinem sequimur, & opus contemplatione æstimamus Auctoris, & quid dictum sit quærimus, & quis dixerit, & cui dixerit.*

„ Fiat, *inquit*, firmamentum in medio aquæ, & „ sit discernens inter aquas. *Audio firmamentum fieri per præceptum quo divideretur aqua, & ab inferiore superior discerneretur. Quid hoc manifestius? Qui jussit discerni aquam interjecto & medio firmamento, providit quemadmodum divisa atque discreta manere possit. Sermo Dei, virtus naturæ est, & diuturnitatis substantia quoad usque velit eam manere, qui statuit, sicut scriptum est:* Statuit ea „ in seculum seculi, præceptum posuit, & non „ præteribit. *Et ut scias quia de istis aquis hoc dixit, quas tu negas posse in superioribus Cæli esse, audi superiora:* Laudate eum Cæli Cælorum, „ & aquæ quæ super Cælos sunt, laudent no„ men Domini. *Nonne quasi adversanti tibi dixit:* „ Quoniam ipse dixit & facta sunt: ipse manda„ vit & creata sunt: Statuit ea in seculum se„ culi, præceptum posuit, & non præteribit? *An non videtur tibi Auctor idoneus, qui legem suo operi daret? Cùm hæc audis, quid miraris, si supra firmamentum Cæli potuit tantæ Majestatis operatione unda suspendi? De aliis hæc collige, de iis quæ viderunt oculi hominum, quomodo ad Judæorum transitum, si rationem quæris, se unda diviserit. Non solet hoc esse naturæ, ut aqua se discernat ab aquâ, & in profundo interfusiones aquarum sine medio separentur. Nonne potuit etiam aliter Hebræum populum liberare? Sed tibi voluit ostendere, ut eo spectaculo etiam ea quæ non vidisti, æstimares esse credenda. Jordanis quoque reflexo amne in suum fontem revertitur. Hærere aquam cùm labitur, rursumque redire in superiora sine ullo repagulo, impossibile habetur. Sed quid impossibile ei, qui dedit posse quibus voluit? Dicant certè quemadmodum aër cogatur in nubem, utrùm pluvia nubibus generetur, an sinu nubium colligatur. Videmus plerumque exire nubes de montibus. Quæro utrùm de terrâ ascendat aqua, an ea quæ super cælos est, largo imbre descendat? Si ascendit, utique contra naturam est, ut ascendat in superiora, quæ gravior est, & portetur aëre, cùm aër subtilior sit. Aut si conciti orbis totius motu rapitur, ita summo orbe diffunditur. Si fundi, ut volunt, non desinit, rapi utique non desinit: Quia sicut axis Cæli semper movetur, & aqua movetur, & aqua semper hauritur. Si descendit, manet ergo jugiter supra cælos, quæ habet unde descendat. Deinde quid obstat, si confiteantur,*

*quia aqua supra cælos suspensa sit? Nam quo verbo dicunt terram in medio esse suspensam, & immobilem manere, cùm utique gravior sit, quàm aqua: eâ ratione possunt dicere non præcipitari aquam orbis illius cælestis conversione, quæ super cælos est. Sicut enim terra inani suspenditur, vel pondere librato undique immobilis perseverat: Ita & aqua aut gravioribus aut aquis cum terrâ ponderibus examinatur. Ideoque non facilè superfunditur Mare terris, nisi cum jubetur exire. Deinde cùm ipsi dicant volvi orbem cæli stellis ardentibus refulgentem, nonne divina providentia necessariò prospexit, ut intra orbem cæli, & supra orbem redundaret aqua, quæ illa ferventis axis incendia temperaret?*

VII. *S. Augustinus* Libro 2. De Genesi ad literam, cap.4. probat. *Non impedire propria pondera elementorum, quo minùs etiam super illud sublime cælum possint esse aquæ per illas minutias, per quas etiam super hoc spatium aëris esse potuerunt: qui quamvis gravior & inferior summo cælo subjaceat, proculdubio levior est aquis, & tamen ut super eum sint vapores illi, nullo pondere prohibentur. Sic ergo & super illud cælum potest minutioribus guttis levior halitus humoris extendi, qui pondere cadere non cogatur.* Cap.5. Aliorum opinionem commemorat, qui aquarum naturam supra cælestes orbes *non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate* pendunt. Subdit demum: *Quoquo modo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus: Major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.*

Et Libro 11. *De Civitate Dei*, cap.34. *Sed hi* (inquit) *qui nomine aquarum quæ super cælos sunt, Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum moventur, & ideo non putant aquarum fluidam gravemque naturam in superioribus Mundi locis potuisse constitui: Qui secundùm rationes suas si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam, quod Græcè φλέγμα dicitur, & tanquam in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim sedes est phlegmatis, secundùm Dei opus utique aptissimè: secundùm istorum autem conjecturam tam absurdè: ut si hoc nesciremus, & in hoc libro similiter scriptum esset, quòd Deus humorem fluidum & frigidum, ac per hoc gravem, in superiore omnibus cæteris humani corporis parte posuerit, isti trutinatores elementorum nequaquam crederent. Etsi auctoritati ejusdem Scripturæ subditi essent, aliquid aliud ex hoc intelligendum esse censerent.*

VIII. *Theodoretus* Interrogatione 11. in Genesim veras aquas supra cælum etiam agnoscit. *Bifariam autem* (inquit) *Deus omnium divisit aquarum naturam: & quasdam sursum firmamentum collocavit, quasdam deorsum reliquit: Ut superiores illæ suâ humiditate atque frigiditate non sinerent corrumpi firmamentum ab igne luminarium: Reliquæ verò quæ deorsum remanserunt, suis vaporibus aërem foveant exustum & exsiccatum ab igne superiore.*

IX. *Marius Victor* Lib.1. eleganti Carmine hanc sententiam exponit:

*Rursus mane novum primo jam vespere pulso:*
*Reddita lux fecit; cùm se firmissima moles*
*Fluctibus e mediis concreto corpore cedens*
*Extulit: ac latè duro solidata rigore,*
*Divisas suspendit aquas: gelidumque profundum*
*Axibus objecit calidis.....*
*Forsitan hic aliquis sic secum errore perito*
*Differat: Æthereis ne desint pabula flammis:*
*Et nimius calor ima petens, alimenta sequendo,*
*Exurat mortale genus, cælumque corusum*
*Non possint terrena pati, subjecta deorsum est*
*Machina firma poli, quæ dum nos protegit umbrâ,*
*Interea super impositis frigescit ab undis.*
*Numinis at verò divini quærere causas*
*Mens fuge nostra procul. Plus sit tibi credere semper*
*Posse Deum quicquid fieri non posse putatur.*

Quæ ex Philosophorum placitis, & ex aquarum nativâ gravitate contra Patrum sententiam in Scripturâ Sacrâ fundatam objici possent, ex his quæ dicta sunt facilè diluuntur: & ex hac S. *Augustini* sententiâ Libro 26. contra *Faustum*, cap.3. *Deus autem Creator & Conditor omnium naturarum nihil contra naturam fecit: Id enim erit cuique rei naturale quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ.*

## SCHOLION.

Firmamentum, secundùm sensum spiritualem, S. Augustinus interpretatur Scripturam Sacram: aquas superiores, Angelos: aquas inferiores, homines. *Aut quis*, inquit, *nisi tu Deus noster, fecisti nobis firmamentum auctoritatis super nos in Scripturâ tuâ Divinâ? Sublimioris enim auctoritatis est, cùm jam obierunt istam mortem illi mortales, per quos eam dispensasti nobis .... Non novi alia tam casta eloquia, quæ sic mihi persuaderent confessionem, & lenirent cervicem meam jugo tuo & invitarent colere te gratis. Intelligam ea, Pater bone, da mihi hac subterposito, quia subterpositis solidasti ea. Sunt aliæ aquæ super hoc firmamentum, credo immortales, & a terrenâ corruptione secreta. Laudent nomen tuum, laudent supercælestes populi Angelorum tuorum, qui non habent opus suspicere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt: Semper legunt, & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum, quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum, quia super hoc firmamentum ordinasti eos, quod firmasti super infirmitatem inferiorum populorum, ubi suspicerent & cognoscerent misericordiam tuam, temporaliter enuntiantem te, qui fecisti tempora. In cælo enim Domine misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes. Transeunt nubes, cælum autem manet. Transeunt Prædicatores verbi tui ex hac vitâ in aliam vitam: Scriptura verò tua usque in finem sæculi super populos extenditur.*

*S. August. Lib. 13. Confess. c. 15.*

## ARTICULUS IV.

### De Opere tertiæ diei.

### *PROPOSITIO I.*

*Aquarum inferiorum in sua conceptacula collectio, ipsarum condensatione, quæ antea rariores erant & in nubem attenuatæ: & immensis receptaculis alveisque ad eas excipiendas & continendas excavatis, facta intelligi verisimiliter potest: & Maris etiam supra terram eminentiâ explicari.*

I. Varias illas explicandi primariam aquarum congregationem rationes SS. Patres, & Interpretes doctissimi habuerunt; hanc unus, illam alter, plures nonnulli; singulas scilicet ad divini operis admirabilitatem explicandam accommodas. *S. Basilius* Homiliâ 4. in Hexaëmeron, triplicem illam probasse videtur. Ait enim his Dei verbis: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum:* Vim aquæ inditam fuisse per decli-

clive labendi, & suopte pondere deorsum tendendi. *Scito*, inquit, *hoc a primâ illâ Dei voce dependere. Illinc enim primaria ad cursum motio indita est aquis. Ad omnem de aquis commemorationem, primæ illius vocis immemor ne esto*, Congregentur aquæ. *Oportebat eas decurrere, suum ut occuparent locum: dein locis sibi naturâ definitis restituta, in ipsis ut persisterent, nequaquam ultra progressura*. Id autem intelligi & explicari non potest, nisi aqua primum super terram instar vaporis & nebulæ diffusa, tertiâ die densata sit, eâque crassitudine ac gravitate impetum ad depressiora labendi consecuta. Si enim primùm, æquè spissa fuisset, gravitate non caruisset, a quâ motus ille per devexa ac deorsum oritur. Pergit *S. Basilius*, & ex maris supra Terram eminentiâ futurum esse ait, ut terram, & quæ in eâ manent ac spirant, inundaret, atque obrueret, nisi divini mandati velut fræno quodam coërceretur, ne fixos a Deo limites transcenderet. *Nam quòd fluant aquæ* ( inquit ) *Dei imperium causa est: Maris itidem intra suos fines circumscriptio a primariâ illâ divinæ Legis sanctione pendet*, Congregentur aquæ unum in locum. *Ne e locis quæ ipsam susceperant, affluens fusim exundaret, transcenderet semper, atque ita ex aliis alia impleret loca, ac totam hoc pacto continentem terram stagnantibus tandem undis & alluentibus involveret; jussa est in unum se colligere locum. Idcirco furens ventis sæpenumero Mare, atque ad immensam altitudinem se attollens vi fluctuum, ubi litora solùm attigerit, eo impetu mox in spumam dissoluto, retrolabitur:* An me non timebitis, dicit Dominus, qui posui arenam terminum Mari? *En Mare res planè suâ vi intoleranda, re tamen omnium invalidissimâ, nempè arenâ franatur ac coërcetur. Alioqui quid prohiberet Mare Rubrum suâ exundante alluvie irrumpere in universam Ægyptum, quæ ipso Mari tantò est concavitate depressior, seque Mari quod Ægypto adjacet, conjungere, nisi Creatoris præcepto, tanquam compedibus astrictum coërceretur?* Denique de conceptaculis aquarum in terrâ divino imperio tunc excavatis hæc habet: *Nemo proinde dicat: Si aqua terræ superficiem operibat, prorsus consequi videtur omnes omnino concavitates, quæ nunc Maria susceperunt, refertas fuisse aquis. Quò igitur aquæ properabant, sese unum in locum collectura, concavis omnibus præoccupatis? Huic enim ipse dixerim, tum receptacula earum aquarum capacia adornata fuisse, cùm in unam collectionem cogendæ venirent & secernendæ. Neque enim tunc erat jam Mare illud, quod trans Gades est externum, non item vastum illud & nautis inaccessum Pelagus, quod Britannicam Insulam, & Occidentales Iberos amplectitur: Sed amplo tunc capacique conceptaculo præcepto Dei creato, ad illud aquarum copiæ confluxerunt*.

II. *S. Basilii* commentationi gemina est *S. Ambrosii* interpretatio Lib.3. Hexaëmeron, cap.2. *Vox Dei*, inquit, *efficiens natura est. Eam vocem effectus operationis implevit. Cœpit labi aqua, & in unam confluere congregationem, quæ ante erat diffusa per terras, & plurimis receptaculis inhærebat. Cursum ejus ante non legi, motum ejus ante non didici; nec oculus meus vidit, nec auris audivit. Stabat aqua diversis locis, ad vocem Dei mota est*. Hæc ille de motu aquarum, qui tum primò ipsis datus vix aliter concipi potest, quàm supponendo tunc densatas fuisse & spissatas, quæ antea instar nebulosæ voraginis totam terræ superficiem contegebant. Subdit *S. Ambrosius*, præcepto Dei factum esse, ut Mare, quamvis supra terram eminens, suis se finibus contineret. *Circumscripta*, inquit, *imposito fine Maria clauduntur, ne superfusa terris inundent omnia, & destituto arvorum cultu, munus terrenæ fœcunditatis impediant. Cognoscunt igitur divini esse præcepti, operationisque cœlestis. Ait enim Dominus ad Job per* „ *nubem inter alia etiam de Maris claustro:* Posui „ ei fines, apponens claustra & portas. Dixi au- Job.38.
„ tem ei: Usque huc venies, nec transgredieris, „ sed in te ipso conterentur fluctus tui. *Nonne ipsi videmus Mare frequenter undosum, ita ut in altum fluctus ejus tanquam mons aquæ præruptus consurgat, ubi impetum suum ad litus illiserit, in spumas resolvi, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum; secundùm quod scriptum est:* Aut non Jerem.5.
timebitis me, dicit Dominus, qui posui arenam fines Mari? ... *Caterùm nisi vis statuti cœlestis inhiberet, quid obstaret quin per plana Ægypti, quæ maximè humilioribus jacens vallibus campestris asseritur, Mare Rubrum Ægyptio Pelago misceretur? Denique docent hoc qui voluerunt sibi Maria connectere, atque in se transfundere*. Denique probabiliter dici posse, terram quibusdam suis partibus altiùs depressam & excavatam, ut aquæ receptacula præberet, *S. Ambrosius* docet: *Potuit Creator omnium* ( inquit ) *& ipsarum terrarum spatia diffundere: Quod aliqui ante nos confirmantes, propriam posuere sententiam. Ego quid facere potuerit, nunc prætermitto: Quid fecerit, quod apertè Scripturarum auctoritate non didici, quasi secretum prætereo, ne fortè etiam hinc alias sibi quæstiones requirant. Assero tamen secundùm Scripturas, quia potuit locorum humilia & camporum aperta dif-* Isai.45.
*fundere, sicut ipse ait:* Ego ante te ambulabo, & montes planos faciam. *Potuit etiam ipsa aquarum vis profundiora ea facere quæ insederat, tanto fluctuum motu, tantoque æstu concitatoris elementi, qui quotidie ima pelagi torquere, & arenas verrere soleat de profundo*.

III. Priores duas hunc Scripturæ locum explicandi rationes *S. Augustinus* Lib.1. *De Genesi ad literam*, cap.12. approbat. *Quò ergo*, inquit, *congregatæ sunt aquæ, si totam terram priùs occupaverant, illæ scilicet quæ detractæ sunt, ut terra nudaretur, in quam partem congregatæ sunt? Si enim erat aliquid nudum terræ, quo congregarentur, jam apparebat arida, nec totum abyssus occupabat. Si autem totum texerant, quis erat locus, quò colligerentur, ut terræ ariditas appareret? Nunquidnam in altum congregatæ sunt, sicut fit cùm ad ventilandum in areâ messis trita subrigitur, & congesta in aggerem nudat locum, quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit, cùm videat usquequaque campos Maris æquabiliter fusos, qui etiam cùm aquæ fluctuantis quidam velut Montes eriguntur, sedatis rursus tempestatibus complanantur? Et si quæ litora nudantur latiùs, non potest dici nulla esse alia terrarum spatia, quò accedat id quod aliunde decedit, unde in eum locum ex quo recesserat, iterum accedat. Cùm autem totam omnino terram undosa natura cooperiret, quò cederet, ut nudaret aliquas partes? An fortè rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione spissata est, ut ex multis eas partibus, in quibus arida posset apparere, nudaret? Quanquam & terra longè latèque subsidens, potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, unde humor abscederet*.

Utramque interpretationem *Beda* in Hexaëmeron suum ex *S. Augustini* Scriptis transfudit, & terram longè latèque subsedisse, & *rariores aquas fuisse primarias, quæ velut nebula terras tegerent*. Primævus aquarum status, earumque in locum unum Deo imperante coitio, egregiè describitur a *Davide*, Psalmo 103. Aquas enim ab initio usquequaque terræ superfusas docet his verbis *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus:* & immensam illam nebulosæ voraginis vastitatem ipsa montium altissimorum juga excessisse; *Super Montes stabunt aquæ*

*aquæ*. Tum divinæ Jussionis admirabili efficaciâ in unum confluxisse locum: *Ab increpatione tuâ fugient, a voce tonitrui tui formidabunt*. Terram longè latèque subsedisse, hinc altiùs depressam & excavatam, ut aquis receptacula præberet, quibus coërcerentur, inde in montes elatam, ut compensatio fieret aliqua. *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum quem fundasti eis: Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram*. Legatur S. *Thomas*, I. P. Quæst.69. Artic.1. ubi tertiæ diei Opus secundùm varias SS. Patrum expositiones expendit, eamque maximè probat, quæ Mare altius terrâ asserit, & aquarum collectionem in locum unum ita explicat: *Ut aqua in majorem altitudinem sint elevata in loco ubi sunt congregata*.

### PROPOSITIO II.

*Plantas & Arbores tertiâ die causaliter tantùm & in semine creatas probabile S. Augustino fuit: Aliis Patribus & Interpretibus meritò probabilius videtur, actu & reipsa stirpes omnes, atque sata jam grandia & matura prodiisse, cum fructibus ad usum aptis.*

I. Singularem illam sententiam suam S. *Augustinus* explicat Libro 5. De Genesi ad literam, cap.4. *Quid sibi vult* ( inquit ) *quod sequitur*: Cùm factus est dies, fecit Deus Cælum „ & Terram, & omne viride agri, antequam „ esset super terram, & omne fœnum agri an„ tequam exortum est? *Quid est hoc? Nonne quærendum est, ubi ea fecerit, antequam essent super terram, & antequam exorta sunt? Quis enim non proclivius crederet, tunc ea Deum fecisse, cùm exorta sunt, non antequam exorta sunt, nisi admoneretur hoc divino eloquio, ita Deum fecisse antequam exorirentur, ut si ubi facta sint, invenire non possit, credat tamen antè facta quàm exorta, quisquis huic Scripturæ piè credit, impiè quippe non credit. Quid ergo dicemus? An quod nonnulli putaverunt, in ipso Verbo Dei facta omnia, antequam exorirentur in terrâ? Sed si hoc modo facta sunt, non cùm factus est dies, sed antequam fieret dies, facta sunt*, &c. *Ubi ergo? An in ipsâ terrâ causaliter & rationaliter; sicut in seminibus jam sunt omnia, antequam evolvant quodammodo, atque explicent incrementa & species suas per numeros temporum?* Et infra: *Quomodo ergo antequam essent super terram exorirentur, quasi aliud eis fuerit fieri cum cælo & terrâ, quando factus est dies ille inusitatus atque incognitus nobis, quem primum Deus fecit, aliud autem exoriri super terram, quod non fit nisi per hos dies, quos circuitus Solis facit per temporum moras suo cuique generi accommodatas? Quod si ita est, diesque ille societas atque unitas supercælestium Angelorum atque Virtutum est, proculdubio longè aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis: excepto quòd eam in Verbo Dei noverunt, per quod facta sunt omnia, etiam in seipsâ dico longè aliter notam eis esse quàm nobis. Illis enim primordialiter, ut ita dicam, vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, & post eam conditionem a suis operibus requievit, non condendo aliquid amplius: Nobis autem secundùm rerum antea conditarum administrationem, jam per ordines temporum, secundùm quam Deus jam illis rebus per senariam perfectionem consummatis, usque modo operatur. Causaliter ergo tunc dictum est produxisse terram, herbam & lignum, id est, producendi accepisse virtutem. In eâ quippe jam tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant. Nam utique postea plantavit Deus Paradisum juxta Orientem, & ejecit ibi de terrâ omne lignum speciosum ad aspectum, & bonum ad escam: Nec tamen dicendum est, eum aliquid tunc addidisse creaturæ, quod antè non fecerat, quod velut illi perfectioni, quâ omnia bona valde sexto die consummavit, pòst esset addendum: Sed quia jam omnes naturæ fruticum atque lignorum in primâ conditione factæ fuerant, a quâ conditione Deus requievit; movens deinde administransque per temporales cursus illa ipsa quæ condidit, & a quibus conditis requievit, non solùm tunc plantavit Paradisum, sed etiam nunc omnia quæ nascuntur. Quis enim alius etiam nunc ista creat, nisi qui usque nunc operatur?*

II. Verùm Patrum reliquorum sententia longè probabilior est, asserentium stirpes & arbores actu & reipsâ tertiâ die fuisse procreatas, cùm *Moses* de productione plantarum eodem modo loquatur ac de productione Syderum, & animalium, quæ quartâ & quintâ die ad cæli terræque decorem & ornatum procreata sunt, non causaliter tantùm & in seminibus, sed re verâ, & in seipsis. *Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen habens unumquodque sementem secundùm speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum*. Et certè perfectas arbores, maturisque fructibus onustas in Paradiso extitisse Scriptura commemorat, & extra illum voluptatis hortum pariter fuisse certum est, ut hominibus & animalibus cibos præberent. *Nec verba illa* secundi Capitis Geneseos, quibus Deus fecisse dicitur *omne virgultum agri antequam oriretur in terrâ, omnemque herbam regionis priusquam germinaret*, Augustinianæ hypothesi favent: Id enim significant unum, antequam Terra modo naturali & in perpetuum tempus mansuro virgulta & sata produceret, labore hominum exculta, imbribus irrigata, Solis obstetricantis influxibus radiisque fota, illa jubente Deo sicca ex humo prodiisse. Unde subdit Scriptura: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram: & homo non erat, qui operaretur terram*. Quod ex hoc fonte hausisse videntur Ethnicorum Theologi, nimirum Poetæ, & eorum unus his versibus expressit.

*Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis*
*Saucia vomeribus, per se dabat omnia Tellus.*

Singulari porro Dei providentiâ, Plantas ante Sydera productas, ne ipsarum procreatio Soli vel aliis Astris tribueretur, observant S. *Basilius* Homiliâ 6. in Hexaëmeron, S. *Chrysostomus* Homiliâ 6. in Genesim, & S. *Ambrosius* Libro 4. in Hexaëmeron, cap.1. cujus unius verba subjicio. *Terram* ( inquit ) *aspice, quæ antequam Sol prodiret, cœpit esse visibilis atque composita: Germina ejus aspice anteriora Solis lumine. Anterior rubus quàm Sol, antiquior herba quàm Luna. Noli ergo Deum credere, cui vides Dei munera esse prælata... Numquid merita fœni majora quàm Solis? Aut numquid potior ligni prærogativa? Absit ut insensibilia tanti muneris præferamus Ministro. Quid igitur prævidit altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, ut priùs inciperent ligna esse, quàm illa duo Mundi luminaria, & quidem cælestis oculi firmamenti, nisi ut cognoscerent omnes divinæ testimonio lectionis terram sine Sole posse esse fœcundam. Jam quæ potuit sine Sole prima rerum semina germinare, potest utique semina accepta nutrire, & proprio fotu sine calore Solis partus edere. Hac igitur voce quadam suorum munerum clamat natura: Bonus quidem Sol, sed ministerio, non imperio: Bonus meæ fœcunditatis adjutor, sed non creator: Bonus meorum altor fructuum, sed non auctor. Interdum partus meos & ipse adurit, frequenter mihi & ipse damno est, plerisque me locis indotatam relinquit. Non sunt ingrata con-*

*ser-*

*servo, mihi est in usum datus, mecum labori est mancipatus, mecum subjectus est vanitati, mecum corruptionis subditus servituti*. Et Lib.3. cap.6. *Quàm utilis, quàm vehemens vox: Germinet terra herbam fœni: Hoc est, ipsa per se germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cujusquam indigeat ministerio. Solent enim plerique dicere: Nisi clementior Solis calor tepefecerit terras, & quodammodo radiis suis foverit, non potest germinare terra: & propterea Gentes divinum honorem deputant Soli, quòd virtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foveat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum velut hanc vocem emittentem; conticescat ineptus sermo hominum, qui futurus est; facessat vana opinio. Antequam Solis fiat luminare, herba nascatur; antiquior ejus sit prærogativa quàm Solis. Ne error hominum convalescat, germinet priùs terra, quàm fotus Solis accipiat. Sciant omnes Solem auctorem non esse nascentium. Dei clementia terram relaxat, Dei indulgentia prorumpere facit fructus. Quomodo Sol vivendi usum ministrat oriundis, quando illa priùs divinæ operationis vivificatione sunt edita, quàm Sol in hos usus veniret? Junior est herbis, junior fœno.*

## SCHOLION.

Aquæ amaræ, secundùm spiritalem sensum, filii sunt hujus sæculi, peccatores, variarum cupiditatum motu in seipsis æstuantes. Illos in societatem unam Deus congregavit, congregationis illorum auctor, non amaritudinis voluntatum. Justi, terra arrida, ab aquis amaris sæculi separata, divinæ gratiæ pluviâ voluntariâ irrigata, ut dent fructum voluntates eorum secundùm genus suum, secundùm uniuscujusque vocationem, statum, conditionem, fructum habens in se semen; opera bona ex caritate profecta, non tantùm in rebus facilibus per herbam virentem designatis, sed etiam in difficilibus & arduis per lignum fructiferum significatis. *Quis congregavit amaricantes in societatem unam?* (inquit S. Augustinus) *Idem namque illis finis est temporalis & terrenæ felicitatis, propter quam faciunt omnia, quamvis innumerabili varietate curarum fluctuent. Quis, Domine, nisi tu, qui dixisti ut congregentur aquæ in congregationem unam, & appareret arida sitiens tibi? Quoniam tuum est mare, & tu fecisti illud, & aridam terram manus tuæ formaverunt; neque enim amaritudo voluntatum, sed congregatio aquarum vocatur mare. Tu enim coerces etiam malas cupiditates animarum, & figis limites quousque progredi sinantur, atque ut in se comminuantur fluctus earum. At animas sitientes tibi, & apparentes tibi alio fine distinctas a societate maris, occulto & dulci fonte irrigas, ut & terra det fructum suum; & dat fructum suum, & te jubente Domino Deo suo germinat anima nostra opera misericordia, secundùm genus, diligens proximum in subsidiis necessitatum carnalium; habens in se semen secundùm similitudinem; quoniam ex nostrâ infirmitate compatimur ad subveniendum indigentibus, similiter opitulantes quemadmodum vellemus nobis opem ferri, si eodem modo indigeremus; non tantùm in facilibus, tamquam in herba seminali; sed etiam in protectione adjutorii forti robore, sicut lignum fructiferum, id est, beneficium ad eripiendum eum qui injuriam patitur, de manu potentis, & præbendo protectionis umbraculum valido robore justi judicii.*

S. August. Lib.13. Confes. c. 17.

## ARTICULUS V.

### De Opere quartæ Diei.

### PROPOSITIO UNICA.

*Solem & reliqua Sydera, qui primâ die cum primigeniâ luce condita volunt, opinionem tuentur Mosaica narrationi minimè consentaneam.*

Hanc sententiam *Cajetanus*, *Catharinus*, *Eugubinus*, & alii propugnarunt; sed ipsis verbis quibus Moses opus quartæ diei describit, refelluntur. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum, & factum est vespere & mane dies quartus.* Hanc sententiam SS. Patres ad unum omnes tuentur. *S. Basilius* Homiliâ 6. in Hexaëmeron, asserens quartâ die *Solare corpus illud, quod primigeniæ lucis vehiculum foret, esse constitutum*. S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ 6. in cap.1. Genesis, ubi Solem, quem *admirabile elementum* vocat, Lunam, & reliqua Sydera, quartâ die *ad ornatum cæli* condita asserit; sicut herbę, stirpes, flores, arbores, tertiâ die ad ornatum terrræ procreatæ sunt; Astra verò in cælo posita esse, sicut homo in Paradiso positus a *Mose* narratur, non quòd cæli partes sint, aut cælestibus orbibus sint infixa, sed ut in cælo moveantur, lumenque suum super terram emittant. *Severianus Gabalitanus* Oratione 8. extra cælum illa fabricata censet, quartâ quidem die, & illò subinde translata: *Quemadmodum artifex priùs imaginem facit; tum factam affigit parieti*. Atque ex Luce, quæ primæ diei pensum fuit, tanquam materiâ, cælestes illas faces procreatas & accensas existimat: *Ut si quis massam auri proferat, ac deinde nummos ex eâ percutiat; ita Deus dispositionem lucis ordinavit*. In eâdem sententiâ est *Didymus*, cujus locum *Lipomanus* exhibet in Catenâ; & Theodoretus Interrogatione 14. in Genesim. *S. Augustinus* Libro 2. De Genesi ad literam, cap.13. quarto die accensa Sydera asserit. *Et quia*, inquit, *si ut priùs cælum factum est, ita priùs est ornandum hujusmodi partibus suis; quarto die fiunt Sydera, quibus super terram lucentibus, habitatio quoque illustretur inferior*. An verò Sydera cum suis orbibus moveantur, an immoto cælo cursus in illo suos peragant, & alias id genus quæstiones, S. Doctor parum curandas ait, cùm in quovis Systemate Mosaicæ narrationis veritas intelligi & explicari possit. De motu etiam cæli (inquit cap.10.) *Nonnulli fratres quæstionem movent, utrùm stet, an moveatur. Quia si movetur, inquiunt, quomodo firmamentum est? Si autem stat, quomodo Sydera, quæ in illo fixa creduntur, ab Oriente usque ad Occidentem circumeunt? Quibus respondeo, multùm subtilibus & laboriosis rationibus ista perquiri, ut verè percipiatur, utrùm ita, an non ita sit: Quibus ineundis atque tractandis, nec jam mihi tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam, & Sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus informari. Hoc sanè noverint, nec nomen firmamenti cogere, ut stare cælum putemus; (Firmamentum enim non propter statio-*

nem

*nem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum & inferiorum aquarum vocatum intelligere licèt: ) Nec si veritas cælum stare persuaserit, impediri nos circuitu Syderum, ne hoc intelligere possimus. Et ab ipsis quippe, qui hæc curiosissimè & otiosissimè quæsierunt, inventum est, etiam cælo non moto, si sola Sydera verterentur, fieri potuisse omnia, quæ in ipsis Syderum conversionibus animadversa atque comprehensa sunt.* Non itaque Scriptura sacra ad Philosophorum opiniones & varia Systemata accommodanda est, sed opiniones illæ & Systemata cum sacris Literis concilianda sunt, aut illarum veritate refellenda, secundùm præclaram illam *S. Augustini* Regulam Lib.1. de Genesi ad literam, cap.21. *Didici non hærere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus, qui calumniari Libris nostræ salutis affectant, ut quicquid ipsi de naturâ rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Literis non esse contrarium. Quicquid autem de quibuslibet suis Voluminibus, his nostris Literis, id est Catholicæ Fidei contrarium protulerint aut aliquâ etiam facultate ostendamus, aut nullâ dubitatione credamus esse falsissimum: Atque ita teneamus Mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ absconditi, ut neque falsæ Philosophiæ loquacitate seducamur, neque falsæ Religionis superstitione terreamur.* Quò spectat & aurea illa sententia Epistolæ 7. seu 143. Editionis PP. Benedictin. ad *Marcellinam*, datæ: *Si ratio contra Divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certaque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas; non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potiùs objicit veritati: Nec quod in eis, sed quod in ipso, velut pro eis invenit, opponit.*

Quanquam verò Scripturæ Sacræ satis sit auctoritas, ut Sydera quartâ die condita credamus, & asseramus: Id convenienti certè ratione *S. Thomas* explicat 1. P. Q.70. Art.1. ubi hæc verba secundi Capitis Geneseos expendens, *Igitur perfecti sunt Cæli & Terra, & omnis ornatus eorum*; ait, his verbis triplex opus significari, scilicet opus creationis, distinctionis, & ornatûs. Id autem discriminis perfectionem inter & ornatum observat, quòd perfectio Cæli & Terræ ad ea pertinere videatur, quæ Cælo & Terræ sunt intrinseca; ornatùs verò ad ea quæ sunt a Cælo & Terrâ distincta. Sicut homo formâ suâ, & intrinsecis partibus perficitur, vestimentis ornatur. Rerum porrò distinctionem maximè ex motu locali manifestari, quo ab invicem separantur. Ideoque ad opus ornatûs pertinere rerum illarum productionem, quæ habent motum in Cælo & in Terrâ. Sicut autem tria in creatione *Moses* commemorat, Cælum, Terram, & Aquam; ita hæc tria formata opere distinctionis trium dierum. Primo die Cælum: Secundo die divisas aquas superiores ab inferioribus: Tertiâ die factam in Terrâ distinctionem Maris & Aridæ, cùm unum in locum aquæ confluxerant. Similiter in opere ornatûs; Primo die, qui est quartus, producta sunt luminaria, quæ moventur in Cælo ad ornatum ipsius; Secundo die, qui est quintus, aves & pisces ad ornatum medii elementi, quia moventur in aëre & in aquâ, quæ pro uno accipiuntur; Tertio die, qui est sextus, animalia, ad Terræ, in quâ vivunt ac moventur, ornatum procreata sunt.

## SCHOLION.

Qui bonorum operum diuturnâ exercitatione purgati, de inferiori fruge actionis ad delicias contemplationis evecti sunt, verbum vitæ superiùs obtinentes, apparent *sicut luminaria in mundo*, cohærentes *Firmamento Scripturæ* sacræ: & dividunt inter intelligibilia & sensibilia; vel inter animas alias intelligibilibus, alias sensibilibus deditas, tamquam inter diem & noctem, & significant tempora; quia *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*; & quia *Propior est nostra salus quàm cùm credidimus*; & quia *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Alii autem datur per Spiritum *sermo sapientiæ*, tamquam *luminare majus*, *alii sermo scientiæ* secundùm eumdem Spiritum, tamquam *luminare minus*; alii *Fides*, alii *gratia curationum*, alii *operationes virtutum*, alii *Prophetia*; alii *discretio spirituum*, alii *genera linguarum*; & hæc omnia *tamquam stellæ*. SAPIENTIAM *loquimur inter perfectos*, ait Apostolus: cæteris autem loqui non potest *quasi spiritualibus*, sed *quasi carnalibus*, tamquam adhuc *parvulis in Christo*. Perfecti perspicuæ veritatis luce illustrantur, quasi in die sereno constituti; imperfecti, luce minori, sed ipsorum captui accommodatâ diriguntur, luce scientiæ, quæ totam complectitur Historiam temporalis œconomiæ, quâ Deus ad hominum salutem usus est; veteris novæque Legis variam dispensationem; quicquid in incarnatione, vitâ & morte Salvatoris nostri hominum oculis apparuit, auribusque auditum est; Sacramenta denique seu sacra signa, quæ pro ratione temporum variata sunt. Pastores sancti, Prædicatores Apostolici. Doctores a Deo illuminati, lucent in firmamento Ecclesiæ, dividentes inter lucem perfectorum, sed nondum sicut Angelorum; & tenebras parvulorum, sed non despectorum: Dies sole Sapientiæ candens eructat diei ejusdem Sapientiæ verbum; & nox lunâ lucens annuntiat nocti verbum scientiæ. Luna & Stellæ nocti lucent, & nox non obscurat eas, quoniam ipsæ illuminant eam pro modulo ejus.

*S. August. Lib. 13. Confess. cap.18. & 19.*

---

## ARTICULUS VI.

### De Opere quintæ Diei.

### PROPOSITIO UNICA.

*Quintâ die tam Pisces quàm aves ex aquis prodiere.*

I. ID apertè *Moses* cap.1. Geneseos significat. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super Terram sub firmamento Cæli; creavitque Deus cete, grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas; & omne volatile secundùm genus suum.* Cardinalis quidem *Cajetanus*, aliique Hebraizantes, ex hoc loco probari negant, quòd volucres ex aquis prodierint: cùm Textus Hebraicus tantummodo indicet, aves volare super Terram jussas esse. *Producant* (inquit) *aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet super Terram.* Verùm ellipsim relativi pronominis ibi supplendam, Viri Hebraicè doctissimi existimant, *& volatile quod volet super Terram.* Quod Latinus Interpres post 70. Interpretes supplevit, ita vertentes: *Producant aquæ reptilia animarum viventium, & volatilia volantia super Terram, secundùm firmamentum Cæli.*

Sup-

Supplevit & Targum Onkelos: *Et dixit Deus, Serpant aquæ reptile animæ viventis; & avem quæ volat super terram, super faciem firmamenti Calorum*. Versio denique Arabica: *Voluit Deus ut ambularet ex aquâ ambulans habens animas viventes: & volucre volans super terram e regione firmamenti Cæli*. Neque his contrarium est, quod secundo Geneseos Capite *Moses* ait: *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus Cæli*, &c. Nihil enim cogit hæc verba, *& universis volatilibus*, cum illis nectere *de humo*, cùm ad vocem, *formatis*, commodè referantur. Utrumque enim formatum est: sed animantia terrena de terrâ: Volatilia autem aliunde; scilicet ex aquis: Vel terræ nomine aquæ etiam intelliguntur, quæ unum cum ipsâ componunt orbem. Ita hunc locum exponit *S. Augustinus* Lib.9. De Genesi ad literam, Cap.1. *Si quem autem movet* (inquit) *quia non dixit: Finxit Deus adhuc de terrâ omnes bestias agri, & de aquis omnia volatilia cæli, sed tanquam utraque genera de „ terrâ finxerit*, Et finxit, *inquit*, Deus adhuc „ de terrâ omnes bestias agri, & omnia volati- „ lia Cæli: *Videat duobus modis esse intelligendum; aut tacuisse nunc unde finxerit volatilia Cæli, quia & tacitum posset occurrere, ut non de terrâ utrumque recipiatur Deum finxisse, sed tantummodo bestias agri; ut volatilia cæli, etiam tacente Scripturâ intelligamus unde finxerit, velut qui sciamus in primâ causalium rationum conditione ex aquis ea esse producta: Aut terram universaliter sic appellatam simul cum aquis, quemadmodum appellata est in illo Psalmo, ubi cælestium laudibus terminatis, ad terram facta est conversio sermonis, & „ dictum:* Laudate Dominum de terrâ, draco- „ nes & omnes abyssi, &c. *Nec postea dictum est: Laudate Dominum de aquis: Ibi enim sunt omnes abyssi, quæ tamen de terrâ laudent Dominum. Ibi etiam reptilia & volatilia pennata, quæ nihilominùs de terrâ laudant Dominum. Secundùm istam universalem appellationem terra, secundùm quam etiam de toto Mundo dicitur: Deus qui fecit cælum & terram; sive de aridâ, sive de aquis quæcunque creata sunt, de terrâ creata veraciter intelliguntur*.

II. Aquam avium matricem SS. Patres agnoscunt. *S. Basilius* Homiliâ 8. in Hexaëmeron: *Cur ortum ex aquis* (inquit) *volucribus quoque perinde ut aquatilibus præstitit? Quoniam volatilibus ad natatilia quasi consanguinitas quædam est. Nam uti pisces aquam secant, agitatione quidem pinnarum ad ulteriora progredientes, cauda verò motatione flexuosos ac rectos motus & impetus sibi gubernantes, sic idem & in volucribus conspicere licet, quæ per aërem pennis similiter natant. Quare cùm una sit utrisque communis conditio, ipsis affinitas ex aquarum generatione tributa est*.

Idem asserunt *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 7. in Genesim, *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.1. Glaphyrorum in Genesim, *S. Joannes Damascenus* Libro 2. *De Fide Orthodoxâ*, Cap.49. *S. Hieronymus* Epistolâ 83. ad Oceanum: *Primum*, inquit, *de aquis quod vivit, egreditur, & pennatos Fideles de terrâ ad cælum levas*. S. Ambrosius Lib.5. in Hexaëmeron cap.15. *Unde*, inquit, *quoniam in nonnullis idem usus & species, ideo de aquis utriusque generis nativitas divinâ præceptione processit. Dixit enim Deus: Producant aquæ reptilia animarum viventium secundùm genus: & volatilia volantia super terras secus firmamentum cæli secundùm genus. Non immeritò igitur, quia de aquis genus utrumque producitur, natandi proprietas utrisque suppeditat*. Et in Hymno quem Ecclesia canit Feriâ 5.

*Magnæ Deus Potentiæ,*
*Qui ex aquis ortum genus*
*Partim remittis gurgiti,*
*Partim levas in aëra.*

*S. Augustinus* Lib.3. de Genesi ad literam, cap.6. & 7. *Aër itaque ille superior* [inquit] *sive quòd ad cælestem Mundi pertinet partem, sive quòd nullum habet visibilem habitatorem, de qualibus nunc sermo narrantis est, neque prætermissus est cælo nominato, neque annumeratus in creandis animalibus: Iste verò inferior, qui excipit exhalationes humidas maris ac terræ, & ad sustinendas aves quodammodo crassatur, nonnisi ex aquis accipit animalia. Quod enim ejus humidum est, hoc portat alitum corpora, quæ ita nituntur pennis volantes, quemadmodum pisces quibusdam suis alis natantes. Proinde scienter tamquam Spiritus Dei, qui scribenti aderat, ex aquis dicit producta volatilia. Quorum natura bipartitum locum sortita est: Inferiorem scilicet in undâ labili, superiorem verò in aurâ stabili. Illum deputatum natantibus, istum volantibus*.

*Claudius Marius Victor* Lib.1. Carminum in Genesim:

*Hinc volucres quoque molle genus traxere vigorem.*
*Nam liquidas dum format aquas, immissaque Pontum*
*Vita subit, fervent multo tumida æquora partu;*
*Nec satis est pisces genus omne exurgere, quòdque*
*Squammea turba salo summas evadit in undas;*
*Ni volitans in aquis sensim natet æthere puro,*
*Æthereos volucris contingere docta recessus.*
*Ergo materies avibusque & piscibus una est.*

Legatur & *Rupertus* Lib.1. *De Operibus Trinitatis*, cap.1.

## SCHOLION.

Si lapsus non esset Adam, non diffunderetur ex utero ejus salsugo maris, *Genus humanum profundè curiosum, procellosè tumidum, & instabiliter fluidum*; atque ita opus non esset ut Dispensatores Mysteriorum Dei operarentur in aquis multis mystica dicta & facta. Nunc autem opus est ut Baptismo regenerentur homines, velut pisces viventes in aquis, viventes (inquam) vitâ Christi. *Nos pisculi, secundùm Jesum Christum in aquâ nascimur: nec aliter quàm in aquâ permanendo salvi sumus.... Primis aquis præceptum est animas proferre, primus liquor quod viveret edidit, ne mirum sit in Baptismo si aquæ animare noverunt*. Christianorum alii imperfecti, per pisces; alii perfecti, per aves significati. Hi duabus pennis, fidei & charitatis, in cælum feruntur, vix in terris hærent, rebus omnibus transitoriis utuntur, ut subveniant necessitati, non ut indulgeant cupiditati: *Utentis modestiâ, non amantis affectu*. Volant absque labore, aut suavis ipsis labor est: quia *Jugum* Domini *suave est, & onus* ejus *leve*; & *Non est sarcina onerati, sed alæ volaturi*.

*S. August. Lib.13. Confess. c. 20.*

*Tertullian. Lib. de Baptismo.*

*S. Augustinus.*

## ARTICULUS VII.

### De Opere sextæ Diei.

### PROPOSITIO I.

*Sextâ die omnis generis animalia Deus ex terrâ produxit: In quibus nullum per se noxium aut inutile est.*

I. PRimam operis sextæ diei partem Moses his verbis describit: *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ, secundùm species suas, factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo.* Hìc *Plato* conticescat, qui animalium productionem a primo & summo Deo demandatam esse Diis secundis affirmat. Sileant *Epicurus*, & *Epicuri* de grege porcus *Lucretius*, qui animalia omnia in exordio Mundi facta esse ex terrâ, ob eximiam terræ nascentis fœcunditatem, novorumque Syderum efficaciam, Deo nihil ad eorum molitionem conferente, impiè asserunt. Utrùm animalia quæ ex putri materiâ procreantur, tunc a Deo producta sint, Quæstio est non multùm necessaria, nec satis explorata. Satis est ut causaliter a Deo creata fateamur; nisi magis arrideat *Sancti Augustini* Responsio Lib.3. De Genesi ad literam, cap.14. *Nonnulla etiam*, inquit, *de quibusdam minutissimis animalibus quæstio est, utrùm in primis rerum conditionibus creata sint, an ex consequentibus rerum mortalium corruptionibus? Nam pleraque eorum aut de vivorum corporum vitiis, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut cadaverum tabe gignuntur; quædam etiam de corruptione lignorum & herbarum, quædam de corruptionibus fructuum: Quorum omnium non possumus rectè dicere Deum non esse Creatorem. Inest enim omnibus quoddam naturæ sui generis decus, sic ut in his major sit admiratio bene considerantis, & laus uberior omnipotentis Artificis: Qui omnia in sapientiâ fecit, quæ a fine usque ad finem pertendens, & suaviter cuncta disponens, nec ea ipsa rerum novissima, quæ pro sui generis ordine dissolvuntur, & quarum dissolutionem ex pœnâ nostræ mortalitatis horremus, relinquit informia: Sed creat minima corpore, acuta sensu, animantia; ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis, ampliùsque miremur opera formicularum, quàm onera camelorum. Sed utrùm in primis, ut dixi, rerum conditionibus, quæ ipso sex dierum ordine creata narrantur, hæc quoque minima instituta credamus, an postea consequentibus corruptibilium corporum solutionibus, hoc quæritur. Et potest quidem dici ea minutissima, quæ ex aquis vel terris oriuntur, tunc creata: In quibus etiam illa non absurdè intelliguntur, quæ nascuntur ex eis, quæ terrâ germinante orta sunt, & quia præcesserant conditionem non solùm animalium, sed etiam luminarium; & quia terræ continuantur per radicum connexionem: unde illo die, quo apparuit arida, exorta sunt, ut potiùs ad supplementum habitationis, quàm ad numerum habitatorum pertinere intelligantur. Cætera verò quæ de animalium gignuntur corporibus, & maximè mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata, cùm animalia ipsa creata sunt: Nisi quia inerat jam omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis, & quasi præseminata & quodammodo liciata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quæque genere ac differentiis erant exortura, per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.*

*Plato in Timæo.*

*Lucretius Lib. V.*

II. De animalibus adulterinæ speciei, quorum generatio præter naturam est, disputant etiam Interpretes, an proximè sint a Deo creata in primo sex dierum opificio, an in semine duntaxat & causaliter? Posterior sententia *Ruperto* placuit Lib.1. *De Trinitate & Operibus ejus*, cap. 37. quòd verisimile non sit illa animalia in Mundi primordiis a Deo esse creata, quorum generationem ab hominibus procurari, tanquam rem abominandam, vetat Deus *Levitici* 19. Sed aliæ sunt hujus prohibitionis rationes, quæ apud *S. Thomam* Prima Secundæ, Quæst.102. Art.6. in Responsione ad 8. objectionem legi possunt. Opinioni *Ruperti* favet locus Capitis 36. Geneseos, ubi secundùm Textum Hebraicum, cui Chaldaica Paraphrasis, & Arabica Versio consentiunt, *Ana* invenit mulos in solitudine, quòd scilicet *equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur.* Quam sententiam refert, nec improbat *S. Hieronymus* Lib. Traditionum Hebraicarum in Genesim.

III. Utiliùs quæritur, utrùm Deus animalia quædam per se homini noxia, vel inutilia creaverit? Negantem sententiam Scriptura Sacra docet Genesis 1. V. 25. *Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum.* Id confirmat dominium in universa animantia, quæ moventur super terram, homini datum, quod manente innocentiæ statu absolutissimum fuisset. Mansueta namque, tractabilia, obedientia ad nutum habuisset animalia, si in sui Creatoris obedientiâ perseverasset. Hanc veritatem *S. Augustinus* tuetur Lib.1. de Genesi contra Manichæos, cap.16. *Solent etiam* (inquit) *istam Manichæi movere quæstionem, ut dicant: Quid opus erat ut tam multa animalia Deus faceret, sive in aquis, sive in terrâ, quæ hominibus non sunt necessaria? Multa etiam perniciosa sunt & timenda. Sed cùm ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt Conditori & Artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summâ lege dominatur. Si enim in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, & si multum est insipiens, superflua putat. Jam verò si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cùm id malè tractat, se ipsum vulneraverit, etiam perniciosa & noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans, officinam suam instanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cùm ea viderint, credant esse necessaria, & propter usus aliquos instituta: In hoc autem Mundo, cujus conditor & administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus atque instrumentis omnipotentis Artificis volunt se videri scire, quod nesciunt. Ego verò fateor me nescire, mures & ranæ quare creata sint, aut muscæ, aut vermiculi: Video tamen omnia in suo genere pulchra esse, quamvis propter peccata nostra multa nobis videantur adversa. Non enim animalis alicujus corpus & membra considero, ubi non mensuras, & numeros, & ordinem inveniam ad unitatem concordiæ pertinere. Quæ omnia unde veniant non intelligo, nisi a summâ mensurâ, & numero, & ordine, quæ in ipsâ Dei sublimitate incommutabili atque æternâ consistunt. Quod si cogitarent isti*

*isti loquacissimi & ineptissimi, non nobis tædium facerent, sed ipsi considerando omnes pulchritudines & summas & infimas, Deum artificem ubique laudarent; & quoniam nusquam offenditur ratio, sicubi fortè sensus carnalis offenditur, non rerum ipsarum vitio, sed nostræ mortalitatis meritis imputarent. Et certè omnia animalia aut utilia nobis sunt, aut perniciosa, aut superflua. Adversus utilia non habent quid dicant. De perniciosis autem vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam istam multis periculis & laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus & desideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis vero quid nobis quærere? Si tibi displicet quod non prosunt, placeat quod non obsunt; quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multò major est quàm domus nostra & multò melior. Hanc enim multo meliùs administrat Deus, quàm unusquisque nostrûm domum suam. Usurpa ergo utilia, cave perniciosa, relinque superflua. In omnibus tamen cùm mensuras & numeros & ordinem vides, Artificem quære. Nec alium invenies, nisi ubi summa mensura, & summus numerus, & summus ordo est, id est, Deum, de quo verissimè dictum est, quòd omnia in mensurâ, & numero, & pondere dispposuerit. Sic fortasse uberiorem capies fructum, cùm Deum laudas in humilitate formicæ, quàm cùm transis fluvium in alicujus jumenti altitudine.*

Et Libro 3. De Genesi ad literam, cap. 15. ubi *Danielis* meminit, qui inter leones salvus atque intrepidus vixit; & Apostoli, cujus in manu mortifera vipera inhæsit, nec læsit, colligit perniciosa & venenata animalia homini in statu innocentiæ manenti non nocitura. *Potuerunt ergo*, inquit, *ista etiam creata nihil nocere, si causa non extitisset, vel terrendorum puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis: Quia & exempla sunt demonstranda patientiæ, ad profectum cæterorum: & ipse sibi homo in tentationibus certiùs innotescit: & justè salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem.*

IV. Hoc etiam argumentum præclarè tractat *Theodoretus* Interrogatione 18. in Genesim. *Pueri*, inquit, *tum terriculamentis, tum etiam loris & virgis indigent. Et per illa quidem ipsos terremus, per hæc autem erudimus, utraque vero facimus, honestatem omnem eis procurantes. Cùm igitur Dominus Deus animadvertisset nos ad ignaviam proclives, bestias & reptilia priùs condidit, veluti lora quædam & terriculamenta: Ut per ea nos terrens, ad se traheret, atque ejus auxilium imploraremus. At quemadmodum qui perfectam ætatem attigerunt, terriculamenta hujusmodi & lora contemnunt: Sic qui in virtute educati sunt, bestiarum incursus minimè formidant. Siquidem Adæ, priusquam peccasset, assistebant bestiæ obsequium deferentes. Et rursum ipsum Noë ingredientem Arcam, leo, pardus, reptilium atrocissima quæque ovium more sequebantur. Et Danieli aderant leones, qui alioqui famelici, accedere tamen ad eum non audebant, eo quòd in illo specimen quoddam divinam imaginem præ se ferens conspicerent. Itidem vipera, quæ dentes injecerat in manus Apostoli, cùm nihil peccati tenerum aut molle in eo reperisset, mox resiliit, & in ignem se conjecit, supplicium quodammodo de se ipsa sumens, quòd corpus sibi nullatenus conveniens adorta esset. Nos autem ideo bestias formidamus, quia virtute præditis moribus non sumus. Et ob id Deus socordium etiam hominum curam agens, eas in remotiora loca relegavit, & iis nocturnum tempus ad escam quærendam largitus est.* In ipsâ enim nocte, *ait*, pertransibunt omnes bestiæ sylvę. *Reptilibus verò antra terræ præbuit, ut in eis latentia humano generi non noceant. At ne bestias velut ab his prorsus illæsi contemnamus, quasi nobis minimè nocere possint, nonnunquam duos aut tres e multis millibus vel a scorpionibus pungi, aut a serpentibus morderi permittit is qui sapienter res nostras gubernat, ut nos veriti ne quid simile patiamur, Deum Creatorem in auxilium invocemus, obsecrantes, ut illâ malorum omnium depultrice providentiâ nos tueatur. Præterea & ad alia bestiæ non sunt nobis inutiles. Nam ex eis Medici pharmaca non pauca componunt ad morbos propulsandos. Nemo igitur bestiis per se consideratis de Creatore conqueratur, sed utilitatem investiget. Si quidem ipsum etiam corpus humanum, quamvis formosum, temperatum, & variâ partium utilitate præditum, mucco tamen, & sputo, ac fœtido stercore quod excernit non caret. Nullus tamen sanæ mentis ex his animal vituperat. Neque enim absque his agere vitam potest, sed per hæc firmum est & vegetum: Siquidem eget pituitâ, sanguine, & utrâque bile. At quemadmodum per hæc consistit, sic per eadem dilabitur. Unius enim horum excessu aut defectu enecatur animal. Sic rursus digitorum articulum unum si quis abscindat, illum prorsus inutilem esse deprehendet: At conjunctus maximam corpori utilitatem præbet. Sic igitur & nos agere convenit, ut non singulas per se naturæ partes consideremus, sed earum in universo utilitatem spectemus. Nam & ignis adurendi vim habet, nec tantùm corpora consumit, sed domos etiam incendit, & naves, & segetes, & tamen unum est ex quatuor elementis, ex quibus omnia constant, & sine hoc vivere mortalium natura non potest. Et aqua similiter terram inundat, domos destruit, navigantium plurimos exhaurit, nocet etiam iis qui intempestivè vel immodicè bibere non verentur. Nemo tamen nisi demens, perniciosam aquam appellarit. Hæc enim & terram irrigat, & plantas alit, & bruta animantia, ipsamque hominum naturam. Ad hunc ergo modum & aliorum unumquodque examinamus: non ipsum per se considerantes, noxiumne sit, an commodum: Sed an aliquam universo utilitatem conferat. Nam & feræ hominem reverentur propter attributam illi ab initio in ipsas potestatem. Interdum tamen illum velut divinæ legis prævaricatorem contemnunt. Quemadmodum improbi servi despicere illos solent, qui eos regere a Dominis jussi sunt, si eos viderint admissis criminibus auctoritatem amisisse.* Theodoreto in hujus assertione veritatis præiverant *S. Basilius* Homiliâ 8. in Hexaëmeron, *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 7. in Genesim, & *S. Ambrosius* Lib. 6. in Hexaëmeron, cap. 6.

## SCHOLION.

*Nolite conformari huic sæculo* [ inquit Apostolus. ] *Evitando vivit anima, quæ appetendo moritur. Continete vos ab omni feritate superbiæ, ab inerti voluptate luxuriæ, & a fallaci nomine scientiæ, ut sint bestiæ mansuetæ, & pecora edomita, & innoxii serpentes.* Motus enim animæ sunt isti, si allegoricum sensum spectemus: Sed *fastus elationis, & delectatio libidinis, & venenum curiositatis motus sunt animæ mortuæ, quia non ita moritur ut omni motu careat, quoniam discedendo a fonte vitæ, moritur, atque ita suscipitur a prætereunte sæculo, & conformatur ei. In animâ vivâ, in animâ continente, sint bestiæ bonæ in mansuetudine actionis, cupiditates edomitæ; serpentes boni, non perniciosi ad nocendum, sed astuti ad cavendum: & tantùm explorantes temporalem naturam, quantùm sufficit ut per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciatur æternitas.*

Rom. 12. 2. S. Augustinus Lib. 13. Confess. c. 21.

### PROPOSITIO II.

*Homo ad imaginem Dei secundùm Animam conditus est. In quo sita sit, non una est Patrum sententia.*

I. Absoluto cęterarum creaturarum opificio, Deus hominem condidit, velut *Mundum quemdam alterum, in parvo magnum, Angelum alium, mistum Adoratorem, visibilis creaturæ spectatorem; Mysten intelligibilis; eorum quidem quæ in terrâ sunt, Regem, Cælesti autem Regi subditum; terrenum pariter ac cælestem, &c.* Verba sunt *S. Gregorii Nazianzeni* Oratione 38. *Quis enim dignus incolere Dei opera, quàm ipsius imago & similitudo? Eam quoque bonitas & quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo* ( inquit *Tertullianus* Lib.2. contra Marcionem, cap.4. ) Qui & hominis excellentiam ex productionis modo rursus commendat, quòd scilicet non solo sermone, ut reliqua opera, sed omnipotente manu Deus ipsum finxerit, Libro De Resurrectione Carnis, cap.5. *Ad distantiam*, inquit, *provocamus. Primò quidem quòd omnia sermone Dei facta sunt; & sine illo nihil. Caro autem & sermone Dei constitit propter formam, ne quid sine sermone. Faciamus enim hominem, ante præmisit: & ampliùs manu propter prælationem; ne universitati compararetur. Et finxit, inquit, Deus hominem. Magna sine dubio differentia ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim quæ fiebant, eo cui fiebant. Si quidem homini fiebant, cui mox a Deo addicta sunt. Meritò igitur, ut famula, jussu & imperio & sola vocali potestate universa processerant. Contra, homo, ut dominus eorum in hoc ab ipso Deo extructus est; ut dominus esse posset, dum fit a Domino ..... Limus in manus Dei quascumque sunt pervenit, satis beatus, etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo ampliùs opere statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo magna res agebatur, quâ ista materia extruebatur. Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientiâ, providentiâ & ipsâ inprimis adfectione lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus .... Sic enim præfatio Patris ad Filium, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus. Id utique quod finxit. Ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed etiam pignus.* Quæ *Tertulliani* sententia non ita intelligenda est, ut imaginem Dei corpore circumscripserit; sed quòd existimaverit Deum, cùm hominis illius, quem moliebatur, naturam ac substantiam, Filium aliquando suum assumpturum esse præviderct, *Adamum* tanquam primum illius generis fundamentum majori prosecutum honore fuisse, ac suis illum fabricasse manibus. Sanè *Tertullianum* imaginem Dei corpore non circumscripsisse, liquidò probatur ex libro ipsius secundo contra Marcionem, cap.5. ubi divinæ proprietatem imaginis in voluntate & libero arbitrio constituit. *Liberum*, inquit, *& sui arbitrii, & suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejusmodi statûs formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est: Sed in eâ substantiâ quam ab ipso Deo traxit, id est Animæ, ad formam Dei spondentis, & arbitrii sui libertate & potestate signatus est.* Et Capite sequenti: *Oportebat igitur imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrii, & suæ potestatis institui, in quâ hoc ipsum imago & similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas & potestas: In quam rem ea substantia homini accommodata est, quæ hujus statûs est, afflatus Dei, utique liberi, & suæ potestatis.*

II. *Clemens Alexandrinus* Libro 6. Stromatum, *Hominem ad imaginem Dei esse factum* docet, *non propter structuræ suæ figuram: Sed quoniam uti Deus ratione molitur omnia; sic homo qui perfectâ cognitione præditus est, ex rationali facultate bonas & honestas actiones exequitur.*

III. Audianorum, imaginem Dei corpore definientium errorem refellit *S. Epiphanius* Hæresi 60. *Nam qui fieri potest*, inquit, *ut quod aspectabile est, ei simile sit quod videri non potest? Aut quod contrectari potest, ei quod apprehendi nequit? Præterea nos anteriora duntaxat oculis nostris cernimus, quæ ponè sunt ignoramus. Penes Deum autem neque affectio ulla, neque defectus est, sed undecunque lumen est, undecunque oculus, undecunque gloria. Spiritus enim Deus est, qui omnem spiritum exuperat, & lux omni luci præstantior. Quicquid enim ab ipso conditum est, infra illius decus ac gloriam est.* Sed nec in animâ, ( quæ singularis illius opinio est, ) nec in virtute, nec in re quapiam nobis cognitâ, positam imaginis Dei rationem, *S. Epiphanius* ibidem asserit. *Non est* ( inquit ) *ullo modo definiendum aut affirmandum, quanam in parte imago illa consistat. Sed inesse quidem in homine omnino fatendum est, ne divinum beneficium tollamus e medio, ac Dei auctoritati diffidamus. Quæcumque enim ille dicit, planè vera sunt, tametsi nonnulla sententiæ sint, quæ aciem nostræ mentis effugiant. Quocirca negare omnino ad imaginem Dei expressum hominem, a Fide Catholicâ & Ecclesiâ Dei alienum est... Quæ cùm omnes homines Dei ad imaginem creatos esse fateatur, nullam tamen partem definit, in quâ istiusmodi imaginis ratio collocanda videatur.* Infirma certè est *S. Epiphanii* ratio, quâ nec in animâ positam Dei imaginem asserit: *Deus enim*, inquit, *infinitis præ animâ partibus, eòque ampliùs, comprehensionem omnem, ac cogitationem effugit: utpotè cui prospecta sunt omnia tam præterita, quàm præsentia, tam quæ videntur, quàm quæ videri nequeunt. Ipse enim cùm omnia comprehendit, tum a nullo comprehenditur. E contrario verò anima corpore continetur, abyssi fundum ignorat, terræ latitudinem, atque orbis habitabilis limites nescit: Cælorum summa non assequitur, neque quid futurum sit, aut quando futurum, aut quæ ante se jam extiterint, cognoscit. Præterea cùm Deus divisionis omnis expers sit, anima ipsa dividitur: His verbis Apostolus indicat: Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & medullarum.* Hebr.4. Quasi verò metaphorica illa divisio, & animæ finitudo cùm substantiâ, tum in cognitione suâ, impediat quo minus divinæ proprietas imaginis in animâ statuatur. Aut quasi necesse sit, ut imago perfectionem omnem assequatur & exprimat illius cujus imago est. Primigenia quidem, primaria, & perfecta Dei imago, scilicet Filius omnem illius perfectionem exprimit, non autem imago creata, qualis est homo. Id *S. Augustini* verbis exponam significantiùs Libro 7. *De Trinitate*, cap.6. *Sed quia* ( inquit ) *non omnino æqualis fiebat*

*bat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, hujus rei significandæ causâ ita imago est, ut ad imaginem sit, id est, non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit.... Sunt qui ista distinguunt, ut imaginem velint esse Filium; Hominem verò non imaginem, sed ad imaginem. Refellit autem eos Apostolus dicens: Vir quidem non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei. Non dixit; Ad imaginem, sed imago. Quæ tamen imago cùm alibi dicitur, Ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur, qui imago æqualis est Patri: Alioqui non diceret, Ad imaginem nostram. Quomodo enim nostram, cùm Filius solius Patris imago sit? Sed propter imparem, ut diximus similitudinem dictus est homo ad imaginem, & ideo nostram, ut imago Trinitatis esset homo, non Trinitati æqualis, sicut Filius Patri: Sed accedens, ut dictum est, quadam similitudine: Sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci, sed cujusdam imitationis.*

1. Cor. 11.

III. *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro contra Anthropomorphitas, in eorum errore confutando multus est, qui divinam imaginem corpore circumscribunt: eamque in animâ, ratione sanctitatis ac virtutis constituit. Eidem ante *S. Cyrillum* sententiæ subscripserunt *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ *De eo quod imaginem, quæ est ad similitudinem, homo per peccatum abjecit*: & *Severianus Gabalitanus* Oratione 5. *De Mundi Opificio*.

IV. *Theodoretus*, Interrogatione 20. in Genesim, varias Doctorum opiniones de divinæ in homine imaginis proprietate commemorat. *Quidam*, inquit, *vocaverunt imaginem Dei id quod est in Animâ invisibile, sed non rectè dixerunt. Si enim invisibile Dei imago Dei esset, multò magis Angeli, Archangeli, & universa Naturæ sancta & incorporea, vocarentur imagines Dei. Quidam nimium simplices corpus humanum ajunt factum esse ad imaginem Dei: Quoniam audiunt vocem divinam dicentem.* Aperi oculos tuos, & vide, & inclina aurem tuam, & audi, & ; Olfecit Dominus odorem suavitatis, & *illud*, Os Domini locutum est ista, &, In manu ejus sunt omnes fines terræ, & *similia. In quo stolidi non animadverterunt, Dominum Deum per homines hominibus loquentem, audientium infirmitati sermones accommodare. Et quoniam oculis nos videmus, virtutem ejus per quam videt, Scriptura vocat oculos; & rursum audiendi facultatem vocat aures, quoniam hisce partibus audimus; & mandatum Dei os. Verùm oportebat eos non solùm suprà dicta verba audivisse, sed etiam ea quæ docent Deum esse incircumscriptum.* Quò enim, *inquit*, ibo a spiritu tuo, & quò a facie tuâ fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. *Et Samaritanæ Dominus dixit*, Deus spiritus est, & oportet eos qui adorant ipsum, in spiritu & veritate adorare. *Si autem Deus spiritus est, simplex igitur, incompositus, & figuram non recipiens. Atqui supervacuum est illum in longum producere sermonem. Satis enim patet horum insania. Hunc igitur locum*, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, *Doctores ita intellexerunt. Nempe Deum omnium, cùm creaturam sensitivam & intellectivam creasset, hominem postremò formasse, veluti sui quamdam imaginem, medium illum ponendo inter animata & inanimata, sensitiva & intellectiva; ut utraque quidem tam animata quàm inanimata, usum illi veluti tributum quoddam præberent: Naturæ verò intellectiva, dum hominis curam gerunt, benevolentiam erga Creatorem demonstrarent. Nonnulli dixerunt, ad imaginem Dei creatum esse hominem, secundùm facultatem dominandi, argumento clarissimo usi, ex eo quod Creator subjunxit*, Et dominetur piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, & universæ terræ, & omnibus reptilibus repentibus super terram. *Quemadmodum enim ipse omnium tenet imperium; ita dedit homini dominium animalium irrationalium.* Addit divinam imaginem, aliorum judicio, in eo maximè splendescere, quòd homo, similiter ut Deus, varia molitur opera; & ingenii solertiâ ac multiplicibus artium inventis divinam imitatur sapientiam. Tum eam opinionem postremo loco refert, quæ omnium maximè probabilis est; in ratione & intelligendi vi sitam esse imaginis divinæ proprietatem. *Invenire etiam poterit quispiam imitationem aliam aptiorem & convenientiorem in animâ humanâ: Habet enim ipsa facultatem rationalem & vitalem in se: & mens quidem producit sermonem, procedit autem cum sermone spiritus, non generatus quidem, quemadmodum sermo, sed perpetuò consequens sermonem, & cum eo, dum editur, procedens. Sed hujusmodi adsunt homini tanquam imagini: Quamobrem nec sermo, nec spiritus per se subsistit. At in Sanctâ Trinitate tres intelligimus Hypostases, easque sine confusione unitas, & per se subsistentes.*

Reg. 19. Gen. 8. Isai. 1. Psal. 94.

Psal. 138.

Joan. 4.

V. *Diodorus Tarsensis* apud *Theodoretum* loco mox laudato, eorum sententiam refellit, qui secundùm partem animæ rationalem hominem esse imaginem Dei asserunt, quòd *S. Paulus* virum quidem imaginem Dei dixerit, non mulierem, quæ tali rationali pariter animâ prædita est. *Vir*, inquit, *cùm sit imago & gloria Dei, non debet velare caput: Mulier autem gloria viri est.* Quo ex loco sic ratiocinatur Diodorus: *Si ergo qui non debet velare caput, imago Dei est, profectò quæ velatur, non est imago Dei, quamvis ejusdem animæ sit particeps. Quomodo ergo homo est imago Dei? Secundùm imperium & potestatem. Quod prohibere videtur etiam vox divina, quæ dicit:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Et modum subjungens ait:* Et dominetur piscibus Maris & volatilibus Cæli, & bestiis Terræ. *Quemadmodum igitur Deus omnibus imperat, sic homo iis quæ sunt super terram. Quid ergo, mulier non dominatur prædictis? At virum habet pro capite, quæ tamen reliqua sub potestate tenet: Vir autem non subjectus est mulieri. Unde rectè beatus Paulus ait: Solum virum imaginem & gloriam Dei esse, mulierem verò gloriam viri.* Nec peculiaris ista est Diodori Tarsensis opinio. Nam & *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 10. in Genesim, jamque laudatus *Theodoretus*, in cap. 1. Epist. 1. ad Corinthios, *S. Isidorus Pelusiota* Libro 3. Epistolâ 95. & alii, in principatu rerum imaginem ac similitudinem Dei sitam adstruunt.

1. Cor. 11.

VI. *Theodorus Mopsuestenus* apud eundem *Theodoretum*, eorum opinionem sugillat, *Qui hominem ad imaginem Dei creatum esse dixerunt, partim verò secundùm ratiocinandi vim, partim autem secundùm intellectivam: Cùm eos animadvertisse oporteret, quòd solus homo dicatur imago Dei esse*, adeòque peculiarem quamdam rationem hujusce denominationis esse oportuerit, non solùm ob facultatem intellectivam aut rationalem, quarum participes sunt Angeli; immo neque ob facultatem dominandi, quæ iisdem communis est: Sed quòd rerum visibilium & invisibilium *vinculum* homo sit a Deo constitutus: *Ut in ipso cohæreant creatura universa, & certum amicitiæ pignus ipse sit universis. Hac igitur de causâ & animam illi tribuit & corpus, ut non utilitate solâ cohæreant in ipso creaturæ, sed ipsâ etiam cognatione naturæ.* Deumque se gessisse ait, *Quemadmodum si Rex quispiam, extructâ civitate amplissimâ, multisque & variis operibus exornatâ, omnibus absolutis, suam ipsius imaginem maximam & pul-*

*pulcherrimam in mediâ civitate collocari jubeat, indicio, futuram quòd ab eo civitas sit condita, quam proinde necesse sit, tanquam Regis conditoris imaginem, ab incolis omnibus observari, gratiam hoc modo urbis Auctori habentibus, quòd tale ipsis domicilium largitus sit*. Sed nullius ponderis ratio est, ob quam *Theodorus*, *Diodorus*, quin & ipse *Theodoretus*, hominem secundùm partem rationalem animæ, sive secundùm intelligendi vim, imaginem Dei esse negant, quòd Angelis id etiam conveniat. Nam *Moses* cùm hominem ad imaginem Dei conditum asserit, ab ejusdem imaginis & similitudinis divinæ communione Angelos non excludit, sed res tantùm corporeas & sensibiles reliquas, quarum productionem in illo sex dierum opificio descripsit.

VII. *Origenes* ab eodem *Theodoreto* laudatus, refellit eos, qui Dei imaginem in corpore constituunt. Tum subjungit: *Qui verò asserit illud, Ad imaginem, non in corpore consistere, sed in animâ rationali, dogma statuet non contemnendum, comprehendens quę facultatis sint ipsius. Nam quę in homine est facultas cognoscendi, judicandi, bene merendi, agendi quæ justa sunt, fortitudinis, & ut semel dicam, omnis boni effectrix, a Deo ipsi creata est ad imaginem. Quod autem non forma corporis, sed actiones repræsentent nobis imaginem Dei, apertè Apostolus in Epistolâ ad Corinthios dicit.* „ Quemadmodum portavimus imaginem terreni
2. Cor. 11. „ hominis, ita portemus & imaginem cælestis. *Et imaginem quidem terrenam portat, qui secundùm carnem vivit, & perficit opera carnis: Imaginem verò cælestis, qui spiritu actus carnis mortificat.*

VIII. *S. Hieronymus* Epistolâ 146. Hominem ad imaginem Dei conditum ait, quatenus libero arbitrio prædictus est: *Solus* (inquit) *Deus est, in quem peccatum non cadit. Cætera enim cùm sint liberi arbitrii, juxta quod & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem.*

IX. *S. Ambrosius*, & in arbitrii libertate, & in cognoscendi vi divinam imaginem reponit, Libro 6. in Hexaëmeron, cap. 8. *Non ergo* (inquit) *caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quæ libera est & diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italiâ, & cogitamus ea quæ ad Orientales aut Occidentales partes spectare videntur: & eum illis versari videmur, qui in Perside sunt constituti; & illos videmus qui degunt in Africâ: Si quos cognitos nobis ea Terra susceperit, sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos; defunctos quoque ad colloquium suscitamus, eosque ut viventes complectimur & tenemus, & vitæ officia his usumque deferimus. Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corpore æstimatur, sed mentis vigore; quæ absentes videt, transmarina visu obit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc uno momento sensus suos per totius orbis fines & Mundi secreta circumfert: Quæ Deo jungitur, Christo adhæret, descendit in infernum, atque ascendit, libera versatur in cælo.* Legatur & libellus *De dignitate conditionis humanæ*, olim ipsi adscriptus, nunc in Appendicem ipsius rejectus.

*S. Joannes Damascenus* Libro 2. *De Fide Orthodoxâ*, cap. 12. & Libro 3. cap. 14. ad eam sententiam accedit, quæ divinæ imaginis rationem libertate arbitrii definit.

X. *S. Augustinus* in Animâ, præsertim quà intelligens est, divinam imaginem constituit; quamvis & imaginis dignitatem aliquo sensu in corpus redundasse doceat, Lib. 1. De Genesi contra Manichæos, cap. 17. *Istam maximè quæstionem*, inquit, *solent Manichæi loquaciter agitare, & insultare nobis, quòd hominem credamus factum ad imaginem & similitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis nostri, & infeliciter quærunt, utrùm habeat Deus nares & dentes & barbam, & membra etiam interiora, & cætera quæ in nobis sunt necessaria? In Deo autem talia ridiculum est, immo impium credere, & ideo negant hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei. Quibus respondemus, Membra quidem ista in Scripturis plerumque nominari, cùm Deus insinuatur audientibus parvulis, & hoc non solùm in Veteris Testamenti Libris, sed etiam Novi ... Sed omnes qui spiritaliter intelligunt Scripturas, non membra corporea per ista nomina, sed spiritales potentias accipere didicerunt.* Tum subdit: *Sed tamen noverint in Catholicâ Disciplinâ spiritales Fideles non credere Deum formâ corporeâ definitum; & quòd homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundùm interiorem hominem dici, ubi est ratio & intellectus: Unde etiam habet potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum & ferarum, & omnis terræ, & omnium repentium quæ repunt super* „ *terram. Cùm enim dixisset:* Faciamus hominem „ ad imaginem & similitudinem nostram: *Addit* „ *continuo*, Et habeat potestatem piscium Maris, „ & volatilium Cæli, *& cætera: Ut intelligeremus, non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem quâ omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subjecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, & illa non habent: Quamvis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, ut indicet nos meliores esse quàm bestias, & propterea Deo similes. Omnium enim animalium corpora inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur etiam animum nostrum in superna sua, id est, in æterna spiritualia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maximè, adtestante etiam erectâ corporis formâ, homo factus ad imaginem & similitudinem Dei.*

Idem docet Libro De diversis Quæstionibus octoginta tribus, Quæstione 2. *Corpus quoque hominis*, inquit, *quia solum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alvum prostratum est, cùm sit visibile, sed ad intuendum cælum erectum, quod est principium visibilium, quamquam non suâ, sed animæ potentiâ vivere cognoscatur: Tamen non modò quà est, & in quantum est, utique bonum est, sed etiam quia tale est, ut ad contemplandum cælum sit aptius, magis in hoc ad imaginem & similitudinem Dei, quàm cætera corpora animalium factum jure videri potest.* Corpus ad imaginem Dei conditum docet, quatenus signum ac documentum est imaginis Dei & dignitatis illius corporis forma, quamvis in ipso ratio divinę imaginis non sit constituta. Subdit S. Augustinus: *Neque inscitè distinguitur, quòd aliud sit imago & similitudo Dei, qui etiam Filius dicitur; aliud ad imaginem & similitudinem Dei, sicut hominem factum accepimus. Sunt etiam qui non frustra intelligant Duo dicta esse, Ad imaginem & similitudinem: Cùm si una res esset, unum nomen sufficere potuisse asserunt. Sed ad imaginem mentem factam volunt, quæ nullâ interpositâ substantiâ ab ipsâ veritate formatur, qui etiam spiritus dicitur..... Ergo iste spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia veritatis: Hæret enim veritati nullâ interpositâ creaturâ. Cætera hominis ad similitudinem facta videri volunt: Quia omnis quidem imago similis est, non autem omne quod simile est, etiam imago propriè, sed fortè abusivè dici potest.*

Idem Enarratione in Psalmum 54. *Meminisse de-*

*debemus*, inquit, *ad imaginem Dei nos esse factos, nec alibi quàm in ipso intellectu. Nam in multis rebus a bestiis superamur: Ubi autem homo ad imaginem Dei factum se novit, ibi aliquid in se agnoscit amplius esse, quàm datum est pecoribus. Consideratis verò omnibus rebus quas habet homo, invenit se eo propriè discretum a pecore, quòd ipse habeat intellectum. Unde quosdam contemnentes in se quod proprium & præcipuum a Conditore acceperunt,*
„ *increpat ipse Conditor dicens:* Nolite fieri sicut
„ equus & mulus, quibus non est intellectus. *At*
„ *alio in loco dicit:* Homo in honore positus. *In*
„ *quo honore, nisi quia factus ad imaginem Dei?*
„ *Ergo in honore positus*, Non intellexit, *ait*, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Agnoscamus ergo honorem nostrum, & intelligamus.*

Idem Tractatu 3. in S. Joannis Evangelium. *Non distas*, inquit, *a pecore, nisi intellectu: Noli aliunde gloriari. De viribus præsumis, a bestiis vinceris. De velocitate præsumis, a muscis vinceris. De pulchritudine præsumis? quanta pulchritudo est in pennis pavonis? Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu. Si ergo ideo melior pecore, quia habes mentem quâ intelligas, quod non potest pecus intelligere; inde autem homo, quia melior pecore, lux hominum est lux mentium.*

Eandem quæstionem eleganter tractat Libro 12. *De Trinitate* cap. 7. Imaginem Dei in intelligendi facultate constituit, in quâ duo distinguit cognitionis genera, unum quo Deum contemplatur, alterum quo inferiora & temporalia cognoscit & disponit. Quæ duo maris & feminę duplici sexu adumbrari asserit, & in priore positam imaginem Dei. Hanc ob causam soli viro Scripturam videri hanc imaginem tribuere, quanquam insit & feminę, secundùm animam, in quâ nulla sexûs differentia est. *Sed videndum est*, inquit, *quomodo non sit contrarium quod dicit Apostolus, Non mulierem, sed virum esse imaginem Dei, huic quod scriptum est in Genesi:* Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, masculum & feminam fecit eos, & benedixit eos. *Ad imaginem Dei quippe naturam ipsam humanam factam dicit, quæ sexu utroque completur, nec ab intelligendâ imagine Dei separat feminam. Dicto enim quòd fecit Deus hominem ad imaginem Dei, Fecit eum, inquit, masculum & feminam: vel certè aliâ distinctione, Masculum & feminam fecit eos, & benedixit eos. Quomodo ergo per Apostolum audivimus virum esse imaginem Dei, unde caput velare prohibetur, mulierem autem non, & ideo ipsa hoc facere jubetur? Nisi credo illud esse quod jam dixi, cùm de naturâ humana mentis agerem, Mulierem cum viro suo esse imaginem Dei, ut una imago sit tota illa substantia? Cùm autem ad adjutorium distribuitur, quod ad eam ipsam solam attinet, non est imago Dei: Quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est, tam plena atque integra, quàm in unum conjunctâ muliere, sicut de naturâ humana mentis diximus; quia etsi tota contempletur veritatem, imago Dei est; & cùm ex eâ distribuitur aliquid, & quâdam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est: Ex quâ verò intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei.*

Et infrà: *Sicut enim non solùm veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, non secundùm formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secundùm rationalem mentem. Cogitatio quippè turpiter vana est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri. Porrò autem nonne idem beatus Apostolus dicit?* Renovamini spiritu mentis vestræ,
„ & induite novum hominem, qui secundùm
„ Deum creatus est. *Et alibi apertiùs:* Exuentes
„ vos, *inquit*, veterem hominem cum actibus
„ ejus, & induite novum, qui renovatur in agni-
„ tione Dei, secundùm imaginem ejus qui crea-
„ vit eum. *Si ergo spiritu mentis nostræ renovamur, & ipse est novus homo, qui renovatur in agnitione Dei secundùm imaginem ejus qui creavit eum, nulli dubium est, non secundùm corpus, neque secundùm quamlibet animi partem, sed secundùm rationalem mentem, ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus qui creavit eum. Secundùm hanc igitur renovationem efficimur etiam filii Dei per baptismum Christi, & induentes novum hominem, Christum utique induimus per fidem. Quis est ergo qui ab hoc consortio feminas alienet, cùm sint nobiscum gratiæ coheredes? Et alio loco idem*
„ *Apostolus dicat:* Omnes enim filii Dei estis per
„ fidem in Christo Jesu. Quicumque enim in Chri-
„ sto baptizati estis, Christum induistis. Non est Ju-
„ dæus, neque Græcus, non est servus, neque
„ liber, non est masculus, neque femina: Omnes
„ enim vos unum estis in Christo Jesu. *Nunquid nam igitur fideles feminæ sexum corporis amiserunt? Sed quia ibi renovantur ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, ibi factus est homo ad imaginem Dei, ubi sexus nullus est, hoc est in spiritu mentis suæ. Cur ergo vir propterea non debet caput velare, quia imago est & gloria Dei? Mulier autem debet, quia gloria viri est; quasi mulier non renovetur spiritu mentis suæ, qui renovatur in agnitione Dei secundùm imaginem ejus qui creavit illum? Sed quia sexu corporis distat a viro, ritè potuit in ejus corporali velamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, ut non maneat imago Dei, nisi ex quâ parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis vel consulendis adhæserit, quam non solùm masculos, sed etiam feminas habere manifestum est. Ergo in eorum mentibus communis natura cognoscitur: In eorum verò corporibus ipsius unius mentis distributio figuratur.*

## SCHOLION.

Imago Dei in nobis deformata per peccatum, gratiâ ejus operante, nobis cooperantibus renovatur. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Renovatus autem homo in agnitionem Dei, secundùm imaginem ejus qui creavit illum, & spiritalis effectus, judicat omnia, quæ judicanda sunt, per mentis intellectum, per quem percipit quæ sunt Spiritûs Dei; sed de Scripturâ sanctâ & Lege Dei non judicat, cui intellectum suum & voluntatem submittit. Certum enim habet in Scripturâ sacrâ, etiam quod clausum est aspectibus nostris, rectè veraciterque dictum esse; & *Factor Legis debet esse, non Judex....* Quicquid imaginem Dei deformare vel obscurare in nobis potest, sedulò removendum: quæ subrepunt peccata, ejus pulchritudinem infuscantia, pœnitentiæ lacrimis & satisfactoriis operibus abstergenda sunt; vivis virtutum coloribus Dei similitudo in nobis exprimenda: Resistendum Diabolo, qui a Tertulliano *Divinæ imaginis prædo* appellatur.

*Rom.* 12. 2.

*S. August. Lib.* 13. *Confess. c.* 23.

## ARTICULUS VIII.

### Utrùm ſex Dierum intervallo Mundus ſit conditus? Et quâ Anni Tempeſtate?

### PROPOSITIO I.

*Etſi propter S. Auguſtini reverentiam nulla ſit inurenda nota erroris illi ſententiæ, quæ myſticam & figuratam, non propriam putat ſex dierum, quibus Mundum a Deo conditum Moſes narrat, ſignificationem: longè certè probabilior eſt, & Scripturæ ſacræ magis conſentanea ſententia, quæ ſex dierum intervallo perfectum a Deo Mundi opificium interpretatur.*

I. MUndum ſex revera dierum ſpatio conditum non fuiſſe, ſed momento eodem omnia procreata, quæ tamen in ſenarium partita numerum, non tam productionis quàm naturæ ordine a *Moſe* referuntur, cenſet *Philo Judæus*, Libro *De Mundi Opificio*, & Lib. 1. *Allegoriarum*. Eidem ſententiæ ſubſcribit *Origenes* Libro 6. contra *Celſum*, hoc argumento ductus, quòd Scriptura ſacra eâdem die omnia eſſe perfecta demonſtret Geneſis 2. cum ait: *Iſta ſunt generationes Cæli & Terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus Cælum & Terram.* In eandem ſententiam propendet *Procopius* Commentar. in Geneſim. Ei majus pondus auctoritate ſuâ *S. Auguſtinus* addidit, ſex illos operoſos dies ad Angelorum notitiam allegoricè referens, quâ opera ſingula in Verbo ac Deo primùm cognoverunt, quæ eſt matutina cognitio, deinde in ſe ipſis, quæ veſpertina. Sex itaque dierum diſtinctio, ſecundùm *S. Auguſtinum*, eſt cognitio rerum ſexies in Angelo ſecundùm ſex genera rerum a Deo conditarum multiplicata. Suam illam ſententiam variis in locis *S. Auguſtinus* explicat, ſcilicet Libro de Geneſi ad literam Imperfecto, cap. 7. ubi hæc habet: *Quamquam ergo ſine productione temporis faciat Deus, cui ſubeſt poſſe cùm volet; ipſa tamen natura temporales motus ſuos temporaliter peragunt. Ita ergo fortaſſe dictum eſt:* Et facta eſt veſpera, & factum eſt mane dies unus. *Sicut ratione proſpicitur, ita fieri debere aut poſſe, non ita ut ſit temporalibus tractibus. Nam in ipſâ ratione operationem contemplatus eſt in Spiritu Sancto, qui*
Eccli. 18. „ *dixit:* Qui manet in æternum, creavit omnia „ ſimul: *Sed commodiſſimè in illo Libro, quaſi morarum per intervalla factarum a Deo rerum digeſta narratio eſt, ut ipſa diſpoſitio quæ ab infirmioribus animis contemplatione ſtabili videri non poterat, per hujuſmodi ordinem ſermonis expoſita quaſi iſtis oculis cerneretur.*

Libro 4. De Geneſi ad literam, cap. 22. *Sed quoniam*, inquit, *lux corporalis, antequam fieret Cælum, quod Firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta ſunt, quo circuitu vel quo proceſſu vices diei & noctis exhibere potuerit, non invenimus; iſtam quæſtionem relinquere non debemus ſine aliquâ noſtræ probatione ſententiæ, ut ſi lux illa quæ primitus creata eſt, non corporalis, ſed ſpiritualis eſt, ſicut poſt tenebras facta eſt, ubi intelligitur a ſuâ quâdam informitate ad creatorem converſa atque formata, ita & poſt veſperam fiat mane, cùm poſt cognitionem ſuæ propriæ naturæ, quâ non eſt quod Deus, refert ſe ad laudandam lucem, quod ipſe Deus eſt, cujus contemplatione formatur. Et quia cæteræ creaturæ quæ infra ipſam fiunt, ſine cognitione ejus non fiunt, propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies quoties diſtinguuntur rerum genera creatarum, perfectione ſenarii numeri terminanda: Ut veſpera primi diei ſit etiam ſui cognitio, non ſe eſſe quòd Deus eſt; mane autem poſt hanc veſperam quo concluditur dies unus, & inchoatur ſecundus, converſio ſit ejus, quâ id quod creata eſt, ad laudem referat Creatoris, & percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ quæ poſt ipſam ſit, hoc eſt firmamenti, quod in ejus cognitione ſit priùs cùm dicitur,* Et ſic eſt factum; *deinde in naturâ ipſius firmamenti quod conditur, cùm additur etiam poſtea, jam dicto,* Et ſic eſt factum, Et fecit Deus firmamentum. *Deinde ſit veſpera illius lucis, cùm ipſum firmamentum non in Verbo Dei ſicut ante, ſed in ipſâ ejus naturâ cognoſcit: Quæ cognitio quoniam minor eſt, rectè veſperæ nomine ſignificatur. Poſtquam ſit mane quo concluditur ſecundus dies, & incipit tertius: In quo itidem mane converſio eſt lucis hujus, id eſt, diei hujus ad laudandum Deum, quòd operatus ſit firmamentum, & percipiendam de Verbo ejus cognitionem creaturæ, quæ condenda eſt poſt firmamentum. Ac per hoc cùm dicit Deus:* Congregetur aqua quæ eſt ſub Cælo in „ collectionem unam, & appareat arida, *cogno-* „ *ſcit hoc illa lux in Verbo Dei, quo id dicitur; & ideo dicitur,* Et ſic eſt factum, *hoc eſt in ejus cognitione ex Verbo Dei: Deinde cùm additur:* Et „ congregata eſt aqua, *&c. Cùm jam dictum eſ-* „ *ſet*, Et ſic factum eſt, *in ſuo genere ipſa creatura ſit: quæ item cùm in ſuo genere facta cognoſcitur ab eâ luce, quæ jam in Verbo Dei faciendam cognoverat, ſit tertiò veſpera. Et inde hoc modo cætera uſque ad mane poſt veſperam ſexti diei. Multùm quippe intereſt inter cognitionem rei cujuſque in Verbo Dei, & cognitionem ejus in naturâ ejus, ut illud meritò ad diem pertineat, hoc ad veſperam. In comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conſpicitur, omnis cognitio quâ creaturam quamlibet in ſeipsâ novimus, non immeritò nox dici poteſt: Quæ rurſus tantum differt ab errore vel ignorantiâ eorum, qui nec ipſam creaturam ſciunt, ut in ejus comparatione non incongruè dicatur dies.* Addit cap. 33. *Quid ergo opus erat ſex dies, tam diſtinctè diſpoſitèque narrari? Quia ſcilicet ii qui non poſſunt videre quod dictum eſt,* creavit omnia ſimul, *niſi cùm eis ſermo tardiùs incedat, ad id quò eos ducit pervenire non poſſunt.*

Libro etiam 11. *De Civitate Dei*, 29. Matutinam illam & veſpertinam Angelorum cognitionem explicans, ait: *Ipſam quoque creaturam meliùs ibi, hoc eſt, in ſapientiâ Dei, tanquam in arte quâ facta eſt, quàm in eâ ipſâ ſciunt... Multùm enim differt, utrùm in eâ ratione cognoſcatur aliquid, ſecundùm quam factum eſt, an in ſe ipſo. Sicut aliter ſcitur rectitudo linearum, ſeu veritas figurarum cùm intellecta conſpicitur, aliter cùm in pulvere ſcribitur; & aliter juſtitia in veritate incommutabili, aliter in animâ Juſti. Sic deinde cætera, ſicut firmamentum inter aquas ſuperiores & inferiores quod cælum vocatum eſt, ſicut deorſum aquarum congeries, terræque nudatio, & herbarum inſtitutio atque lignorum; ſicut Solis & Lunæ, Stellarumque conditio; ſicut ex aquis animalium volucrum ſcilicet atque piſcium, belluarumque natantium: ſicut quorumcunque in terrâ gradientium atque repentium, & ipſius hominis qui cunctis in terrâ rebus excelleret. Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, ubi habent cauſas rationeſque ſuas, id eſt ſecundùm quas facta ſunt, incommutabiliter permanentes, aliter in ſe ipſis; illic clariore, hic obſcuriore cognitione, velut artis atque operum: Quæ tamen opera cùm ad ipſius Creatoris laudem venerationemque referuntur, tanquam mane luceſcit in mentibus contemplantium. Hæc autem propter ſenarii numeri perfectionem, eodem die*

ſex

*sex diebus perfecta narrantur: Non quia Deo necessaria fuerit mora temporum, quasi qui non potuerit creare omnia simul, quæ deinceps congruis motibus peragerent tempora; Sed quia per senarium numerum est operum significata perfectio.*

II. At contraria sententia, quæ sex dierum spatio Mundum conditum affirmat, omnium penè Patrum ante *S. Augustinum* fuit, quam & *S. Gregorius Magnus*, Libro 32. Moralium in *Job* cap. 10. & Venerabilis *Beda* in *Hexaëmeron*, licèt *S. Augustino* aliàs addictissimi, & *Rupertus* Abbas amplexi sunt, & recentiores omnes Interpretes, uno excepto *Cajetano* in suis sæpè commentationibus singulari. Et firmioribus quidem argumentis hæc nititur opinio. Primò consentanea magis est & congruens historicæ *Mosis* narrationi, qui tam accuratè sex dies, & singulorum spatia dinumerat; & quid operis in unoquoque molitus sit Deus, exponit. Tum ex aliis alia producta refert, ut ex aquâ pisces & aves: e terrâ stirpes & plantas, animalia, & omnium principem hominem. Quæ omnia ex nihilo simpliciter procreata fuissent, non ex aquis vel terrâ producta, si momento uno simul extitissent. Præterea, præceptum de observatione Sabbati Judæis a Deo datum hac ratione niti *Moses* significat, quòd sicut Deus Mundum & omnia quæ in eo sunt sex diebus elaboravit, septimo autem die requievit ab omni opere, ita Judæi sex diebus laborare possint, die autem septimo ab omni opere servili ac labore feriari. Quæ certè ratio nullius esse ponderis videretur, si Deus uno momento totum Mundi opificium absolvisset. Exodi 20. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: Non facies omne opus in eo... Sex enim diebus fecit Dominus Cælum & Terram, & Mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit illum.* Et cap. 31. *Custodite Sabbatum meum, sanctum est enim vobis... Sex diebus facietis opus. Die septimo Sabbatum est, requies sancta Domino... Sex enim diebus fecit Dominus Cælum & Terram, & in septimo ab opere cessavit.* Tertiò, incredibile est *Mosem* opificium Mundi rudi Hebræorum populo describere voluisse per cognitiones Angelorum matutinas & vespertinas, vix Theologis ipsis subtilioribus hodieque planè ac liquidò perspectas & exploratas. Denique inexplicabiles difficultates habet *S. Augustini* sententia. Quomodo enim uno eodemque momento Lux creata est, & a tenebris divisa, id est, Angeli conditi, boni in gratiâ confirmati, a malis discreti, glorificati? Quomodo rerum omnium cognitionem in Verbo eodem quo creati sunt momento habuerunt, si in beatitudine creati non fuerunt, sed eam amore casto, quo Deo adhæsere, meruerunt? Quomodo uno momento homo extra Paradisum conditus, in Paradisum introductus, sopore correptus, mulier ex costâ dormientis producta?

III. Pro contrariâ sententiâ duo maximè Scripturæ Sacræ loci proferuntur. Primus ex *Genes.* 2. cap. *Istæ sunt generationes Cæli & Terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus Cælum & Terram.* Alter ex *Ecclesiastici* cap. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Addunt nonnulli & illud *Job* 11. cap. *Ecce Behemot quem feci tecum.. Ipse principium viarum Dei.* Quæ sententia de Diabolo intellecta, significat eum simul cum homine, eodemque momento creatum.

IV. At facilis est istorum locorum explicatio. Primus enim non significat Cælum ac Terram, & omnia quæ in eis si[illegible] unicâ die fuisse condita, sed unâ serie, continuâque successione dierum, sive uno tractu temporis. Scripturæ enim phrasi diei nomen pro tempore non semel usurpatur, & singulare pro plurali. Illud ergo, *in die*, idem est quod *in tempore*, vel, *in diebus*.

Locus *Ecclesiastici* nihil aliud significat, nisi omnia communiter, pariter, seu universim & ex æquo fuisse creata, quod exprimit vox Græca κοινῇ, id est, nihil omnino esse in illo sex dierum opificio, quod non sit a Deo creatum. Et hanc plerumque adverbii, *simul*, significationem in Scripturâ Sacrâ observare est, ut Psalmo 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, Et Psalm. 48. *Simul insipiens & stultus peribunt*. Vel, simul omnia creata sunt ratione substantiæ & materiæ, non ratione speciei & formæ, ut *S. Gregorius Magnus* explicat Libro 32. Moralium in *Job.* cap. 0. *Quærendum est*, inquit, *quomodo Deus cuncta simul condidit, dum Moyses sex dierum mutatione variante distinctè creata describat? Quod tamen citiùs agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cùm enim simul factum cælum terraque describitur, simul spiritualia atque corporalia, simul quicquid de cælo oritur, simul factum quicquid de terrâ producitur, indicatur. Sol quippe, Luna, & sidera quarto die in Cælo facta perhibentur: Sed quod quarto die processit in specie, primo die in Cæli substantiâ extitit per conditionem. Primo die creata terrâ dicitur, & tertio arbusta condita & cuncta terræ virentia describuntur: Sed hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die in ipsâ, de quâ ortum est, terræ substantiâ conditum fuit. Hinc est quòd Moses distinctè per dies singulos condita omnia retulit, & tamen simul omnia creata subjunxit, dicens:* Istæ sunt generationes Cæli & Terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Cælum & Terram, & omne virgultum agri antequàm oriretur in terrâ, omnemque herbam regionis. *Qui enim diversis diebus creatum Cælum & Terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat: ut liquidò ostenderet, quòd creatura omnis simul per substantiam extitit, quamvis non simul per speciem processit. Hinc illic quoque scriptum est:* Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam fecit eos, *Needum enim Eva facta describitur, & jam homo masculus & femina perhibetur. Sed quia ex Adæ latere procul dubio femina erat processura, in illo jam computatur per substantiam, a quo fuerat producenda per formam.*

Quod tertium locum spectat, si per *Behemot* Dæmon significetur, illud *tecum*, non significat unitatem temporis, sed similitudinem conditionis, *ut S. Gregorius* explicat Libro & Capite mox laudatis. *Sed si rerum causas, inquit, subtili discussione pensamus, simul Angelum factum hominemque cognoscimus, simul videlicet non unitate temporis, sed cognitione rationis: simul per acceptam imaginem sapientiæ, & non simul per conjunctam substantiam formæ. Scriptum namque de homine est:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Et per Ezechielem* ad Satan *dicitur:* Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ & perfectus decore in deliciis Paradisi Dei fuisti. *In cunctâ igitur creaturâ Homo & Angelus simul conditus extitit, quia ab omni creaturâ irrationali distinctus processit. Quia ergo in cunctâ conditione rerum nullum rationale animal nisi Angelus & homo est, quicquid ratione uti non potest, eum homine factum non est. Dicatur itaque homini, dicatur de Angelo, qui etsi potentiam sublimitatis perdidit, subtilitatem tamen naturæ ratio-* Ezechiel. 28.

*rationalis non amisit:* Ecce Behemot, quem feci tecum: *Ut dum homo eum qui in ratione secum factus est, periisse considerat, vicinum sibi casum superbiæ ex ipsâ propinqui sui perditione pertimescat.*

Sed nomine *Behemot* significari Dæmonem, si literalis unus attendatur sensus, meritò negant eruditi Interpretes. Bestias namque significat. Unde Septuaginta vertunt; Ἀλλα δη ιδου θηρια παρα σοι *Verumutique ecce Bestia apud te.* Et Paraphrasis Chaldaica: *Ecce nunc animal quod feci tecum.* Elephantem hoc nomine designari, Viri Docti censent, qui plurali nomine belluæ appellatur ob maximam ejus molem, quasi dicas belluam multis æquandam. Item ob insignes ejus dotes, unde & *principium viarum Dei* dicitur, id est, opus ejus inter animalia præcipuum, ut quo non sit aliud vel magnitudine, vel robore, vel docilitate præstantius. Quamobrem *Scaliger* Exercitat. 204. Elephantem *Bestiarum heroëm* nominat. Et Græci κατ' ἐξοχὴν Elephantos vocant θηρία, id est feras, ut *Suidas* observat. *Plutarchus* quoque in *Eumene*, τῶν θηρίων τοὺς πύργους memorat, *Turritos Elephantos* significare. Et Latini easdem belluas vocant. Vide *Plinium* 8. 3. & *Terentium*, *in Eunucho* Actione 3. Scenâ 1. Sensus est itaque: *Ecce Elephas quem feci tecum*, id est, quem *unà*, vel *pariter* tecum feci; vel, eodem die, sexto scilicet; vel *tecum*, id est in eodem solo, non in mari ut *Leviathan*: ut tecum habitaret, & tibi inserviret: Vel, *tecum*, quia *proximum humanis sensibus est hoc animal*, ut ait *Plinius*, & multa docetur hominum operâ, *fœnum quasi bos comedet.*

*S. Augustini* auctoritas non cogit ut eam quam ipse amplexus est, hac in re sequamur sententiam, cùm adversùs alteram probabiliorem, si quæ proferretur, præjudicare noluerit. *Quisquis ergo*, inquit, *non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in Prophetiâ figuratè, sed in hac creaturarum conditione propriè, meliùsque possit intelligi, quærat, & divinitùs adjutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam.* Et ad communem sententiam accessisse videtur Libro *De Catechizandis Rudibus*, Cap. 17. ita scribens: *de quâ requie significat Scriptura, & non tacet, quòd ab initio Mundi, ex quo fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, sex diebus operatus est, & septimo die requievit. Poterat enim Omnipotens & uno momento temporis omnia facere.*

Lib. 1. De Genes. ad lit. cap. 18.

## SCHOLION I.

Eruditus Bochartus *Hierozoici* Lib. 5. cap. 15. *Behemot* esse Hippopotamum censet, illique convenire Jobi descriptionem ostendit; atque hæc verba, *Ecce Behemoth quem feci tecum*, &c. sic interpretatur: *Ecce Behemoth quem feci juxta te;* id est, in viciniâ tuâ; ac si diceret Deus: Argumentum potentiæ nihil opus est ut ex longinquo petam, cùm propinqua suppetant. Inter belluas quas in Nilo creavi Arabiæ tuæ vicino, quàm mirabilis est Hippopotamus!

## SCHOLION II.

S. August. lib. 1. De Genesi contr. Manichæos cap. 25.

„ Habet unusquisque nostrûm in bonis operibus & rectâ vitâ tamquam distinctos istos sex dies, post quos debet quietem sperare. Primo die, lucem Fidei, quando priùs visibilibus credit, propter quam Fidem Dominus visibiliter apparere dignatus est. Secundo die tamquam Firmamentum disciplinæ, quo discernit inter carnalia & spiritualia, sicut inter aquas inferiores & superiores. Tertio die, quo mentem suam ad ferendos bonorum operum fructus, a labe & fluctibus tentationum carnalium, tamquam aridam terram a perturbationibus maris secernit, ut jam possit dicere, *Mente servio Legi Dei, carne autem legi peccati.* Quarto die, (Rom. 7. 25.) quo jam in illo firmamento disciplinæ spiritales intelligentias operatur, atque distinguit, videt quæ sit incommutabilis veritas, quæ tamquam sol fulget in animâ; & quemadmodum anima ipsius veritatis particeps fiat, & corpori ordinem & pulchritudinem præstet tamquam luna illuminans noctem; & quemadmodum stellæ omnes, scilicet intelligentiæ spiritales, in hujus vitæ obscuritate tamquam in nocte micent & fulgeant. Quarum rerum notitiâ fortior effectus incipiat quinto die in actionibus turbulentissimi sæculi, tamquam in aquis maris operari, propter utilitatem fraternæ societatis; & de corporalibus actionibus, quæ ad ipsum mare pertinent, id est, ad hanc vitam, producere animarum vivarum reptilia, id est, opera quæ prosint animis vivis; & cetos magnos, id est, fortissimas actiones, quibus fluctus sæculi dirumpuntur & contemnuntur, & volatilia cæli, id est, voces cælestia prædicantes. Sexto autem die producat de terrâ animam vivam, id est, de ipsâ stabilitate mentis suæ, ubi spiritales habet fructus, id est, bonas cogitationes, motus omnes animi sui regat, ut sit in illo anima viva, id est, rationi & justitiæ serviens, non temeritati atque peccato. Ita fiat etiam homo ad imaginem & similitudinem Dei, masculus & femina, id est, intellectus & actio, quorum copulatione spiritalis fœtus terram impleat, id est, carnem subjiciat. Post istorum quasi sex dierum opera bona valde, speret homo quietem perpetuam, & intelligat quid sit, *Requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis:* Quia & ipse in nobis hæc bona operatur, qui ut operemur jubet; & ipse rectè requiescere dicitur, quia post hæc omnia opera requiem nobis ipse præstabit. Sublimis hæc allegoria est S. Augustini.

---

## *PROPOSITIO II.*

*Autumno conditum esse Mundum probabilius est, quàm Vere primo.*

I. Potissima quæ id evincit probatio ex eo petitur, quòd ante *Mosem* id initium civilis anni fuerit. Unde & æstatis exitus finis anni vocatur. Constatque primùm ab *Mose* novum anni sacri vel Ecclesiastici primordium constitutum esse in verno mense, qui est *Nisan:* cùm ab autumnali, id est *Tisri*, hactenus procederet. Scripturæ Sacræ loca, quæ id liquidò probant, subjicio. Exodi 12. *Dixit Dominus ad Mosen & Aaron in Terrâ Ægypti: Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.... Primo mense, quartadecimâ die mensis ad vesperam comedetis azyma*, &c. Cap. 13. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solemnitatem Azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto... Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* Cap. 36. *Solemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, & So-*

le-

*lemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.*

Id confirmat *Josephus* Libro 1. *Antiquitatum*, cap.4. ubi de Diluvii Noëtici tempestate scribit. *Contigit autem hac vastitas anno ætatis Noë sexcentesimo, mense secundo, qui Dius a Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marsouane, sic enim Ægyptii distinxerunt annum. Moses autem Nisan, qui est Xantichus, mensem primum in suis fastis ordinavit, quòd per hunc Hebræos ex Ægypto eduxisset. Eumdem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent exordium fecit: Alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit.*

Idem confirmat *S. Hieronymi* observatio in Commentario ad cap.1. Ezechielis. *Apud Orientales Populos*, inquit, *post collectionem frugum & torcularia, quando decimæ deferebantur in Templum, October erat primus mensis.* Ægyptios initium anni a Septembris mense ducere solitos. *Cicero* Lib.2. *De Naturâ Deorum*, & *Lactantius* Lib.1. *Divinarum Institutionum*, cap.4. pariter testantur.

Idem probat fructuum maturitas & tempestivitas, qui *Adami* & *Evæ*, atque animalium, quæ fructibus vescuntur, usui apti erant in Mundi exordio. Quod certè verno tempori non convenit.

Huic opinioni viri doctissimi suffragantur, scilicet *Lyranus*, *Abulensis*, *Picus Mirandulanus* Lib. Contra Astrologiam cap.7. *Scaliger*, *Perrerius* Lib. 1. Commentariorum in Genesim ad opus tertiæ diei, *Serrarius* in cap.5. *Josue* Quæst.27. *Petavius* Lib.9. De Doctrinâ Temporum, cap.6. Et in Rationario P.2. Lib.2. cap.1. *Usserius* in Annalibus Sacris, ac plerique Judæorum Magistri.

II. At si solus Auctorum numerus, antiquitas ac celebritas spectaretur, non autem & pondus argumentorum, ea sanè vinceret opinio, quæ Vere primo Mundum esse conditum propugnat. Hanc enim amplexi sunt Synodi Palæstinæ a *Theophilo* Cæsariensi Episcopo sub *Victoris* I. Pontificatu celebratę, Patres, *Cyrillus Hyerosolymit.* Cathechesi 14. *S. Basilius* in Hexaëmeron. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione in Nativitatem Domini, 42. *S. Ambrosius* Lib.1. Hexaëmeron, cap.4. ubi de primo mense loquens, quo Pascha Domini celebratur, de quo dictum est Exodi 12. *Mensis hic initium mensium est vobis*, ait: *In hoc ergo principio mensium Cælum & Terram fecit, quòd inde Mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Unde & annus Mundi imaginem nascentis expressit, ut post hybernas glacies atque hyemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curriculis Mundi primus exortus, ut eâ lege annorum vices surgerent, atque initio cujusque anni produceret terra nova seminum germina, quo primùm Dominus Deus dixerat:* Germinet terra herbam fœni ... *Ergo ut ostenderet Scriptura veris tempora in constitutione Mundi, ait:* Mensis hic vobis initium mensium, primus ,, est vobis in mensibus anni: *Primum mensem vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foveri. Neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstûs injuriam sustinere.*

*S. Leo* Sermone 9. De Passione Domini: *Nunc ad pranunciatum festis omnibus Festum, sacer novorum mensis enituit, ut in quo accepit Mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium.*

*Theodoretus* Quæstione 72. *in Exodum*, Deum jussisse ait erigi Tabernaculum primâ die primi mensis, quòd eo tempore creaturas condiderit, cujus rei fidem facit arborum germinatio. *Nam ineunte Vere prata florent, & segetes fluctuant, & fructuum arbores emittunt.* Eidem sententiæ suffragantur *S. Joannes Damascenus* Lib.1. de Fide Orthodoxâ; cap.7. *Beda* Lib. De Ratione Temporum, cap.28. aliique a *Torniello* & *Saliano* laudati, quos plerique recentiores Auctores sequuntur. Eâque pene omnes ratione seu conjecturâ nituntur, quòd in Mundi primordio pullulare herbæ, germinare arbores, fruges atque fructus erumpere cœperint. At non solùm herbas & arbores, sed segetes maturas ac fructus, hominum atque animalium usibus, cùm in Paradiso, tum extrà extitisse, certum est. Genesis 2. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave.* Ibidem: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis ... Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Cap.3. Mulierem Serpenti respondisse narratur, *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur ... Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius & comedit.* Hæc autem fructuum bonitas & tempestivitas Verno Tempori non convenit, sed Autumno: nisi nova miracula in primo rerum exortu fingantur, ut arbores verno tempore fructus maturos tulerint, qui tamen ad Autumnum usque illas ornaverint; aut anno toto & dimidio vacuæ fructibus extiterint.

Rationem alteram afferunt, quibus vernum tempus magis arridet. Valde nimirum esse credibile, primum Adam, & secundum, qui est Christus Dominus, eodem tempore esse formatos, eodemque conditum Mundum, & a Christo reparatum. Sed hæc conjectura infirma est. Deus enim eo tempore quo voluit, & ab æterno diffinivit, misit Filium suum ut homines redimeret; verno tempore passus est Christus, non quòd Mundus eo tempore conditus sit, sed quòd Pascha eâ tempestate celebretur. Vetus autem Pascha consummare, & novum Pascha condere volebat, & eo tempore quo ex *Pharaonis* servitute Judaicus populus liberatus fuerat, post agni typici immolationem, universum hominum genus ex diaboli captivitate Passione suâ eruere.

Si quid Astrologis ac Poëtis hac in quæstione concedendum esset, eorum suffragiis vinceret sententia creationis Mundi vere primo propugnatrix. Signum enim Arietis ob eam causam initium esse & caput cæterorum Zodiaci signorum dicerent. Illud verò *Virgilii* nobis Poëtæ canerent:

*Non alios primâ nascentis origine Mundi*
*Illuxisse dies, aliumque habuisse tenorem*
*Crediderim: Ver illud erat, Ver magnus agebat*
*Orbis: & hybernis parcebant flatibus Euri:*
*Cùm primùm lucem pecudes hausere, virûmque*
*Ferrea progenies duris caput extulit arvis,*
*Immissaque feræ sylvis, & sidera Cælo.*

Sed Musas colimus severiores, & Poëtis valere jussis, eam sectamur opinionem, quæ Scripturæ Sacræ consona magis nobis videtur.

# DISSERTATIO II.

## DE PARADISO.

### ARTICULUS I.

De Loco & Situ Paradisi.

### PROPOSITIO I.

*Paradisus corporeus quidam locus fuit, oculis ac sensibus subjectus; arcanarum licèt ac spiritualium rerum adumbrans rationes. Meritò igitur sunt erroris a Patribus damnati, qui in Mosaicâ Paradisi descriptione nihil propriè, sed allegoricè omnia intelligenda putarunt.*

I. NArratio illa *Mosis* de Paradiso voluptatis non minùs historica censeri debet, quàm aliarum rerum, quas superiùs inferiùsque commemorat. Ejus itaque verba propriè ac secundum vulgatam significationem accipienda sunt. Terrestrem sanè locum & sensibus obnoxium series ipsa Mosaicæ narrationis demonstrat, Genesis 2. Cap. *Plantaverat autem*, inquit, *Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio: in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison: Ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est: ibi invenitur Bdellium, & lapis Onychinus. Et nomen fluvii secundi Gehon: Ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertii, Tigris: Ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus ipse est Euphrates. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

II. Paradisi descriptionem, post *Philonem Judæum*, de quo *Photius* in Bibliothecâ Cod. 105. scripsit, *Allegoricam omnem enarrandæ Scripturæ rationem in Ecclesiam ab illo, ceu fonte manasse*, ad meras allegorias detorsit *Origenes*. Quam ob causam ab antiquis Patribus reprehensus est, scilicet a *S. Methodio*, *S. Epiphanio*, *S. Hieronymo*, & aliis. Hunc errorem ita refellit *Methodius* apud *S. Epiphanium* Hæresi 67. n. 47. *Imprimis enim Paradisus ille, de quo in primo nostro Parente dejecti fuimus, eximius quidam haud dubiè hac in terrâ locus est, & ad exquisitam quandam ac jucundissimam Piorum requiem habitationemque secretus. Indidem porro Tigris & Euphrates, ceteraque flumina proficiscuntur; quorum in continentem nostram derivationes ac decursus exundant. Non enim in terras e cælo delapsa præcipitant. Neque enim tantam aquarum molem cum ingenti ex alto impetu depressam sustinere terra potuisset. Sed nec Apostolus Paradisum tertio in cælo collocat.* Et infra: *Nam & Adamus neutiquam e cælo dejectus est? sed ex eo Paradiso, qui in Eden fuerat ad Orientem constitus.*

III. *S. Epiphanius* in Ancorato, Num. 64. *Origenem* eo nomine pariter reprehendit. *Ad eumdem modum*, inquit, *plerique de Paradiso allegoricè disputant: Atque inter ceteros furiosus Origenes adumbratam nescio quam speciem pro veritate in Mundum invexit. Sic enim disserit: Non est Paradisus in terris; Et hoc Apostoli testimonio nititur.* 2. Cor. 12.
„ Vidi hominem ante annos quatuordecim, sive „ in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio: „ Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium „ cælum. Scio hujusmodi hominem raptum in „ Paradisum; & audivisse verba, quæ non licet „ homini loqui. Hunc verò sic refellit errorem Num. 55. *Quòd si nusquam est in terrâ Paradisus, neque vera sunt quæ in Genesi continentur, sed allegoricè dicuntur; nihil deinceps consequens ac veritati consentaneum erit, sed ad allegoriam universa transferentur.* In principio enim creavit „ Deus Cælum & Terram: *Quæ non allegoricè significata, sed aspectabilia sunt. Tum firmamentum*, inquit, *& mare, germina, arbores, herbas, gramen, animalia, pisces, aves, cetera denique, quæ oculis usurpantur, ac re verâ producta sunt: atque hominem, quem re verâ produxit. Hunc igitur, quem formarat, in Paradiso collocavit.*

IV. *S. Hieronymus* Epistolâ 61. ad *Pammachium*, inter octo *Origenis* errores hunc sexto loco recenset: *Quòd sic Paradisum allegorizet, ut historiæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus Virtutes cælestes intelligens, totamque Paradisi continentiam tropologicâ interpretatione subvertat.* Et in Commentariis ad Cap. 10. Danielis: *Unde*, inquit, *eorum deliramenta conticescant, qui umbras & imagines in veritate quærentes ipsam conantur evertere veritatem: ut flumina, & arbores, & Paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere.*

V. *S. Ambrosius* Lib. *De Paradiso*, quamvis in allegoricis interpretationibus penè totus sit, locum tamen corporeum fuisse existimat. *In hoc ergo Paradiso*, inquit, *hominem Deus posuit quem plasmavit. Intellige etiam, quòd non eum hominem, qui secundùm imaginem Dei est, posuit, sed eum qui secundùm corpus. Incorporalis enim in loco non est. Posuit autem eum in Paradiso, sicut Solem in Cælo, expectantem Regnum cælorum, quemadmodum creatura expectat revelationem filiorum Dei.*

VI. *S. Chrysostomus* Homiliâ 8. in Genesim, *Origenis* tacito nomine, commentum eorum refellit, qui Paradisum spiritualiter duntaxat in Mosaicâ narratione intelligerent. *Et plantavit Deus Paradisum in Edem, secundùm Orientem, & posuit illic hominem quem formavit. Et idcirco nomen loci Scripturis inseruit B. Moyses, ut non liceat nugari volentibus imponere simpliciorum auribus, & dicere, Nullum esse in terrâ Paradisum, sed in cælo, & fabulas quasdam ejusmodi somniare. Nam cùm divina Scriptura tantâ usa sit diligentiâ, non refugiunt quidam loquacitate sapientiâque peregrinâ inflati, adversa Scripturis loqui, & dicere; Non esse super terram Paradisum. Multaque alia præterea, quæ dicta sunt, introducentes, quòd non sicut scripta sunt, sed aliâ ratione sint intelligenda; & quòd ea quæ de terrâ, de his quæ in cælis sunt, dicta esse arbitrandum sit: Nisi humilitate & congruente nobis sermonum familiaritate beatus Moses usus foret, Spiritu Sancto linguam ejus movente, quò non devoluti essent?*

VII. *Theodoretus* Interrogatione 25. in Genesim, eos *qui in Cælo Paradisum esse dicunt*, sic etiam refellit: *Cùm Divina Scriptura dicat*: Produxit „ etiam Deus e terrâ omne lignum visu pul„ chrum, & bonum ad vescendum, *nimis est improbum, relictâ Spiritûs doctrinâ, propriis opinionibus adhærere.*

VIII. *S. Augustinus* Libro 8. De Genesi ad Literam, Cap. 1. varias de Paradiso refert opiniones, exponitque suam, quæ ipsa est Propositionis nostræ doctrina. *Non ignoro*, inquit, *de Paradiso multos multa dixisse. Tres tamen de hac re quasi*

*quasi generales sunt sententia. Una eorum, qui tantummodo corporaliter Paradisum intelligi volunt. Alia eorum, qui spiritualiter tantùm. Tertia eorum, qui utroque modo Paradisum accipiunt, aliàs corporaliter, aliàs autem spiritualiter. Breviter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam. Secundùm hanc suscepi nunc loqui de Paradiso, quod Dominus donare dignabitur, ut homo factus e limo, quod utique corpus humanum est, in Paradiso corporali collocatus intelligatur, ut quemadmodum ipse Adam, etsi aliquid aliud significat secundùm id quod eum formam futuri dixit esse Apostolus, homo tamen in naturâ propriâ expressus accipitur, qui vixit certo numero annorum; & propagatâ numerosâ prole mortuus est, sicut moriuntur ceteri homines, etsi non sicut ceteri ex parentibus natus, sed sicut primitus oportebat, ex terrâ factus est: Ita & Paradisus in quo eum collocavit Deus, nihil aliud quàm locus quidam intelligatur, terra scilicet ubi habitaret homo terrenus. Narratio quippe in his libris non genere locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico Canticorum, sed omnino gestarum, sicut in Regnorum libris, & hujuscemodi ceteris. Sed quia illic ea dicuntur, qua vita humana usus notissimus habet, non difficilè, imo promptissimè primitus accipiuntur ad literam, ut deinde ex illis quid etiam futurorum res ipsa significaverint exculpatur: Hìc autem quia ea dicuntur, qua usitatum natura cursum intuentibus non occurrant, nolunt ea quidam propriè, sed figuratè dicta intelligi, atque ex illo loco volunt incipere historiam, id est, rerum propriè gestarum narrationem, ex quo dimissi de Paradiso Adam & Eva convenerunt atque genuerunt. Quasi verò usitatum nobis sit vel quòd tot annos vixerunt, vel quòd Henoch translatus est, vel quòd & grandæva & sterilis peperit; & cetera hujusmodi. Sed alia est, inquiunt, narratio factorum mirabilium, alia institutarum creaturarum. Illìc enim ea ipsa insolita ostendunt, alios esse tanquam naturales modos rerum, alios miraculorum, qua magnalia nominantur: hìc autem ipsa insinuatur institutio naturarum. Quibus respondetur: Sed ideo insolita & ipsa, quia prima. Nam quid tam sine exemplo & sine pari facto in rerum mundanarum constitutione, quàm Mundus? Num ideo credendum non est Deum fecisse Mundum, quia jam non facit Mundos: aut non fecisse Solem, quia jam non facit Soles? Et hoc quidem non de Paradiso, sed de ipso homine permotis debuit responderi: Nunc verò cùm ipsum sic credant a Deo factum, sicut alius nullus factus est, cur Paradisum nolunt ita factum credere, quemadmodum nunc vident sylvas fieri? Ad eos quippe loquor, qui auctoritatem harum Literarum sequuntur: Eorum enim quidam non propriè, sed figuratè Paradisum intelligi volunt. Nam qui omninò adversantur his Literis, aliàs cum eis atque aliter agimus:*

* Lib. De Genesi contra Manichæos.

** Quanquam & hæc in hoc Opere nostro, quantùm valemus, ita defendamus ad literam, ut qui non rationabiliter moti, propter animum pervicacem, vel hebetem credere ista detrectant, nullam tamen inveniant rationem unde falsa esse convincant. Verùm isti nostri qui fidem habent his Divinis Libris, & nolunt Paradisum ad proprietatem litera intelligi, locum scilicet amœnissimum, fructuosis nemoribus opacatum, eumdemque magnum & magno fonte fœcundum, cùm videant nullâ humanâ operâ tot ac tanta vireta silvescere occulto opere Dei, miror quemadmodum credunt ipsum hominem ita factum, quemadmodum nunquam viderunt. Aut si & ipse figuratè intelligendus est, quis genuit Cain, Abel & Seth? An & ipsi figuratè tantùm fuerunt, non etiam ex hominibus nati? De proximo ergo attendant istam præsumptionem quò tendat, & conentur nobiscum cuncta primitus quæ gesta narrantur in expressionem proprietatis accipere. Quis enim eis postea non faveat intelligentibus quid ista etiam figuratâ significatione commoneant, sive ipsarum spiritalium naturarum vel affectionum, sive rerum etiam futurarum? Sanè si nullo modo possent salvâ fide veritatis ea, qua corporaliter hìc nominata sunt, corporaliter etiam accipi, quid aliud remaneret, nisi ut ea potiùs figuratè dicta intelligeremus, quàm Scripturam sanctam impiè culparemus? Porrò autem si non solùm non impediunt, verùm etiam solidiùs asserunt Divini Eloquii narrationem hæc etiam corporaliter intellecta: nemo erit, ut opiner, tam infideliter pertinax, qui cùm ea, secundùm Regulam Fidei exposita propriè viderit, malit in pristinâ remanere sententiâ, si fortè illi visa fuerant, nonnisi figuratè posse accipi.*

Quomodo autem spiritualiter etiam intelligi debeat Paradisus, explicat *S. Augustinus* Lib. 2. De Genesi contra Manichæos, & Libro 13. *De Civitate Dei*, Cap. 21. ex quo etiam colligitur, hæc duo optimè cohærere, quòd Paradisus vita beatorum spiritualiter intelligatur, & nihilominus corporeus locus fuerit. *Unde*, inquit, *nonnulli totum ipsum Paradisum, ubi primi homines parentes generis humani sancta Scriptura veritate fuisse narrantur, ad intelligibilia referunt, arboresque illas & ligna fructifera in virtutes vita moresque convertunt; tanquam visibilia & corporalia illa non fuerint, sed intelligibilium significandorum causâ eo modo dicta vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse Paradisus corporalis, quia potest etiam spiritalis intelligi: Tanquam ideo non fuerint dua mulieres, Agar & Sara, & ex illis duo filii Abraha, unus de ancillâ, alius de liberâ, quia duo Testamenta in eis figurata dicit Apostolus: Aut ideo de nullâ petrâ Moyse percutiente aqua defluxerit, quia potest illic figuratâ significatione etiam Christus intelligi, eodem Apostolo dicente:* Petra autem erat Christus. *Nemo itaque prohibet intelligere Paradisum vitam beatorum; quatuor ejus flumina, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam; & ligna ejus, omnes utiles disciplinas; & lignorum fructus, mores Piorum; & lignum vita, ipsam bonorum omnium matrem Sapientiam; & lignum scientia boni & mali, transgressi mandati experimentum. Pœnam enim peccatoribus, bene utique, quoniam justè constituit Deus, sed non bono suo experitur homo. Possunt hæc etiam in Ecclesiâ intelligi, ut ea meliùs accipiamus tanquam Prophetica indicia pracedentia futurorum: Paradisum scilicet ipsam Ecclesiam, sicut de illâ legitur in Cantico Canticorum: quatuor autem Paradisi flumina, quatuor Evangelia; ligna fructifera, Sanctos; fructus autem eorum, opera eorum; lignum vita, Sanctum Sanctorum, utique Christum; lignum scientia boni & mali, proprium voluntatis arbitrium. Nec se ipso quippe homo, divinâ voluntate contemptâ, nisi perniciosè uti potest: Atque ita discit, quid intersit, utrùm inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur.... Hæc, & si qua alia commodiùs dici possunt de intelligendo spiritaliter Paradiso, nemine prohibente dicantur: Dum tamen, & illius historia veritas fidelissimâ rerum gestarum narratione commendata credatur.* Denique *S. Augustinus* Lib. *De Hæresibus*, Num. 59. inter *Seleucianorum* errores & hunc recenset, quòd Paradisum visibilem negaverint. Legantur *S. Joannes Damascenus*, Lib. 2. *De Fide Orthodoxâ*, Cap. 11. & *Moses Bar-Cepha*, in Libro *De Paradiso*, utroque sensu, literali scilicet ac spiritali Paradisum explicantes. *S. Augustinum* sequitur Venerabilis *Beda*, Libro *Hexaëmeron*.

## PROPOSITIO II.

*Quâ in Regione consitus fuerit Paradisus, obscura certè quæstio, probabilior eorum sententia, qui in Arabiâ Felice, vel Mesopotamiâ; aut circa Babyloniam in Mesopotamiæ limite collocatum fuisse censent.*

I. IN editiore quodam situ Paradisum collocat *S. Basilius* Homiliâ *De Paradiso*. Ait enim, *Locum hunc fuisse creaturæ omni antecellentem pulchritudine admirabili, in arduo positum: qui tenebris obscurari præ altitudine non posset: omnium ortu siderum irradiatum, & undique lumine circumfusum, annuarum tempestatum jucundissimâ temperie præditum.* In eâdem est sententiâ *S. Joannes Damascenus* Libro 2. *De Fide Orthodoxâ*, Cap. 11. ubi Paradisum his verbis describit: *Est locus Dei manibus ad Orientem mirabiliter consitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, omni terrâ excelsior, optimâ temperie cæli, aëre subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus, suavissimumque odorem spirantibus, plenus lumine, universæ sensibilis venustatis & pulchritudinis excellens intelligentiam. Divinus profectò locus, mirificè congruens primi hominis dignitati: in quo nullum animal habitat, sed solus divinarum manuum factura homo.* Moses Bar-Cepha Paradisum inter firmamentum ac terras interjectum fuisse putat, nec tam crassâ, coactâque materiâ constare, atque hanc nostram, quæ extra Paradisum est, terram. Et hujus auctorem sententiæ laudat *Philoxenum* Mabugæ Episcopum. *Rabanus* & *Strabus* Paradisum in Oriente situm ajunt, immenso Oceano interjecto, a nostro orbe longissimè remotum, qui ad lunarem usque circulum pertingat, & quò aquæ diluvii minimè pervenerint. Hanc sententiam & *Bedæ* tribuunt Magister Sententiarum, & *S. Thomas*, cujus tamen in *Bedæ* Operibus nullum extat vestigium. Ad hanc opinionem accedit. *Rupertus* Abbas Lib. 1. *De Trinitate & Operibus* ejus, Cap. 37. ubi Paradisum locum præcipuè amœnitatis cœlo proximum fuisse asserit. Quidam sensere, Paradisum; quem descripsit Moses, non fuisse definitam aliquam regionem, aut certum quempiam terræ locum, sed nomine Paradisi terram universam significari, quæ in Mundi exordiis ob eximiam bonitatem, amœnitatem, & fœcunditatem, tota velut hortus cultissimus & Paradisus erat, quemadmodum Cap. 13. *Genesis*, regio omnis circa Jordanem irrigata fuisse dicitur *sicut Paradisus Domini*, antequàm subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham. Eam opinionem commemorat *Hugo de S. Victore*, Libro Annotationum in Genesim, quam ex recentioribus secutus est *Joannes Noviomagus* in Scholiis ad Caput 2. Libri *De Naturâ rerum* Venerabilis *Bedæ*. His opinationibus relictis, quæ nullo operæ pretio confutari possunt, quid eâ de Quæstione dici possit probabilius, expono.

II. Paradisum ad Orientem positum suadet Veterum auctoritas in Scripturâ sacrâ fundamentum habens. Ita docent *S. Irenæus*, Libro 5. Cap. 5. *Theophilus Antiochenus*, Lib. 2. ad Autolycum. *Lactantius* Lib. 2. Divinarum Institutionum, Cap. 13. Auctor Libri De Genesi Carmine conscripti, & sub nomine *Tertulliani* editi, Cap. 11. Auctor Quæstionum ad *Antiochum* sub nomine *S. Athanasii* editarum, Quæst. 47. *S. Basilius* Homiliâ 30. De Paradiso. *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 13. in Genesim. *S. Augustinus* Libro 2. De Genesi contra Manichæos, Cap. 9. *Diodorus Tarsensis* apud *Theodoretum*, Interrogatione 25. in Genesim. *Anastasius Sinaita* Libro 7. in Hexaëmeron. *S. Joannes Damascenus* loco superiùs laudato. Istius fundamentum sententiæ habetur *Genes.* 11. Ubi enim Latinus Interpres vertit: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio*: Quod *Symmachus*, *Theodotio*, & *Aquila* ita quoque reddiderant, teste *S. Hieronymo* in Traditionibus Hebraicis in Genesim, 70. Interpretes transtulerunt, και εφυτευσεν ο Θεος παραδεισον εν Εδεμ κατα ανατολας. *Et Plantavit Deus Paradisum in Edem ad Orientem*. Sic etiam Versio Latina Textûs Hebræo-Samaritani in Bibliis Polyglottis: *Plantavit quoque Dominus Deus hortum in Eden ab Oriente*. Syriaca: *Et plantavit Dominus Deus Paradisum in Edem ab anteriori parte*. Arabica: *Et plantavit Deus hortum in Eden ab Oriente*. Vocem eamdem Hebraicam *Cedem*, & *Orientem*, & *Anterius* tempus significare, linguæ sacræ Periti norunt, quod duplici versioni locum dedit. Cæterùm ex eâ persuasione quòd Paradisus ad Orientem situs existimaretur, sacrum illum Ritum originem habuisse, ut Christiani ad Orientem conversi Deum adorarent, testantur *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi Mystagogicâ 1. *S. Basilius* Lib. *De Spiritu Sancto* Cap. 27. *S. Gregorius Nyssenus* Oratione 5. De Dominicâ Oratione, *Gregentius* in disputatione cum *Herbano* Judæo; *S. Joannes Damascenus* Lib. 4. *De Fide Orthodoxâ*, Cap. 13. & alii. Hinc, inquam, manavit ille Ritus, ut quemadmodum *Adam* e Paradiso pulsus post peccatum, ad eamdem plagam obversus, & eò respiciens, veterem patriam suspirabat; ac memor unde cecidisset, compungebatur ad pœnitentiam, ita & Christiani se in hoc mundo exules esse meminerint, & ad cælestem patriam suspirent.

III. Jam disquirendum quâ in regione Orientis Paradisus extiterit. In Indiâ Orientali illum nonnulli collocant, & inter alios *Malvenda* noster, cui sententiæ hæc argumenta suffragantur. 1. India regio est orbis totius respectû Orientalis. 2. *Phison* unus ex quatuor fluminibus Paradisi, non est alius quàm *Ganges*, ut tradunt *Josephus* Libro 1. Antiquitatum Judaicarum; *S. Epiphanius* in Ancorato; *S. Hieronymus* Epistolâ 4. ad *Rusticum* Monachum, & Libro Traditionum Hebraicarum in Genesim; *S. Augustinus* Libro 8. De Genesi ad Literam, Cap. 7. *S. Isidorus Hispalensis* Libro 13. Etymologiarum Cap. 21. *Rabanus*, *Rupertus*, & alii. *Ganges* verò ex Caucaso Indiæ monte oritur, teste *Strabone* Lib. 15. Geographiæ. 3. *Phison circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum, & aurum illius terræ optimum.* Hevilath autem Indiæ regio est, ab *Hevilâ* filio Jectan, fratre Ophir, Nepote Heber cognominata, de quo Genesis Cap. 10. *Et Ophir, & Hevila, & Jobab. Omnes isti filii Jectan. Et facta est habitatio eorum de Messâ pergentibus usque Sephar Montem Orientalem.* Est autem Messa Indiæ regio, teste *S. Hieronymo*, in Locis Hebraicis. In Indiâ etiam aurum optimum nascitur. Ibi enim & regio *Ophir* ab altero filio *Jectan*, fratre *Hevila* nuncupata, & *Tharsis*, quò *Hirami* Regis Tyri, & *Salomonis* Classes singulis trienniis semel contendebant, deferentes inde *aurum*, & *argentum*, & *dentes elephantorum*, & *simias* & *pavos*; ut habetur 3. Regum Cap. 9. & 10. Ophiram enim esse Taprobanam Insulam, quæ & *Zeilan*, sunt in Virorum Eruditorum numero qui asserant, quòd ipsi omnia conveniant quæ de Ophirâ legere est in Libris Regum & Paralipomenon. Ibi enim aurum & ebur, gemmasque & margaritas magnâ copiâ nasci, nemo est qui nesciat. Pavonibus etiam abundare scribit *Steuchius* in *Arrianum*. Neque prætereundum, etiam *Paz*, Cantic. 5. vers. 2. & *Uphaz* Dan. 10.

20. v.5. & Jerem.10. v.9. Insulam Ophir nominari. Quarum appellationum vestigia videre est in *Pasi* sinu, & *Phasi* amne *Taprobranes*, a Ptolomæo memoratis. Appellatur etiam *Parvaiim*, secundi *Paralipom.* Cap.3. id est, Syra & Phœnicia flexione *Parvaiim*, & mutato genere *Parvan* vel *Provan*, quod vocabulum in *Taprobrane* latet. Itaque Taprobrane vox coaluisse videtur ex duabus, *Taph* & *Parvan*, vel *Provan*, Arabicè *Taph*, & geminatis radicalibus *Taphtaph*; est litus & ora maris. Hanc porro vocem apud Phœnices, Ægyptios, & Æthiopes in usu fuisse, argumento sunt Phœnicum in Africâ propriâ, urbes maritimæ *Taphura* & *Tabraca*, & Promontorium *Taphitis*, in Ægypto *Taphium* vel *Tapium*, urbs ad primum Nili ostium versus Syriam, & duplex *Taphosiris* vel *Taposiris*. Et ad Sinum Abaliten in Arriano *Tapara* emporia: Ad Barbaricum *Tapatege*. Potuit igitur etiam Insulæ *Parvan* vel *Provan* portuosum illud litus quò appellebant Mercatores, a Phœnicibus vocari *Taph-Parvan* vel *Taph-Provan*, unde Græcum *Taprobrane*. Hæc observatio est doctissimi Viri *Samuelis Bocharti* P.1. *Geographiæ sacræ*, quam *Phaleg* inscripsit, Lib.2. Cap.27. 4. Si conferantur hæc verba *Mosis* Paradisi regionem describentis, *Et aurum terræ illius optimum*, cum illis Job.28. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonico pretiosissimo:* maximum inde pondus addetur eorum sententię, qui Paradisum in Indiâ collocant. 5. Nec veterum suffragio destituta est hæc opinio. Ipsi namque favet *S. Hieronymus* in Locis Hebraicis: *Evila*, inquit, *ubi aurum purissimum, quod Hebraicè dicitur Zaab, & gemmæ pretiosissimæ carbunculus smaragdusque nascuntur. Est autem regio ad Orientem vergens, quam circumit de Paradiso Phison egrediens, quem nostri mutato nomine Gangem vocant. Sed & unus de minoribus Noë Evila dictus est, quem Josephus refert cum fratribus suis a flumine Cephene & regione Indiæ usque ad eum locum, qui appellatur Jerie, possedisse.* Ibidem: *Phison, quod interpretatur caterva, fluvius quem nostri Gangem vocant, de Paradiso exiens, & pergens ad Indiæ regiones, post quas erumpit in Pelagus. Dicit autem Scriptura circumiri ab hoc universam regionem Evilath, ubi aurum praecipuum nascitur, & carbunculus lapis, & prasinus.* Et Epistolâ 4. ad *Rusticum* Monachum: *Felix cursus est* (inquit) *si post sex menses supra dictæ urbis Portum tentant, a quo se incipit aperire Oceanus; per quem vix anno perpetuo ad Indiam pervenitur, & ad Gangem fluvium, quem Phison sancta Scriptura commemorat, qui circumit totam terram Evilath, & multa genera pigmentorum de Paradisi dicitur fonte devehere, ubi nascitur carbunculus, & smaragdus, & margarita candentia, & uniones, quibus nobilium feminarum ardet ambitio; montesque aurei, quos adire, propter gryphas, & dracones, & immensorum corporum monstra, hominibus impossibile est; ut ostendatur nobis quales custodes habeat avaritia.*

Auctor Quæstionum ad *Antiochum* sub *S. Athanasii* nomine editarum, Quæst.47. quærit, *Ubinam locorum Paradisum putamus esse? Quidam enim Hierosolymis, quidam in cęlis eum statuunt.* Sic autem respondet: *Nullus horum verus est. Et quòd Hierosolyma non sit, testatur Adam, qui in Calvariæ Monte jacet. Constat autem eum non in Paradiso sepultum, sed ejectum. Quòd autem in cælo non sit Paradisus, testatur Scriptura, inquiens:* Plantavit Deus Paradisum in Eden ad Orientem. *Docet igitur nos, quòd Orientalis terræ pars sit Paradisus. Unde perhibent exquisitiores Historici, quòd hujus rei gratiâ omnia aromata suavissimi odoris circa Orientaliora loca seu Indiæ fines proveniunt, utpote quæ sint vicina Paradiso. Et quemadmodum palmæ masculæ propinquas femellas aspiratione ventorum contactas fructuosas reddunt: Sic etiam ex Paradiso ventorum aspiratione fragrantia exhalans, propinquiores illis locis arbores aromaticas efficit.*

Eidem sententiæ favet *Alcimus Avitus* Viennensis Episcopus, Libro *De Initio Mundi*, ita canens:

*Est locus Eoo Mundi servatus in axe*
*Secretis natura tuis, ubi Solis ab ortu*
*Vicinos nascens aurora repercutit Indos.*
. . . . . . . .
*Ergo ubi transmissis Mundi caput incipit Indis,*
*Quo perhibent terram confinia jungere Cælo.*
*Locus inaccessâ cunctis mortalibus arce*
*Permanet, æterno conclusus limite, postquam*
*Decidit expulsus primævi criminis Auctor,*
*Atque reis dignè felici a sede revulsis,*
*Cælestes hac sancta capit nunc Aula Ministros.*

Favent denique *Anastasius Nicænus*, Quæstione 24. in Scripturam, ubi *Hevilęos intimos Indos* esse ait; & *Moses Bar-Cepha*, Libro de Paradiso cap. 38. scribens: *Regionem Indorum vocat Moses Terram Hevilath.*

VI. Probabilior tamen eorum sententia videtur, qui Paradisum in Armeniâ, vel Mesopotamiâ collocant, aut in Mesopotamiæ limite, circa Babyloniam, ubi Tigris & Euphrates duo illi fluvii Paradisi, qui expressè in Scripturâ nominantur, alveos conjungunt. Tigrim enim in regione Armeniæ Majoris oriri, Lacum *Arethusam* omnia pondera sustinentem, & nitrum nebulis exhalantem influere: inde cursu & colore dissimilem ferri, transvectumque occurrente *Tauro* Monte in specum mergi, subterque lapsum a latere ejus altero erumpere. Alterum deinde transire Lacum, qui *Thospites* appellatur; tum rursus in cuniculos mergi, & post viginti-quinque millia passuum, circa *Nymphæum* reddi. Circa Babyloniam divisum in alveos duos, altero Meridiem ac *Seleuciam* petere, ac *Mesenem* alluere; altero ad Septemtrionem flexum, campos *Cauchas* secare. Ubi in eundem alveum redierunt aquæ, *Pasitigrim* appellari. Postea *Choaspem* ex Mediâ recipere, atque inter *Seleuciam* & *Ctesiphontem vectum in Lacus Chaldaicos fundi: mox vasto alveo profusum ad dextram Characis* oppidi in Mare Persicum inferri decumo ore, testatur *Plinius* Libro 4. cap.27. De eodem flumine, ac de *Euphrate*, *Strabo* Lib.2. Geographiæ scribit: *Taurus Armeniam disterminat a Mesopotamiâ: hinc fluunt Tigris & Euphrates, qui Mesopotamiam circumdant, & apud Babylonios invicem cohærent, deinde in Mare Persicum emittunt: Quorum Euphrates major est . . . Fontes habet in parte Tauri Boreali: fluit ad Occidentem per Armeniam, quæ Major appellatur, usque in Armeniam Minorem, &c.* Eadem tradit *Quintus Curtius* Lib.5. *Inter Tigrim*, inquit, *& Euphratem jacentia tam uberi & pingui solo sunt, ut a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo per venas aquarum resudante. Ipsi amnes ex Armeniæ Montibus profluunt, & magno deinde aquarum divortio iter, quod cepere, percurrunt; duo millia & quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniæ Montes notaverunt. Iidem cùm Mediam & Gordienorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coëunt, & quò longiùs manant, hoc angustius inter se spatium terræ relinquunt. Vicini maximè sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam vocant: Mediam namque ab utroque latere concludunt. Iidem per Babyloniorum fines in Rubrum Mare prorumpunt.* Eadem flumina ex uno Armeniæ Majoris Monte *Tauro* profluere, testatur

tur *Philostratus* Lib.5. *De Vitâ Apollonii*. Quocirca & reliqua duo flumina non inde procul fluxisse necesse est, adeoque & Paradisum juxta regiones illas constitutum fuisse.

V. Accedit, quòd Paradisum ad Orientem positum Sacra Scriptura commemorat. Nusquam autem regionem, quæ est ultra Sinum Persicum, sed terras circumjacentes, ut Persidem, Armeniam, Arabiam, atque Mesopotamiam, Scriptura Sacra Orientales vocat; sicut & Arabes, Idumæos, Amalecitas, Madianitas, Ammonitas, Moabitas, ad Orientem positos ait. Unde *Job.* qui erat Idumæus, dicitur *Magnus inter omnes Orientales*; & Magi, qui ex Perside, vel Chaldæâ, vel Arabiâ ad Christum adorandum venerunt, ex Oriente venisse dicuntur. Quin & Mesopotamiam Terram Orientalem Scriptura Sacra simpliciter appellare solet. Nam *Genes.*29. *Jacob* in Mesopotamiam profectus, venisse dicitur *in Terram Orientalem*; & *Numer.*23. *Balaam* Vates ductus esse dicitur ad maledicendum populo Israël *ex Montibus Orientis*, quem tamen *Moyses* Cap.23. *de Mesopotamiâ Syriæ* conductum scripsit. Indiam verò, licèt Orientalis sit, ita in Scripturis nuncupatam non legimus. Sanè *Eden* regionem Paradisi propè *Haran* in Mesopotamiâ sitam indicant *Isaias* & *Ezechiel* Prophetæ. Ille cap.37. V.12. *Nunquid*, inquit, *eruerunt eos Dii Gentium, quos subverterunt Patres mei, Gozam, & Haram, & Reseph, & Filios Eden, qui erant in Thalassar?* Iste verò cap. 28. V.23. *Haran*, inquit, *& Chene, & Eden negotiatores tui: Saba, Assur, & Chelmad venditores tui*.

VI. Ad hæc, Terra *Hevilath*, quam *Phison* circuit, Paradisi fluviorum unus, inter Assyriam & Ægyptum, ad sinum Arabicum sita est, Ismaëlitis & Amalecitis finitima; ut colligitur ex cap.25. *Genes.* ubi de *Ismaele* dicitur: *Habitavit autem ab Hevilâ usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios*. De quâ item 1. *Reg.* cap.15. *Percussit Saul Amalech ab Hevilath, donec venias Sur, quæ est e regione Ægypti*. Hanc *Hevilath*, Tigri & Euphrati vicinam, regionem esse Paradisi, longè verisimilius est, quàm *Hevilath* Indiæ. Ab *Hevilath*, quidem filio *Jectan*, fratre *Ophir*, nomen huic regioni inditum; sed *Hevilath*, sive ut Hebræi pronuntiant, *Chavilla*, & *Jectan* ejus parens, fratresque, in Arabiâ Felice habitasse videntur. Namque ut Genes.10. V.30. legimus, *Facta est habitatio eorum de Messâ pergentibus usque Sephar Montem Orientalem*. Messa eadem videri potest cum Meccâ Arabum: & pridem apud Arabes invaluit hæc opinio, *Jectanen*, sive *Cahtanem*, (Is enim est apud illos binomius) esse Arabum parentem, & Linguæ Arabicæ inventorem. Ita statuunt Scriptores magni inter illos nominis, *Josephum Ben-Abdillatif* in Opere Genealogico, & *Mohammedes Ben-Jacob Sirafita* apud Auctorem *Alcamus*. Et hic quidem *Jectanem*, sive *Cahtanem* vocat filium *Heber*, filium *Sale*, filium *Sen*, filium *Noë*, ut nullum dubium sit, quin *Jectanes* idem significetur, de quo *Moses*. Pro *Jectane Cahtan* habet Arabica Paraphrasis. Atque ut a Cahtane *Catanitæ* Populi Arabiæ Felicis a *Ptolemæo* memorantur: Ita *Jectanis* nomen hodieque incorruptum perseverat in urbe territorii Mechensis *Baisath Jektan*, parvâ quidem, sed populosâ, ædiumque structurâ, nec non camporum & fontium amœnitate nobili. Meridiem versùs a Meccâ septem abest stationibus, & unâ statione a Mari Rubro. Ita ipsam describit Geographus Arabs a *Samuele Bocharto* laudatus, in *Phaleg.* cap.5. Hanc opinionem *Theophanes* & *Anastasius* in Chronicis confirmant, ubi Amanitas seu Homeritas, interioris Arabiæ Populos, a *Jectane* genus trahere asserunt. *Hevilath*, seu *Chavilath*, hodie parum mutato nomine appellari terram *Chaulan*, cujus Metropolis *Chaulan-Du-Sobaim*, quam Geographus Arabs a *Bocharto* laudatus, in eâ parte Terræ *Tehamæ* collocat, quæ Terræ *Jeman* est confinis, ad stationem decimam-tertiam a *Meccâ*, quartam a Portu *Hali*, secundam a *Baisarth-Jectan*, inter *Meccham* & *Sanaam* spatio fere medio. *Tehama* porro est Arabiæ Felicis regio ad Mare Rubrum extensa. *Messam*, ubi filii *Jectan* habitarunt, alii intelligunt *Muzam* emporium, ex quo ad Sapharitas, & Sabæos commodissimum iter est. Hic autem Portus est ad Sinum Arabicum, ad quem Ægyptii & Æthiopes aromata comparaturi appellebant; cujus *Ptolemaus* & *Arrianus* meminere.

VII. Quod spectat regionem *Ophir*, duplex illa est, una in Arabiâ prope Sabæos, cui *Ophir* filius *Jectan* & frater *Hevilath* nomen dedit; altera in Indiâ. Illa fuit in *Cassanitis*, *Ptolemao* & *Stephano* celebratis, quos Diodorus *Casandes* vocat, & Agatharcides *Casandres*, nomine derivato a verbo Hebraico *Chasan*, quod in *Cal* est *possidere*, in *Niphal* est *recondere*. Arabes per z. *Chazan* scribunt: Unde *gaza* vox *ch.* in *g.* mutato, & *Machzan*, in plurali *Machazin*, nobis *Magazin*, locus in quo reconduntur opes. In Ophirâ illâ Arabicâ aurum optimum nascitur, non minùs quàm in Indicâ. De auro *Ophir* Arabicæ agi verisimile est, *Job.*22. V.24. secundùm Textum Hebraicum, & Versionem Sanctis Pagnini. *Et pones super terram munitionem, & instar petræ torrentium aurum Ophir*, & Cap. 28. V. 16. *Non æstimabitur eum auro Ophir*. Nam ætate *Jobi*, qui *Jacob* Patriarchæ penè fuit æqualis, nondum ad *Ophir* Indicam tantâ terrarum & marium intercapedine a Judæâ dissitam adornata fuerat à Judæis navigatio. Sed & Lib.1. *Paralipom.* 29. V.4. *David* obtulisse dicitur *tria millia talenta auri de auro Ophir* ad ædificationem Templi: Quod de *Ophirâ* Judææ viciniore intelligere necesse est, non de remotiore illâ, scilicet Indicâ, in quam *Salomon* & *Hiram* primi navigationem instituerunt. Sed & aurum Arabum, & Sabæorum, qui Cassanitis vicini, Scriptura Sacra celebrat. Psalmo 71. V.15. *Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ*. Isaiæ 9. V.6. *Omnes de Sabâ venient, aurum & thus deferentes*. Ezechielis 27. V.22. *Venditores Saba & Reema, ipsi negotiatores tui: cum universis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro*. Et 3. *Regum* cap.10. V.2. de Reginâ Sabâ dicitur: *Ingressa Jerusalem multo cum comitatu, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis*... *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri*.

VIII. Fluvium secundum Paradisi quod attinet, *Gehon*, qui circumit terram *Chus*, sive ut Vulgatus Interpres reddit, *terram Æthiopiæ*, de Maiori Æthiopiâ seu Abissinorum Terrâ haud intelligendum est, sed de Æthiopiâ Minori confini Arabiæ, a quâ uxor *Mosis*, quæ Madianitis erat, *Æthiopissa* nominatur, *Numerorum* 12. V.1. Hebraicè *Cusitis*. Præterea *Habacuc* 3. Æthiopes & Madianitæ vel pro unâ gente ponuntur, vel pro gentibus admodum vicinis & finitimis. *Vidi*, inquit, *tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*. Porrò urbem *Madian* fuisse in litore Maris Rubri, *Josephus*, *S. Hieronymus*, & *Ptolemæus* testantur. Et cum tentoriorum & pellium mentio fiat, non obscurè indicatur Chusæos seu Æthiopes ibi nominatos eos esse, qui Scenitæ a Veteribus appellantur, nec non ab Arabum Cosmographis; quòd sub tentoriis degerent: Quorum certè regio ad Rubri Maris Sinum intimum in parte Arabiæ Petrææ & Felicis pertinet, ut disci-

discimus ex *Plinio* Lib.5. cap.9. ex *Erathosthene* apud *Strabonem*, *Ptolemæo*, &c. Alteri ab Æthiopiâ Meridionali regione, scilicet regioni cuidam Arabiæ Felici Palæstinæ finitimæ, *Chus* sive *Æthiopia* nomen in Scripturâ Sacrâ tribui, confirmatur ex Psalmo 76. V.4. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & Populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Per alienigenas, quos Septuaginta vocant Allophylos, Palæstini significantur. Unde tres gentes confines & vicinæ hoc loco a *Davide* memorantur, Palæstinorum, Tyriorum, & Æthiopum. Item Psalmo 71. Æthiopes, Arabes, & Sabæi, ceu vicini populi conjunguntur. *Coram illo procident Æthiopes.... Reges Arabum & Saba dona adducent.* Arabia autem Felix, & Sabæorum Terra ab Euphrate & Mesopotamiâ non longè absunt. Idem confirmatur ex *Paralipomenon* Lib. 2. cap.14. ℣.9. ubi narrat Scriptura, *Zaram* Regem *Æthiopum* venisse adversùs Judæos cum incredibilis multitudinis exercitu, quippe decies centena millia, cum curribus trecentis continente, & usque Maresa progressum; *Asam* verò Regem Juda perrexisse obviam ei, & instruxisse aciem ad bellum in Valle Sepharâ, quæ est juxta Maresa; & invocato Dei nomine pugnam commisisse. Exterruisse autem Dominum *Æthiopes* coram Asâ & Judâ; fugisseque *Æthiopes*, & Asam, populumque qui cum eo erat, persecutum eos fuisse usque Gerara; & ruisse *Æthiopes* usque ad internecionem. Judæos ergo tulisse spolia multa, & percussisse civitates omnes per circuitum Geraræ, & diripuisse urbes, & multam prædam asportasse. Porrò verisimile non est, Meridionalis Æthiopiæ populos hic intelligi, quibus nulla erat ratio belli adversùs Judæos gerendi, & difficillimum fuisset tam ingentem exercitum per tam longinqua terrarum spatia in Judæam transmittere; sed populos qui circum Geraram habitarent. Adde quod cap.21. ejusdem Libri ℣.16. scriptum est: *Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philistinorum & Arabum, qui confines sunt Æthiopibus, & ascenderunt in Terram Juda, & vastaverunt eam.* Non minus est momenti in eo quod 4. Reg.19. ℣.9. *Sennacherib* Regem Assyriorum, obsidentem Lobnam in Tribu Juda *Tharaca Rex Æthiopiæ* ex improviso adortus est. Neque enim Rex Æthiopiæ Meridionalis eò se conferre potuisset, nisi subactâ priùs Ægypto, quæ interjacet. Sic *Isaiæ* 20. ℣.4. & 5. de Azotiis dicitur, quòd Æthiopibus & Ægyptiis a Rege Assyriorum in captivitatem adductis, *timebunt & confundentur ab Æthiopiâ spe suâ, & ab Ægypto gloriâ suâ.* Scilicet Azotiis in Palæstinâ subsidio esse poterant Æthiopes Orientales, Arabiæ Felicis populi, non item Meridionales Æthiopes, propter Ægyptum interjectam. Plura legi possunt ad hujus confirmationem sententiæ, apud *Bochartum* in *Phaleg.* Lib.4. cap.2. Secundùm hanc de Paradisi situ sententiam *Gehon* esse *Nilum*, & *Phison Gangem*, quod Veterum plurimis probatum fuit, dici non potest; sed diversas eruptiones *Tigris* & *Euphratis* in diversos alveos divisorum, novaque nomina sortitorum.

IX. Qui *Gehon* esse *Nilum*, & *Phison Gangem* cum plerisque veterum Patrum opinantur, Tigris & Euphratis notissimas origines haud primas esse fluminum illorum eruptiones ajunt, ut se contra objectionem de illorum fluminum distantiâ quoquo modo tueantur. Primariam scilicet ipsorum scaturiginem latere. Statim quippe ab egressu Paradisi terræ visceribus exceptos, occultis meatibus fluere, demum in remotis regionibus erumpere. Ita *S. Augustinus* Lib.8. de Genesi ad literam, cap.8. *De his autem*, inquit, *fluminibus quid amplius satagam confirmare, quòd vera sint flumina, nec figuratè dicta quę non sint, quasi tantummodo aliquid nomina ipsa significent, cùm & regionibus per quas fluunt, notissima sint, & omnibus fere gentibus diffamata? Quin immo ex his, quoniam constat ea prorsus esse; (nam duobus eorum nomina vetustas mutavit, sicut Tiberis dicitur fluvius, qui priùs Albula vocabatur. Gehon quippe ipse est, qui nunc dicitur Nilus; Phison autem ille dicebatur, quem nunc Gangem appellant; Tigris verò & Euphrates antiqua etiam nomina tenuerunt) nos admoneri oportet, cetera quoque primitus ad proprietatem literæ accipere, non in eis figuratam locutionem putare, sed res ipsas quæ ita narrantur, & esse, & aliquid etiam figurare...... An eo movebimur, quod de his fluminibus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum autem prorsus incognitos, & ideo non posse accipi ad literam, quòd ex uno Paradisi flumine dividuntur? Cùm potiùs credendum sit, quoniam locus ipse Paradisi a cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi, sicut fidelissima Scriptura testatur; sed ea flumina quorum fontes non esse dicuntur, alicubi iisse sub terras, & post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse, ubi tanquam in suis fontibus nota esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere, quis ignorat? Sed ibi hoc scitur, ubi non diu sub terris currunt.* Idem conjicit *S. Epiphanius*, in Ancorato. Ita & *Theodoretus*, Interrogatione 29. in Genesim, cujus hic titulus est: *Qui fit ut Moyses asserat Tigrim & Euphratem e Paradiso fluere, quos ajunt nonnulli e Montibus Armeniæ scaturire?* Ad quam sic respondet: *Videre licet & alia flumina aliunde quidem egredi, deinde in terram occultis quibusdam ductibus fluentia, iterum sursum scaturire: Quod & his fluminibus accidit. Exeunt enim illinc, ut ait Scriptura Divina; postea per quosdam meatus subterraneos transeuntia, hic originem aliam sumunt. Quod quidem non frustra omnium Deus ita dispensavit, sed ut amputaret superfluam hominum curiositatem. Nam si paterent eorum omnes meatus, quidam utique conarentur, eorum ripas prosecuti, locum Paradisi perlustrare: sed frustrarentur optatis, & longitudine itineris fessi, atque necessariorum penuriâ laborantes, modò in aspera loca incidentes, modò in deserta, interdum in manus crudelium & barbarorum hominum devenirent. Hæc igitur prævidens misericors Deus, ignotos illorum meatus reddidit.* Eamdem conjecturam afferunt *Moses Barcepha*, Lib. *De Paradiso*, cap.21. *Rupertus* Abbas, Lib.2. in Genesim, cap.21. & 29. *Hugo a S. Victore* in Annotationibus in Genesim & *S. Thomas* I. P. Q. 102. Art.1. in Responsione ad secundum Argumentum.

X. Ad illius opinionis probabilitatem, quæ Paradisum terrestrem in Mesopotamiâ, vel Arabiâ Felice collocat, proximè accedit Virorum quorumdam Eruditorum sententia, illum constituentium in eo Terræ Sanctæ tractu, qui regionem & lacum Genesar, quem Mare Galileæ sive Tiberiadis appellant, Campum Magnum, Convallem Illustrem, Vallem Jerichuntinam. Mare denique Mortuum, sive Sodomiticam regionem amplectitur. Fluvium autem qui Paradisum irrigavit ipsum *Jordanem* faciunt. Quæ sententia his nititur argumentis. I. Jordanem, totamque Syriam esse inter Æthiopiam illam Arabiæ conterminam, quæ fluvio *Sichor* alluitur, quem *Gehon* Septuaginta reddunt, *Jerem.*2. ℣.18. & Terram *Hevilath*, quæ ad Sinum Arabicum pertinet, quam circuit *Phison*, & Armeniam unde *Tigris* & *Euphrates* oriuntur ex Tabularum inspectione certissimum est. 2. Ipse fluvius *Jordan* dici videtur, quasi fluvius *Eden*; secundùm Hebraicam etymologiam. 3. Vox ipsa *Genesar* Paradisum sonat. Est enim

enim secundùm Hebraicam significandi vim *Hortus Principis*, nempe *Adami*. 4. Paradisus consitus fuit *ad Orientem*. At Terræ Sanctæ Oriens est Jordanis, & illa regio quæ trans Jordanem attributa est Tribubus *Ruben*, *Gad*, & dimidiæ *Manassis*, ut colligitur ex cap.32. Numer. ℣.19. *Nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in Orientali ejus plagâ*. Accedit, quòd *Moses* Genesis 13. ℣.2. agens de situ Convallis Illustris, & de regione Sodomorum, eamdem vocem usurpat. *Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, & recessit ab Oriente*. 5. Regio illa, antequam Dominus Sodomam & Gomorrham subverteret, ob terræ bonitatem, fœcunditatem, amœnitatem, erat sicut Paradisus, ut Scriptura ibidem testatur ℣.18. *Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Domini*. 6. Disertè conjunguntur quinque divinæ Sapientiæ fluvii, Phison, Tigris, Euphrates, Jordanis, & Gehon, Ecclesiastici 24. ℣.35. 36. & 37. *Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus novorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Gehon in die vindemiæ*. 7. Paradisi fluvius *irrigabat* Paradisum, adeòque restagnare debuit. Id verò convenit Jordani, qui regionem universam irrigabat, ut habetur *Genes.* 13. ℣.10. & Josue 3. ℣.15. *Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat*. 8. Paradisus non procul abfuit ab eo loco, in quo, *Adamus* conditus, in quo expulsus post lapsum habitavit, mortuus & sepultus est. At creatus probabiliter dicitur in agro Damasceno, ut tradunt Hebræi, & Patres etiam nonnulli censent. Paradiso pulsus, non procul inde habitavit, ita disponente Deo, ut illud pristinæ felicitatis domicilium semper in prospectu haberet, semperque cogitans unde per peccatum exciderat, ad pœnitentiam excitaretur. Quâ de re *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Cathechesi 2. *S. Chrysostomus* Homiliâ 18. in Genesim, *Theodoretus* Interrogatione 21. In Genesim. Quamobrem ejecto Adamo, *Collocavit Deus ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*, ne scilicèt *Adamo* pateret ad ipsum aditus. Hinc *S. Basilius Magnus* in cap.5. Isaiæ vetustam Traditionem laudat, Hebræorum utique; *Quòd prima Judæa hominem habuerit incolam*. Denique Hierosolymis sepultum in Calvariæ Monte, antiqui Patres plerique asserunt, *Origenes* Tractatu 35. in *Matthæum*; Auctor Carminum contra Marcionem, *Tertulliano* adscriptorum, Lib.2. Auctor Fragmenti de Christi Passione apud S. Athanasium, *Epiphanius* Hæresi 46. *S. Chrysostomus* Homiliâ 84. in Joannem ad cap.19. *S. Ambrosius* Lib.10. in Evangelium *S. Lucæ*, ad cap.23. *S. Hieronymus* Epistolâ 17. ad *Marcellam* nomine *Paulæ* & *Eustochii* datâ; quanquam hanc opinionem planè certam non esse significet, immò ipsam explodat in Commentar.cap.27. S. Matthæi; Auctor Sermonis *De immolatione Isaac*, inter Sermones *S. Augustini* de tempore olim 71. nunc sexti in Appendice, cujùs hæc sunt verba: *Etiam hoc Antiquorum relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipso loco ubi Crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè, Fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit Medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui Peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur*. Quem tamen locum in MSS. non haberi, observant religiosi & eruditi Editionis postremæ Curatores. Quid *Theophilactum*, *Euthymium*, *Mosem*, *Bar-Cepha* & alios ejusdem sententiæ suffragatores commemorem, quæ solo testium numero, nullâ cæteroquin firmâ probatione nititur? Denique postremæ illius sententiæ de Paradisi situ Assertores convenire ajunt, ut eodem loco primus *Adam* perdiderit humano generi fœlicitatem, in quo eamdem restituit secundus, & ex quo Evangelium in terrarum orbem propagatum est.

XI. Coronidis loco isti, de situ Paradisi Quæstioni præclaram hanc *S. Augustini* sententiam addamus Libro 2. *De Peccato Originali adversus Pelagium & Cælestium*, cap.23. *Longè aliter*, inquit, *se habent Quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quàm sint illæ, in quibus salvâ fide quâ Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur, aut aliter quàm est, humanâ & infirmâ suspicione conjicitur: veluti cùm quæritur qualis vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere? Cùm tamen esse illum Paradisum * Fides Christiana non dubitet: vel cùm quæritur, ubi sint nunc Elias vel Henoch, an ibi, vel alibi? Quos tamen non dubitamus in quibus sunt nati corporibus vivere*. * *Id est, realem & corporeum fuisse locum*.

SCHOLION.

De situ Paradisi terrestris libellum elegantem & eruditum edidit illustrissimus Præsul *Petrus Daniel Huëtius* Episcopus Abrincensis, quo hortum illum voluptatis situm fuisse propugnat ad ripas fluvii, qui ex confluxu Tigris & Euphratis, post eorum conjunctionem, & ante ejusdem fluvii divisionem decurrit; qui *Fluvius Arabum*, vulgò *Sebatel-Arab* vocatur. Fluvium illum in duo capita dividi, seu duos ramos, antequam in Sinum Persicum se infundat: Occidentalem unum, cui nomen *Phison*, Orientalem alterum, cui nomen *Gehon*. Fluvium igitur, qui Babyloniæ Provinciam Orientalem Eden irrigabat, & Paradisum in eâ situm præterfluebat, in quatuor capita divisum fuisse: quorum duo supra Paradisum, scilicet *Tigris* & *Euphrates*, duo infra Paradisum, scilicet *Phison* & *Gehon*; Paradisum denique Arabiam versùs & Susianam situm fuisse. Ab hac sententiâ non multùm abest opinio Josephi Scaligeri Lib.5. *De emendatione Temporum*, & Lib.4.
„ Epistolarum, Epist.441. & Bocharti, *Hierozoici*, p.2. Lib.5. Cap.5. ubi scribit, *Terra Havila*, in quâ *Bedolach* seu *Bdellium*, est ea pars Arabiæ ad *Catipham* & *Babaren*, ex quâ Margaritæ eruuntur (inquit) in accuratâ Paradisi terrestris descriptione tot asserimus argumentis, ut vix quidquam deesse putemus ad perfectam probationem. Itaque hic monuisse sufficiet, nobis nomine Phison, a quo alluitur Terra Havila, eum Euphratis ramum intelligi, quem Petrus Texeira, Itineris ab Indiâ in Italiam pag.73. in Sinum Persicum ferri ait, ad *Catipham* prope *Barhen*, sive *Babarain*. In quibus locis celebris est Margaritarum piscatio, quam idem sic describit, *Chronici Armaziæ* pag. 19. *Insula Barhen sita est in Meditullio Sinûs Persici centum leucis ab Armuziâ, & totidem a Basorâ, exiguo intervallo a continente Arabia e regione Portûs Catiphæ .... Famosa est insula ob unionum copiam, quæ in ambitu & vicino Mari capi solet*, &c. *Ista Bocharti lucubratio non est edita*.

Quantavis tamen sit opinionum probabilitas, quas Viri Erudití de situ Paradisi terrestris propugnant, semper verum erit quod S. Augustinus ait: *S. August. Lib. 8. De Genes. ad literam c. 7.*

Locus

*Locus ipse Paradisi a cognitione hominum est remotissimus*. Expositis itaque varii antiquorum & recentiorum eâ de re sententiis, disputare & contendere non amamus, quia *Melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis*.

Idem, cap. 5.

PROPOSITIO III.

*Utrùm Paradisus Terrestris etiamnum supersit, incertum: probabilius est non extare ampliùs quoad cultum & amœnitatem loci.*

SUperstitem quidem esse Paradisum Terrestrem, *S. Irenæus*, Libro 5. adversus Hæreses cap. 5. docet: Illuc translatos *Henoch* & *Eliam*, ibique remanere usque ad consummationem, coauspicantes incorruptelam; idque se accepisse ait a Presbyteris Apostolorum Discipulis. *Theophilus Antiochenus* Libro 2. ad *Autolicum*, Paradisum æternitate donatum in medio cæli & terræ constitisse ait, quantùm ad amœnitatem & pulchritudinem attinet. Auctor Quæstionum ad Orthodoxos *S. Justino* falsò adscriptarum, Quæst.75. 76. & 85. eadem docet quę *S. Irenæus*. Illùc ductum esse Latronem, cui Christus dixit in Cruce; *Hodie mecum eris in Paradiso*. In eundem locum deduci omnes Animas Justorum, ad beatificam Dei visionem ante supremum Judicii diem non admittendas, ibique optatum illud tempus, & gloriosam corporum suorum Resurrectionem expectare. Quod & *Tertullianus*, in Apologetico, & Lib. *De Animâ*, non obscurè significat. Auctor etiam Quæstionum ad *Antiochum* olim *S. Anastasio* adscriptarum, Quæst.48. *Severianus* Oratione 5. de Cosmopæâ. *Eulogius Alexandr.* apud *Photium*, Cod.230. *Methodius* apud *S. Epiphanium* Hæresi 64. *Ephramius* apud *S. Joannem Damascenum* in Eclogis Tit.31. *Moses Bar-Cepha* Lib. *De Paradiso*, cap.13. aliique Auctores Ecclesiastici nonnulli, Paradisum etiamnum extare affirmant. Verùm *S. Iranei* & *Tertulliani* testimonium haud multò majorem hac in Quæstione certitudinem parit, quàm in illâ de Beatitudinis Sanctorum dilatione. Certè & Chiliastarum errorem de millenario in terris Christi Regno, a Presbyteris Asiaticis, qui erant Apostolorum discipuli, se accepisse *S. Irenæus* profitetur, sicut & sententiam de Christi ætate propè quinquagenariâ, cùm pro salute nostrâ passus est. Quare non ideo pro certo habendum est, Paradisum Terrestrem nunc extare, quòd Presbyteros Asiæ, Discipulos Apostolorum hujus opinionis suffragatores laudet. Aliorum verò Auctorum, hac in re præsertim, non est auctoritas tanta ut nos cogat. Ut enim ait *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio, *Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinæ Legis quæstiunculis, sed solùm in Fidei regulâ, magno nobis studio & investiganda est, & sequenda*. Pars autem eorum, qui Paradisum etiamnum superesse asserunt, nec Sancti sunt Patres, *Irenæo* excepto, aliisque nonnullis, & assertionem illam suam erroribus Millenariorum quidam admiscent, ut *Irenæus*, ipse *Tertullianus*, & Auctor Quæstionum ad Orthodoxos sub *S. Justini* nomine, qui & ipse ignotus est, sicut & Auctor Quæstionum ad Antiochum *S. Athanasii* nomine larvatus. *Moses Bar-Cepha* in Libro illo suo de Paradiso multa incerta, multa fabulis simillima interserit. Hæc præterea Quæstiuncula, Num Paradisus sit etiamnum superstes, ad Fidei regulam non pertinet. Integrum igitur nobis est illos seu Patres, seu Tractatores Ecclesiasticos relinquere, nisi aliquâ vel Scripturæ sacræ auctoritate, vel humanæ Historiæ testimonio, vel probabili ratione, Assertionem suam confirment; quod certè non faciunt. Quòd enim eò servatum esse Paradisum aliqui dixere, ut idoneum esset Sanctarum Animarum ante diem judicii receptaculum, in quo divinæ essentiæ visionem, sicut & corporum resurrectionem, prętolentur, error est ab Ecclesiâ proscriptus. Quòd alii verba Christi morientis ad Latronem pœnitentem, *Hodie mecum eris in Paradiso*, afferant, improbabilis interpretatio est, cùm Christus in Paradiso terrestri per triduum mortis non fuerit, sed in limbo Patrum secundùm animam; in sepulcro secundùm corpus. Christum enim ad inferos descendisse, & tribus diebus ac noctibus fuisse in corde terræ, Fides docet. Quod de raptu *S. Pauli* ad Paradisum adducunt, hanc sententiam non juvat, cùm de cælesti Paradiso, seu de tertio cælo Apostolum intelligere necesse sit. Quod denique Paradisum terrestrem conservatum plerique volunt, ut *Enoch* & *Elia* felicis æternitatis candidatis ad extremum usque judicii diem domicilium esset, incertum est, & ad illas Quæstiones pertinet, quę *salvâ fide quâ Christiani sumus*, disceptantur, teste *S. Augustino*. Quod & liquidiùs ostendemus, cùm de translatione *Enochi* sermo erit. Immò & experientia probat non superesse ampliùs illud fortunatorum hominum domicilium, cùm illis in regionibus, quas Tigris & Euphrates alluunt, & ubi eorum fontes conspiciuntur, non compareat? & Scripturæ sacræ luculentissimo loco id conficitur, ubi diluvium describens, Genesis, Cap.7. ait: *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt Arcam in sublime a terrâ: vehementer enim inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ... Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat*. Diluvium ergo terram universam vastavit ac delevit; adeoque & Paradisum terrestrem, quoad cultum, ornatum, amœnitatem: siquidem terræ hujus pars erat, quam Deus hominibus habitandam dedit. Ex illâ enim generali Scripturæ sententiâ vel ipsum excipere Paradisum periculosum est, cùm sic ansa detur Scripturæ sacræ fidem & veritatem variis exceptionibus elevandi, cuique pro suo arbitratu. Alii enim insulas a vastitate per diluvium importatâ exciperent: consingerentque de universâ terrâ continente duntaxat Scripturæ sacrę verba esse intelligenda. Alii de omni terrâ, quæ ante diluvium ab hominibus habitabatur, explicanda esse contenderent; ex quo sequeretur diluvium generale non fuisse. Præterea, si aquæ diluvii Paradisum non attigerunt, ibi *Noë* cum familiâ suâ, & animalibus conservari poterat. Quid ergo tam operosam Arcam fabricare necesse fuisset? Si qui verò Paradisum cum suo cultu, ornatu, amœnitate, miraculo conservatum sub aquis diluvii respondeant, hujusmodi miracula commentitia Theologos admittere non debere, non semel docet *S. Augustinus* in Libris præsertim de Genesi ad literam.

## ARTICULUS II.

### De Arboribus Paradisi.

### PROPOSITIO I.

*Cujus speciei fuerit Arbor scientiæ boni & mali, incertum est. Ab eventu nomen accepisse, quàm a vi quadam naturaliter inditâ, longè probabilius.*

I. Fuere qui fructum scientiæ boni & mali, connubii usum, intellexerint, quo Deus *Adamo* & *Evæ* interdixerit, donec ipse juberet, ut refert *Moses Bar-Cepha* Libro *De Paradiso*. *Abenezra*, quamvis arborem illam ignotam esse sentiat, nec alibi quàm in Paradiso extitisse, vult tamen, ab opere nuptiali quod significaret, cognitionis boni & mali nomen habuisse, indeque factum ut opus illud *Cognitio* vocaretur. *Unde*, inquit, *& puer, statim atque boni & mali notitiam adeptus est, istiusmodi cupidine tentari incipit*. Tam insulsam opinionem Scripturæ textus abunde refellit Genesis 2. *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali*: & Cap. 3. *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro suo qui comedit, & aperti sunt oculi amborum*.

Arborem scientiæ boni & mali quidam frumentum, alii vitem existimarunt, nullo certè vel levi admodum fundamento. Nonnulli ficum, ut *Theodoretus* Interrogatione 28. in Genesim, *Isidorus Pelusiota* Lib. 1. Epistolâ 51. *Moses Bar-Cepha*, aliique ab ipso laudati Tractatores Ecclesiastici, & inter alios *Philoxenus Mabugensis*: Idque ex eo probant, quòd ex ficulneis foliis campestria sibi consuerunt; utique proximâ ex arbore. Quæ tamen ratio haud magni ponderis est. Potuit enim illi arbori, ex qua *Eva* fructum carpserat, vicina fuisse ficus. Nec videtur *Adamo* fructum porrexisse sub ipsâ arbore. Accedit, quòd ficui non conveniant hæc verba, *Lignum pulchrum oculis, aspectuque delectabile*. Tandem abhorruissent *Adamus* & *Eva* a fatali illâ arbore, nec se foliis ejus involvissent. Alii malum fuisse censent, quòd *Canticorum* 8. V. 5. dicatur: *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua*. At matris nomine ibi significari *Evam* haud certum est, vel de primâ corruptione agi: & vox illa, *Malum*, generalis est, & quemlibet fructum spirantem & odoriferum significat. *Moses* arboris genus non expressit, ne curiosius illud scrutemur.

II. Hanc arbori illi insitam a Deo naturalem fuisse vim, quæ boni & mali notitiam tribueret *Josephus* Lib. 1. *Antiquitatum* Cap. 1. *Nemesius* Lib. *De Naturâ Hominis* Cap. 1. & *S. Joannes Damascenus* Lib. 2. *De Fide Orthodoxâ*, Cap. 11. sentiunt. At verisimilius est, non alterius fuisse conditionis arborem istam ac ceteræ omnes erant. Nam vis ad spiritalem effectum producendum, qualis est boni & mali scientia, naturalis rei corporeæ esse non potest: deinde, fallax omninò non fuisset dæmonis per serpentem loquentis promissio: *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum*: & reverà commodum aliquod ex esu fructûs vetiti *Adamus* & *Eva* reportassent: Nec adeò illi ironiæ ad illorum superbiam deprimendam aptissimæ locus fuisset: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. Sed probabiliùs est arborem illam ab eventu nomen accepisse.

Ita docet *S. Joannes Chrysostomus* Sermone 7. in Genesim. *Nam idcirco* [ inquit ] *lignum scientiæ boni ac mali vocatur, quòd mandatum de ligno traditum fuerit, cujus occasione vel inobedientia, vel obedientiâ exercetur. Siquidem antea sciebat Adamus obedientiam bonum esse, inobedientiam autem malum: manifestiùs autem postea ex ipsâ rerum experientiâ didicit*. Quemadmodum *nos quoque sanitatem rem bonam esse novimus, & ægritudinem rem molestam, antequam illud experiamur: multò verò certiùs cùm in morbum inciderimus, utriusque rei discrimen agnoscimus. Eâdem nimirum ratione noverat etiam Adamus obedientiam rem bonam esse, inobedientiam verò malam: deinceps verò didicit evidentiùs, cùm ligno gustato a Paradiso ejectus est, & ab illâ excidit felicitate. Cùm igitur in pœnam incurrerit, quòd Deo vetante lignum degustarit, manifestiùs eum per experientiam pœna docuit, Deo non obtemperare malum, at obtemperare bonum esse: propterea lignum scientiæ boni ac mali vocatur. Et quâ de causâ, si non ipsa ligni natura scientiam habuit boni, & mali, sed ex ipsâ pœnâ propter inobedientiam ob degustatum lignum illatâ manifestiùs hoc didicit homo, lignum scientiæ boni ac mali vocatur? Quòd nimirum hic Scripturæ mos sit, ubi res quæpiam in locis aut temporibus quibusdam acciderit, a rebus illis, & tempora & loca vocare. Puteos aliquando fodit Isaac: hos autem puteos vicini destruere cùm aggressi essent, inde simultas quædam est orta, & vocavit puteum, Inimicitias: non quod puteus inimicitias exerceret, sed quòd circa illum inimicitiæ exortæ essent: sic & lignum scientiæ boni & mali vocatur, non quòd ipsum scientiâ polleret, sed quòd circa illud facta esset scientiæ boni & mali declaratio. Rursus puteum fodit Abraham, insidias paravit Abimelech, convenerunt, inimicitias deposuerunt, ac præstito mutuo juramento, puteum illum Juramenti puteum appellarunt, non quòd jurasset puteus, sed quòd circa puteum juramentum præstitum esset. Vides loca non fieri causas rerum, licèt a rebus nomen accipiant. Rursus occurrentes sibi Angelos vidit Jacob, & castra Dei; tum locum appellavit Castra. Tametsi locus castra non esset, nihilominus Castra vocatus est locus, propterea quòd illic castra viderat. Vides ut ab eventu rei, quæ in loco acciderat, locum appellarit? Sic etiam lignum scientiæ boni ac mali vocatur, non quòd ipsum boni malique scientiâ polleret, sed quòd scientiæ boni ac mali facta fuerit circa illud demonstratio, & inobedientia atque obedientia exercitatio. Rursus Deum vidit Jacob, quantùm fieri potest ut ab homine videatur, & vocavit nomen loci illius, Species Dei: Quia vidi Deum ( inquit ) quanquam non locus Dei species erat, sed a re quæ evenerat in loco nata est appellatio, &c.*

Idem docet *Theodoretus* Interrogatione 26. in Genesim. *E terrâ*, inquit, *orta esse hujusmodi ligna, perhibet Scriptura: Non igitur alterius sunt naturæ quàm reliquæ plantæ. Quemadmodum enim lignum Crucis lignum est, & salutare appellatur propter salutem nascentem ex fide quæ de eo est: sic & ista ligna sunt quidem plantæ e terrâ natæ, sed propter divinam sententiam, alterum ex iis* lignum vitæ *nominatum est: alterum verò quia per ipsum sentiri cœpit peccatum, appellatum est* lignum cognitionum boni & mali. *Et circa hoc quidem ipsi Adæ certamen indictum est. Lignum autem vitæ veluti quoddam præmium propositum erat observanti mandatum. Ita etiam Patriarchæ & locis & puteis cognomina dederunt, & illum quidem vocaverunt Puteum visionis, non quòd videndi facultatem conferret, sed quòd apud eum apparuerit Domi-*

*minus omnium. Item Puteum latitudinis, quoniam sæpenumero qui erant ex Geraris, dimicaverant pro aliis puteis, ac propter hunc non interpellaverunt eos qui illum construxerunt. Sic & Puteum juramenti, quòd apud illum juramenta præstita sunt. Sic &* Luza *appellata est* Bethel, *hoc est Domus Dei, quia apparuit ipsi Jacob in illo loco Creator omnium. Et collis dictus est Testis, non quòd ille animatus esset, sed quòd apud illum locum inter se fœdera inierunt. Similiter aqua viva vocatur Baptisma, non quòd aqua Baptismatis aliam habeat naturam, sed quia per illam aquam divina gratia donat vitam æternam. Ita* lignum vitę *divinâ sententiâ vocatum est, &* lignum scientiæ *eo quòd inde cœpit esse sensus peccati. Cùm enim peccati periculum necdum fecissent, ac deinde vetitum fructum gustassent, tanquam præcepti transgressores, conscientiæ stimulos senserunt.*

Ita *Basilius Seleuciensis* Orat. 2. de Adam. *Tanquam in tabulâ*, inquit, *præceptum in arbore perscribens, latentem intus discernendi scientiam excitavit, obedientiæ & inobedientiæ discrimen ad arborem adscribens. Inde cognoscibile boni & mali lignum dicitur. Nam ab iis quæ ille perdoctus est, lignum nomen accepit: & hujus disciplinæ, arboris est appellatio:*

Ita *Severianus Gabalitanus* Oratione 6. De Mundi Creatione. *Quid causæ est* (inquit) *cur lignum scientiæ boni & mali fuerit appellatum? Non talis ejus natura erat, sed tale argumentum tulit. Scripturarum proprietatem dico. Ut sub exemplo loquar, vocatus est in deserto fons unus aquæ,* Aqua contradictionis. *Num ergo hujusmodi aquæ indoles erat, ut populum ad contradicendum ferret? Cur ergo Moses illâ potatus Deo non contradixit? Quemadmodum igitur vocata est aqua contradictionis, non quòd naturam ejuscemodi haberet, sed ejus rei causâ quæ in illâ accidit. Quia enim populus ibi contradixit, ideirco Aqua contradictionis vocata fuit. Alius locus* Pax Dei *appellatus est. Apparente Angelo Gedeoni, timore correptus est, & ait: Heu me, heu me! moriar, vidi enim Angelum Dei, Cui Angelus:* Pax tibi, ne timeas. Et ædificavit Gedeon Altare, & vocavit illud: Pax Dei. *Quemadmodum igitur ara sive altare pacem non habebat, sed pacis quæ contigerat, ac data fuerat, signum erat: sicut item aqua non habebat contradictionem, sed ex eo quod in illa evenerat, sic vocata est: ita & lignum scientiam non habebat, sed quia quisquis peccat, in notitiam venit eorum quæ peccat, nomen illud accepit. Ut rursus sub exemplo loquar, dum quandoque per loca latronibus infesta iter agimus, moris est dicere: Tremenda sunt loca ista. Num, rogo, locus timorem habet? Sed propter insidentes ibi latrones ita loquimur. Ad eum etiam modum, arbor non ex eâ erat indole ut lethiferam ipsa scientiam præstaret, sed ab Adam in illâ tragædiâ & peccato nomen accepit.* Aliis rursus id illustrat exemplis, *Habemus*, inquit, *Altare, cujus Fideles sunt participes. Num ergo donum ipsum naturali præstat salute, an propter Majestatem quæ invocatur? Pignus habes ab his quæ præsentia sunt, ne dubius sis de his quæ præcesserunt. Ibi esca lethalis, hìc cibus vitalis. Si hoc naturâ solvat, & non gratiâ, illud quoque naturâ perimit, non transgressione. Ostendam tibi extra Paradisum escam aliam mortiferam, nempe idololatriam. Cur enim Martyres carnibus vesci recusabant? Cur vesci metuebant? Num mortui essent si comedissent? Nequaquam; sed quia idolorum memoriæ devota erant, vitabant non escam, sed impurorum invocationem. Sic arbor erat scientiæ boni & mali, non scientiam præbens, sed eam ex transgressione docens. Semper enim experientia insipientem docet, malum esse, quòd mandata transgreditur.*

Idem docet *S. Augustinus* Libro 8. De Genesi ad literam, Cap. 6. *Mihi autem etiam atque etiam consideranti*, inquit, *dici non potest quantùm placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam: neque enim qui fecerat omnia bona valde, in Paradiso instituerat aliquid mali: Sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Oportebat autem ut homo sub Domino Deo positus aliunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia. Quam possum verissimè dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate; primumque esse maximum vitium tumoris ad ruinam suâ potestate velle uti, cujus vitii nomen est inobedientia. Non esset ergo unde se homo Dominum habere cogitaret, atque sentiret, nisi ei aliquid juberetur. Arbor itaque illa non erat mala, sed appellata est scientiæ dignoscendi bonum & malum, quia si post prohibitionem ex illâ homo ederet, in illâ erat præcepti futura transgressio, in quâ homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Proinde & hoc non in figurâ dictum. Sed quoddam verè lignum accipiendum est, cui non de fructu vel pomo, quod inde nasceretur, sed ex ipsâ re nomen impositum est, quæ illo contra vetitum tacto fuerat secutura.*

Et Libro 14. *De Civitate Dei*, Cap. 17. *Aperti sunt* [inquit] *oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum quo ceciderant. Unde & ipsum lignum, eo quòd istam faceret dignoscentiam, si ad vescendum contra vetitum tangeretur, ex eâ re nomen accepit, ut appellaretur lignum sciendi boni & mali. Expertâ enim morbi molestiâ, evidentior fit etiam jucunditas sanitatis. Cognoverunt ergo quia nudi erant: nudati scilicet eâ gratiâ, quâ fiebat ut nuditas corporis nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet; Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent.*

*Rupertus* Libro 2. *De Trinitate & Operibus ejus*, Cap. 27. censet arborem illam scientiæ boni & mali ironicè appellatam, *Ut ipso nomine suo monumentum legentibus repræsentaret diabolici mendacii.*

## SCHOLION.

Scientiâ boni & mali rectè utendum est: Scientiâ boni, ad operationem; scientiâ mali ad cautionem: alioqui nullam excusationem habebimus. *Gravat enim scire, quod vel exequi, vel vitare non possis: gravat scire sine usu atque opere cognitionis profunda. Denique obest ad existimationem Medico scire quid prosit & quid noceat ægro; nisi cognitione eâ, quemadmodum oportet, utatur: & ideo non est cognitio bona, nisi eâ utaris ut oportet.* *S. Ambrosius Lib. de Paradiso c. 7.*

## *PROPOSITIO II.*

*Arbor Vitæ ita ab effectu nuncupata est, quòd ad vitam in perpetuum propagandam conduceret non naturali virtute, sed divinitus acceptâ: Eaque Arbor corporea licèt ac spectabilis, simul erat sacramentalis.*

I. INnatam hanc fuisse vim illi Arbori vitæ in sempiternum propagandæ, senserunt *Nemesius* Philosophus, ut referunt *Moses Bar-Cepha*, *Procopius* & *Strabus*. At hanc sententiam refellit idem *Moses*, dicens: *Perinde rudis ac stulti in-*

ge-

*genii esse, existimare arborem ullam boni malique cognitionem largiri posse iis a quibus ederetur, & esse arborem, quâ si vescare, evadas immortalis... Itaque Deus commonstratâ aliâ arbore, quæ in meditullio Paradisi sata magno extabat insignis decore, vitæ eam appellavit, quasi diceret: Si ab illâ arbore scientiæ boni & mali tete continueris, legique meæ obtemperaveris, en tibi arborem vitæ, de quâ edes, vivesque in perpetuum.*

II. Sed eâ de re S. *Augustinum* differentem audire ac sequi præstat, Libro 13. *De Civitate Dei*, Cap.20. ubi de primis parentibus sic loquitur: *Qui licèt morituri non essent, nisi peccassent: alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quæ licèt senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem [ qui status eis de ligno vitæ, quod in medio Paradiso cum arbore vetitâ simul erat, mirabili Dei gratiâ præstabatur ] tamen & alios sumebant cibos, præter unam arborem, quæ fuerat interdicta, non quia ipsa erat malum, sed propter commendandum puræ & simplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus est rationalis creaturæ sub Creatore Domino constitutæ... Alebantur ergo aliis quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent: de ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute confecta decursis temporum spatiis interirent: tanquam cetera essent alimento, illud sacramento; ut sic fuisse accipiatur lignum vitæ in Paradiso corporali, sicut in spiritali, hoc est, intelligibili Paradiso Sapientia Dei, de quâ scriptum est, Lignum vitæ est amplectentibus eum.* Cap.23. *Primus autem homo de terrâ terrenus, in animam viventem factus est, non in spiritum vivificantem, quod ei per obedientiæ meritum servabatur. Ideo corpus ejus, quod cibo ac potu egebat, ne fame afficeretur ac siti; & non immortalitate illâ absolutâ atque indissolubili, sed ligno vitæ a mortis necessitate prohibebatur, atque in juventutis flore tenebatur, non spiritale, sed animale fuisse, non dubium est: nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei prædicentis minantisque sententiam delinquendo corruisset. Et alimentis quidem etiam extra Paradisum non negatis; a ligno tamen vitæ prohibitus, traditus esset tempori vetustatique finiendus, in eâ dumtaxat vitâ, quam in corpore licèt animali, donec spiritale obedientiæ merito fieret, posset in Paradiso, nisi peccasset, habere perpetuam.*

[Proverb.3. v.18.]

Idem argumentum tractat Libro 8. De Genesi ad literam, Cap.4. & 5. his verbis: *Illud planè quod „ sequitur*, Et lignum vitæ in medio Paradisi, „ & lignum scientiæ dignoscendi bonum & ma„ lum, *diligentiùs considerandum est, ne cogat in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significent. Dictum est enim de Sapientiâ*, lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. *Verumtamen cùm sit Jerusalem æterna in cælis, etiam in terrâ Civitas quâ illa significaretur, condita est; & Sara & Agar quamvis duo Testamenta significarent, erant tamen quædam etiam mulieres duæ; & cùm Christus per ligni passionem fluento spiritali nos irriget, erat tamen & petra, quæ aquam sitienti populo ligno percussa manavit, de quâ diceretur*: Petra autem erat Christus. *Aliud quàm erant illa omnia significaverunt, sed tamen etiam ipsa corporaliter fuerunt. Et quando a narrante commemorata sunt, non erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata præcessio. Erat ergo & lignum vitæ, quemadmodum Petra Christus; nec sine mysteriis rerum spiritalium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in Paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem Sacramentum, quid significans, nisi Sapientiam, de quâ dictum est:* Lignum vitæ est amplectentibus eam; *quemadmodum de Christo diceretur: Petra manans est sitientibus eam? Rectè quippe appellatur, quod ad eum significandum præcessit... Christus est & lapis unctus a Jacob, & lapis reprobatus ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli; sed illud etiam in rebus gestis factum est, hoc autem tantùm in figuris prædictum. Illud quippe scripsit narrator rerum præteritarum, hoc prænuntiator tantummodo futurarum. Sic & Sapientia, idem ipse Christus, lignum vitæ est in Paradiso spiritali, quò misit de Cruce Latronem; creatum est autem quod eam significaret, lignum vitæ etiam in Paradiso corporali; quia hoc illa Scriptura dixit, quæ res suis temporibus gestas narrans, & hominem corporaliter factum, & in corpore viventem ibi constitutum esse narravit. Nunc verò quòd Sapientia non sit corpus, & ideo nec lignum, nec dubito, nec dubitari a quoquam puto: potuisse autem per lignum, id est, per corpoream creaturam, tanquam Sacramento quodam significari Sapientiam in Paradiso corporali, ille credendum non existimat, qui vel tam multa in Scripturis rerum spiritualium corporalia Sacramenta non videt, vel hominem primum eum ejusmodi aliquo Sacramento non vivere debuisse contendit; cùm Apostolus dicat etiam hoc quod de muliere dixit, „ quam ei factam esse de latere credimus.* Propter „ hoc relinquet homo patrem & matrem, & ad„ hærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ. *Sacramentum magnum esse in Christo & in Ecclesiâ.*

[1.Cor.10.] [Proverb.3.] [Ephes.5.]

*Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnullâ inspiratione salubritatis occultâ. Profectò enim licèt usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus unâ collyride hominem Deus ab indigentiâ famis dierum quadraginta spatio vindicavit. An fortè credere dubitabimus, per alicujus arboris cibum, cujusdam altioris significationis gratiâ homini Deum præstitisse, ne corpus ejus vel infirmitate vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur; qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, ut in fictilibus vasculis farina & oleum deficientes reficeret, nec deficeret? Jam hìc de genere contentiosorum quisquam existat, & dicat; Deum in terris nostris miracula talia facere debuisse, in Paradiso autem non debuisse: quasi verò non vel de pulvere hominem, vel de latere viri mulierem, majus ibi miraculum fecit, quàm quòd hìc mortuos suscitavit.*

[1.Reg.19. v.8.] [1.Reg.17. v.16.]

In arbore illâ *Sacramentum fuisse vitæ æternæ, quam obediendo mereretur*, docet etiam Venerabilis *Beda*; & *Jacobus Sarugiensis* apud *Mosem Bar-Cepha* Libro *De Paradiso*, ob Sacramentum Christi in arbore latens, occultam quamdam efficientiam fructui ejus attribuit: *Cùm Christus ipse suaptè naturâ vita sit, & ubicunque ille adest in propinquo, illinc longè absit mors.* Per hanc arborem, quatenus sacramentalis erat, æternæque sive cælestis vitæ symbolum, docebatur *Adam*, vitam esse extra ipsum, & talem quæ possessa mortem omnem excluderet, & eum incorruptibilem faceret. Eamque vitam quærendam esse in Deo, qui vitam habet in semetipso incommutabilem; Eum verum esse animæ cibum, qui non perit, qui manducantes in se transformat, & immortales facit, non in eos mutatur, quemadmodum cibus carnis. Quin etiam hoc symbolo Filium Dei *Adamo* manifestatum, ut vitæ Auctorem intelligere par est. Is enim passim *ligni vitæ* nomine ἀναλογως significatur. Proverb.3. *Beatus homo qui invenit Sapientiam... Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam; & qui tenuerit eam, beatus.* Apocal.2. vers.7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ,*

quod

*quod est Paradiso Dei mei*. In Filio quippe Dei est vita, & ipsa vita subsistens est. *Joannis* 1. vers.4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum:* & cap.14. vers.6. *Ego sum via, veritas, & vita.* Item cap.6. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vitâ... Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Auctoris Quæstionum Veteris & Novi Testamenti Quæstione 19. apud *S. Augustinum*, in Appendice Tomi 3. postremæ Editionis sententiam prætermittere nolim, ne quis hunc locum desideret. *Deus*, inquit, *hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret: ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem: ut custodiens se a peccato, labore suo gauderet, esse se immortalem; negligens verò factus, ipse sibi imputaret, quia cœperat esse mortalis. Quamdiu enim in Creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ ut mori non posset. Nec enim corpus tale erat, quod dissolvi impossibile videretur: Sed gustus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam post peccatum potuit indissolubilis manere, si modò permissum esset illi edere de arbore vitæ. Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo sustentabatur? Immortalis enim non eget escâ, neque potu. Cibus enim vires præstabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat quasi inexpugnabilis murus.* Legi potest eo de argumento *S. Thomas* I. P. Q. 97. Art.4. & *S. Bonaventura* in 2. Sententiarum Dist. 17. ubi Magistri textum explicans, hæc habet: *Ergo sicut Sacramenta nostra non creant gratiam, sed divina virtus ipsis assistens, in eorum legitimâ perceptione gratiam infundit: sic fructus ejus arboris non dabat immortalitatem; sed divina virtus, cùm fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur.*

# DISSERTATIO III.

## De Adamo & Eva.

### ARTICULUS I.

Utrùm Adam primus omnium Hominum fuerit, an verò fuerint homines Præadamitæ.

---

### ASSERTIO UNICA.

*Præadamitarum Systema verbo Dei planè contrarium est, nec ullo probabili nititur argumento.*

PRobatur imprimis ex Cap.1. Geneseos, quo *Moses* Mundi initia, primamque rerum omnium productionem describens, non solùm Præadamitas nullos commemorat, sed Hominis primi creationem describit, cui dominium in universa animantia recens creata collatum a Deo est. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris & volatilibus cæli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* Hunc autem *Adamum* fuisse constat ex Capitibus secundo, tertio, & sequentibus, præsertim ex cap. quinto, ubi verba primi capitis *Moses* repetens, illa de *Adamo* intelligenda significat: *Hic est liber generationis Adam. In die quâ creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum & feminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam in die quo creati sunt.*

Respondet Auctor Systematis Præadamitarum, Capite primo Geneseos Gentilium creationem enarrari, capite verò secundo formationem *Adami* primi & patris Judæorum, non omnium hominum. Quia enim (inquit) Judæorum gens segregata erat ab aliis & universis terræ gentibus; quia elegerat eam Deus ut esset ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram: Auctor idcirco Pentateuchi Judæus & ipse, cujus institutum erat scribere originem, Leges, propaginem, & Chronologiam gentis suæ, seorsim a creatione universali totius Mundi & gentium omnium describere aggressus est formationem particularem primi hominis Judæi, a quo gens illa peculiaris & electa derivata est. Hanc autem formationem *Adami* secundam (ut vocat) & secundi capitis Geneseos, non fuisse primam illam & primi capitis creationem hinc præsumit, quòd impossibile sit transacta fuisse illa omnia quæ narrantur capite secundo, ab *Adamo* formato usque ad *Evam* ædificatam, per id temporis quod potuit adhiberi a vespere ad mane unius diei: Ergo multò minùs per dimidium diei illius sexti, quo Deus creavit primùm animalia omnia, deinde hominem. Quod argumenti genus quàm leve sit ac ineptum, ubi de operibus agitur a Deo, cujus infinita virtus est ac potentia, immediatè conditis, nemo non videt; præsertim cùm Deus ipse in Scripturâ sacrâ testatur ea non longiori temporis intervallo a se condita fuisse.

Verùm alterius hominis creationem primo & secundo Geneseos capite a Mose non describi, sed versu 7. secundi capitis meram anacephalæosim contineri, quâ id quod primo capite de creatione *Adami* pressiùs dixerat, & quasi proposuerat, prolixiùs explicat & accuratiùs, probatur primò ex collatione versûs quarti cum versu septimo secundi illius Capitis. Versu enim quarto creationem cæli & terræ, plantarumque commemorat, sicut creationem hominis versu septimo describit. *Istæ sunt*, inquit, *generationes cæli & terræ quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus Cælum & Terram: & omne virgultum agri antequam oriretur in terrâ, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.* Sicut ergo non alii cæli, alia terra, aliæ stirpes & plantæ his verbis memorantur, quàm illæ quarum creatio cap. 1. descripta est: ita nec alterius meminit hominis vers.7. cùm ait: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem:* Sed narrationem creationis illius *Moses* resumens, eam accuratiùs describit, ob eam rationem, quòd operum divinorum præstantissimum sit homo, & *divini ingenii cura*, ut eum *Tertullianus* vocat. Nihil est itaque hoc in textu quod faveat Systemati Præadamitarum.

Secundò, ejusdem Systematis vanitatem demonstrant verba illa Capitis 2. V.5. *Et homo non erat qui operaretur terram;* quibus sua constare veritas non potest, si Præadamitas homines tunc fuisse creatos fingatur, quorum origines Capite 1. describantur.

Tertiò, sex dierum operibus absolutis ac recensitis cap.1. deinceps Deus a creatione cessasse dicitur, imò Sabbatum propterea condidisse: *Igitur perfecti sunt Cæli & Terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere*

*opere suo quod creavit Deus ut faceret*, Igitur Adamum post diem septimam non creavit. Addiderim, Judaicum Sabbatum in memoriam quietis dominicæ septimæ diei institutum, ut colligitur ex cap. vigesimo *Exodi* V.8. & sequentibus: *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum & Terram, & Mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum.* Quid verò attinebat dominicum illud Sabbatum a Judæis imitatione exprimi ac celebrari, si *Adamus* Judæorum pater ante illud Sabbatum creatus non fuit? Id confirmatur luculentiùs ex quarto Capite Epistolæ ad *Hebræos*, V. 3. & 4. ubi Apostolus laudans *Mosis* verba de Sabbato, *Genes.* 2. V. 2. non obscurè explicat de Sabbatismo tali, qui successit creationi Adami. *Ingrediemur*, inquit, *in requiem qui credidimus; quemadmodum dixit: Sicut juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione Mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septimâ sic: Et requievit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis.*

Quartò, Gentium Regna & Principes post diluvium (*Genesis* 10. cap.) ortum duxisse narratur a *Semo*, *Chamo*, & *Japheto* filiis *Noë*, qui ad *Adamum* originem suam referebant. Omnes igitur homines ab *Adamo* sunt primogeniti. Unde Apostolus (*Actuum* 17. V. 26.) in Areopago concionem habens, de Deo ait: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.*

At, inquit Auctor Systematis Præadamitarum, etsi Vulgata Editio vertat, *ex uno*, simpliciter; in autographo Græco legitur expressim ἐξ ἑνὸς αἵματος id est, *ex uno sanguine*, ex quo non concluditur homines omnes oriundos ex *Adamo*: sed illud tantùm, Deum compegisse omnes homines ex unâ eâdemque materiâ, ex unâ eâdemque terrâ, ex uno eodemque pulvere, ex unâ eâdemque carne, ex uno eodemque sanguine. Verùm αἷμα eo loci pro homine sumi, non pro communi materiâ, liquet ex communi Ecclesiæ & omnium Interpretum sensu: liquet etiam ex ipsâ Versione Vulgatâ Ecclesiæ usu consecratâ, quâ simpliciter *ex uno* omne genus hominum propagatum asserit; ex uno utique stipite, ex uno capite, ex uno omnium hominum Parente.

Quintò, animalia omnia quæ nomine suo indigitavit *Adam*, ubi ad ipsum jussu Dei adducta sunt, atque ante ipsum velut dominum suum a Deo constitutum steterunt, innominata & anonyma fuere; ideo enim ad eum sunt adducta, ut ipsis nomina imponeret, ut habetur *Genes.* cap. 2. V. 19. & 20. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ.* At si homines Præadamitæ fuissent, verisimile non est ipsos animalia omnia, volatilia, reptilia, anonyma relicturos, cùm ipsi ratione & sermone usi fuissent, non minùs quàm homines Adamitæ.

Sextò, peccatum originis ab uno homine, scilicet *Adamo*, in omnes homines derivatum ac propagatum est, ex Apostolo, Epistolæ ad *Romanos* cap. quinto: *Propterea*, inquit, *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt... Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei & donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Et Epist. 1. ad *Corinthios* cap. 15. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Porrò si Judæorum tantùm primus parens censendus est *Adam*, non verò primus absolutè omnium hominum, quomodo omnes & singuli cæterarum nationum homines peccatum originis contraxerunt? Quomodo labes illa ad tot homines genere & stirpe diversos pervasit? Judæorum tantùm caput erat, Judæos duntaxat ut posteros repræsentabat (ut supponitur) quâ ergo ratione cæterorum hominum ex universis gentibus voluntates in illius voluntate continebantur? Quâ ratione omnes & singuli homines in illo unus homo fuerunt, ut eo peccante & ipsi peccare censerentur, ab illoque peccatum ceu naturæ morbum contraherent?

Respondet Auctor Systematis Præadamitarum, necesse non fuisse ut omnes homines ducerent originem ab *Adamo*, ut censerentur omnes peccavisse in *Adamo*, vel ut eis peccatum *Adami* imputaretur. Peccatum enim alicujus alteri imputari observat ob communionem & conjunctionem quamdam, quæ triplex est, physica, politica, & mystica. Imputatur filiis patrum suorum crimen, propter communionem & similitudinem physicam, quâ filii patribus suis geniti, cum illis physicè & naturaliter conjuncti sunt. Censentur scilicet filii peccavisse in lumbis patrum suorum, ratione eâdem, quâ *Levi* decimatus dicitur in lumbis Abrahami, (*Ad Hebræos*, cap. 7.) Imputationum propter communionem naturalem statutarum leges extant tum divinæ tum humanæ. Divinæ sunt, quibus Deus *visitare* dicitur *iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Humanæ leges sunt, quibus pœnæ in ipsos perduellium filios ex patrum suorum reatu decretæ sunt. Exempla verò tum divina cùm humana prostant flagitiorum patrum filiis suis adscriptorum. Luculentum inter divina illud est septem filiorum Saul, quos, respondente & jubente Deo *David* piaculares tradidit in manus Gabaonitarum, qui illos crucifixerunt in monte coram Domino; quia *Saul* pater eorum fidem olim fefellerat Gabaonitis, & plures eorum crudeli exemplo trucidaverat. Legitur verò *Alexander*, velut ultor publicæ securitatis, Tyro expugnatâ, cruci affixisse Tyros omnes prælio superstites, proavis & mancipiis illis editos, qui longo ante tempore populum omnem Tyri liberum, cum Dominis, conspiratione factâ interfecerant. Imputavit Deus Populo Judaico numerationem quam jusserat *David*, & septuaginta eorum millia peste consumpsit, propter peccatum Regis sui, ratione illâ communionis & conjunctionis politicæ, quâ Regnum totum res quædam unica & continens censetur. Ita propter violatum ab *Agamemnone* Sacerdotem *Apollinis*, totum ferè Græcorum exercitum pestilentiâ exhaustum fabulantur. Et quicquid delirabant Reges, plectebantur Achivi. Neque solùm quod facit civitatis caput, sed quod

pec-

peccat corporis illius membrum aliud, populum omnem reatu obstringit. Sic in sacrilegio *Achan*, qui de anathemate usurpaverat, totus Israël peccavisse dicitur (*Josue* 7.) Tale est & illud quod scriptum est *Judicum* 19. de Concubinâ Levitæ, quam habitatores *Gabaa* de Tribu Benjamin usque ad mortem compresserant: Quorum flagitium toti Tribui ad rigorem adeo imputatum est, ut tota Tribus propter illud nefas extincta & deleta penè fuerit. Imputationum quæ propter alienum peccatum ex communione politicâ contrahuntur, aliæ sunt Juris Gentium, Juris Civilis aliæ. Imputatum fuit Jure Gentium Judæis omnibus *Sedecia* Regis sui perjurium, propter quod victi & dediti, Babylonem captivi ducti sunt. Jure eodem Gentium imputatur Reipublicæ aut Regno quicquid Legati eorum transegerunt: tum obsidibus, quicquid patratur ab eis qui eos dedere obsides. Imputatur Jure Civili populo, quicquid Syndicus egit pro populo; Mandatoribus, quicquid gessere Procuratores eorum; Pupillis & Minoribus, quicquid Tutoribus & Curatoribus suis auctoribus in illos judicatum est. Propter communionem & societatem mysticam, Fides *Abrahami* imputata fuit Fidelibus omnibus; Christi mors & justitia omnibus universim hominibus: Secundùm eamdem communionem & societatem mysticam peccatum *Adami* omnibus & singulis hominibus imputatum est (inquit Præadamitarum Patronus) Unde ex eo quòd omnes in *Adamo* peccaverint, colligi posse negat *Adamum* primum fuisse omnium hominum.

Verùm cùm totam illam de imputatione doctrinam ut principium inconcussum supponat Auctor Præadamitici Systematis, nec ullo probet argumento, figmenti sui vanitatem satis ostendit. Hæc certè doctrina homines nasci peccatores non patitur. Sicut enim fideles non nascuntur hi quibus, propter mysticam (ut ait) cum *Abrahamo* societatem, fides ejus imputatur: nec etiam nascuntur justi homines omnes quibus Christi mors vel justitia imputatur: ita propter solam Adamici peccati imputationem omnes homines peccatores nasci, *naturâ* esse *filii iræ*, peccatum nascendo contrahere, dici non possent; nec magis dicendum esset originale peccatum propter *Adamum*, quam Fides originalis propter *Abrahamum*, aut originalis justitia propter Christum. Deinde a Fide Catholicâ prorsus alienum est, quòd vel solâ imputatione justitiæ Christi justi simus, non verò justitiâ inhærente; vel solâ Adamici peccati imputatione peccatores constituamur, non verò peccato quod sit unicuique nascendo proprium, etsi alienâ voluntate sit liberum, & quod in singulos carnali generatione transfusum animam inficit, solâ regeneratione quæ in Christo est, expungendum. Tertiò, mystica illa communio & societas, ratione cujus imputatur Fidelibus omnibus *Abrahami* Fides, in solâ exemplaris ratione fundatur; non enim filii dicuntur *Abrahami*, nisi Fidei ejus imitatione, qui propterea *Pater credentium* dicitur, quod exemplum Fidei posteris dederit. Conjunctio verò mystica, ratione cujus mors & justitia Christi hominibus imputantur, est communio capitis & membrorum, vadis, Redemptoris, Mediatoris, & reorum. At nulla similis conjunctio est & communio *Adami* cum omnibus retrò hominibus, ratione cujus Adamicum peccatum ipsis imputari potuerit, posito Præadamitarum Systemate; nec enim imitatione solâ ipsius peccati possunt dici peccatores: Id siquidem erroris monstrum in Pelagianis confixit Ecclesia: Neque ad ipsum, ut ad caput membra, pertinuisse dici possunt Gentiles, si pater duntaxat & protoplastes Judæorum fuit, non omnium hominum absolutè primus. Quartò mystica illa communio efficere non potuit, ut *mors in omnes homines pertransierit*, nisi Adamus per quem *peccatum intravit in Mundum & per peccatum mors*, quæ *stipendium est peccati*, fuerit omnium hominum primus.

Respondet Auctor Fabulæ Præadamiticæ, morti obnoxios fuisse homines Præadamitas, ipsumque *Adamum*, antequam peccasset, morte (inquam) naturali mortuos fuisse sive morituros, cùm ex materiâ corruptibili & mortali compacti essent, non verò morte legali, cui addictus est *Adamus* ob divinæ Legis transgressionem.

Sed hæc Responsio Pelagianam hæresim continet, adversaturque Apostolo docenti, Mortem in mundum non subintrasse nisi per unius hominis, id est, *Adami* peccatum, mortemque *peccati stipendium* appellanti. Repugnat & alteri Spiritûs Sancti oraculo, *Sapientiæ* secundo Capite, vers. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*. Repugnat consentientibus SS. Patrum testimoniis, quorum nubem proferre facilè possemus. Unus instar omnium erit *S. Augustinus* Lib.1. *De peccatorum Meritis & Remissione* cap.2. *Qui dicunt Adam sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœnâ culpæ, sed necessitate naturæ, profectò illud quod in lege dictum est, Quâ die ederitis morte moriemini, non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ, quæ in peccato fit, referre conantur. Quâ morte mortuos significavit Dominus Infideles, de quibus ait:* Sinite mortuos sepelire mortuos. *Quid ergo respondebunt, cùm legitur, hoc Deum primo homini, etiam post peccatum, increpando & damnando dixisse*, Terra es, & in terram ibis? *Neque enim secundùm animam, sed quod manifestum est, secundùm corpus terra erat, & morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundùm corpus terra esset, & corpus in quo creatus est, animale gestaret, tamen si non peccasset, in corpus fuerat spirituale mutandus, & in illam incorruptionem, quæ Fidelibus ac Sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cujus rei desiderium nos habere non solùm ipsi sentimus in nobis, verùm etiam „ admonente Apostolo cognoscimus, ubi ait*: Etenim „ in hoc ingemiscimus habitaculum nostrum quod „ de cælo est, superindui cupientes, si tamen „ induti, non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vitâ. *Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate & incorruptione, ut absorberetur mortale a vitâ, id est, ab animali in spiritale transiret*. Et libro 13. De Civitate Dei, cap.15. *Constat*, inquit, *inter Christianos veraciter Catholicam tenentes Fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quâ nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in „ quo tunc omnes eramus:* Terra es, & in terram „ ibis.

Repugnat & Ecclesiæ definitioni in Concilio universali Africę, Carthagine celebrato anno 418. cujus Canones sub Milevitani Concilii titulo editi sunt; quorum primus hunc Pelagianorum damnat errorem: *Ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, itaut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturę, Anathema sit*. Et in Concilio Arausicano 2. Can.1. Cujus hæc sunt verba: *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est secundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsâ durante corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ, &c.*

In Concilio denique Tridentino, Sessione V. Canone 1. *Si quis*, inquit, *non confit tur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundùm corpus & animam in deterius commutatum fuisse, Anathema sit.*

Postremò, Adamum primum hominem simpliciter vocat Apostolus 1. ad *Corinthios* 15. cap. *Factus primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem .... Primus homo de terrâ terrenus: Secundus homo de cælo cælestis.* Idemque *Sapientiæ* 10. non pater dumtaxat Judæorum, primusque inter illos conditus, sed pater orbis terrarum, primusque omnium hominum dicitur: Ubi enim præmisit Auctor Sacer: *Per Sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi, Domine, a principio;* subdit: *Hæc illum qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.*

Objicit Auctor Præadamiticæ Fabulæ locum illum Apostoli ad *Romanos* cap. 5. *Usque ad legem peccatum erat in Mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Nomine (inquit) Legis hìc intelligenda venit Lex *Adamo* data; cujus transgressio peccatum *Adami* fecit; quam datam omnibus hominibus in *Adamo* censendum est, ratione eâdem, quâ violavisse illam homines omnes in *Adamo* reputandi sunt. Peccatum igitur erat in mundo usque ad Legem Adamicam: Ergo & ante Legem Adamicam. Homines igitur agnoscendi sunt, qui ante *Adamum* peccaverint, quamvis peccatum ipsis imputatum non fuerit, cùm Lex non esset. Haud enim probabilis est, quæ vulgò afferri solet, interpretatio; Legem Mosaicam ab Apostolo intelligi: Peccatum verò quod ante Legem illam in mundo erat, non fuisse imputatum per totum illud tempus, quod fluxit ab *Adamo* usque ad Mosem. Si enim ita se res habet, quare ergo peccatum *Adamo* ipsi imputatum est? Quare imputatum omnibus qui in illo peccarunt? Quare fugatus *Adamus*, & in *Adamo* pulsi omnes homines Paradiso? Quare maledicta terra propter peccatum *Adami*, nisi terræ & toti mundo fuit imputatum? Quare timuit *Cainus*, qui occiderat fratrem suum, cùm dixit Deo: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear?* Quare major iniquitas, si non magis imputata? Quare deneganda *Caino* venia, si non imputanda *Caino* iniquitas? Quare dixit *Lamech* uxoribus suis, *Quoniam occidi adolescentulum in livore meo, septuplum ultio dabitur de Caino; de Lamecho verò septuagesies septies?* Quare ultio dabatur de peccato, quod non putabatur esse peccatum? Quare ultionis, nisi fuissent imputationis gradus? Quare legimus Deum flagellavisse *Pharaonem* plagis maximis propter *Sarai* uxorem *Abrahami*, nisi Deus imputavisset adulterium & Regi & Regno? Quare dixisset Deus de Sodomitis: *Aggravatum est peccatum eorum?* Quæ fuit illa peccati aggravatio, nisi peccati imputatio? Et si tunc temporis nullæ fuissent imputationes, quare justitia decem justorum, si reperiri Sodomis potuissent, reputata fuisset reliquis Sodomitis in justitiam, quæ illorum peccata, quæ peccatorum clamores & aggravationes, id est, imputationes sustulisset? Quare percussisset Deus *Onanum*, eò quod fecisset *rem detestabilem?* Quæ res illa detestabilis, si non imputanda, quæ percussione vindicanda foret? Quare noluit Juda *polluere manus suas sanguine Josephi fratris sui?* Quæ fuit illa pollutio quam timuit, si non est imputatio? Ait Ruben: *Nonne dicebam: Nolite peccare in puerum? En sanguis ejus exquiritur.* Nimirum exquisitio sanguinis imputatio effusi erat. Quare ab *Adamo* usque ad Mosem instituta fuerunt sacrificia, quæ fuerunt peccatorum expiationes, nisi fuerunt per illud tempus peccatorum imputationes? Ratio enim postulat, ut quod remittitur non imputetur, quod imputatur vindicetur. Denique (inquit) si nobis licet, ut par est, judicium ferre de reatibus & imputationibus peccati per pœnas quæ hujusmodi imputationes sequuntur: nullum certè peccatum fuit æquè imputatum a *Mose* usque ad nos, qualia fuere imputata ab *Adamo* usque ad *Mosem*. Non enim dicuntur cataractæ cæli effusæ: vel fornaces superæ descendisse, & crepitavisse in perniciem hominum peccantium, a *Mose* usque ad nos; qualia leguntur de diluvio, & de conflagratione Sodomitarum, ab *Adamo* usque ad Mosem.

Respondeo verba illa: *Usque ad legem peccatum erat in Mundo:* de lege Mosaicâ intelligenda esse juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ, quo lex absolutè nominatur ea quæ Judaicæ genti a Deo per *Mosem* data est; ut Matth. 5. vers. 17. *Nolite putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere.* Cap. 22. vers. 36. *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* & vers. 40. *In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Lucæ 16. ver. 16. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Joannis 1. vers. 17. *Lex per Moysen data est, Gratia & Veritas per Jesum Christum facta est.* Et Cap. 7. vers. 19. *Nonne Moyses dedit vobis Legem; & nemo ex vobis facit Legem?* Act. 7. vers. 53. *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Ad Romanos 7. vers. 7. *Peccatum non cognovi nisi per Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces.* Cap. 10. vers. 4. *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti. Moyses enim scripsit; Quoniam justitiam quæ ex Lege est qui fecerit homo vivet in eâ.* Ad Galatas 3. vers. 19. *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* vers. 24. *Itaque Lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex Fide justificemur.* Sunt & alia bene multa ex Apostolo, quæ Legem absolutè dictam non aliam a Mosaica intelligi probent. *Usque ad Legem* igitur *peccatum in mundo fuisse*, docet Apostolus, Mosaicam utique, non Adamicam (ut fingit insulsus Fabulator) id est, peccatum, etiam Lege latâ, permansisse, ut *S. Augustinus* exponit. Neque enim Lex peccatum e Mundo profligare potuit: Unde alio remedio fuit opus quo peccatum aboleretur, scilicet Gratiâ Salvatoris. *S. Augustinum* audire præstat Lib. 1. *De peccatorum Meritis & Remissione*, Cap. 2. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, id est, a primo homine, usque ad ipsam etiam Legem, quæ divinitus promulgata, quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre; Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam æternam, quæ vera vita est, venire non sinat, sed ad secundam etiam, quæ pœnaliter æterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine destruit Gratia Salvatoris, quæ operata est etiam in Antiquis Sanctis, quicunque antequam Christus in carne veniret, ad ejus tamen adjuvantem Gratiam, non ad Legis literam, quæ jubere tantùm, non adjuvare poterat, pertinebant*

*tant.... Ergo in omnibus regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, qui Christi gratiâ non adjuti sunt, ut in eis regnum mortis destrueretur. Ergo in eis qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ: id est qui nondum suâ & propriâ voluntate, sicut illi peccaverunt: sed ab illo peccatum originale traxerunt, qui est forma futuri; quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex quâ non liberat nisi Gratia Salvatoris.*

Alii verò sic interpretantur hæc verba: *Usque ad Legem:* id est, non solùm tempore Legis, quando manifestata est transgressio, verùm etiam usque ad tempus, quo Lex Moysi data est, *peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset:* Non quòd non imputaretur ad reatum & ad pœnam, aliàs ante Legem Moysi datam insontes fuissent homines universi, juxta illud: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum;* nec ullas pœnas ob peccata sua dedissent, quod ex Historiâ sacrâ refellitur: sed quòd non imputaretur ad transgressionem; *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* (inquit Apostolus Cap.4. Epistolæ ad *Romanos*, Vers.15.) Prævaricatio namque vocatur, cùm sciens quis peccat, quod maximè contingit cùm adversùs legem verbo scriptove positam peccatur: At ante Legem scriptam homines ut plurimùm ex certâ scientiâ non peccabant. Lex enim verò naturæ in hominum animis obscurata erat, etsi non extincta, adeo ut ad lumen illius non attenderent. Unde Gentes, quæ eam solam Dei legem habebant, sine lege peccare, & sine lege esse, & sine lege puniri, ab Apostolo dicuntur, ad Romanos 2. vers.12. *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Et 1. ad *Corinthios* Cap.9. vers.21. *Factus sum iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem [ cùm ipse non essem sub lege ] ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.* Vel etiam *Peccatum non imputabatur* ad pœnam manifestam. Quamvis enim filii Israël & in Ægypto, & in deserto frequenter peccaverint, sive idola colentes, sive contra Deum & Moysen murmurantes, non tamen aliquâ pœnâ affecti, aut aliquâ plagâ percussi leguntur ante Legem. At statim atque Lex data est, ultionum Deus in transgressores Legis palam animadvertebat: Unde Apostolus ait: *Lex iram operatur.* Peccatores quidem ante Legem *Moysi* datam diluvio sepulti, vel igne consumpti fuere: sed pœnas hi non dederunt ob transgressionem Legis cujuspiam a Deo positæ, verboque aut scripto traditæ ac promulgatæ; verùm ob violata naturæ jura peccatis tam nefariis & execrandis, ut ultionem Dei naturæ ipsius auctoris provocarent. Vel *Peccatum non imputabatur*, id est, plerumque non cognoscebatur peccatum apud homines. *Per Legem enim cognitio peccati* (inquit Apostolus ad Romanos 3. vers.20.) Et Cap.8. vers.7. *Peccatum non cognovi, nisi per Legem: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret; Non concupisces.* Toto nihilominus temporis intervallo, quod *Mosem* antecessit, mors quę *peccati stipendium* est, quamvis ad transgressionem positivæ Legis non imputati, regnavit atque grassata est in genus humanum. Mortis porro tyrannidem experti sunt non illi duntaxat qui propriâ voluntate peccaverunt, primi parentis prævaricationem imitati, qui præceptum Dei liberrimâ voluntate transgressus est: verùm etiam infantes, qui non proprietate actionis, sed contagione originis peccaverunt. Ita *S. Augustinus* exponit non uno in loco, sed præsertim Epistolâ 89. ad *Hilarium* sive 157. novissimæ Editionis, Cap.18. & 19. cujus hæc sunt verba. *Usque enim ad Legem peccatum in Mundo fuit. Non quia deinceps in nemine fuit, hoc dictum est, sed quia non poterat per literam Legis auferri, quod solo poterat Spiritu Gratiæ. Ne quisquam ergo fidens de viribus non dico voluntatis, sed potiùs vanitatis suæ, putaret libero arbitrio Legem potuisse sufficere, & Christi Gratiam derideret, ideo ait Apostolus:* Us-
„ que enim ad Legem peccatum in Mundo fuit,
„ peccatum autem non deputabatur, cùm Lex non esset. *Non dixit: Non erat; sed* Non deputabatur: *Quia Lex non erat, quâ arguente demonstraretur; sive Lex rationis in parvulo, sive Lex literæ in populo.* Sed regnavit, *inquit*, mors ab Adam usque ad Moysen; *quia nec Lex data per Moysen potuit regnum mortis auferre, quod sola Christi abstulit Gratia. In quos autem regnaverit vide:* Et in eos, *inquit*, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, *id est, quia inerat eorum in membris similitudo prævaricationis Adæ.*
„ *Potest & sic intelligi:* Regnavit mors ab Adam
„ usque ad Moysen, & in eos qui non in simili-
„ tudinem prævaricationis Adæ peccaverunt: *Quia in semetipsis cum jam nati essent, nec ratione adhuc uterentur, quâ ille utebatur quando peccavit, nec præceptum accepissent, quod ille transgressus est, sed solo originali vitio tenerentur obstricti, per quod eos regnum mortis traheret ad condemnationem. Quod regnum mortis in eis tantùm non est, qui Christi gratiâ renati, ad ejus regnum pertinent: quoniam mors temporalis, quamvis & ipsa de originali delicto propagata sit, corpus in eis interimit, animam verò ad pœnam non trahit, ubi voluit regnum mortis intelligi, ut anima renata per gratiam, jam non moriatur in gehennam, id est, a vitâ Dei non alienetur, non separetur: Temporalis autem mors corporis, etiam in iis, qui Christi morte redimuntur, relinquatur interim ad exercitationem fidei, & agonem præsentis luctationis, in quo & Martyres certaverunt; absumatur verò & ipsa in renovatione corporis, quam Resurrectio pollicetur. Ibi enim penitus absorbebitur mors in victoriam, cui modo gratia Christi adimit regnum, ne suorum animas ad pœnas tartari trahat. Nonnulli sanè Codices non habent:* In eos, qui non peccaverunt;
„ *sed*, In eos, qui peccaverunt in similitudinem
„ prævaricationis Adæ. *Quibus quidem verbis nullo modo iste sensus adfertur. Secundùm hoc quippè intelliguntur peccasse in similitudine prævaricationis Adæ, secundùm quod supra dictum est*, In quo omnes peccaverunt. *Sed tamen Græci Codices, unde in Latinum Scriptura translata est, illud plures habent quod diximus.*

Vel denique sensus est, Mortem regnasse etiam ante Legem Moysi datam, ac proinde in eos etiam, qui non violaverant Legem aliquam a Deo sibi positam; sicut Adam Legem sibi datam, quę *Matris erat omnium præceptorum Dei*, (ut loquitur *Tertullianus*) violaverat; sed in unam naturæ Legem peccaverant. Hunc sensum suggerunt Græcorum Patrum Commentarii, eumque refert etiam & probat *S. Augustinus* in Expositione Propositionum quarundam ex Epistolâ ad *Romanos*,
„ Cap.29. cujus hæc sunt verba: *Quod autem ait*,
„ Sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen,
„ & in iis qui non peccaverunt in similitudinem
„ prævaricationis Adæ, *duobus modis distinguitur:*
„ *aut*, In similitudinem prævaricationis Adæ re-
„ gnavit mors; *Quia & qui non peccaverunt, ex origine mortalitatis Adam, mortui sunt. Aut cer-*
„ *tè*, Regnavit mors, & in his qui non in simi-
„ litudinem prævaricationis Adæ peccaverunt, *sed ante Legem peccaverunt: ut illi peccasse intelli-*

*gantur in similitudinem prævaricationis Adæ, qui Legem acceperunt; quia & Adam acceptâ præcepti Lege peccavit. Sanè etiam id quod dictum est*, Usque ad Moysen, *totum tempus Legis intelligendum est*.

Objicit Auctor Præadamiticæ Fabulæ plura ex capite quarto *Geneseos*, quæ alios homines ante *Adamum* creatos arguere videntur; hæc imprimis verba versûs secundi: *Fuit autem Abel Pastor ovium, & Cain Agricola*. Qui dicit aratoriam artem; multas alias supponit artes: & qui dicit agricolam, innumeros ferè supponit artifices. Aut si nulli præter *Cainum* agricolam fuere tunc temporis artifices, eas ergo *Cainus* artes solus exercuit; ad quas innumeri penè & servi & artifices necessarii erant: quæ nonnisi longâ meditatione, & diuturno usu reperiri potuerunt. Cur verò custodiebat oves *Abelus?* Quos fures timere debuerat, præter patrem, matrem, & fratrem, si nulli præterea fuissent homines in terris? A lupis autem & feris rapacibus, quæ gregem suum invasissent, plus *Abelo* ipsi, quam ejus ovibus timendum fuisset.

Secundò objicit verba illa Dei, *Cainum* irâ & invidiâ adversus fratrem percitum, alloquentis, vers.6.& 7. *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* In foribus, id est, in portis. Notum enim est ex locis quamplurimis sacræ Scripturæ, judicia apud Orientales exerceri solita in portis. Significabat autem Deus *Caino*, si malè ageret, rapiendum ad judices, qui pœnas sceleris ab eo reposcerent.

Tertiò objicit verba alia *Caini* ad Deum, Vers. 14. *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tuâ abscondar, & ero vagus & profugus in terrâ: Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. Quos verò timuit *Cainus*, postquam intellexit palam esse quod patraverat fratricidium? Timuit certè Judices suos, & Leges quibus capite plectendus erat. Effugit ergo Jurisdictionem, in quâ occiderat fratrem suum, atque adeo in quâ sistendus erat judicio. Et aufugit more reorum omnium; aufugit (inquam) in aliam regionem: *Ad Orientalem plagam Eden*. Ne verò putemus *Cainum* frustra timuisse homines & judices sui temporis, cavit ei Dominus, dixitque ob eam rem dumtaxat: *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum*. Frustra verò timuisset *Cainus*, frustra Dominus signum in illo posuisset, ne occideretur a quopiam homine, si vacuæ hominum fuissent terræ illæ ad quas *Cainus* confugisset.

Addit ex *Josepho*, profugum *Cainum* ad Orientalem plagam Eden, non in melius vitam mutavisse, sed facultates domesticas per vim & rapinas accumulavisse, *Accitis undequaque latrociniorum & nequitiæ sociis: necnon magistrum illis ad facinorosam vitam effectum*. Quod sanè de aliis hominibus quàm de ipsius nepotibus intelligitur. Ad quid enim nepotes suos in mutuam perniciem armavisset? Num ut dominii sui fines extenderet? Sed verisimile illud non est in tanto terrarum vacuo, quale fuisse intelligeretur, si Mundum & primos homines recens tunc temporis vel creatos, vel genitos supponeremus.

Quartò, objicit hæc verba versûs 17. *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch*. Quam verò uxorem duxit *Cainus?* Certè si non ex familiâ *Adami* patris sui & Patris primi Judæorum; quod non potuit *Cainus*, quia nondum nata erat filia *Adamo*: censendum est duxisse uxorem illam ex filiabus gentium, oriundam ex primâ creatione hominum, quæ enarratur Cap.1. *Geneseos*.

Quintò, objicit verba sequentia: *Et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoc*. Nimirum, ut distingueret illam ab aliis civitatibus Orientalis plagæ Eden, quæ sua utique habebant nomina. Sed quibus architectis & fabris urbem illam posuit Cainus? Quibus civibus illam composuit? Si non accersiti operarii, si non aliunde quàm ex familiâ Patris sui *Adami* deducta colonia, quæ urbem suam habitaret?

Respondeo ad primum, *Cainum* Patris magisterio, Fratrum ope agriculturam exercuisse. Quod facilè sibi persuadebit, qui *Evam* quolibet anno tergeminos partus effudisse cogitaverit. Nec tamen existimandum est, terram tunc temporis coluisse homines eâ ratione, iis instrumentis, & eo apparatu, quo nostros videmus agricolas. Neque enim statim adeo numerosa erat proles & familia, ut totam terram, camposque amplissimos coleret *Cainus*, sed crescente paulatim familiâ, hominumque numero augescente temporis spatio, colere, serere, exercere industriam, & quælibet sibi usui præparare homines cœperunt, artesque adinvenêre, quibus postea sensim perficiendis incubuerunt. Quod *Abelum* spectat, artem pastoritiam exercere poterat, quamvis fures timendi non essent, gregem scilicet ad opima & salubria pascua ducere, cavere ne in noxias & venenatas herbas oves incautæ ruerent, & ne dispergerentur & errarent, eas a feris tueri, in caulas reducere, curam omnem necessariam illis exhibere.

Ad secundum respondeo, hæc verba, *Statim in foribus peccatum aderit*, nihil aliud significare, quàm imminentem peccati pœnam, sicut viatores cùm proximè sunt accessuri, ad januas esse dicimus. Quâ metaphorâ & alibi Scriptura sacra utitur, scilicet *S. Marci* 13. *vers*.29. ubi de judicii supremi die loquitur: *Sic & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis*. Et Epist. *S. Jacobi* Cap.5. vers.9. *Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce Judex ante januam assistit*. Atque locutionem illam metaphoricam Auctores etiam profani usurpant, ut *Plutarchus*, apud quem id legitur Adagium: *Febris est in foribus*. Frustra ergo de Judicibus in portis civitatum jus dicentibus, ad quorum tribunalia *Cainus* trahendus esset, laudata Geneseos verba intelligenda contendit Fabulator, cùm nihil aliud significent, quam ultionem de *Caini* scelere brevì repetendam, & conscientiam ipsam criminis velut immanem carnificem præsto semper futuram, dirisque stimulis ipsum cruciaturam. *Omnis enim inordinatus animus sibi ipsi est pœna*, ut scitè *S. Augustinus* ait. Neque id Gentilibus ignotum: unde Horatius: *Culpam pœna premit comes*. Sed quid extraneis testimoniis opus est, cùm Apostolus huic testimonium perhibeat veritati, Epist. ad *Romanos* cap.2. vers.6. & 7. ubi de Deo sic loquitur: *Qui reddet unicuique secundùm opera ejus: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci: Gloria autem, & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco*.

Ad tertium respondeo, *Cainum* sceleris horrore perculsum, capitis periculum timuisse ab hominibus ex *Adami* familiâ progenitis, qui Orientalem plagam Eden incolebant, fratribus scilicet nepotibusque suis. *Potuit enim & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerant posteri de parente* (inquit *S. Ambrosius*

Lib.

Lib.2. *De Cain & Abel*, Cap.9. Nec verò incredibile est, quòd ad annum mundi centesimum trigesimum, quo *Abel* a *Caino* occisus est, ad multa centena millia propagatum sit hominum genus; cùm intra ducentos quindecim annos, quos in Ægypto egere filii Israël, usque ad sexcenta millia virorum tractandis armis, & militiæ idoneorum propagati sint. Porro *Abelum* occisum a Caino fuisse anno Mundi centesimo trigesimo, non solùm testatur Chronicon Alexandrinum, verùm & ex cap.4. Geneseos vers.25. colligitur, ubi *Seth*, dicitur positus pro *Abele*, seu *Adamo* & *Evæ* datus ad solatium mœroris, quem ex *Abelis* nece acceperant. *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam; & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* At ex cap.5. vers.3. constat *Seth* genitum esse anno centesimo trigesimo Adami. *Vixit autem Adam centum triginta annis; & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.*

Ad id quod ex *Josepho* addit Præadamitarum Patronus respondeo, si vera sint quæ de Caino *Josephus* commemorat, ipsum facinorosorum hominum manum ex familiâ suâ aggregasse, eisque ad prædas & latrocinia Magistrum effectum, quando ex *Seth* propagati sunt filii Dei. Cùm enim Cain terrenæ civitatis, id est, eorum qui secundùm hominem vivebant, caput malitiâ suâ factus esset; civitatis Dei, id est, eorum qui secundùm Deum vivebant, caput & propagator alter ab *Adamo* constitutus est *Sethus*. Harum verò duarum societatum discretione factâ, inter cives terrenæ civitatis, & civitatis Dei dissensionem perpetuam excitavit morum studiorumque disparitas. Potuit ergo *Cainus* cum suis in Sethitarum, qui & *filii Dei* appellati sunt, fines excurrere, & prædas agere, illosque, tametsi nepotes suos, hostilem in modum lacessere ac persequi. Nec incredibile est eum qui fratrem occiderat, nepotes persecutum fuisse, ac eorum bona fuisse deprædatum.

Ad quartum respondeo, Quamvis nullam *Adamo* filiam tunc natam Scriptura commemoret, non sequi quòd nulla nata esset; neque enim filios & filias omnes Adami & filiorum ejus recenset, ut ex *S. Augustino* mox explicabimus. Sororem itaque suam uxorem duxit *Cainus*, quod ipsi in illo humani generis exordio liceb at, quoniam aliter propagari non poterat. Ita docet *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei* Cap.16. *Cùm igitur*, inquit, *genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium fœminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur; nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent; viri sorores suas conjuges acceperunt, quod profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius Religione prohibente. Habita esset enim ratio rectissima caritatis, ut homines quibus est utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos; ac sic ad socialem vitam diligentiùs colligandam plurima plurimos obtinerent.* Idem tradunt Græci Patres, *S. Joannes Chrysostomus*, Oratione 20. in Genesim, *Epiphanius* Hæresi 39. quæ est Sethianorum, *Theodoretus* Quæstione 43. in Genesim.

Ad quintum respondeo, condendæ & incolendæ civitati sufficientem fuisse hominum ex *Adamo* per *Cainum* progenitorum multitudinem. Quamvis enim *Moyses* paucissimos homines numeraverit ad illius usque civitatis ædificationem, imò usque ad diluvium, quia suscepti operis ratio non postulabat ut plures recenserentur; innumeros tamen tunc extitisse certum est. Cur autem illos silentio prætermiserit Moyses, *S. Augustinus* egregiè explicat Libro 15. *De Civitate Dei*, Cap.8. *Propositum quippe*, inquit, *Scriptoris illius fuit, per quem Spiritus Sanctus, id agebat, per successiones certarum generationum ex uno homine propagatarum pervenire ad Abraham, ac deinde ex ejus semine ad populum Dei; in quo distincto a cæteris Gentibus præfigurarentur & pronunciarentur omnia, quæ de Civitate, cujus æternum erit Regnum, & de Rege ejus eodemque conditore Christo Spiritu prævidebantur esse ventura: ita ut nec de alterâ societate hominum taceretur, quam terrenam dicimus Civitatem, quantùm ei commemorandæ satis esset, ut Civitas Dei etiam suæ adversariæ comparatione clarescat: cùm igitur Scriptura divina, ubi & numerum annorum, quos illi homines vixerunt, commemorat, ita concludat, ut dicat de illo, de quo loquebatur*, Et genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies *illius, vel illius, quos vixit, anni tot*, & mortuus est; *Nunquid quia eosdem filios & filias non nominat, ideo intelligere non debemus per tam multos annos, quibus tunc in seculi hujus primâ ætate vivebant, nasci potuisse plurimos homines, quorum cœtibus condi possent etiam plurimæ civitates?*

Secundò, certum non est, quòd *Henoch* fuerit primogenitus *Cain*; adeoque *Caino* magnus esse poterat filiorum ac nepotum numerus, cùm civitatis ædificationem aggressus est. Non, inquam, certum est *Henochum* fuisse primogenitum, licèt dicat Scriptura: *Et cognovit Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.* Ita enim Scriptura loqui solet cùm factos narrat hominum conceptus, *non tamen solùm cùm primùm sibi sexus uterque miscetur.* Unde & cum *Seth* conceptum refert; ait: *Cognovit Adam Evam uxorem suam, & concepit, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth.* Nec illud necessario est argumento (inquit S. Augustinus) *ut primogenitum Patri existimemus Enoch, quod ejus nomine civitas illa nuncupata est. Non enim abs re est, ut propter aliquam causam, cùm & alios haberet, diligeret eum Pater cæteris ampliùs. Neque enim & Judas primogenitus fuit, a quo & Judæa cognominata est, & Judæi.*

Tertiò, etiamsi Enoch primogenitus *Caini* fuerit, *Non ideo putandum est tunc a Patre conditæ civitati nomen ejus impositum, quando natus est, quia nec constitui tunc ab uno poterat civitas, quæ nihil aliud est quàm hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata; Sed cùm illius hominis familia tantâ numerositate cresceret, ut haberet jam populi quantitatem, tunc potuit utique fieri ut & constitueret, & nomen primogeniti sui constitutæ imponeret civitati. Tam longa quippe vita illorum hominum fuit, ut illic memoratorum, quorum & anni taciti non sunt, qui minimùm vixit ante diluvium,* * *ad septingentos quinquaginta tres perveniret. Nam plures nongentos annos etiam transierunt, quamvis nemo ad mille pervenerit. Quis itaque dubitaverit per unius hominis ætatem tantùm multiplicari potuisse genus humanum, ut esset unde constituerentur non una, sed plurimæ civitates? Quod ex hoc conjici facillimè potest, quia ex uno Abraham non multò ampliùs quadringentis annis numerositas Hebrææ gentis tanta procreata est, ut in exitu ejusdem populi ex Ægypto sexcenta millia hominum fuisse referantur bellicæ juventutis, ut omittamus gentem Idumæorum non pertinentem ad populum Israël, quam genuit frater ejus Esau nepos Abrahæ, & alias natas ex semine ipsius Abrahæ, non per Saram conjugem procreatas.*

* *Lamech Genes.* 5. 31. *secundùm* 70.

Obji-

Objicit Præadamitarum Patronus *Peirerius* Gentilium monumenta, ex quibus confici putat, Gentiles genere diversos a Judæis, & a Judæorum genere Adamico; siquidem stupendum annorum numerum ante *Adamum* numerarunt. Chaldæi, usque ad expeditionem *Alexandri* in Asiam, *quadringenta, & septuaginta annorum millia numerabant, ex quo sydera observare cæpissent*, ut referunt *Diodorus Siculus*, *Cicero*, Lib.1. De Divinatione, & *Lactantius* Lib.8. cap.14. Ægyptii Regum suorum historias per incredibilem annorum seriem produxerunt; quos scilicet habuere & Reges Deos, & Reges Heroas, & Reges homines. De quorum antiquissimis Dynastiis mira sunt quæ narrantur ab *Herodoto*, & variis rerum Ægyptiarum Scriptoribus. *Salmasius* vetustissimi Auctoris meminit, qui triginta Dynastias Ægyptiorum Regum posuit, easque per annorum Myriadas tres duravisse scripsit. Myriadas verò illas exposuit, millies decies millia, cùm tribus annorum millibus. *Diodorus Siculus* Lib.1. testatur, Sacerdotes Ægyptiorum *factâ supputatione temporum a Regno Solis ad Alexandri transitum in Asiam, annorum viginti tria millia circiter colligere*. Plinius Libro 35. cap.13. refert, Ægyptios gloriari solitos, artem pingendi sex annorum millibus in Ægypto floruisse, antequam in Græciam transiret. *Herodotus* refert, Sacerdotes Ægyptios tempus per quod homines Reges in Ægypto regnavissent, numerasse *decemmillia trecentos & quadraginta annos*. Immo decem retro mille annos ante vetustissimum *Deucalionis* diluvium Sacerdotem quemdam Ægyptium *Soloni* numerasse, *Plato* in *Timæo* commemorat. Quid dicam de Sinarum periodo: *juxta quam* (inquit Scaliger) *hic annus Christi MDXCIV.* (quo Emendationem Temporum scribebat) *est a conditu rerum octingenties octogies millesimus septuagesimus tertius?* In secula itidem innumera recurrit Americanorum de origine Mundi computum.

Respondetur, Periodos illas Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinarum, & qui sint alii, qui tot annorum millia supra *Adamum* numerarint, falsitatis facilè convinci, tùm ex fidelioribus Historiæ ipsius secularis monumentis, meliorumque Auctorum testimoniis, tùm ex fide Sacrarum Literarum, adversùs quam nulla humana testimonia præscribere possunt. Id præclarè *S. Augustinus* exequitur Lib.12. *De Civitate Dei*, cap.10. Primum, quo id conficit argumentum istud est. *Si semper humanum genus fuit, quonammodo verum loquitur Historia narrans qui fuerint, quarumque rerum inventores, qui primi liberalium disciplinarum aliarumque artium institutores, vel a quibus primùm illa vel illa regio parsque terrarum, illa atque illa Insula incoli cæperit?* Quæ ratio invicta est non modò contra Mundi æternitatem, verùm etiam contra fictitia tempora, quæ a profanis Auctoribus retro lapsa finguntur ante illud tempus quo Sacra Historia Mundum fuisse conditum commemorat. Cur enim stupendo tot annorum intervallo, quod ante *Adamum* comminiscuntur, inventæ non essent artes, quarum Auctores & origines post *Adamum* notantur? Cùm incredibile sit, genus humanum, quod arte & ratione vivit, infinitâ propemodum annorum serie absque artibus vixisse.

Vim hujus ratiocinationis præsentientes Auctores profani ipsam alio figmento occuparunt; nempe diluviis & conflagrationibus per certa intervalla temporum, non quidem omnia, sed plurima terrarum ita vastari, ut redigantur homines ad exiguam paucitatem, ex quorum progenie rursus multitudo pristina repararetur; ac sic identidem reparari & institui quasi prima, cùm restituantur potiùs quæ fuerant illis nimiis vastationibus interrupta & extincta; cæterùm hominem nisi ex homine existere omnino non posse. Verùm *dicunt illi quod putant, non quod sciunt*, (inquit *S. Augustinus*.)

Alterum momentum, quo figmentum illud idem S. Doctor evertit, est evidens narrationum hujusmodi contradictio cum ipsis Historiis profanis. Nam *Justinus* Imperio Assyrorum tribuit mille tantùm & trecentos annos, *Diodorus Siculus* annos mille trecentos & sexaginta; *Paterculus* mille septuaginta annos; *Josephus* mille trecentos septemdecim; e nostris verò *Eusebius* mille ducentos quadraginta. Ægyptii autem quinque annorum millia Imperio illi adscribunt. Imperio Macedonum a *Carrano* usque ad *Perseum* nongentos & viginti-tres annos tribuit *Justinus* Lib.33. Alii ex *Vellejo Paterculo*, & *Solino*, Macedonum Monarchiam a *Carrano* ad *Alexandri* mortem annis circiter sexcentis durasse colligunt. Persarum Regnum *Darius* Regum ultimus apud *Quintum Curtium* Lib.4. per ducentos triginta annos secundo cursu ad summum fastigium a Diis provectum fuisse prædicat. Chaldæi verò Ægyptiique fabulatores Regno Persarum insimul & Macedonum octo annorum millia tribuunt. Sed *S. Augustinum* de his differentem audire præstat. *Fallunt eos etiam*, inquit, *quædam mendacissimæ Literæ, quas perhibent in Historiâ temporum multa annorum millia continere: cùm ex Literis Sacris ab institutione hominis nondum completa annorum sex millia computemus. Unde, ne multa disputem quemadmodum illarum literarum, in quibus longè plura annorum millia referuntur, vanitas refellatur, & nulla in illis rei hujus idonea reperiatur auctoritas, illa Epistola Alexandri Magni ad Olympiadem Matrem suam, quam scripsit, narrationem cujusdam Ægyptii Sacerdotiis insinuans; quem protulit ex literis quæ sacra apud illos haberentur, continentem Regna, quæ Græca quoque novit Historia: in quibus Regnum Assyriorum in eâdem Epistolâ Alexandri quinque millia excedit annorum; in Græcâ verò Historiâ mille ferme & trecentos habet ab ipsius Beli Principatu, quem Regem & ille Ægyptius in ejusdem Regni ponit exordio. Persarum autem & Macedonum Imperium usque ad ipsum Alexandrum cui loquebatur, plusquam octo annorum millium ille constituit: Cum apud Græcos Macedonum usque ad mortem Alexandri quadringenti octoginta quinque reperiantur: Persarum verò, donec ipsius Alexandri victoriâ finiretur, ducenti & triginta tres computentur. Longè itaque hi numeri annorum his Ægyptiis sunt minores, nec eis, etiamsi ter tantùm computarentur, æquarentur.* Porrò immensus ille annorum numerus contingere potuit ex Ægyptiacorum quondam annorum brevitate, ut *S. Augustinus* observat, cujus rei fidem facit & *Plinius* Lib. 7. *Perhibentur enim Ægyptii* (inquit S. Augustinus) *quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur. Unde annus plenior & verior, qualis nunc & nobis & illis est, tres eorum annos complectebatur antiquos. Sed ne sic quidem, ut dixi, Græca Ægytia numero temporum concordat Historia. Et ideo Græcæ potiùs fides habenda est; quia veritatem non excedit annorum, qui Literis nostris, quæ verè sacræ sunt, continentur.*

Tertium denique momentum, quo *S. Augustinus* fictitiam illam tot retrò lapsorum seculorum hypothesim evertit, est irrefragabilis & inconcussa Scripturæ Sacræ auctoritas, quam proculdubio veracem esse probat variorum, quos prædixit, eventuum veritas. *Porro*, inquit, *si hæc Epistola Alexandri, quæ maximè innotuit, multùm abhorret in spatiis temporum a probabili fide rerum; quantò minùs credendum est illis Literis, quas plenas*

*nas fabulosis velut antiquitatibus proferre voluerint contra Auctoritatem notissimorum divinorumque Librorum, qui totum orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus orbis, sicut ab eâ prædictum est, credidit: quæ vera se narrasse præterita, ex his quæ futura prænuntiavit, cum tantâ veritate implentur, ostendit.*

Quartum momentum addit *S. Augustinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, cap.39. ex eo petitum, quòd omnis Ægyptiorum sapientia ac literatura posterior fuerit Patriarchis & Prophetis nostris. *Nulla igitur Gens*, inquit, *de antiquitate sapientiæ suæ super Patriarchas & Prophetas nostros, quibus inerat divina Sapientia, ullâ se vanitate jactaverit; quando nec Ægyptus invenitur, quæ solet falsò & inaniter de suarum doctrinarum antiquitate gloriari, qualicunque sapientiâ suâ Patriarcharum nostrorum tempore prævenisse Sapientiam. Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, ante quàm literas nossent, id est, ante quàm Isis eò venisset, easque ibi docuisset. Ipsa porro eorum memorabilis doctrina, quæ appellata est sapientia, quid erat, nisi maximè Astronomia, & si quid aliud talium disciplinarum magis ad exercenda ingenia, quàm ad illuminandas verâ sapientiâ mentes valere solet? Nam quod attinet ad Philosophiam, quæ se docere profitetur aliquid unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt: longè quidem ante Sapientes vel Philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, & Isaac, & Jacob, & Joseph: nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippè tempore quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille Magnus Astrologus Promethei frater, maternus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trismegistus iste Mercurius.* Quâ *S. Augustini* Observatione refelluntur ea quæ objicit Præadamiticus Fabulator Lib.3. cap.8. 9. 10. & 11. quibus ex progressu Astronomiæ, Theologiæ, & Magiæ Gentilium, probare se confidit, multis ante *Adamum* seculis creatum fuisse Mundum.

Pergit *S. Augustinus*, cap.40. ita concludens: *Frustra itaque vanissimâ præsumptione garriunt quidam, dicentes, ex quo rationem siderum comprehendit Ægyptus, ampliùs quàm centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multùm ante annorum duo millia literas Magistrâ Iside didicerunt? Non enim parvus Auctor est in Historiâ Varro, qui hoc prodidit, quod a Literarum etiam divinarum veritate non dissonat. Cùm enim ab ipso primo Homine, qui appellatus est Adam, nondum sex millia annorum compleantur, quomodo non isti ridendi potiùs quàm refellendi sunt, qui de spatio temporum tam diverso, & huic exploratæ veritati tam contraria persuadere conantur? Cui enim meliùs narranti præterita credimus, quàm qui etiam futura prædixit, quæ præsentia jam videmus? Nam & ipsa Historicorum inter se dissonantia copiam nobis præbet, ut ei potiùs credere debeamus, qui Divinæ, quam tenemus, non repugnat Historiæ. Porro autem cives impiæ civitatis, diffusi usquequaque per terras, cùm legunt doctissimos homines, quorum nullius contemnenda videatur auctoritas, inter se de rebus gestis ab ætatis nostræ memoriâ remotissimis discrepantes, cui potiùs credere debeant, non inveniunt. Nos verò in nostrâ Religionis Historiâ, fulti Auctoritate Divinâ, quicquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cætera in secularibus literis, quæ seu vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt quo rectè beateque vivamus.*

Longe ante *S. Augustinum*, Fabulosam Ægyptiorum Chaldæorumque Chronologiam sugillat *Julius Africanus* a *Georgio Syncello* laudatus. *Ægyptii*, inquit, *de sua ætatis antiquitate jactantiùs elocuti, per annorum revolutiones myriades prorogatam quandam seriem ex Astrologicis experimentis statuerunt: Quas quidem ii, qui se penitiùs inspexisse arbitrantur, summatim legentes, fabulis nihilosecius addicti, annos hujusmodi lunares putandos commenti sunt, ex confictis octo vel novem annorum millenariis, quæ Soloni velut auctori Ægyptiorum Sacerdotes apud Platonem quondam adscripserunt, a veritate probavere se longè dissitos.* Et quibusdam interjectis: *A Phœnicibus pariter myriades annorum tres jactatas, Chaldæorumque deliria, nec non quadraginta & octo alias myriades, quid memorare necesse est? A Chaldæis enim per Abrahamum Patrem orti Judæi, vero Moysis spiritu imbuti, quâ decet homines a fastu alienos, suique memores, modestiâ, ex relictis sibi Hebræorum monumentis annorum quinquies millium & quingentorum numerum usque ad Salutaris Verbi adventum, sub Cæsarum Imperio Mundo evulgatum, posteris tradiderunt.*

Subdit Georgius Syncellus: *Manetho Sebennytes Beroso posterior, impurorum sacrorum in Ægypto Pontifex tempore Ptolemæi Philadelphi, de sexdecim Dynastiis, hoc est Diis septem, qui nusquam extiterunt, contextis mendaciis ad eundem scribens: Horum tempus, inquit, mille nongentos octoginta quinque annos exæquavit; Quorum primus, ait, Deus Vulcanus novem millibus regnavit. Istos nihilominus annos novem mille Historicorum nostrorum nonnulli lunarium mensium vice computantes, annorumque lunarium eorumdem ex Lunæ circulorum novem millibus conflatorum, per anni solaris trecentos sexaginta quinque dies multitudine distributâ, annos septingentos viginti quatuor cum medio, additis etiam quatuor diebus, collegerunt: hacque viâ mirandum quippiam se constituisse rati, risu potiùs excipiendum mendacium veritati superstruxisse deprehensi sunt.*

Quod spectat Sinarum antiquitatem, Gentis hujus Annales Sinicum Imperium ante *Fohi* conditum non fuisse docent. Hunc Sinæ parentem agnoscunt. Illum autem ducentis circiter post Diluvium annis vixisse, juxta Chronologiam Septuaginta Interpretum colligitur. Verùm cum judicio quoque Sinensium Interpretum, in Historiâ *Fohi*, & sequentium Imperatorum, usque ad Tao Legislatorem simul & imperatorem, quem Annales Sinenses septimum numerant, multa apocrypha & fabulosa contineantur, non cogunt illa ut Vulgatam Versionem relinquamus, vel Sinensis Monarchiæ primordia ultra Diluvium producamus, multò minùs ultra *Adamum*. Lege R. P. *Philippi Cupleti*, Societatis Jesu, Sinensis Missionis in Urbe Procuratoris, Proemialem Declarationem, in *Confucii* Sinensium Philosophi, seu *Scientiæ Sinicæ* Libros, Cap.5.

## SCHOLION.

Prætermittere non possum S. Augustini disertum testimonium Tractatu 9. in S. Joannem: *In ipso exordio*, inquit, *Adam & Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum; & quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus est in Christo.*

ARTI-

## ARTICULUS II.

## De Evæ Creatione.

### ASSERTIO UNICA.

*Quod a Moyse narratur de mulieris productione ex costâ Adami, historicè & secundùm litera sensum intelligendum est: & Cajetani sententia, ad metaphoricum & parabolicum sensum narrationem illam detorquentis, ut minùs consona verbo Dei meritò rejicitur.*

MAjor quippe ratio non est cur hujus rei narratio planè historica censeri non debeat, quam superiorum rerum quæ a Mose sunt commemoratæ. Ejus itaque verba propriè, non figuratè accipienda sunt cap. 2. *Genesis* ℣. 21. ubi ait: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro eâ. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Id ex *Ecclesiastici* cap. 17. ℣. 1. & 5. confirmatur. *Deus*, inquit, *creavit de terrâ hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum... Creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Et ex Apostolo 1. ad *Corinthios* cap. 2. ℣. 8. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.*

Secundò, *Cajetani* figmentum refellit concors omnium Patrum ac Theologorum sententia, qui ex *Adamo* revera formatam *Evam* senserunt & scriptis prodiderunt; refelit communis Ecclesiæ Catholicæ Populique Christiani sensus & judicium. *Origenem* si tam graviter SS. Patres, *Epiphanius* præsertim in Epistolâ ad *Joannem Hierosolymitanum*, & *Hieronymus* in Epistolâ ad *Pammachium* reprehenderunt, quòd tria prima Libri Geneseos capita non historicè, sed allegoricè interpretatus fuisset; si id inter causas damnationis ejus Quinta Synodus Oecumenica non siluit, longè minùs excusandus est *Cajetanus*, qui Mosaicam narrationem totam ad parabolicum sensum hoc loco detorserit.

Tertiò, *S. Hieronymus* in Commentario Epistolæ ad *Philemonem*, creationem *Evæ* ex costâ *Adami* inter ea dogmata numerat, quæ salvâ in Deum fide negari non possunt. *Credit quispiam*, inquit, *in conditorem Deum; non potest credere, nisi priùs crediderit de Sanctis ejus vera esse quæ scripta sunt: Adam a Deo plasmatum; Evam ex costâ illius & latere fabricatam; Enoch translatum; Noë naufrago solum orbe servatum*, &c.

Quartò, *S. Augustinus* Lib. 8. *De Genesi ad Literam* cap. 1. disertè asserit, *Narrationem Mosis in Libro Geneseos non esse genus locutionis figuratarum rerum, sicut in Cantico Canticorum, sed esse expositionem rerum omnino gestarum, sicut in Regnorum Libris.* Atque illorum commentum explodit, qui ex *illo* dumtaxat *loco putant incipere historicam narrationem hujus libri, ex quo dimissi de Paradiso Adam & Eva convenerunt, atque genuerunt.*

Libro verò 12. *De Civitate Dei*, cap. 21. quæstionem, quam tractamus, propiùs attingens: *Deus*, inquit, *hominem unum ac singulum creavit, non utique solum sine humanâ societate deserendum, sed ut eo modo vehementiùs ei commendaretur ipsius societatis unitas vinculumque concordiæ, si non tantùm inter se naturæ similitudine, verùm etiam cognationis affectu homines necterentur; quando nec ipsam quidem feminam copulandam viro, sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso, ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum.* Et cap. 27. *Neque commodiùs contra vitium discordiæ vel cavendum ne existeret, vel sanandum cùm extitisset, natura loqueretur humana, quàm recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur; ut hac admonitione etiam in multis concors unitas servaretur. Quòd verò femina illi ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est quàm cara mariti & uxoris debeat esse conjunctio. Hæc opera Dei propterea sunt utique inusitata, quia prima. Qui autem ista non credunt, nulla facta prodigia debent credere; neque enim & ipsa, si usitato naturæ curriculo gignerentur, prodigia dicerentur.... Cur ergo ex latere viri femina facta sit, & hoc primum quodammodo prodigium quid præfiguravit, alio loco, quantùm me Deus adjuverit, dicam.*

Et Libro 22. cap. 17. *Ut enim in exordio generis humani de latere viri dormientis costa detracta femina fieret, Christum & Ecclesiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri, mors erat Christi, cujus exanimis in Cruce pendentis latus lanceâ perforatum est, atque inde sanguis & aqua profluit: quæ Sacramenta esse novimus, quibus ædificatur Ecclesia. Nam hoc etiam verbo Scriptura usa est, ubi non legitur, Formavit, aut finxit, sed Ædi*ficavit eam in mulierem. *Unde & Apostolus ædificationem dicit Corporis Christi, quod est Ecclesia. Creatura est ergo Dei femina, sicut vir: sed ut de viro fieret, unitas commendata: ut autem illo modo fieret, Christus, ut dictum est, & Ecclesia figurata est.*

Quintò, *Theodoretus* idem docet Interrogatione 30. in Genesim. *Volebat Creator naturæ ad concordiam adducere unumquodque genus. Hac de causâ Adam quidem e terrâ formavit, ex Adam verò mulierem: ut & eandem in illis esse naturam demonstraret, & naturalem quamdam benevolentiam mutuam in illis insereret.*

Objiciebat *Julianus*, fabulosa esse, quæ de mulieris productione in Genesi narrantur. Quâ enim ratione Deus dixisse fertur: *Non bonum est hominem esse solum, faciamus ei adjutricem similem ipsi*, quæ nihil eum quidem adjuverit, sed deceperit, eaque ipsi, sibique, ut Paradisi deliciis excideret, causa extiterit?

Respondet *S. Cyrillus* Libro 3. contra *Julianum*, Mulierem factam fuisse in adjutorium viro ad procreationem liberorum, non ut in partem consiliorum veniret. Nec immutabilem naturâ factam, sed liberi arbitrii, & ad bonum malumque versatilis. Unde non mirum quòd & ipsa peccaverit, & virum ad peccatum pellexerit. *Non enim*, inquit, *femina in partem consilii aut deliberationum assumpta est, nec in lucem edita est decreto ejus quem nihil latet, Dei, ut esset naturâ immutabilis, & eâ stabilitate constantiâque prædita, quâ nunquam a voluntate Domini posset deflectere. Voluntariis quippe motionibus rationalis creatura regitur ad id quod rectum est, & ad contrarium liberâ propensione fertur. Adjutrix verò potiùs data est, ut procreandis liberis inserviret. De ambobus enim dictum est*, Crescite, „ & multiplicamini, & replete terram.... *Hic tu mihi vide sapienter, ac solerter, quod ad Dei voluntatem attinet, esse feminam procreatam. Tametsi enim eam quoque creare de integro posset, & sumpto quidem de terrâ luto ad eumdem modum, quo & ipse factus erat Adamus, effingere, id neutiquam fecit: sed cùm vellet ingenerare viro erga illam affectum, viri particulam aliquam subduxit, attextisque reliquis naturæ humanæ numeris absolutam protulit. Hic eam libenter accepit, & naturæ impulsu in amorem elatus, ac tantùm non ei quasi adgnatus:*

Hoc

Hoc nunc os, *inquit*, ex ossibus meis, & caro ex carne meâ: Ista vocabitur mulier, quia ex viro suo „ sumpta est. *Naturalem igitur masculo generi Deus inseruit erga feminas necessitudinem: futurum enim ut optimè se habeant humanæ res, si modò pariter atque Adam erga uxores suas afficiantur, qui legitimo nexu conjuncti sunt. Quam ob rem auxilium, si vim jure hujus vocis spectemus, Adamo ab ejus conjuge allatum ad liberorum certè procreationem intelligatur .... Sed profectò, inquit, non bona consultrix fuit, quæ Adamo persuaserit, ut Dei mandatum faceret nihili. Ita prorsus; fuit manifestò consultrix non bona. Sed si quid habet quod natura leges accuset, aut quæ a Deo tanquam non rectè facta reprehendat, causas doceat, quibus eum a proposito aberrasse quisquam arguat. Si verò iste quidem furor est, & postremæ dementiæ manifestum indicium, cur frustra fuisse Deum dicit, si alterius susurris inducta est muliercula, ut patrare illicita vellet? Sanè cùm hominis mens rerum agendarum aut non agendarum nacta sit potestatem, eique concessum sit ut arbitrario motu feratur in quodlibet, cùm id quoque rectè se habere optimo universorum artifici Deo visum sit: Agendi enim arbitrio ratione præditam creaturam honestari decebat, & solertiam in bonis factis liberæ voluntatis fructum exhibere .... Minimè igitur dubitaverit Sapiens quisquam omni prosus crimine vacare Deum universorum, tanquam de hominis conditione non rectè consuluerit, licèt prævaricati nonnulli sint, nacti (ut dixi) motionis in quidlibet ac potestatis clavum, & sponte delapsi in quippiam quod præter legem esset, eique repugnaret. Si enim datam legem servasset, prorsus ei licebat perpetuâ felicitate frui.*

Objicit *Cajetanus* primò; simul a Deo creatos *Adamum* & *Evam*, idque ex primo cap. Geneseos probari, ubi narratur dixisse Deum: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et mox subjecit Moyses: *Masculum & Feminam fecit eos. Benedixitque illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini.*

Secundò objicit hæc verba cap.2. ℣.22. *Et adduxit eam ad Adam.* At si verè mulier ex viro formata fuisset, juxta illum fuisset, nec ex alio loco ad eum fuisset adducta.

Objicit tertiò: Aut illa costa, unde formata est *Eva*, erat ex necessariis costis *Adæ*: quare eâ sublatâ mutilus & mancus extitisset *Adam*: aut erat *Adæ* superflua: ex quo sequitur necessariò, ante detractionem ejus costæ *Adam fuisse* deformem atque monstruosum. Utrumvis dicatur de *Adamo*, qui fuit omnium hominum pulcherrimus atque absolutissimus, perabsurdum est.

Respondetur ad primum, *Adamum & Evam* simul creatos, id est eodem die, sexto scilicet divini opificii; at non eodem temporis punctò. Nam cùm *Moses* eo loco sextæ diei opera commemoraret, strictim & compendiariâ narratione creationem viri & feminæ complexus est, ut ad opus illius diei pertinentem. Absolutâ verò operum omnium, quæ a Deo sex illis diebus condita sunt, expositione, *Moses*, cap.2. resumit historiam productionis viri & feminæ, quam distinctiùs & enucleatiùs explicat, declarans quàm diverso modo utriusque corpus a Deo compactum sit, viri scilicet ex pulvere terræ, mulieris autem ex costâ viri. *Adamum* certè & *Evam* simul creatos non fuisse, sed primò *Adamum*, deinde *Evam*, expressè Apostolus tradit 1. ad *Timoth.* cap.2. ℣.13. *Adam enim*, inquit, *primus formatus est, deinde Heva.*

Ad secundum respondetur; Deum ex costâ *Adamo* dormienti detractâ corpus mulieris formare potuisse ubi ipsi placuit: & extra Paradisum formasse probabilius est, in quem eam transtulerit, & adduxerit ad *Adamum*, ut Dei donum magis agnosceret. Vel, in ipso Paradiso costam illam in mulierem ædificavit, loco paululum ab *Adamo* dormiente remoto, ad quem deinde ipsam mulierem adduxit, eique tradidit in sociam & conjugem, ut idem esset primarum conciliator Nuptiarum, qui Matrimonii institutor, & viri mulierisque conditor.

Ad tertium respondetur, costam illam *Adamo* ut singulari homini & personæ particulari supervacaneam fuisse, utpote quæ ad corporis ejus integritatem minimè pertineret: sed necessariam ipsi fuisse ut principio totius generis humani, & quatenus ex ipso, secundùm Dei Decretum, formanda erat *Eva*. Sicut semen ad perfectionem generantis pertinet, non prout individuum quoddam est, sed quatenus speciei propagandæ capax. Ita respondet *S.Thomas* 1. P. Q. 92. Art.3. ad secundum argumentum. Porro licèt costa illa *Adamo* ut singulari homini supervacanea esset, non propterea monstruosum erat ejus corpus, quia cum cæteris ejus costis ita cohærebat, & carne ita circumvestita erat, ut nulla deformitas, nullus nævus in *Adami* corpore inde oriretur; nec errore naturæ, sed Auctoris ejus consilio cæteris adjuncta fuerat, ut ædificando mulieris corpori materiam præberet. Eâ porro detractâ mutilus & mancus non fuit *Adamus*, cùm ad integritatem corporis ipsius non pertineret; & Deus locum, unde fuerat detracta, carne repleverit, ut dicitur vers. 21. ejusdem capitis: *Tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro eâ.*

## SCHOLION.

Evæ formationem figuram Ecclesiæ fuisse, confirmat insignis S. Augustini locus Tractatu 9. in Joannem: *Dormit Adam ut fiat Eva: Moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere: Mortuo Christo, lanceâ percutitur latus, ut profluant Sacramenta quibus formatur Ecclesia. Cui non appareat, quia in illis tunc factis futura figurata sunt, quandoquidem dicit Apostolus ipsum Adam formam futuri esse?* (Rom.5.14.) Qui est, *inquit*, forma futuri. *Præfigurabantur omnia mysticè. Neque enim verè non poterat Deus vigilanti costam educere, feminamque formare? An fortè ne doleret latus quando costa detracta est, propter hoc oportebat ut ille dormiret? Quis est qui sic dormiat, ut ei ossa non evigilanti evellantur? An quia Deus evellebat, propterea homo non sentiebat? Poterat ergo & vigilanti sine dolore evellere, qui potuit dormienti. Sed procul dubio prophetia illius temporis de futuro isto tempore dispensabatur.* Cùm obdormisset Adam, tulit Deus unam de costis ejus; & replevit carnem pro eâ; & ædificavit costam in mulierem. (S. August. Tract. 15. in S.Joan.) *Magna ibi imago præcessit. Potuit Deus carnem detrahere homini unde faceret feminam, & magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim sexus infirmior; & magis de carne infirmitas fieri debuit quàm de osse: ossa enim carne firmiora sunt. Non detraxit carnem unde faceret mulierem; sed detraxit os, & detracto osse formata est mulier, & in locum ossis caro adimpleta est. Quid igitur significavit? Facta est mulier in costâ tamquam fortis: Factus est Adam in carne tamquam infirmus. Christus est & Ecclesia, illius infirmitas nostra est fortitudo.* Christus & Ecclesia, sicut Adamus & Eva, facti sunt duo in carne unâ. (S. August. Tract.1. in Epist. S.Joan.) *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* ILLI carni *adjungitur Ecclesia, & fit Christus totus, Caput & Corpus.* Eva ex Adami costâ formata a Deo, ei quodammodo fuit & soror, & conjux: Ecclesia ex latere Christi educta, ejus soror, & sponsa est. (Idem Tract. 57. in Evang. S. Joan.) *Aperi*, inquit, *mihi soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea.* Aperi mihi, *de sangui-*

*ne meo soror mea, de accessu meo proxima mea, de Spiritu meo columba mea, de sermone meo perfecta mea, aperi mihi, prædica me.*

## ARTICULUS III.

# De Adami & Evæ Tentatione, & Lapsu, Pœnitentiâ.

## ASSERTIO I.

*S. Cyrillus Alexandr. lib. 3. adversùs Julianum.*

*Eva seducta est a Diabolo veri Serpentis organo utente. Unde nec S. Cyrilli Alexandrini singularis opinio probatur, speciem dumtaxat & simulacrum Serpentis Evæ a Diabolo exhibitum fuisse tradentis, non veri Serpentis corpus ad tentationem assumtum; & error Cajetani rejicitur, asserentis, tentationem Evæ internâ tantùm suggestione peractam a Dæmone, qui Serpentis nomine a Moyse metaphoricè significatur.*

HUjus Propositionis veritas ex *Mosis* narratione probatur, qui serpentem simpliciter vocat, & unum ex animantibus terræ fuisse significat *Genesis* Cap. 3. vers. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.*

Secundò, genus pœnæ quo eum mulctavit Deus, verum serpentem fuisse declarat, non meram speciem & imaginem serpentis, quam ludificandis *Evæ* sensibus diabolus exhibuerit. Cùm enim *Eva* a Deo increpita, quòd arboris vetitæ fructum delibasset, comedissetque, respondit: *Serpens decepit me:* Conversus Dominus ad Serpentem ait: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quæ nec adumbrato Serpenti, nec Dæmoni conveniunt. Dæmonem verò Serpente velut organo usum ad mulierem tentandam, Serpentis cum *Evâ* colloquium probat, & familiaris veluti congressus. Humanus enim sermo & ratiocinatio vim & facultatem animalium brutorum excedunt, & in naturam intelligentem necessariò sunt refundenda; quæ quadruplex est, homo, Angelus bonus, Deus, & Diabolus. Tunc autem præter *Adamum* & *Evam* nemo homo erat: nec bonus Angelus, aut Deus, tentationis illius auctores esse poterant, quæ mulierem ad præceptum Dei violandum sollicitabat: in solum itaque Dæmonem refundenda est. Idque luculentis Scripturæ sacræ testimoniis confirmatur; Sapientiæ 2. Cap. vers. 24. *Invidiâ autem diaboli*, inquit, *mors introivit in orbem terrarum.* Joannis 8. vers. 44. ubi Christus ait: *Vos ex Patre Diabolo estis .... Ille homicida erat ab initio:* Quia nimirum hominem tentatione suâ pelliciens ad peccatum, spiritaliter occidit, mortique corporeæ etiam obnoxium fecit. 2. ad *Corinthios* cap. 2. vers. 3. *Timeo autem, ne sicut Serpens Evam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate quæ est in Christo.* At *Evam* non a Serpente animali; sed a Diabolo Serpentis organo utente deceptam fuisse constat, qui propterea Serpens antiquus appellatur *Apocalypsis* 12. cap. vers. 9. *Et projectus est*, inquit, *Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram & Angeli ejus cum illo missi sunt.*

Tertiò, veri Serpentis organo usum in tentatione mulieris Diabolum, SS. Patres docent, *SS. Basilius* & *Chrysostomus*, Homiliis in Genesim. *Theodoretus* Interrogatione 31. *Serpens*, inquit, *erat organum inimici veritatis. Et hoc declaravit Dominus in Evangeliis divinis. Cùm dixisset enim Judæis:* Vos ex Patre diabolo estis; *subjunxit:* Ille homicida erat ab initio. *Diabolus igitur per Serpentem allocutus est Evam. Cùm enim a Deo omnium accepissent imperium in universa irrationalia, Diabolus ministerio unius animalium subditorum laqueum illi tetendit, hoc pacto suasu faciliores componens insidias. Quòd autem Diabolum ministerio Serpentis operantem, Scriptura divina Serpentem appellet, testatur Esaias Propheta clamans:* „ In die illâ vibravit Deus gladium suum sanctum, magnum & fortem, adversùs Draconem, Serpentem tortuosum & validum, adversùs Draconem Serpentem fugientem, qui est in Mari. *Dominus quoque sacris Discipulis dixit:* Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes & Scorpiones & super omnem virtutem Inimici. Et interrogatione 35. quærit, *Quare Deus Serpentem creavit, cùm prænosset illum futurum organum nequitiæ?* Et respondet: *Hoc ipsum & de homine quispiam dicere possit. Præviderat enim Deus, quòd ille præceptum transgressurus esset. Cæterùm diabolo perfacile erat alterius bestiæ ministerio fallere.*

*S. Augustinus* Lib. 2. De Genesi ad literam, cap. 27. *Ab illo ergo*, inquit, *cujus super omnia, quæ creavit, summa potestas est per Angelos Sanctos a quibus illuditur diabolus, cùm & de ipsius malevolentiâ consulitur Ecclesia Dei, non est permissus tentare feminam nisi per Serpentem, nec virum nisi per feminam: sed in Serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo quo movere ille, & moveri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. In ipsâ verò muliere, quia illa rationalis creatura erat, quæ motu suo posset uti ad verba facienda, non ipse locutus est; sed ejus operatio atque persuasio; quamvis occultò instinctu adjuvaret interiùs, quod exteriùs egerat per Serpentem. Quod quidem si solo instinctu occultiùs ageret, sicut egit in Judâ ut traderet Christum, posset efficere in animâ superbo amore suæ potestatis inductâ: sed, sicut jam dixi, tentandi voluntatem habet diabolus, in potestate autem nec ut faciat habet, nec quomodo faciat. Quia permissus est ergo, tentavit; & quemodo permissus est, ita tentavit: Cui autem generi hominum prodesset quod faciebat, neque sciebat, neque volebat, & eo ipso illudebatur ab Angelis.* Et cap. 28. *Non itaque serpens verborum sonos intelligebat; qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cùm Dæmon in eis loquitur eâ passione cui Exorcista requiritur, sciunt quid loquantur: quantò minùs ille intelligeret verborum sonos, quos per eum, & ex eo Diabolus illo modo faciebat, qui hominem loquentem non intelligeret, si eum a diabolicâ passione immunis audiret? Nam & quod putantur audire & intelligere Serpentes verba Marsorum, ut eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur, ad cognoscendam ubique providentiam, quam rem cui rei naturali ordine subjiciat, & quid etiam voluntatibus malis sapientissimâ potestate permittat, ut hoc magis habeat usus, Serpentes moveri carminibus hominum, quàm ullum aliud genus animantium. Etiam hoc enim non parva testatio est, naturam primitus humanam Serpentis esse seductam colloquio. Gaudent enim Dæmones hanc sibi potestatem dari ut ad incantationem hominum Serpentes moveant, ut quolibet modo fallant quos possunt. Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam,* quòd

*quòd sit eis quædam cum hoc genere familiaritatis. Porro ipsum primum factum ad hoc permissum est, ut per naturam Serpentis significaretur generi hominum, cui erudiendo hæc gesta conscribi oportebat, omnis Diabolicæ tentationis similitudo.*

Et Libro 14. *De Civitate Dei*, cap.11. *Postea verò*, inquit, *quàm superbus ille Angelus, ac per hoc invidus, per eamdem superbiam a Deo ad semetipsum conversus, quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus eligens, de spirituali Paradiso cecidit, malesuadâ versutiâ in hominis sensus serpere affectans, cui utique stanti, quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in Paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo & feminâ animalia etiam terrestria cetera subdita & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum, & intortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur elegit; eoque per angelicam præstantiam præstantioremque naturam spiritali nequitiâ sibi subjecto, & tanquam instrumento abutens, fallaciâ sermocinatus est feminæ.*

*S. Joannem Damascenum* Lib.2. De Fide Orthodoxâ, cap.10. *Venerabilem Bedam*, *Rupertum*, *S. Thomam*, & alios Scriptores Ecclesiasticos laudatis Patribus in eo dogmate consentientes prætereo, ne prolixior sim.

Objicit *Cajetanus* primò hæc verba *Genesis* cap. 3. vers.1. *Sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Quod de vero serpente, si fides habeatur Philosophis, qui naturas & proprietates animalium scrutati sunt, falsum esse constat. Quin imò propterea id *Moyses* dixit, ut indicaret se non loqui de vero Serpente, sed figuratè ac metaphoricè de Diabolo, mores & ingenium Serpentis referente; serpendo videlicet per interiores hominis sensus, ut eum veneno suæ persuasionis inficiat atque corrumpat.

Secundò, quòd *Moyses* nihil scripserit de accessu Serpentis ad mulierem, nihil de pavore atque horrore mulieris ad præsentiam Serpentis: cum tamen *Moses* (ut scriptum est *Exodi* 4.) Serpentis præsentiâ territus aufugerit. At ad veri Serpentis præsentiam inhorruisset, ad ejus locutionem obstupuisset.

Tertiò, idem fieri manifestum ait consideranti pœnam, quæ a Deo inflicta est Serpenti. Ea namque in verum Serpentem minimè, in figuratum autem, id est, Diabolum maximè quadrat. Neque enim super pectus ingredi, & pulverem comedere Serpentis pœna fuit; cùm id etiam ante tentationem hominis Serpens naturaliter haberet: Neque enim tunc Serpentes in aliam naturam, proprietates, & mores, quàm prius haberent, esse mutatos & conversos existimare convenit.

Respondeo ad primum, hæc verba vero Serpenti convenire; idque probari primò ex illius, de quo dicuntur, comparatione cum cæteris animantibus terræ: secundò ex verbis Christi *Matthæi* 10. *Estote prudentes sicut Serpentes*: Tertiò ex multiplici experimento calliditatis Serpentis, tum ad tuendam vitam, tum ad insidiandum homini. Unum est, quòd sentiens carminibus incantatorum se captum iri, ne ea exaudiat, alteram aurem terræ vel petræ admovet, atque apprimit, alteram verò caudâ obturat; quod eleganter describitur a *Davide*, Psalmo 57. *Furor illis secundùm similitudinem Serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Alterum est, quòd Serpens cùm saxo aut ferro ab homine petitur, totum corpus in orbes circumvolvit, ut caput ab ictibus protegat, ex quo totius corporis pendet salus. Tertium, quòd siti fatigatus, cum è latibulo procedit ad aquam ut bibat, venenum quasi expuere ac deponere dicitur, ne aquas veneno inficiat atque corrumpat, ut a Physiologis traditum refert *S. Epiphanius* Hæresi 37. Alia prætereo, quæ a *Plinio* referuntur, Lib.8. cap.27. Ejus verò astutia ad insidiandum homini sacræ Scripturæ testimonio, & quotidianis etiam experimentis probatur. Genesis 3. vers.15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Genes.49. vers.17. *Fiat Dan coluber in viâ, cerastes in semitâ, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Ecclesiastis cap.10. *Si mordeat Serpens in silentio, nihil eo minùs habet qui occultè detrahit.* Hanc Responsionem confirmat ex parte *S. Augustinus* Libro 11. *De Genesi ad literam*, cap.29. docens Scripturam loqui de veri Serpentis astutiâ, non tamen secundùm se spectati, sed ut organum fuit Diaboli ad fallendum Evam. *Proinde*, inquit, *prudentissimus omnium bestiarum, hoc est astutissimùs ita dictus est Serpens propter astutiam Diaboli, quæ in illo & de illo agebat dolum, quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus movet ad aliquid prudenter astuteque suadendum. Non enim est hæc vis seu virtus membri corporalis, quod vocatur lingua, sed utique mentis quæ utitur eâ. Ita etiam dictus est stilus mendax Scribarum: neque enim esse mendacem pertinet nisi ad viventem atque sentientem; sed stilus mendax dictus est, quòd per eum mendax mendaciter operetur; quemadmodum si iste Serpens mendax diceretur, quòd eo Diabolus tanquam stilo mendaciter uteretur. Sic ergo locutus est Serpens homini, sicut asina, in quâ sedebat Balaam, locuta est homini, nisi quòd illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum.*

Ad secundum respondetur, *Evam* Serpentis conspectum & congressum non horruisse, quòd in statu innocentiæ animalia omnia homini placidè atque obedienter ceu domino subjecta essent, nec feritate, morsibus, veneno terribilia, aut noxia. Unde nullum horrorem inferre poterant homini innocenti, cùm Dei providentia singularis molestiam omnem a felici illo statu arceret. Unde nonnisi post peccatum hominis hac maledictione Serpens percussus a Deo est: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Hanc Responsionem suggerunt *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 16. in Genesim, & *S. Joannes Damascenus* Libro 2. *De Fide Orthodoxâ*, Cap. 10. Ad Serpentis verò colloquium *Eva* non obstupuit, quia nesciebat facultatem loquendi nulli animali naturalem esse. Nam & rerum novitas, & experientiæ defectus, & quòd sexûs muliebris perfectio omnium rerum naturalium scientiam non exigeret, ignorantiæ hujus causa fuit; quæ tamen ignorantia non fuit pravæ dispositionis, quâ vera pro falsis approbantur, sed meræ negationis (ut Theologi de Scholâ dicunt) quæ innocentiæ statui minimè repugnabat, siquidem pueri eo in statu multa nescivissent, quæ temporis progressu didicissent. Hæc responsio *S. Cyrilli Alexandrini* auctoritate confirmatur Libro 3. contra *Julianum*, ubi & ex Scriptoribus Ethnicis incredibile non esse probat, quòd Serpens movente Dæmone locutus sit, cùm res etiam inanimes humanas voces edidisse, Magorum utique præstigiis, & Dæmonum operatione, testentur. *Cùm enim*, inquit S. Cyrillus, *rationis particeps tum animal aliud non esset, per nimiam simplicitatem rata est Muliercula forsitan & aliis animalibus datum esse vocis humanæ usum. Quod autem immundis spiritibus difficile non sit talia interdum aliqua moliri, vel sola Mosis verba idonea sunt quæ fidem plenissimam faciant: Sed quia verisimile est qui ex eâdem sint hæresi, quâ iste rerum Christianarum*

rum Obtrectator, orationi nostræ non assensuros, age excussis istorum Historiis, quoad licet, rem demonstremus. Homerus igitur res Graiis ad Trojam gestas componens, unum Achillis equorum (Xanthus is erat) mortem ei auguratum esse affirmat, & dixisse Heroem:

Xanthe necem quid mi præsagis?

Minimè verò neglexit, ut ne mentiri putaretur, Dixit enim:

Vocem illi Juno formosis indidit ulnis.

Sed opponet denuo quæ solet, idque poeticum commentum esse dicet. Ergo, si videtur, mendacii damnentur Homeri Poemata, & in ejus Magistros crimen recidat. Vestigemus autem & alios qui talia scriptitarint. Porphyrius itaque ejus socius, & petulantis in nos maledicentiæ parens, Pythagoræ vitam exequens, sic alicubi scribit: Caucasum autem flumen narrant, eum pluribus sodalium trajicientem allocutum esse, &. fluvium magnâ voce cunctis audientibus respondisse: Ave Pythagora. Sed subjecerint, opinor, aliqui, dixisse salutatum eum esse a fluvio, at non utique dæmonem locutum. Bene habet. Erat igitur fortasse rationis compos aqua. Sed hoc opinor emotæ mentis esse, neque fieri posse dicimus. Dæmon igitur locutus est, idque Pythagoræ præstigiarum argumentum erat, quòd eum alloqui fluvius videbatur. At verum id non est, inquies, sed potiùs quæsita cavillatio. Ergo nisi eâ quam arcanam sapientiam Græci nominant, sive arte magicâ plenus erat, crimine vacet ipse, nugamur nos. Sin autem & præstigiator & excantator, & istiusmodi artifex apparet, quidni verè dicatur, alicujus eorum, qui ipsi assiduè hærerent, demum vi salutationem esse factam? Scribit rursus de eo Porphyrius ad hunc modum: Ambulationes autem neque ipse invidiosè cum multis obibat, sed secundus vel tertius, in Templis vel in lucis loca deligens & quietissima, & amœnissima; amicos au em summopere diligebat, qui primus amicorum communia esse omnia pronuntiavit, & amicum alterum semet, & cum valentibus ipse versabatur, corpore autem ægros curabat, & animo ægros consolabatur, ut diximus, hos quidem incantamentis & Magiâ, illos verò Musicâ. Par autem est scilicet, & Serpentem dicere humanâ nequisse voce uti, Caucasum fluvium potuisse, qui Mago comis & affabilis fuit? Hujus quoque mentionem facit & Sapientissimus Clemens in Stromatis.... At Philostratus, qui delectis verborum scitamentis Apollonii Vitam exornare conatur, & ad supremum usque miraculum effert, ipsum quidem ad summos fines agri Thebani deportat, & in ipsâ dicit fluminis catadupa sese dedisse. Congressum autem cum iis qui illic sunt Gymnosophistis, peritissimis ipsis quoque præstigiarum: Tum addit omnium Præsulem (is erat Thespesion) Apollonio dixisse: Enimvero quoniam Sapientiæ impotes non sumus: Tu, inquit, arbor [ulmus autem erat tertia ab illâ sub quâ disserebant] saluta mihi Sapientem Apollonium. Et compellavit eum quidem arbor, uti jussa est: vox autem erat & articulata, & fœminea. Memorabo item Dodonæam quercum, quam & humanâ voce usam dicunt. Sed & Cittieus Isigonus in Rhodo Insulâ Jovis Taurum ait humanæ vocis expertem non fuisse. Videsis igitur ut Impostorum ludibria planè demonstrent naturæ dæmonum inesse ut efficere interdum voces queant, neque e sensu præditis modò animantibus, sed & voce & sensu expertibus, aquâ dico & arboribus. Cùm ergo manifestum omnibus sit, non fuisse allocutum Mulierem solum & per se Serpentem, qui natura sit nec ratione nec intellectu prædita, veruntamen subiisse ejus personam mali patrem Satanam, cùm data ipsi immortalitatis munere spoliare vellet hominem; quis non eum jure reprehendat, ut qui hæc non intellexerit, quæ in scelestum & impium draconem tantum non maximum clamorem tollunt? Quod si ipse non credit, non propterea percipi veritas nequit. Ille autem veris non assentiens, meritò rideatur.

Ad tertium respondeo primò, etsi maledictio in Serpentem a Deo prolata non ad verum Serpentem, sed sub illius vocabulo & figurâ ad diabolum pertineret, ut *S. Augustinus*, & eum secuti *Gregorius Magnus*, *Beda*, *Rupertus* Abbas existimarunt, non sequi quòd verus Serpens non fuerit, quo velut organo ad seducendam mulierem Diabolus usus est. Id patet ex *S. Augustini* verbis, Lib. 11. *De Genesi ad literam*, cap. 36. ubi præmissis verbis Dei Serpenti maledicentis hæc habet: *Tota ista sententia figurata est, nec aliud debet ei Scriptoris fides narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus. Quod enim positum est:* Et dixit Dominus Deus Serpenti, *verba sola scribentis sunt, hæc exigenda sunt per proprietatem. Hoc ergo verum est, dictum est Serpenti. Jam cetera verba Dei sunt, quæ libero lectoris intellectui relinquuntur, utrùm propriè an figuratè accipi debeant, sicut in exordio Voluminis hujus nostri prælocuti sumus. Proinde cur Serpens hoc fecerit, non est interrogatus, potest videri quòd non ipse utique id in suâ naturâ & voluntate fecerat; sed Diabolus de illo, & per illum, & in illo fuerat operatus: qui jam ex peccato impietatis ac superbiæ suæ igni destinatus fuerat sempiterno. Nunc ergo quod Serpenti dicitur, & ad eum qui per Serpentem operatus est utique refertur, procul dubio figuratum est: Nam in his verbis Tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset: quod genus humanum propagari tunc cœpit, quando hæc in Diabolum est tanquam in Serpentem prolata sententia. Hæc itaque verba quomodo figuris expositis accipienda sint, & in illis duobus adversùs Manichæos editis libris de Genesi, quantùm potuimus disseruimus, & si quid diligentius & congruentius aliàs potuerimus, Deus aderit ut efficiamus.* Sic autem habet Libro 2. *De Genesi contra Manichæos*, cap. 26. *Jam Serpens non interrogatur, sed prior excepit pœnam, quia nec confiteri peccatum potest, nec habet omnino unde se excuset. Non autem nunc ea damnatio Diaboli dicitur, quæ ultimo judicio reservatur, sed ea pœna ejus dicitur, quâ nobis cavendus est. Pœna enim ejus est, ut in potestate habeat eos qui Dei præcepta contemnunt: Hoc enim explicatur his verbis quibus in eum profertur sententia: & in hoc major pœna est, quia de tam infœlici potestate lætatur, qui solebat antequam caderet, de sublimi veritate gaudere, in quâ non stetit. Et ideo illi etiam pecora præponuntur, non in potestate, sed in conservatione naturæ suæ: quia pecora non amiserunt beatitudinem aliquam cœlestem, quam nunquam habuerunt, sed in suâ naturâ quam acceperunt peragunt vitam. Dicitur ergo huic:* Pectore & ventre repes. *Quod quidem & in colubro animadvertitur, & ex illo animante visibili ad hunc invisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nominè enim pectoris significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi: nomine autem ventris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore. Et quia his rebus ille serpit ad quos vult decipere, propter-*
„ *ea dictum est:* Pectore & ventre repes. Et ter-
„ ram, *inquit*, manducabis omnibus diebus vitæ
„ tuæ, *id est, omnibus diebus quibus agis hanc potestatem, ante illam ultimam pœnam judicii. Hæc enim vita ejus videtur, de quâ gaudet atque gloriatur.* Terram ergo manducabis, *duobus modis intelligi potest: Vel, Ad te pertinebunt, quos terrenâ cupiditate deceperis, id est peccatores, qui terræ nomine significantur: vel certè genus tertium tentationis his verbis figuratur, quod est curiositas. Terram enim qui manducat, profunda & tenebrosa penetrat, & tamen temporalia atque terrena.*

Re-

Respondetur secundò, non ad Dæmonem duntaxat, sed etiam ad Serpentem, cujus organo usus est, maledictionem divinam pertinere, ut egregiè *Theodoretus* explicat, Interrogatione 34. in Genesim. *Maledictionem*, inquit, *Deus propriè intulit ei, qui malum perpetravit, nam & ille Serpens quoque appellatus est: Non qui talem a Deo omnium conditore naturam acceperit. Bonus enim creatus est, & unà cum incorporeis Virtutibus conditus. At ubi sponte in nequitiam declinavit, tum honore privatus est, quem ab initio sortitus erat, & in terram projectus est. Sed & ipsum animal quoque ad hominum utilitatem maledictionem recepit. Itaque videntes Serpentem repere & volutari super Terram, maledictionis antiquæ recordamur: & discimus quanta mala peccatum accersat, non solùm his qui illud admittunt, sed & illis qui subserviunt. At ipse quidem Serpens nullum inde damnum accepit, cùm ita gradi natus sit. Hanc enim habet a naturâ motûs speciem. Nihil autem naturale molestum videtur esse. Homo verò multum inde commodi consequitur.* Idem docuit ante Theodoretum *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 17. in Genesim: *Sicut*, inquit, *clementissimus Pater puniens eum qui filium suum occiderit, & gladium & ensem, per quæ filius suus occisus est, destruit, & in multas partes dividit; eodem modo Deus egit. Quippe Serpens quasi gladius quidam Diabolicæ servivit malitiæ, unde & perpetua ipsi pœna intentata est. Quo per visibile & sensibile hoc ratiocinemur & expendamus, in quantâ ignominiâ sit & Diabolus. Nam si is qui ut instrumentum ministravit, tantam expertus est indignationem, quale supplicium verisimile est suscepturum Diabolum?*

---

### ASSERTIO II.

*Etsi Adam eo modo seductus non fuerit quo Eva, quodam tamen modo & ipse deceptus est superbiæ merito, ut in apertam inobedientiam laberetur.*

ADamum eo modo seductum non fuisse, quo *Eva* seducta est, probat primò diversa longè ratio quâ peccatum excusant. Ille enim se a muliere deceptum non ait, sed uxori fructum vetitum porrigenti obsecutum. Genesis 3. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi*. At mulier se a Serpente deceptam queritur: *Serpens decepit me, & comedi*. Secundò, idem probant Apostoli verba 1. ad Timotheum 2. *Adam primus formatus est, deinde Eva: & Adam non est seductus, Mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Cujus sententiæ multiplicem interpretationem Patres afferunt. Quidam enim ita intelligunt, ut *Adam* non fuerit seductus primus, quemadmodum primus creatus est, sed *Eva* quæ *Adamo* peccati consultrix fuit. Sic interpretantur *S. Epiphanius* in Hæresi Quintilianorum, *Haimo Halberstatensis*, Glossa Ordinaria, *Oecumenius & S. Thomas*. Alii sic exponunt, ut *Adamus* quidem seductus non fuerit a Serpente sicut *Eva*, sed mulieris voluntati & cupiditati indulgens peccaverit. Sic exponunt *S. Joannes Chrysostomus*, *S. Hieronymus* Lib. 1. contra Jovinianum, & *Hilarius* Diaconus in Commentariis sub *S. Ambrosii* nomine olim editis. Quidam sic explicant, propterea dixisse S. Paulum, *Adam non est seductus, Mulier autem seducta in prævaricatione fuit*, quòd in Sacris Literis mentio nulla fiat deceptionis *Adami*, sed *Evæ* duntaxat: sicut idem Apostolus *Melchisedechum* nec patrem, nec matrem, nec genealogiam, nec initium, nec finem dierum habuisse ait, quia hæc certi mysterii causâ tacuit Scriptura. Hæc interpretatio *Theophylacto* placuit, & *Hugoni a Sancto Victore*. Alii denique sic interpretantur, quòd *Adamus* non ita seductus est ut mulieri fieret in prævaricationem; mulier autem ita seducta sit, ut Adamo in prævaricationem fieret, id est, eum ad Dei mandatum violandum pelliceret. Ita *S. Augustinus* Libro 11. de Genesi ad literam, cap. 42. *Illud*, inquit, *magis me movet, si jam spiritalis erat Adam, quamvis mente, non corpore, quomodo credere potuerit quod per Serpentem dictum est, ideo Deum prohibuisse ne fructu ligni illius vescerentur, quia sciebat eos si fecissent, futuros ut Deos propter dignoscentiam boni & mali, tanquam hoc tantum bonum creaturæ suæ Creator inviderit: hoc mirum si homo spiritali mente præditus credere potuisset. An quia hoc credere ipse non posset, propterea mulier addita est, quæ parvi intellectûs esset, & adhuc fortasse secundùm sensum carnis, non secundùm spiritum mentis viveret, & hoc est quòd ei Apostolus non tribuit imaginem Dei?*
„ *Hic enim ait:* Vir quidem non debet velare 1. Corinth. 11. 7.
„ caput, cùm sit imago & gloria Dei: Mulier
„ autem gloria viri est. *Non quòd mens fœminæ eamdem imaginem capere non possit, cùm in illâ gratiâ nos dicat nec masculum esse, nec fœminam; sed quòd fortassis illa hoc nondum perceperat, quod fit in agnitione Dei, & viro regente ac dispensante paulatim fuerat perceptura. Neque enim frustra est illud*
„ *quod Apostolus ait;* Adam enim primus forma-
„ tus est, deinde Eva: & Adam non est seductus,
„ mulier autem seducta in prævaricatione facta est; *id est, ut per illam etiam vir prævaricaretur. Nam & ipsum dicit prævaricatorem, ubi ait:* In
„ similitudinem prævaricationis Adæ, qui est for-
„ ma futuri. *Seductum tamen negat. Nam & in-*
„ *terrogatus non ait*, Mulier quam dedisti me-
„ cum, seduxit me, & manducavi, *sed*, Ipsa mi-
„ hi, *inquit*, dedit a ligno, & manducavi. *Illa*
„ *verò:* Serpens, *inquit*, seduxit me. *Ita Salomon vir tantæ sapientiæ, nunquidnam credendum est, quòd in simulacrorum cultu crediderit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperibat atque defluebat, mortiferas delicias contristaret. Ita & Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, & omnino illâ interire discordiâ. Non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ; sed amicali quadam benevolentiâ, quâ plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus; quod eum facere non debuisse, divinæ sententiæ justitui exitus indicavit. Ergo alio modo quodam etiam ipse deceptus est: Sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo arbitror potuisse seduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem propriè seductionem appellavit Apostolus, quâ id quod suadebatur, cùm falsum esset, verum putatum est, id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quòd sciebat eos, si tetigissent, velut Deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat. Sed etiam si virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latère non poterat, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret acceptâ illâ escâ non esse mortuam, secundùm ea quæ superiùs tractavimus; non tamen eum arbitror si jam spiritali mente præditus erat, ullo modo credere potuisse, quòd eos Deus ab escâ illius ligni invidendo vetuisset. Sed quid plura? Persuasum est illud peccatum sicut persuaderi talibus posset; conscriptum est autem sicut legi ab omnibus oporteret, etsi a paucis hæc intelligerentur sicut oporteret.*

Ada-

*Adamum* quodammodo seductum, idque merito superbiæ suæ, & alibi S. *Augustinus* docet, quamvis non eo seductionis genere quo *Eva*, credendo nimirum verbis Diaboli per Serpentem loquentis; de quo S. *Augustinus* Libro 14. *De Civitate Dei*, cap.11. *Fallaciâ*, inquit, *sermocinatus est femina; a parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perveniret ad totum; non existimans virum facilè credulum nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori. Sicut enim Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus; nec Salomonem credibile est errore putasse Idolis esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum; ita credendum est illum virum suæ femina, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus*, ,, Sed & Adam non est seductus, Mulier autem ,, seducta est: *nisi quia illa quod ei Serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minùs reus, sed sciens prudensque peccavit: Unde & Apostolus non ait, Non peccavit: Sed*, Non est seductus. *Nam utique ipsum ostendit, ubi dicit*: Per unum hominem intravit peccatum in mundum, *& paulò post apertiùs*, In similitudine, *inquit*, prævaricationis Adæ. *Eos autem seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt, non putant esse peccatum; ille autem scivit. Alioqui quomodo verum erit*, Adam non est seductus? *Sed inexpertus divinæ severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum. Ac per hoc in eo quidem quòd mulier seducta est, non est ille seductus, sed eum fefellit, quomodo fuerat judicandum quod erat dicturus*, Mulier quam dedisti mecum, ipsa mihi dedit & manducavi. *Quid ergo pluribus? Et si credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo sunt capti, & diaboli laqueis implicati*.

Ex superbiâ autem & deceptionem *Adami*, qualiscumque illa fuit, & lapsum in apertam inobedientiam processisse, docet etiam S. *Augustinus* cap.13. *In occulto autem*, inquit, *mali esse cœperunt? ut in apertam inobedientiam laberentur: Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas? Porro malæ voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia?* Initium enim omnis peccati superbia est. *Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus: Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodam modo fieri atque esse principium. Hoc fit cùm sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi. Spontaneus est autem iste defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret & frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati..... Manifesto ergo apertoque peccato, ubi factum est quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille sibi ipsi placere cœpisset. Hinc enim & delectavit quod dictum est*, Eritis sicut Dii. *Quod melius esse possent summo veroque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam. Dii enim creati, non suâ veritate, sed Dei veri participatione sunt Dii. Plus autem appetendo, minus est; qui dum sibi sufficere diligit, ab illo qui ei verè sufficit, deficit. Illud itaque malum, quo cùm sibi homo placet, tanquam sit & ipse lumen, avertitur ab eo lumine, quod ei si placeat & ipse fit lumen: illud, inquam, malum præcessit in abdito, ut sequeretur hoc malum quod perpetratum est in aperto. Verum est enim quod scriptum est*: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. *Illa prorsus ruina quæ fit in occulto præcedit ruinam, quæ fit in manifesto, dum illa ruina esse non putatur*. Proverb. 16. 18.

(Eccli. 10. 15.)

Et cap.17. *Hoc itaque cognoverunt, quod feliciùs ignorarent, si Deo eredentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent*.

Idem Enarratione in Psalmum 68. exponens illa verba: *Quæ non rapui tunc exsolvebam*, hæc præsenti argumento congruentia habet. *Quis rapuit? Adam. Quis rapuit primum? Ille ipse qui seduxit Adam. Quando rapuit Diabolus?* Ponam sedem meam ad Aquilonem, & similis ero Altissimo. *Usurpavit sibi quod non acceperat, & ipso calice superbiæ suæ ei, quem decipere volebat, propinavit. Gustate, inquit, & eritis sicut Dii, Rapere voluerunt divinitatem, & perdiderunt felicitatem*. Isai. 14.

S. *Ambrosius* errorem Adamo tribuere non dubitat cap.21. Libri de Paradiso. *Mulieris*, inquit, *prior error inventus est: viro enim mulier, non mulieri vir auctor fuit erroris. Unde & Paulus ait*: Adam *non est deceptus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*.

S. *Leo* hominem a diabolo deceptum non semel asserit Sermone 2. in Nativitate Domini: *Gloriabatur diabolus hominem suâ fraude deceptum divinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum diram mortis subjisse sententiam*. Sermone 3. *Illa quæ deceptor invexit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium*. Sermone 4. *Primus homo quia invido & deceptori temerè atque infeliciter credidit, & superbiæ consiliis acquiescens, repositum honoris argumentum occupare maluit quàm mereri, non solùm ille homo, sed etiam universa in illo posteritas ejus audivit: Terra es, & in terram ibis*.

Sed & alii Patres *Adamum* a diabolo seductum & deceptum asserunt S. *Irenæus* Libro 3. adversùs Hæreses, cap.35. S. *Hilarius* Canone 3. in S. Matthæum, S. *Epiphanius* Hæresi 38. S. *Cyrillus* Libro 3. contra Julianum. S. *Prosper* Libro contra Collatorem, cap.19. & 21. *Julianus Pomerius* Libro 2. *De Vitâ Contemplativâ*, cap.19. & alii.

---

## ASSERTIO III.

*Adamum peccato suo per pœnitentiam expiato salutem æternam consecutum, Dogma Catholicum est contra Tatianum & Encratitas, Scripturæ Sacræ & Traditionis auctoritate confirmatum. Per Fidem verò Christi Mediatoris, cujus ipsi facta post lapsum promissio a Deo est, ipsum salvatum nemo dubitet*.

ID probat imprimis oraculum Spiritus Sancti, *Sapientiæ* 10. vers.1. ubi de Æternâ Sapientiâ dicitur: *Hæc illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, dedit illi virtutem continendi omnia*.

Secundò, id probat luculentis rationibus S. *Irenæus* Lib.5. adversùs Hæreses, cap.34. & sequentibus. Idem docet *Tertullianus* Libro 2. contra *Marcionem*, cap.25. & in fine Libri *De Pœnitentiâ*, *Origenes* Tractatu 35. in Evangelium S. Matthæi, S. *Epiphanius* Hæresi 46. S. *Ambrosius* Libro 10. in Lucam cap.33. S. *Hieronymus* Epistolâ 17. ad

ad *Marcellam* datâ, S. *Augustinus* Epistolâ ad *Evodium* 164. postremæ Editionis, aliàs 99. Quæ omnia legi possunt Dissertatione 17. in Historiam Ecclesiasticam seculi secundi, Articulo 1. ubi hoc argumentum contra *Tatianum* & Encratitas ex professo tractavimus.

Per fidem in Christum venturum Protoparentes fuisse salvatos haud dubium est, cujus adventus promissio ipsis est facta his Dei verbis ad Diabolum sub figurâ Serpentis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Vel, *Ipsum conteset tibi caput*, secundùm Textum Hebraicum: seu, *Ipse servabit caput tuum*, ut vertunt 70. Interpretes. De quâ promissione *Sanctus Irenæus* Libro 4. adversùs Hæreses, cap. 78. *Quemadmodum Sacra Scriptura ait serpenti dixisse Dominum:* Et inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & inter semen mulieris. Ipse tuum calcabit caput, & tu observabis calcaneum ejus. *Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, & calcans ejus caput, quemadmodum in eo qui ante hunc est libro ostendimus.* De eâdem S. *Cyprianus* Libro 2. Testimoniorum adversùs Judæos, cap. 9. *Hoc semen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli; in Genesi. Tunc dixit Deus ad Serpentem: Quia tu hoc fecisti, maledictus tu ab omni genere bestiarum terræ... Et ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter semen ejus. Ipse tuum observabit caput, & tu observabis calcaneum ejus.* De eâdem S. *Leo* Sermone 21. qui secundus est in Nativitate Domini, cap. 1. *Deus*, inquit, *omnipotens & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, præparata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa Mundi primordia præsignavit, denuntians serpenti futurum semen mulieris quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret; Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque significans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorruptâ nativitate damnaret.*

Ad eandem promissionem pertinet, quod *Adami* cap. 3. *Geneseos* vers. 20. vocavisse narratur nomen uxoris suæ HEVA, *eo quòd mater esset cunctorum viventium:* ratione scilicèt Seminis Benedicti, nempè Christi ex *Mariâ* Virgine nascituri ipsique *Evæ* statim post lapsum promissi: Cum alioqui, seclusâ ratione mysterii, mater omnium morientium, post lapsum, potiùs appellanda fuerit. Ob *Mariam* ergo Virginem, quæ Fructum benedictum, vitæque Auctorem peperit, partuque glorioso *Evæ* maledictionem expunxit, prima illa generis nostri parens *Mater cunctorum viventium* appellata est. Hinc Sanctus Irenæus Libro 5. *Adversùs Hæreses*, cap. 19. *Seductione illâ solutâ, quâ seducta est malè illa, quæ jam viro destinata erat virgo Eva; per veritatem evangelizata est bene ab Angelo jam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita & hæc per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est ut effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur per Virginem, æquâ lance dispositâ virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.*

SCHOLION.

Adami salutem singulari Libro, quem *De salute primi hominis* inscripsit, demonstravit *Philippus Abbas Bonæ Spei*, S. Bernardo coævus.

# DISSERTATIO IV.

## De Polygamia Lamechi.

*PROPOSITIO UNICA.*

*Insolens Lamechi Polygamia, qui plures simul Uxores primus duxisse legitur, Patriarcharum qui post Diluvium vixere exemplis a crimine vindicari non potest, ut nec illorum Polygamia Lamechi exemplo damnari.*

L*Amechum* Cainitam duas simul uxores habuisse primum omnium hominum legimus Genesis 4. vers. 19. *Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.* Quod contra primam institutionem Matrimonii ipsum attentasse evidens est. Nam Deus Matrimonium in Paradiso terrestri instituens unam uni dedit uxorem. Ideo plures initio feminas non condidit, sed feminam unam, sicut unum hominem. *Masculum & feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram... Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ; hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne unâ.* Duorum porro in unâ carne conjunctio Polygamiam excludit. Id confirmant verba Christi Matrimonium ad primam institutionem revocantis, Matthæi 19. vers. 4. 5. 6. *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Genes. 1. vers. 27. 28. & cap. 2. vers. 22. 23. 24.

II. Hinc *Lamechi* exemplum antediluvianorum Patriarcharum neminem secutum esse legimus: & *Noe*, tresque filii ejus, orbi post diluvium restituendo, humanoque propagando generi a Deo destinati & servati, singulas tamen singuli uxores habuerunt, ut colligitur ex cap. 7. *Genes.* vers. 7. *Et ingressus est Noe, & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in Arcam propter aquas diluvii.* Et 1. S. *Petri* 3. vers. 20. *In diebus Noe cùm fabricaretur Area, in quâ pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.*

III. *Tertullianus* Libro *De Exhortatione Castitatis*, quamvis ultra Catholici dogmatis regulas provectus polygamiam quoque successivam improbet ac damnet, eam tamen quæ plures simul uxores amplectatur jure merito reprobans cap. 5. *Ad legem*, inquit, *semel nubendi dirigendam, ipsa origo humani generis patrocinatur, contestans quid Deus in primordio constituerit, in formam posteritati recensendam. Nam cùm hominem figulasset, eique parem necessariam prospexisset, unam de costis ejus mutuatus, unam illi feminam finxit; cùm utique nec artifex, nec materia defecisset. Plures costæ in Adam, & infatigabiles manus in Deo, sed non plures uxores apud Deum. Et ideo homo Dei Adam, & mulier Dei Eva, unis inter se nuptiis functi, formam hominibus Dei de originis auctoritate & primâ Dei*

vo-

*voluntate sanxerunt: Denique*, Erunt duo, *inquit*, in carne unâ; *non tres, neque quatuor. Alioquin, jam non una caro nec duo in unam carnem.... Numerus Matrimonii a maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus tres in unam carnem effecit*. Et Libro *De Monogamiâ*, cap.5. *Semel tantùm vim passa institutio Dei per Lamech, constitit postea in finem usque gentis illius. Secundus Lamech nullus extitit, quomodo duabus maritatus. Negat Scriptura quod non notat*.

IV. *S. Hieronymus* Libro.1. contra *Jovinianum* eadem penè scribit eo de argumento, quæ *Tertullianus*, & *Lamechi* polygamiam æquè damnat. *Una costa*, inquit, *a principio in unam uxorem versa est*. Et erunt, *inquit*, duo in carne unâ, *non tres, neque quatuor; alioquin jam non duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius & homicida, unam carnem in duas divisit uxores; fratricidium & digamiam eadem cataclysmi delevit pœna. De altero septies, de altero septuagesies septies vindicatum est. Quantùm distant in numero: tantùm & in crimine*. Et Epistolâ 11. ad Ageruchiam; *Unus Adam*, inquit, *& una Eva, immo una ex eo costa separatur in feminam; rursumque quod divisum fuerat, nuptiis copulatur, dicente Scripturâ*: Erunt duo in carnem unam: *non in duas, nec in tres*. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; *certè non uxoribus. Quod testimonium Paulus edisserens, ad Christum refert & ad Ecclesiam, ut primus Adam in carne, secundus in spiritu monogamus sit. Sit una Eva mater cunctorum viventium; & una Ecclesia parens omnium Christianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas divisit uxores; sic hanc Hæretici in plures Ecclesias lacerant*. Et Epistolâ 9. ad Salvinam; *Etiam de Paradiso expulsus Adam unam uxorem habuit. Primus Lamech maledictus & sanguinarius, & de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas, & plantarium digamiæ protinus diluvii pœna subvertit*.

V. Sed & *Nicolaus* I. Pontifex Maximus ad *Lotharium* Regem scribens, *Lamechum* ob polygamiam adulterum appellat. *Annon*, inquit, *districtâ ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus, adulterium Lamech & flagitium imitatus esse dignosceris, quod Dominus nonnisi post septuaginta septem generationes suo salutifero adventu delevit, cùm Cain fratricidium septimâ generatione aquis abolitum sit cataclysmi?*

VI. Quòd verò Patriarcharum, qui post diluvium vixerunt, exemplis a crimine vindicari non possit *Lamechi* polygamia, nec illorum polygamia *Lamechi* exemplo damnari, ex eo probatur, quòd verisimile sit, viros sanctissimos a primævâ institutione matrimonii nisi Deo per internam inspirationem dispensante non defecisse; & *Lamechum* profanum hominem non divinâ dispensatione, sed libidinis impotentiâ plures uxores duxisse probabilissimum sit. Porro, ut *Innocentius* III. cap. *Gaudemus*, Extra, *De Divortiis*, declarat: *Nulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum: quæ mos quandoque, interdum etiam fas censetur: per quam sicut Jacob a mendacio, Israëlitæ a furto, Samson ab homicidio: sic & Patriarchæ, & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. Sanè veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio „ Veritatis testantis in Evangelio*; Quicunque di- „ miserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Si ergo uxore dimissâ duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia judicentur, circa matrimonium, reprobandam*.

VII. Hanc de veterum Patriarcharum polygamiâ doctrinam *Innocentius III.* ex *S. Augustino* hauserat Libro 22. contra *Faustum Manichæum* cap. 47. de hujusmodi polygamiâ scribente: *Quando mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causâ illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nullâ lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia moribus & legibus non licet? Quæ duo quisquis contempserit, etiamsi tantummodo causâ generandi possit uti feminis pluribus, peccat tamen & ipsam violat humanam societatem, cui necessaria est propagatio filiorum. Sed quia homines, aliter se habentibus jam moribus & legibus, non possunt delectari uxorum multitudine nisi libidinis magnitudine: ideo errant & putant omnino haberi non potuisse uxores multas, nisi flagrantiâ concupiscentiæ carnalis & sordidæ voluptatis. Comparantes enim non alios, quorum animi virtutem prorsus nosse non possunt, sed (sicut ait Apostolus) semetipsos sibimetipsis, non intelligunt. Et quia ipsi, etiamsi unam habuerint, ad eamdem non solùm generandi officio ducti viriliter accedunt, sed sæpè coëundi stimulo victi enerviter pertrahuntur: quasi veraciter sibi videntur conjicere quàm majori hujusmodi morbo per multas alii capiventur, quando se vident in unâ temperantiam servare non posse. Verùm nos eis, qui hanc virtutem non habent, ita de Sanctorum Virorum moribus judicium committere non debemus, sicut de ciborum suavitate ac salubritate judicare febrientes non sinimus; potiùsque illis ex sanorum sensu, & præcepto medicantium, quàm ex eorum ægritudinis affectione alimenta præparamus. Proinde isti, si volunt non falsa atque adumbrata, sed vera ac solida pudicitiæ capere sanitatem, divinæ Scripturæ tanquam libris medicinalibus credant, non frustra tam magnum honorem sanctitatis tributum quibusdam viris etiam plures uxores habentibus, nisi quia fieri potest ut imperator carnis animus tantâ temperantiæ potestate præpolleat, ut genitalis delectationis motum insitum naturæ mortalium, ex providentiâ generandi, leges positas non permittat excedere*.

Idem Libro 3. *De Doctrinâ Christianâ*, cap.12. *Regno terreno*, inquit, *veteres Justi cœleste Regnum imaginabantur, & prænuntiabant. Sufficienda prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo; & ideo unam feminam maritos habere plurimos honestum non erat: Non enim mulier eò est fœcundior, sed meretriciæ potiùs turpitudo est, vel quæstum, vel liberos vulgo quærere. In hujusmodi moribus quicquid illorum temporum Sancti non libidinosè faciebant, quamvis ea facerent, quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura. Et quidquid ibi tale narratur, non solùm historicè ac propriè, sed etiam figuratè ac propheticè acceptum, interpretandum est usque in finem illum caritatis, sive Dei, sive proximi, sive utriusque*.

Idem Libro *De Bono Conjugali*, cap.15. *Planè*, inquit, *uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos Patres fas erat: utrùm & nunc fas sit, non temerè dixerim. Non est enim nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuit, quando & parientibus conjugibus alias propter copiosiorem posteritatem superducere licebat, quod nunc certè non licet. Nam tantum affert opportunitatis ad aliquid justè agendum, seu non agendum temporum secreta distinctio, ut nunc meliùs faciat, qui nec unam duxerit, nisi se continere non possit. Tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant*

bant, & qui se multò faciliùs continere possent, nisi aliud pietas illo tempore postularet. Sicut enim sapiens & justus, qui jam concupiscit dissolvi & esse cum Christo, & hoc magis optimo delectatur, jam non hic vivendi cupiditate, sed consulendi officio sumit alimentum, ut maneat in carne, quod necessarium est propter alios; sic misceri feminis jure nuptiarum officiosum fuit tunc sanctis viris, non libidinosum.

Et cap.17. *Sed neque hi*, inquit, *si qui fortè nunc inveniuntur, qui non quærunt in connubio nec appetunt, nisi propter quod instituta sunt nuptiæ, coæquari possunt illis hominibus. In istis enim carnale est ipsum desiderium filiorum; in illis autem spiritale erat, quia Sacramento illius temporis congruebat. Nunc quippe nullus pietate perfectus filios habere nisi spiritaliter quærit: tunc verò ipsius pietatis erat operatio etiam carnaliter filios propagare; quia illius populi generatio nuntia futurorum erat, & ad dispensationem propheticam pertinebat. Ideoque non sicut uni viro etiam plures habere licebat uxores, ita uni feminæ plures viros, nec prolis ipsius causâ, si fortè illa parere posset, ille generare non posset. Occultâ enim lege naturæ amant singularitatem quæ principiantur: subjecta verò non solùm singula singulis, sed si ratio naturalis vel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur. Neque enim sic habet unus servus plures dominos, quomodo plures servi unum dominum. Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus servisse Sanctarum, plures autem feminas uni viro legimus, cùm gentis illius societas sinebat, & temporis ratio suadebat; neque enim contra naturam nuptiarum est. Plures enim feminæ ab uno viro fœtari possunt, una verò a pluribus non potest: [ hæc est principiorum vis ] sicut multæ animæ uni Deo rectè subduntur. Ideoque non est verus Deus animarum nisi unus, una verò anima per multos falsos Deos fornicari potest, non fœcundari.*

Denique cap.18. *Sicut ergo*, inquit, *Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus: sic Sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrûm subjectam Deo futuram in unâ cœlesti civitate. Itaque sicut duobus pluribusve servire, sic a viro vivo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit.*

Hanc doctrinam ex *S. Joanne Chrysostomo* Homiliâ 56. in Genesim haurire potuit *S. Augustinus*. Chrysostomus enim loquens de facto *Jacob*, qui duas sorores sibi matrimonio copulavit, hæc habet: *Sed audiens quòd accepit & majorem natu, & postea minorem, ne turberis: neque juxta statum qui nunc est, opera quæ tunc facta judices. Tunc enim quia principia erant, permissum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc verò quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, gratia quoque incrementum accepit: adveniens enim Christus & virtutem in hominibus plantans, Angelosque (ut ita dicam) ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem abolevit.*

Ex eodem fonte eamdem haurire potuit doctrinam *Theodoretus* Quæst.67. in Genesim: *Unumquodque opus*, inquit, *judicatur ex facientium intentione. Sic igitur & circa Agar contemplemur. Si enim attendamus Patriarcham concupiscentiæ inservientem, rem reprehensione dignam judicabimus. Si verò uxor natura sua infirmitatem declarans, & a Creatore sterilem sibi factum esse uterum dicens, exponensque quanto liberorum desiderio teneatur, rogavit eâ de causâ Abraham ut cum Agar congrederetur, quò ipsa liberos inde susciperet, quid peccavit Abraham? Maximè cùm neque natura, neque lex ulla tum scripta plures ducere uxores prohiberet: Ipsa verò conjux sterilis obsecraret virum ancillæ permisceri, non ut voluptati inserviret, sed ut ille quidem naturâ, ipsa verò adoptione vocarentur genitores. Nam fœdâ voluptate superiorem fuisse virum illum divinum, non hæc tantùm, verùm etiam quæ secuta sunt, fidem faciunt. Cùm enim Agar gravida esset, superbiendi occasionem inde accepit, & in dominam suam magnâ procacitate utebatur: quod agrè ferens Sara, apud Patriarcham non rectè conquesta est. Ille verò valde patienter ferens petulantiam, neque expectans donec ancilla peperisset puerum, quem in utero gestabat, tradidit illam uxori puniendam. Ecce, inquit, ancilla tua in manibus tuis: utere eâ prout tibi placuerit.*

Theodoreto, S. Chrysostomo, & S. Augustino *Sanctus Hieronymus* præiverat Epistolâ 3. ad *Oceanum* scribens: *Sciebat Paulus Apostolus Lege concessum, & exemplo Patriarcharum familiare fuisse populo Hebræo noverat, in multis uxoribus liberos spargere: ipsis quoque Sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium.*

VIII. Objiciet quispiam, veteres Patriarchas qui ante Legem vixerunt, *Abraham*, *Jacob*, &c. plures simul uxores non habuisse, sed unam tantùm uxorem legitimam; cæteras verò concubinarum loco fuisse: adeoque comparationem perperam institui inter *Lamechum* & Sanctos illos Patriarchas, cùm ille duas uxores legitimas habuerit, quo nomine magis excusandus est quàm illi. Quod autem ex mulieribus, quas in thorum admiserunt, una duntaxat uxor legitima fuerit, cæteræ concubinæ, probare videntur verba illa Judæorum, Joann.8. *Nos ex fornicatione non sumus nati*: Quibus significarunt, *Euthymio* interprete, se non ex *Agar* concubinâ *Abrahami*, sed ex *Sarâ* legitimâ uxore esse progenitos. Accedit, quòd Scriptura sacra passim concubinas appellat mulieres illas, quæ, præter uxorem, Patriarchis adhærebant; neque filios earum hæredes fuisse docet. Genes.21. vers.10. *Ejice Ancillam hanc & filium ejus; non enim erit hæres filius Ancillæ cum filio meo Isaac. Durè accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super Ancillâ tuâ; omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium Ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Et Genes.25. vers. 5. *Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera.*

Respondetur, antecedens esse falsum, nec firmis probationibus niti. Nam verba illa Judæorum ad Christum, *Nos ex fornicatione non sumus nati*, de fornicatione spiritali, quæ est idololatriâ, non de fornicatione carnali sunt intelligenda, ut exponit *S. Augustinus*. Quamobrem addunt illi: *Unum Patrem habemus Deum*: Ac si dicerent: Ex gentibus idololatris originem non ducimus, quæ cum multis Diis fornicantur, sed ex Patriarchis unius veri Dei cultoribus. Eumdemque sensum verba superiora confirmant. Dixerant enim superiùs: *Pater noster Abraham est*; & inde concludunt postea, se non esse ex fornicatione; ita ut idem sit esse filium *Abraham*, & non esse ex fornicatione. At si de fornicatione carnali ageretur, & per fornicationem intelligeretur conjunctio cum *Agar*, filii quidem *Abrahami* ex fornicatione fuissent. Si verò de spirituali fornicatione agatur, id est de Idololatriâ, verissimè dicuntur non esse ex fornicatione quicunque sunt ex *Abraham*, quia *Abraham* idololatra non fuit, sed unius veri Dei cultor fidelissimus.

Quanquam verò *Agar* & *Cethura* Abrahami concubinæ dicantur in Scripturâ sacrâ, hoc nomine non indigitantur quasi uxores non fuerint, sed

quia non fuerunt uxores primariæ, cum dotalibus tabulis & solemnitate ductæ, atque in omnium bonorum societatem, & œconomicæ administrationis consortium ascitę; sed secundariæ duntaxat uxores, ad solum procreationis liberorum officium, non ad bonorum, & œconomicæ gubernationis communionem assumtæ, ideoque absque dotalibus tabulis & solemnitate ductæ, quæ Matres-familias non dicebantur, nec ipsarum filii in partem hæreditatis vocabantur. Cæterùm veras uxores fuisse constat ex Scripturâ, quæ ipsas uxores simul & concubinas appellat. Genes.16. vers. 3. *Sarai tulit Agar Ægyptiam Ancillam suam, post annos decem quàm habitare cœperant in terrâ Chanaan: & dedit eam viro suo uxorem*. Et cap.25. vers.1. *Abraham verò aliam duxit uxorem nomine Cethuram.* Pręterea in dubium revocari non potest, quin *Jacob* duas uxores legitimas, easque primarias habuerit, *Liam* & *Rachelem*. Tertiò, si mulieres illæ, quas Patriarchæ in thorum suscepe-runt, uxores ipsorum non fuissent, sequeretur insignes illos viros, qui ut exemplaria heroicæ virtutis & sanctitatis a Prophetis, a Christo, ab Apostolis proponuntur & commendantur, vel ignorasse adulterium esse peccatum, vel toto penè vitę tempore in tam nefario flagitio perseverasse. Denique *Sara* & *Agar* Ecclesiam & Synagogam significarunt, & duo *Abrahæ filii* duos populos, Judæum & Christianum, hunc ex liberâ, illum ex ancillâ genitum: Quemadmodum ergo Synagoga non fuit adulterinâ conjunctione Deo copulata, sed legitimo fœdere conjuncta: sic *Agar* non adulterino concubitu, sed uxorio jure *Abrahamo* copulata est.

Ex his refellitur Sententia *Joannis Henrici Heideggeri*. Exercitatione 7. *De Polygamiâ Lamechi*, ubi Sanctorum Patriarcharum Polygamiam damnat, & ne quidem tempore Legis Mosaicæ licitam fuisse contendit; cùm tamen Lex de Polygamiâ ut de re licitâ loquatur, Deuteron.21. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, &c.* & cap.17. Regi præscribitur, ut nec uxorum, nec equorum nimiam sibi adsciscat copiam; ubi Hebræi Interpretes notant, octodecim sive uxores, sive concubinas Regi fuisse concessas; & *Davidi* Deus imputat quòd uxores ei complures, & quidem illustres dedisset. 2. Reg. cap.12. vers.8. *Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo*. Melior itaque *Seldeni* Causa Libro 5. *De Jure Naturæ & Gentium juxta disciplinam Hebræorum*, cap.6. & *Hugonis Grotii* 2. Libro *De Jure Belli & Pacis*, cap.5. Polygamiam ante Legem exemplis Sanctorum Patriarcharum, & sub Lege ex verbis ipsius Legis, & Christianorum Patrum testimoniis, & Hebræis Magistris, licitam fuisse propugnantium, quàm *Heideggeri* illos lacessentis Exercitatione supra laudatâ.

Ex his patet, quo sensu *Tertullianus* Lib. *De Monogamiâ*, cap.6. *Abrahami* Polygamiam *Ancillæ Concubinatum* vocet, quo etiam sensu *S. Leo Magnus* Epistolâ ad *Rusticum*, cap.4. *Agar Abrahæ Concubinam* dicat, id est, secundariam uxorem. Duriora sunt, & quæ vix emolliri posse commodâ interpretatione videantur *S. Ambrosii* verba Lib.1. *De Abraham*, cap.4. ubi *Abrahami* cum Ancillâ congressum adulterium vocat, eâque ratione excusat, quòd nondum adulterium Lege prohibitum videretur. *Consideremus primùm* (inquit) *quia Abraham ante Legem Moysis, & ante Evangelium fuit: Nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore Legis est, quæ crimen inhibuit; nec ante Legem ulla rei damnatio est, sed ex Lege. Non ergo in Legem commisit Abraham, sed Legem prævenit. Deus in Paradiso licet conjugium laudaverit, non adulterium damnaverat*. Secundò, hunc excusat, *quòd non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, Ancillæ contubernio conjugalem posthabuit thorum, sed studio quærendæ posteritatis & propagandæ sobolis. Nec otiosum est, quòd uxor auctor facti indicitur; ut excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur*. Libro etiam *De Paradiso*, cap.13. de eâ *Abrahami* actione tanquam de vero peccato loquitur. Quo sensu porro adulterium nondum interdictum dixerit; patet, quòd scilicet nondum ulla pœna in adulteros constituta esset, sicut Mosaicâ Lege postea constituta est. *Deus*, inquit, *in Paradiso licèt conjugium laudaverit, non adulterium damnaverat. Non vult enim mortem peccatoris, & ideo quod præmii est pollicetur; quod pœnæ, non exigit. Mavult enim mitibus provocare, quàm terrere sævioribus*. Cæterùm *S. Ambrosium* constanter docuisse adulterium prohibitum esse Lege naturali, eamque Legem a nemine invincibiliter ignorari unquam potuisse, ex hoc ipso libro constat. Etenim cap.2. ubi narrat quemadmodum Pharao *Saram*, quam in Palatium abductam uxorem ducere cogitabat, postquam conjugatam esse cognovit, *Abrahamo* restituit, ita loquitur: *Etsi naturâ ferus ac barbarus, tamen significat ... & adulterii crimen sibi esse cavendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si Barbarus jus novit naturæ... Ita major lex naturæ, quàm legum præscriptio est*. Fortè etiam dici posset, *S. Ambrosium* œconomiæ gratiâ Polygamiam adulterii nomine sugillasse, ut efficaciùs Cathecumenos coram quibus loquebatur, a pellicatu absterreret. Nec mirum videri si paulò vehementio hac in re fuerit, quando de tertiis nuptiis, quas divinâ ac naturali Lege semper licitas fuisse constat, *S. Basilius* Epistolâ 1. ad *Amphilochium*, cap.4. dixerit, eas *Polygamiam* appellari, seu potius *castigatam fornicationem*. Abrahamum nihilominus a peccato absolvit *S. Ambrosius*, non quòd actio ipsa a quibusvis præcisa circunstantiis seu divinæ dispensationis, seu inculpatæ consuetudinis originem ex eâ ducentis, seu Legis Polygamiam postea permittentis, peccatum non esset; sed quòd disponente Deo ob mysterium, *Abrahamus* conjugium cum Ancillâ contraxerit. *Duabus usi sumus defensionibus* [inquit S. Ambrosius] *Tertia quoque est quam nobis Apostoli Pauli tribuit auctoritas, qui ait; Illa quæ gessit Abraham ut de Ancillâ susciperet sobolem, in figuram facta sunt, & secundum allegoriam dicta. Allegoria est cùm aliud geritur & aliud figuratur; sicut etiam „ ipse Apostolus docet dicens*: Sub Lege volentes „ esse. Legem non legistis? Scriptum est enim: „ Quoniam Abraham duos filios habuerit, unum „ de ancillâ, & unum de liberâ: sed is quidem „ qui de ancillâ, secundùm carnem natus est: „ qui autem de liberâ, per repromissionem: „ Quæ sunt per allegoriam dicta. Nam hæc sunt „ duo Testamenta: unum quidem a Monte Sinâ in „ servitutem generans, quæ est Agar, *duos populos ostendens de Abrahæ generatione manare: unum Judæorum, qui Legis syllabis serviat; eo quòd de ancillâ in servitutem videatur esse generatus: alterum Christianum, qui ad remissionem peccatorum cœlestis gratiæ libertatem acceperit. Quod ergo putas esse peccatum, advertis esse mysterium, quo ea quæ posterioribus erant futura temporibus revelabantur... Agnoscamus ergo quoniam hæc quæ in figuram contingebant, illis crimini non erant; nobis autem erunt, si ad correptionem nostram scripta cavere nolimus*. Excusari autem nullâ ratione posset *Abraham* a crimine pellicatûs & adulterii, nisi *Agarem* in uxorem accepisset; quod facere non potuisset absque flagitio, nisi licita tunc temporis fuisset Polygamia. Obji-

Objicies, Polygamiam naturæ juri primæque Matrimonii institutioni repugnare, adeoque non minùs in Patriarchis, quàm in *Lamecho*, improbandam atque damnandam.

Respondetur, Naturæ quidem juri repugnare Polygamiam quantùm ad appendices quasdam, non quantùm ad prima principia spectato; repugnare etiam minus præcipuis Matrimonii finibus, non fini primario. Lex, inquam, naturæ secundùm prima principia considerata Polygamiam non prohibet. Quod enim hac ratione vetitum est, sic per se & ab intrinseco malum est, ut nusquam honestum evadere possit, licitumve fieri, ne Deo quidem dispensante; neque Lege ullâ scriptâ primaria illa naturalis Legis præcepta a Deo aboleri, aut suspendi possint: At Polygamiam honestam fuisse liquet ac licitam Lege Mosaica; & *Davidem fecisse rectum in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi* (3. Regum 15.) & nihilominus plures habuisse uxores. Constat etiam *Abraham* & *Jacob* Patriarchas sanctissimos, & a Spiritu Sancto commendatos, Legem naturalem non ignorasse, neque toto vitæ suæ tempore in eam peccasse. Cùm itaque plures uxores habuerint, colligimus cum ipsis a Deo Legis naturalis auctore fuisse dispensatum, ut plures ducerent. Et sanè cùm suam in *Ismaelem* beneficentiam Deus explicaverit, quia filius erat *Abram*; Genes. 21. *Sed & filium Ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est*: Nec verisimile videatur Deum adulterinæ proli ob parentem gratificari voluisse, colligitur Deum *Abrami* cum *Agare* Matrimonium approbasse, & conciliante *Sarâ* conjunxisse. Primarium porro Matrimonii finem assecuti sunt Patriarchæ Polygami, scilicet procreationem & educationem prolis, tùm vir unus multis mulieribus fœcundandis, earumque liberis alendis, instituendisque sufficiat. Quòd si ab eâ perfectione quâ Matrimonium primò institutum est, ejusque minùs præcipuis finibus, quales sunt pacifica domûs & familiæ gubernatio, aliquatenus defecerint, hi defectus majori bono compensati sunt, propagatione scilicet humani generis & populi fidelis, nec non divini cultûs & Religionis, magnorumque mysteriorum significatione.

Quod diximus de divinâ dispensatione Patriarchis concessâ ut plures uxores ducerent, ceu commentum quispiam sugillabit, rogans, Ubi id scriptum habeatur? Verùm illi respondebimus, Dispensationem illam a Patribus probabiliter colligi ex Sanctorum Patriarcharum exemplis a Deo non improbatis; & ex eo quòd causa, propter quam tempore Legis Mosaicæ permissa est Polygamia, longè fuerit urgentior ante Legem. Cæterùm quemadmodum Lex Matrimonii ante *Mosis* ætatem literis consignata non erat, sed in hominum duntaxat animis impressa: ita dispensationem in eâ Lege non scripto expressam testatamque esse oportuit; sed interiori monitu, instinctu, atque inspiratione tradi primùm alicui conveniens fuit, *Noacho* puta, aut *Abrahamo*: tum eorum traditione, aliorumque piorum hominum exemplo & consuetudine comprobatam, pro re honestâ & licitâ vulgò habitam fuisse.

# DISSERTATIO V.

## De Raptu, & Prophetiâ Henochi.

### PROPOSITIO I.

*Henoch mortuus non est, ut Rabbini quidam asserere non dubitarunt, sed a Deo translatus vivit: Quo in loco, incertum.*

ID liquidò colligitur ex *Genesis* cap. 5. vers. 22. & 23. *Et ambulavit Henoch cum Deo.... Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* Quæ verba, *tulit eum Deus*, ibi mortem significare Scripturæ sacræ Phrasi, *Abenezra*, *Hiscuni*, aliique Rabbini a *Manasse Ben-Israel*, Lib. *De Fragilitate Humanâ*, Sectione 12. Art. 7. laudati, perperam contendunt. Quamvis enim aliquando in Scripturis hoc loquendi modo mors significetur, ut 3. *Regum* 19. vers. 4. ubi *Elias* ait: *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam; neque enim melior sum quàm Patres mei*. Et *Psalmo* 48. vers. 16. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me*, & *Job*. 32. vers. 22. *Nescio enim quàm diu subsistam, & si post modicum tollat me Factor meus*: Aliàs tamen assumptionem seu translationem viventis in statum cælestem significat, ut 4. *Regum* 2. vers. 9. ubi *Elias ad Elisæum* dixit: *Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te*, & vers. 10. *Si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti*. Hoc porro sensu intelligendum locum illum Geneseos de Henocho, *Et non apparuit, quia tulit eum Deus*; multa probant.

Primò, si *Moses* ablationem *Henochi* per mortem, non per assumptionem ad se cum corpore & animâ intellexisset, non mutasset loquendi modum. Cur enim de aliorum Patriarcharum obitu loquens eadem verba non usurpat, sed ista, *& mortuus est*? Id autem de *Henoch* non ait, sed; *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*? Hæc sanè orationis mutatio diversum modum ablationis ex hoc Mundo significat.

Secundò, si mortem significarent verba illa *Mosis*, putidæ tautologiæ vitium in ejus oratione occurreret. Sensus enim esset; *Non apparuit*, id est, mortuus est, *quia tulit cum Deus*, id est, quia per mortem eum rapuit; sive mortuus est, quia mortuus est.

Tertiò, translatio *Enochi* narratur ut eximiæ pietatis ejus merces: *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. At pietas non est causa mortis, sed potiùs longævitatis, vel immortalitatis: de morte itaque non sunt intelligenda verba illa Mosis, sed de viventis translatione.

Quartò, Apostolus in Epistolâ ad *Hebræos*, cap. 11. vers. 5. sic *Mosem* interpretatur: *Fide*, inquit, *Henoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus*.

Quintò, sic interpretatur Chaldaica Paraphrasis Onkelosi locum illum Geneseos: *Et ambulavit Enoch in timore Dei*, inquit, *& non comparuit; nec etiam occidit eum Deus*. Eundem sensum reddit Versio 70. Interpretum: *Et placuit Enoch Deo; & non inveniebatur, quia transtulit eum Deus*. Eundem reddit Versio Samaritana; *Ambulavit autem Henoch cum Deo, & non apparuit, quia assumpsit eum Deus*.

Sextò, idem confirmant veteres Patres: *S. Ire-*

*næus* Libro 5. adversùs Hæreses, cap. 5. *Enoch*, inquit, *placens Deo, in quo placuit corpore translatus est, translationem Justorum præmonstrans. Et Elias, sicut erat in plasmatis substantiâ, assumptus est, assumptionem Patrum prophetans; & nihil impedit eos corpus in translatione & assumptione eorum. Per illas enim manus, per quas in initio plasmati sunt; per ipsas & assumptionem & translationem acceperunt. Assuetæ enim erant in Adam manus Dei coaptare, & tenere, & bajulare suum plasma, & ferre & ponere ubi ipsæ vellent.*

*Tertullianus* Libro *De Animâ*, cap. 1. *Translatus est*, inquit, *Enoch & Elias; nec mors eorum reperta est: dilata scilicet. Cæterùm morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant.* Et Libro de Resurrectione Carnis: *Quod hodie Henoch & Elias nondum Resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; quâ tantùm de orbe translati, & hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni injuriâ & contumeliâ immunitatem carnis edifcunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi quia credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?*

*S. Hieronymus* Epistolâ 61. ad Pammachium, adversùs errores Joannis Hierosolymitani: *Enoch*, inquit, *translatus est in carne: Elias carneus raptus est in cælum; necdum mortui, & Paradisi jam coloni, habent quoque membra cum quibus rapti sunt atque translati. Quod nos imitamur jejunio, illi possident Dei consortio. Vescuntur cœlesti pane, & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum.* Et Libro 1. contra Jovinianum: *Si autem*, inquit, *transfertur Enoch, & servatur in diluvio Noë; non reor idcirco translatum Enoch, quòd uxorem habuerit; sed quòd primus invocaverit Deum, & crediderit in Salvatorem: de quo Apostolus in Epistolâ ad Hebræos plenissimè docet.* Hîc tamen obiter observandum *S. Hieronymum* memoriâ lapsum esse, nisi vox illa *primus*, ab aliquo sciolo intrusa sit. Non enim de *Enoch*, sed de *Enos* filio *Seth* ait Scriptura, quòd primus Deum invocaverit: *Genesis* 4. vers. 25. *Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos: Iste cœpit invocare nomen Domini.*

*S. Augustinus* Libro 2. *De Peccato Originali* contra Cœlestium, cap. 23. *Heliam & Henoch*, inquit, *non dubitamus in quibus nati sunt corporibus vivere.* Et Libro 1. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, cap. 3. *Si enim Deus Israëlitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quòd per tot annos non sunt obtrita, quid nimirum si obedienti homini ejusdem potentiâ præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum quo sine defectu esset annosum, tempore quo Deus vellet a mortalitate ad immortalitatem sine mediâ morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur: Sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt; fuisse concessam. Neque enim Enoch & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt: nec tamen eos credo jam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in Resurrectione promittitur, quæ in Domino prima processit: nisi quia illi fortasse nec his cibis egent qui sui consumptione reficiunt; sed ex quo translati sunt, ita vivunt ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ & ex collyride panis sine cibo vixit: aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim, quantùm existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem; & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.*

Et Libro 9. *De Genesi ad literam*, cap. 6. *Neque enim arbitrandum est*, inquit, *Eliam vel sic esse jam sicut erunt Sancti, quando peracto operis die denarium pariter accepturi sunt: vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex istâ vitâ nondum emigrarunt, de quâ ille tamen non morte, sed translatione migravit. Jam itaque aliud melius habet, quàm in hac vitâ posset: quamvis nondum habeat quod ex hac vitâ rectè gestâ in fine habiturus est: Pro nobis enim meliora providerunt, ne sine nobis perficerentur. Aut si quisquam putat hoc Eliam mereri non potuisse, si duxisset uxorem, filiosque procreasset (Creditur enim non habuisse, quia hoc Scriptura non dixit, quamvis & de Celibatu ejus nihil dixerit) quid de Henoch respondebit, qui filiis genitis Deo placens, non mortuus, sed vivus translatus est? Cur ergo & Adam & Eva, si justè viventes castè filios procreassent, non eis possent translatione, non morte, succedentibus cedere? Nam si Henoch & Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, & quod tandiu dilatum est, morituri; Nunc tamen in aliâ vitâ sunt, ubi ante Resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt: Quantò justiùs atque probabiliùs primis illis hominibus præstaretur sine ullo suo parentumve peccato viventibus, ut in meliorem aliquem statum filiis genitis cederent, unde seculo finito, omni posteritate Sanctorum in angelicam formam, non per carnis mortem, sed per Dei virtutem, non multò feliciùs mutarentur?*

*Theodoretus* Interrogatione 45. in Genesim, ubi quærit, *Quem in locum Deus omnium transtulit Enoch?* Respondet: *Non inquirenda sunt quæ silentio sunt tradita, sed veneranda quæ scripta sunt. Ego verò puto Deum omnium hoc fecisse ad consolandos virtutis Athletas. Cùm enim Abel primus justitiæ fructus, immaturus adhuc radicitùs abscissus esset, & nondum Resurrectionis spes homines consolaretur, transtulit omnium Deus ipsum Enoch sibi gratissimum, eumque sejunxit a mortalium vitâ, ut quicunque piè vivere statuerit, ita ratiocinetur, utpote ratione præditus: Cùm Deus omnium, qui justus est & justè gubernat universa, Enoch honore prosecutus sit, eum Abel quoque ornamento carere non permissurum. Hac de causâ illum quidem occidi permisit, Enoch autem transtulit, ut hujus prædicatione futuram indicaret Resurrectionem. Qui enim in hac vitâ virtutis remunerationem non fuerit adeptus, illam in alterâ vitâ certò consequetur.*

*S. Joannes Chrysostomus* in hujus Quæstionis explicationem ante *Theodoretum* incubuit Homiliâ 21. in Genesim. *Vide*, inquit, *boni Dei excellentem clementiam. Nam quia invenit aliquem qui potuit peccatum Adæ revocare: monstrando re ipsâ quia non volens mortem humano generi inferre propter mandati transgressionem, cùm eum, qui mandatum acceperat, condemnaverit, nunc viventem Justum transfert.* Et placuit, *inquit*, Enoch Deo, non inventus est; eo quòd transtulit illum Deus. *Vides sapientiam Domini? Viventem transtulit, non immortalitatem largitus est, ne peccandi metum enervaret, sed morti in humanum genus suum jus reliquit. Propter hoc iterum obscurè, ut ita dicam, & latenter revocare vult sententiam, quam contra Adam protulit, sed manifestum hoc non facit, ut timor illius emendationi serviat. Et idcirco Enoch cùm sibi multùm placeret, transtulit. Jam si quis curiosiùs rogare velit, & dicere: Et quò ipsum transtulit? Et num usque ad præsens vixerit? Discat non convenire humanis cogitationibus obsequi, & curiosiùs ea quæ a Deo fiunt, explorare, sed credere his*

quæ

*quæ dicuntur. Nam quando Deus aliquid pronunciat, dictis ipsius contradicendum non est, sed fide digniora habenda sunt quæ a Deo pronunciantur; quàm quæ oculis nostris subjecta sunt. Enimvero Scriptura dixit, quòd transtulit illum, & quòd viventem transtulit, nec mortem expertus sit; sed ob suum, quem apud Deum habebat favorem, superior factus sit divinâ sententiâ contra humanum genus prolatâ. Quò autem illum transtulerit, & quomodo nunc agat, hoc non adjecit. Vidisti bonitatem Domini, quomodo inventum virum qui virtutem operatus est, non fraudavit dignitate, quam primigenæ homini ante mandati transgressionem largitus erat: docens nos, quòd & illum ... dæmonis deceptionem pluris fecisset quàm traditum mandatum, eodem vel majori honore dignatus fuisset.*

Addo coronidis loco meditationem *S. Thomæ* in Capitis 11. Epistolæ *S. Pauli* ad Hebræos, vers. 5. *Mors duorum dilata est*, inquit, *Henoch & Eliæ. Et ratio est, quia doctrina Veteris Testamenti ordinatur ad promissa Novi Testamenti, in quo spes nobis vitæ æternæ promittitur*, *Matth.* 4. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum. *Et ideo datâ sententiâ mortis, voluit Dominus homines ducere in spem vitæ: quod fecit in Patribus utriusque status, scilicet Naturæ, Legis, & Gratiæ. Unde in primo statu dedit spem evadendi necessitatem mortis in Henoch; in Lege autem, in Eliâ: in tempore Gratiæ, in Christo, per quem datur nobis effectus hujus promissionis. Sed duo primi morientur per Antichristum: Christus autem semel mortuus, a mortuis resurgens, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

Objicies, hæc verba Geneseos cap. 5. vers. 23. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni*, planè significare mortuum esse *Henochum*. Si enim adhuc viveret, dies ejus fuissent non tantùm trecenti sexaginta quinque anni, sed essent ultra quinque millia annorum. Id confirmant Syriaca & Arabica Versiones. Prima enim sic habet: *Et placuit Henoch Deo, & esse desiit, quia sumpsit eum Deus*. Altera verò sic: *Cùmque ambulasset Henoch in obedientiâ Dei, defunctus est, assumpsitque eum ad se.*

Respondetur, tempus duntaxat quo *Henoch*, in hominum societate versatus est, & in eodem statu mortalitatis vixit, quo cæteri, non verò integrum vitæ ipsius curriculum numerari. Ex hominum enim societate & conversatione subductus, quia nescitur ubi sit, quid agat, & quomodò vivat, similiter se habet quantùm ad hominum notitiam, ac si mortuus fuisset. Unde tempus omne post ejus translationem silentio involvitur a *Moyse*. Syriacæ Versionis sensus idem est ac 70. Interpretum, & Vulgatæ nostræ. Hæc enim verba: *Et esse desiit*, idem significant, ac *Non inveniebatur*; vel, *Non apparuit*, inter homines scilicet; esse desiit in hominum societate; esse desiit in terris, in quibus mortales habitant. Versio verò Arabica a *R. Saadia* circa annum Christi nongentesimum adornata, a verbis & phrasibus Hebræis interdum longiùs recedit, & ingenium suum, Judaicum scilicet, sequitur Interpres, ut Viri Eruditi observarunt. Quod si usquam præstitit, in hoc maximè, quem tractamus, Geneseos loco, præstitisse compertum est, cùm ex ipsâ *Mosis* oratione, tum ex Versione 70. Interpretum, & Onkelosi Paraphrasi Chaldaicâ, tum ex *S. Paulo* optimo sanè *Mosis* interprete, & Arabicæ Versionis Auctori anteponendo.

Objicies, exploratam esse veritatem, *Henoch* translatum esse in Paradisum terrestrem, ex quo Adam ejectus est. Habetur enim *Ecclesiastici* cap. 44. vers. 17. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*. Hanc etiam opinionem Patres confirmant. 1. Auctor Quæstionum ad Orthodoxos *S. Justino* Martyri adscriptarum, Quæstione 85. ubi eos omnes, quos Evangelium cum Christo surrexisse, & multis apparuisse refert, socios *Enoch* & *Eliæ* in Paradiso esse asserit. *Quam ob causam*, inquit, *resuscitati illi denuo mortem non oppetiere, sed in immortalitate manent, sicut Enoch & Elias, cum quibus in Paradiso sunt, restitutionem sempiternam, quâ omnes immutabimur, expectantes.*

*S. Irenæus* Libro 5. adversùs Hæreses, cap. 5. de *Henochi* & *Eliæ* translatione loquens: *Ubi ergo*, inquit, *primus positus est Homo, scilicet in Paradiso, quemadmodum Scriptura dicit:* Et plantavit Deus Paradisum in Eden contra Orientem, & posuit ibi hominem quem plasmavit: *& inde projectus in hunc Mundum non obediens. Quapropter dicunt Presbyteri qui sunt Apostolorum Discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse. Justis enim hominibus & Spiritum habentibus, præparatus est Paradisus, in quem & Paulus Apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles, quantùm ad nos in præsenti: & ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem, coauspicantes incorruptelam.*

*S. Athanasius* in Epistolâ De Synodi Nicænæ contra Arianam Hæresim Decretis. *Adam*, inquit, *anticipans gratiam, & statim ubi natus esset in Paradiso collocatus, nihil quicquam differentiæ habuit ab Henoch: qui post tempora nativitatis suæ, cùm Deo placuisset, in Paradisum translatus est: neque item quicquam diversum ab Apostolo, qui post facta sua raptus est in Paradisum: imò ne ab eo quidem qui Latro fuerat, cui ob confessionem promissum est, ipsum statim in Paradiso futurum.*

*S. Isidorus* Libro *De Vitâ & Obitu Sanctorum*, cap. 3. asserit *Henoch* meruisse in eum locum transferri, unde fuerat Protoplastus exclusus, scilicet in æqualem habitationem beatæ vitæ.

*S. Thomas* 1. P. Q. 102. A. 2. ad 3. *Henoch* & *Eliam* nunc *in Paradiso habitare* docet; idemque repetit 3. P. Q. 49. A. 5. ad 2. *Enoch*, inquit, *raptus est ad Paradisum terrestrem, ubi cum Eliâ simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi.*

Respondetur, Incertum esse quem in locum rapti sint *Henoch* & *Elias*, & ubi degant, ut *S. Joannes Chrysostomus*, & *Theodoretus* locis supra laudatis profitentur ac declarant. *S. Augustinus* istam de loco, in quo *Henoch* & *Elias* versantur, Quæstionem in illarum censu reponendam ait, de quibus salvâ fide Catholicâ aliter & aliter opinari licet. Libro 2. *De Peccato Originali*, cap. 23. *Longè aliter*, inquit, *se habent Quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quàm sunt illæ, in quibus salvâ fide quâ Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur; aut aliter quàm est, humanâ & infirmâ suspicione conjicitur. Veluti cùm quæritur qualis vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere; cùm tamen esse illum Paradisum Fides Christiana non dubitet. Vel cùm quæritur, ubi sit nunc Elias vel Henoch: an ibi, an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus vivere. Vel cùm quæritur, Utrùm in corpore, an extra corpus in tertium cælum sit raptus Apostolus? Quanquam sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod se ille cui hoc præstitum est, salvâ utique fide, nescire testatur. Vel, Quot sunt cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat? Vel, Utrùm elementa mundi hujus conspicabilis quatuor an plura sint? Quid faciat Solem Lunamque deficere his defectibus quos prædicere Astrologi certâ temporum dinumeratione consueverunt*, &c. *Quis enim non sentiat in his atque hu-*

*hujusmodi variis & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari salvâ Christianâ Fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine.*

*S. Gregorius Magnus* Homiliâ 29. in Evangelia, scribit, *Eliam* in cœlum aëreum sublevatum esse, *ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magnâ jam carnis & spiritûs quiete viveret, quousque ad finem Mundi redeat, & mortis debitum solvat.* Idemque de *Henoch* sensisse credendus est, non verò in Paradisum terrestrem translatum. Imò de illius raptu ibidem mentionem faciens, translatum quidem ait, sed de loco silet, in quem translatus est, ut de re utique incertâ. *Sicut autem Joseph a fratribus venditus*, inquit, *venditionem Redemptoris nostri figuravit: sic Enoch translatus, atque ad cælum aëreum Elias sublevatus, Ascensionem Dominicam designavit. Ascensionis ergo suæ Dominus præuncios & testes habuit, unum ante Legem, alium sub Lege: ut quandoque veniret ipse, qui veraciter cælos penetrare potuisset. Unde & ipse ordo in eorum quoque utrorumque sublevatione per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias verò ad cælum subvectus esse memoratur: ut veniret postmodum qui nec translatus, nec subvectus, cælum æthereum suâ virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, quia carnis suæ quoque munditiam largiretur, & sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret, in ipsâ quoque eorum translatione qui Ascensionem Dominicam ut videlicet famuli designaverunt, & in se ipso qui ad cælum ascendit, Dominus ostendit. Nam Enoch quidem uxorem & filios habuit: Elias verò neque uxorem, neque filios legitur habuisse. Pensate ergo quomodo per incrementa temporum creverit munditia sanctitatis; quod & per translatos famulos, & per ascendentis Domini personam patenter ostenditur. Translatus namque est Henoch & per coitum genitus, & per coitum generans. Raptus est Elias per coitum genitus, sed non jam per coitum generans. Assumptus verò est Dominus neque per coitum genitus, neque per coitum generans.* Si certum habuisset *S. Gregorius* Henoch in Paradisum terrestrem fuisse translatum, id sanè eo in loco indicasset, occasione tam opportunâ.

Cæterorum Patrum testimonia non cogunt ut *Enoch* in Paradisum terrestrem translatum esse fateamur. Nam Auctor Quæstionum ad Orthodoxos non est *Sanctus Justinus*; & quod ibi asserit, eos qui cum Christo surrexere, esse in Paradiso terrestri, nec divinâ visione frui, erroneum est. *S. Irenæus* ab iis Presbyteris se accepisse, ait, eos qui translati sunt, in Paradisum terrestrem esse translatos, a quibus alibi se accepisse significat millenariorum errorem. *S. Athanasius* in eumdem Paradisum raptum etiam Apostolum, ac de eodem etiam intelligi hæc verba Christi ad Latronem, *Hodie mecum eris in Paradiso* innuit, quod minùs probabile esse, nemo non videt. Librum *De Vitâ & Obitu Sanctorum*, inter *S. Isidori* Opera editum ejus venerando nomini suppositum censet Cardinalis *Baronius* non spernendis argumentis ad annum octingentesimum decimumsextum, & in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem primam Maji, vigesimam quintam Julii, & vigesimam-quintam Augusti. Denique ista Quæstio ex earum numero est, in quibus cùm Patres varias in sententias abierint, licet cuique illam amplecti, quæ Scripturæ Sacræ aut rectæ rationi magis congruere visa fuerit. Nam ut scitè ait Vincentius Lirinensis: *Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinæ Legis quæstiunculis, sed solùm in Fidei regulâ magno nobis studio & investiganda est, & sequenda.* At Scripturæ Sacræ convenientiùs asseritur Paradisum terrestrem diluvio, quod terram universam vastavit, eversum ac deletum fuisse, adeòque illic non degere *Enoch* & *Eliam*.

*S. Thomæ* probabile quidem visum est *Henoch* & *Eliam* in Paradiso terrestri habitare, & id in Responsionibus ad argumenta dixit, Quæstione istâ ex professo non discussâ, sed istud ut certum & inconcussum dogma non asseruit. Quamobrem Propositioni nostræ non adversatur.

Nec *Ecclesiastici* locus in objectione laudatus probat *Henoch* in Paradisum terrestrem, ex quo ejectus est Adamus, esse translatum, etiamsi legamus, prout habet Vulgata Versio, *& translatus est in Paradisum*, non autem prout habent Græci Codices, *καὶ μετετέθη & translatus est*, absque ullâ Paradisi mentione. Nam Paradisum terrestrem, in quo positus fuit *Adamus*, hîc intelligere minimè necesse est, sed locum aliquem amœnissimum, in quo cum magnâ tranquillitate & jucunditate carnis & spiritûs, Deo ipsum mirabiliter conservante vivit, & usque ad seculi consummationem victurus est cum *Eliâ*, altero fœlicis æternitatis candidato. Hoc enim interdum esse vocis Paradisi significatum, constat ex cap. 13. *Genes.* vers. 10. ubi regio universa Jordanis irrigata fuisse dicitur, *Sicut Paradisus Domini*, antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham. Et Canticis Canticorum, ubi dicitur: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Quocirca, *Rupertus* Abbas Lib. 3. Commentar. in *Genesim*, cap. 33. ait, quòd *Nusquam Scriptura dat intelligi, quòd Henoch & Eliam Deus tulerit in ipsum Paradisum, ubi comederent de ligno vitæ, & viverent in æternum; sed ita sublati sunt, ut in secretam quamdam regionem terræ ducerentur, ubi in magnâ carnis & spiritûs quiete viverent, quousque ad finem Mundi redeant & mortis debitum solvant.*

---

## PROPOSITIO II.

*Quamvis Henoch Propheta fuerit, & suæ Ætatis hominibus ultimum Judicium vaticinatus sit, Librum tamen Henoch a Veteribus quibusdam Patribus laudatum, velut Apocryphum consultiùs alii rejecerunt.*

Henochum de futuro Christi Domini ad judicandos homines adventu prophetasse, certum est ex Epistolâ Canonicâ *S. Judæ* Apostoli v. 14. & 15. *Prophetavit autem*, inquit, *& de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.*

Hanc prophetiam ex Libro Canonico expressam veteres aliquot Patres censuerunt, *Justinus Martyr*, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, & quotquot fere Angelorum seu Dæmonum cum filiabus hominum commixtionem, ex quâ gigantes procreati sint, propugnarunt. Insignis est eâ de re *Tertulliani* locus Libro 1. *De cultu feminarum*, cap. 3. *Scio*, inquit, *Scripturam Henoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Judaicum admittitur. Opinor non putaverunt illam ante Cataclysmum editam, post eum casum orbis omnium rerum abolitorem, salvam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Henoch fuisse super-*

*superstitem cataclysmi Noë, qui utique domestico nomi.e & hæreditariâ traditione audierat & meminerat de Proavi sui penes Deum gratiâ, & de omnibus prædicatis ejus: cùm Henoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandaverit, quàm ut eorum notitiam posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse, vel quia & aliàs non tacuisset, tam de Dei Conservatoris sui dispositione, quàm de ipsâ Domûs suæ gloriâ. Hoc si non tam expeditè haberet, illud quoque assertionem Scripturæ illius tueretur. Perinde potuit abolefactam eam violentiâ cataclysmi, in spiritu rursus reformare. Quemadmodum & Hierosolymis Babyloniâ expugnatione deletis, omne instrumentum Judaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum. Sed cùm Henoch eâdem Scripturâ etiam de Domino prædicarit, a nobis quidem nihil omnino rejiciendum est quod pertineat ad nos. Et legimus omnem Scripturam ædificationi habilem divinitùs inspirari. A Judæis potest jam videri propterea rejecta, sicut & cætera fere quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc, si Scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eò accedit, quòd Henoch apud Judam Apostolum testimonium possidet.*

Testamentum quoque 12. Patriarcharum, ab *Origene* Homiliâ 15. in Josue, & *Procopio Gazeo* Commentar. in cap.28. *Genesis* laudatum, Librum *Henoch Justi* non semel a veteribus illis Patriarchis ad suorum vaticiniorum confirmationem prolatum commemorat. Libri *Henoch* fragmentum *De Egregoris*, id est, de Angelis feminarum amatoribus, quos hoc nomine indigitat, *Vigiles* significante, Chronographiæ suæ inseruit *Georgius Syncellus* ad annum Mundi millesimum, & ad annum bismillesimum ducentesimum quadragesimum tertium, pag.2. & 24. Regiæ Editionis. Idem inseruit, *Josephus Scaliger* Notis suis ad Græca *Eusebii*, idemque repræsentat *Athanasius Kircherius* in *Oedipo Ægyptiaco*.

Plurium libellorum *Enochi* meminit *Origenes*, Homiliâ 27. in Librum *Numerorum*, sed eos omnes nullius auctoritatis esse significat. *Videtis*, inquit, *quibus vel quorum appellationibus vocabulisque distincta, & nomina non solùm plagarum cæli, sed etiam omnium stellarum siderumque signata. Qui enim fecit multitudinem stellarum [ ut ait Propheta ] omnibus eis nomina vocat. De quibus quidem nominibus plurima in libellis qui appellantur Enoch secreta continentur & arcana, sed quia libelli ipsi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi, interim nunc ea quæ ibi nominantur ad exemplum vocare differamus.*

Et Libro 5. contra *Celsum*, Librum *Enochi* haud magnæ auctoritatis esse in Ecclesiâ respondet. *Quanquam*, inquit, *hic valde confusè Calumniator loquitur in hac disquisitione de Angelis missis ad homines, ut qui obscurè inaudivit nescio quid ex Enochi literis, quas nec legisse videtur, nec scire, quòd non magna sit earum auctoritas in Ecclesiis: unde fortasse illud sumptum est sexagenos & septuagenos descendisse, eosque malos redditos.*

*S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Judâ* Apostolo fratre Jacobi: *Parvam quidem* ( inquit ) *quæ de septem Catholicis est, Epistolam reliqui; & quia de Libro Enochi, qui apocryphus est, in eâ assumit testimonium, a plerisque rejicitur, &c.* Et in Epistolæ ad *Titum* cap.1. *Qui autem putant*, inquit, *totum Librum debere sequi eum qui libri usus sit versiculo, videntur mihi & apocryphum Enochi, de quo & Apostolus Judas in Epistolâ suâ testimonium posuit, inter Ecclesiæ Scripturas recipere.*

*S. Augustinus* Librum *Enoch* ut apocryphum pariter rejecit, Libro 15. *De Civitate Dei*, cap.23. *Omittamus igitur*, inquit, *earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quòd earum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissimâ & notissimâ successione pervenit. In his autem apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cùm hoc in Epistolâ Canonicâ Judas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo Canone Scripturarum, qui servabatur in Templo Hebræi populi succedentium diligentiâ Sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrùm hæc essent quæ ille scripsisset, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè servasse. Unde illa quæ sub ejus nomine proferuntur, & continent istas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines Patres, rectè a prudentibus judicantur non ipsius esse credenda; sicut multa sub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab Hæreticis proferuntur, quæ omnia nomine Apocryphorum ab auctoritate Canonicâ diligenti examinatione remota sunt.*

Et Libro 18. cap.38. *Quid Enoch septimus ab Adam, nonne etiam in Canonicâ Epistolâ Apostoli Judæ prophetasse prædicatur? Quorum scripta ut apud Judæos, & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam quæ ipsorum esse dicantur ab eis, qui pro suo sensu passim, quod volunt, credunt. Sed ea castitas Canonis non recepit, non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quòd ista non credantur ipsorum.*

Quin & multò probabiliùs negatur *Enochum* Prophetiam suam scripto tradidisse. Nam primò id *S. Judas* Apostolus non testatur, qui simpliciter *prophetasse* ait, non verò Prophetiam scriptis consignasse. Secundò, cùm antiquissimus fuerit *Enochus*, si quam is Prophetiam scripto mandasset, verisimile est posteriores sacros Scriptores, *Mosem* nimirum vel Prophetas, alicubi mentionem ejus facturos fuisse. Tertiò, Prophetiam illam suo Canoni Judæi inseruissent. Quartò, suavis Dei providentia ipsam perire non permisisset. Quintò, *Moysem* primum literarum Auctorem, & alphabetariæ scripturæ inventorem extitisse, eamque tradidisse Judæis, a quibus Phœnices, ut a Phœnicibus Græci acceperint, colligitur ex Ethnicis ipsis Scriptoribus, *Eupolemo*, *Alexandro Polyhistore* & *Artapano*, quorum testimonia exhibet *Eusebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.26. & 27. Idem colligitur ex *Sanchuniatone*, qui *Taauti* seu *Toyti* nomine *Mosen* indigitat, quem Græci *Hermen* seu *Mercurium* appellarunt, ut testatur *Philo Byblius* apud *Eusebium* Lib.1. Præparationis Evangelicæ cap.9. Sed & *Socrates* apud *Platonem* in *Philebo* & in *Phædro*, literas a *Theut* homine Ægyptio, quem alii *Taautum* vocarunt, inventas fuisse testatur. *Taauti* verò nomine *Moses* designatur, ut aliàs diligentiùs probabitur. At si ante *Mosen* literæ non fuerunt, *Henoch* Prophetiam suam literis non consignavit. Sextò, *Georgius Syncellus*, ubi fragmentum Libri *Enoch* descripsit, quod postmodum etiam præstitit *Scaliger*, librum illum Apocryphum esse observat. *Et hæc quidem*, inquit, *ex primo Libro Enoch de Egregoris; quibus sanè Apocryphis animo simpliciores certam fidem adhibere non decet; supervacanea quippe & ab Ecclesiasticâ Traditione aliena continent, & a Judæis ac Hæreticis adulterata constat. Quamvis Beatus Paulus Apocryphorum dictis nonnunquam fuerit usus: ut cùm in primâ, quam scripsit ad Corinthios Epi-*

*stolâ*

*Solâ dicit* : Oculus non vidit, nec auris audivit: nec in cor hominis ascendit, *&c. Quæ quidem ex Elia desumpsit Apocryphis. Et rursum in eâ quæ est ad Galatas, ex Mosis Revelatione hæc habet* : Neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed nova creatura. *Et in eâ quæ est ad Ephesios, & Apocryphis Jeremiæ adscriptis* : Excitare qui dormis & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. *Hæc a nobis dicta, non quò illa legendi per nos facultas concedatur: ne fiat, ô Deus! plures namque fide illis præter rationem exhibitâ non modicum reportarunt damnum. Hæc de causâ Sancta Dei Ecclesia, & Dei plenorum Spiritu Patrum nostrorum cœtus, illis æquè ac Sacræ Scripturæ adhærere prohibuit.*

Denique Fragmentum illud, ex quo de reliquo Libro conjecturam facere licet, homine Dei, Patriarchâ, & Prophetâ divinitùs afflato prorsus indignum est, utpote erroribus nugisque scatens, & plura νοθείας præ se fert indicia. Primò, Angelos *Egregoros* vocat præter Scripturarum consuetudinem. Unus notatur locus *Danielis*, cap. 4. vers. 10. ubi textus habet: *Videbam in visione capitis mei super stratum meum, & ecce Vigil & Sanctus de cælo descendit*. Chaldaicè *Ir*, Græcè Ἐγρήγορος, Latinè Vigil, hic pro Angelo usurpatur. Quamvis τὸ εἴρ 70. Interpretes retinuerint. Verisimile ergo est *Egregori* vocem ab hujus libri Auctore ad imitationem *Danielis* usurpatam. Secundò, *Egregoros*, id est, Angelos amore mulierum flagrasse, & cum ipsis nefariè commixtos fabulatur. Tertiò, narrat *Egregoros* vocasse Montem *Hermon*, in quo jurarunt, & se invicem anathemate constrinxerunt, se videlicet a fide mutuò datâ non recessuros; & Monti illi maledictionem impactam, quòd nunquam inde recessura essent frigus, nix, gelu; ros nunquam in eum descensurus. Si de Monte *Hermon* qui ad fines Terræ Sanctæ Orientem & Aquilonem versùs pertinebat, sermo sit, eum rore irrigari certum est ex Psalmo 132. vers. 3. *Sicut ros Hermon qui descendit in Montem Sion*. Est & alius Mons *Hermon* oppositus Montibus *Gelboë*. Hic perpetuis nivibus rigere fertur propter maledictionem *Davidis* II. *Regum* cap. I. vers. 21. non propter *Egregorum* conjurationem & flagitia. Quanquam probabilius sit, Montem illum *Hermon* ob altitudinem quidem, non ob ullam maledictionem naturaliter plerumque nivibus tegi: & *Tostatus* homines se vidisse testetur, qui retulerint se in Montibus *Gelboe* pluviâ perfusos. Quartò, barbara & ignota Angelorum nomina, *Semixa*, *Atarkuph*, *Orammama*, *Sapsich*, *Pharmari*, *&c.* Scriptorem sacrum non redolent. Quintò, trium generum partus Angelis scortatoribus supponit, *Gigantes*, *Nephilim*, & *Eliud*. At *Moses* non distinxit *Gigantes* & *Nephilim*; Sed quos ille *Nephilim* vocat, Græci reddidere *Gigantes*. Sextò, *Exaelem* unum ex infamibus illis Angelis homines docuisse ait armorum omnis generis fabricam, artesque conformandi metalla in varios usus. At *Moses* id *Tubalcaino* tribuit, non *Exaeli*, aut alteri Angelo. Septimò, illorum ducem *Semiaxam* iras Animæ docuisse ait; quasi verò ante fictitium illum *Semiaxæ* descensum homines ad iram & odium proni non fuerint, & *Cain* ex impotenti iræ, odii, & invidiæ affectu fratrem non occiderit. Octavò, tempus consummationis rerum omnium audaciùs definit. Jubetur enim *Michael* alligare *Semiaxan* & asseclas ejus in septuaginta generationes in abditis terræ locis, usque ad diem consummationis rerum omnium: Quibus significat, post septuaginta generationes a commixtione Angelorum cum filiabus hominum Mundo finem impositum iri. Nonò, judicium in Gigantes tale decretum ait, ut Spiritus mali vocentur super terram, in quâ futura sit eorum habitatio funesta, sine cibo & potu, aliisque vitæ adminiculis; Spiritus resurrecturos cum filiis hominum & mulierum, qui processerunt ab eis. Post Gigantum verò cædem, *Nephilim* habitare super terram, eamque corrumpere usque ad judicium magnum & finem seculi. Quæ omnia probant Librum illum ab homine divinitùs inspirato scriptum non fuisse, sed a nugaci quodam & impio Cabbalistâ, vel priorum seculorum Heretico. Non est itaque verisimile, *Judam* Apostolum ex eo Libro protulisse Prophetiam *Enoch*, sed ex Traditione, vel revelatione & afflatu divino.

Ad *Pseudo-Enochi* librum, & contentam in eo de *Egregoris* fabulam *S. Hilarius* respexit Commentario in Psalmum 132. ubi ea verba exponens: *Sicut ros Hermon, qui descendit in Montem Sion*; hæc habet: *Hermon autem Mons est in Phœnice, cujus interpretatio Anathema est. Quod enim nobis Anathema nuncupatur, id Hebraicè Hermon dicitur. Fertur autem id, de quo etiam nescio cujus liber extat, quòd Angeli concupiscentes filias hominum, cùm de cælo descenderent, in hunc Montem maximè convenirent excelsum, sed hæc prætermittimus. Quæ enim libro Legis non continentur, ea nec nosse debemus. Commemorata autem ob id tantùm sunt, quòd nos de hoc Monte Dei per Prophetam professio commonebat. Certè hodie gentes Montem hunc profanâ religione venerantur; & interpretationem nominis sui, quod est Anathema, ipsâ illâ impiæ superstitionis sede testantur.*

# DISSERTATIO VI.

## De Cibo Antediluviano.

### PROPOSITIO UNICA.

*Carnium esum Antediluvianis hominibus insuetum, etsi plerique Patres asserant, a Deo tamen prohibitum fuisse, ex Scripturâ sacrâ certò colligi non potest.*

PRima Pars Propositionis ex Patrum illorum testimoniis jam proferendis approbabitur, scilicet *S. Joannis Chrysostomi*, *S. Hieronymi*, *Theodoreti*, quos secutus est *S. Thomas*: *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia 27. in Genesim, expendens illa verba capitis noni, vers. 3. *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: Quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis*: ait: *Hìc est initium edendarum carnium, non ut ipsas ad ventris ingluviem paret & instruat, sed quia ex ipsis Noë erat sacrificaturus, & Deo gratias acturus, ut ne videamur quasi a consecratis abstinere; idcircò edendi facultatem concedit, & valde securos reddit: Quasi olera herbarum dedi vobis omnia.*

*S. Hieronymus* Libro I. adversùs *Jovinianum*, ait, *Quomodo repudium, juxta eloquium Salvatoris, ab initio non dabatur, sed propter duritiam cordis nostri per Moysen humano generi concessum est, sic & esum carnium usque ad diluvium ignotum fuisse: post diluvium verò quasi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus nostris nervos & virulentias carnis ingestas*. Et Libro 2. *Qui jejunus in Paradiso virgo fuerat, satur in terrâ matrimonio copulatur: & tamen ejectus, non protinus accepit licentiam carnium vescendarum, sed tantùm poma arborum, & fruges segetum, & olera herbarum ei traduntur in cibum: ut exul quoque*

*quæ Paradisi, non carnibus quæ in Paradiso non erant, sed similitudine frugum Paradisi vesceretur.*

*Theodoretus*, Interrogatione 39. in Genesim, illam *Theodori* sententiam approbare videtur: *Nemo existimare potest, Deum animalia jugulari præcepisse, quando nondum esus carnium erat permissus hominibus.* Et Interrogatione 55. *Mox ubi creasset hominem, dedit illi terræ fructus, jubens illum vesci fructu seminum & arborum: post Diluvium autem majores illi delicias munificè largitur, jubens occidere & comedere volatilia, & natatilia, & terrestria animalia, affectum affectu repellens, & leviori curans graviorem. Prævidens enim Deus homines in extremam dementiam lapsos hæc omnia pro Diis habituros, permisit illorum esum, ut impietatem illam cohiberet. Summa enim est insania adorare quod comeditur. Propterea verò animalia quædam immunda dixit, alia verò munda: ut illa quidem tanquam immunda exhorrentes, non deificent; hæc verò quæ comeduntur, non adorent.*

*S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæst.102. Art.6. in Responsione ad secundum, hanc obiter attingens Quæstionem: *Dicendum*, inquit, *quòd esus plantarum, & aliorum terra nascentium fuit apud homines etiam ante diluvium: sed esus carnium videtur esse post diluvium introductus. Dicitur enim Gen.9.* Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem. *Et hoc ideò, quia esus terræ nascentium magis pertinet ad quamdam simplicitatem vitæ; esus autem carnium ad quasdam delicias & curiositatem vivendi. Sponte enim terra herbam germinat, vel cùm modico studio hujusmodi terræ nascentia in magnâ copiâ procurantur.*

Altera Pars Propositionis ex eo probatur, quòd in cibariâ Lege homini ab initio traditâ, solus esus fructûs scientiæ boni & mali vetitus legatur. *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem*
Gen. 2. v. 16. 17. *scientiæ boni & mali ne comedas.* Quòd si carnium esum prohibere Deus voluisset, cur expressis verbis eo pariter non interdixisset? Assignavit quidem Dominus herbas & arborum fructus in cibum tam hominibus quàm omni animantium ge-
Gen. 1. v. 29. neri his verbis: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: & cunctis animantibus terræ omnique volucri cœli, & universis quæ moventur in terrâ, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum:* Sed hic nulla prohibitio est, cùm nulla prohibitiva aut exclusiva particula in eâ designatione ponatur; sed declaretur quis futurus esset cibus homini conveniens, salubris, parabilis, ad tuendam vitam sufficiens, sine alterius exclusione. Deinde, si hæc cibi designatio cujuscunque alterius prohibitionem includat, cùm hæc non solos homines, sed jumenta etiam & volucres spectet, omneque animalium genus, consequens erit Deum Legem posuisse animalibus plerisque & volucribus, ipsorum naturæ contrariam; vel naturam condidisse Legi, quam positurus erat, repugnantem. Leones enim, lupi, corvi, canes, vultures, aliaque id genus animalia carnivora, alio cibo ante & post diluvium usa fuisse haud probabile est. Ut enim scitè ait *S. Thomas* I. P. Quæst.96. Art.1. ad secundum, *Per peccatum hominis natura animalium non est mutata, ut quibus nunc naturale est comedere aliorum animalium carnes, tunc vixissent de herbis, sicut leones & falcones.* Sicut ergo cibum illum ita brutis assignavit Deus, ut tamen alium non prohibuerit eorum naturæ congruentem & salubrem: ita & de homine, ad quem Lex illa primariò pertinet, dicendum est. Frustra verè quis dixerit, permissum non fuisse ante diluvium esum carnium, siquidem primùm permissus legitur post diluvium, *Genes.* cap.9. vers.3. *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Hoc ipso enim quòd nullo præcepto prohibitus intelligitur ante diluvium, permissus intelligitur carnium esus. Nam, ut ait Apostolus Rom.4. 15. *Ubi non est Lex, nec prævaricatio.* Tacitè, inquam, permissus fuit ante diluvium, post diluvium autem apertè, ut eâ indulgentiâ Deus optimus hominum indulgentiæ subveniret. Cùm enim ob terræ sterilitatem minus esset succi & virtutis in oleribus & fructibus ad fovendam mortalium vitam, & infirmior esset humanorum corporum habitudo, ut contractior hominum vita demonstrat, carnes veluti congruentem vulgaremque cibum providentissimus Deus ipsis designavit.

Sanè non impios duntaxat, sed justos ante diluvium eâ licentiâ usos verisimile est, primò ut naturale dominium in animalia exercerent, & comprobarent, ea mactando, & eorum carnibus utendo. Ad dominium enim pertinebat ut iis quæ comedi poterant, & quorum carnes erant humano corpori sustentando convenientes & salubres, uti possent, ut probat ratio *S. Thomæ* I. P. Quæst.96. Art.1. *Sicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum: nam materia est propter formam, & forma imperfectior propter perfectiorem: ita etiam est in usu rerum naturalium. Nam imperfectiora cedunt in usum perfectorum. Plantæ enim utuntur terrâ ad sui nutrimentum, animalia verò plantis, & homines plantis & animalibus: Unde naturaliter homo dominatur animalibus. Et propter hoc Philosophus dicit, Quòd venatio sylvestrium animalium est justa & naturalis, quia per eam homo vindicat sibi quod est naturaliter suum.* In Polit. c.5.

Secundò, *Fecit Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos:* & hujusmodi pellibus filii ac nepotes *Adami* vestiti sunt, donec lanificium, & ars textoria inventæ essent. Si verò mactarunt pecudes, ut ex earum pellibus vestes sibi aptarent, an credibile est quòd earum carnes saluberrimas, quos Deus creavit ut perciperentur cum gratiarum actione, proindeque non rejiciendas, volucribus ac feris projicerent?

Tertiò, *Fuit Abel Pastor ovium*, aliique Antediluviani Patriarchæ greges aluerunt & curarunt. Cur verò tanta ovium, aliarumque pecudum ad humani substentationem corporis congruarum cura, si nusquam illarum carnibus vescerentur? Lac certè ovium comedere poterant, quamvis Deus lac ipsis in cibum expressè non designasset: quidni ergo & carnes? Si quidem eas e numero ciborum humanorum non magis excluserat quàm lac.

Quartò, Sacrificia Deo ex animalibus offerebant, non holocausta duntaxat in quibus victimæ totæ igne consumebantur, sed & propitiatoria, & pacifica, in quibus victimarum partem in usum offerentium cessisse, credere par est, ea præsertim ratione quam affert *S. Chrysostomus*, & quæ non minùs Antediluvianos homines spectat, quàm eos qui post diluvium vixerunt: *Ne viderentur quasi a consecratis abstinere.*

Quintò, Mundorum & immundorum animalium discrimen ante diluvium notum erat ac usitatum. Dixit enim Deus ad *Noë*, Gen.7. vers.2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & feminam.* Et vers.8. *De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod movetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noë in Arcam.* Quod etsi κατὰ πρόληψιν dictum videri possit ad eos, quibus nota Lex erat; Munda tamen convenientiùs intelliguntur appellata, quorum frequens & quoti-

tidianus erat usus in alimentis & Sacrificiis; immunda verò, quæ hominum victus naturaliter defugit, quæ profana dixit *Tacitus* Histor. Lib.6. Divina enim inspiratio, quæ Patriarchas docuit usum Sacrificiorum, ea potiùs animantia Deo in Sacrificium offerenda dictavit, quæ pro optimis & præstantissimis haberent, adeòque non tam ea quæ in victu aversantur homines, quàm ea quibus ad alimentum utuntur. Eo respectu munda & immunda animantia *Noacho* dicta esse, confirmat *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 24. in Genesim. *Unde*, inquit, *sciebat Justus, quænam pura, vel impura? Nondum enim erat distinctio hæc facta, quam postea Moses Judæis in Legibus suis statuit. Unde ergo sciebat? A se ipso, & ab insitâ naturæ suæ doctrinâ, quam & ratio dictavit. Nihil enim immundum ex iis quæ Deus fecit. Quo pacto enim immundam vocaremus ullam creaturam, quæ semel supernè a Conditore approbata? Dixit enim divina* „ *Scriptura:* Quia vidit Deus omnia quæcunque „ fecit, & ecce bona valde. *Sed postea natura a se ipsâ ita dijudicavit. Et quod hoc sit verum, considera quomodo in nonnullis locis ab aliquibus abstinent aliqui ut immundis & non probatis, aliqui illis ipsis vescuntur, consuetudine se ad hoc inducente: sic & tunc quoque erat. Ipsa scientia Justo insita, docebat quænam ad cibum accommoda, & quæ immunda: non quòd ita sint, sed quòd pro immundis habeantur. Quâ enim de causâ, dic oro, asinum immundum censemus, quamvis seminibus tantùm pascatur; alia autem quadrupedia cibo convenientia putemus, etiamsi immundo alimento pascantur? Ita scientia a Deo nobis suppeditata horum est doctrix.*

Sextò si animalia mactare ad esum nefas fuisset, iis multiplicatis maximum extitisset periculum vastationis segetum, præcipuè ab animalibus ferocibus & rapacibus. His rationibus, haud fanè pœnitendis adducor in opinionem virorum ex ordine Dominicano doctissimorum, *Cajetani*, *Francisci Victoria*, *Dominici Soto*, necnon *Saliani* & *Pererii* eruditorum Societatis Jesu Theologorum, asserentium carnium esum ante Diluvium licitum fuisse, potiùs quàm in sententiam *Nicolai de Lyrâ*, *Tostati*, & *Dionysii Carthusiani*, negantium permissum fuisse ac usitatum.

## DISSERTATIO VII.

### DE FILIIS DEI CUM FILIABUS Hominum commixtis; & de Gigantibus Antediluvianis ex illâ copulâ genitis.

---

#### PROPOSITIO I.

*Veterum Patrum plurimi Angelos mulierum specie captos, stupri cum iis consuetudinem habuisse senserunt, & ex nefando illo concubitu ortos gigantes: sed hunc errorem & Scripturæ sacræ, & aliorum Patrum convenientiùs cum eâ sentientium Auctoritas refellit.*

ERroris illius fundamentum posuerunt prisci illi Patres in verbis illis Geneseos cap.6. verf.1. & 2. *Cùmque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant... Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi.* Pro *Filiis Dei*, Codices quidam habebant, *Angeli Dei*, ut *Philo* legit in Libro De Gigantibus, & *Eusebius* Libro 5. *De Præparatione Evangelicâ*, cap.4. & *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap.23. Alii filios Dei Angelos interpretati sunt, ut *S. Chrysostomus* Homil.22. in Genesim, & *Theodoretus* Interrogat.47. observant. Ex Judæis *Philo* & *Josephus* asserere non dubitarunt, Angelos Dei se cum feminis miscuisse.

Inter Patres verò dux fuit illius opinionis *S. Justinus Martyr* Apologiâ 1. *Deus*, inquit, *qui Mundum universum fecit, & terrena subjecit hominibus, ac cælestia elementa ad incrementum fructuum, tempestatum vicissitudinibus ornavit, eamque divinam Legem instituit, quæ & ipsa hominum causâ molitus videtur; hominum rerumque cæterarum, quæ cælo subjecta sunt, providentiam Angelis, quos ei curationi præfecit, attribuit. Angeli porro hunc ordinem prætergressi, consuetudine mulierum capti sunt, ac filios genuerunt, quos Dæmones appellamus: Atque insuper humanum deinde genus sibi subjecerunt partim magicis scriptis; partim terroribus ac suppliciis, quæ inferebant: partim sacrificiorum, ac suffituum, & libaminum institutione; quibus indigere cœperunt, postquam cupiditatum perturbationibus tanquam servos se subjecerunt: atque in homines cædes, bella, adulteria, libidines, ac nequitiam omnem disseminarunt. Hinc & Poëtæ & Mythologi ignorantes Angelos, & Dæmones ab iis genitos in masculos, ac feminas, & civitates, ac gentes ita perpetrasse, quæ scriptis prodiderunt, ad Deum ipsum, eosque retulerunt, quos ex ejus, vel fratrum, ut appellabant, & utrorumque filiorum satu procreatos dixerunt, velut Neptuni & Plutonis. Singulos enim iis nominibus vocavere, quæ sibi quisque Angelorum ac filiis suis imposuit.*

*Athenagoras* in Legatione pro Christianis idem sentit: atque, Deum principem quemdam Angelum condidisse, cui materiæ & eorum quæ ex eâ constant, curam & principatum attribuit: eique subjecisse Angelos reliquos, qui singulorum curationi præessent. Jam verò ex iis omnibus Angelis alios in officio mansisse: & *quales a Deo conditi erant, voluntate suâ perseverasse, iis deditos & affixos muneribus, quæ Deus ipsis commiserat. Alii & concredita sibi naturæ ac substantiâ petulanter illuserunt, & imperio abusi sunt; tam ille materiæ & formis quæ insunt illi Præpositus, quàm alii, qui circa primum illud firmamentum versantur. Scitote verò*, inquit, *nihil eos temerè ac sine teste dicere: Sed quæ a Prophetis pronuntiata sunt, declarare. Atque illi quidem in cupiditatem prolapsi Virginum, & carnis illecebrâ superati sunt: iste autem neglectim se gerens, & in eorum, quæ commissa sibi erant, administratione improbè versatus est. Cæterum ex illis qui ad Virgines adhæserunt, nati sunt, quos gigantes appellarunt.*

In eâdem opinione fuit *Clemens Alexandrinus* Libro 2. *Pædagogi*, cap.2. *Horum*, inquit, *indicium tibi præbent Angeli, qui Dei pulchritudinem reliquerunt propter pulchritudinem quæ flaccescit, ac tantùm e cælo delapsi sunt in terram.* Et Libro 3. Stromatum: *Jam verò & Angeli quidam, intemperantiâ ducti, victi cupiditate huc e cælo deciderunt.* Et Libro 5. *Angeli illi, quibus superna sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enuntiarunt arcana mulieribus, & quæcumque ad eorum venerunt cognitionem, cæteris Angelis occultantibus, vel potiùs ad Domini adventum ea reservantibus.*

*Tertullianus* Libro *De Idololatriâ* cap.9. de Astrologiâ loquens, ait: *Angelos esse illos desertores Dei, amatores feminarum, proditores etiam hujus curiositatis, propterea quoque damnatos a Deo.* Et Libro *De cultu Feminarum*, cap.21. de mulieribus or-

ornamentis loquens, ait: *Nam & illi qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur: illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de cælo ruerunt; ut hæc quoque ignominia feminæ accedat. Nam cùm & materias quasdam benè occultas, & artes plerasque non benè revelatas seculo multò magis imperito prodidissent; (si quidem & metallorum opera nudaverant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgaverant, & omnem curiositatem, usque ad stellarum interpretationem designaverant) propriè, & quasi peculiariter instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt; lumina lapillorum, quibus monilia variantur; & circulos ex auro, quibus brachia arctantur: & medicamenta ex fuco, quibus genæ colorantur; & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur*. Et Libro *De Virginibus velandis*, cap.7. quamvis in illo loco Genesis, *Filios Dei* legat, Angelos tamen interpretatur: propter quos velanda mulierum capita dici ab Apostolo existimat. *Quos*, inquit, *legimus a Deo & cælo excidisse ob concupiscentiam feminarum.... Debet ergo adumbrari facies tam periculosa, quæ usque ad cælum scandala jaculata est, ut cum Deo assistens, cui reus est Angelorum exterminatorum*.

*S. Cyprianus* Libro *De Disciplinâ & Habitu Virginum*, eodem modo ac *Tertullianus* loquitur de fucis & ornamentis, quæ mulieres ab Angelis amatoribus suis didicerunt, *Quæ omnia*, inquit, *peccatores & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia devoluti, a cælesti vigore recesserunt. Illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt*.

*Minucius Felix*, in *Octavio*, eâdem se opinione imbutum ostendit. *Spiritus sunt insinceri*, inquit, *vagi, a cælesti vigore, terrenis labibus & cupiditatibus degravati; isti igitur Spiritus, posteaquam simplicitatem substantiæ suæ onusti & immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt jam perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati a Deo, inductis pravis religionibus a Deo segregare*.

*Lactantius* Libro 2. cap.14. eumdem errorem approbat, sicut & *Eusebius* Lib.5. *De Præparatione Evangelicâ*, cap.4. & *Methodius Oratione De Resurrectione*.

*S. Ambrosius*, Libro *De Noë & Arcâ*, cap.4. ait, *Gigantes ex Angelis & mulieribus generatos asserere divinæ Scripturæ Conditorem*. Et Libro 1. De Virginibus: *Quàm præclarum autem, Angelos propter intemperantiam suam in seculum cecidisse de cælo; Virginem propter castimoniam in Cælum transiisse de sæculo?*

At vetus ille error ex ipso Geneseos textu refellitur. Primò, dicit Moyses: *Cùm vidissent filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*. Quibus verbis delectus mulieris, matrimonium cum eâ ratum & stabile, & sponsio cohabitationis significantur. Hoc enim est ob elegantiam formæ eligere sibi uxorem, accipere sibi uxorem. At id Angelis competere nullo modo potest, qui nec pulchritudine mulierum capiuntur, nec ex iis uxores adoptant, ut constat ex Christi testimonio, *Matth.* 22. vers.30. *In Resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo*. Neque generationis actum exercere possunt, cùm sint carne & organicis partibus destituti, Spiritus enim passim in Scripturis appellantur. *Spiritus* autem *carnem & ossa non habet*, inquit Christus, *sicut me videtis habere*.

Secundò, postquam *Moyses* meminit imparis illius & nefarii inter filios Dei & filias hominum matrimonii, statim subjicit: *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum*. Qui infaustas illas nuptias contraxerunt, fuerunt ii cum quibus Deus Spiritum suum in æternum minimè permansurum declaravit: Atqui Deus non dixit, Spiritum suum non permansurum cum Angelis, sed cum homine, quia caro est, cui concessit annos centum & viginti intra quos pœnitentiam ejus exploraret.

Tertiò, ubi narravit tum matrimonium filiorum Dei & filiarum hominum, tum petulantiam gigantum, subdit: *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinsecùs delebo, inquit, hominem, quem creavi a facie terræ*. Si Filii Dei cum filiabus hominum commixti, erant Angeli, cur in homines indignatio divina exarsit, vindictaque incubuit? Cur octo duntaxat homines a diluvio servati? Solæ filiæ hominum peccaverant, cur ergo filii hominum criminis illius minimè conscii pœnas dedissent? Cur Deus exitio universos devovisset? Id certè divinæ justitiæ repugnat.

Accedit auctoritas Patrum Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ spectatissimorum, qui priscum illum errorem explodunt ac refellunt. In his *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 22. in Genesim, expendens hunc locum: *Ut viderunt filii Dei filias hominum, quòd pulchræ essent, sumpserunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant;* hæc habet: *Operæ pretium fuerit bene serutari hunc locum, ut subvertamus fabulas omnia inconsideratè loquentium. Et primùm dicenda ea quæ dicere audent, & monstratâ eorum quæ ab illis dicuntur absurditate, germanus quoque Scripturæ sensus vestræ caritati aperiendus est, ut ne simpliciter & facilè aures accommodetis tam blasphema dicentibus, & adversùm capita sua blaterare audientibus. Asserunt enim, quòd non de hominibus hoc dictum sit, sed de Angelis. Hos enim filios Dei appellavit. Primùm ostendant, ubi Angeli Filii Dei appellati sint: sed non poterunt usquam monstrare. Homines quidem Filii Dei dicti sunt, Angeli autem nunquam. Atqui de Angelis dicit:* Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis; *de hominibus autem:* Ego dixi, Dii estis. *Et iterum:* Filios genui, & exaltavi. *Et iterum:* Primogenitus meus filius meus Israël. *Angelus autem nusquam vocatus est filius, neque filius Dei. Caterùm quid dicunt? Profectò Angeli quidem erant, sed quia ad iniquum hoc opus descenderunt, dignitate suâ exciderunt. En iterum fabulosius aliud. Itaque nunc exciderunt, & hæc ruina illorum causa. Verùm Scriptura nos aliter docet, quòd antequam formaretur primigenius homo, a suâ dignitate exciderunt & diabolus, & qui cum eo majorem quàm decebat dignitatem ambiebant; sicut & Sapiens quidam inquit:* Invidiâ autem diaboli mors intravit in Mundum. *Dic*, Cap.2. 24.
*oro, mihi, si non ante factum hominem excidit, quomodo in tantâ dignitate manens invidit homini? Quomodo rationi consonum est, Angelum incorporeum, & in tali dignitate constitutum, homini invidere corpore circumamicto?... Manifestum est igitur, quòd & diabolus, & omnis ejus cohors olim a gloriâ illâ exciderunt, & ignominiosi facti erant. Alioquin etiam quantâ non dementiâ plenum fuerit, dicere Angelos dejectos, ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus? An non audis Dominum dicentem de Angelorum*
„ *substantiâ:* In Resurrectione enim neque ma- Matt. 22.
„ trimonium contrahunt, neque elocantur, sed 30.
„ sunt sicut Angeli Dei? *Neque enim possibile est*, Lucæ 20.
*in-* 35.

*incorpoream naturam talem unquam concupiscentiam habere. Ad hac etiam cogitare oportet, quòd hoc omnibus modis absurdissimum fuerit in animum inducere. Nam si Sancti & qui Spiritum Sanctum assecuti sunt, neque visionem Angelorum videre potuerunt: enim vero Vir desideriorum, conspectâ Angeli præsentiâ, non tamen substantiâ: Quo pacto enim videri posset incorporalis substantia? Sed transformatione solùm quadam vitâ, parum aberat quin & animam relinqueret defectis viribus; & tantus ac talis vir penè absque spiritu jacebat; quis etiam valde insanus comprobaret talia verba dementia plena, quòd incorporea & spiritalis natura corporis complexum ferret?* Tum Filios Dei, de quibus *Moses* loquitur *Sethi* filios interpretatur. *Priùs*, inquit, *docuimus vos morem esse Scripturæ, ut homines filios Dei vocet. Et quia isti a Setho originem trahebant, & ab ejus filio qui appellatus est Enos; dicit enim:* Iste speravit vocari nomine Domini Dei: *ab illo postea nati vocati sunt Filii Dei in divinis Scripturis, propterea quod eò usque parentum virtutem imitati sunt. Filios autem Cain, & qui ex eo nati, & qui ante Seth geniti fuerunt, filios hominum vocat.* — Daniel. 10.

*S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 2. *Glaphyrorum in Genesim*, absurdum esse probat credere Angelos mulierum cupiditate tangi potuisse ac ex iis sobolem procreasse, & utramque hujus loci lectionem referens, posteriorem respuit, quæ *Angelos Dei* habet: *Neque verò ignoramus*, inquit, *in quibusdam exemplaribus ita apertè legi:* Videntes autem Angeli Dei filias hominum. *Propterea detorquent quidam voluptuariæ hujus vitæ incusationem, adeòque turpium cupiditatum culpam in perditos Angelos conjiciunt, quia a principio suo desciverunt, sicut scriptum est.* Tum gravissimâ ratione hunc errorem refellit. *Quo pacto*, inquit, *non stultitiæ proximum sit dicere, Spiritus carne superiores, ab eâque semotos, carnalium amore tangi: qualem ad hoc naturalem motum habentes, aut quâ lege eos incitante, quemadmodum fere nos ipsos ad ejusmodi affectibus laborandum, aut aliis! Neque verò harum rerum culpâ dæmonum turbam liberamus. Impuri enim ac profani, atque in quodvis turpitudinis genus proclives sunt. Atqui laboret etiam, si placet, cum aliis voluptatibus quoque natura sua repugnantibus. Caterùm quando Divina Scriptura inquit, quòd congressi sunt cum mulieribus; illæ verò pepererunt vocatos gigantes, hoc est, ingentia monstra, caterùm homines rationis participes; quid de hoc ampliùs ambigere oportet? Neque enim a spiritibus longissimè a carne semotis fit in muliere hominis constitutio. Nugantur autem nonnulli, & vanis commentis rem involvunt, verisimilibus, ut arbitrantur, rationibus in quod impossibile est, pallitantes. Illapsos enim dæmones in malos ajunt, ac per ipsos semina immissa. Absurdam verò atque ignorantia plenam esse eorum sententiam facilè comperiemus. Nam quod Sacra Sciptura non testatur, quâ ratione admittemus, atque pro veris habebimus? Hanc igitur potiùs lectionem sequemur:* „ Videntes „ autem filii Dei filias hominum, quòd pulchræ „ essent, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas „ elegerant. *Facit autem ad hujus lectionis confirmationem aliorum etiam Interpretum translatio. Aquila enim inquit:* Videntes autem filii Deorum filias hominum. *Symmachus verò pro* filii Deorum, *transtulit*, filii Potentum: *Filios utique Deorum ac Potentum filios Seth atque Enos vocaverunt, ob eam quâ præditi erant sanctimoniam ac pietatem, quòdque omnes adversarios facilè superarent, opitulante ipsis Deo, sanctumque genus illustrante, quod nequaquam alteri immistum erat; hoc est, iis qui ex Cain orti erant, & Lamech, qui nimirum paternis vestigiis insistens, fuit homicida. Quandiu itaque sacrum genus absque ullo mali commercio vixit, pietatis erga Deum pulchritudo pura adhuc & sincera in ipsis fulgebat, admirabilesque eos faciebat: Postquam verò ad carnis desideria prolapsi, & mulierum formâ capti turpiter defecerunt* [ Acceperunt enim, *inquit*, uxores ex omnibus quas elegerant e filiabus hominum, *hoc est, ex progenie Cain*, ] *etiamsi Dii & Deorum filii, & Potentum vocarentur, ad eorum mores deinceps sese contulerunt, turpique ac profana vita sese tradiderunt. Et pepererunt quidem mulieres monstra, depravante nimirum deinceps Deo humanorum corporum pulchritudinem, ob eorum in meretricios appetitus intemperantiam.*

*Theodoretus* eundem errorem refellit Interrogatione 47. in *Genesim*, cujus titulus est: *Quosnam Moses vocavit filios Dei?* Ad quam sic respondet: *Quidam nimis stupidi & stolidi existimarunt eos Angelos esse, putantes sua forsan intemperantiæ patrocinium se habituros, si Angelos ejusdem criminis reos tenerent. Oportebat autem eos audisse Deum omnium ita dicentem:* Non permanebit Spi„ ritus meus in hominibus illis in æternum, quia „ carnes sunt. Erunt autem dies illorum centum „ viginti anni: *& inde perspicere, naturam incorpoream carnes non habere, neque Angelos vitam habere tempore definitam: immortales enim creati sunt. Et quæ sequuntur, sub eamdem sententiam* „ *cadunt.* Videns enim, *inquit*, Dominus Deus, „ quòd completæ essent nequitiæ hominum super „ terram, & quòd unusquisque omni tempore „ in corde suo intentus esset ad mala, pœnituit „ Deum quòd fecisset hominem super terram. Et „ dixit Deus: Delebo hominem quem feci, a fa„ cie terræ, ab homine usque ad pecus, & a re„ ptilibus usque ad volatilia cæli, quia pœni„ tet me quòd fecerim ipsos. *Et ipsi Noe dixit* „ *iterum:* Finis universæ carnis venit coram me. „ Quia repleta est terra iniquitate ipsorum, ec„ ce disperdo eos & terram. *Hæc utique omnia indicant homines esse qui vitam iniquam amplexi sunt. Quòd si Angeli filiabus hominum permixti essent, homines ab Angelis essent injuriâ affecti, quia vi horum filias corrupissent. Injuriam quoque passi essent a Deo creatore, eo quòd pro Angelis, qui libidinosi fuerant, ipsi puniti essent. Verùm hæc, ut arbitror, ne Pater quidem mendacii dicere auderet. Multis enim docuit sacra Scriptura, tum homines deliquisse, tum adversùs eos divinam sententiam esse latam. Caterùm plerique idcirco in ignorantiam incidunt, quòd Scripturam divinam oscitanter legant. Nam cùm narrasset Moses, quomodo Seth ex Adam natus esset, ex Seth autem Enos, subjunxit.* Ille speravit invoca„ re nomen Domini Dei. *Quod quidem Aquila* „ *interpretatus est sic:* Tunc cœptum est vocari nomine Domini. *Subindicat autem sermo ille, quòd propter pietatem primus hic divinam appellationem sortitus est, & a cognatis vocatus est Deus. Unde & qui ex eo nati sunt, vocati sunt* Filii Dei: *quemadmodum & nos quoque ex nomine Christi Domini nuncupamur Christiani. Quòd si quis hunc intellectum non recipit, propterea quod hæc interpretatio ab Aquilâ profecta est, Deum audiat dicentem per Prophetam David:* Ego dixi, Dii estis, & — Psalm. 81.
„ filii Excelsi omnes: *&*, Deus stetit in Syna„ gogâ Deorum, in medio autem Deos dijudicat. *Sic enim appellat Principes & Magistratus, ut se*„ *quentia declarant:* Quousque judicatis iniqui„ tatem, & facies peccatorum sumitis? Judicate „ orphano & egeno, humilem & pauperem ju„ stificate ... *Et iterum:* Deus Deorum locutus — Psal. 49.
„ est, & vocavit terram: *Illorum nempe, qui digni habiti sunt hac appellationis gratiâ. Sic & Legislator ait:* Diis non detrahes, & Principibus — Exod. 22.
populi tui non maledices. *Illi igitur etiam tanquam*

pii

*pii & boni*, *cognominati sunt filii Dei*. *Separatum enim erat genus Seth, & non permiscebatur cum cognatione Cain, propter illatam ab omnium Deo maledictionem. Multo autem post tempore [ nam post annos plus bis mille diluvium induxit Deus ] videntes filias cognationis Cain speciosas, & illectis, ut verisimile est, instrumentis Musicis ab eis excogitatis, (Jubal enim ex ipsis prognatus psalterium & citharam invenerat) permixti sunt illis, & contaminarunt suam nobilitatem: & eadem perpessi sunt, quæ Israëlitæ, qui Madianitarum filiabus permixti, & impetratis earum participes facti sunt, & divinam ultionem pertulerunt. De his divinus David inquit:* Per„ mixti sunt inter Gentes, & didicerunt ope„ ra eorum, & servierunt sculptilibus eorum. *Sic & hi qui ex Seth genus duxerunt, olim quidem, ut virtutum studiosi, vocabantur filii Dei: Verùm impurarum mulierum pulchritudine capti, confuderunt familias alioqui distinctas, & pro fructu hereditario commune exitium receperunt*. Idem argumentum tractat Libro 5. *Hæreticarum Fabularum*, cap.8. Eadem pene habet *Basilius Seleucensis* Oratione 6.

*Philastrius Brixiensis* Libro *De Hæresibus*, cap. 59. asperiori censurâ illam veterum quorundam Patrum erroneam opinionem perstringit, eam inter hæreses referens. *Alia est hæresis*, inquit, *quæ de gigantibus asserit, quod Angeli miscuerint se cum feminis ante Diluvium, & inde esse natos gigantes suspicantur.... Si quis autem putaverit Angelos ita peccasse transformatos in carne, aut in eâ remansisse, aut ita factos carnales crediderit, violentâ ratione decernit historiam, sicuti & Paganorum & Poetarum mendacia asserunt Deos Deasque transformatos nefanda conjugia commisisse. Quod si factum est aliquando, & nunc fieri non erit ambiguum: Quod autem non factum est aliquando, nec modò fieri manifestum est*.

*S. Augustinus*, Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 23. etsi temerè definire non audet, utrum Dæmones, quos vulgò incubos vocant, alii Silvanos, Panes, & Faunos, cum mulieribus rem habere possint; *Dei tamen Angelos Sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse affirmat*. Quare quos 70. Interpretes, & *Angelos*, & *Filios Dei* nuncupant; vel, ut alii Codices habent, solum *Filios Dei*, Aquila *Filios Deorum*, eos homines fuisse ex *Sethi* progenie non dubitat. *Potuerunt ergo*, inquit, *gigantes nasci, & priùs quàm filii Dei, & Angeli Dei dicti sunt, filiabus hominum, hoc est, secundùm hominem viventium miscerentur; filii scilicet Seth filiabus Cain..... Quod autem ait:* Et generabant sibi: *satis ostendit quòd priùs antequam sic caderent filii Dei, Deo generabant, non sibi, id est, non dominante libidine coeundi, sed serviente officio propagandi: non familiam fastûs sui, sed cives civitatis Dei: quibus annuntiarent tanquam Angeli Dei, ut ponerent in Deo spem suam, similes illius qui natus est de Seth, filius Resurrectionis, & speravit invocare nomen Domini Dei: in quâ spe essent cum suis posteris cohæredes æternorum bonorum, & sub Deo patre fratres filiorum. Non autem illos ita fuisse Angelos Dei, ut homines non essent, sicut quidam putant, sed homines proculdubio fuisse, Scriptura ipsa sine ullâ ambiguitate declarat. Cùm enim præmissum „ esset, quòd* Videntes Angeli Dei filias hominum, „ quia bonæ sunt, sumpserunt sibi uxores ex o„ mnibus quas elegerant: *mox adjunctum est;* Et „ dixit Dominus Deus: Non permanebit Spiritus „ meus in hominibus his in æternum, propter „ quòd caro sunt. *Spiritu quippe Dei facti fuerant Angeli Dei & filii Dei. Sed declinando ad inferiora, homines dicuntur nomine naturæ, non gratiæ; dicuntur & caro, desertores Spiritûs & deserendo deserti. Et Septuaginta quidem Interpretes & Angelos Dei dixerunt istos & filios Dei: quod quidem non omnes Codices habent; nam quidam, nisi filios Dei, non habent. Aquila autem, quem Interpretem Judæi cæteris anteponunt, non Angelos Dei, nec filios Dei, sed filios Deorum interpretatus est. Utrumque autem verum est. Nam & filii Dei erant, sub quo Patre suorum patrum etiam fratres erant; & filii Deorum, quoniam a Diis geniti erant, cum quibus & ipsi Dii erant, juxta illud Psalmi: Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes*.

Objici potest locus *S. Judæ* Apostoli in Epistolâ Canonicâ, vers. 6. ubi eis qui gratiâ Dei abutuntur ad lasciviam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Jesum Cristum negant, ut terrorem iis incutiat imminentis gravissimi supplicii, ante oculos statuit Angelorum prævaricatorum atrocem pœnam. *Angelos verò*, inquit, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Hìc loqui videtur Apostolus de illis filiis Dei, qui cœlo relicto in terras descenderunt, & filias hominum incestarunt. Neque verba hæc referri commodè posse ad primam prævaricationem creationem Angelorum proximè consequentem: tum quia post primam prævaricationem pulsi sunt cœlo: hìc autem sponte suâ cælum deseruerunt; tum quia de Angelis non quomodocunque prævaricatoribus, sed scortatoribus *S. Judam* loqui, videtur innuere versus sequens, in quo ei prævaricationi, ob quam Angeli ad judicium diei magnæ æternis vinculis sub caligine servantur, tanquam simile profert exemplum Sodomæ & Gomorrhæ: *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, facta sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes*. Hìc Sodomam & Gomorrham, & finitimas civitates scortatas esse asserit, & post carnem alienam ivisse *simili modo* ac illi, nempe Angeli, quorum mentio proximè facta est. Quæ si apta sit comparatio, sequitur etiam Angelos scortatos esse, & post carnem alienam ivisse. Id verò quandonam factum est, nisi cum illi *Filii Dei videntes filias hominum quòd essent pulchra, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant?*

Respondetur, his verbis *S. Judam* primum Angelorum lapsum, hominis ipsius lapsu antiquiorem descripsisse. Duo iis dat crimini. Primum, quòd non servaverint *Principatum* suum, seu originis suæ dignitatem, id est, quòd *in veritate non steterint*, ut loquitur Christus *Joannis* 8. 44. Hæc est autem prima ipsorum prævaricatio, secundùm quam diabolus dicitur *homicida ab initio*. Quam non servati principatus labem, & ab origine defectionem *S. Augustinus* his verbis explicat Libro 12. *De Civitate Dei*, cap. 1. *Dum alii constanter in communi omnibus bono, quod ipse illis Deus est, atque in ejus æternitate, veritate, caritate persistunt; alii suâ potestate potiùs delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt; & habentes elationis fastum pro excelsissimâ æternitate, vanitatis astutiam pro certissimâ veritate, studia partium pro individuâ caritate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt*. Alterum quod ipsis tribuit *S. Judas*, est quòd *domicilium suum dereliquerint*, id est, e cælo ceciderint. Quod ad primam pariter prævaricationem referendum est; post quam licèt cælo pulsi, nihilominus tamen sponte suum domicilium reliquerunt, quatenus propriâ voluntate a Deo defecerunt. Sic de *Caino* dicit Moses Gen. 4. 16. *Egressusque Cain a facie Domini habitavit profugus in terrâ ad orientalem plagam Eden:* quamvis a Deo pulsum in exilium esse constet.

Quod

Quod spectat exemplum Sodomæ & Gomorrhæ, quæ simili modo fornicatę, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes, referri potest ad impios illos homines, *Qui Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, solum Dominatorem & Dominum nostrum Jesum Christum negarunt*: Vel, si ad Angelos referatur, in eo solum stat comparatio, quòd sicut Israëlitæ idololatræ & increduli perditi sunt, & Angeli perduelles æternis pœnis servati, & Sodomitæ & Gomorrhæi post carnem alienam fornicati, æterni ignis pœnam sustinent, ita impii illi qui gratiâ Dei abutuntur ad lasciviam, pœnis æternis damnabuntur. Quanquam verbum *fornicari*, modò de corporali, modò de spirituali fornicatione, quæ defectio a Deo est, in Scripturis acceptum, patiatur, comparationem Angelorum cum Sodomitis & Gomorrhæis servatâ proportione institui. Sed prior sensus magis probatur, ut genericam dumtaxat comparationem tum scelerum, tum supplicìorum *S. Judas* instituerit, sicut *S. Petrus* Epist. II. cap. II. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. Et originali Mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium Mundo impiorum inducens. Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit: exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens: & justum Loth oppressum a nefandorum injuriâ ac luxuriosâ conversatione eripuit... Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos: magis autem eos qui post carnem in concupiscentiâ immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes: ubi Angeli fortitudine & virtute cùm sint majores, non portant adversùm se execrabile judicium.*

---

## PROPOSITIO II.

*Antediluvianos Gigantes Dæmones sub humanâ specie fuisse, absurdum commentum: Homines enim fuere, non robore solùm, feritate, violentiâ, aliisque vitiis insignes, sed insolenti staturâ & corporis proceritate ab hominibus reliquis distincti.*

GIgantes illos, Dæmones fuisse sub humanâ specie, sensit post Auctorem apocryphum Libri *Enoch*, & *S. Justinum* Martyrem *Paulus Burgensis*, ducto ab etymologiâ nominis argumento. *Nephilim* namque significat *cadentes*, a verbo *naphal*, *cadere*, quo notari dæmones colligit, qui e cælo ceciderunt, juxta illud *Isaiæ* cap. 14. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Et Lucæ 10. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Sed hæc sententia absurdissima est. Quomodo enim ex hominibus nasci dæmones potuerunt? Et quamvis filii Dei fuissent Angeli, quem errorem superiùs profligavimus, non sequeretur gigantes ex iis procreatos fuisse dæmones, quia jam ante fœdam illam filiorum Dei cum filiabus hominum commixtionem gigantes in terris grassati sunt, ut patet ex Hebraicâ Veritate, & Versione 70. Interpretum. Sic enim habet Textus Hebraicus ad verbum redditus: *Gigantes fuerunt in terrâ in diebus ipsis: Et etiam postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, & genuerunt ex eis. Isti potentes qui a seculo fuerunt viri nominis*. Sic verò 70. Interpretes, *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Et post illud, cùm intrarent filii Dei ad filias hominum; & generabant eis: Illi erant gigantes, a seculo homines nominati.* Ita Syriaca: *Et gigantes fuerunt in terrâ in diebus illis ac etiam imposterum: quoniam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, & genuerunt eis gigantes æternos, gigantes nominatissimos.* Ita Targum Onkelosi: *Gigantes erant in diebus illis: & etiam postquam ingressi sunt filii Principum ad filias hominum, & genuerunt ex eis. Ipsi sunt potentes a seculo viri nominis.* Ita Textus Samaritanus: *Gigantes autem erant in terra in diebus illis: atque etiam post hæc, cùm ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, genueruntque illis: hi potentes sunt a seculo viri nominis.* Ita demum Versio Arabica: *Erantque super terram gigantes in illis diebus, & post illos; quia filii Elohim ingressi sunt ad filias Cain, & genuerunt eis gigantes æternos, gigantes memorabiles.*

Neque verò nominis etymologia *Paulum Burgensem* juvat. Ut enim omittam quod R. *Abraham*, & R. *Aben-Ezra* inter Hebræos doctissimi annotarunt, Gigantes *Nephilim* Hebraicè nuncupatos, quasi *cadentes*, quòd cæteri homines insolentem corporis eorum proceritatem molemque cernentes, attoniti & timore perculsi ante illos caderent: vel quòd illi violenter irruerint in homines, eosque in terram prosternerent, ad quod videtur allusisse *Job* cap. 16. his verbis: *irruit in me quasi gigas*: vel quòd gigantes illi diluvio ceciderint, quò fortè referri posset illud *Job* cap. 26. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*: ut, inquam, hęc omittam, certum est nomen *Cadentium* non solùm Angelis, sed & hominibus convenire, qui a statu vel professione sanctitatis excidunt; vel a pietate majorum degeneres ad studia moresque impiorum delabuntur. Vox igitur *Nephilim* posteris illis *Seth* apprimè convenit, qui a majorum suorum vestigiis deflectentes, ad studia, instituta, mores, ac flagitia Cainitarum delapsi sunt. Certè Dæmones hac voce *Nephilim* non significari, vel id unum non levi argumento est, quòd Numerorum 13. ad significandos filios *Enach* usurpatur, vers. 34. ubi legimus: *Ibi vidimus monstra quędam filiorum Enach de genere giganteo.* Tandem cum ob gigantum illorum vitia Deus ipsos & universum hominum genus, *Noë* & ejus uxore, filiis & filiorum uxoribus exceptis, diluvio perdiderit, absurdum est ut illi Dœmones fuisse asserantur. Gigantum autem perdendorum causâ missum esse diluvium, constat ex Sapientiæ 14. cap. vers. 6. *Sed & ab initio cum perirent superbi gigantes, spe orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quę manu tuâ erat gubernata.* Et *Ecclesiastici* 16. vers. 8. *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti.* Itaque prisci illi gigantes Dœmones non erant.

Sed nec homines fuerunt staturæ vulgaris, robore duntaxat, morum feritate ac violentiâ notabiles, ut sensit *Philo Judęus* Libro *De Gigantibus*: cui opinioni e recentioribus adhæserunt *Temporarius*, & *Goropius Becanus* in Libro cui titulum fecit *Gigantomachia*. Verùm gigantes homines fuisse insolenti staturâ & corporis proceritate ab aliis distinctos, disertè probatur ex cap. 13. *Numer. vers.* 33. & 34. ubi exploratores a *Moyse* missi in Terram Chanaam, de Chananæis ita loquuntur: *Populus quem aspeximus procerâ staturâ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Ubi eadem vox *Nephilim* usurpata probat *Nephilim* seu Gigantes esse homines insolitæ proceritatis. Idque confirmatur ex *Deuteronomii* 3. vers. 2. ubi de Og Rege *Basan* dicitur: *Solus quippe Og Rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manûs.* De *Goliath* gigante Phi-

Philisteo dicitur etiam Libro 1. *Regum* capit. 18. vers. 4. *Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi*. De primis gigantibus dicitur *Baruch* 3. cap. vers. 26. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt staturâ magna, scientes bellum*.

Probatur secundò Propositio auctoritate S. *Augustini*, Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 23. *Verum hoc movet quosdam* inquit, *quòd ex illis qui dicti sunt Angeli Dei, & ex mulieribus quas amaverant, non quasi homines generis nostri, sed gigantes legimus esse natos. Quasi verò corpora hominum modum nostrum longè excedentia non etiam nostris temporibus nata sint. Nonne ante paucos annos cum Romanæ urbis, quòd a Gothis factum est, appropinquaret excidium, Romæ fuit femina cum suo patre & suâ matre, quæ corpore quodam modo giganteo longe cæteris præminerent? Ad quam videndam mirabilis fiebat usquequaque concursus. Et hoc erat maximè admirationi, quod ambo parentes ejus nec saltem tam longi homines erant, quàm longissimos videre consuevimus. Potuerunt ergo gigantes nasci, & prius quàm filii Dei, qui & Angeli Dei dicti sunt, filiabus hominum, hoc est, secundùm hominem viventium miscerentur, filii scilicet Seth filiabus Cain. Nam & Canonica Scriptura sic loquitur, in quo libro hæc legimus, cujus verba ista sunt;*

Gen. 6. „ Et factum est, postquam cœperunt homines „ multi fieri super terram, & filiæ natæ sunt illis: videntes autem Angeli Dei filias hominum, „ quia bonæ sunt, sumpserunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Et dixit Dominus Deus; „ Non permanebit Spiritus meus in hominibus „ his in æternum, propter quod caro sunt. Erunt „ autem dies eorum centum viginti anni. Gigantes autem erant super terram in diebus illis; & „ post illud cùm intrarent filii Dei ad filias hominum, & generabant sibi, illi erant gigantes a seculo homines nominati. *Hæc Libri verba divini satis indicant, jam illis diebus fuisse gigantes super terram, quando filii Dei acceperunt uxores filias hominum, cùm eas amarent bonas, id est, pulchras. Consuetudo quippe Scripturæ hujus est, etiam speciosos corpore bonos vocare. Sed & post* „ *quam hoc factum est, nati sunt gigantes. Sic* „ *enim ait*: Gigantes autem erant super terram „ in diebus illis; & post illud, cùm intrarent filii Dei ad filias hominum. *Ergo & ante in illis diebus, & post illud..... Igitur secundùm Scripturas Canonicas Hebræas atque Christianas, multos gigantes ante diluvium fuisse non dubium est, & hos fuisse cives terrigenæ societatis hominum; Dei autem filios, qui secundum carnem de Seth propagati sunt in hanc societatem desertâ justitiâ declinasse. Nec mirandum est, quòd etiam de ipsis gigantes nasci potuerunt. Neque enim omnes gigantes, sed magis multi utique tunc fuerunt, quàm post diluvium temporibus cæteris. Quos propterea creare placuit Creatori, ut etiam hinc ostenderetur, non solùm pulchritudines, verùm etiam & magnitudines & fortitudines corporum non magni pendendas esse Sapienti, qui spiritalibus atque immortalibus longè melioribus atque firmioribus & bonorum propriis, non bonorum malorumque communibus beatificatur*

Baruch. 3. 26. *bonis. Quam rem alius Propheta commendans ait*: * Ibi fuerunt Gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt staturosi, scientes prælium. Non „ hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit „ illis, & interierunt, quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter inconsiderantiam.

Eamdem sententiam approbat S. *Cyrillus Alexandrinus*, Lib. 2. Galphyrorum in Genesim. *Et pepererunt quidem*, inquit, *mulieres monstra, depravante nimirum deinceps Deo humanorum corporum pulchritudinem, ob eorum in meretricios appetitus intemperantiam. Pariebant autem gigantes, hoc est robustos atque agrestes, multâque deformitate laborantes, & corporum magnitudine alios superantes. Sciendum autem est, familiare esse sacræ Scripturæ eos qui ingenti robore præditi sunt, gigantes appellare. Atque ideo de Persis ac Medis per vocem Prophetæ ita ait*: * Gigantes veniunt ad implendam iram meam, gaudentes simul & contumeliâ afficientes. Isai. 13. 3. *Nullâ verò ratione Græcorum mendaciis fidem adhibeamus. Consueverunt enim eorum Sapientes, ac præcipuè Poetæ, pro suâ libidine rerum naturas comminisci, & quæ parva atque abjecta sunt extollere, & splendidis mendaciis ac verborum fuco ornare, etiamsi longè a veritate aberret oratio. Quorum quidem nonnulli totam Siciliam ab uno gigante in cælum projectam fabulantur. Alii verò de alio quodam multò crassius mentiuntur. Fuerunt enim quidam, ut dixi, horrido aspectu & immani robore præditi, rigidique atque horribiles, corporum etiam magnitudine alios excellentes, cæterùm nequaquam, ut illi fabulantur, vertice nubes ferientes.*

Idem confirmat *Theodoretus* Interrogatione 48. in Genesim, cujus hic titulus est: *Quos vocat Scriptura divina Gigantes?* Ad quam ita respondet; *Ajunt quidam eos esse qui multos annos vixerunt. Nonnulli verò dicunt esse Dei osores, & Dei adversarios homines. Qui hæc sic intellexerunt, non dicunt illos grandiora cæteris hominibus habuisse corpora. Ego cùm audio Scripturam divinam dicentem de Enach, quòd* a Gigantibus oriundus erat; *& de* „ *Og, quòd* Cubile ipsius ferreum erat, habens longitudinem novem cubitorum, & latitudinem quatuor cubitorum, & *quòd iste* reli„ quus factus est de Raphaim. *Item cùm audio* „ *exploratores narrantes, quòd* Eramus in con„ spectu eorum tanquam locustæ, *& Deum con*„ *firmantem hos sermones, & dicentem*, Tradi„ di tibi Amorrhæum, cujus altitudo erat tan„ quam cedri, & robustus erat ut quercus: „ *& de Goliath, quòd* Longitudinem habebat qua„ tuor cubitorum & palmi; *arbitror fuisse quosdam prægrandes homines: Deo hoc etiam sapienter dispensante, ut cognoscant Creatorem, non quòd infirmus esset, tantulam hominibus attribuisse mensuram: Perfacile enim erat ei etiam majores homines creare. Sed ut superbiæ tumorem reprimeret, & arrogantiam cohiberet, non dedisse hominibus maxima corpora. Nam si exiguis corporibus præditi non contra se modò, sed contra Deum Creatorem attolluntur, quid non commisissent, si maxima corpora sortiti essent?*

Denique *Goropio Becano*, in *Gigantomachiâ*, neganti ullos unquam fuisse Gigantes proceritate corporis communem hominum staturam multùm excedentes, opponimus *Josephum* Libro 5. Antiquitatum, cap. 2. scribentem: *Restabat etiam tum Gigantum genus, qui ob corporis magnitudinem ac figuras multùm aliis hominum dispares, stupendum erant spectaculum, & fama terribilis: Monstrantur in hunc diem eorum ossa, fidem vulgi excedentia.* Opponimus & aliarum Gentium Historias, in quibus id ipsum memoriæ proditum est. *Gabinius* in Mauritaniæ descriptione dicit, a *Sertorio* reperta *Antæi* ossa, quorum compages erant cubitorum sexaginta. *Phlegon Trallianus*, Mirabilium cap. 9. meminit effossi capitis Idæ, quod triplæ esset ad solitum modum quantitatis. Addit idem, in Dalmatiâ reperta corpora multa, quorum ulnæ sexdecim ulnas excederent. Narrat idem ex *Theopompo*, in Bosphoro Cimmerio repertam ossium humanorum compagem longam viginti quatuor cubitos. *Pausanias*, *Laconicis*, meminit ossium humanorum insolitæ magnitudinis, quæ in Templo

*Æscu-*

*Æsculapii* ad Asopum urbem ostendebantur: & in *Eliacorum* priore, ossis e mari educti, quod Pisæ custoditum, Pelopisque creditum fuerat. *Philostratus* in *Heroicorum* initio, multa gigantea corpora in Pallene detegi per imbres aut terræ motus. *Plinius* Libro 7. cap.16. *In Cretâ*, inquit, *terra motu rupto Monte inventum est corpus stans, quod alii Orionis, alii Ectionis fuisse tradunt. Orestis corpus Oraculi jussu refossum septem cubitorum fuisse monumentis traditur. Jam verò ante annos prope mille Vates ille Homerus non cessavit minora corpora mortalium quàm prisca conqueri*. Solinus cap.1. *Quis enim*, inquit, *non ævo isto minor parentibus suis nascitur? Priscorum autem testantur molem etiam Orestis suprema, cujus ossa Olympiade quinquagesimâ & octavâ Tegeæ inventa a Spartanis Oraculo monitis, discimus implesse longitudinem cubitorum septem. Scripta quoque quæ ex antiquitate memorias accersunt in fidem veri, hoc etiam receperunt, quòd bello Cretico cum elata flumina plùs quàm vi amnicâ terras rupissent, post discessum fluctuum inter plurima humi dissidia humanum corpus repertum sit cubitûm trium atque triginta: cujus inspectandi cupidine L. Flaccum Legatum, Metellum etiam ipsum impendio captos miraculo, quod auditu refutarant, oculis potitos*. Horum Auctorum relationibus fidem etiam conciliat *S. Augustini* testimonium Libro 15. *De Civitate Dei*, cap.9. *Sed de corporum magnitudine*, inquit, *plerumque incredulos nudata per vetustatem, sive per vim fluminum, variosque casus sepulcra convincunt, ubi apparuerunt vel unde eeciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum in Uticensi litore molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illum gigantis alicujus fuisse crediderim. Nam præter quod erant omnium multò majora quàm nostra tunc corpora, gigantes longè cæteris anteibant. Sicut aliis deinde nostrisque temporibus rara quidem, sed nunquam fermè defuerunt, quæ modum aliorum plurimùm excederent. Plinius Secundus doctissimus homo, quantò magis magisque præterit seculi excursus, minora corpora naturam ferre testatur. Quod etiam Homerum commemorat sæpe carmine fuisse conquestum, non hæc velut poetica figmenta deridens, sed in historicam fidem tanquam miraculorum naturalium Scriptor assumens. Verùm, ut dixi, antiquorum magnitudines corporum inventa plerumque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multò posterioribus seculis produnt*.

Lib. 7.

Homer. Iliad. lib. 5. & lib. 12.

## SCHOLION.

Extitisse olim Gigantes, & inusitatæ magnitudinis homines, pluribus probat vir inter Eruditos illustris Petrus Daniel Huetius Episcopus Abrincensis Lib.2. *Alnetanarum Quæstionum De Concordiâ Rationis & Fidei*, cap.12. §.3. *Testis est*, inquit, *vetus omnis recensque historia, ac ea etiam quæ fabulis adumbrata est, extitisse olim Gigantes & inusitatæ magnitudinis homines; cujusmodi fuerunt illi, quorum mentio habetur circa initia Geneseos, & quos Terram Israëlitis promissam suis temporibus tenuisse narrat Moses: Ogum puta Basanitarum Regem, & Enacim, & quos Moabitæ Emin, hoc est Terribiles: quosque Ammonitæ Zomzommin, hoc est, Inventores scelerum appellabant; quorum soboles ad Davidis tempora perseveravit, & quorum ossa visâ fuisse sua ætate Ebrone, quæ arx ipsorum præcipuâ fuit, perhibet Josephus. Nulla fere regio est, in quâ portenta hujus generis enata non ferantur. In Judæâ exortum Eleazarum quemdam septem cubitos altum, & ab Artabano ad Tiberium missum legimus apud Columellam & Josephum. Vasta proceritatis homines tulisse dicitur & Ægyptus, præter illum quinque cubitorum, quem a Banaiâ fuisse interfectum narrant libri Paralipomenon; illic enim Gigantes prodiisse Isidis temporibus, scriptum fuit in Annalibus Ægyptiorum. Quibus adde quæ de colossis gentis hujus disserit Herodotus. In Æthiopiâ ponuntur Syrbotæ a Plinio auctoritatem Cratetis secuto, octonos cubitos alti. Memoratur & Æthiopum Rex Ganges procerus decem cubitos. Superiori sæculo vir nobilis in Congiano Regno filios habuit complures Gigantibus pares*, &c.

Genes.6.4. Num. 13. 23. 34.

Lib.5. Antiq. cap. 2.

Colum. lib. 3. cap. 8.

Joseph. lib. 8. Antiq. cap. 6.

1. Paralip. 2. 23.

Herodot. lib. 2. cap. 130. 143. 153. 175. 176.

Plin. lib. 6. cap. 30. & lib. 7. cap. 2.

# DISSERTATIO VIII.

## DE ANNIS PATRIARCHARUM Antediluvianorum.

I. Eusebius *Pamphili* initio Chronici sui tres inter se comparat Codices in calculo annorum vitæ decem priorum Patriarcharum, qui ante diluvium vixerunt, quorum genealogia describitur cap.5. Geneseos, scilicet Hebræorum Codicem, Græcorum ex Versione 70. Interpretum, & Samaritanorum. Et id quidem cum rectè proposuerit, non tamen secutus est, uti queritur *Scaliger* in Animadversionibus Eusebianis. Ratio enim temporum *ab Adamo* ad diluvium, secundùm Hebræorum Codicem colligit annos mille sexcentos quinquaginta sex. Ipse autem numerat annos bis mille ducentos quadraginta duos, quæ est summa 70. Interpretum juxta Lectionem *Eusebii* tempore receptam. De *Eusebii* sententiâ judicium istud fert *Georgius Syncellus* in Ecloge Chronographiæ suæ. *Ab Adamo usque ad diluvium anni sunt bis mille ducenti quadraginta duo. Ita etiam Eusebius, & legitima ratio, & pleraque Exemplaria juxta Ꝯ 70. computationem. Africanus autem computavit annos bis mille ducentos sexaginta duos ex Exemplaribus quæ ita legebant, quibus tamen seduci non oportet*. Eusebii calculum probat, tum quia rationi, tum quia Chronologiæ 70. Seniorum consentaneus est. Rejicit verò *Julium Africanum*, qui summæ Eusebianæ addit annos viginti. Factum id in anno τῆς παιδογονίας *Mathusalem*. Is enim genuisse *Lamechum* dicitur anno ætatis centesimo sexagesimo-septimo, secundùm Codicem quem secutus est *Eusebius*; at anno centesimo octogesimo septimo juxta illum, quo usus est *Africanus*. Verùm *Julium Africanum* immeritò arguit, siquidem Lectio 70. Interpretum ab eo laudata longè incorruptior fuit & verior. Nam secundùm calculos *Eusebii* statuendum erit, *Mathusalem* post diluvium vixisse annos quatuordecim, cùm tamen disertè asserat *Moses* octo tantùm homines fuisse in Arcâ servatos. *Mathusalem* genuit *Lamechum* juxta lectionem Græcam, quam sequitur *Eusebius*, anno ætatis centesimo sexagesimo-septimo. Cùm verò vixerit annos nongentos sexaginta novem, consentientibus 70. Senioribus, & tamen ab ejus nativitate, juxta eosdem, usque ad diluvium numerentur anni tantùm nongenti quinquaginta quinque, superfunt anni quatuordecim, quos diluvio supervixerit. Sed hanc difficultatem tollit Codex, quo usus est *Julius Africanus*, in quo Mathusalæ generanti *Lamechum* tribuuntur anni centum & octoginta septem: quod cum Hebraico etiam Codice congruit. Juxta Codicem *Africani* summam bis mille ducentorum & sexaginta duorum annorum colligunt etiam Fasti Siculi Casauboni, S. Epiphanius in Panario, Honorius Augustodunensis, & Chronicon Nicephori Patriarchæ. Quin & tres illi Codi-

di-

dices Græci, quorum meminit *S. Augustinus* Libro 15. de Civitate Dei, cap. 13. nec non unus Latinus, & Syrus alter, ex Græco translati, quos ibidem laudat, annos Mathusalæ habuerunt centum octoginta septem, non centum sexaginta septem. Nam in iis, ut *S. Augustinus* observat, inventus est *Mathusalem* sex annis ante diluvium fuisse defunctus: quod non aliter fieri potuit, quàm si generare incepit anno ætatis suæ centesimo octogesimo-septimo.

In annis *Lamechi* magna est inter 70. Interpretes & Hebræum Textum dissonantia. Nam ubi Textus Hebraicus habet annos centum octoginta duos ante natum *Noachum*, Græcus habet centum octoginta & octo. Ubi Hebræus habet quingentos nonaginta quinque post natum *Noachum*, Græcus habet duntaxat quingentos sexaginta quinque. Denique ubi Hebræus habet septingentos septuaginta septem, Græcus habet septingentos quinquaginta tres. Et quidem constantissimè; sic enim habent hodierni Codices Græci omnes; sic *Africanus* apud *Eusebium*; sic *Eusebius* ipse in Chronico Græco; sic & *S. Hieronymus* in Latino quod ex Greco vertit. In sextâ generatione, scilicet *Jared*, perfectissima est Græci Textus 70. Interpretum cum Hebraico fonte concordia, sicut & in annis παιδογονίας & ætatis *Noachi*. Cæterùm dissonantia Chronologiæ 70. Interpretum ab Hebraicâ, quam Vulgatus Interpres secutus est, non est posita in totali annorum summâ; quam cuiusque Patriarchæ adscribat ætati: Æquales enim sunt anni vitæ singulis adscripti, tum in Textu Hebraico, tum in Translatione 70. Interpretum, præter quàm in *Lamecho*. Sed tota diversitatis ratio in eo versatur, quòd centum annos plus & minùs Hebræis numerent 70. Interpretes, plus ante genitum filium, minùs post filii generationem. Verbi gratiâ *Adamus* post generationem *Seth* vixit annos octingentos secundùm Hebraicam Chronologiam, at septingentos dumtaxat juxta 70. Interpretes. Samaritanus calculus nihil distat ab Hebræo in quinque prioribus Patriarchis, & in *Enocho*, sed duntaxat in *Jared*, *Mathusala*, & *Lamecho*. Quamvis autem ab Hebræo in Æra diluvii, & annis postremorum trium Patriarcharum plurimùm distet, tamen in hoc cum Hebræo convenit, quòd etiam secundùm Samaritanos *Mathusalem* objit eo anno quo diluvium contigit, nempè anno mundi millesimo trecentesimo-septimo. Quo etiam anno secundùm eosdem objit & *Lameeh*, pater *Noe*, & *Jared* ejus proavus: quod & *Eusebius* in Chronico observavit.

Verùm ut hæc trium Codicum in numerandis Patriarcharum Antediluvianorum annis discrepantia ponatur ob oculos, illorum collationem in Tabulà sequenti exhibeo.

*Secundùm Textum Hebræorum.*

*Adam* genuit *Seth* anno vitæ suæ centesimo trigesimo. Vixit postquam genuit *Seth* annos octingentos. Vixit in universum annos nongentos & triginta. Conditus est anno Mundi primo. Objit anno Mundi nongentesimo trigesimo.

*Seth* genuit *Enos* anno vitæ suæ centesimo quinto. Vixit postquam genuit *Enos* annos octingentos & septem. Vixit in universum annos nongentos & duodecim. Natus est anno Mundi centesimo-trigesimo. Objit anno Mundi millesimo quadragesimo secundo.

*Enos* genuit *Kainan* anno vitæ suæ nonagesimo. Vixit postquam genuit Kainan annos octingentos quindecim. Vixit in universum annos quinque supra nongentos. Natus est anno Mundi ducentesimo-trigesimoquinto. Objit anno Mundi millesimo centesimo quadragesimo.

*Kainan* genuit *Malalehel* anno ætatis septuagesimo. Vixit postquam genuit *Malalehel* annos octingentos & quadraginta. Vixit in universum annos nongentos & decem. Natus est anno Mundi trecentesimo vigesimo quinto. Objit anno Mundi mille ducentesimo trigesimo-quinto.

*Malalehel* genuit *Jared* anno ætatis sexagesimo quinto. Vixit postquam genuit *Jared* annos octingentos & triginta. Vixit in universum annos octingentos nonaginta quinque. Natus est anno Mundi trecentesimo nonagesimo quinto. Objit anno Mundi millesimo ducentesimo nonagesimo.

*Jared* genuit *Enoch* anno ætatis centesimo sexagesimo secundo. Vixit postquam genuit *Enoch* annos octingentos. Vixit in universum annos nongentos sexaginta duos. Natus est anno Mundi quadringentesimo sexagesimo. Objit anno Mundi millesimo quadrigentesimo vigesimo secundo.

*Enoch* genuit *Mathusalem* anno ætatis sexagesimo quinto. Vixit postquam genuit annos trecentos. Vixit in universum annos trecentos sexaginta quinque. Natus est anno Mundi sexcentesimo vigesimo secundo. Translatus est anno Mundi nongentesimo octogesimo septimo.

*Mathusala* genuit *Lamech* anno ætatis centesimo octogesimo septimo. Vixit postquam genuit annos septingentos octoginta duos. Vixit in universum nongentos sexaginta novem annos. Natus est anno Mundi sexcentesimo octogesimo septimo. Objit anno Mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto.

*Lameeh* genuit *Noë* anno ætatis centesimo octogesimo secundo. Vixit postquam genuit annos quingentos nonaginta quinque. Vixit in universum annos septingentos septuaginta septem. Natus est anno Mundi octingentesimo septuagesimo quarto. Objit anno Mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

*Noë* genuit anno ætatis quingentesimo. Vixit postquam genuit annos quadringentos & quinquaginta. Vixit in universum annos nongentos & quinquaginta. Natus est anno Mundi millesimo quinquagesimo-sexto. Objit anno Mundi bis millesimo sexto.

*Diluvium* cœpit anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo-sexto. Duravit annum unum. Desiit anno millesimo sexcentesimo quinquagesimoseptimo.

Annorum summa ab *Adamo* ad Diluvium.

Anni mille sexcenti quinquaginta-sex.

*Secundùm 70. Interpretes.*

*Adam* genuit *Seth* anno ætatis ducentesimo trigesimo. Vixit postquam genuit annos septingentos. Vixit in universum annos nongentos & triginta. Creatus est anno Mundi primo. Objit anno Mundi nongentesimo trigesimo.

*Seth* genuit *Enos* anno ætatis ducentesimo quinto. Vixit postquam genuit annos septingentos & septem. Vixit in universum annos nongentos duodecim. Natus est anno Mundi ducentesimo trigesimo. Objit anno Mundi millesimo centesimo quadragesimo secundo.

*Enos* genuit *Kainan* anno ætatis centesimo nonagesimo. Vixit postquam genuit annos septingentos quindecim. Vixit in universum nongentos quinque annos. Natus est anno Mundi quadringentesimo trigesimo quinto. Objit anno Mundi millesimo trecentesimo quadragesimo.

*Kainan* genuit *Malaleel* anno ætatis centesimo septuagesimo. Vixit postquàm genuit septingentos quadraginta annos. Vixit in universum nongentos decem annos. Natus est anno Mundi sexcentesimo vigesimo quinto. Objit anno Mundi millesimo quingentesimo trigesimo quinto.

*Malalèel* genuit *Jared* anno ætatis centesimo sexagesimo quinto. Vixit postquam genuit septingentis triginta annis. Vixit in universum annis octingentis nonaginta quinque. Natus est anno Mundi septingentesimo nonagesimo quinto. Objit anno Mundi millesimo sexcentesimo nonagesimo.

*Jared* genuit *Enoch* anno ætatis centesimo sexagesimo secundo. Vixit postquàm genuit octingentis annis. Vixit in universum annis nongentis sexaginta duobus. Natus est anno Mundi nongentesimo sexagesimo. Objit anno Mundi millesimo nongentesimo vigesimo secundo.

*Enoch* genuit *Mathusala* anno ætatis centesimo sexagesimo quinto. Vixit postquàm genuit annis ducentis. Vixit in uniuersum trecentis sexaginta quinque annis. Natus est anno Mundi millesimo centesimo vigesimo secundo. Translatus est anno Mundi millesimo quadringentesimo octogesimo septimo.

*Mathusala* genuit *Lamech* anno ætatis centesimo octogesimo septimo. Vixit postquàm genuit septingentis octoginta duobus annis. Vixit in universum annis nongentis sexaginta novem. Natus est anno Mundi millesimo ducentesimo octogesimo septimo. Objit anno Mundi bis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto.

*Lamech* genuit *Noë* anno ætatis centesimo octogesimo octavo. Vixit postquàm genuit annis quingentis sexaginta quinque. Vixit in universum annis septingentis quinquaginta tribus. Natus est anno Mundi millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto. Objit anno Mundi bis millesimo ducentesimo vigesimo septimo.

*Noë* genuit anno ætatis quingentesimo. Vixit postquam genuit annos quadringentos quinquaginta. Vixit in universum annos nongentos quinquaginta. Natus est anno Mundi millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo. Objit anno Mundi bis millesimo sexcentesimo duodecimo.

Diluvium cœpit anno Mundi bis millesimo ducentesimo sexagesimo secundo. Duravit annum unum. Desiit anno Mundi bis millesimo ducentesimo sexagesimo tertio.

Annorum summa ab *Adamo* ad diluvium.

Anni bis mille ducenti sexaginta duo, juxta Codicem *Julii Africani*. Nam anni duntaxat bis mille quadraginta duo numerantur juxta lectionem *Eusebii*, quam sequitur etiam Editio *Flaminii Nobilii*.

*Secundùm Samaritanum Codicem.*

*Adam* genuit *Seth* anno ætatis centesimo trigesimo. Vixit postquàm genuit annos octingentos. Vixit in universum annos nongentos & triginta. Creatus est anno Mundi primo. Objit anno Mundi nongentesimo trigesimo.

*Seth* genuit *Enos* anno ætatis centesimo-quinto. Vixit postquàm genuit annos octingentos & septem. Vixit in universum annos nongentos & duodecim. Natus est anno Mundi centesimo trigesimo. Objit anno Mundi millesimo quadragesimo secundo.

*Enos* genuit *Kainan* anno ætatis nonagesimo. Vixit postquàm genuit *Kainan* octoginta, & quindecim annis. Vixit in universum nongentis quinque annis. Natus est anno Mundi ducentesimo trigesimo quinto. Objit anno Mundi millesimo centesimo quadragesimo.

*Kainan* genuit *Malaleel* anno ætatis septuagesimo. Vixit postquàm genuit annis octingentis quadraginta. Vixit in universum annis nongentis & decem. Natus est anno Mundi ter centesimo vigesimo quinto. Objit anno Mundi millesimo ducentesimo trigesimo quinto.

*Malaleel* genuit *Jared* anno ætatis sexagesimo quinto. Vixit postquàm genuit octingentis triginta annis. Vixit in universum annis octingentis nonaginta quinque. Natus est anno Mundi tercentesimo nonagesimo quinto. Objit anno Mundi millesimo ducentesimo nonagesimo.

*Jared* genuit *Enoch* anno ætatis sexagesimo-secundo. Vixit postquàm genuit septingentis octoginta quinque annis. Vixit in universum annis octingentis quadraginta septem. Natus est anno Mundi quadringentesimo sexagesimo. Objit anno Mundi millesimo ter centesimo septimo.

*Enoch* genuit *Mathusala* anno ætatis sexagesimo-quinto. Vixit postquam genuit annos trecentos. Vixit in universum annos trecentos sexaginta quinque. Natus est anno Mundi quingentesimo vigesimo-secundo. Translatus est anno Mundi octingentesimo octogesimo-septimo.

*Mathusala* genuit *Lamech* anno ætatis sexagesimo-septimo. Vixit postquàm genuit annis sexcentis quinquaginta tribus. Vixit in universum septingentis & viginti annis. Natus est anno Mundi quingentesimo octogesimo-septimo. Objit anno Mundi millesimo ter centesimo-septimo.

*Lamech* genuit *Noë* anno ætatis quinquagesimo tertio. Vixit postquàm genuit sexcentis annis. Vixit in universum annis sexcentis quinquaginta-tribus. Natus est anno Mundi sexcentesimo quinquagesimo tertio. Objit anno Mundi millesimo ter centesimo-septimo.

*Noë* natus est anno Mundi septingentesimo septimo. Diluvium cœpit anno Mundi millesimo ter centesimo septimo. Duravit annum unum. Desiit anno Mundi millesimo ter centesimo octavo.

Annorum summa ab *Adamo* ad Diluvium. Anni mille trecenti & septem.

Quæstio est inter Eruditos, Utri potiùs Codici in numerandis Patriarcharum annis adhærendum sit, Hebraico, an Græco 70. Interpretum? Cardinalis *Baronius* in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos Num. 118. & *Joannes Marinus* Exercitatione 7. cap. 1. ex Heterodoxis *Vossius* in Dissertatione de Ætate Mundi; Chronologiam 70. Interpretum Hebraicæ anteponunt; his freti momentis 1. Quòd Sancta Dei Ecclesia antiquitus consueverit supputare annos ab origine Mundi, non secundùm Hebraicam Editionem, sed secundùm 70. Interpretes. Cujus rei fides est apud *S. Augustinum* Lib. 15. *De Civitate Dei*, cap. 11. dum de iis ait: *Porro illos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia, & credentes Judæorum potiùs quàm istos non habere quod verum est*, arbitratur. 2. Quòd *Julianus* Episcopus Toletanus hæc habeat in eamdem sententiam: *Ergo illa nobis & sola pro his annis est observanda auctoritas LXX. Interpretum, quæ meritò omnibus Editionibus & Translationibus antefertur, quam etiam hucusque omnes Doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum supputatione secuti sunt*. 3. Quòd *Anastasius Sinaita* Episcopus Antiochenus scripserit: *Sciendum est quòd aliter computant Hebræi, & aliter Romana Ecclesiæ Traditio*. 4. Quòd Patrum, & Auctorum Ecclesiasticorum pars maxima annos ab origine Mundi juxta 70. Interpretum calculum subduxerit, scilicet *Theophilus* Episcopus Antiochenus, *S. Cyprianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Hippolytus*, *Julius Africanus*, *Eusebius*, *Lactantius*, *S. Epiphanius*, *S. Hieronymus*, *Philastrius*, *Orosius*, *S. Augustinus*, *S. Cyrillus*, *Prosper*, *Victor Tunnonensis*, *Idacius*, *Marcellinus Comes*, *Victorinus*, Auctor *Mirabilium sacræ Scripturæ* Lib. 2. cap. 4. inter Opera S. Augustini, *Cassiodorus* In Chronico *S. Isidorus Hispalensis* Lib. 5. Originum, *Gregorius Turonensis* Lib. 5. Historiæ. 5. Quòd acta Synodica iisdem numeris consignata sint; cujus rei, inquit *Baronius*, exemplum est in Sextâ Synodo Oecumenicâ, ubi a Mundi origine usque ad illud tempus celebrati Concilii anni numerantur sex mille

le centum nonaginta novem. 6. Quòd Ecclesia non interrupto assensu ab ipsa suâ infantiâ in hunc usque diem 70. Interpretum calculos Judaicis publicè prætulerit, ut ex Romano Martyrologio, quod in Ecclesiâ quotidie publicè decantatur, manifestum est, 8. enim Kal. Januarii sic de Tabulis Ecclesiasticis Nativitas Domini populo quotannis annuntiatur: *Anno a creatione Mundi, quando in principio creavit Deus Cœlum & terram, quinquies centesimo millesimo nonagesimo nono: A Diluvio verò anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo-septimo, &c.* Quæ non tantùm vera sunt juxta 70. Interpretes, sed sunt ipsi *Eusebii* numeri a *S. Hieronymo* Latinitate donati, qui expositis & comparatis Judæorum & Samaritanorum numeris, computum Ecclesiasticum juxta Versionem 70. Seniorum institutum utrisque prætulerunt.

Accedit *Nicephori* Patriarchæ Constantinopolitani auctoritas in Chronographiâ suâ, quam *Anastasius Bibliothecarius* Latinam fecit. *Anni* inquit, *universi ab Adam usque ad Diluvium, secundùm Septuaginta, sunt bis mille ducenti quadraginta duo. Quem numerum testimonium veritatis, & veterum Ecclesiarum omnium Traditiones comprobant.*

Octavò *Josephi* auctoritatem *Morinus* in sententiæ præsidium advocat. Is enim Libro 1. *contra Apionem*, ferè ab initio, multa disserit de Judæorum diligentiâ in conservandis libris suis, quibus recensitis, quid contineant docet; postea Gentis suæ antiquitatem ex libris sacris adversus *Apionem* & Græcos ostendit, quod ut faciat, ait solos libros Mosis Historiam annorum paulò minùs trium millium complecti. Annos ter mille colligit *Morinus* ex *Josephi* Lib.1. Antiquitatum cap.4. & 7. Nam ex cap.4. ab *Adamo* ad Diluvium annorum summam conficit bis mille ducentorum quinquaginta trium: ex Capite 7. a Diluvio ad Exodum septingentos nonaginta septem annos. Ex quibus in universum fit summa ter mille & quinquaginta annorum.

Nonò, *Morinus* Græcorum Codicum Chronologiam approbat ex Græcis Historicis, qui Christum aliquot seculis præcessere, quales *Demetrius Phalereus*, *Senior Philo*, *Eupolemus*, *Alexander Polyhistor*, quorum epochas diligenter persecuti sunt *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum, & *Eusebius* Libro 10. De Præparatione Evangelicâ, cap.4. Ac *Demetrium Phalereum* numerare ab *Adamo* ad Diluvium annos bis mille centum quadraginta octo, dies quatuor, ex *Clemente* probat Morinus: *Alexandrum Polyhistorem* ab Adamo usque ad transmigrationem *Jacob* in Ægyptum annos ter mille sexcentos viginti quatuor: a Diluvio verò annos mille trecentos quadraginta numerare probat ex Eusebio: *Eupolemum* denique ab Adamo ad Consulatum *C. Domitiani* & *Cassiani* colligere annos quinquies mille ducentos sexaginta novem, referente Clemente Alexandrino.

III. Verùm etsi ratio numerandi annos Patriarcharum secundùm calculos 70. Interpretum instituta, ob antiquitatem sit venerabilis, licèt usus Ecclesiæ longævus & necdum in Tabulis Ecclesiasticis mutatus, majorem ipsi venerationem conciliet, licèt ipsi pondus addat approbatio Patrum plurimorum & Scriptorum Ecclesiasticorum, ab eâ tamen absque scrupulo recedere possumus, si Chronologiam Hebraici Textûs incorruptam ac sinceram esse probaverimus:

Primò, quia hujusmodi controversia ad fidem bonosque mores instituendos nihil pertinet, ut ex *SS. Hieronymo* & *Augustino* colligitur. *Quid enim prodest* (inquit *S. Hieronymus* Epistolâ 132. ad Vitalem) *hærere in literâ, & vel Scriptoris errorem, vel annorum seriem calumniari, cùm manifestissimè legatur:* Litera occîdit, Spiritus autem vivificat? *Relege omnes & Veteris & Novi Testamenti Libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, & numerum inter Judam, & Israël, id est, inter Regnum utrumque confusum, ut hujuscemodi hærere quæstionibus non tam studiosi quàm otiosi hominis esse videatur.*

*Sanctus* verò *Augustinus* Lib.15. *De Civitate Dei*, cap.13. ait: *Ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid, quod facilè posset intelligi, vel quod appareat utiliter disci, & negligenter describuntur, & negligentiùs emendantur. Quis enim existimet sibi esse discendum, quot millia hominum, Tribus Israël singillatim habere potuerunt? Quoniam prodesse aliquid non putatur: & quotus quisque hominum est, cui profunditas utilitatis hujus appareat?*

Secundò Ecclesia ipsa nobis veniam facit a Chronologiâ 70. Interpretum discedendi, siquidem eorum Versionem abjecit, ut Vulgatam amplecteretur, quæ calculos Hebraicos exprimit. Et ut scitè ait *Malvenda* noster Libro 5. *De Antichristo*, cap.16. *Quòd Ecclesia Romana in publicis Tabulis eam annorum rationem laudare videatur, quam 70. dederunt, id quidem non facit, quòd veram & incorruptam eamdem existimet; cùm huic e diametro adversantem ut veram & genuinam eam summam, quæ in Editione Vulgatâ est consignata, omnibus recipiendam proponat: sed id tantùm salubri temperamento cavit, ut vetus aliquod veneranda vetustatis monumentum, tametsi lacerum ac deforme, & pannis annisque obsitum exhiberet, omnibusque palam faceret, quam rationem secuti fuerint antiqui Patres enumerandis ex sacrâ Scripturâ annis ab orbe creato ad Christum nascentem; cum soleant vetera antiquitatis monumenta, quantumvis corrosa & attrita, gratum aspectantibus intuitum præstare. Quocirca nihil opus est nunc Ecclesiæ Græcæ vulgatam numerandi rationem commendare, aut Græcorum Exemplarium patrocinium contra Hebraicam Veritatem suscipere.*

Tertiò, Patres plerique omnes a doctissimis viris Cardinali *Baronio* & *Morino*, laudati, Hebraicam linguam non attigerant, ut Codicibus Græcis cum Hebraico Textu comparatis, judicare possent, quibus potiùs standum esset: receptam suâ ætate in Ecclesiâ Versionem sequebantur, ut nunc sequimur Vulgatam Ecclesiæ auctoritate & usu consecratam. Deinde *SS. Hieronymus* & *Augustinus* eruditione & diligentiâ in difficillimis sacræ Scripturæ quæstionibus elucidandis nemini Patrum impares, illosque secutus Venerabilis *Beda*, calculum Hebraicum præ illo 70. Interpretum approbarunt.

Quartò, Concilia in hujusmodi numeris errare posse, dum receptam opinionem sequuntur, & ad Chronologicas quæstiones curiosiùs expendendas aut finiendas Majestatem suam ac Auctoritatem non demittunt, uti nec propter hoc a Spiritu Sancto congregantur, aut in eum finem ab ejus Numine diriguntur, certissimum est; sed solùm ad examinandas ac finiendas controversias, quæ summam fidei, vel Christianam morum disciplinam spectant. Undè infirmum ac leve est, quod ex ratione numerandi a Sextâ Synodo usurpatâ petitur argumentum.

Quintò, *Josephus* a *Morino* laudatus in Chronologiâ sibi planè non constat. Colligens enim annorum summam a vocatione *Abrahami* ad exitum ex Ægypto, & ab exitu ad fabricam Templi, nec non ab *Adamo* ad ejusdem Templi fabricam Libro 8. Antiquitatum cap.2. scribit: *Exorsus est Salomon fabricam hanc anno Regni sui quarto, annis mille no-*

*nonaginta duobus postquam Israëlitæ Ægypto excesserant, mille & viginti annis post Abrahami ex Mesopotamenâ regione in Chananeam migrationem: post Diluvium verò annis mille quadringentis quadraginta. Quòd si ab Adamo creato usque ad Templi ædificationem temporum ratio subducatur, comperientur anni ter mille centum & duo.* Si igitur annis ter mille centum & duobus, qui in universum, juxta *Josephum*, lapsi sunt a creatione Mundi ad ædificationem usque Templi, subducantur anni mille quadringenti & quadraginta, qui Diluvium inter & Templi fabricam fluxerunt; residui erunt a Mundi initio ad Diluvium usque anni mille sexcenti sexaginta duo. Qui calculus longissimè recedit ab illo 70. Interpretum, proximè autem accedit ad Hebraicum, quippe cujus summam sex tantùm annis superat. Caterùm *Josephus* in summâ rei concors Hebraicis Codicibus, errorem tamen duplicem commisit, ut Critici observant. Unum, quòd a Diluvio ad fabricam Templi numerat annos mille quadringentos & quadraginta, cùm ex ipsius *Josephi* calculis non fluxerint, nisi anni mille trecenti octoginta novem. Alterum, quòd generalem summam perperam definiverit annis ter mille centum duobus, cùm summam colligere debuerit ter mille & quadraginta quinque annorum. *Josephus* enim colligit a Diluvio ad nativitatem *Abrahami* annos ducentos nonaginta duos; hinc ad migrationem *Abrahami* septuaginta quinque; a migratione ad Exodum quadringentos & triginta; ab Exodo ad fabricam Templi annos quingentos nonaginta duos (colligere debebat quadringentos octoginta). Hi annorum Epilogismi summam faciunt mille trecentorum octoginta novem annorum. His additi anni mille sexcenti quinquaginta sex, qui fluxerunt ab initio Mundi ad Diluvium, summam conficiunt annorum ter mille quadraginta quinque, quam colligere debuit *Josephus*, si in proprio calculo constans esse voluit, non annorum ter mille centum & duo. Ut ut est de illo errore *Josephi*, calculus ejus ad Hebraicum propius accedit.

Cum hoc *Josephi* loco conferatur alter ex Libro 10. *Antiquitatum*, cap. 11. ubi enumerat annos a creatione Mundi ad combustionem Templi factam per Nabuchodonosorem. *Incensum est Templum*, inquit, *annis ex quo extructum fuerat elapsis quadringentis septuaginta, mensibus sex, & diebus decem; exactis a transmigratione ex Ægypto annis mille sexaginta duobus, mensibus, sex diebus decem: A Diluvio autem usque ad Templi devastationem intercesserunt anni mille nongenti quinquaginta, menses sex, dies decem. Ab Adamo condito usque ad Templi casum anni sunt termille quingenti & tredecim, menses sex, dies decem.* Subductis a summâ annorum ter mille quingentorum & tredecim annis quadringentis septuaginta, qui lapsi sunt inter fabricam & destructionem Templi, residui sunt ab initio Mundi ad fabricam usque Templi anni ter mille quadraginta tres, quæ summa duobus tantùm annis deficit ab eâ quam altero loco posuit.

Sextò, quòd spectat Græcos Historicos a *Morino* laudatos, ne unus quidem illorum cum Græco *Eusebii* vel *Julii Africani* Codice convenit; sed quamvis detur ipsos ad 70. Interpretum calculum propiùs accedere, nihil inde colligi potest adversus calculum Hebraicum; siquidem Codices Hebraicos nec viderunt, nec intellexerunt. *Baronii* igitur, *Morini*, & *Vossii* opinione relictâ, sequentem Propositionem statuo.

## *PROPOSITIO UNICA.*

*Hebraici Textûs Chronologiæ potiùs adhærendum, quàm LXX. Interpretum calculis.*

ID liquidò probat Regula, quam *S. Augustinus* incomparabili judicio statuit Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 13. *Rectè fieri*, inquit, *nullo modo dubitaverim, ut cùm diversum aliquid in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Hebræis itaque Codicibus, cum quibus Vulgata nostra consentit, quoad annos Patriarcharum potiùs credendum est, quàm Græcis 70. Interpretum.

Nec dici cum fundamento potest, Codices Hebraicos esse depravatos, non verò Codices Græcos. Si enim corrupti sunt, id factum sit oportet post adornatam 70. Interpretum Versionem; aliàs ne ipsi quidem integram veritatem in Codicem suum transtulissent. Id enim Græcè reddiderunt, quod in Hebræis Codicibus tunc extantibus repererunt. Sed post tempora Translationis Seniorum fictitia illa depravatio contingere non potuit. Vel enim Judæi suos Codices ex industriâ summoque consensu interpolassent, vel totum id casu factum esset. Non primum: quis enim adduci possit ut credat Judæos per omnes Mundi regiones dispersos in Sacri Textûs depravationem conspirasse? Quæ causa fuisset sacrilegi consilii? An gratis mali esse voluerunt? Posterius æquè incredibile est. Ut enim unus aut alter Codex in Terrâ Canaan mutaretur, casu fieri potuit. Sed ut omnia Exemplaria, quæ in Synagogis conservabantur, ubi singulis diebus Sabbati prælegebantur; vel quæ præ manibus Judæorum erant ubique terrarum, casu corrumperentur, & penitus delerentur vestigia & memoria veræ lectionis, impossibile certè fuit.

Secundò, Hebraicorum Codicum in annis Patriarcharum Antediluvianorum numerandis nulla lectio varia vel a Masorethis qui probatissimos & integerrimos Codices habuerunt, & variantes lectiones diligentissimè adnotarunt, vel ab alio quopiam Critico observata est. At in Versione 70. Interpretum variæ lectiones extiterunt. Nam *Mathusalæ* ante παιδογονιαν alii Codices, quos *Julius Africanus*, & *S. Augustinus* viderunt, annos tribuunt centum octoginta septem. Alii quibus *Eusebius* usus est, annos centum sexaginta septem; Complutensis denique centum sexaginta quinque. Quin & varii calculi Græcorum Historicorum, *Eupolemi*, *Alexandri Polyhistoris*, aliorum, ab *Eusebio*, & *Clemente Alexandrino* relati, satis arguunt variantes lectiones Versionis Græcæ, quam consuluerunt. Porro cùm in Hebræis Codicibus nulla vel levissima varietatis umbra appareat, ipsos in annis Patriarcharum interpolatos fuisse inaniter augurantur.

Tertiò, Nulla causa aut verisimilis ratio ostendi potest, cur Hebraici Codices hac in re interpolati sint. At mutationis in Græcis factæ ab eo qui primus ex *Ptolemæi Philadelphi* Bibliothecâ Versionem 70. Interpretum descripsit, consilium & ratio aperiri probabili conjecturâ potest. Scilicet, cùm longævitatem Patriarcharum a *Mose* memoratam rideri, vel in dubium revocari ab Ægyptiis intelligeret, persuadere voluit annos a *Mose* intelligi Lunæ senio definitos, hoc est, menstruos, quales olim apud Ægyptios in usu fuisse, *Plutarchus* in *Numâ*, *Diodorus Siculus*, & *Plinius* Libro 7. te-

testatur. Quare annos generationis primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, & septimæ auxit integro centenario; quia menstruis annis juxta Codicem Hebræum intellectis, tempus pubertatis in singulis Patriarchis non constitisset. Nam *Adamus* anno centesimo trigesimo menstruo, hoc est, decimo vel undecimo pleno, seu Juliano, *Sethum* generare non potuit, & quidem post *Cainum* & *Abelem* grandiores natu filios. Eadem ratio *Seth*, *Enos*, *Kainanis*, *Malaleelis*, *& Enochi*, si eorum anni prout in Codice Hebraico recensentur, menstrui intelligantur. At in solâ generatione sextâ, octavâ, & nonâ nihil mutatum est ab interpolatore, quia nimirum iis annis, qui his Patriarchis in Textu Hebraico tribuuntur, etsi menstrui intelligantur, pubertatem attigerant, seu ætatem generationi maturam. *Jaredi* enim annus menstruus centesimus sexagesimus secundus respondet ferè anno ejus decimo-quarto Juliano: *Mathusalæ* annus centesimus octogesimus septimus, & *Lamechi* annus centesimus octogesimus secundus menstruus anno decimo-sexto Juliano. Qui hæc attentè consideraverit, vix dubitabit quin de industriâ, & quidem ob hoc ipsum consilium, Græci Codices interpolati sint. Cur enim varietas in his duntaxat annis occurrit quibus juxta menstruam Lunæ periodum intellectis Patriarchæ nondum generationi habiles erant; in cæteris autem, in quibus erant uxori maturi, nulla omnino mutatio accidit? Imò cur mutatio facta est in annis tantùm generationis, non in annis vitæ, exceptis unius *Lamechi* annis? Hæc sanè consilio, non casu facta omnino verisimile est.

Quartò, Chaldaica Paraphrasis Onkelosi, Syriaca, & Arabica Versiones, nec non Vulgata nostra Latina, cum Hebraico Textu conveniunt, & ejus calculos planè exprimunt.

Quintò, juxta calculum 70. Interpretum, *Mathusala* defunctus esset annis post Diluvium quatuordecim, quod juxta fidem Historiæ Sacræ verum esse non potest, cùm octo duntaxat animas Diluvii exitium evasisse constet, scilicet *Noë* & uxorem ejus, & tres illius filios cum eorum tribus uxoribus. Istud autem incommodum vitatur sequendo Chronologiam Textûs Hebraici, ut disertè explicat *S. Hieronymus* Libro Quæstionum Hebraicarum in Genesim. *Sciendum*, inquit, *quod usque ad Diluvium, ubi in nostris Codicibus ducentorum & quod excurrit annorum genuisse quis dicitur, in Hebræo habent centum annos; & reliquos*
„ *qui sequuntur*. Fuerunt autem dies Adam,
„ postquam genuit Seth, septingenti anni. *Quia in ducentis erraverat, consequenter hic posuit septingentos; cùm in Hebræo hic habeatur, octingen-*
„ *tos & supra centum*. Et vixit Mathusala annis
„ centum sexaginta septem, & genuit Lamech.
„ Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech,
„ annos octingentos duos, & genuit filios & fi-
„ lias. Et fuerunt omnes dies Mathusala, quos
„ vixit, anni nongenti sexaginta novem, &
„ mortuus est. *Famosa quæstio, & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quòd juxta diligentem supputationem quatuordecim annos post Diluvium Mathusala vixisse referatur. Etenim cùm esset Mathusala annorum centum sexaginta septem, genuit Lamech. Rursum Lamech cùm esset annorum centum octoginta octo, genuit Noë: & fiunt usque ad diem nativitatis Noë anni vitæ Mathusala trecenti quinquaginta quinque. Sexcentesimo autem anno vitæ Noë Diluvium factum est, ac per hoc habitâ supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusala Diluvium fuisse convincitur. Cùm autem supra nongentis sexaginta novem annis vixisse sit dictus, nulli dubium est quatuordecim eum annos vixisse post Diluvium. Et quomodo verum est, quòd octo tantùm animæ in Arcâ salvæ factæ sunt? Restat ergo, ut quo modo in plerisque, ita, & in hoc sit error in numero: Siquidem & in Hebræis, & Samaritanorum libris ita scriptum reperi: Et vixit Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentos octoginta duos annos, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusala anni nongenti sexaginta novem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noë. A die verò nativitatis Mathusala usque ad diem nativitatis Noë, sunt anni trecenti sexaginta novem: His adde sexcentos Noë, quia in sexcentesimo vitæ ejus anno factum est Diluvium: atque ita fit ut nongentesimo sexagesimo anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno quo cœpit esse Diluvium*. Concinit S. Hieronymo S. Augustinus Libro 15. De Civitate Dei, cap. 11. *Certum est*, inquit, *non vixisse Mathusalem post Diluvium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est quod de numero annorum in Hebræis Codicibus invenitur*.

Sextò, *S. Augustinus* maximum pondus addit Hebraicis calculis Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 13. ex quo superiùs allatæ rationes & conjecturæ confirmantur. *Si quæram*, inquit, *quid sit credibilius, Judæorum gentem tam longè latèque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse, & dum aliis invident auctoritatem, sibi abstulisse veritatem; an LXX. homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos, quoniam Rex Ægypti Ptolemæus eos ad hoc opus adsciverat, ipsam veritatem Gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud fecisse consilio: quis non videat quid proclivius faciliusque credatur? Sed absit ut prudens quispiam vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantùm potuisse credat in Codicibus tam multis & tam longè latèque dispersis, vel LXX. illos memorabiles viros hoc de invidendâ Gentibus veritate unum communicasse consilium. Credibilius ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliothecâ Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in Codice uno, scilicet primitus inde descripto, unde jam latiùs emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam scriptoris error. Sed hoc in illâ quæstione de vitâ Mathusalem non absurdum est suspicari; & in illo alio, ubi superantibus viginti-quatuor annis summa non convenit. In his autem in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita ut ante genitum filium, qui ordini inseritur, alibi supersint centum anni, alibi desint; post genitum autem ubi deerant, supersint; ubi supererant, desint, ut summa conveniat; & hoc in primâ, secundâ, tertiâ, quartâ, quintâ, septimâ, generatione invenitur; videtur habere quamdam, si dici potest, error ipse constantiam, nec casum redolet, sed industriam*.

*Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in Codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non est ista de centum annis priùs additis & postea detractis per tot generationes continuata parilitas, nec malitia Judæorum, nec diligentia vel prudentia LXX. Interpretum, sed Scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliothecâ supra dicti Regis Codicem describendum primus accepit . . . . . Nimirum cùm vellet persuadere, qui hoc fecit, ideo numerosissimos annos vixisse Antiquos, quòd eos brevissimos nuncupabant: & hoc de maturitate pubertatis, quâ idoneâ filii gignerentur, conaretur ostendere; atque in illis centum annis decem nostros insinuandos putaret incredulis, ne homines tam diu vixisse recipere in fidem nollent; addidit centum, ubi habilem gignendis filiis non invenit ætatem; eosdemque post genitos filios, ut congrueret summa, detraxit. Sic quippe voluit credibiles facere idonearum generandæ* pro-

*prolis convenientias ætatum, ut tamen numero non fraudaret universas ætates viventium singulorum. Quod autem in sextâ generatione id non fecit, hoc ipsum est quod magis movet illum ideo fecisse, cùm res, quam dicimus, postulavit, quia non fecit ubi non postulavit. Invenit namque in eâdem generatione apud Hebræos vixisse Jared, antequam genuisset Enoch, centum sexaginta duos annos, qui secundùm illam rationem brevium annorum fiunt anni sexdecim, & aliquid minùs quàm menses duo; quæ jam ætas apta est ad gignendum: & ideo addere centum annos breves, ut nostri viginti sex fierent, necesse non fuit, nec post natum filium eos detrahere, quos non addiderat ante natum. Sic factum est ut hic nulla esset inter Codices utrosque varietas.*

*Sed rursus movet*, inquit S. Augustinus, *cur in octavâ generatione, antequàm de Mathusalem nasceretur Lamech, cùm apud Hebræos legantur centum octoginta duo anni, viginti minùs inveniuntur in Codicibus nostris, ubi potiùs addi centum solent; & post genitum Lamech complendam restituuntur ad summam, quæ in Codicibus utrisque non discrepat. Si enim centum septuaginta annos propter pubertatis maturitatem, decem & septem volebat intelligi; sicut nihil addere, ita nihil detrahere jam debebat; quia invenerat ætatem idoneam generationi filiorum, propter quam in aliis centum illos annos, ubi eam non inveniebat, addebat. Hoc autem de viginti annis meritò putaremus casu mendositatis accidere potuisse, nisi eos sicut priùs detraxerat, restituere postea curaret, ut summæ conveniret integritas. An fortè astutiùs factum existimandum est, ut illa, quâ centum anni priùs solent adjici, & postea detrahi, occultaretur industria, cùm & illis ubi necesse non fuerat, non quidem de centum annis, verùm tamen de quantulocunque numero priùs detracto, post reddito, tale aliquid fieret?*

Septimò, *Venerabilis Beda* in Præfatione Libri De Temporum Ratione, reddens rationem cur ab *Eusebii* Chronologiâ recesserit: *Ego*, inquit, *confidenter profiteor, quia non reprehendo veteres Chronographos, qui Translationem LXX. Interpretum modò secuti sunt, modò, prout libuit, probantur habuisse contemptui; sicut etiam in processu hujusce Opusculi nostri monstrabitur. Sed omnibus his Hebraicæ Veritatis integram præfero puritatem: Quam præminentissimus Doctorum Hieronymus in Libris Hebraicarum Quæstionum, Augustinus in Libris De Civitate Dei, Eusebius ipse Chronographus in tertio Historiæ Ecclesiasticæ Libro, ex verbis Josephi Historici adversùs Apionem Grammaticum scribentis, breviorem temporum seriem, quàm in Septuaginta Editione vulgò fertur contineri, approbant.*

Postquam hæc scripseram, editus in lucem est Liber, cui titulus, ANTIQUITAS TEMPORUM RESTITUTA, vernaculo Idiomate. Eo in Libro Eruditus Auctor probandum sibi sumit, in annis Patriarcharum numerandis Versionem 70. Interpretum Hebraico Textui anteponendam esse, Mundumque antiquiorem esse mille & quingentis annis, quàm vulgo credatur ab omnibus, qui ex præjudicatâ Hebraicæ Chronologiæ veritate eâ de re differunt. Novum Opus legi, argumenta expendi, quæ tanti non sunt ponderis ut me a communi sententiâ dimoveant.

Primum petitur ab auctoritate Septuaginta Interpretum, de quâ *S. Augustinus* Libro 18. *De Civitate Dei* ait: *Hanc quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eâque utuntur Græci Populi Christiani, quorum plerique utrùm alia sit aliqua ignorant.*

Respondetur, id probare dumtaxat Versionem 70. Interpretum maximæ fuisse in Ecclesiâ auctoritatis ante *S. Hieronymum*, cæterisque antepositam Versionibus, utpotè Apostolorum usu consecratam; solam inter Versiones quatuor primis Ecclesiæ seculis habitam fuisse ut Authenticam; nullum in eâ errorem esse in iis quæ fidem aut mores spectant: Sed non probare quòd nullæ omnino mendæ in eâ sint Versione, maximè in numeris. Hebraico Textui anteponendam illam Versionem *S. Augustinus* non censet, qui nec ipsam cum Hebraico Textu ibi comparat, sed cum Versionibus *Aquilæ*, *Symmachi*, & *Theodotionis*, ut ex verbis antecedentibus patet: *Nam cùm fuerint & alii Interpretes*, inquit, *qui ex Hebræâ Linguâ in Græcam sacra illa Eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, hanc tamen quæ Septuaginta est tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, &c.* Cæterùm Vulgata Versio Latina jam olim Ecclesiæ usu, & postea definitione consecrata, & Authentica declarata, Chronologiam veterum Patriarcharum aliter consignat quàm Septuaginta, & Hebræis Codicibus omnino consonat in eorum annis numerandis. Errorem itaque, quoad hoc caput, in Versione 70. Interpretum esse ut propugnemus, tam non vetat prisca hujus Versionis auctoritas, & testimonium *S. Augustini*, quàm non prohibet Eruditum Auctorem *Antiquitatis Temporum Restitutæ* Auctoritas Vulgatæ Versionis, Ecclesiæ ipsam Authenticam declarantis solemne & œcumenicum Judicium, *S. Hieronymi*, *S. Gregorii*, & Auctorum Ecclesiasticorum, qui post ipsum floruerunt, testimonia, ne errorem vel mendum in ipsâ esse quoad annos Patriarcharum asserat. Certè si Regulam a *S. Augustino* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 13. traditam sequamur, errorem Versioni Septuaginta Interpretum, potiùs quàm Hebraico Textui adscribemus. *Fieri*, inquit, *nullo modo dubitaverim, ut cùm diversum aliquid in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, illi linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Cùm itaque diversitas maxima sit inter Versionem 70. Interpretum, & Textum Hebræum in annis veterum Patriarcharum numerandis, Hebræo Textui unde facta est Græca Translatio 70. potiùs credendum est, quàm ipsi Græcæ 70. Seniorum Versioni.

Secundum argumentum petit Auctor *Antiquitatis Temporum Restitutæ*, ex objectione quam *S. Augustinus* occupavit Libro mox laudato, cap. 11. Sibi enim objici posse agnovit, Scripturam sacram in annis priscorum Patriarcharum a Judæis interpolatam fuisse; incredibile enim esse quòd Septuaginta Seniores gratis mentiri voluerint, aut in Versione suâ erraverint.

Respondetur, Nobis consultius videri *Sancti Augustini* Responsionem amplecti, quàm objectionem ab ipso dilutam & profligatam. Quamvis enim capite 11. ubi illam proposuit, confestim subjungat. *Hanc opinionem vel suspicionem accipiat quisquis ut putaverit*: Capite tamen 13. ubi illam repetit, Codices Hebræos a Judæis depravatos esse negat, illamque Codicum omnium Hebræorum depravationem velut incredibile figmentum sugillat, sed errorem illum in Codices Græcos refundit: nec tamen a Septuaginta Senioribus auctos ex industriâ Patriarcharum annos existimat, sed errorem rejicit in oscitantiam & hallucinationem Amanuensis, qui Codicem ex Bibliothecâ *Ptolemæi* primus descripsit, quo 70. Seniores ad Versionem suam adornandam usi sunt. *Sed cùm hoc dixero*, inquit, *continuò refertur illud Judæorum esse mendacium: Nam Septuaginta Interpretes laudabiliter celebratos viros non potuisse mentiri. Ubi si quæram, quid sit credibilius Judæorum Gentem, tam longè latèque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse, & dum aliis invident auctoritatem, sibi*

ab-

*abstulisse veritatem; an Septuaginta homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos, quoniam Rex Ægypti Ptolemaus eos ad hoc opus adsciverat, ipsam veritatem Gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud fecisse consilio, quis non videat quid proclivius faciliusque credatur? Sed absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitia tantum potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longè latèque dispersis; vel Septuaginta illos memorabiles Viros hoc de invidendâ Gentibus veritate unum communicasse consilium. Credibilius ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliothecâ Ptolemai describi ista cœperunt, tunc, aliquid tale fieri potuisse in Codice uno, scilicet primitus inde descripto, unde jam latiùs emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam Scriptoris error.* Proclive autem fuit, ut error hujusmodi inemendatus maneret. *Nam etiam nunc* ( inquit S. Augustinus ) *ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid, quod facilè posset intelligi, vel quod appareat utiliter disci, & negligenter describuntur, & negligentiùs emendantur.*

Tertium argumentum ducit Auctor *Antiquitatis Temporum Restitutę*: ex Patrum testimonio, qui Textum Hebræum a Judæis interpolatum asserunt. Ita *S. Justinus* in Dialogo cum Tryphone, *S. Irenaus* Libro 3. cap. 24. *Tertullianus* Libro *De Habitu Muliebri*, cap. 3. *Origenes* Homiliâ 12. in Jeremiam, & in Epistolâ ad Julium Africanum, *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 5. & 9. in Evangelium S. Matthæi, *Julianus* Toletanus Archiepiscopus Libro 1. & 3. contra Judæos, & *Euthymius* Commentar. in *S. Matthaum*.

Respondetur Patres illos de Textu Hebræo & primigenio non loqui, sed de Versionibus *Aquila*, *Theodotionis* & *Symmachi* Judæorum Apostatarum, qui Scripturam Sacram Translationibus suis contaminarunt; quas Hebraicam Scripturam appellabant, quia ex Hebræo fuerant expressæ, ut eas Versioni Septuaginta Interpretum Ecclesiæ usu consecratæ opponerent. Deinde, esto ita senserint illi Patres, eorum sententia in Quæstione, quæ fidei summam non spectat, discutienda est. *S. Hieronymus* & *Augustinus* re accuratius expensâ, hanc opinionem ut improbabilem rejecerunt: Iste Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 3. cujus verba mox allata: ille Capite 6. Commentariorum in Isaiam. *Si aliquis*, inquit, *dixerit, Hebraos Libros postea a Judais esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo Volumine Explanationum Isaia huic respondeat Quæstiunculæ; quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisais, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum, Libros Hebraos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangelista, & Apostoli, ita testimonia protulerint, ut Judai postea falsaturi erant.* Quantum fuerit *S. Hieronymi* studium pro Hebraicâ Veritate, nemo nescit, idque satis probat ejus in novâ ex Hebræo Versione adornandâ gloriosus labor, in eâque adversùs æmulos defendendâ ardor nobilis. Cùm igitur alicubi scripsit Hebraicum Textum a Judæis fuisse interpolatum, ex propriâ sententiâ non est locutus, sed ex aliorum opinione, quod ipsi in Commentariis solemne fuisse norunt Eruditi: idque ipse de se testatur Libro 1. Apologiæ adversùs *Ruffinum*. Lege Dissertationem nostram 11. in Historiam Ecclesiasticam Seculi 1. In eâ etiam Dissertatione rationibus inconcussis probavimus Textum Hebraicum a Judæis, nec ante, nec post Christi adventum, fuisse depravatum. Non ante, quia Christus, qui alia Judæis crimina exprobravit, hujus eos nunquam arguit sceleris; imò *Joannis* 3. ad scrutandas Scripturas auditores suos hortatur, quod non fecisset, si tunc depravatæ fuissent, sed de interpolatione monuisset. Et Matth. 23. *Super Cathedram Moysi*, inquit, *sederunt Scriba & Pharisai. Quacunque ergo dixerint vobis, servate & facite*. Certè ad Corruptores Scripturarum audiendos Christus populos non misisset. Neque etiam post Christi adventum sacros Codices depravarunt, quod validis argumentis probatur. Primò, quòd in Codicibus Hebræis nunc extent, quæ ex iis a Christo & Apostolis laudata sunt testimonia. Secundò, quòd in iis Vaticinia de Christo, ejusque Mysteriis, & Ecclesiâ, illibata sint, quibus tamen non pepercissent Judæi, si sacros Libros violassent. Tertiò, quòd interdum Textus Hebræus Judæis magis obsit, quàm Græcus vel Latinus, ut in Psalmo 2. videre est, ubi pro eo quod Græci, & Latini Codices habent: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*, in Hebræo legitur, *Osculamini Filium, ne irascatur*. Quæ lectio Christum Dei Filium evidentiùs demonstrat, quàm prior. Quartò, quòd Judæorum tantus fuerit zelus erga Legem & Libros sacros, ut mortem potiùs omniaque tormenta subirent, quàm vel unum Legis apicem mutare aut adulterare vellent, ut de ipsis testantur *Josephus* Libro 1. contra *Apionem*, & *Philo* apud *Eusebium* Libro 8. *Praparationis Evangelica*, cap. 6. & 8. Quintò, injuriosum esset Dei providentiæ, qui se Ecclesiæ semper adfuturum promisit, asserere Libros, quibus Deus totam mentem ac voluntatem suam de doctrinâ salutis consignavit, Deo permittente fuisse corruptos in iis capitibus, quæ summam Religionis spectarent: maximè cùm Judæos per omnes Gentes ideo disperserit, ut hos Libros ubique ad probandam Christianæ Religionis veritatem circumferrent: *Tanquam capsarii nostri*, [ inqnit S. Augustinus ] *ut cùm Pagani non credunt quæ nos de Christo prædicta fuisse dicimus, quasi a nobis essent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros circumferunt in quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus*. Porro si Codices sacros Judæi non interpolarunt in iis capitibus, quæ summam Religionis spectant, multò minùs eos ex industriâ & malitiâ depravarunt in numeris annorum veterum Patriarcharum, qui nullius sunt ad Religionis controversias momenti.

Respondet Auctor *Antiquitatis Temporum Restituta*, Judæos Textum sacrum in annis veterum Patriarcharum interpolasse, ut Messiam non venisse probarent. Persuasum quippe illis fuisse, tempus Legis duobus annorum millibus definiri, ut in Talmude scriptum est; Messiam verò sextâ dumtaxat Ætate, seu sexto Mundi Millenario venturum. Unde circa annum Cristi sexcentesimum octogesimum sextum Judæi per Hispaniam dispersi Christum nondum venisse pertinaciter propugnarunt, *Quòd sumpta annorum supputatio ab initio Mundi, secundùm Hebræos Codices, quintam adhuc seculi Ætatem insinuet*, qui in sextâ dumtaxat Ætate venturus esset. Adversùs quos *Julianus* Archiepiscopus Toletanus *Ervigii* Regis jussu Opus edidit in tres libros tributum, inscriptumque, *Demonstratio sexta Mundi Ætatis*: Illos autem refellit ex Scripturâ Sacrâ secundùm Versionem Septuaginta Interpretum: *Quam* ( inquit ) *etiam huc usque omnes Doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum supputatione secuti sunt*.

Verùm quàm levis sit hæc viri Religiosi & Eruditi conjectura, patebit omnibus qui rem attentiùs expenderint. Figmentum illud de duobus millibus annorum ante Legem, quos vocant, *Inanitatis*, duobus millibus durationis Legis, duobus de-

denique millibus Regni Messiæ, apud Judæos inauditum erat, donec *Thalmud* ab ipsorum Rabbinis editum est, Seculo septimo Æræ Christianæ cadente, ut ex Judæorum Traditionibus probat *Morinus* Libro 2. *Exercit.* 6. cap. 4. Babylonicum *Talmud* intellige, quod Judæorum usu maximè tritum est. Natalis itaque Talmudis ad *Juliani* Toletani Archiepiscopi Ætatem pertinet. Quis autem sibi persuaserit veteres Judæos Textum sacrum in annis Patriarcharum violasse, illosque annos contraxisse, ut posteriorum Judæorum figmento probabilitatem aliquam conciliarent?

*R. Ase Scolarcha Soranus, Collectionis Auctor.*

Præterea, si Judæi veterum Patriarcharum annos breviassent ad protrahendum Messiæ adventum, multò magis Prophetiam *Danielis* depravassent, quæ tempus istius adventûs accuratè designat, quod cùm non præstiterint, commentum est ipsos Chronologiam Librorum *Moysis* nullatenus hoc argumentum spectantem corrupisse. Tertiò, Samaritani ob eandem rationem Codices suos adulterassent, quod tamen improbabile est, cùm eorum supputatio cum Hebraicâ non conveniat. Quartò, *Julius Africanus*, *Eusebius*, alii Patres, qui varietatem Chronologiæ Hebraicæ, Samaritanæ, & 70. Interpretum observarunt, illam in Judæorum aut Samaritanorum fraudes ac malitiam non refundunt, nec ipsos accusant violati eâ in re sacri Textûs; sed illam discrepantiam referunt in varias ejusdem Textûs primitivi lectiones. Quintò, Judæi in ipso Talmude Tractatu *Sanbedrim* & *Aroda Zara*, duo millia annorum Legis effluxisse ingenuè fatentur, necdum tamen advenisse Messiam contendunt, quòd ejus adventus ob illorum peccata dilatus fuerit. Non est itaque verisimile, quòd Sacræ Scripturæ Codices Hebraicos corruperint in annis Patriarcharum, & in Chronologiâ primæ ac secundæ Mundi Ætatis, ut tempus adventûs Messiæ protraherent.

Quod spectat *Julianum* Toletanum Archiepiscopum, Interpretationem Septuaginta Interpretum ut causæ suæ contra Judæos servientem amplexus est, quam tamen omnes Ecclesiasticos Doctores in hac præcipuè annorum supputatione secutos, haud verè asseruit, cùm *S. Hieronymus* & *S. Augustinus* eam secuti in hujusmodi Chronologiâ non fuerint. Cæterùm firmioribus argumentis Judæos premit Sanctus & eruditus Archiepiscopus, ex Lege nimirum, & oraculis Prophetarum petitis, & supra dictam illam Judæorum objectionem novam esse significat. Id declarat ipse, Operis sui argumentum *Ervigio* Regi exponens. *Ut primo*, inquit, *hujus Operis libro convincantur manifestis ante evidentibus signis Veteris Testamenti, quibus sine aliquâ supputatione annorum Christus Deus Filius non nasciturus, sed olim natus liquido declaretur. Deinde secundi Libri serie decurrente, per ostensam Apostolorum doctrinam, id curatum est effici, quòd revelata temporis plenitudo, quâ Christus in carne natus apparuit, non in annis a principio Mundi collectis, Discipulis Domini vel cæteris credentibus sit ostensa, sed Legis & Prophetarum testimoniis prodita. Præsertim cùm ipsi quoque Judæi, illo tunc tempore non putantes ipsum esse Christum, immò utrùm ipse esset Christus, decertantes eum Christo, nunquam ab illis Christo nostro hæc objecta sit quæstio, quam nunc proponit petulans & rudis inscientiæ amplitudo. Libro quoque tertio excursus adesse sexta Ætatis convincitur. Ubi etiam & præterita Ætates seculi quinque non in annis, sed in præfixo generationum limite distinguenda monstrantur.*

Objicit Auctor Antiquitatis Temporum Restitutæ, *Abulfaragii* Auctoris Arabis testimonium, Historiæ Dynastiarum, Dynast. 7. scribentis: *Cùm prænuntiatum esset in Lege & Prophetis de Messiâ, missum iri ipsum ultimis temporibus, nec aliud esset Rabbinis antiquioribus commentum, quo Christum rejicerent, quàm si hominum Ætates, quibus dignosceretur Mundi Epoche, mutarent, subtraxerunt de vitâ Adami, donec nasceretur Seth, centum annos, eosque reliquo vitæ ipsius addiderunt; idemque fecerunt in Vitis reliquorum Adami filiorum usque ad Abrahamum. Atque ita factum est, ut indicet eorum computus, manifestatum esse Christum millenario quinto, prope accedente ad medium annorum Mundi, qui omnes, secundùm ipsos futuri sunt septies mille. Dixeruntque: Nos adhuc in medio temporis sumus, & nondum adest tempus adventus Messiæ designatum. At computus septuaginta Seniorum indicat manifestatum esse Christum millenario sexto.*

Respondetur, Auctoris Arabis recentioris utpote qui ante annos dumtaxat quadringentos scripserit, conjecturam, nullâ probatione fultam, eâdem facilitate rejici quâ profertur. An fortè lectores in suam pertrahendos sententiam *Abulfaragii* nomine territos Religiosus Auctor existimavit?

Objicit exempla quædam depravationum a Judæis factarum, inprimis illud Psalmi 20. 17. ubi enim legimus, *Foderunt manus meas & pedes meos*, ipsi in Codicibus suis scripserunt, *Sicut leo manus meas & pedes meos*. Loco scilicet *Carie* quod significat, *foderunt*, posuere *Caari*, quod significat *sicut leo*.

Respondetur, in varietatem lectionum, vel in scribarum oscitantiam, non in Judæorum fraudem ac depravationem refundendam esse quorundam Codicum Hebræorum in hoc, aliisque locis discrepantiam a Versionibus Græcâ & Latinâ Vulgatâ. Utramque lectionem Hebræorum libri habuerunt, ut ipsi Masorethæ fatentur. Et in parvâ Masorâ traditur, vocis ipsius *Caari* significationem eòdem ac significationem vocis *Caru* recidere; quòd nempe leo, sive unguibus, sive dentibus ad capiendam & vorandam prædam utatur, carnes pungit & perfodit.

Objicit Auctor Antiquitatis Temporum Restitutæ, Veteres Historicos tam Judæos quàm Gentiles, qui ante Hierosolymorum excidium, & Judaicæ Reipublicæ eversionem scripserunt, in numero annorum cum 70. Interpretibus convenire, ab Hebraici verò Textûs calculis immensum aberrare. *Josephum*, qui se sacrorum Librorum auctoritatem secutum profitetur, & ex Hebraicis literis Judaicæ Gentis Antiquitatem expressisse, annos numerare sicut in Codicibus Græcis 70. Seniorum consignati leguntur. *Demetrium Phalereum*, *Philonem Seniorem*, *Eupolemum*, *Alexandrum Polyhistorem*, eodem modo annos Mundi atque Patriarcharum numerare, quo Septuaginta Interpretes. Id argumento esse, Textûs Hebræi Chronologiam olim consentaneam fuisse Chronologiæ 70. Interpretum. Ad hæc veteres Patres annos quingentos supra mille a creatione Mundi ad Nativitatem JESUS-CHRISTI numerasse, scilicet *S. Justinum* Martyrem, *Theophilum Antiochenum*, *Tatianum*, *Tertullianum*, *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *Julium Africanum*, *S. Cyprianum*, *Lactantium*; eorumque calculos cum Septuaginta Interpretum rationibus consentire. *Eusebium Cæsariensem* primum omnium Chronologorum antiquitatem temporum contraxisse, resectis e vulgari numero annorum Mundi ab antiquis usurpato tribus seculis. Computum *Eusebii* ab ipsâ Ecclesiâ Romanâ receptum, & in Martyrologio consecratum esse, quæ in Pervigilio Natalis Domini Sacram illam Solemnitatem annuntians, Christum natum ait Anno a creatione Mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono.

no.

no. Acta Synodica iisdem numeris esse consignata, ut in Sextâ Synodo Oecumenicâ patet, ubi a Mundi origine usque ad illius tempora anni sex mille centum nonaginta novem numerantur. Ecclesiarum denique omnium, & Romanæ præsertim Traditionem, Septuaginta Interpretum calculis suffragari, ut *Anastasius Sinaita*, *& Nicephorus* Patriarcha Constantinopolitanus testantur.

Respondetur, *Josephum*, & Historicos Gentiles in objectione nominatos interpretum Septuaginta Versionem secutos esse, & cum ipsis in numero annorum Mundi & veterum Patriarcharum erraſſe. In longè plures & minùs tolerabiles errores Historicum illum Judæorum in Historiâ Sacrâ incidisse: & tam contra fidem Græci Textûs, quàm Græcorum Codicum multa narrare, omittere, addere, interpolare, ut passim in hoc Opere observamus. Gentiles Historicos ad Chronologiam Septuaginta Interpretum propiùs accessisse, quia Scripturam sacram ex eorum duntaxat Versione legerant; Historiam tamen Patriarcharum, *Moysis*, Judæorum, Historicos illos plurimorum figmentorum additione interpolasse, ut mirum sit ipsos a Viro Religioso & Erudito testes appellari contra Hebraicam Veritatem. Patres *Hieronymo* antiquiores, & nonnulli etiam ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui post ipsum scripsere, Versionem Græcam secuti sunt, tum quòd Ecclesiæ usu esset consecrata, tum quòd Hebraica lingua illis penè omnibus peregrina esset. Plerique verò ipsorum Christum in medio sexti Mundi millenarii venisse persuasi ex præjudiciis quæ Chronologia Septuaginta Interpretum in ipsorum ingeniis pepererat, Mundum annos duntaxat sex mille duraturum affirmarunt, & Antichristi adventum, supremique judicii diem imminere. Ita *S. Clemens* in Epistolâ ad Corinthios. Auctor Epistolæ *S. Barnabæ* adscriptæ, *Hermes* Libro 1. *Pastoris*, Visione 3. *Tertullianus* Apologetici cap. 21. & Libro *De Fugâ in Persecutione*, cap. 12. *Judas* Ecclesiasticus Auctor in Libro *De Septuaginta Danielis Hebdomadibus*, teste *Eusebio* Libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7. *S. Cyprianus* in præfatione Libri *De Exhortatione Martyrii*, & Epistolâ 58. ad Thibaritanos, *Lactantius* Libro 7. *Divinarum Institutionum*, cap. 14. & 25. Et tamen Religiosus & Eruditus Auctor Antiquitat s temporum Restitutæ Patrum illorum opinionem de duratione, & fine Mundi, quam capite 15. expendit, esse falsissimam agnoscit: Quidni ergo & eorum calculum, licèt Versioni Septuaginta Interpretum consentientem, falsum esse pari libertate dicemus, cùm Hebraicæ Veritati repugnet? Ecclesia denique Romana Martyrologium emendabit, cùm ipsi videbitur: Kalendarium emendatum est cùm Romano Pontifici placuit: Corrigetur Martyrologium cùm alteri Pontifici placuerit adhibito virorum eruditorum consilio, & Sacræ Congregationis Rituum deliberatione. Emendari posse agnoscit Ecclesia Romana, siquidem Vulgatam Versionem Latinam ex Hebræo immediatè expressam usu suo consecravit, & *authenticam* declaravit. Adde Ecclesiam Majestatem suam ad has minutias non demittere, & Chronologis ac Historicis has Quæstiones disceptandas permittere, quæ nec fidem nec Christianam morum disciplinam ullatenus spectant. Quam flocci autem faciat Ecclesia illam numerorum varietatem, testantur duo Ecclesiæ lumina *S. Hieronymus & S. Augustinus*. Prior in Epistolâ ad Vitalem superiùs laudatâ scribens, *Hujusmodi hærere Quæstionibus non tam studiosi, quàm otiosi hominis esse*. Et in cap. 3. Epistolæ ad *Titum* hujusmodi de numeris annorum Quæstiones *inutiles & vanas* appellat, *quæ tantum speciem scientiæ habent: cæterum nec dicentibus, nec audientibus, prosunt. Quid enim mihi prodest scire quot annos vixerit Mathusalem; Quoto ætatis suæ anno Salomon sortitus sit conjugem: ne forsitan Roboan undecimo ætatis illius anno natus esse credatur? Et multa istiusmodi, quæ aut difficile est invenire propter Librorum varietatem, & [dum paulatim de inemendatis inemendata scribuntur] errores inolitos, aut etiamsi inveniremus magno studio & labore, nihil profutura cognovimus*. Posterioris verò, scilicet *S. Augustini* locum ex Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 13. superiùs etiam descripsimus. Alia etiam ratio movere potuit Romanam Ecclesiam, ne Martyrologium suum in numero annorum Mundi corrigeret, quòd pia sit sanctorum, & doctorum virorum opinio, utrumque calculum re verâ contrarium non esse, sed unum literalem, alterum fortè mysticum esse, quamvis mysterii illius ratio ignoretur. Huic solutioni suffragatur *S. Antoninus* I. P. Chronici, cap. 1. §. 4. *Istius*, inquit, *dissonantiæ inter Hebræos & Septuaginta, interpretes, in computatione annorum primæ & secundæ Ætatis, non potest assignari ratio sufficiens. Unde relinquenda est Spiritui Sancto hujus determinatio, qui non sine mysterio sic disposuit ad majus meritum fidei, & humiliationem nostri*.

Hujus opinionis fundamentum posuit *S. Augustinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Capite 43. ubi de Septuaginta Interpretibus ita scribit: *Cùm tantum in eis signum divinitatis apparuit, profectò quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebræâ in quamlibet aliam linguam Interpres est verax, aut congruit illis Septuaginta Interpretibus, aut, si congruere non videtur, altitudo ibi Prophetica esse credenda est. Spiritus enim qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in Septuaginta Viris, quando illa interpretati sunt, qui profectò, auctoritate divinâ & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret; & hoc ipsum aliter ut si non eadem verba, idem tamen sensus benè intelligentibus dilucesceret; & aliquid prætermittere, & aliquid addere, ut etiam hinc ostenderetur, non humanam fuisse in illo Opere servitutem, quam verbis debebat Interpres, sed divinam potiùs potestatem, quæ mentem replebat & regebat Interpretis*. Capite sequenti hanc regulam *S. Augustinus* illustrat exemplo ad rem nostram prorsus accommodato. Septuaginta Interpretes dicunt, *Jonam* Prophetam triduum pœnitentiæ Ninivitis indixisse: Textus verò Hebræus & Vulgata Editio Latina quadraginta diebus pœnitentiæ spatium ipsis constitutum definiunt. Quâ ratione conciliari potest hæc varietas? Hebraici Textûs & Latinæ Versionis recens a *S. Hieronymo* adornatæ lectionem secundùm literalem sensum veram esse & omnino sequendam asserit, lectionem verò 70. Interpretum nihilominus veram esse secundùm mysticum sensum. *Si ergo a me quæritur* (inquit) *quid horum Jonas dixerit, hoc puto potiùs quod legitur in Hebræo*, Quadraginta dies, & Ninive evertetur. *Septuaginta quippe longè posteriùs interpretati, aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret & in unum eumdemque sensum, quamvis sub alterâ significatione concurreret, admoneretque lectorem, utrâque auctoritate non spretâ, ab historiâ se se attollere ad ea requirenda, propter quæ significanda Historia ipsa conscripta est*. Ninive, inquit, figura est Ecclesiæ Gentium, *Jonas* Christi, Ecclesiam Gentium per Pœnitentiam Christus evertit, ut qualis fuerat jam ampliùs non esset. Hoc autem ipsius Salvatoris Resurrectione, quæ tertio die contigit, peractum est, atque

N etiam

etiam Ascensione, quâ in cælum quadragesimo die post Resurrectionem elatus est. Sic igitur, ajunt pii & eruditi viri, cùm in annis Patriarcharum ante & post Diluvium numerandis, & Septuaginta Interpretes, & vulgatus Interpres Latinus Hebraicam Veritatem fideliter reddens, sint veraces, posteriorque interpretatio secundùm literam priori nullo modo congruat, in priori altitudo prophetica esse piè creditur, quamvis quid ibi lateat mysterii Spiritus Sanctus nemini revelaverit. Ab hac sententiâ non longè abjisse videtur Venerabilis *Beda* Commentar. in cap. 3. *S. Matthæi* ubi de discrepantiâ Hebræorum & Græcorum Codicum in annis veterum Patriarcharum consignandis agens: *Quid horum*, inquit *sit verius, aut si utrumque verum esse possit, Deus noverit*.

Objicit Auctor Antiquitatis Temporum Restitutæ, Centum dumtaxat annos a Diluvio ad nativitatem *Phaleg*, secundùm Chronologiam Textus Hebraici numerari. Tunc temporis gentium dispersionem per universum terrarum orbem factam. Ab hoc eventu *Heberem* filio suo nomen impofuisse *Phaleg*, quod divisionem sonat. Id satis evidenter innuere Scripturam, Genesis 10. 25. *Josephum* id expresè asserere Libro 1. *Antiquitat.* cap. 6. *Dictus fuit Phaleg* inquit, *quia natus est dum terrarum fieret distributio*. Id confirmare *S. Augustinum* Libro 16. *De Civitate Dei*, cap. 11. Eodem tempore *Nembrodum* Babyloniorum Regnum condidisse. At incredibile est tres *Noachi* filios, *Semum*, *Chamum*, & *Japhetum*, intra centum annos tantum hominum numerum genuisse, qui Regnis condendis, propagandisque colonis sufficeret; siquidem septuaginta capita, Jacob scilicet ejusque filii ac nepotes, ducentorum & quindecim annorum intervallo, quo in Ægypto versati sunt, sexcenta dumtaxat hominum millia propagarunt, idque benedictione Dei singulari.

Respondetur, Ex Scripturâ Sacrâ non constare an dispersio Noachidarum facta sit quo tempore natus est *Phaleg*. In eâ solùm tradi, id nominis ipsi impositum, *eò quòd in diebus ejus divisa sit terra*. Incertum esse quâ *Phalegi* ætate, ineunte, procedente, an desinente, dispersio facta sit, cùm annis ducentis triginta novem vixerit, [ *Genesis* 11. 17. ] Quicquid hoc temporis intervallo contigit, dici posse *in diebus ejus* contigisse. Hebræos sub finem dierum ejus dispersionem consignare, in *Seder Olam Rabbath* cap. 1. In eamdem opinionem inclinare *S. Hieronymum* in Traditionibus Hebraicis: *Heber*, inquit, *vaticinio quodam filio suo Phaleg nomen imposuit, qui interpretatur*, divisio, *ab eo quòd in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sunt*. Contra, *S. Augustinus* Libro 16. *De Civitate Dei*, cap. 11. censet, *ipsum Heber propterea tale nomen imposuisse filio suo, quia tunc ei natus est, quando per linguas terra divisa est, id est, ipso tempore, ut hoc sit quod dictum est*, IN DIEBUS EJUS DIVISA EST TERRA. Non minùs in eâ quæstione dissentiunt recentiores Interpretes. In concordiam redigi facilè possunt pugnantes sententiæ, & Scriptura commodè explicari, si dispersio gentium cœpta quidem dicatur circa ortum *Phaleg*, sed non tam citò ad exitum perducta. Hujus rei argumentum est, quòd *Jectanis* tredecim filii in dispersione recensentur, quorum ne pater quidem *Jectan* in lucem editus fuerat cùm natus est *Phaleg*, utpote minor natu. Præterea ex octo hominibus circa tempus *Phaleg* nasci potuisse trecentorum octoginta & octo millium, sexcentorum, & quinque marium, totidemque feminarum numerum, demonstrari potest per progressionem Arithmeticam, si velano vigesimo demùm liberis operam dare primi illi orbis Instauratores cœpissent. Qui quidem numerus hominum, primarum coloniarum deductioni abundè sufficere poterat. Id minimè incredibile est, cùm *Abrahami* nepos *Jacob* suo etiam tempore viderit numerosas Gentes Madianitarum & Ismaëlitarum ab eodem avo *Abrahamo* originem ducentium. Denique benedictio illa *Noacho* & tribus ejus filiis bis a Deo data Genesis 10. 1. 7. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, fidem facit, futurum fuisse ut intra breve tempus incredibilis hominum multitudo existeret.

Præterea, Comparatio illa inter incrementum Israëlitarum in Ægypto, & primorum novi orbis colonorum instituta minùs æqua est; tum quia primi illi patres multò diutiùs quàm Israëlitæ vixerunt, adeòque ab iis majus posteritatis incrementum expectari potuit; tum quia peculiaris ille repetitæ benedictionis fructus haud dubiè in principio restaurati Mundi, quàm in progressu magis emicuit; tum denique quia Scriptura Sacra nusquam miraculo tribuit, quòd ex septuaginta viris, intra annos ducentos quindecim, ultra sexcenta hominum millia propagata sint. Neque sanè id naturæ vires ordinemque consuetum superabat, cùm non minùs mirandum fuerit ab uno *Amalech Esau* ex filio *Eliphaz* nepote, gentem adeo numerosam processisse, ut tantæ Israëlitarum multitudini ipse post egressum eorum ex Ægypto altero mense se opponere, & cum iis prælium conserere auderet, ut refertur *Exodi* 7. 8.

Objicit Auctor Antiquitatis temporum Restitutæ, Chaldæorum seu Babyloniorum Regnum annis amplius ter mille ante Christum natum, Ægyptiorum Imperium annis ampliùs bis mille nongentis sexaginta incœpisse; Sinarum quoque Monarchiam paris fere antiquitatis esse, cujus conditor primusque Rex *Fohi* anno ante vulgarem Æram bis millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo Imperium sit auspicatus, ut Annales Sinarum testantur, referente *Martinio*, Historiæ Sinicæ Libro 1. Porro si calculum Hebræorum & Editionis Vulgatæ sequamur, antiquissima illa Imperia septem aut octo ante Diluvium seculis incœperint necesse est; adeòque continuam Regum qui ipsa moderati sunt successionem Diluvio interruptam non fuisse, quod Scripturæ Sacræ repugnat. Hinc itaque colligitur, Hebraici Textûs Chronologiam quindecim sæculis mutilatam esse, quæ in Chronologiâ Septuaginta Interpretum numerantur; secundùm quam celeberrima illa Imperia sexcentis aut septingentis dumtaxat annis post Diluvium, id est, solido seculo post linguarum confusionem ac dispersionem gentium condita fuisse, manifestum erit.

Respondetur, Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinarum Chronologiam & antiquitatem fabulosam esse. *Chaldæi Mundi naturam sempiternam esse censerunt, qua neque certum principii ortum habeat, neque corruptionem ullo deinceps tempore admittat... At numerum annorum, quibus Mundi se considerationi vacasse Collegium Chaldæorum asseverat, haud facilè credideris. Nam ad expeditionem Alexandri in Asiam quadringenta & septuaginta duo millia numerant, ex quo sidera observari cœptum sit*. Verba sunt *Diodori Siculi* Libro 2. De his *Lactantius* Libro 7. cap. 14. *Chaldæi, ut Cicero tradidit Libro De Divinatione primo, quadringenta septuaginta millia annorum monimentis comprehensa se habere delirant, in quo quia se posse argui non putabant, liberum sibi crediderunt esse mentiri*. Ægyptii quoque mendacissimâ vanitate centum annorum millia numerabant, ex quo rationem siderum comprehendebat Ægyptus, *ut S. Augustinus* refert Libro 18. *De Civitate Dei*, cap. 40. Quamvis com-

Babylonem *Nembrodus* condiderit, incerta tamen est, & suspectæ fidei Babyloniorum Regum post eum successio ad *Belum* usque, uti & ipsorum anni. Ab *Eusebio* quidem & *Georgio Syncello*, nec non ab *Alexandro Polybistore* septem Babyloniorum Reges Chaldæi, & sex Arabes post *Nembrodum* numerantur, eorumque anni consignantur. Sed illi *Berosi* fidem secuti, qui fabulosam gentis antiquitatem ex falsis monumentis probabilem facere voluit, seu deceptus ipse, seu alios decipere volens. *Manetho* Dynastias Ægyptiorum fabulosas ex Diis & Heroibus, alias etiam ex hominibus confinxit, seu a Gente mendacissimâ confictas scriptis prodidit. Illum verò *Eusebius* & *Georgius Syncellus* exscripserunt, Deorum & Semideorum, seu Heroum Dynastiis exceptis. Quæ de Ægyptiorum fabulosâ Antiquitate scripsit *Manetho* ad *Ptolemæum Philadelphum*, Georgius ipse Syncellus *mendaciis plena, & ad Berosi imitationem conficta* fatetur. Quæ igitur ipsi in reliquis adhibenda fides? *Diodorus* item *Siculus* Libro 1. asserit se in rebus Ægyptiacis *nullam firmitatem fide dignam* ante Trojana tempora reperire. Præterea, diversos fortè Regulos, qui in diversis Nomis seu Præfecturis simul regnarunt, *Manetho* separavit. Omnia enim magna Imperia ex pluribus minorum ditionum ad extremum in unum coaluisse notum est. Fortè etiam anni lunares sive menstrui, sive quadrimestres, Chaldæis & Ægyptiis ab initio fuere, ut referunt *Diodorus Siculus* Libro 1. *Plinius* Libro 7. & *S. Augustinus* observat Libro 12. *De Civitate Dei*, cap. 10. *Perhibentur enim Ægyptii*, inquit, *quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur. Unde annus plenior & verior, qualis nunc & nobis & illis est, tres eorum annos complectebatur antiquos, sed ne sic quidem Græca Ægyptia numero temporum concordat Historia. Et ideo Græcæ potiùs fides habenda est: quia veritatem non excedit annorum, qui Literis nostris, quæ verè sacræ sunt, continentur.* Julius Africanus, Eusebius, Georgius Syncellus, qui post Manethonem Ægyptiorum Regum Dynastias descripserunt, nec in Dynastiarum ipsarum ordine, nec in Regum nominibus, nec in annorum numero inter se consentiunt. Septemdecim primas Ægyptiorum Dynastias, quæ Mosaica tempora præcesserunt, obscuras, perturbatas confusas fatetur Auctor ipse Antiquitatis temporum Restitutæ. Cùmque successivæ non fuerint, sed collaterales, pluribus Regibus in diversis Ægypti Provinciis simul regnantibus, ex eorum annis argumentum trahi non debet ad numerum annorum Mundi, quem Hebræi Codices habent, augendum. Æquè fingendi genio indulserunt Sinensium Historiographi, & *Confucius* in primis Sinarum Philosophorum Princeps. Ante *Fobi* enim tempora multa annorum millia numerant. Narrant tres Imperatores extitisse, primum Cæli, secundum Terræ, tertium Hominum, & horum quidem fratres alios aliis successisse per annos ampliùs quadraginta novem millia, post quos aliæ rursum triginta quinque familiæ perpetuâ serie per aliquot annorum millia imperarint. Præterea, primis Sinici Imperii conditoribus *Fobi*, *Xin-Num*, *Hoamti* multa planè falsa & fabulosa tribuunt Sinarum Annales. Exempli gratiâ, quòd mater *Fobi* dicta *Hoasi*, dum forte premeret gigantis vestigium, & lucidâ Iride cingeretur, eum conceperit, quòd huic deinde caput humanâ quidem formâ fuerit, sed corpus serpentinâ: Quòd Regi *Xin-Num* caput item fuerit bovinâ specie, quòd is uno eodemque die duodecim herbarum venenatarum genera repererit, totidemque singularum antidota. Quòd dum agriculturam instituere meditaretur, Cælum pluerit triticum & orizam, quæ humo inde mandarentur. Quòd mater *Hoamti* dicta *Fu-Pao* fœtum ediderit quatuor & viginti post mensibus quàm conceperit; quòd cum dictus Imperator octoginta & unum fratres rebelles debellare non valeret, submissa e Cælo Virgo eos commisso prælio extinxerit, & alia hujusmodi. Certè Historia tot scatens fabulis suspectæ admodum fidei est in primis illis Dynastiis, & in Chronologiâ. Tantùm igitur abest ut propter eam dimittenda sit Hebraica Scripturæ Sacræ Veritas, ut ea potius contemnenda sit, si cum Hebraicâ Veritate conciliari nequeat, secundùm certissimam illam regulam a *S. Augustino* traditam Libro 18. *De Civitate Dei*, cap. 40. *Cives impiæ Civitatis, diffusi usquequaque per terras, cùm legunt doctissimos homines, quorum nullius contemnenda videatur auctoritas, inter se de rebus gestis ab ætatis nostræ memoriâ remotissimis discrepantes, cui potiùs credere debeant, non inveniunt. Nos verò in nostræ Religionis Historiâ, fulti auctoritate divinâ, quicquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cetera in sæcularibus literis; quæ seu vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt, quo rectè beatèque vivamus.*

Quæ contra Hebraicos calculos in secundâ Mundi Ætate, sive in annis postdiluvianorum Patriarcharum objiciuntur, suo loco discutiemus.

Dubium excitarunt nonnulli, Utrum anni quibus genuisse dicuntur Patriarchæ, ad filiorum conceptionem, an ad nativitatem referendi sint: Quia enim gignendi vocabulum actum generationis paternum propriè significat, & inter generationem ac nativitatem filiorum novem mensium spatium secundùm naturæ leges intercedit, anni aliquot ad Chronologiam adjiciendi videri possent. Istud *Jacobi Auzoli* commentum refellit *Harvillæus* in Isagoge Chronologicâ §. 15. hoc maximè argumento, Quòd eâ admissâ sententiâ, planè incerta nobis temporum ratio redderetur. Quis enim, inquit, poterit assignare nisi divinando, quot menses & dies quilibet partus fuerit in utero? Cùm multi gestentur in eo non solum per novem menses, sed per decem, undecim, duodecim, tredecim? Præterquàm quod nonnulli quandòque gestantur per pauciores.

Ad *Auzoli* verò fundamentum optimè respondet *Usserius*, Chronologiæ Sacræ cap. 3. *Gignere* patri & matri esse commune, & ad nativitatem magis quàm ad conceptionem referri solere. Apud Latinos enim *genitus* & *natus* idem sonat, ut ex illo *Plinii* loco Libro 7. *Historiæ naturalis* cap. 7. manifestum est. *In pedes procedere nascentem, contra naturam est: quo argumento appellavere Agrippas, ut ægrè partos; qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico propè felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis.* Hinc *genituræ* & *nativitatis* apud Genethliacos schema idem est: & apud Theologos *Regenerati* iidem sunt ac *Renati*. Ita 1. Epistolæ *S. Petri* cap. 2. 2. *Modò geniti infantes*, qui lac concupiscunt, jam nati significantur, non concepti tantùm. Et *Matth.* 2. vers. 1. τοῦ γεννηθέντος mentione factâ, non conceptum sed natum in Bethleem Salvatorem quisque intelligit. Commune verò hoc sensu utrique sexui esse vocabulum probat *Usserius* ex Textu Græco *Matthæi* 1. 16. & *Lucæ* 1. 57. tum ex illo *Virgilii* in 1. Æneidos;

*Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ*
*Alma Venus Phrygiis genuit Simoëntis ad undam.*

# DISSERTATIO IX.

## DE PATRIARCHARUM Longævitate.

VEterum Patriarcharum longævitati *Moses* testimonium perhibet *Genesis*, cap. 5. ubi legimus *Adam* vixisse annis nongentis & triginta: *Seth* nongentis duodecim annis: *Enos* nongentis quinque annis: *Cainan* nongentis decem annis: *Malaleel* octingentis nonaginta quinque annis: *Jared* nongentis sexaginta duobus annis: *Enoch* trecentis sexaginta quinque annis usque dum a Deo translatus est: *Mathusala* nongentis sexaginta novem annis: *Lamech* septingentis septuaginta septem annis: *Noë* nongentis quinquaginta annis.

Id Ethnicis, aliisque nonnullis cùm incredibile videretur, finxerunt, annos a *Mose* numeratos pares nostris non fuisse, sed menstruos, quales olim Ægyptiis in usu fuerunt: aut certè tam breves, ut centum ex illis decem ex nostris non superarent; adeo ut illorum opinionem annus Patriarcharum absolutus fuerit spatio dierum circiter triginta sex. In eâ sententiâ fuisse *Varronem* testis est *Lactantius* Libro 2. cap. 12. *Sic facta*, inquit, *hominis vita est temporaria, sed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur, quod Divinis Literis proditum, & per omnium scientiam publicatum cùm Varro non ignoraret, argumentari nisus est, cur putarentur Antiqui mille annos vixitasse. Ait enim apud Ægyptios pro annis menses haberi, ut non Solis per duodecim signa circuitus faciat annum, sed Luna quæ orbem illum signiferum triginta dierum spatio illustrat.*

Eorum, qui suo tempore ita sentiebant, errorem exponit ac refellit *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 12. *Neque enim*, inquit, *ullo modo audiendi sunt, qui putant aliter annos illis temporibus computatos, id est, tantæ brevitatis, ut unus annus noster decem illos habuisse credatur. Quapropter, inquiunt, cùm audierit quisque vel legerit nongentos annos quemquam vixisse, debet intelligere nonaginta: decem quippe illi anni unus est noster; & decem nostri centum illi fuerunt. Ac per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam, quando genuit Seth; & ipse Seth viginti habebat & sex menses, quando ex illo natus est Enos, quos appellat Scriptura ducentos & quinque annos. Quoniam sicut isti suspicantur, quorum exponimus opinionem, unum annum qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant, & easdem partes annos vocabant..... Proinde etiam Enos, quem genuit Seth, decem & novem agebat annos, quando ex illo natus est filius ejus Cainan; quos annos dicit Scriptura centum nonaginta: Et deinceps per omnes generationes, in quibus hominum anni commemorantur ante Diluvium, nullus fere in nostris Codicibus invenitur, qui cùm esset centum annorum vel infra, vel etiam centum viginti, aut non multò amplius genuerit filium: sed qui minimâ ætate genuerunt, centum sexaginta, & quod excurrit, fuisse referuntur, quia, nemo inquiunt, decem annorum homo potest gignere filios, qui numerus centum appellaretur anni ab illis hominibus; sed in annis sexdecim est matura pubertas, & proli jam idonea procreandæ, quos centum & sexaginta annos illa tempora nucupabant. Ut autem aliter annum tunc fuisse computatum non sit incredibile, adjiciunt quòd apud plerosque Scriptores Historiæ reperitur, Ægyptios habuisse annum quatuor mensium, Acarnanas sex mensium, Lavinios tredecim mensium. Plinius Secundus cùm commemorasset, relatum fuisse in literas, quemdam vixisse centum quinquaginta duos annos, alium decem ampliùs, alios ducentorum annorum habuisse vitam, alios trecentorum, quosdam ad quingentos, alios ad sexcentos, nonnullos ad octingentos etiam pervenisse: hæc omnia propter inscitiam temporum accidisse arbitratus est. Alii quippe, inquit, æstate unum determinabant annum, & alterum hyeme, alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni, inquit, trimestres fuere. Adjecit etiam aliquando Ægyptios, quorum parvos annos quaternorum mensium fuisse supra diximus, Luna fine limitasse annum. Itaque apud eos, inquit, & singula millia annorum vixisse produntur. His velut probabilibus argumentis*, inquit, S. Augustinus, *quidam non destruentes fidem sacræ hujus Historiæ, sed adstruere nitentes, ne sit incredibile quòd tam multos annos vixisse referuntur Antiqui, persuaserunt sibi, nec se suadere imprudenter existimant, tam exiguum spatium temporis tunc annum vocatum, ut illi decem sint unus noster, & decem nostri centum illorum.* His præmissis, hanc sententiam refellit *S. Augustinus*, quam & nos ejus insistentes vestigiis refellimus hâc Dissertatione.

---

### PROPOSITIO UNICA.

*Annos Patriarcharum a Mose numeratos tam breves fuisse, ut decem ex illis unum ex nostris non superarent, falsissimum est; hujusque sententiæ falsitas documentis evidentissimis ostenditur. Pares ergo fuere nostris. Neque tamen incredibilis est Mosis de tantâ longævitate narratio.*

PRimum documentum quo hæc nostra Propositio probatur, illud est: Si anni illi Patriarcharum fuissent menstrui, vel triginta sex dierum, concedendum foret quosdam liberis operam dedisse anno sexto & septimo ætatis. *Cainam* cùm genuit *Malaleelem*, erat annorum septuaginta; *Malaleel* & *Henoch* sexaginta quinque impleverant, cùm ille *Jaredum*, hic *Mathusalam* edidit. Si igitur *Moses* annos menstruos intellexisset, sequeretur *Henoch* & *Malaleelem* statim post annum sextum; *Cainam* anno septimo pubertatis tempora ingressos liberis operam dedisse: quod certè admitti non potest: Hanc rationem attigit *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 12. *Poteramus*, inquit, *certè hanc asseverationem ex Hebræis Codicibus redarguere atque convincere, ubi Adam non ducentorum triginta, sed centum triginta annorum fuisse reperitur, quando tertium genuit filium, qui anni, si tredecim nostri sunt, procul dubio primum genuit quando undecim vel non multò amplius annorum fuit. Quis potest hac ætate generare usitatâ istâ, nobisque notissimâ lege naturæ? Sed hunc omittamus, qui fortasse etiam quando creatus est potuit. Non enim eum tam parvum, quàm infantes nostri sunt, factum fuisse credibile est. Sed filius ejus non ducentorum quinque, sicut nos legimus, sed centum quinque fuit, quando genuit Enos, ac per hoc secundùm istos nondum habebat undecim annos ætatis. Quid dicam de Cainan ejus filio, qui cùm apud nos centum septuaginta reperiatur, apud Hebræos septuaginta legitur fuisse, quando genuit Malaleel? Quis generat homo septennis, si tunc anni septuaginta nuncupabantur, qui septem fuerunt?*

Documentum alterum, quo nostra Propositio suadetur, ex ipsâ Diluvii historiâ petitum est. Aqua enim diluvii terram inundavisse dicitur anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo decimo die mensis, *Genesis* 8. vers. 4. A tempore

pore quo Diluvium cœpit, nempe secundi mensis die decimo-septimo, usque ad tempus quo cœperunt decrescere aquæ, quod factum ante mensis septimi diem decimum-septimum, numerantur centum & quinquaginta dies [ *Genesis* 8. vers.3. ] Ex quibus colligitur *Mosem* annos pares nostris intellexisse. Quomodo enim annus menstruus aut triginta sex dierum, continere posset varietatem mensium primi, septimi, decimi, in eodem mense dierum septemdecim? Si brevis hujusmodi annus distribui in menses potuisset, nullus tamen mensis septendecim dies habere potuisset; & a secundi mensis die decima-septimâ ad septimi mensis diem decimam-septimam dies centum & quadraginta fluentes manifestè arguunt mensium similium nostris, seu integrarum saltem lunationum mensuram a *Moyse* usurpatam fuisse.

Confirmatur ex his quæ habentur cap.8. Genesis v.4. de fine diluvii. *Requievitque Arca mense septimo, vigesimo-septimo die mensis, super Montes Armeniæ. At verò aquæ ibant & decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, primâ die mensis, apparuerunt cacumina montium.* Nec enim in anno menstruo decem menses, nec in mense uno dies viginti septem numerari potuissent.

Hoc etiam argumentum urget *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap.14. *Sexcentesimo*, inquit, *anno vitâ Noë scriptum est factum esse diluvium. Cur ergo ibi legitur*: Et aqua diluvii facta est super terram sexcentesimo anno in vitâ Noe, secundi mensis, septimâ & vigesimâ mensis; *Si annus ille minimus, quales decem faciunt unum nostrum, triginta sex dies habebat? Tantillus quippe annus, si antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menses, aut mensis ejus est triduum, ut habeat duodecim menses. Quomodo igitur hîc dictum est*, Sexcentesimo anno, secundi mensis, septimâ & vigesimâ die mensis, *nisi quia tales quales nunc sunt, etiam tunc erant menses? Nam quo pacto aliter vigesimo & septimo die secundi mensis diceretur cœptum esse diluvium? Deinde postea in fine diluvii ita legitur*: Et sedit Arca in mense septimo, septimâ & vigesimâ die mensis, super montes Ararat, Aqua autem minuebatur usque ad undecimum mensem; in undecimo autem mense, primâ die mensis, paruerunt capita montium. *Si igitur tales menses erant, tales profectò & anni erant, quales nunc habemus. Menses quippe illi triduani, viginti & septem dies habere non poterant. Aut si pars trigesima tridui tunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur, ergo nec toto quatriduo nostro factum est illud tam grande diluvium, quod memoratur factum quadraginta diebus & noctibus. Quis hanc absurditatem & vanitatem ferat? Proinde removeatur hic error, qui conjecturâ falsâ ita vult adstruere Scripturarum nostrarum fidem, ut alibi destruat. Prorsus tantus etiam tunc dies fuit, quantus nunc est, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo nocturnoque determinant: tantus mensis quantus & nunc est, quem Luna cœpta & finita concludit; tantus annus quantus & nunc est, quem duodecim menses lunares, additis propter cursum solarem quinque diebus & quadrante, consummant: quanti anni sexcentesimi vitæ Noë secundus erat mensis, ejusque mensis vigesimus & septimus dies, quando cœpit esse diluvium; in quo dies quadraginta continuata ingentis pluviæ memorantur, qui dies non binas ac paulò amplius horas habebant, sed vicenas & quaternas die noctuque transactas.*

Tertium documentum, quo nostra probatur Propositio, sumitur ex genealogiâ posterorum *Sem*, quam describit *Moses* Genesis 11. capite. In dubium enim revocari sapienter non potest, quin *Moses* eo in loco ejusdem mensuræ annos usurpaverit. Porro *Sem* dicitur vixisse sexcentos annos. *Arphaxad* trecentos triginta & octo. *Sale* quadringentos triginta tres. *Heber* quadringentos sexaginta quatuor. *Phaleg* ducentos triginta novem. *Reu* ducentos triginta novem. *Sarug* ducentos & triginta. *Nachor* centum quadraginta & octo. *Thare* ducentos & quinque. *Abraham* centum septuaginta quinque annis [ *Genesis* 25. vers.7. ]. Hic si menstruos annos usurpasse *Mosen* intelligamus, sequitur brevissimam fuisse vitam illorum, qui *Heberum* secuti sunt. *Phaleg* enim non ampliùs quàm viginti quatuor annos implevisset; *Reu*, *Sarug* fere totidem; *Nachor* quindecim; *Thare* viginti; *Abraham* septemdecim. Et tamen *Abrahamum* objisse dicit Scriptura, *deficientem in senectute bonâ, provectæque ætatis, & plenum dierum*. Quin etiam cùm *Nachor* dicatur genuisse *Thare* anno ætatis vigesimo-nono, generare cœpisset tertio vitæ anno nondum expleto. Accedit, quòd *Jacob* ad *Pharaonem* Regem introductus de ætate suâ ita queritur *Genes.* 47. vers.6. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt*. Sanè si primorum Patriarcharum annos menstruos intelligamus, nulla fides est hujus orationis. Ipsum namque *Mathusalam*, qui inter Patriarchas longissimam vitam egisse dicitur, integros triginta tres annos anteivisset. Igitur cum *S. Augustino* concludamus loco superiùs laudato: *Ac per hoc tam magnos annos vixerunt illi Antiqui usque ampliùs quàm nongentos, quantos postea vixit Abraham centum septuaginta quinque, & post eum filius ejus Isaac centum octoginta, & filius ejus Jacob prope centum quinquaginta, & quantos interpositâ aliquantâ ætate Moyses centum & viginti, & quantos etiam nunc vivunt homines septuaginta vel octoginta, vel non multò ampliùs, de quibus dictum est*: Et ampliùs eis labor & dolor. *Illa verò numerorum varietas ( quæ inter Codices Hebræos invenitur & nostros, neque de hac Antiquorum longævitate dissentit, & si quid habet ita diversum ut verum esse utrumque non possit, rerum gestarum fides ab eâ linguâ repetenda est, ex quâ interpretatum est quod habemus.*

Quòd autem non sit incredibilis Mosaica de tantâ longævitate narratio, probatur ex Historicorum profanorum testimoniis, a *Josepho* laudatis Libro 1. *Antiquitatum*, cap. 12. scilicet *Berosi* in Chaldaicis, *Manethonis* in Ægyptiacis, *Hieronymi* in Phœniciis; *Hestiæi*, *Hecatæi*, *Hellanici* in Græcanicis; *Acusilai*, *Ephori*, *Nicolai Damasceni*, quorum plerumque libri tempore *Josephi* adhuc superstites fuerunt. *Josephi* locum exhibeo ut refertur ab *Eusebio* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.13. *Nemo*, inquit, *priscorum hominum vitam cum nostra annorumque nostrorum brevitate componens, quæ de ipsis memorantur falsa esse putet, dum ex longè brevioribus vita nostra spatiis, ne Veteres quidem illos tantum vivendo temporum conficere potuisse conjiciet. Nam illi sanè partim quòd Deo cariores, ipsâque illius manu fati essent, partim quòd cibis vim suam diutiùs integritatemque retinentibus uterentur, vitam in tot annos propagare commodè poterant. Adde verum etiam fuisse, ut partim in virtutis suæ præmium, partim ad accuratiorem ac certiorem cùm Astrologiæ, tum Geometriæ, quas ipsi Artes invenerant, usum & experientiam, longiorem eis Deus vitam indulgeret; quippe qui nisi sexcentos minimùm annos, quot videlicet Magnus Annus absolvitur, vivendo complevissent, certi nihil unquam iis de rebus posteris tradidissent. Cujus equidem rei testes habeo, quotquot Græcos inter Barbarosque rerum antiquarum monimenta reliquere. Nam & Manethus*

qui

*qui Ægyptiacam, & Berosus qui Chaldaicam scripsit Historiam, & Molus, & Hestiaus, & Hieronymus Ægyptius, quique res Phœnicum prosecuti sunt, uno mihi omnes ore suffragantur, imò etiam Hesiodus, Hecataus, Hellanicus, Acusilaus, Ephorus item & Nicolaus, Veteres mille annos vixisse tradunt.* Idem quoque testatur inter Poëtas *Hesiodus*.

Tantam veterum Patriarcharum longævitatem incredibilem non esse, confirmat *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 9. *Antiquorum*, inquit, *magnitudines corporum inventa plerumque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multò posterioribus seculis produnt. Annorum autem numerositas cujusque hominis, qui temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum potest. Nec tamen ideo fides sacra huic Historia derogandа est, cujus tantò impudentiùs narrata non credimus, quantò impleri certiùs prænuntiata conspicimus. Dicit tamen etiam idem Plinius, esse adhuc gentem ubi ducentos annos vivitur. Si ergo humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non sumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuisse credantur & tempora? An vero est credibile alicubi esse quod hic non est, & incredibile est aliquando fuisse quod hìc non est?* Longævitatis hujusce rationem reddit *Theodoretus* Interrogatione 49. in Genesim. Quærit, *Quare longo tempore vivebant Antiqui?* Respondet: *ut longiore temporis spatio augeri numero possent. Nam propter hoc etiam plures uxores ducebant. Itaque etiam post diluvium usque ad tempora Patriarcharum longævi erant. Postea quàm autem terram repleurunt, diminutus est deinceps annorum numerus.*

Objiciet quispiam, Incredibile esse primæ Ætatis Patriarchas, cœlibes vixisse, aut continentiam in Matrimonio servasse ad illam usque ætatem: quâ Scriptura sacra ipsos liberis operam dedisse refert, nimirum *Seth* genuisse *Enos* anno centesimo quinto vitæ suæ; *Enos* jam nonagenarium genuisse *Cainan*; & *Mathusalam* annorum centum octoginta septem genuisse *Lamech*; denique *Noë* anno ætatis suæ quingentesimo genuisse *Sem*, *Cham*, & *Japhet*. Annos igitur Patriarcharum nostris fuisse minores longè verisimilius est.

Hanc difficultatem duplici Responsione diluit *S. Augustinus*. Prima est, Illos primorum seculorum homines pubertatis annos longè seriùs attigisse ex proportione longævissimæ ætatis. Altera longè probabilior est, Genealogiam illam quam describit *Moyses*, non esse per familiarum primogenitos contextam, sed per eos duntaxat, per quos generationum series ad Noë usque perduceretur, & exinde ad *Abraham*, cujus ex stirpe futurus erat Christus. *Hæc Quæstio*, inquit *S. Augustinus*, Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 15. *duobus modis solvitur. Aut enim tantò serior fuit proportione pubertas, quantò vita totius major annositas: aut, quod magis video esse credibile, non hìc primogeniti filii commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat, ut perveniretur ad Noe, a quo rursus ad Abraham videmus esse perventum; ac deinde usque ad certum articulum temporis, quantùm oportebat signari etiam generationibus commemoratis cursum gloriosissima Civitatis in hoc Mundo peregrinantis, & supernam patriam requirentis. Quod enim negari non potest, prior omnibus Cain ex conjunctione maris & fœminæ natus est. Neque enim illo nato dixisset Adam, quod dixisse legitur:* Acquisivi hominem per Deum; *nisi illis duobus ipse fuisset homo nascendo additus primus. Hunc secutus Abel, quem major frater occidit, præfiguratione quadam peregrinantis Civitatis Dei, quòd ab impiis, & quodammodo terrigenis, id est, terrenam originem diligentibus, & terrenæ civitatis terrenâ felicitate gaudentibus, persecutiones iniquas passura fuerat, primus ostendit. Sed quot annorum erat Adam cùm eos genuit, non apparuit. Exinde digeruntur generationes aliæ de Cain, aliæ de illo quem genuit Adam in ejus successionem quem frater occidit, & appellavit nomen illius Seth, dicens, ut scriptum est,* Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain. *Cùm itaque ista duæ series generationum, una de Seth, altera de Cain, has duas de quibus agimus, distinctis ordinibus insinuent Civitates, unam cælestem in terris peregrinantem, alteram terrenam terrenis, tanquam sola sint, gaudiis inhiantem vel inhærentem: Nullus de progenie Cain, cùm dinumerata sit connumerato Adam usque ad octavam generationem, quot annorum fuisset expressus est, quando genuit eum qui commemoratur post eum. Noluit enim Spiritus Dei in terrena civitatis generationibus tempora notare ante diluvium, sed in cælestis maluit, tanquam essent memoriâ digniores. Porro autem Seth quando natus est, non quidem taciti sunt anni patris ejus, sed jam genuerat alios: & utrùm solos Cain & Abel, affirmare quis audeat? Non enim quia soli nominati sunt propter ordines generationum quas commemorari oportebat, ideo consequens videri debet solos tunc fuisse generatos ex Adam. Cùm enim silentio coopertis omnium nominibus cæterorum, legatur eum genuisse filios & filias, quota fuerit ista proles ejus, quis præsumat asserere, si culpam temeritatis evitat? Potuit quippe Adam divinitus admonitus dicere, postea quàm Seth natus est.* Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel; *quoniam talis erat futurus qui impleret illius sanctitatem, non quod ipse prior post eum temporis ordine nasceretur. Deinde quod scriptum est,*
„ Vixit autem Seth quinque & ducentos annos *vel secundùm Hebræos*, quinque & centum annos, & genuit Enos, *Quis possit nisi inconsideratus asseverare hunc ejus primogenitum fuisse? Ut admirantes meritò requiramus, quomodo per tot annos immunis fuerit a connubio sine ullo proposito continentia, vel non genuerit conjugatus: quando-*
„ *quidem etiam de ipso legitur*. Et genuit filios &
„ filias, & fuerunt omnes dies Seth duodecim
„ & nongenti anni, & mortuus est. *Atque ita deinceps quorum anni commemorantur, nec filios filiasque genuisse reticentur. Ac per hoc non apparet omnino, utrùm qui nominatur genitus, ipse fuerit primogenitus: Immo verò quoniam credibile non est, patres illos ætate tam longâ aut impuberes fuisse, aut conjugibus caruisse vel fœtibus; nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. Sed cùm Sacræ Scriptor Historiæ ad ortum vitamque Noë, cujus tempore diluvium factum est, per successiones generationum notatis temporibus intenderet pervenire, eas utique commemoravit, non quæ primæ suis parentibus fuerint, sed quæ in propagationis ordinem venerint.*

Huic hypothesi fidem adstruit *S. Augustinus* exemplo arcessito ex Genealogiâ Christi a *S. Matthæo* descriptâ, cujus illæ a Mose recensitæ generationes rudimenta quædam sunt ac præludia. *Evangelista* inquit, *Matthæus generationem Dominicæ carnis per seriem parentum volens commendare memoriæ, ordines a patre Abrâham, atque ad David primitus ut perveniret intendens*, Abraham, *inquit*, genuit Isaac: *Cur non dixit Ismaël, quem primitus genuit?* Isaac autem, *inquit*, genuit Jacob; *Cur non dixit Esau, qui ejus primogenitus fuit? Quia scilicet per illos ad David pervenire non posset. Deinde sequitur:* Jacob autem genuit Judam & fratres ejus: *Numquid Judas primogenitus fuit?* Judas, *inquit*, genuit Phares & Zaram: *Nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus Judæ, sed ante illos jam tres genuerat. Eos itaque tenuit in ordine generationum, per quos ad David,*

*atque inde quò intenderat perveniret. Ex quo intelligi potest, veteres quoque homines ante diluvium non primogenitos, sed eos fuisse commemoratos, per quos succedentium ordo generationum ad Noë Patriarcham duceretur, ne sera pubertatis illorum obscura & non necessaria quaestio nos fatiget.*

SCHOLION I.

Primævos homines longævos fuisse confirmat eruditus Præsul D. Huetius Lib. 2. Alnetanarum Quæstionum *De Concordiâ Rationis & Fidei*, cap. „ 12. §. 4. Primorum hominum vitam, inquit, nostrâ longè fuisse diuturniorem, non solùm veterum Scriptorum testimoniis probare licet, quod a Josepho factum est, sed etiam compluribus exemplis, quorum constat fides. Seres annos vivere trecentos feruntur. Est hodieque apud Sinas Templum Heroi cuidam consecratum, quem annos tradunt vixisse trecentos viginti duos, cùm sæpiùs juventuti esset restitutus. Indorum vitam annis triginta vel quadraginta supra centum vulgò determinant Veteres. Memoratur item Brachmanum diuturnitas; & Pandorarum, ac Cynocephalorum, Indicarum gentium, quas tradidit Ctesias annum vitæ ducentesimum assequi. Scribunt Arabes in Vitâ Tamerlanis, virum quendam Sogdianum Maracandâ ortum, vixisse annos trecentos & quinquagintâ. Narrat Elmacinus, sæculo post Christum natum septimo obiisse Solimanum quemdam Persam anno ætatis trecentesimo & quinquagesimo: nec multò post venisse ad Muaviam Calipham Obedium Saracenum trecentorum annorum. Prædicantur & inter Græcos quidam insigni vitæ prolixitate nobiles; velut Epiorum gens in Ætoliâ, quos ajunt ad annos ducentos vitam produxisse, & quosdam etiam ex illis ad annos trecentos. Ad hæc adjiciuntur nonnulla a Plinio & Valerio Maximo, ex vetustioribus Auctoribus Xenofonte & Alexandro Polyhistore, quæ etsi fabulis videntur similia, veritati tamen sacrorum Codicum fidem faciunt. Danthoni Illyrio annos vitæ largiuntur quingentos; sexcentos alteri cuidam Regi; octingentos ejus filio. Macrosiridi, cujus cadaver in Insulâ Athenis proximâ effossum est, annorum vitæ quinque millia tribuebat sepulcrale Epigramma. Ex Italis multos longâ ævi diuturnitate floruisse iidem perhibent Auctores, quos dixi, Plinius & Valerius; atque item Lucianus & Phlegon. Longævos quoque homines habet Septentrio. Hyperboreos progeniem vivacissimam appellat Callimachus. Millesimum vitæ annum assequi dicuntur ab Onesicrito, Simonide, Pindaro, & aliis.

*Elmac. Histor. Sarac. lib. 1. cap. 4.*

*Plinius lib. 7. cap. 48. Valerius Maxim. lib. 8. cap. 13. §. 7. Lucianus de Macrob. Phlegon De Longæv. cap. 3. & 4. Callim. Hymn. in Delum. Onesicr. & Simonid. apud Strab. lib. 15. Pindar. Pyth. Od. 10.*

SCHOLION II.

Non est cur primævorum hominum longævitati invideamus. Melior enim nobis est vita brevis quàm diuturna. Melius est dissolvi, & esse cum Christo. Melius est ut citò nobis adveniat Regnum Dei, cujus adventum Oratione Dominicâ postulamus. Melius est ut in nobis finem accipiat peccatum. Mors autem peccati finis est. *Ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior; passus est Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret.* Quod justos spectat, mors ipsis lucrum est. *Ejus est in Mundo diu velle remanere, quem Mundus oblectat. Porrò cùm Mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te redemit & diligit? Quis non peregrè constitutus, properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidiùs optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus; parentes Patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus & currimus ut patriam videre, ut parentes salutare possimus?* Quod spectat impios, quamvis mors illis amara sit, amarior tamen vita quàm mors. *Gravius est enim ad peccatum vivere, quàm in peccato mori, quia impius quamdiu vivit, peccatum auget: si moriatur, peccare desinit. Plerique criminum suorum absolutione latantur. Si emendaturi sunt, rectè: si perseveraturi in eis, stultè; quia longè illis plùs damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum.*

*S. Ambros. lib. de Bono Mortis, cap. 4.*

*S. Cyprian. lib. De Mortal.*

*S. Ambros. lib. De Bono Mortis, cap. 7.*

# DISSERTATIO X.

## De Arcâ Noe, & Diluvio.

### ARTICULUS I.

*De Arca Amplitudine.*

Amplitudinem Arcæ, numerumque animalium in eâ servandorum *Noacho* præscripsit Deus *Genesis* cap. 6. & 7. *Fac tibi*, inquit, *Arcam de lignis lævigatis: mansiunculas in Arcâ facies, & bitumine linies intrinsecùs & extrinsecùs. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo Arca: Quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in Arcâ facies, & in cubitu consummabis summitatem ejus: ostium autem Arca pones ex latere: deorsum canacula, & tristega facies in eâ.* Et cap. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam ... Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena; masculum & feminam: de animantibus vero immundis duo & duo, masculum & feminam. Sed & de volatilibus cæli septena, masculum & feminam, ut salvetur semen sup r universam faciem terra.*

Id velut figmentum sugillarunt *Celsus* ab *Origene* confutatus, *Apelles*, aliique Hæretici; pro incredibili habentes & absurdo, quòd Arca longa trecentos cubitos, lata quinquaginta, alta triginta, generum omnium seminaria continere potuerit. Infidelium cavillationes ut refelleret *Origenes*, cubitos, quibus arcæ magnitudo definitur, haud vulgares esse ac usitatos asseruit, sed geometricos, sex cubitis vulgaribus, hoc est, novem pedibus æquales. *Origenis* locum exhibeo Homiliâ 2. in Genesim. *Apelles*, inquit, *discipulus Marcionis, sed alterius hæreseos inventor, adversùs structuram Arca disputat, probare volens Scripta Mosis nihil habere divina Sapientia, nec esse a Spiritu Sancto profecta. Disputat autem nullo modo fieri potuisse, ut tam breve spatium Arca tot animalium genera, eorumque cibos qui per totum annum sufficerent, capere potuerit. Cùm enim bina & bina ex immundis animalibus, hoc est, bini masculi, & bina femina; ex mundis verò septena & septena in Arcam dicantur inducta, quomodo fieri potuit ut spatium illud Arca descriptum a Mose vel quatuor tantùm elephantos capere potuisset? Et postquam per singulas species hoc modo refragatur, concludit his verbis: Constat ergo, inquit, fictam esse fabulam: quod si est, constat a Deo non esse hanc Scripturam. Sed ad hæc nos* (inquit Origenes) *quæ a prudentibus Viris, & Hebraicarum Traditionum gnaris, atque veteribus Magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Ajebant ergo Majores, quòd Moses, qui, ut Scriptura testatur, omni sa-*

*qui Ægyptiacam, & Berosus qui Chaldaicam scripsit Historiam, & Molus, & Hestiaus, & Hieronymus Ægyptius, quique res Phœnicum prosecuti sunt, uno mihi omnes ore suffragantur, imò etiam Hesiodus, Hecataus, Hellanicus, Acusilaus, Ephorus item & Nicolaus, Veteres mille annos vixisse tradunt.* Idem quoque testatur inter Poëtas *Hesiodus*.

Tantam veterum Patriarcharum longævitatem incredibilem non esse, confirmat *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 9. *Antiquorum*, inquit, *magnitudines corporum inventa plerumque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multò posterioribus seculis produnt. Annorum autem numerositas cujusque hominis, qui temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum potest. Nec tamen ideo fides sacra huic Historiæ deroganda est, cujus tantò impudentiùs narrata non credimus, quantò impleri certiùs prænuntiata conspicimus. Dicit tamen etiam idem Plinius, esse adhuc gentem ubi ducentos annos vivitur. Si ergo humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non sumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuisse credantur & tempora? An verò est credibile alicubi esse quod hic non est, & incredibile est aliquando fuisse quod hic non est?* Longævitatis hujusce rationem reddit *Theodoretus* Interrogatione 49. in Genesim. Quærit, *Quare longo tempore vivebant Antiqui?* Respondet: *ut longiore temporis spatio augeri numero possent. Nam propter hoc etiam plures uxores ducebant. Itaque etiam post diluvium usque ad tempora Patriarcharum longævi erant. Postea quàm autem terram repleruut, diminutus est deinceps annorum numerus.*

Objiciet quispiam, Incredibile esse primæ Ætatis Patriarchas, cœlibes vixisse, aut continentiam in Matrimonio servasse ad illam usque ætatem: quâ Scriptura sacra ipsos liberis operam dedisse refert, nimirum *Seth* genuisse *Enos* anno centesimo quinto vitæ suæ; *Enos* jam nonagenarium genuisse *Cainan*; & *Mathusalam* annorum centum octoginta septem genuisse *Lamech*; denique *Noë* anno ætatis suæ quingentesimo genuisse *Sem*, *Cham*, & *Japhet*. Annos igitur Patriarcharum nostris fuisse minores longè verisimilius est.

Hanc difficultatem duplici Responsione diluit *S. Augustinus*. Prima est, Illos primorum seculorum homines pubertatis annos longè seriùs attigisse ex proportione longævissimæ ætatis. Altera longè probabilior est, Genealogiam illam quam describit *Moyses*, non esse per familiarum primogenitos contextam, sed per eos duntaxat, per quos generationum series ad *Noë* usque perduceretur, & exinde ad *Abraham*, cujus ex stirpe futurus erat Christus. *Hæc Quæstio*, inquit *S. Augustinus*, Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 15. *duobus modis solvitur. Aut enim tantò serior fuit proportione pubertas, quantò vita totius major annositas: aut, quod magis video esse credibile, non hic primogeniti filii commemorati sunt, sed quos successionis ordo poscebat, ut perveniretur ad Noe, a quo rursus ad Abraham videmus esse perventum; ac deinde usque ad certum articulum temporis, quantùm oportebat signari etiam generationibus commemoratis cursum gloriosissimæ Civitatis in hoc Mundo peregrinantis, & supernam patriam requirentis. Quod enim negari non potest, prior omnibus Cain ex conjunctione maris & fœminæ natus est. Neque enim illo nato dixisset Adam, quod dixisse legitur:* Acquisivi hominem per Deum; *nisi illis duobus ipse fuisset homo nascendo additus primus. Hunc secutus Abel, quem major frater occidit, præfiguratione quadam peregrinantis Civitatis Dei, quòd ab impiis, & quodammodo terrigenis, id est, terrenam originem diligentibus, & terrena civitatis terrenâ felicitate gaudentibus, persecutiones iniquas passura fuerat, primus ostendit. Sed quot annorum erat Adam cùm eos genuit, non apparuit. Exinde digeruntur generationes aliæ de Cain, aliæ de illo quem genuit Adam in ejus successionem quem frater occidit, & appellavit nomen illius Seth, dicens, ut scriptum est*, Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain. *Cùm itaque ista duæ series generationum, una de Seth, altera de Cain, has duas de quibus agimus, distinctis ordinibus insinuent Civitates, unam cælestem in terris peregrinantem, alteram terrenam terrenis, tanquam sola sint, gaudiis inhiantem vel inhærentem: Nullus de progenie Cain, cùm dinumerata sit connumerato Adam usque ad octavam generationem, quot annorum fuisset expressus est, quando genuit eum qui commemoratur post eum. Noluit enim Spiritus Dei in terrena civitatis generationibus tempora notare ante diluvium, sed in cælestis maluit, tanquam essent memoriâ digniores. Porro autem Seth quando natus est, non quidem taciti sunt anni patris ejus, sed jam genuerat alios: & utrùm solos Cain & Abel, affirmare quis audeat? Non enim quia soli nominati sunt propter ordines generationum quas commemorari oportebat, ideo consequens videri debet solos tunc fuisse generatos ex Adam. Cùm enim silentio coopertis omnium nominibus cæterorum, legatur eum genuisse filios & filias, quota fuerit ista proles ejus, quis præsumat asserere, si culpam temeritatis evitat? Potuit quippe Adam divinitus admonitus dicere, postea quàm Seth natus est.* Suscitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel; *quoniam talis erat futurus qui impleret illius sanctitatem, non quod ipse prior post eum temporis ordine nasceretur. Deinde quod scriptum est*, „ Vixit autem Seth quinque & ducentos annos *vel secundùm Hebræos*, quinque & centum annos, & genuit Enos, *Quis possit nisi inconsideratus asseverare hunc ejus primogenitum fuisse? Ut admirantes meritò requiramus, quomodo per tot annos immunis fuerit a connubio sine ullo proposito continentiæ, vel non genuerit conjugatus: quando- „ quidem etiam de ipso legitur.* Et genuit filios & „ filias, & fuerunt omnes dies Seth duodecim „ & nongenti anni, & mortuus est. *Atque ita deinceps quorum anni commemorantur, nec filios filiasque genuisse reticentur. Ac per hoc non apparet omnino, utrùm qui nominatur genitus, ipse fuerit primogenitus: Immo verò quoniam credibile non est, patres illos ætate tam longâ aut impuberes fuisse, aut conjugibus caruisse vel fœtibus; nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. Sed cùm Sacra Scriptor Historiæ ad ortum vitamque Noë, cujus tempore diluvium factum est, per successiones generationum notatis temporibus intenderet pervenire, eas utique commemoravit, non quæ primæ suis parentibus fuerint, sed quæ in propagationis ordinem venerint.*

Huic hypothesi fidem adstruit *S. Augustinus* exemplo arcessito ex Genealogiâ Christi a *S. Matthæo* descriptâ, cujus illæ a Mose recensitæ generationes rudimenta quædam sunt ac prælidia. *Evangelista* inquit, *Matthæus generationem Dominicæ carnis per seriem parentum volens commendare memoriæ, ordines a patre Abraham, atque ad David primitus ut perveniret intendens*, Abraham, *inquit*, genuit Isaac: *Cur non dixit Ismaël, quem primitus genuit?* Isaac autem, *inquit*, genuit Jacob; *Cur non dixit Esau, qui ejus primogenitus fuit? Quia scilicet per illos ad David pervenire non posset. Deinde sequitur:* Jacob autem genuit Judam & fratres ejus: *Numquid Judas primogenitus fuit?* Judas, *inquit*, genuit Phares & Zaram: *Nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus Judæ, sed ante illos jam tres genuerat. Eos itaque tenuit in ordine generationum, per quos ad David,*

atque

*atque inde quò intenderat perveniret. Ex quo intelligi potest, veteres quoque homines ante diluvium non primogenitos, sed eos fuisse commemoratos, per quos succedentium ordo generationum ad Noë Patriarcham duceretur, ne sera pubertatis illorum obscura & non necessaria quæstio nos fatiget.*

SCHOLION I.

Primævos homines longævos fuisse confirmat eruditus Præsul D. Huetius Lib. 2. Alnetanarum Quæstionum *De Concordiâ Rationis & Fidei*, cap. ,, 12. §. 4. Primorum hominum vitam, inquit, nostrâ longè fuisse diuturniorem, non solùm veterum Scriptorum testimoniis probare licet, ,, quod a Josepho factum est, sed etiam compluribus exemplis, quorum constat fides. Seres annos vivere trecentos feruntur. Est hodieque ,, apud Sinas Templum Heroi cuidam consecratum, quem annos tradunt vixisse trecentos viginti duos, cùm sæpiùs juventuti esset ,, restitutus. Indorum vitam annis triginta vel quadraginta supra centum vulgò determinant ,, Veteres. Memoratur item Brachmanum diuturnitas; & Pandorarum, ac Cynocephalorum, ,, Indicarum gentium, quas tradidit Ctesias annum vitæ ducentesimum assequi. Scribunt Arabes in Vitâ Tamerlanis, virum quendam Sogdianum Maracandâ ortum, vixisse annos trecentos & quinquagintà. Narrat Elmacinus, ,, sæculo post Christum natum septimo obiisse Solimanum quemdam Persam anno ætatis trecentesimo & quinquagesimo: nec multò post venisse ad Muaviam Calipham Obedium Saracenum trecentorum annorum. Prædicantur & inter Græcos quidam insigni vitæ prolixitate nobiles; velut Epiorum gens in Ætoliâ, quos ajunt ad annos ducentos vitam produxisse, & ,, quosdam etiam ex illis ad annos trecentos. ,, Ad hæc adjiciuntur nonnulla a Plinio & Valerio Maximo, ex vetustioribus Auctoribus Xenofonte & Alexandro Polyhistore, quæ etsi fabulis videntur similia, veritati tamen sacrorum Codicum fidem faciunt. Danthoni Illyrio ,, annos vitæ largiuntur quingentos; sexcentos alteri cuidam Regi; octingentos ejus filio. Macrosiridi, cujus cadaver in Insulâ Athenis proximâ effossum est, annorum vitæ quinque millia tribuebat sepulcrale Epigramma. Ex Italis multos longâ ævi diuturnitate floruisse iidem perhibent Auctores, quos dixi, Plinius & Valerius; atque item Lucianus & Phlegon. Longævos quoque homines habet Septentrio. Hyperboreos progeniem vivacissimam appellat ,, Callimachus. Millesimum vitæ annum assequi ,, dicuntur ab Onesicrito, Simonide, Pindaro, ,, & aliis.

*Elmac. Hiflor. Sarac. lib. 1. cap. 4.*

*Plinius lib. 7. cap. 48. Valerius Maxim. lib. 8. cap. 13. §. 7. Lucianus de Macrob. Phlegon De Longæv. cap. 3. & 4. Callim. Hymn. in Delum. Onesicr. & Simonid. apud Strab. lib. 15. Pindar. Pyth. Od. 10.*

SCHOLION II.

Non est cur primævorum hominum longevitati invideamus. Melior enim nobis est vita brevis quàm diuturna. Melius est dissolvi, & esse cum Christo. Melius est ut citò nobis adveniat Regnum Dei, cujus adventum Oratione Dominicâ postulamus. Melius est ut in nobis finem accipiat peccatum. Mors autem peccati finis est. *Ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior; passus est Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret.* Quod justos spectat, mors ipsis lucrum est. *Ejus est in Mundo diu velle remanere, quem Mundus oblectat. Porrò cùm Mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te redemit & diligit? Quis non peregrè constitutus, properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidiùs optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus; parentes Patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus & currimus ut patriam videre, ut parentes salutare possimus?* Quod spectat impios, quamvis mors illis amara sit, amarior tamen vita quàm mors. *Gravius est enim ad peccatum vivere, quàm in peccato mori, quia impius quamdiu vivit, peccatum auget: si moriatur, peccare desinit. Plerique criminum suorum absolutione latantur. Si emendaturi sunt, rectè: si perseveraturi in eis, stultè; quia longè illis plùs damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum.*

*S. Ambrof. lib. de Bono Mortis, cap. 4.*

*S. Cyprian. lib. De Mortal.*

*S. Ambrof. lib. De Bono Mortis, cap. 7.*

# DISSERTATIO X.

## De Arcâ Noe, & Diluvio.

### ARTICULUS I.

*De Arcæ Amplitudine.*

Amplitudinem Arcæ, numerumque animalium in eâ servandorum *Noacho* præscripsit Deus *Genesis* cap. 6. & 7. *Fac tibi*, inquit, *Arcam de lignis lævigatis: mansiunculas in Arcâ facies, & bitumine linies intrinsecùs & extrinsecùs. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ: Quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in Arcâ facies, & in cubitu consummabis summitatem ejus: ostium autem Arcæ pones ex latere: deorsum cænacula, & tristega facies in eâ.* Et cap. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam ... Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena; masculum & feminam: de animantibus verò immundis duo & duo, masculum & feminam. Sed & de volatilibus cæli septena, masculum & feminam, ut salvetur semen sup r universam faciem terræ.*

Id velut figmentum sugillarunt *Celsus* ab *Origene* confutatus, *Apelles*, aliique Heretici; pro incredibili habentes & absurdo, quòd Arca longa trecentos cubitos, lata quinquaginta, alta triginta, generum omnium seminaria continere potuerit. Infidelium cavillationes ut refelleret *Origenes*, cubitos, quibus arcæ magnitudo definitur, haud vulgares esse ac usitatos asseruit, sed geometricos, sex cubitis vulgaribus, hoc est, novem pedibus æquales. *Origenis* locum exhibeo Homiliâ 2. in Genesim. *Apelles*, inquit, *discipulus Marcionis, sed alterius hæreseos inventor, adversùs structuram Arcæ disputat, probare volens scripta Mosis nihil habere divinæ Sapientiæ, nec esse a Spiritu Sancto profecta. Disputat autem nullo modo fieri potuisse, ut tam breve spatium Arcæ tot animalium genera, eorumque cibos qui per totum annum sufficerent, capere potuerit. Cùm enim bina & bina ex immundis animalibus, hoc est, bini masculi, & bina femina; ex mundis verò septena & septena in Arcam dicantur inducta, quomodo fieri potuit ut spatium illud Arcæ descriptum a Mose vel quatuor tantùm elephantos capere potuisset? Et postquam per singulas species hoc modo refragatur, concludit his verbis: Constat ergo, inquit, fictam esse fabulam: quod si est, constat a Deo non esse hanc Scripturam. Sed ad hæc nos* (inquit Origenes) *quæ a prudentibus Viris, & Hebraicarum Traditionum gnaris, atque veteribus Magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Ajebant ergo Majores, quòd Moses, qui, ut Scriptura testatur, omni*

*sa-*

*sapientiâ Ægyptiorum fuerat eruditus, secundùm artem geometricam, quam præcipuè Ægyptii callent, cubitorum numerum hoc loco posuit. Apud geometras enim secundùm eam rationem qua apud eos virtus vocatur, ex solido & quadrato, in sex cubitos unus deputatur, si generaliter; vel in trecentos, si minutatim deducatur: quæ utique ratio si observatur, in hujus Arcæ mensurâ invenientur & longitudinis & latitudinis tanta spatia, quæ verè totius Mundi reparanda germina, & universorum animalium rediviva seminaria capere potuerint.*

*Celsum* Philosophum, *Absurdam Arcam continentem in se omnia*, appellantem refellit idem *Origenes* Libro 4. contra ipsum edito. *Cùm*, inquit, *non haberet quod obloqueretur historiæ Diluvii, nec sciret posse contradici de mensuris, qui fieri potuisset, ut Arca juxta vulgarem intellectum trecentos cubitos longa, quinquaginta lata, triginta alta, caperet terrestrium animalium quatuordena e puris, ex impuris quaterna, simpliciter dixit absurdam, in se continentem omnia. Quid enim absurdi est, cùm centum annis fabricata dicatur, a trecentis cubitis longitudinis, quinquaginta latitudinis, fastigiatam fuisse in altitudinem triginta cubitorum, desinentem in unum cubitum longitudinis ac latitudinis? An non magis miranda erat structura magnæ urbi similis, cujus basis patebat nonaginta millia cubitorum in longitudinem, viginti quinque millia in latitudinem? An non mirandum Opificis ingenium, qui sic eam compegerit, & comissuras sic ferruminaverit, ut posset sustinere tempestatem tantam, quanta satis sit ad diluvium? Non enim pice aut materiâ simili oblinivit eam, sed bitumine. An non mirandum introducta generum omniseminaria per Dei providentiam, ut rursum terra omnes animantes habeat, Deo magnificante homini justissimo, futuro patri hominum qui secuti sunt diluvium.*

Quòd ait *Origenes*, quatuordecim animalia munda & quatuor immunda cujuslibet speciei introducta in Arcam, ita intelligens verba illa Scripturæ, *septena & septena, duo & duo;* quam interpretationem sequitur & Auctor Responsionum ad Quæstiones ab Orthodoxis propositas, *Quæst.*43. & *Dionysius Carthusianus* atque *Oleaster* probabiliorem censent, alii Patres & Interpretes rejiciunt, scilicet *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 24. in Genesim, *S. Hieronymus* Libro 2. contra Jovinianum; *S. Ambrosius* Libro *De Arcâ Noë*, cap.12. *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap.27. *Theodoretus* Quæstione 1. in Genesim, &c. & hæc magis recepta sententia est. Unde hæc verba, *septena & septena, duo & duo*, ita intelligunt; septem ex singulis speciebus animalium mundorum, mares & feminas, tria scilicet paria; & septimum absque compare, in sacrificium offerendum post exitum ex Arcâ: duo verò, marem scilicet ac feminam seu par unum, ex singulis speciebus immundorum animalium, introduces in Arcam. Ita etiam hunc locum intellexit *Josephus* Libro 1. *Antiquitatum*, cap.4.

Verùm *Origenis* hypothesim de cubitis geometricis *S. Augustinus* approbavit Libro 15. *De Civitate Dei*, cap.27. *Dicunt etiam*, inquit, *non potuisse capere Arca illius quantitatem animalium genera tam multa in utroque sexu, bina de immundis, septena de mundis. Qui mihi videntur non computare nisi trecenta cubita longitudinis, & latitudinis quinquaginta, nec cogitare aliud tantum esse in superioribus, itemque aliud tantùm in superioribus superiorum, ac per hoc ter ducta illa cubita fieri nongenta centum quinquaginta. Si autem cogitemus quòd Origenes non ineleganter adstruxit, Moysen scilicet hominem Dei* eruditum, *sicut scriptum est*, omni sapientiâ Ægyptiorum, *qui Geometricam dilexerunt, geometrica cubita significare potuisse, ubi unum quantùm sex nostra asseverant; quis non videat quantum rerum capere potuit illa magnitudo? Nam illud quod disputant, tanta magnitudinis Arcam non potuisse compingi, ineptissimè calumniantur, cùm sciant immensas urbes fuisse constructas, nec attendunt centum annos quibus Arca illa est fabricata: nisi fortè lapis lapidi adhærere potest solâ calce conjunctus, ut murus per tot millia circumagatur, & lignum ligno per subscudines, epiros, clavos, & gluten bituminis non potest adhærere, ut fabricaretur Arca, non curvis, sed rectis lineis longè latèque porrecta, quam nullus in mare mittat conatus hominum, sed levet unda, cùm venerit, naturali ordine ponderum, magisque divina providentia, quàm humana prudentia natantem gubernet, ne incurrat ubicunque naufragium.*

Alii ad cubitos sacros confugiunt, quos *Moses* in Arcæ descriptione intellexerit, non vulgares. Communis cubitus quinque palmorum, digitorum viginti erat: sacer verò sex palmorum, digitorum viginti quatuor. Communis cubitus videtur esse, qui *Deuteronomii* 3. vers.1. vocatur *cubitus virilis manûs*. Cubitus sacer, de quo *Ezechiel*, cap.40. vers.9. *Et ecce murus forinsecus in circuitu domûs undique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum & palmo*. Et cap.43. vers.13. *Ista autem mensura Altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum*. Cubiti itaque sacri erant uno palmo communibus majores, id est, quatuor digitis: loquitur enim de palmo minori seu Mathematico, non de majori, seu ut vocant, Romano. Unde *S. Hieronymus* palmum hîc definit sextam partem cubiti.

*Capellus Historia Sacra p.*30. triplicis generis cubitos distinguit, minorem, medium, & majorem. „ Membrorum, inquit, corporis humani symetria „ postulat, ut minor cubitus sit quadrante lon- „ gior pede, ut medius cubitus ac propriè di- „ ctus sit sesquipedalis, tertius cubitus sit secun- „ do duplo major, ac proinde non quinque, ut „ putavit *Origenes*, sed trium pedum. Id docet „ *Moses* ipse. Nam cùm *Numerorum* 35. vers.4. „ assignasset suburbiis Levitarum millenos undi- „ que extra urbem cubitos majores, quos vetus „ Interpres passus vertit, sequenti versu pro mil- „ lenis cubitis dicit bis millenos. Sic 3. *Regum* 7. „ vers.15. primariis Templi Salomonici columnis „ dantur cubiti octodecim, 2. *Paralipomenon*, cap. „ 3. vers.15. dantur iisdem cubiti triginta-quin- „ que; quibus si cubitum unum addas, quem sty- „ lobatæ assignes, fient cubiti triginta sex, ut „ cubitus sit præcisè duplò longior pygone, quem- „ admodum siclus sacer duplò gravior est siclo ci- „ vili. *Capellus* itaque Arcæ cubitos intelligit majores, juxta quos dimensionem Arcæ sic definit, ut altitudo ejus fuerit pedum Hebraicorum nonaginta, latitudo centum & quinquaginta, longitudo nongentorum, amplitudo quadragies quinquies centum mille. Minor *Capelli* cubitus idem est quem vulgò communem: medius, quem sacrum appellant. Major cubitus ab *Origenis* Geometrico distinctus, proprium ipsius figmentum est, sacrisque Auctoribus æquè ac Mathematicis incognitus. Neque enim rectè hujusmodi cubitum colligit ex *Numerorum* 35. vers.4. ubi assignantur suburbiis Levitarum undique extra urbem *mille cubiti*, seu, ut habet Vulgata nostra, *mille passus*, versu verò sequenti *duo millia cubiti*. Credibile enim non est eodem in loco tam diversam esse notionem cubiti, ut *vers.*4. cubitum majorem trium pedum, *vers.*5. cubitum medium sesquipedalem *Moses* intellexerit & expresserit. Unde vel menda est in Hebræo & Vulgatâ, & vers.4. *bis mille* pariter legendi sunt, ut legerunt 70. Interpretes,

qui

qui utrobique verterunt Δισχιλίους, quo modo etiam habent *Josephus* & *Philo*. Vel, sensus est, habuisse Levitarum urbes a muris mille cubitos in longitudine, & bis mille in circuitu ab omni latere, hoc est, in universum octo mille. Nec feliciùs cubitum suum majorem elicit *Capellus* ex 3. *Regum* cap.7. *vers.*15. & 2. *Paralip.*3. *vers.*15. quasi Auctor libri Regum, qui columnis Templi Salomonici altitudinem tribuit octodecim cubitorum, cubitum medium, seu sesquipedalem intellexerit; Auctor verò Paralipomenon triginta & quinque cubitos altitudinis iisdem columnis assignans, cubitum majorem trium pedum usurpaverit. Non enim mensura duplex, sed una eademque columnarum vel seorsim vel conjunctim sumptarum indigitatur. Auctor libri Regum loquitur de singulis columnis seorsim, sumptis. *Et finxit duas columnas areas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam*. Auctor verò libri Paralipomenon loquitur de duabus columnis simul sumptis. *Ante fores etiam Templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis*, apparentis nimirum, & non numerato singularum columnarum dimidio cubiti, quod in capitello abscondebatur. Relicto igitur cubito majore *Capelli*, disquirendum est an cubitus geometricus *Origenis* vel cubitus sacer alicui usui esse possint ad capacitatem & amplitudinem Arcæ explicandam & appprobandam.

---

*PROPOSITIO UNICA.*

*Quamvis Moyses nec geometricos, nec sacros cubitos, sed communes & vulgares in describendis Arcæ dimensionibus intellexerit, tanta nihilominus fuit Arca capacitas & amplitudo, ut omnium specierum tot animalia, quot in eam introducta Scriptura commemorat, cum alimentis congruis; Noë ac familiam, cum annonâ, & utensilibus, facilè contineret.*

Cubitos geometricos *Mosen* in Arcæ descriptione non intellexisse, multa probant. Primò, quòd ostendi non possit hujusmodi cubitum, qualem delineat *Origenes*, in usu unquam fuisse apud Ægyptios vel Hebræos. Secundò, quòd de iisdem cubitis hìc loquatur *Moses*, de quibus alibi passim: si enim aliter cubiti nomen accepisset, differentiam illam indicaret. Mos enim Scripturæ est differentias hujusmodi ut plurimùm notare, ubi a mensurâ aut ratione communi disceditur, ne ambiguitati & æquivocationi locus detur. At aliis in locis locutus est *Moses*, locuti sunt & alii Scriptores sacri de cubitis communibus, non de geometricis, quales definit *Origenes*. Non alios itaque quàm vulgares cubitos hìc etiam intellexit. De *Goliath* refertur 1. *Regum* 17. vers.4. altitudinem ipsius fuisse *sex cubitorum & palmi*: Quod si de cubito geometrico intelligatur, quinquaginta quatuor pedes altus fuerit oportet, ac proinde caput abscissum novem pedes altitudinis seu diametri habuerit; onus certè cui ferendo nedum ambæ *Davidis* manus, sed ne humeri quidem pares essent. Sic altare in Exodo *trium cubitorum*, fuisset viginti septem pedum, cujus nullus esset usus, nisi scalis admotis, quod a ritu sacrorum penitus abhorret. Tertiò, quæ proportio sex pedum cum cubito? Si hominem ab unâ manu explicatâ per duos cubitos & medium pectus ad alteram usque manum explicatam metiaris, non ultra sex pedes invenies. Cubitus propriè mensura est, quæ porrigitur a cubito ad extremam manûs explicatæ partem, non mensura novempedalis. Quartò, in hac hypothesi longè major fuisset Arcę moles, quàm ad capienda animalia cum alimentis necesse erat. Fuissent enim cubiti vulgares in Arcę longitudine centum octingenti, in latitudine trecenti, in altitudine centum octoginta, in amplitudine totâ nonagies septies millies mille & ducenta millia cubitorum.

Quod spectat cubitum sacrum, neque hunc a *Mose* intellectum longè probabilius est, cùm *cubitorum* simpliciter meminerit, non *cubitorum in cubito & palmo*, quales ab *Ezechiele* describuntur. Accedit quòd sacer ille cubitus ante Legem datam, & priùs quàm ædificia sacra a Deo præscripta sunt, notus non fuit, & sacris duntaxat fabricis mensurandis. Tabernaculo scilicet, Templo, Altari, &c. adhibitus est. Multò igitur probabilius asseritur, *Mosem* communes & vulgares cubitos in describendis Arcæ dimensionibus intellexisse: & nihilominus capacitatem ejus & amplitudinem fuisse tantam, ut omnium specierum tot animalia, quot in eam introducta memorantur, cum alimentis congruis; & *Noë*, ac familiam, cum annonâ, & utensilibus, facilè caperet.

Id mathematicè demonstrarunt *Joannes Buteo*, *Joannes Temporarius*, *Vvikinsius* in Dissertatione quam *Matthæus Polus* Synopi Criticorum inseruit, aliique Viri Eruditi. Supponunt primò, quod ex Scripturæ verbis apertè colligitur, Arcam divisam fuisse in tres contignationes seu tria tabulata, singula decem cubitos, seu quindecim pedes alta, dempto unico cubito ad declivitatem tecti in mansione supremâ. Supponunt secundò, quod convenientissimum nemini non videtur, mansionem infimam quadrupedum generi attributam fuisse, mediam eorum pabulo, supremam, partim avibus & eorum escæ, partim *Noacho*, ipsiusque familiæ, & utensilibus. Tertiò, omnia animalia ad tria genera reducunt, respectu ad magnitudinem habito; majora ad magnitudinem bovis, minora ad magnitudinem ovis, carnivora ad magnitudinem lupi. Recensitis majorum animalium speciebus, & habitâ ratione numeri quo servari in Arcâ debuerunt, ac magnitudinis proportione, omnia respondere inveniunt paribus boum quadraginta quinque. Sed ut suppleatur quod omissum fortè fuerit, sexaginta boum paria computari permittunt. Minoribus animalibus enumeratis, & magnitudinis illorum proportione consideratâ, ipsa reducunt ad ovium paria quadraginta. Carnivoris computatis, & institutâ magnitudinis illorum comparatione, ipsa reducunt ad paria luporum triginta duo: Sed quadraginta numerari liberaliter concedunt. Paribus autem singulis ad victum quatridui ovem unam statuunt. Itaque pro omnium cibariis oves decem singulis diebus absumentur, quæ in annum faciunt oves ter mille sexcentas, quinquaginta. Sic omnium brutorum terrestrium summa fuerit boum centum & viginti, ovium ter mille septingentarum & triginta, luporum octoginta. Quartò, Arcæ longitudinem trecentorum cubitorum ductam in latitudinem quinquaginta, efficere supponunt embadon quindecim millium cubitorum; idque omnia animalia terrestria facilè recepisse demonstrant. Majoribus enim ad sexaginta boum paria æstimatis, potuerunt stabula sexaginta collocari per Arcæ longitudinem, singula cubitos quinque longa, lata quatuor. Primus stabulorum ordo fuerit in latere portæ opposito, totam Arcæ longitudinem occupans. Altero deinde ordine minorum animalium paria quadraginta totidem mansiunculis inclusa fuerint ternorum in longum & latum cubitorum in Arcæ dexterâ parte. In sinistrâ simi-

liter locata fuerint quadraginta carnivororum paria, singulis clausa latibulis cubitorum quatuor cum triente longitudinis Arcæ, trium verò latitudinis. Restabunt itaque ex Arcæ longitudine cubiti sex ad constituendum iter inter dexteram sinistramque stabulationem, quo itum est ad stabula primi ordinis, qui a secundo separandus fuit via tres cubitos latâ. Sic latitudinis Arcæ decem cubitis occupatis, restant quadraginta latitudinis cubiti, in quibus recipiantur oves cibariæ ter millæ sexcentæ & quinquaginta. His tertius stabulationis ordo tribuitur secundo coniunctus: Ad quem ab Arcæ latere, in quo porta posita est, via relinquenda est quinque cubitos lata: quâ per Arcæ longitudinem facilis ad omnia latibula pateat accessus. Supersunt latitudinis Arcæ cubiti triginta quinque, qui in ducentos nonaginta quatuor cubitos longitudinis ducti, reddunt cubitos mille ducentos nonaginta, spatium multò ampliùs quàm opus sit ovibus ter mille sexcentis quinquaginta. Distributis siquidem mille ducentis nonaginta cubitis, in oves ter mille sexcentas quinquaginta, terni fermè cubiti singulis tribuentur. His autem cùm gregatim vivant, non est opus multis stabulis, sed caulæ duæ sufficient, dextrâ sinistrâque locatæ. Ex his patet, infimam Arcæ contignationem sufficientis amplitudinis fuisse ad animalia omnia terrestria capienda. His quæ in aquis vivere diu possunt, locum dare in Arcâ minimè necesse est. Serpentino generi, angui, viperæ, lacertæ, ranæ, bufoni &c. eorumque victui locus erat conveniens Arcæ sentina. Minores animantes quod spectat, qualia mus, sorex, talpa, & insectorum genera, in variis Arcę locis excipi poterant, nec opus est ut particulares illis mansiones assignentur, cùm hoc genus animalcula sibimetipsis de loco facilè prospiciant. Animalibus qui ex putri materiâ sponte nascuntur, nullus fuit in Arcâ locus, uti nec iis quæ ex diversis speciebus oriuntur. Satis enim eorum propagationi consultum erat, si species illæ conservarentur, ex quibus oriunda sunt. Hæc *S. Augustini* verbis confirmare placet Lib.15. *De Civitate Dei*, cap.27. *Quod autem*, inquit, *scrupulosissimè quæri solet de minutissimis bestiolis, non solùm quales sunt mures & stelliones, verùm etiam quales locustæ, scarabæi, muscæ denique, & pulices, utrùm non amplioris numeri in Arcâ illâ fuerint, quàm qui est definitus, cùm hoc imperaret Deus: priùs admonendi sunt quos hæc movent, sic accipiendum quod dictum est*, Quæ repunt super terram; *ut necesse non fuerit conservari in Arcâ, quæ possunt in aquis vivere, non solùm mersa sicut pisces, verùm etiam supernatantia, sicut multæ alites. Deinde cùm dicitur*, Masculus & femina erunt: *Profectò intelligitur ad reparandum genus dici: ac per hoc nec ulla necesse fuerat ibi esse, quæ possunt sine concubitu de quibusque rebus, vel rerum corruptionibus nasci: vel si fuerunt, sicut in domibus esse consueverunt, sine ullo numero definito esse potuisse: aut si mysterium sacratissimum quod agebatur, & tantæ rei figura etiam in veritate facti aliter non posset impleri, nisi ut omnia ibi certo illo numero essent, quæ vivere in aquis naturâ prohibente non possent, non fuit ista cura illius hominis, vel illorum hominum, sed divina. Non enim ea Noë capta intromittebat, sed venientia & intrantia permittebat. Ad hoc enim valet quod dictum est*, intrabunt ad te: *non scilicet hominis actu, sed Dei nutu: ita sanè ut non illic fuisse credenda sint, quæ sexu carent... Præscriptum est enim atque definitum*, Masculus & femina erunt. *Alia sunt quippe quæ de quibusque rebus sine concubitu ita nascuntur, ut postea concumbant & generent, sicut muscæ: alia verò in quibus nihil sit maris & feminæ, sicut apes. Ea porrò quæ sic habent sexum, ut non habeant fœtum, sicut muli & mulæ, mirum si ibi fuerunt; ac non potiùs parentes eorum ibi fuisse suffecerit, equinum videlicet atque asininum genus: & si quæ alia sunt, quæ commixtione diversi generis genus aliquod gignunt. Sed si & hoc ad mysterium pertinebat, ibi erant. Habet enim & hoc genus masculum & feminam.*

Ex animalium numero a Viris illis Eruditis assignato subtrahere forsan licebit, & quidem probabilius, ter mille sexcentas & quinquaginta oves in cibum animalium rapacium destinatas. Illa etenim ad tempus fœno, frugibus, alioque obvio & parabili cibo vescebantur, eodem miraculo quo depositâ feritate homini colla subdiderunt. Quâ de re *S. Augustinus* audiendus est loco mox laudato. *Solent etiam*, inquit, *movere nonnullos, genera escarum quæ illic habere poterant animalia, quę nonnisi carne vesci putant, utrùm præter numerum ibi fuerunt sine transgressione mandati, quæ aliorum alendorum necessitas illic coëgisset includi: an verò quod potiùs est credendum, præter carnes aliqua alimenta esse potuerint, quæ omnibus convenirent. Novimus enim quàm multa animalia quibus caro cibus est, frugibus pomisque vescantur, & maximè fico atque castaneis. Quid ergo mirum, si Vir ille sapiens & justus, etiam divinitus admonitus quid cuique congrueret, sine carnibus aptam cuique generi alimoniam præparavit & recondidit? Quid est autem quo vesci non cogeret fames? Aut quid non suave aut salubre facere posset Deus, qui etiam ut sine cibo viverent, divinâ facilitate donaret, nisi ut pascerentur etiam hoc implendæ figuræ tanti mysterii conveniret.*

Hanc *S. Augustini* hypothesim Historiarum monumenta confirmant, quæ rapacia animalia interdum a carnibus temperantia, simplicioribus cibis pasta fuisse testantur. *Philostratus* in Vitâ *Apollonii* Lib.5. leonis meminit, qui Templa Ægypti sic ingrediebatur, ut a cædibus purum se conservaret. *Neque enim*, inquit, *bestiarum sanguinem lambebat, nec excoriatas & in frusta divisas carnes delibabat, sed placentis mellitis, & pane, & bellariis vescebatur*. Idem refert *Tzetes*, Chiliade v. Historiæ. Quid simile narrat *Sulpitius Severus* de Monacho Thebaidis, Dialogo 1. cap.7. *Ego*, inquit, *ubi ad illam, ad quam nos humanitas nostri hospitis ducebat, arborem pervenimus, leonem ibi offendimus; quo viso, ego & ille dux meus intremuimus. Sanctus verò ille incunctanter accessit; nos, licèt trepidi, secuti sumus. Fera paululum (cerneres imperatam a Deo) modesta discessit & constitit, dum ille attiguæ ramis humilioribus poma decerperet. Cùmque plenam palmulis manum obtulisset, accurrit bestia, accepitque tam liberè quàm nullum animal domesticum; & cùm comedisset, abscessit*. Idem confirmatur ex his quæ refert *Joannes Phocas*, Descriptionis *Terræ Sanctæ* cap.23. de leonibus circa Jordanem, quibus *Iberus* Anachoreta victum ministrabat. *Horum leonum duo*, inquit, *ad Senis claustrum primâ hebdomadis se conferebant, & capitibus columnæ innixis nutu oculorum pabulum petebant. Quod consecuti, ad consuetos fluminis vertices alacres & læti redibant. Pro pabulo autem erant aquâ madefacta legumina, aut fortè olyrites, aut panis hordeacei frustra*. Ad hanc denique animalium in Arcâ stabulantium, victuque tenui ex fœno & herbis vitam ad tempus tolerantium, historiam allusisse videtur *Isaias* tempora Christi mysticè describens, cap.11. vers.6. & 7. *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas.*

Sed etsi rapacia animalia carnibus tunc etiam pa-

pasta fuisse quis pertinaciter contendat, omnibus tamen, & carnivororum insuper alimentis, id est, ter mille sexcentis & quinquaginta ovibus capiendis infimam Arcæ contignationem parem fuisse, perspicuè satis ostensum est. Nunc demonstrandum, secundam contignationem alimento seu pabulo unius anni capiendo sufficisse. Ac primò observandum est, oves cibarias ter mille sexcentas quinquaginta, decade minui in dies, ideoque consumptarum cibum ab anni summâ deducendum. Quo fit, ut oves ter mille sexcentæ quinquaginta non plus pabuli in annum impendant, quàm oves eodem semper numero mille octingentæ & viginti. Ovibus mille octingentis & viginti junge minora animalia æquâ comparatione instituta octoginta ovibus paria, quæ in propagationem servabantur, fiet summa quasi ovium mille nongentarum. Ponamus autem septem ovium pabulum unius bovis alimentum æquare, ita fiet ut oves mille nongentæ æquivaleant bobus ducentis septuaginta uni, qui animalibus majoribus juncti, quæ bobus centum & viginti paria esse diximus, numerum conficient boum trecentorum nonaginta duorum. Sed boves numerentur quadringenti, pascendi per annum fœno pratensi, quod multò plus loci occupat, quàm hordeum, avena, vicia, cæteræque fruges. Scribit *Columella* agriculturæ reique rusticæ experientissimus, satis esse bobus singulis fœni pondo triginta, vel quadraginta. Observat autem *Buteo*, cubum solidum compressi fœni, quemadmodum solet esse, cùm jam aliquandiu in fœnili conditum fuerit, quadraginta pondo continere. Boves igitur quadringenti totidem cubos pastu diurno vorantes absument per annum cubos centum quadraginta sex millia. At media contignatio Arcæ longa cubitos trigentos, lata quinquaginta, alta decem, continebit centum quinquaginta millia cubitos, spatium longè amplius quàm fœno compresso recondendo necessarium fuerit, adeòque etiam sufficiens cellariis ad recondendos fructus, radices, fruges, semina, aliis quibuscunque animalibus, quæ fœno non vescuntur, alendis idonea. Satis etiam spatii supererit ad iter & aperturas tabulati, per quas fœnum in stabula infimæ contignationis demitti debeat.

Quod tertiam contignationem spectat, evidens est dimidiam illius partem omnibus avium speciebus, & victui eisdem necessario sufficere; cùm maximam partem exiguæ molis sint, & commodè in privatis caveis (aliâ alii superimpositâ) recludi possint. Reliquum verò spatii *Noacho* unà cum familiâ, annonâ, supellectili, & utensilibus necessariis suffecisse, exploratum est.

---

### ARTICULUS II.

## De Arcæ Mysticæ Significatione.

### PROPOSITIO UNICA.

*De Arcâ atque Diluvio nec illis est consentiendum, qui solam historiam recipiunt sine allegoricâ significatione; nec illis qui solas figuras defendunt repudiatâ historiæ veritate. Arca porro typus mirabilis fuit Christi & Ecclesiæ, sicut aquæ Diluvii Baptismi figura extiterunt.*

De historiæ veritate nemo dubitaverit, nisi qui Scripturæ Sacræ negaverit auctoritatem. Is verò & firmissimis argumentis libri Geneseos divinam auctoritatem probantibus, & profanorum etiam Auctorum testimoniis, qui Diluvii & Arcæ meminerunt, facilè refelli potest. Hæc testimonia protulimus in Synopsi Articulo 3. Allegoricam Arcæ Diluviique significationem probant imprimis verba *S. Petri* in Epistolâ 1. Canonicâ, cap. 3. vers. 20. & 21. *In diebus Noë cùm fabricaretur Arca: In quâ pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma.*

Idem probant Patres, & Ecclesiastici Interpretes, e quibus duos præ cæteris eâ de re disserentes audiemus, e Græcis *Origenem*, e Latinis *S. Augustinum*. Origenes quidem Homiliâ 2. in *Genesim*, de Arcæ mysticâ significatione præclarè disserit hunc in modum. *Sicut*, inquit, *tunc dictum est ad illum Noë ut faceret Arcam, & introduceret in eam secum non solùm filios & proximos suos, verùm etiam diversi generis animalia: ita etiam ad nostrum Noë; qui verè solus justus & solus perfectus est, Dominum Jesum Christum in consummatione seculorum dictum est a Patre, ut faceret sibi Arcam ex lignis quadratis, & mensuras ei daret, cælestibus sacramentis repletas. Hoc enim designatur in Psalmo, ubi dicit:* Pete a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Psal. 2.* *Construit ergo Arcam, & facit in eâ nidos, id est, promptuaria quædam, quibus diversi generis animalia recipiantur. De quibus & Propheta dicit:* Perge, populus meus, „ intra in promptuaria tua, absconde te parum„ per, donec transeat furor iræ meæ. *Isai. 26.* *Confertur ergo populus hic qui salvatur in Ecclesiâ, illis omnibus, sive hominibus, sive animalibus, quæ salvata sunt in Arcâ. Verùm quoniam non est omnium unum meritum, nec unus in fide profectus, ideirco & Arca illa non unam præbet omnibus mansionem, sed bicamerata sunt inferiora, & tricamerata superiora, & nidi distinguuntur in eâ: ut ostendat quia & in Ecclesiâ licèt omnes intra unam fidem contineantur, atque uno baptismate diluantur, non tamen unus omnibus atque idem profectus est, sed unusquisque in suo ordine. Hi quidem qui per rationabilem scientiam vivunt, & idonei sunt, non solùm semetipsos regere, sed & alios docere, quoniam valde pauci inveniuntur qui cum ipso Noe salvantur, & proximâ ei propinquitate junguntur, & tenent figuram: sicut & Dominus noster verus Noe Christus Jesus paucos habet proximos, paucos filios & propinquos, qui verbi ejus participes sint, & sapientiæ capaces. Et ii sunt, qui in summo gradu positi sunt, & in summitate Arcæ collocantur. Caterùm multitudò irrationalium animarum in inferioribus locis habetur, & eorum maximè quorum feritatis sævitiam nec fidei dulcedo mollivit. Superiores verò aliquantulum ab his sunt, qui licèt minus rationis, plurimum tamen simplicitatis innocentiæque custodiunt. Et sic per singulos habitationum gradus ascendentibus pervenitur ad ipsum Noë, qui interpretatur Requies, vel Justus, qui est Jesus Christus. Neque enim in illum Noë conve-„ nit, quod dicit Lamech pater ejus.* Hic enim, „ *inquit*, requiem dabit nobis ab operibus & a „ tristitiis manuum nostrarum, & a terrâ quam „ maledixit Dominus Deus. *Quomodo enim verum erit, quòd ille Noë requiem dederit illi Lamech, vel populo qui tunc habebatur in terris? Vel quo modo a tristitiis & labore cessatum est temporibus Noë? Vel quomodo ablatum est maledictum terræ, quod dederat Dominus: ubi potiùs iracundia divina major ostenditur, & refertur dicere Deus:* Pœnitet me fecisse hominem super terram. *Si verò respicias ad Dominum nostrum Jesum Christum, de quo dicitur:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Joan. 1.* *Et iterum:* Factus pro nobis maledictum, ut nos de maledicto Legis redimeret. *Galat. 3.* *Et iterum cùm dicit:* Venite ad me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & invenietis re- *Matth. 11.*

requiem animabus vestris: *Invenies hunc esse qui verè requiem dedit hominibus, & liberavit terram de maledicto, quo maledixit ei Dominus Deus. Huic ergo spiritali Noë, qui requiem dedit hominibus, & tulit peccatum Mundi; dicitur:* Facies tibi Arcam ex lignis quadratis. *Videamus ergo quæ sint* quadrata ligna. *Quadratum est quod nullâ vacillat ex parte, sed quocumque verteris, fidâ & solidâ stabilitate consistit. Ista sunt ligna, quæ omne pondus vel animalium intrinsecus, vel fluctuum extrinsecus ferunt. Quos ego arbitror Doctores esse in Ecclesiâ, & Magistros atque æmulatores fidei, qui & populos intrinsecus positos verbo commonitionis & doctrinæ gratiâ consolantur, & impugnantibus extrinsecus vel Gentilibus vel Hæreticis, & quæstionum fluctus ac procellas certaminum commoventibus, virtute verbi ac sapientiâ rationis obsistunt. ..... Quæ ligna extrinsecùs & intrinsecùs bitumine liniuntur. Vult enim te Architectus Ecclesiæ Christus non esse talem, quales sunt illi qui deforis quidem apparent hominibus justi, deintus autem sunt sepulcra mortuorum. Sed vult te & corpore sanctum esse extrinsecùs, & corde intrinsecus purum; cautum undique, & castitatis atque innocentiæ virtute munitum, hoc est intus & foris bitumine esse oblitum.* Post hæc de Arcæ longitudine, latitudine, & altitudine *Origenes* disserit. *Mosis* descriptionem comparat cum loco *S. Pauli*, ad *Ephesios* 3. de Mysterio Crucis ita loquentis: *Ut sciatis quæ sit longitudo, & latitudo, & altitudo, & profundum.* Spiritum Dei & per *Moysem* & per *S. Paulum* ingentium *Sacramentorum figuras enuntiare* ait. *S. Paulum*, quoniam descensionis Christi mysterium prædicat, profundum nominasse, quasi de superioribus ad inferiora venientis. *Moysen* verò, quia restitutionem designat eorum qui per Christum de interitu & perditione seculi, tanquam de nece diluvii, ex inferioribus ad superna & cœlestia revocantur, in mensurâ Arcæ non profundum memorare, sed altum, tanquam ubi de terrenis & humilibus ad cœlestia & excelsa conscenditur. Numerorum subinde mysteria explicat, quid scilicet trecenti cubiti longitudinis, quinquaginta latitudinis, triginta altitudinis significent. In animalibus denique

*Isai. 11.*

figuram illam considerat, quam *Isaias* ostendit, cùm dicit: *In Regno Christi lupum cum agno, pardum cum hædo, leonem & bovem simul ire ad pascua, eorumque fœtus simul paleis vesci, insuper etiam in aspidum cavernâ puerum (talem sine dubio qualem dicebat Salvator:* Nisi conversi fueritis & effecti sicut puer hic, non introibitis in Regnum Dei) *missurum esse manum, & nihil ladendum.* Vel etiam illam figuram, quam *S. Petrus*

*Act. 10.*

jam nunc in Ecclesiâ haberi docet, cùm refert *se visionem vidisse; in quâ omnia quadrupedia, & bestiæ terræ, ac volatilia cæli intra unum Fidei linteum continebantur, quatuor Evangeliorum initiis alligatum.*

*Sanctus* etiam *Augustinus* Libro 12. contra *Faustum* Manichæum, cap. 14. allegoricas Arcæ significationes præclarè ac sublimiter explicat. *Quem non moveat*, inquit, *ad salubrem fidem, quòd Noe cum suis per aquam & lignum liberatur, sicut familia Christi per baptismum Crucis passione signatum? Quod de lignis quadratis eadem Arca fabricatur, sicut Ecclesia de Sanctis construitur, ad omne opus bonum semper paratis? Quadratum enim quocumque verteris, firmiter stat. Quòd sexies longa ad latitudinem suam, & decies ad altitudinem suam, humani corporis instar, ostendit quia in corpore humano Christus apparuit. Quòd cubitis quinquaginta latitudo ejus expanditur, sicut dicit Apostolus:* Cor nostrum dilatatum est. *Unde? Nisi charitate spiritali? Propter quod ipse item dicit?* Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. *Quinquagesimo enim die post Resurrectionem suam Christus Sanctum Spiritum misit, quo corda credentium dilatavit. Quod trecentis cubitis longa est, ut sexies quinquaginta compleantur, sicut sex Ætatibus omne hujus seculi tempus extenditur, in quibus omnibus Christus nunquam destitit prædicari, in quintâ per Prophetiam prænunciatus, in sextâ per Evangelium diffamatus. Quòd ejus altitudo triginta cubitis surgit, quem numerum decies habet in trecentis cubitis longitudo; quia Christus est altitudo nostra, qui triginta annorum ætatem gerens, doctrinam Evangelicam consecravit, contestans Legem non se venisse solvere, sed implere. Legis autem cor in decem præceptis agnoscitur. Unde decies tricenis Arcæ longitudo perficitur: unde & ipse Noe ab Adam decimus computatur. Quòd bitumine glutinantur Arcæ ligna intrinsecùs & extrinsecùs, ut in compage unitatis significetur tolerantia charitatis, ne scandalis Ecclesiam tentantibus, sive ab eis qui intus, sive ab eis qui foris sunt, cedat fraterna junctura, & solvatur vinculum pacis. Est enim bitumen ferventissimum & violentissimum gluten, significans dilectionis ardorem, vi magnâ fortitudinis ad tenendum societatem spiritualem omnia tolerantem. Quòd cuncta animalium genera in Arcâ clauduntur, sicut omnes gentes, quas etiam Petro demonstratus discus ille significat, Ecclesia continet. Quòd & munda, & immunda ibi sunt animalia, sicut in Ecclesiæ Sacramentis & boni & mali versantur. Quòd septena sunt munda, & bina immunda, non quia pauciores sunt mali, quàm boni, sed quia boni servant unitatem spiritûs in vinculo pacis. Sanctum autem Spiritum divina Scriptura septiformi operatione commendat: sapientiæ, & intellectus, consilii, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Dei. Unde & ille numerus quinquaginta dierum ad adventum Sancti Spiritûs pertinens, in septies septenis, qui fiunt quadraginta novem, uno addito consummatur, propter quod dictum est:* Studentes servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. *Mali autem in binario numero ad Schismata faciles, & quodammodo divisibiles ostenduntur. Quòd ipse Noë cum suis octavus enumeratur, quia in Christo spes Resurrectionis nostræ apparuit, qui octavo die, id est, post Sabbathi septimum primo, a mortuis resurrexit. Quòd Arca collecta ad unum cubitum desuper consummatur, sicut Ecclesia corpus Christi in unitatem collecta, sublimatur & perficitur. Unde dicit in Evangelio:* Qui mecum non colligit, spargit. *Quòd aditus ei fit a latere: Nemo quippe intrat in Ecclesiam nisi per Sacramentum remissionis peccatorum: Hoc autem de Christi latere aperto manavit. Quòd inferiora Arcæ bicamerata & tricamerata construuntur, sicut ex omnibus Gentibus vel bipartitam multitudinem congregat Ecclesia propter Circumcisionem & Præputium: vel tripartitam propter tres filios Noë, quorum progenie repletus est orbis. Et ideo Arcæ inferiora ista dicta sunt, quia in hac terrenâ vitâ est diversitas Gentium: In summo autem omnes in unum consummantur. Et non est ista varietas, quia omnia & omnibus Christus est, tanquam nos in uno cubito desuper cœlesti unitate consummans. Quòd post septem dies, ex quo ingressus est Noë in Arcam factum est diluvium, quia spe futuræ quietis, quæ septimo die significata est, baptizamur. Quòd præter Arcam omnis caro, quam terra sustentabat, diluvio consummata est: quia præter Ecclesiæ societatem aqua Baptismi, quamvis eadem sit, non solùm non valet ad salutem, sed valet potiùs ad perniciem. Quòd quadraginta diebus & quadraginta noctibus pluit: quia omnis reatus peccatorum, qui in decem præceptis Legis, admittitur per universum orbem terrarum, qui qua-*

*11. Corinth. 6.* *Rom. 5.* *Ephes. 4.* *Matth. 12.*

tuor

*tuor partibus continetur*, [ *Decem quippe quater ducta quadraginta sunt* ] *Sive ille reatus, quod ad dies pertinet, ex rerum prosperitate: sive, quòd ad noctes, & ex rerum adversitate contractus sit, Sacramento Baptismi cœlestis abluitur* .... *Quòd septimo mense Arca sedit, hoc est, requievit, ad illam septimam requiem significatio recurrit. Et quia perfecti requiescunt, ibi quoque illius quadraturæ numerus iteratur. Nam vigesima-septimâ die secundi mensis commendatum est hoc Sacramentum, & rursus vigesimâ & septimâ die septimi mensis eadem commendatio confirmata est, cùm Arca requievit: quod enim promittitur in spe, hoc exhibetur in re. Porro quia ipsa septima requies cum octavâ Resurrectione conjungitur... & hoc in Sacramento regenerationis nostræ, id est, in Baptismo altum profundumque mysterium est. Quindecim cubitis supercrevit aqua excedens altitudinem Montium: id est, hoc Sacramentum transcendit omnem sapientiam superborum. Septem quippè & octo conjuncti quindecim fiunt* .... *Quòd post dies quadraginta emissus corvus non est reversus, aut aquis utique interceptus, aut aliquo supernatante cadavere illectus, significat homines in immunditiâ cupiditatis teterrimos, & ob hoc ad ea quæ foris sunt in hoc Mundo nimis intentos, aut rebaptizari, aut ab his quos præter Arcam, id est Ecclesiam, Baptismus occidit, seduci & teneri. Quòd columba emissa non inventâ requie reversa est, ostendit per Novum Testamentum requiem Sanctis in hoc Mundo non esse promissam; post quadraginta enim dies emissa est, qui numerus vitam quæ in hoc mundo agitur significat. Denique post septem dies dimissa, propter illam septenariam operationem spiritalem, olivæ fructuosum surculum retulit: quo significaret nonnullos etiam extra Ecclesiam baptizatos, si eis pinguedo non defuerit charitatis, posteriore tempore quasi vespere, in ore columbæ tanquam in osculo pacis, ad unitatis societatem posse perduci. Quòd post alios septem dies dimissa, reversa non est, significat finem seculi, quando erit Sanctorum requies: non adhuc in Sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit, sed jam in ipsâ perfectione salutis æternæ, cùm tradetur Regnum Deo & Patri, ut in illâ perspicuâ contemplatione incommutabilis Veritatis, nullis mysteriis corporalibus egeamus.*

Idem argumentum retractat *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, capitibus 26. & 27. *Jam verò*, inquit, *quòd Noë homini justo, & sicut de illo Scriptura veridica loquitur, in suâ generatione perfecto, imperat Deus ut Arcam faciat, in quâ cum suis, id est, uxore, filiis, & nuribus, & cum animalibus quæ ad illum ex Dei præcepto in Arcam ingressa sunt, liberaretur a diluvii vastitate, proculdubio figura est peregrinantis in hoc seculo Civitatis Dei, hoc est Ecclesiæ, quæ fit salva per lignum, in quo pependit Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Et postquàm de Arcæ mensurâ ea repetiit, quæ in Libris contra *Faustum* prolixiùs exposuerat, subdit: *Et quòd ostium in latere accepit, profectò illud est vulnus, quando latus Crucifixi lanceâ perforatum est; hâc quippe ad illud venientes ingrediuntur; quia inde Sacramenta manarunt, quibus Credentes initiantur. Et quòd de lignis quadratis fieri jubetur, undique stabilem vitam Sanctorum significat; quacunque enim verteris quadratum, stabit. Et cætera quæ in ejusdem Arcæ constructione dicuntur, Ecclesiasticarum signa sunt rerum. Sed ea nunc persequi longum est: & hoc jam fecimus in Opere, quod adversùs Faustum Manichæum scripsimus, negantem in Libris Hebræorum aliquid de Christo esse prophetatum.*

Capite verò 27. hanc ipsam Propositionem probandam suscepit, in cujus demonstratione versamur. Sic enim illud caput inscribit *De Arcâ atque Diluvio, nec illis esse consentiendum qui solam historiam recipiunt sine allegoricâ significatione, nec illis qui solas figuras defendunt repudiatâ historicâ veritate.* Cujus Propositionis expositionem ac probationem sic aggreditur. *Non tamen quisquam putare debet aut frustra hæc esse conscripta, aut tantummodo rerum gestarum veritatem sine ullis allegoricis significationibus hic esse quærendam? aut e contrario, hæc omnino gesta non esse, sed solas esse verborum figuras; aut quicquid est, nequaquam ad Prophetiam Ecclesiæ pertinere. Quis enim nisi mente perversus, inaniter scriptos esse contendat Libros per annorum millia tantâ religione, & tam ordinatæ successionis observantiâ custoditos: aut solas res gestas illic intuendas, ubi certè, ut alia omittam, si numerositas animalium cogebat Arcæ tantam fieri magnitudinem, immunda bina, & bina septena intromitti animalia, quid cogebat, cùm æqualis numeri possent utraque servari? Aut verò Deus, qui propter reparandum genus servanda præcepit, eo modo illa qui instituerat, restituere non valebat?*

Et infra. *Non autem ad præfigurandam Ecclesiam pertinere tam multiplicia rerum signa gestarum nisi fuerit contentiosus, nemo permittitur opinari. Jam enim Gentes ita Ecclesiam repleverunt, mundique & immundi, donec certum veniatur ad finem, ita ejus unitatis quadam compagine continentur, ut ex hoc uno manifestissimo, etiam de cæteris, quæ obscuriùs aliquantò dicta sunt, & difficiliùs agnosci queunt, dubitari fas non sit. Quæ cùm ita sint, si nec inaniter ista conscripta esse putare quisquam vel durus audebit; nec nihil significare cùm gesta sint, nec sola dicta esse significativa, non facta, nec aliena esse ab Ecclesiâ significandâ, probabiliter dici potest: Sed magis credendum est, & sapienter esse memoriæ literisque mandata, & gesta esse, & significare aliquid, & ipsum aliquid ad præfigurandam Ecclesiam pertinere.*

De eodem argumento legi possunt *S. Gregorius Magnus* Homiliâ 16. in *Ezechielem*, & *Rupertus* Abbas Lib. 4. Commentariorum in *Genesim*, cap. 71. & sequentibus.

## ARTICULUS III.

Utrùm his Dei Verbis (Genes. 6.) *Eruntque dies illius centum viginti annorum;* Vitæ humanæ duratio, an Temporis ad agendam Pœnitentiam Hominibus ante Diluvium concessi definitum sit intervallum?

---

### PROPOSITIO UNICA

*His verbis non vitæ humanæ duratio, sed temporis ante Diluvium hominibus ad agendam pœnitentiam concessi intervallum definitum est.*

ID evidenter probatur exemplis Patriarcharum, hominumque aliorum postdiluvianorum, qui longè ultra centum viginti annorum ætatem vitam produxerunt. *Sem* enim vixit annos quingentos; *Arphaxad*, *Salem*, & *Heber* plures quadringentis; reliqui usque ad *Abraham* plures ducentis; exinde Patriarchæ usque ad *Moysen* per annos a Diluvio circiter octingentos vixere annos plures centum triginta, præter unum *Joseph*, qui ultra centum & decem annos vitam non produxit. Sed & *Joiadas* Pontifex annis post Diluvium prope mille quingentis natus usque ad centesimum & trigesimum annum vixit, ut legitur Libro II. *Paralipomenon* Cap. 22. Quin & proximâ abhinc ætate homines extitisse plurimos, qui ultra centum & vi-

viginti annos vixerint certum est. Quâ de re *Josephus Scaliger* in Elencho primæ Orationis Chronologicæ hæc habet: *Quid diceret, si sciret ante hos sex aut septem annos Regulum Paganum ad Javan majorem pugnantem periisse annos natum centum quinquaginta? Quem si belli furor non abstulisset, is videbatur ad centum sexaginta annos vitam extendere potuisse, quod alius Rex & ipse quoque Paganus paulo ante fecerat, qui major centum sexaginta annorum obiit. Quæro utrùm majorem fidem mereretur hominem posse centum triginta annos vivere, aut undecimo ætatis suæ anno generare? Nos possumus producere, quos centum viginti, centum viginti quinque, centum triginta annos vitæ explesse scimus, vidimus, meminimus. Unus etiam Senex amicis nostris miraculo fuit Lutetiæ anno Christi MDLXXXIV. qui Miles pugnæ Montis-Leeberii interfuerat sub Ludovico XI. Is major annorum centum quadraginta omnibus membrorum officiis integris Lutetiam sese contulerat liticulæ cujusdam prosequendæ causâ.* Ante triginta quinque annos vixit homo in Angliâ, qui annis duobus & quinquaginta centesimum excederet, neque defecisse senectâ existimatus est, sed cùm pro miraculo in Regiam advocatus esset, victûs & cæli mutationem tulit. *Nicolaus Peireskius*, [ ut in ejus Vitâ *Gassendus* commemorat ] per literas edoctus est, hominem esse in Perside annos jam natum quadringentos. Quæ cùm ita sint, non est verisimile Deum his verbis; *Eruntque dies illius centum viginti annorum*, vitæ humanæ durationem definivisse.

Probatur secundò ex *S. Joanne Chrysostomo* Homiliâ 22. in Genesim. *Postquam*, inquit, *interminatus est illos se exterminationi generali traditurum: hoc enim est:* Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, eò quòd ipsi sunt carnes: *Pro eo non sinam illos post hac vivere: non contentus quingentorum annorum longanimitate, quâ per omnem vitam Noë audito illius nomine docebantur, nunc iterum producens & differens indignationem, aliud illis tempus præscribit, & dicit: Interminatus sum, & dixi, & manifestavi meam indignationem, quam, ob multitudinem peccatorum, quæ operati estis, vobis inferri justum est: Sed quia etiam eos qui incurabiliter peccaverunt, salvari volo, nullumque perire: idcirco vobis indulgeo & tempus centum viginti annorum: ut, si volueritis, & peccata ablueritis, resipiscendoque & in meliora vos convertendo virtuti studueritis, & pœnas, & pericula effugiatis:* Erunt enim, *inquit*, dies eorum anni centum viginti... *Hunc autem centum viginti annorum numerum aliqui putant terminum vitæ esse. Non hoc autem significat, sed nunc longanimitatem declarare vult, quam & post hæc peccata in ipsos ostendit.*

Probatur tertiò ex *S. Hieronymo*, Libro Traditionum Hebraicarum in Genesim. *Ne videretur* ( inquit ) *in eo esse crudelis, quòd peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adjecit:* Sed erunt dies eorum centum viginti anni. *Hoc est, habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta est; sed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati sunt. Siquidem invenimus, quòd post Diluvium Abraham vixerit annos centum septuaginta quinque, & cæteri ampliùs ducentis & trecentis annis.*

Probatur quartò ex *S. Augustino* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap.24. *Quod autem dixit Deus:* Erunt dies eorum centum viginti anni, *non sic accipiendum est, quasi prænuntiatum sit, post hæc homines centum viginti annos vivendo non transgredi, cùm & post Diluvium etiam quingentos excessisse inveniamus. Sed intelligendum est hoc Deum dixisse, cùm circa finem quingentorum annorum esset Noë, id est, quadringentos octoginta vitæ annos ageret; quos more suo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans: sexcentesimo quippe anno vitæ Noë; secundo mense factum est Diluvium: ac sic centum-viginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis Diluvio delerentur.*

Patrum istorum interpretationem sequimur potiùs quàm *Philonis* Libro *De Gigantibus*, *Josephi* Lib.1. Antiquitatum, *Lactantii* Lib.2. *Divinarum Institutionum*, cap.15. *Ruperti* Libro 4. Commentariorum in *Genesim*, cap.13. quos sequitur *Tostatus* Episcopus Abulensis.

Objicies: Quo tempore Deus hæc verba protulit, centum duntaxat annos ad Diluvium usque numerari. Hæc namque locutus est anno quingentesimo vitæ Noë.

Respondetur, *S. Augustinum* hanc objectionem occupasse, cùm ait, Quadringentorum & octoginta annorum duntaxat tunc fuisse *Noë*, quos Scriptura numero rotundo quigentos vocat.

At, inquies, hæc protulit Deus, cùm *Noë* genuisset *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, quorum generatio, cap.5. refertur: Porro quingentesimum annum tunc expleverat.

Respondetur, Hæc locutum fuisse Deum viginti annis antequam *Noë* genuisset. Verùm ejus generatio per anticipationem describitur, quæ Scripturæ Sacræ solemnis est. Voluit namque *Moyses* generationes omnes ab *Adamo* ad Diluvium unâ serie describere, & singularum epocham per annos parentis designare. Sed quia nonnulla priùs evenerant, ut quòd hominibus tempus centum viginti annorum ad pœnitentiam Deus constituisset, hæc deinceps illi commemoranda fuerunt.

Alio modo hanc difficultatem solvit *S. Hieronymus*. Existimat nempe centum duntaxat annos impletos esse, ex quo Deus verba illa protulit, in quorum interpretatione versamur, sed viginti annos ex designato temporis intervallo divinæ justitiæ falce amputatos. *Quia verò*, inquit, *pœnitentiam agere contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum: Sed viginti annorum spatiis amputatis, induxit Diluvium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.* S. Hieronymi sententiam secutus est *Hugo a S. Victore*, Annotationibus in Genesim: *Sicut*, inquit, *Ezechiæ mortem instantem minatus est Deus: sed quia pœnituit, mortem instantem in quindecim annos distulit: Sic contrà illis hominibus ad pœnitendum centum viginti annorum spatium concesserat; sed quia facti sunt deteriores patientiâ Dei, spatium indultum breviatum est. Nec in aliquo istorum mutatum est Dei consilium, sed tantùm sententia.*

## ARTICULUS IV.

### De Universalitate Diluvii Noëtici.

---

### *PROPOSITIO UNICA.*

*Noëticum Diluvium Universale fuit, non Palæstinæ solius, sed totius Terræ.*

HAnc veritatem, quam Præadamiticus Fabulator *Peirerius*, & alii fortè hujus farinæ homines impiè negant, luculenter probant Scripturæ sacræ verba, Genesis 7. *Factumque est Diluvium quadraginta diebus super terram: & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt Arcam in sublime a terrâ. Vehementer enim inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ: Porrò Arca ferebatur super aquas. Et aquæ prævaluerunt nimis su-*

*super terram, opertique sunt Montes omnes excelsi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super Montes quos operuerat, consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram: universi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terrâ, mortua sunt. Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli: & deleta sunt de terrâ: Remansit autem Noë, & qui cum eo erant in Arcâ. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus... Requievitque Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super Montes Armeniæ, &c.* Celsissimos montes superavit Arca: non igitur solius Palæstinæ montes. Quâ enim vi, quibus machinis, quo denique portento retenta est aqua, ut intra Palæstinæ regionem subsistens, & in altissimos montes enisa, regionis hujus claustra non perrumperet, aliòve non exundaret? Si extra Palæstinam Diluvium grassatum non est, cur *Noë* jussit Deus ut Arcam extrueret, cùm itinere brevi ac facili vitam redimere posset? Quomodo columba extra Arcam emissa indicio esse potuit aquas desedisse, cùm extra Palæstinam evolare potuerit? Quâ ratione Arca in Montibus *Ararat*, id est in Montibus Gordyæis Armeniæ quiescere potuit, si solam Palæstinam Diluvium Noëticum infestavit?

Secundò, causa immittendi Diluvii fuit, quòd *Omnis caro corruperat viam suam super terram:* immisso diluvio, *Venit finis universæ carnis;* decrevit Deus *interficere omnem carnem, in quâ spiritus erat subter cælum. Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt:* Quod in particulari Diluvio neque necessarium fuit, nec fieri omnino potuit.

2. Petri 3. cap. v. 5. 6. 7. Tertiò, Diluvium Noëticum a *S. Petro* comparatur cum interitu Mundi per ignem: At conflagrationem illam generalem fore certum est. *Latet enim*, inquit, *eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra, de aquâ & per aquam consistens Dei verbo: per quæ ille tunc Mundus aquâ inundatus periit. Cœli autem qui nunc sunt, & Terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii & perditionis impiorum hominum.*

Quartò, a tribus filiis Noë *disseminatum est omne genus hominum super universam terram*, ut dicitur *Genesis* 8. vers. 9. totaque terra tanquam vacua possessio divisa est filiis & nepotibus ipsius, ut constat ex cap. 10. vers. 5. *Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundùm linguam suam & familias suas in Nationibus suis:* Quod argumento est terram universam cataclysmo Noëtico nudatam & exhaustam fuisse, non Palæstinam solam.

Quintò, non Patrum duntaxat omnium consensu, sed & Scriptorum Ethnicorum testimonio, Diluvii Noëtici universalitas demonstratur, scilicet *Berosi* Chaldæi, *Hieronymi* Ægyptii, *Abydeni* Assyrii, *Alexandri Polyhistoris, Platonis, Luciani, Apollodori, Melonis, Nicolai Damasceni*, quorum loca descripsimus in Synopsi, Articulo 3.

Objicies, multa fingi debere miracula ut Noëtici diluvii universalitas comprobetur: Cùm enim universi orbis aquæ non sufficiant ad obruendam tam altè terram, vel plures aquas creari necesse fuit, vel istam aquarum molem ex aliis cœli orbibus decidere.

Respondetur, credendum potiùs miracula intercessisse, si quæ necessaria fuerunt, quàm Scripturæ sacræ Historicæ narrationi fidem derogandam, vel ejus verba in alienos sensus detorquenda. Verùm Deo potentia non defuit generalis illius aquarum eluvionis etiam per naturales causas exequendæ. Sanè causas naturales a divinâ omnipotentiâ ad efficiendum Diluvium adhibitas, *Moses* significat his verbis: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Duas causas Diluvii *Moses* exprimit, 1. aquarum omnium eruptionem, quæ terræ meatus universos occupabant. 2. Nubium quæ totum aërem pererrabant, in pluvias contractionem. *Philo* Libro 3. *De Vitâ Mosis*, tres causas Noëtici Diluvii recenset, 1. Nempe maris tumorem & effusionem in terras. 2. Ingens fluminum omnium incrementum. 3. Longam imbrium continuationem. *Seneca* Libro 3. *Naturalium Quæstionum*, cap. 27. & sequentibus, de causis efficientibus Diluvium disputans, quinque præcipuas tradit. 1. Densissimorum imbrium longam continuationem, ac torrentium ex montibus altissimis, niviumque congerie coopertis præcipitantium eruptionem. 2. Nimium fluminum incrementum & redundantiam. 3. Maris supra modum in terras tumescentis effusionem. 4. Conventionem omnium Syderum quæ vim imbriferam habent. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi fatali quadam Astrorum conjunctione, non Dei justi Judicis decreto ac virtute diluvium contigerit. Ab eo errore procul fuerunt *Guillelmus Parisiensis, Petrus de Alliaco*, & *Henricus Mechlinius Alberti Magni* Discipulus, quibus visum est, ut observat *Sixtus Senensis* Libro 5. *Bibliothecæ Sanctæ* Annotatione 81. *Cataractas cœli* notare Constellationes inundationum productrices, & signa aquatica, qualia Cancer, Pisces, Pleiades, Hyades, & Orion de stellis; Mars, Venus, & Luna de Planetis. Cataractas ergo cæli tunc apertas intelligi, cùm causæ hujusmodi ad operationes pluviarum & inundationum, volente Deo, aptatæ sunt & applicatæ. Et *Mechlinius* quidem, in Commentariis quos edidit in magnas *Albumasaris* Conjunctiones, refert ex Astronomicis supputationibus se compertum habere, quòd Noëticum Diluvium quædam Astrorum conjunctio præcesserit, generalem aquarum eluvionem inducens, nimirum Jovis & Saturni in fine Cancri, e regione Argolicæ Navis, per quam etiam *Arca Noë* significatur. *Quam* sententiam a *Tiberio Calabro* defensam peculiari Libro refutavit *Hieronymus Armellinus* Ordinis FF. Prædicatorum. Quintam Diluvii causam affert *Seneca*, Terræ in aquam magnâ ex parte resolutionem. *Sunt omnia*, inquit, *facilia naturæ; utique quæ a primo facere constituit; ad quæ non subitò, sed ex denunciato venit. Jam autem a primo die Mundi, cùm in hunc habitum ex informi unitate discederet, quando mergerentur terrena decretum est; & ne sit quandoque velut in novo opere dura molitio, olim ad hæc Maria se exercent. Non vides ut fluctus in littora tanquam exiturus incurrat? Non vides ut æstus fines suos transeat, & in possessionem terrarum indueat? Non vides ut illi perpetua cum claustris suis pugna sit? Quis porrò isthinc, unde tantum tumultum vides, metus est e mari, & magno impetu erumpentibus fluviis? Ubi non humorem natura disposuit, ut undique nos, cùm voluisset, aggredi posset? Mentior, nisi eruentibus terram humor occurrit, & quoties nos avaritia aut defodit, aut aliqua causa penetrare altiùs cogit: eruendi finis unda est. Adjice nunc quòd immanes sunt in abdito lacus, & multum maris conditi, multum fluminum per operta labentium. Undique ergo erunt causæ Diluvii, cum alia aquæ subinfluant terras, alia circumfluant, quæ diu coërcitæ vincent, & amnes amnibus jungent, paludibus stagna, omnium tunc Mare ora fontium implebit, & majore hiatu solvet. Quemadmodum corpora nostra ad egestum venter exhaurit, quemadmodum eunt in sudorem vires; ita tellus liquefiet, & aliis causis* quiesc-

*quiescentibus, intra se quo mergatur inveniet: sic magna omnia coitura crediderim. Nec erit longa mora exitii. Tentatur divelliturque concordia, cùm semel aliquid ex hac idoneâ diligentiâ remiserit Mundus: Statim undique ex aperto, ex abdito, supernè, ab infimo fiet aquarum irruptio. Nihil est tam violentum & incontinens sui, tam contumax infestumque retinentibus, quàm magna vis undæ: utetur libertate permissâ, & jubente naturâ quæ scindit, circuitque, compl'ebit. Ut ignis diversis locis ortus, citò miscet incendium, flammis coire properantibus: sic momento redundantia maria se committent. Nec ea semper licentia undis erit: sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter feris, in quorum ingenia homines transierant, iterum aquas terra sorbebit: natura pelagus stare, aut intra terminos suos furere cog't: & rejectus e nostris sedibus, in sua secreta pell tur Oceanus, & antiquus ordo revocabitur.* Quod solis causis naturalibus tribuit *Seneca*, & quidem necessariâ quadam & immutabili lege naturæ, a quâ certum diluvio tempus fixum sit; id Dei omnipotentiæ ac justitiæ tribuimus, cujus decreto ac virtute causæ illæ diluvii effectrices adhibitæ & applicatæ simul omnes fuerint ad generalem illum Cataclysmum efficiendum, quarum omnium causarum concursus ad tantam vastitatem orbi universo inferendam solâ naturæ virtute ac lege contingere non potest.

Objicies secundò, Diluvium ad montium altissimorum vertices pertingere non potuisse, *Olympi* scilicet. *Athos*, *Caucasi*, *Tauri*, & similium, quorum nempe altitudo mediam regionem aëris superet, in quâ imbres, nives, ac venti generantur.

Respondetur cùm naturæ peritis, falsa esse quæ de illis Montibus nonnulli commemorant. Exhalationes enim & vapores rectâ lineâ altiùs conscendere, quàm cujusvis montis altitudo perpendiculariter assurgat, facilè demonstratur. *Christophorus Clavius* Opusculo *De Crepusculis*, Propositione 6. vapores ad milliaria quadraginta tria assurgere docet. Altitudinem autem Olympi geometricè dimensus *Xenagoras*, reperit eam esse ad perpendiculum decem stadiorum cum sextante, ut refert *Plutarchus* in *Æmilio Paulo*. Quæ de Olympi altitudine nominatim *Solinus* commemorat, reliquias sacrificiorum in ejus vertice nec ventis diffiatas, nec imbribus dilutas, sed volvente altero anno ita planè repertas ut relictæ fuerant, quòd nubibus, mediâque regione aëris superior sit, fabulosa esse testatur *Franciscus Philelphus*, qui Montem eum conscendit, referente *Ludovico Vive* ad Lib. *S. Augustini* 15. *De Civitate Dei*, cap. 27. Montem *Athos* sublimiorem non esse nubibus, constat ex *Solino* cap. 16. asserente, in summo illius Montis vertice oppidum *Acrotion* fuisse, in quo dimidio longior quàm aliarum regionum incolis ætas prorogabatur. Narrat etiam *Ælianus* Lib. De Variâ Historiâ, *Platonem* Medicis consulentibus ut relicto insalubri Academiæ loco valetudinis causâ in Lycæum transmigraret, respondisse; *Ego ad superiora quidem Atho loca, quæ saluberrima sunt, transmigrarem, ut diutiùs viverem.* Porrò si Mons ille mediam regionem aëris superasset, non solùm insalubris, sed hominibus inhabitabilis extitisset. Quòd *Atlantem* spectat, ejus verticem nive semper coopertum experientia probat, adeoque mediâ regione aëris inferiorem.

Præterea quamvis Montes illos ultra mediam aëris regionem attolli probaretur, haud consequens esset, aquam divinâ virtute illuc effundi non potuisse, vel ascendere, ut ait *S. Augustinus* Libro 15. *De Civitate Dei*, cap. 27. *Qui verò* inquit, *non esse gesta, sed solas rerum significandarum figuras esse contendunt, primùm opinantur tam magnum fieri non potuisse diluvium, ut altissimos Montes quindecim cubitis aqua crescendo transcenderet, propter Olympi verticem Montis, supra quem perhibentur nubes non posse concrescere, quòd tam sublimis quàm Cælum sit, ut non ibi sit aër iste crassior, ubi venti, nebulæ, imbresque gignuntur: nec attendunt omnium elementorum crassissimam terram ibi esse potuisse. An fortè negant esse terram verticem Montis? Cur igitur usque ad illa cæli spatia terris exaltari licuisse, & aquis exaltari non licuisse contendunt, cùm isti mensores & pensores elementorum aquas terris perhibeant superiores? Quid itaque rationis afferunt quare terra gravior & inferior locum cæli tranquillioris invaserit per volumina tot annorum, & aqua levior permissa non sit hoc facere saltem ad tempus exiguum?*

Deinde Aërem omnem ad mensuram quindecim cubitorum supra Montes illos altissimos in aquas fuisse conversum, sicut & inferiorem, *S. Augustinus* docet Libro 3. *De Genesi ad Literam*, cap.3. locum Epistolæ 2. *S. Petri*, cap.3. vers.3. explicans, *Hos etiam*, inquit, *aërios cælos quosdam periisse diluvio, in quadam earum quæ Canonicæ appellantur, Epistolâ legimus. Neque enim illa natura, quæ ita concreverat, ut cubitis quindecim altissimorum montium transcenderet vertices, potuit ad Sydera pervenire. Sed quia ejus aëris humidioris, in quo aves volitant, vel tota vel propè tota spatia compleverat, periisse, qui fuerant, cælos in illâ Epistolâ scribitur. Quod nescio quemadmodum possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris hujus aëris qualitate conversâ: alioqui non perierunt tunc isti cæli, sed sublimiùs erecti sunt, cùm locum eorum aqua occupaverat. Itaque faciliùs eos, secundùm illius Epistolæ auctoritatem periisse credimus, & alios, sicut ibi scribitur, repositos, extenuatis videlicet exhalationibus, quàm sic erectos ut eis superioris cæli natura loco suo cederet. Oportebat itaque ut in creandis habitatoribus inferioris hujus Mundi partis, quæ sæpè terræ nomine tota commemoratur, priùs producerentur ex aquis animalia, postea verò de terrâ, quòd ita sit aëri aquæ similis, ut ejus exhalationibus pinguescere probetur, ut & spiritum procellæ faciat, id est ventum, & nubila contrahat, & possit volatus avium sustinere. Quapropter etiamsi verum dixit quidam sæcularium Poëtarum:* Nubes excedit Olympus & Pacem summa tenent: *Lucanus, Lib.2.* *Quia perhibetur in Olympi vertice aër esse tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque sustentare alites possit, neque ipsos qui fortè ascenderint homines crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aëre consueverunt: tamen & ipse aër est, unde aquis vicinâ qualitate diffunditur; & propterea ipse quoque in humidam naturam conversus diluvii tempore creditur. Neque enim arbitrandum est aliquid de spatiis Siderei Cæli usurpasse, cùm omnes etiam altissimos Montes aqua trascenderat.*

Objicies tertiò, ex columbâ a Noë emissâ, & vesperè ad illum redeunte, ramumque olivæ virentibus foliis in ore suo portante, probari Diluvium universale non fuisse. Nimirum ramus ille non erat ex oleis illis avulsus, quas diluvium obruerat, & per annum limosâ palude obduxerat, quorum idcirco folia limo gravata emarcuerant. Probabilius ergo dicetur, Columbam e Montibus Armeniæ emissam, aquas diluvii omnes transvolavisse; & in campis Superioris Asiæ elatioribus decerpsisse ex oleâ quadam cataclysmi & limi purâ ramum illum virentibus foliis, quo virentem nec marcidam salutis spem Noë ostentaret.

Respondetur, missis Hebræorum, & Christianorum etiam quorumdam Interpretum commentis,

tis, qui ramum illum virentis olivæ ex Paradiso terrestri decerptum fingunt [ siquidem Noë illo indicio exploratum non habuisset terram essè siccatam: ] Respondetur, inquam, Sub aquis vivere & virere non solùm oleæ, sed & aliarum arborum quasdam species, teste *Theophrasto*, Historiç Plantarum Lib.4. cap.8. cujus verba ita contrahit *Plinius* Lib.13. cap.25. *In Mari verò Rubro* ( mirum est ) *sylvas vivere, laurum maximè, & olivam ferentem baccas .... Eodem tractu Insularum sylvas operit æstus, quamquam altiores: Platanis populisque altissimis. Folia iis lauri, flos violæ odore & colore, bacca ut oleis & ipsa odoris jucundi, Autumno nascentes, foliis nunquam deciduis. Horum minores totas integit Mare; maximarum cacumina extant ... Alias quoque arbores in alto, &c. eodem in Mari visas, semper folia retinentes, fructu earum lupino simili*. Idem constat ex *Plutarcho* Libro de Facie in orbe Lunæ. *Gedrosia autem*, inquit, *& Troglodyticæ regionis ea pars, quæ ad Oceanum pertingit, cùm sit omnino sterilis ob siccitatem, & arboribus careat: in Mari vicino, quo alluitur, inusitatæ magnitudinis plantæ nascuntur, & ex profundo pullulant, quarum alias oleas, alias lauros, alias crines Isidis nominant*. Cùm itaque ex iis constet in ipso Mari vivere veras arbores, atque in iis arborem oleæ simillimam, quam propterea non solùm *Plinius*, sed & locorum incolæ simpliciter oleam vocant: Quidni olea, cujus folia nunquam decidunt [ unde Poeta:

—— *Ramum semper frondentis olivæ*. ]

Folia sua sub aquis retinuerit, quibus virens ramus fuerit a columbâ decerptus? Maximè [ inquit *Bochartus* 2. Parte *Hierozoici* Lib.1. cap.4. ] cum oleæ folia aquis & imbribus diu obsistere ex eo colligatur, quòd his Ichtyophagi tuguria sua obtegunt. *Strabo* Lib.16. vocat *casas olei folio tectas*. *Et Agatharcides* Lib.5. cap.17. *Alii olearum vertices inter se connexos pro tabernaculis usurpant*. Et *Diodorus* Lib.3. pag.109. *Oleæ plurimæ circa illa loca procreantur, radicibus in Mari immersis, & densissimis foliis; quibus inter se connexis continuam umbram facientes, in his tanquam in tabernaculis privatim degunt*. Pro ἐλαῖαι, id est, *oleæ*, nostras editiones perperam habere ἐλάται *abjetes*, quarum folia angustiora sunt, quàm ut continuam umbram possint facere, *Bochartus* observat: ideòque *Diodorum* ex *Agatharcide* & *Strabone* corrigendum.

Objicit quartò Fabulator Præadamiticus, cap.9. Libri 4. divisas & possessas fuisse a Filiis *Noë* non terrarum omnium plagas omnes; sed regiones tantùm Terræ Sanctæ, vel terras illi contermìnas, ut colligitur ex cap.10. *Genes*. Principium regni *Nembrod* Babylon fuit, *Assur* verò ædificavit Niniven. Nihil autem præter *Babylonem* & *Niniven* memoratur toto capite aut divisum aut possessum a filiis *Noë*, vel ultra Euphratem, vel ultra fluvium Ægypti, vel ultra Mare Rubrum, vel ultra Mare Palæstinorum, qui sunt Terræ Sanctæ limites. Imò verò prognatos legas capite illo 10. ex filiis *Cham* Philistæos, Hethæos, Jebusæos, Amorrhæos, Gergesæos, Hevæos, Sinæos, Aradios, Samaræos & Amathæos, populos omnes Terræ Sanctæ. Quod perspicuè apparet ex locis, & Terræ ejusdem Itineribus. Scriptum est ibidem: *Factique sunt termini Chanaan* [ filii Cham ] *venientibus a Sidone Geraram, usque Gazam; donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam & Seboim usque Lexa*. Quæ sunt vel urbes vel regiones Terræ Sanctæ. Additur: *Post hæc disseminati sunt Chananæi*. At de illis non dubitatur quin fuerint notissimi & præcipui Terræ Sanctæ populi. Ibidem enumerantur filii *Sem*, qui pater fuit filiorum Heber. *Natique sunt Heber filii duo. Nomen uni Phaleg: eò quòd in diebus ejus divisa fuerit terra. Et nomen fratris ejus Jectam*. Terra autem illa in diebus *Phaleg* divisa, Terra Sancta est. De illis enim fratribus additur: *Et facta est habitatio eorum de Messar pergentibus usque Sephar Montem Orientalem*. Quod Terræ Sanctæ Itinerarium merum est.

Respondetur, Ex cap.10. Geneseos evidens esse genus omne hominum a filiis & Nepotibus *Noë* fuisse reparatum, terrarumque omnium populos ab ejus filiis fuisse propagatos. De *Japhet* namque filiis dicitur: *Filii Japhet: Gomor, & Magog: & Madai, & Javan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras. Porrò filii Gomer: Ascenez, & Riphat, & Thogorma. Filii autem Javan, Elisa & Tharsis, Cethim, & Dodanim... Ab his divisæ sunt Insulæ Gentium in Regionibus suis, unusquisque secundùm linguam suam & familias suas in Nationibus suis*. Per Insulas autem Gentium ac Nationes populos duntaxat Terræ Sanctæ significari, non Gentes per alias Orbis partes dispersas, quis sapiens in animum inducat? Alios sanè quàm Terræ Sanctæ populos a filiis & nepotibus *Noë* propagatos, ostendere haud difficile est, singulos recensendo.

Atque ut a *Gomer* incipiamus cum *Mose*: explosis Chaldæorum figmentis, qui eum Africæ parentem faciunt; relicto etiam *Josepho* qui Galatarum patrem statuit: iis etiam valere jussis, qui *Gomer* Cimmeriorum auctorem volunt, *Ezechieli* adhærentes, qui terram *Gomer* & *Thogorma* ad Aquilonem Judææ collocat cap.38. vers.6. Terram *Gomer* Phrygiam esse censemus cum *Bocharto* in *Phaleg* Lib.3. cap.8. Phrygiæ regio *Katakecaumene*, ab adustione nomen habens, circa Caystrum & Mæandrum, & urbem Philadelphiam sita; cujus campestris regio est *cinericia*, montana autem & saxosa *nigra tanquam ex adustione*: Terra denique tota est *fragilis & friabilis, & plena salsuginis, & facilè inflammatur*; ut refert *Strabo* Libro 12. & 13. Certè regio ipsa nominis *Gomer* interpretatio quædam videtur. Nam Hebræum *Gamar* significat *consumere*: & Syri carbonem *gumra* vel *gumro* appellant: Græcis denique φρύγειν est *torrere*: Unde & φρυγία dictus locus quidam *Oete* montis, *Quia ibi Hercules ambustus est*. Ita *Eustathius* in Dionysium, *Stephanus* in Phrygia, & *Callimachi* Scoliastes Hymno in *Dianam*, vers. 159.

*Magog*, alterum *Japheti* filium, *S. Ambrosius*, Lib. 2. *De Fide ad Gratianum*, cap. 4. Gothorum parentem; *Eusebius*, Celtarum & Galatarum; Auctor Chronici Alexandrini, Aquitanorum; Chaldæi, Germanorum; Arabes, Tartarorum faciunt. Scytharum Patrem asserunt *Josephus*, *Eustathius*, *S. Hieronymus*, & *Theodoretus*. Id colligitur ex *Ezechielis* capit.38. vers.2. *Pone faciem tuam contra Gog, Terram Magog, Principem capitis Mosoch & Thubal, & circumagam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam & clypeum arripientium & gladium*. Septuaginta Interpretes, *Symmachus*, & *Theodotion* vertunt, *Principem Ros, Mesech, & Thubal*. [*S.Hieron. Lib. Quæst. Heb. in Genes. & Præfat. Lib. 2. in Ezechielem.*] Ex hoc Prophetæ loco, secundùm utramque Versionem colligitur, Terram *Magog* esse Scythiæ regionem. Nam secundùm Vulgatam, verborum *Ezechielis* sensus est *Gog* incolam Terræ *Magog* illis regionibus dominari, unde incipit Terræ *Mesech* & *Thubal*. Caput enim apud Hebræos, passim pro initio sumitur. Sic Terra *Gog* vel *Magog* erit Scythiæ pars circa Caucasum quam Colchi & Armeni, quorum dialectus erat Semichaldæa, *Gog-basan* vocaverint, id est *Gogi* munimentum, atque inde Græci, Καύκασον sono molliore. Secundùm Versionem verò 70. Interpretum, sensus erit, *Gog*, id est, Scythas incolas Terræ Magog, id est Scythiæ, insuper fuisse Prin-

cipes Terrarum *Rhos*, *Mesech*, & *Thubal*. *Rhos* quidem loci nomen S. *Hieronymus* esse negat, quia aliunde ignotum est, nec apud *Josephum* qui omnia gentium Hebraica nomina in 1. *Antiquitatum* Libro exponit, illud invenire potuit. Sed hoc nihil obstare *Bochartus* reponit, quominùs possit esse loci nomen, cùm *Ezechiel* multa alia locorum nomina habeat, quæ nec apud *Josephum*, nec alibi in Scripturâ Sacrâ leguntur. *Rhos* ergo esse Armeniæ fluvium *Araxen*, & *Araxenen* regionem, Vir ille Doctissimus conjicit, probatque ex Nubiensi Geographo. Sensum itaque verborum *Ezechielis*, secundùm Versionem 70. Interpretum hunc esse: *Pone faciem tuam contra Gog*; id est, obfirma vultum tuum ad prophetandum contrà Regem Scytharum, *in Terrâ Magog*; qui Regni sedem habet in Scythiâ propè Caucasum: *Principem Rhos*, *Mesech*, & *Tubal*; Principem Armeniæ Araxenę, Moschicæ, & Tibareniæ, regionum contiguarum, quæ tum erant Scythici juris, Scythas enim vel Sacas, quod idem est, Imperii sui limites eò usque promovisse, testatur *Strabo*, Lib. 11. & Scythas circa *Araxen* Amnem habitasse, *Herodotus* & *Diodorus Siculus* Libro 2. commemorant. A Rhossis & Moschis circa Araxen, de quibus *Ezechiel*, descendisse Russos & Moscovitas, gentes in Scythiâ Europæâ celeberrimas *Bochartus* conjicit: & pariter a *Magog* nomen traxisse Magynos, quos inter Scythiæ populos versùs Thraciam & Tanaim *Tibullus* recenset in Panegyrico ad Messalam:

*Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magyna.*

Populos *Gog* & *Magog* describere pergit Propheta vers. 3. & 4. *Ecce ego ad te Gog... & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites.* Et vers. 15. *Et venies de loco tuo a lateribus Aquilonis tu, & populi multi tecum, ascensores equorum universi.* Quod Scythis apprimè convenit, quibus etiam in summâ pace continua penè fuit equitatio. Unde *Hippocrates* Lib. *De Aquis & Locis*, ita de Scythis loquitur: *Ab equitatione ipsos corripiunt articulorum dolores, quia pedes ipsorum semper ab equis propendent.* Addit Propheta cap. 39. vers. 3. *Et percutiam arcum tuum in manu sinistrâ tuâ, & sagittas tuas de manu dexterâ tuâ dejiciam.* Quod Scythis etiam proprium, quorum arma perpetua sagittæ & arcus. Ideo Scytharum equites vocantur *Hippotoxotæ* ab *Herodoto* & *Luciano*, quòd a teneris jaculari assuevissent, etiam dum ab equis movebantur: Idque tantâ peritiâ ut rarò a scopo aberrarent. Unde *Anacharsis* in Plutarchi *Symposio* ait, Animalia Dei motionibus non minùs obsequi, quàm *Scythis arcus*; *lyraque Græcis & tibiæ obsequuntur.* Et apud *Herodotum* Mediæ Rex *Cyaxares* filium suum Scythis committit, ut ab iis addiscat *artem arcu jaculandi*. Et in *Ctesiæ* Persicis, *Darius* & *Scytharces*, hic Scytharum Rex, ille Persarum, *Arcus sibi misere mutuò*, *sed Scythicus prævalebat*, qui *Darium* ita perculit ut fugâ sibi consuluerit. Hæc & alia plura doctissimus *Bochartus*, in *Phaleg* Lib. 3. cap. 13.

*Herod. Lib. 4. c. 47. Lucian. in Taxari, & in Hermor.*

*Lib. 1. c. 30.*

*Madai*, tertius *Japheti* filius, Medorum pater est. Quippe pro Medis & Persis *Esteræ* & *Danielis* Libri passim habent, *Paras*, & *Madai*.

*Javan* quartus *Japheti* filius, Jonibus originem dedit, quos *Homerus* in Iliade *Jaones* appellat. Jonum porro nomine non solos Athenienses, aut Atheniensium colonos intelligi debere *Bochartus* observat, quamvis ita accipiant *Herodotus*, *Aristoteles*, *Heraclides*, *Strabo*, *Plutarchus*, & alii: sed Achæos etiam, & Bœotos, Jonum nomine contineri, auctore *Hesychio*. Hinc Jonicus campus a *Strabone* ponitur in Bœotiâ. Quin & Macedoniam huc pertinuisse, cum vicinis gentibus ad occasum, docet Jonium Mare, olim Macedonici juris. Hinc est quòd Alexandrum *Daniel* cap. 8. vers. 21. *Regem Javan* appellat, ut in Textu Hebræo legitur.

*Thubal* & *Mesech* quintus & sextus *Japheti* filius, cognatis populis nomen dederunt, quorum meminit *Ezechiel* cap. 27. vers. 13. cap. 32. vers. 26. cap. 38. vers. 2. & 3. & cap. 39. vers. 1. Chaldæi Italiam & Ausoniam interpretantur: *Josephus*, Iberos & Cappadocas, *Eusebius* Illyrios & Thessalos, Arabs Sinas & Chorasan. Chronicon Alexandrinum Macuacos Geographis omnibus ignotos. Meliùs *Bochartus* Moschos & Tibarenos esse censet; idque hæc argumenta probant. 1. Nominum affinitas; a *Mesech* enim Moschos oriundos perspicuum est: a *Thubal*, levi mutatione literæ L. in R. *Thibar* formatum, & hinc Tibarenos, verisimillimum. Quæ mutatio Græcis haud insolita, qui eadem licentiâ ex *Belial* fecerunt Βελιαρ, ex *Picol* Φικωρ, &c. 2. *Mesech* & *Thubal* fuerunt in Terrâ Magog seu Scythiâ veteri: At Moschi & Tibareni olim Scythici juris fuere. 3. Mesech & Thubal vicinæ gentes fuere: vicini pariter Moschi & Tibareni. Hinc *Strabo* Lib. 7. 11. & 12. Tibareniam & Tibarenorum fines extendit usque ad Pharnaciam & Trapezuntem, Moschicosque & Cholchicos Montes: ita ut medii fuerint inter Trapezuntios & Armeniæ Minoris incolas. Eos etiam passim conjungit *Herodotus*, qui in copiis *Xerxis* eadem utrisque arma, eosdem belli duces tribuit. 4. De Thubal, & Mesech *Ezechiel*. 27. vers. 13. habetur: *Thubal & Mosoch*, *ipsi institores tui: Mancipia & vasa ærea advexerunt populo tuo.* Id autem Moschis & Tibarenis convenit. Cappadociam enim, cujus pars Tibarenia fuit, hoc mangonii genere celebrem quis ignorat? Unde *Cicero* in Oratione post reditum ad Senatum: *Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.* Et *Horatius* Epist. 6. Lib. 1.

*Mancipiis dives eget æris Cappadocum Rex.*

Ad Tibarenos Mossynœci pertinent, quorum æs splendidissimum & candidissimum esse, *Aristoteles* Lib. *De Mirab. Auscult.* testatur. Sed & in Iberiâ, cujus partem Moschi incolunt, creditur esse æs omnium præstantissimum. Hinc *Chalcondilas* Lib. 7. ita commendat æs Paphlagonicum, ut nulli præterquam Iberico cedere asserat. 5. De gentibus Mesech & Tubal *Ezechiel*. Cap. 32. vers. 26. dicitur: *Ibi Mosoch & Thubal*, & *omnis multitudo ejus: In circuitu ejus sepulcra illius: omnes hi incircumcisi, interfectique & cadentes gladio: quia dederunt fortitudinem suam in terrâ viventium.* Quod Tibarenis ratione immanitatis & belluinæ ferociæ optimè convenit, de quibus *Eusebius* Lib. 1. Præparationis Evangelicæ *Tibari*, inquit, *vivos præcipitabant eos quibus imminebat senectus*. Plura dabit *Bochartus* in *Phaleg* Libro 3. cap. 12.

*Thiras*, filiorum *Japheti* postremus, Thracum parens asseritur a Chaldæis, *Jonathane*, & Hierosolymitano Interprete, a *Josepho* Lib. 1. *Antiquitatum*, cap. 7. *Eusebio* in Chronico, *Eustathio Antiocheno* in Hexaëmeron, *S. Epiphanio* Lib. 1. adversus Hæreses §. 7. *S. Hieronymo* in Traditionibus Hebraicis, *Isidoro Hispalensi* Lib. 9. Originum Num. 10. Id ipsa vox confirmat: *Thiras* enim idem est quod Θρᾷξ, *Samech* & ξ permutatis, ut in Alphabeto quod Græci a Phœnicibus acceperunt, in quo litera ξ occupat locum literæ *Samech*. Apud Thraces & vicinos populos multa supersunt hujus nominis vestigia. *Athyras* Portus, & Sinus, & fluvius circa Byzantium in Propontidem exiens, apud Plinium, Melam, & Ptolemæum; *Tyristasis* urbs in Thraciæ Chersoneso, apud Plinium & Demosthenem; & *Thrausi* Thraciæ Populus ad Hæmum

num Montem, apud Herodotum Lib.5. Livium Lib.38. & Hesychium. Hinc etiam apud Veteres *Mars* Thracum Deus *Thuras* nominatur: & *Martis* filius primus Thracum Rex *Thereus*: & *Therops* Thraciæ Rex a *Baccho* constitutus *Lycurgi* loco, de quo Diodorus Siculus Lib.3. *Teres* denique *Sitacis* pater, qui primus Odrysarum Regnum amplificavit, & reliquâ Thraciâ majus reddidit.

Sequuntur *Japhet* nepotes ex *Gomer*: quos inter primus occurrit *Ascenez*, a quo nomen sortita est *Ascania* pars Phrygiæ & Mysiæ, cujus meminit *Homerus* in Iliade, & *Strabo* Lib.14. qui & *Ascanium* Amnem memorat. Ascanii Portûs meminit etiam *Plinius* Lib.5. cap.30. & Ascaniæ Insulæ Lib.4. cap.12. & Lib.5. cap.31. Cùm autem *Ascanius* Sinus & Ascanius Lacus & Amnis in Bythiniâ fuerit, credibile est e Terrâ *Gomer*, id est, Phrygiâ Majore, colonos duce *Ascenez* in Phrygiam Minorem, Troademque deductos, ad Pontum usque se diffudisse, qui cùm ex accolarum nomine diceretur *Ascenaz*, a Græcis paululùm deflexâ voce nominatus est Αξενος, *Inhospitalis*; & postmodum Ευξεινος in contrarium versâ significatione. Hinc Apollonius *Argonaut.* Lib.2.

*Thynidis Axino vestigia littore fixit.*

*Diodorus* Lib.4. ubi de *Jasone* & Argonautis: *Pontum autem cùm illis temporibus circumhabitaretur a gentibus barbaris & prorsus feris, & locorum incolæ trucidarent hospites adnavigantes, Axenum appellatum fuisse* testatur. Hinc *Apollodorus* apud *Strabonem* Lib.7. dicit, *Axenum appellatum ob nimium rigorem & sævitiam populorum, & Scytharum maximè, hospitum immolatorum carnibus vescentium, ac calvariis poculorum loco utentium.* Similia leguntur apud *Ovidium*, in *Tristibus*, Lib. 4. Elegiâ quartâ, apud *Plinium* initio Libro 6. *Melam* Lib.1. cap.19. & apud *Lucianum* in *Toxari*. Plura dabit *Bochartus* in *Phaleg* Lib.3. cap.9.

*Riphat*, alter *Gomeri* filius, Sauromatis, secundùm *Eusebium*; Garamantis, secundùm Chronicon Alexandrinum; Riphatæis, qui Paphlagones dicuntur, secundùm *Josephum* & *S. Hieronymum*, originem dedit. Sanè Paphlagones dictos olim Riphatæos, seu *Riphaces*, constat ex *Pomponio Mela*, Lib.1.

*Thogorma*, tertius *Gomeri* filius, regioni nomen fecit, quæ Palæstinæ Aquilonaris erat, non procul remota a terrâ *Gomer*, equorum & mulorum ferax, quos ad Tyriorum nundinas Thogormæi deducebant, ut habetur *Ezechielis* cap.27. versu 14. & cap.38. vers.6. Hanc esse Phrygiam censent *Josephus*, *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis, *Theodoretus*, & *S. Isidorus Hispalensis*. *Eusebius* Armeniam. Nos cùm *Gomerum* Phrygum parentem probaverimus, Græcum Scholiastem in *Ezechielis* cap.33. secuti, a *Thogorma* Cappadoces derivamus, quibus *Ezechielis* characteres conveniunt. Nam Thogormam *Ezechiel* Terræ *Gomer* conjungit, id est Phrygiæ: At Phrygiæ vicina est Cappadocia. 2. *Thogorma* respectu Judææ est Aquilonaris; talis est Cappadocia. 3. *Thogorma* ob equorum & mulorum præstantiam ab *Ezechiele* celebratur: Cappadocia equis & mulis nobilis-
*Lib. 8. c.* simis ita fœcunda est, ut hac in parte nulli ter-
*44. Lib. 2.* rarum cedat, ut probat *Bochartus* testimoniis veterum, *Solini*, *Dionysii Periegetis* vers.973. *Oppiani Cyneg.* Lib.1. vers.197. *Claudiani* in *Rufinum* Lib.2. & De Laudibus Serenæ, *Philostorgii* Cappadocis Historici vetustissimi, *Theophrasti* & *Plinii*, qui *vulgò parere mulas in Cappadociâ* tradunt, *sed esse id animal sui generis*. Strabonis, qui Cappadociam scribit Persis conferre quotannis tributi nomine *equos mille quingentos, & mulos bis mille*. Denique Galatis, qui Cappadociam insederunt, Trogmorum, & Trocmorum nomen inditum, voce derivatâ a *Thogorma*, pro quo Græci Interpretes Τοργαμα constanter legunt. *Strabo* Lib.12. *Trocmi Ponti & Cappadociæ confinia possident.* Soli Galatarum *Trocmi* Cappadocum Regi *Ariarathi* litem de finibus moverunt, cujus componendæ gratiâ Legati a Romanis missi, referente *Polybio* in *Excerptis*, cap.108.

*Japheti* nepotes ex *Javan*, a *Mose* recensentur *Elisa & Tharsis*, *Cethim & Dodanim*. Ab *Elisâ* Josephus, S. Hieronymus, & S. Isidorus Hispalensis *Æoles* propagatos interpretantur; *Helladem* Chaldæi; *Siciliam* Eusebius; Villalpandus *Elysios Campos* in Fortunatis insulis; *Bochartus* Peloponnesum, in quo *Elis* vetustissima est & amplissima regio, cujus una pars ab Homero vocatur *Alisium*. *Elisam* memorat *Ezechiel* cap.27. vers.7. purpuramque ex Insulis *Elisa* allatam celebrat. *Hyacinthus & purpura de Insulis Elisa facta sunt operimentum tuum*. Peloponnesum complecti Achaiam, Elidem, Messeniam, Arcadiam, Laconicam, & Argoliden totidem Peninsulas, exploratum est; & purpuram olim magnâ copiâ in maritimis Laconicæ partibus parari solitam, Veteres testantur, *Plinius* Lib.9. c.36. *Pausanias* Laconicis, *Horatius* Lib.2. Od.28. *Statius* Lib.1. Sylvâ 2. *Valerius Flaccus* Lib.1. Fuit in Peloponneso, non procul a Mycenis, *Hermione* Urbs ad Argolicum Sinum, purpuræ proventu nobilis, quæ a *Plutarcho* Hermionica dicitur, cùm Susis ab *Alexandro* captis ibi narrat *inventa fuisse purpura Hermionica talentorum quinque millia, annis servata decem minùs ducentis, quæ florem recentem adhuc ac novitium retineret*. Atque de hac purpurâ intelligi potest locus *Ezechielis*, purpuram ex Insulis *Elisa* allatam memorans.

*Tharsis*, alter filius *Javan*, non Tarso Ciliciæ, ut *Josepho* & plerisque recentioribus, sed Carthaginensibus originem dedit, ut 70. Interpretibus, & Vulgato ad cap.27. *Ezechielis* vers.12. *S. Hieronymo*, & *Theodoreto* visum est. Inde forsan coloniam in Hispanias deduxit. Ideo *Eusebius* Iberos seu Hispanos a Tharsi propagatos asserit. Eusebii sententiam duobus maximè confirmat argumentis *Bochartus*. 1. ex *Ezechielis* cap.27. vers. 12. ubi dicitur: *Tharsis negotiatrix tua præ copiâ omnium divitiarum: argento, ferro, stanno, & plumbo negotiati sunt in nundinis tuis*. His autem metallis divitem fuisse Hispaniam Veteres testantur. Ideoque Tyrii eò frequentissimè se contulerunt negotiationis & lucri gratiâ. Quâ de re plura ex Antiquitatis penu profert Vir Doctissimus. Sed hujus argumenti vim frangit Vulgata Versio, quæ Tharsim ibi interpretatur Carthaginem: *Carthaginenses negociatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas*. 2. Sententiam suam probat *Bochartus*, ex eo quòd Tyriorum ac Phœnicum navigationes in Hispaniam adeo antiquæ fuerint, ut ab heroicis temporibus, *Hercule* nempe *Tyrio*, *Mosi* coævo, earum initium arcessant. Hinc pleraque Hispaniæ loca seu locorum nomina, antiquis celebrata, origine sua Phœnicia esse. Videsis *Bochartum* in *Phaleg* Lib.3. cap.7.

*Cethim*, tertius filius *Javan*, singulari cuidam Genti originem etiam dedit, quam Græci Interpretes *Numer.*24. vers.14. *Isai.*33. vers.14. *Daniel.*11. vers.30. *Citios* vocant, id est Cyprios, si *Josepho* credimus; quia in Cypro Insulâ *Citium* urbs est celeberrima, patria *Zenonis Stoici*, qui *Cittæus* inde appellatur. Ad *Josephum* accedunt *S. Epiphanius* in Hæresi Manichæorum, *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis in Genesim, *Eustathius* in Hexaëmeron, & *Victor* Presbyter in *Jeremiam*. Alii *Chios* a *Cethim* derivant. Alii *Indorum*

*rum Gentes*, apud *Olympiodorum* & *S. Chrysostomum* in Catenâ Græcorum Patrum, in *Jeremiæ* cap.2. Quidam *Ciliciam* intelligunt, cujus pars non minima Cetis regio, apud *Ptolemæum*, & *S. Basilium Seluciensem* Lib.1. *De Vitâ S. Teclæ*. Auctor Lib.1. *Maccabæorum* Terram *Cethim* putavit esse Macedoniam. Initio quippe Libri narrat *Alexandrum* Macedonem egressum esse ex Terrâ Cethim. ἐκ τῆς γῆς Κιτιεὶμ. Et cap.8. vers.5. *Perseum* illum Macedonem, de quo Romani triumpharunt, vocat Κιτιέων βασιλέα *Citiorum Regem*. Quæ sententia confirmatur ex eo quòd *Isaias* cap.23. vers.1. Tyriis excidium interminatus, addat fore *ut reveletur*, id est, erumpat in illos hoc malum *a Terrâ Cethim*, Quod plerisque referendum videtur ad Macedones, qui *Alexandro* duce Tyrum oppugnarunt, & devastarunt. *At apud Isaiam Chutæos, id est, Susianæ incolas ad ortum Babyloniæ significari, non Macedonas*, rectè observat Bochartus. *Ibi quippe non agi de postremo Tyri excidio, quod sub Alexandro contingit, sed de priore, cujus auctor Nabuchodonosor*. Bochartus, aliique Viri eruditi, *Cethim* Italos esse volunt, his argumentis freti. 1. Quòd *Daniel* Alexandrum nominet Regem *Javan*: qui si dicatur etiam Rex *Cethim*, confundentur *Javan* & *Cethim*, quæ manifestè distinxit *Moses*. 2. Ejusdem Prophetæ cap.11. vers.29. & 30. de Chittæis ea dicuntur, quæ ad Romanos universi ferè Interpretes referunt. *Constituto*, inquit, *tempore* ANTIOCHUS *rursus invadet Austrum*, id est Ægyptum, *sed posterior prima non erit similis: supervenient enim naves Cethim, & invitus regredictur*. Naves Cethim sunt naves Romanorum *Caio Popilio* Duce, quorum metu *Antiochus* re infectâ discessit. Ubi Vulgatus Interpres pro *Cethim* Romanos reddit: *Et venient super eum Trieres, & Romani: & percutietur, & revertetur*. Hanc expositionem sequuntur Græci & Latini Patres. 3. Nominis *Cethim* vestigia in Italiâ occurrunt, nempe urbs *Cetia* in ipso Latio, cujus meminit *Dionysius Halicarnasseus*, una e septem urbibus a *Coriolano* captis, quas *Plutarchus* in ejus Vitâ *magnas & populosas* appellat. Item *Echetia* Italiæ urbs apud *Stephanum*: & *Cetus* fluvius circa Cumas, *Aristoteli* Lib. *De Mirabil.* celebratus. Fortè *Cethim* cum patre *Javan* primùm in Macedoniâ habitaverit, quæ propterea dicta sit aliquando Terra *Cethim*, sicut & Terra *Javan*, ut Lib.1. *Macchab*. Inde verò migrans coloniam deduxerit in Italiam, & Romam, quæ ideo *Cethim* nomine sit frequentiùs & magis propriè significata.

*Dodanim* postremus *Javan* filius, seu *Rhodanim*, ut legitur 1. *Paralipomenon* 1. vers.7. Genti nomen dedit, quam 70. Interpretes eamdem faciunt cum Rhodiis, quæ sententia est etiam *Eusebii*, *S. Hieronymi*, & *S. Isidori Hispalensis*. Adversùs illam opponit *Bochartus*, Mose recentius esse Rhodi nomen, & Rhodum Insulam esse angustiorem, quàm ut uni e quatuor *Javani* filiis suffecerit, quibus Europæ magna pars in sortem obtigit. Censet igitur Rhodanim seu Rhodanitas in Galliam appulisse, circa ostia Rhodani, quem de suo nomine appellaverint, uti & Regionem circumjacentem *Rhodanusiam*, vel *Rhodanensem*, ut apud *S. Irenæum* Lib.1. c.9. *Rhodanusiam* Urbem in Massiliensi tractu memorant *Marcianus Heracleotha*, *Stephanus*, & *Sidonius Apollinaris*, Lib.1. Epistolâ 5.

Ex his patet præter Europam tota quanta est, *Japheto* & ejus posteris obtigisse Asiam Minorem, & Mediam, & Armeniæ partem, & Iberiam: & Albaniam, & vastissimas illas regiones ad Boream, quas olim Scythæ, hodie Tartari obtinent, ut de Novo Orbe taceam, in quem per fretum Anianis migrasse Scythas non est vero absimile.

Filios *Cham* hoc ordine recenset Moses: *Filii autem Cham: Chus, & Mesraim, & Phut, & Chanaan*.

*Chus* Æthiopiæ conditorem, adeoque *Terram Chus* Æthiopiam intellexerunt Veteres plerique omnes; *Eupolemus*, cujus de filiis *Chami* fragmentum conservavit *Eusebius* Lib.9. Præparationis Evangelicæ, *Josephus*, *Philo*, *Eusebius*, Auctor Chronici Alexandrini, vulgatus Interpres, Patrum chorus universus. At *Bochartus in Phaleg Lib.4. cap.2.* aliique Recentiores, Terram Chus interpretantur Arabiam. Sententiam hanc suam his confirmant argumentis. 1. *Sephora* uxor *Mosis* Chusitis appellatur *Numerorum* 12. vers.1. quę tamen filia Sacerdotis Madian dicitur *Exodi* 2. vers.16. & 21. Eadem ergo fuit Terra Chus cum Terrâ Madian. At Madian sita fuit in Arabiâ Felice, prope Sinum Arabicum seu Mare Rubrum. Præterea, *Habacuch* 3. vers.7. Chus & Madian velut vocabula ejusdem potestatis & significationis usurpantur: *In loco vano vidi tentoria Chusan, commota sunt aulæa Terræ Madian*. 3. Job.28. vers. 19. *Topazius Chus* celebratur: At topazii copia non est in Æthiopiâ, sed in Arabiâ, in Chiti vel Topazio Maris Rubri Insulâ, teste *Plinio*, & aliis. 4. *Tirhaca* Rex Chus *Sennacheribum* obsidentem Libnam oppidum in Tribu Juda ex improviso adortus est, 4. *Regum* 19. vers.9. & *Zera* Rex alter Chus in *Azam* Judææ Regem duxit decies centena millia peditum, ut habetur 2. *Paralipomenon* 14. vers.9. quæ Regi Arabiæ in viciniâ posito conveniunt, non Regi Æthiopiæ, quam inter & Judæam tot deserta, & ipsa tota Ægyptus interjacent. 5. Legimus 2. *Paralipomenon* 21. vers.16. Deum excitasse contra *Joramum* Philistæos & Arabes Chusæis finitimos: At Arabibus finitimi non sunt Æthiopes, quos inter tota Ægyptus est interposita, sed potiùs Scenitæ & populi ad Mare Rubrum habitantes. 6. Deus comminatur *Ezechielis* 29. vers.10. se *Terram Ægypti desolaturum a Turri Syenes usque ad terminum Chus*. Quibus verbis duos Ægypti terminos oppositos designari manifestum est. At *Syenem* terminum esse Ægypti versùs Æthiopiam, constat ex *Strabone* Lib 7. *Plinio* Lib.5. cap.9. *Solino* cap.35. *Josepho* Lib.5. *De Bello Judaico* cap.1. *Chus* itaque terminus Ægypti *Syenę* oppositus non potest esse Æthiopia: sed Arabiam intelligi necesse est. Verumtamen cùm Vulgata nostra versio Latina, & Patres omnes terram Chus Æthiopiam interpretentur, ipsis adhærendum potiùs duxerim quàm *Bocharto*, cujus argumentis facilè respondetur, Terram Chus diversam esse ab Æthiopiâ Occidentali sive Meridionali, non ab Orientali. Hanc enim esse Mesopotamiæ & Arabiæ finitimam, imò illam ipsam Arabiæ partem, quam olim Scenitæ, & postea Saraceni incoluerunt. Orientalis Asiæ, Occidentalis Africæ pars est. Utramque distinguunt *Homerus* in Odyss. Strabo Lib.1. Geographię, *Plinius* Lib. 5. cap.8. *Pomponius Mela* Lib.1. cap 2.

*Mesraim* filius alter *Chami*, Ægyptiorum pater fuit. Hinc Ægypti Metropolim *Alcairo* hodieque Arabes *Meser* vocant: & primi Mensis apud Ægyptios nomen erat *Mesori*. *Misraiim* duale nomen, ex *Mesoraim* per compendium factum *Bochartus* observat, cujus singulare est *Masor*.

*Phut* tertius *Chami* filius, Phutæi originem dedit, qui postea Libyes vel Lubæi appellati sunt. Ita *Josephus*, *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis, *Eusebius* Lib. De Locis Hebraicis, *S. Isidorus* Lib.9. Originum cap.2. & fluvium *Phut* in Mauritaniâ esse observant, omnemque circa eum Regionem Phutensem appellari. Cùm igitur

Me-

*Mesraim* ejusque filiis obtigerit Ægyptus, & Africa tota usque ad Tritonidem Paludem; *Phut* cessit reliqua pars Africæ, a Palude Tritonitide scilicet usque ad Oceanum Atlanticum. In ipsâ Marmaricâ, necnon Ægypto Libiæ conterminâ quædam nominis *Phut* vestigia reperire est; qualia *Phthia Portus*, & *Pythis* extrema, & *Phthemphuti* Nomus. Cæterum cùm *Phut* planè idem sit quòd *Phuts*, sparsus, dispersus, *teth* & *tsade* permutatis, convenienter Libyes *Phutæi* dicti sunt, quasi dispersi, quia in magnâ parte Africæ continuæ non sunt habitationes, sed huc illuc dispersæ, ut testantur *Pomponius Mela* Lib.1. cap.8. & *Strabo* Lib.17. Qui etiam docet Lib.2. Africam hujus dispersionis ratione cum pelle Pardi conferri, ut quæ habitationibus parvis & dispersis tanquam maculis sit interpuncta.

*Chanaam* quartus *Chami* filius, *Phœnicibus* originem dedit. Hinc 70. Interpretes Phœnices & Terræ Chanan, Phœnicum item & Chananæorum nomen promiscuè usurpant, ut *Bochartus* observat: & mulierem quam *S. Matthæus* Chana-
Matth.15. 22. Marc.7. 26. næam appellaverat, *S. Marcus* nominat *Syrophœnissam*. Nec Græcos ipsos prorsus latuit Phœnices ex posteris Chanaan ortum duxisse. *Eupolemus* enim ait, *Chanaan genuisse Phœnicum Patrem*. Ex *Eupolemo* refert Alexander *Polyhistor*, & ex illo *Eusebius* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.17. Accedit quòd in Philone Biblio Sanchoniatonis Interprete, Phœnicii Scriptoris longè vetustissimi, fit mentio cujusdam CHNA, *qui Phœnicis cognomine primus insignis fuerit*. At nemo est qui non videat nomen *Chna* ex *Chanaan* derivatum. Ideo apud *Stephanum Bysantinum* Lib. De Urbibus & populis, *Phœnice* vocatur Chna, & Phœnices *Chnai*. Denique priscam Phœnicum linguam fuisse Chananæam, seu Hebraicam Viri Eruditi abundè probarunt. Mutati autem ab ipsis nominis hęc causa fuit, quòd Chananæos ob maledictionem *Chanaani* a Noë inustam sui nominis puduerit, maximè cùm viderent se bello internecino a Judæis infestari, non ob aliud quàm quòd Chananæi essent. Itaque pro Chananæis Syros, Assyrios, Sidonios, Phœnices appellari maluerunt.

Filii *Chus* a *Mose* recensentur, *Saba & Hevila*, *& Sabatha*, *& Regma*, *Sabathaca*, *& Nemrod*. Filii verò *Regma*; *Saba*, *& Dadan*.

*A Sabâ* orti sunt *Sabæi*, secundùm *Josephum* & *S. Hieronymum*; non quidem thuriferi illi in Arabiâ Felice celebres, hi enim ad *Semum* potiùs quàm ad *Chamum* originem referunt; sed *Sabæi Jemamitæ* a Reginâ quadam *Jemana* nuncupati, Omanitis finitimi, de quibus *Alcamus* apud *Giggeium*, & *Geographus Nubiensis*. Hi Sabæi Veteribus ideo parùm noti, quia eorum nomen obliterarunt *Gerræi* ex Babyloniâ advenæ, ditissimum mercatorum genus, quos *Agatharcides* cap.1. Gerræis conjungit. Lege *Bochartum* in *Phaleg*, Lib.4.cap.8.

Ab *Hevilâ* seu *Chavilâ*, orti *Hevilæi* seu *Chavilæi*, quos *Eratosthenes* apud *Strabonem* Lib.16. *Chaulotæos*, Dionysius *Chablasios*, Festus Avienus *Chaulasios*, Priscianus *Chalbasios* vocat. Plinius Lib.5. cap.11. *Chaveleos* scripserat, quod scribarum imperitia mutavit in *Chanoleos*. Sunt autem Hevilæi, seu Chavilęi, aut Caulotæi, Felicis Arabiæ populi, finitimi Nabathæis, & Agræis sive Agarenis, secundùm *Strabonem* Lib.16. *Dionysium*, & *Plinium*.

*Sabatha* primò incola & conditor fuisse videtur *Saphatha* urbis in Arabiâ Felice, deinde navigasse in *Sophtham* Persicam Insulam, cujus *Ptolemæus* & *Marcianus* meminerunt; postmodum in Persidem penetrasse, & *Messabatenæ* regioni, id est, Mediterraneæ Sabatenæ nomen dedisse, circa Mediæ, Persidis, & Elimæorum confinia, ut colligitur ex *Dionysio Periegete*, *Strabone*, *Plinio* & *Ptolemæo*.

*Regma* urbem circa Sinum Persicum, cujus meminerunt *Ptolemæus* Lib.6. cap.7. & *Stephanus* Lib. De Urbibus & Populis, condidisse creditur ex suo nomine appellatam, nec ab eâ sententiâ abludit *Eusebius*, ipsum Ichtiophagorum patrem faciens. De hac urbe sic *Ezechielis* cap.27. vers.22. *Venditores Saba*, *& Reema*, *ipsi negotiatores tui: cum universis primis aromatibus*, *& lapide pretioso*, *& auro quod proposuerunt in mercatu tuo*.

*Sabathaca*, teste *Josepho*, Sabactenis originem dedit, ignoto certè Populo. *S. Hieronymus* nescire se fatetur, quæ gens a *Sabathaca* propagata sit. *Bochartus* conjicit *Sabathaca* ex Arabiâ in Carmaniam appulisse, ibique *Samydacen* urbem condidisse, quam cum cognomine fluvio *Samydaco* describit *Marcianus Heracleota*. In Arabiâ quippe & vicinis locis literas M. & B. esse maximè permutabiles; adeòque ex *Sabathecæ*, *Sabthecæ*, vel *Sabithace*, facilè factum *Samydace*.

*Nemrod* robustus ille venator coram Domino, excusso *Noë* imperio, in Babylone regnare cœpit, ut docet Moses: *Fuit autem principium Regni ejus Babylon*, *& Arach*, *& Achad*, *& Chalanne in Terrâ Sennaar*. Ex quâ in Assyriam egressus, ibi ædificavit *Niniven*, & *Chale*, *Resen* quoque Civitatem magnam. Hic est sensus verborum Mosis: *De Terrâ illâ egressus est Assur*. Assur enim ibi regionis nomen est, non hominis, scilicet filii *Semi*, ut *Bochartus* probat luculentis argumentis. 1. Quia aliena esset hoc loco mentio *Assur* filii *Sem*, cùm hæc sit genealogia filiorum *Chami*, non *Semi*. 2. Non patitur ordo historiæ ut gesta *Assur* referat *Moses* vers.11. & nativitatem vers.22. & ex abrupto memoret urbes ab eo conditas, quem antea ne nominaverat quidem. 3. Non fuit peculiare *Assuri Semi* filio, quòd egressus est ex Terrâ Sennaar, cùm ex eâdem prodierint universi penè homines, quos inde dispersit Deus in omnes terras. Nulla itaque ratio est cur *Moses* tam alieno loco de *Assur* observaverit, quod ipsi cum cæteris commune fuit. Optimè verò hæc duo cohærent, principium Regni *Nemrod* fuisse Babylonem in Terrâ Sennaar, & inde egressum in Assyriam. Nam ideo principium Regni vocatur Babylon, quia priori illi Regno alterum adjunxit, nempe Assyriam. Denique Assyria vocatur Terra Nemrod, *Michææ* cap.5. vers.6. quo bis idem diversis verbis inculcatur. *Et pascent Terram Assur in gladio*, *& Terram Nemrod in lanceis ejus*.

*Saba* filius *Regma*, Sabæorum parens est, quos Arabiæ Felicis partem ostio Maris Persici proximam, & Carmanis, tenere *Pomponius Mela* Lib. 3. cap.8. docet. Ibi manent vestigia nominis *Saba* in Montibus *Sabo*, quorum meminit *Arrianus* in Periplo. *Ptolemæus* scribit *Asabo*, & Marcianus *Pasabo*. Hos Sabæos patrem habuisse *Sabam Regmæ* filium & fratrem *Dadan*, verisimile facit locorum vicinia. Nam urbs *Dadan* proximè abest ab illo freto, & prope *Dadan* erat *Regma*. Eosdem per freti augustias trajecisse in vicinam Carmaniam conjicit *Bochartus*, in quâ *Sabin* urbem Ptolemæus describit, Plinius *Sabin* fluvium, Dionysius Periegetes *Sabas* populos vicinos Pasargadis.

*Dadan* urbem cognominem condidit medio ferè spatio inter fretum *Basora*, id est, ostium Maris Persici, & Omanorum fluvium *Om*, qui *Lar* a Ptolemæo vocatur. Hujus urbis, populique a *Dadan* propagati meminit *Ezechiel* cap.27. vers.15. *Filii Dedan negotiatores tui: Insulæ multæ negotiatio manûs tuæ; dentes eburneos & hebeninos commutaverunt in pretio tuo*.

*Mesraim* filius alter *Chami*, genuit *Ludim*, *& Anamim*, *& Laabim*, *Nephtuim*, *& Phetrusim*, *& Chasluim*. A *Ludim* orti sunt *Ludæi*, quos Æthiopes esse probat *Bochartus* in *Phaleg* Lib.4.cap.26.
non

non spernendis argumentis. Primum petit a nomine. *Luz* enim Hebræis est *declinare*, *obliquare*, *torquere*. Ex quo factum ut *Lud* vocaretur Æthiopia, quia Nilus ibi maximè anfractuosus est, ut *Herodotus*, *Agatharcides*, *Strabo*, *Diodorus*, *Lucanus*, & *Ptolemaus* testantur. 2. *Ludai* arcubus & sagittandi arte insignes prædicantur, *Isai*. 66. vers. 19. & *Jerem*. 46. vers. 9. At Æthiopum arma arcus pariter & sagittæ. Arcubus quatuor cubitorum utebantur, sagittis brevissimis, quarum acumen non ex ferro fuit, sed ex Smyri lapide, veneno imbutum; quas gestabant non in pharetrâ, sed radiorum instar capiti circumligabant; ut memoriæ proditum est ab *Herodoto* Lib. 7. *Strabone* Lib. 17. *Diodoro* Lib. 3. *Heliodoro* Lib. 9. *Agatharcide*, *Luciano* De Saltatione, & *Claudiano*. 3. Apud *Isaiam*, loco laudato, *Phul & Lud* conjunguntur tanquam loca vicina. Porrò *Phul* Græcis est urbs *Phila* ad Nilum sita, centum stadiis supra *Syenem*, communis habitatio Ægyptiorum & Æthiopum, ut testantur *Strabo* Lib. 1. *Heliodorus* Lib. 8. *Aristides* in Oratione Ægyptiacâ, *Aristagoras* Ægyptiacorum 1. & alii. 4. *Ludim* ex *Mesraim* orti sunt: atque adeo Ægyptiorum coloni. Unde *Diodorus Siculus* Lib. 3. multa utrique Genti communia commemorat, puta, *Reges pro Diis habere*, *& plurimum circa sepulcra studium adhibere*. 2. *Statuarum formas*, *& literarum characteres*. Hieroglyphicę quippe literæ tam in Æthiopiâ quàm in Ægypto receptæ erant. Addit: *Cœtus Sacerdotum simillimum habere ordinem apud utramque Gentem, purè se gerere omnes qui ad Deorum cultum accedunt, & pariter tonderi, & similes ferre tunicas, ejusdemque figuræ sceptrum in aratri formam, quo etiam utuntur Reges; & pileos oblongos in vertice umbilicum habentes & serpentibus, quos aspides appellant, circumvolutos*. Circumcisionem præterea utrique Genti communem fuisse testatur *Herodotus*, delubrum *Hammonis* Æthiopibus religiosum *Plinius*, & *Strabo* *Herculem*, *Panem*, *Isidem*, Meroë cultos, quæ fuerunt ipsissima Ægyptiorum Numina. 5. Hierosolymitanus Interpres pro *Ludin* habet *Mareotas*. Bochartus legendum conjicit, *Meroitas*, hoc est, Meroës incolas, quę Insula est Æthiopica in medio Nilo, & urbis cognominis, quæ est caput Æthiopiæ. 6. Hebræi, in *Baal Aruch*, Ludæos vocant Antropophagos: At *Antropophagos in* Æthiopiâ collocant *Philostratus* Lib. 15. cap. 12. *Plinius* Lib. 6. cap. 30. *Solinus* cap. 30. *Ptolemaus* Lib. 4. cap. 9.

*Anam* priscis Ægyptiis ovem vel pecudem fuisse *Bochartus* observat: atque hinc *Anamios* dictos conjicit eos Nomades, qui fuerunt circa Ammonem, & in Nasamonitide. Causas nominis plures affert; primam, pastum ovium, ex *Herodoto* Lib. 4. cap. 186. Secundam victum ex iisdem, cùm ab esu vaccarum & suum abstinerent (ex eodem). Tertiam, vestes ex pelle ovium, teste *Pomponio Mela* Lib. 1. cap. 7. & *Diodoro* Lib. 3. Quartam, quòd locus in quo erat templum *Ammonis* creditur arietis indicio patuisse primis incolis. Quintam denique, *Ammonis* ibi cultum Idolum. Unde factum est ut pro *Anamiis* facili lapsu dicerentur *Amoni* vel *Amonii*; quos *Herodotus* Ægyptiorum & Æthiopum colonos fuisse ait, & sermonem usurpasse partim ex Ægyptio, partim ex Æthiopico conflatum.

*Laabim* Josephus & S. Hieronymus Libyes interpretantur, quòd eorum auctor Libys coloniis in Libyam ductis regioni nomen dederit, quæ priùs a *Phut* denominabatur. Sed cùm Libya sit pars Africæ longè maxima, uni e septem filiis *Mesraim* obtigisse non videtur. *Laabaos* itaque non esse quosvis Libyes, sed *Libyægyptios*, vel *Libyes Ægyptios* *Bochartus* opinatur, id est, quosdam Africæ Populos Ægypto proximos, rectâ ad occasum Thebaidis, qui in solo arenoso & torrido degunt. De quibus *Mela* Lib. 1. cap. 4. *Plinius* Lib. 5. cap. 8. *Ptolemaus* Lib. 5. cap. 5.

*Nephtuim* originem dedit *Nephtuais*, Populo in extremis Ægypti finibus, & in abruptis Montium, quæ Mare attingunt, sito. Id enim *Nephtin* Ægyptiis significare docet *Plutarchus* in Tractatu de Iside. *Nephtuais* Bochartus assignat littora Mediterranei Maris, prope Ægyptum in Marmaricâ, ubi *Herodotus* Lib. 4. cap. 168. posuit *Adyrmachidas* populos Ægyptiis moribus similes, & solâ veste diversos: additque iisdem uti legibus *Gigamas* his contiguos, circa Aphrodisiadem, id est, Veneris Insulam. A quâ non procul *Aptuchi fanum*, cujus meminit *Ptolemaus*, servat adhuc vestigia nominis *Naptuchaorum*, seu *Nephtuaorum*. *Aptuchus* in fabulis dicitur *Cyrenes* filius, & *Aristai* frater. *Neptuni* nomen ab eâdem origine derivari conjicit *Bochartus*, in *Phaleg* Lib. 4. cap. 29.

*Phetrusim*, Thebæorum Ægyptiorum pater est. Nam per Terram *Pathros* seu *Phatures* intelligi Thebaidem constat ex cap. 29. *Ezechiel*. vers. 14. ubi Deus promittit se reducturum captivitatem Ægypti, in *Terram Phatures*, in Terram nativitatis suæ. Hæc autem est Thebais, quam præcipuè afflixit *Nabuchodonosor*, ejusque Optimates in captivitatem abduxit, ut constat ex *Nahum* 3. vers. 10. Præterea *Jeremia* cap. 44. vers. 1. Terra *Pathros* seu *Phatures* tanquam vicina jungitur cum *Memphi*. Supra *Memphium* autem est ipsa *Thebais*. Denique Plinius *Phaturitem Nomum* in Thebaide, Ptolemæus *Patyrim* vicum mediterraneum prope *Memnonem*, contra *Thebas*, ex alterâ Nili parte collocant. Itaque in *Pathyri* vico, & *Phaturite* Nomo Thebaidis, remanent vestigia *Terra Pathros* & *Pathrusaorum*.

*Chasluim* Chasluchis, id est Colchis originem dedit, quos Ægyptiæ esse originis non solùm Poetæ, sed & Historici tradunt, *Herodotus* Lib. 2. cap. 104. *Diodorus* Lib. 1. *Strabo* Lib. 1. *Ammianus* Lib. 22. *Agathias* Lib. 2. &c. Idque aliis indiciis ab *Herodoto* prolatis confirmatur, scilicet quòd Colchi perinde atque Ægyptii sunt atri coloris & crispi capillitii: Quòd circumcisio fuerit in usu tam apud Colchos, quàm apud Ægyptios & Æthiopes, neque id ex recenti instituto, sed ab initio: Quòd soli Colchi & Ægyptii linum eodem modo elaborarent. Quòd denique vita omnis & lingua apud utrosque similis fuerit. Plura dabit *Bochartus in Phaleg* Lib. 4. cap. 31.

Ex *Chasluim* seu Colchis egressi sunt *Philistiim & Caphtorim*. Caphtoræos esse Cappadoces constat ex 70. Interpretibus, ex Vulgatâ Versione, ex *Eusebio*, *S. Hieronymo*, *Theodoreto*, *S. Cyrillo*, *Procopio*, & Veteribus, si qui alii sunt, qui ea Scripturæ loca sint commentati, in quibus agitur de Caphtoræis. Certum igitur est, Caphtoræos in Cappadociâ fuisse: At universam Cappadociam ipsis non assignandam observat *Bochartus*; sed eam Cappadociæ partem quæ Colchis fuit proxima, nempe circa Trapezuntem, ubi desinebat *Colchis*, testibus *Strabone* Lib. 12. *Arriano* in Periplo, & *Xenophonte* Lib. 4. Conjecturam suam confirmat *Bochartus* ex eo, quòd malum punicum Hebræi *Caphtor* vocent, & Græci *Siden*. In iis porro locis urbem fuisse *Siden*, a quâ *Sidene* regio nomen habet, constat ex *Strabone* Lib. 12. *Ptolemęo* Lib. 5. cap. 6. & *Plinio* Lib. 6. cap. 4.

Populos undecim ex *Chananne* oriundos recenset Moses, Sidonios, Hethæos, Jebusæos, Amorrhæos, Gersesæos, Hevæos, Aracæos, Sinæos, Aradios, Samaræos, & Amathæos. *Sidonii* a *Sidone* Chanaanis primogenito, conditore Sidonis urbis antiquissimæ, quam a piscium ubertate appel-

pellatam, *Trogus* testatur. *Hethai* filii *Heth* habitarunt circa Hebronem & Bersabæam ad Austrum Terræ Chanaan. *Jebusai* Hierosolymam & Sionis Arcem Judæis invitis tenuerunt usque ad tempora Davidis. *Amorrhai* Judææ Montanis insederant, sed plerique Jordanem transgressi bellum intulere Moabitis & Ammonitis, & occupaverunt Basan & Hesbon & quicquid terrarum est inter fluvios Jabok & Arnon. *Gersesai* circa Gerasa vel Gadara trans Jordanem usque ad Christi tempora habitarunt, ut discimus ex Evangelio S. Matthæi, cap.8. vers.28. *Havai* incoluerunt Montem Hermon, sive radices ejus in Terrâ Maspha, prope Antilibanum. *Aracai* tenuerunt *Arcam* vel *Arcen* urbem in Libano sitam, cujus meminere *Ptolemaus* & *Josephus* ex *Menandro*. Ab eâ non procul fuit *Sin* urbs *Sinaorum*, teste S. Hieronymo. *Sinaorum* nomine *Palusiotas* Bochartus intelligit, quorum urbem Syri *Sin* appellarunt. *Aradii* Aradum Insulam occupaverunt in orâ Phœnices, ad os Eleutheri fluminis, & partem vicinæ continentis, ubi Antaradus, Marathus, Laodicæa. De quibus *Strabo* Lib.16. *Laodicaa propinqua sunt oppidula Posidium, Heraclium, Gabala. Deinde Aradiorum maritima regio Paltus, Balanaa, & Caranus Aradiorum Navale, postea Enydra, & Marathus antiqua Phœnicum Urbs, nunc diruta: Agrum forte divisum Aradii tenent*. Inter Populos ex Chanaane propagatos sequuntur *Samarai*, cum Samaritis minimè confundendi. *Sanctus Hieronymus* Samareos censet esse Cœlesyrios, in quibus nobilis civitas *Edessa*. At *S. Hieronymi* verba de mendo suspecta sunt *Bocharto*. Cùm enim trans Euphratem *Edessa* sit, & in Mesopotamiâ potiùs, ut habetur apud *Strabonem*, *Eusebium*, & *Ptolemaum*; *Emesam* vel *Emisam* pro *Edessâ* legendam conjicit, præeunte Paraphrasi Jonathanis & Hierosolymitanâ. Verisimile est *Semaraim* urbem in Tribu Benjamin, & *Simiram* in littore Phœnices prope Samariam, Semaræos habere conditores. *Amathai*, Terræ Hamath incolæ, quorum Metropolis Hamath, quæ *Josepho* & *S. Hieronymo* est *Epiphania*, quod nomen ei indidit *Antiochus Epiphanes*, cùm Syriâ potiretur. Sita fuit in Tribu Nephtalim juxta montem Libanum, in confiniis regionis Damasci.

*Joseph lib. Antiq. cap. 7. S. Hieron. lib. 3. in Amos.*

Ex his constat, *Mesraim* & *Phuts* duobus *Chami* filiis totam Africam cessisse, reliquis duobus *Chus* & *Chanaani* magnam Asiæ partem obvenisse. In Africâ *Mesraim* ejusque filiis obtigisse Ægyptum superiorem & inferiorem, & Æthiopiam Occidentalem seu Meridionalem. Reliquam partem Africæ totam, Libyam exteriorem & interiorem, Africam Minorem, Numidiam, & Mauritaniam, Tingitanam, Getuliam, &c. *Phut* ejusque posteros sortitos fuisse. In Asiâ Chamitis contigisse partem magnam Arabiæ, quæ inter Sinum Persicum & Mare Arabicum seu Erithræum interjacet, & ultra Sinum Persicum Carmaniam, nec non pleraque Persidis: supra Arabiam, versùs Septentrionem, Babyloniam & partem Chaldææ, Palæstinam, Phœniciam totam, partem Cappadociæ prope Trapezuntem, & quæ post Pontum Euxinum sita est, extremam Colchidem.

Jam ad *Semi* filios ac nepotes veniendum. Filii *Sem* a Mose recensentur *Elam & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. Filii Aram: Us, & Hul, & Gether, & Mes. Semi* ex *Arphaxad* Nepotes, *Sale* & *Heber*. Ex *Heber*, *Phaleg* & *Jectan*. Ex *Jectan*, *Elmodad*, & *Saleph.*, & *Arsamoth*, *Jare*, & *Aduram*, & *Uzal*, & *Decla*, & *Ebal*, & *Abimael*, *Saba*, & *Ophir*, & *Hevila*, & *Jobad*.

*Elam* Elamitis originem dedit, de quibus *S. Lucas* Actuum 2. vers.9. *Elamita* iidem qui *Elimai* Medis vicini, ex *Isaia* cap.21. vers.2. ex loco Actorum modò laudato, nec non ex *Strabone* & omnibus Geographis. *Danielis* 8. vers.2. *Susan* Susiorum Metropolis describitur in Provinciâ Ælam. *Vidi in visione meâ, cùm essem in Susis castro, quod est in Ælam Regione*. Verùm, ut observat *Bochartus*, Ælam a *Strabone* & aliis ipsi consentientibus latiùs usurpatur, non tantùm pro Elimaide strictè sumpta, verùm etiam pro populis vicinis Eulæo amni, quales sunt Gabian, Carbiana, Massabitica & Susiana. Elimæos infra Susianam, ad Maris Persici Sinum, non procul ab Eulæi ostiis etiam ponunt *Plinius* Lib.6. cap.25. *Ptolemaus*, & *Marcianus*.

*Assur* Assyriis originem dedit. Tam latè patuit hoc nomen, quàm latè patuit gentis Imperium, quod usque ad Mediam & Persidem quidam extendunt. Syriæ & Assyriæ nomen olim promiscuè sumptum; sed usus tandem voluit ut Syros ab Assyriis Euphrates distingueret, aut certè Tygris. Assyria propriè dicta est regio circa Ninum quæ olim *Adiabene* dicta est, ut *Plinius* & *Marcellinus* testantur. *Aturia* etiam vel *Atyria* quondam nuncupata est.

*Arphaxad* Assyriæ parti Arphaxitidi, quam *Ptolemaus* Arrapachitem vocat, nomen dedit. Arphaxadæos autem *Josephus*, & alii, perperam confundunt cum Chaldæis, qui in Hebraico Scripturæ Sacræ Textu perpetuò vocantur *Chasdim* a patre suo *Chesed*, vel *Chased*, filio *Nachor*, fratris *Abraha*, Genesis 22. vers.22. Idque *S. Hieronymus* confirmat Lib. *Traditionum Hebraicarum in Genesim*.

*Lud* Josepho & aliis *Lydorum* pater, qui olim *Maones* dicti, & Lydia *Maonia*. At quia *Lud* Phœnicibus *flexuosum esse* significat, ideo Phœnices regionem ad Mæandrum fluvium maximè anfractuosum & sinuosum Lydiam appellarunt. Lydiam autem ad Mæandrum sitam fuisse ex Veterum testimoniis constat, *Scylacis Cariandensis* in Periplo Lydiæ, *Plinii* Lib.5. cap.29. *Maximi Tyrii* Sermone 38. *Strabonis* Lib.12. &c.

*Aram*, secundùm *Josephum*, Syrorum pater est. Quamvis enim alius *Aram* multò junior, *Nachoris* ex *Camuele* nepos, dicatur *Pater Syrorum*, Genesis 22. vers.22. id de Syrorum aliquâ tribu, non de gente universâ intelligendum est, cujus auctor est *Aram Semi* filius. Quippe ante *Camuelem* natum jam populosa erat Syria. *Aramai* dicuntur *Bathuel*, & *Laban*, Genesis 25. vers.20. Quamvis ex neutro prognati, non nomine gentis, sed patriæ, quòd nati essent in *Padan-Aram*: & *Deuteronomii* 26. vers.5. Israelitæ *Jacob* patrem suum *Aramaum* esse agnoscunt, quia in eâdem *Aram* cum *Labane* vixerat per annos viginti. Arimorum vel Aramæorum nomine Syros etiam intelligunt *Strabo* Lib.13. & apud ipsum *Posidonius*.

*Us* quatuor *Arami* filiorum primogenitus, Damascum condidit, ut Veteres tradunt, *Josephum* secuti. Præter hunc *Us* filium *Aram*, alii duo fuere cognomines, unus filius *Nachor* fratris *Abraha*, Genesis 22. vers.21. Alter *Hus* fuit in posteris *Edom*, Genesis 36. vers.28. A tribus illis viris tres fuere Terræ Us; prima circa Damascum, secunda in Arabiâ desertâ prope Chaldæam, tertia in Petræâ, in finibus Terræ Chanaan; quas tres regiones Interpretes passim confundunt.

*Hul*, *Gether*, & *Mes*, quas sedes habuerint, incertum est. *Hul* planè diverso nomine Josephus *Otrum* appellat, & in Armeniâ habitasse scribit. Bochartus *Otum* scripsisse conjicit, nomen in fabulis notissimum, ut inde *Otenem* deduceret, quæ Armeniæ pars est inter *Cyrum* & *Araxem*, cujus meminere *Plinius* Lib.6. cap.13. *Quadratus* Lib.2. *Parthicorum*, & *Stephanus*. *Bocharto* potiùs videtur insedisse *Cholobetenen* Armeniæ regionem.

Quid

Quid enim hæc aliud quam *Cholbet*, *Cholis*, vel *Chulis* domus? Sed & ejusdem Armeniæ diversæ urbes, apud *Ptolemæum*, scilicet *Cholva*, *Cholvata*, *Cholimma*, *Colsa*, *Colana*, nominis *Hulis* sive *Chulis* vestigia servasse videntur. *Geter* Bactrianorum patrem facit *Josephus*; *S. Hieronymus* Acarnaniorum seu Cariorum, *Montanus* Ætoliorum. *Eusebius* Getherem in Armeniâ consedisse putat. *Bochartus* a *Gethere* dictum amnem *Centritem* conjicit, qui Armeniam dividit a Carduchis. *Grotius* mavult Gindaram, urbem apud *Ptolemæum*, & populum Gindarenum, quem in Cœlesyriâ collocat *Plinius* Lib.5. cap.23. Ad *Mes* seu *Mesech*, Mesanæorum originem refert *Josephus*, Mæonum *S. Hieronymus*, qui tamen iidem sunt cum Lydis, quos a *Lud Arami* fratre, non filio ipse deducit. *Grotius* a *Mes* appellatum conjicit *Masium Montem*, non procul Nisibi & Edessâ, apud *Strabonem* Lib.11. & *Ptolemæum* in Mesopotamiâ. Montis illius incolas *Masianos* vocat *Stephanus*.

*Sale* filius *Arphaxad*, Susianorum pater creditur, ex *Eustathio Antiocheno* in *Hexaemeron*. Ab eâ sententiâ non recedit *Eusebius*, cùm ab eo *Cossæos* derivat. *Cossæi* enim sunt in Susianâ, ut constat ex *Ptolemæo*, Lib.6. cap.3. Denique una ex Susianæ præcipuis urbibus *Sela* vocatur, ex *Ptolemæo* & *Ammiano Marcellino*, a *Sale* utique conditore.

*Ammianus lib.23.*

*Heber* ortum dedit Hebræis *Abrahæ* Majoribus, qui plerique omnes circa Assyriam habitarunt, in cujus finibus Arca substitit. *Phaleg*, vel aliquem posterorum in avi memoriam, verisimile est nomen dedisse vico *Phalga* ad Euphratem, non procul a confluxu Chaboræ, ad quem Carrhas condidit *Charan Abrahæ* frater. Fuit & circa Assyriam campus *Ragau*, de quo *Judith cap.1. vers.6.* a *Ragau Phalegi* filio nomen habens. *Ragau* filium habuit *Sarug*, a quo Nepotum aliquis *Sarug* vocavit urbem Carrhis vicinam.

*Jectan* cum filiis tredecim *Moses* habitasse dicit a *Messâ* usque *Sephar* Montem Orientalem. *Et facta est*, inquit, *habitatio eorum de Messâ pergentibus usque Sephar Montem Orientalem.* Eorum sedes circa Cophenem Indiæ & Ariæ fluvium positas, *Josephus* & *S. Hieronymus* interpretantur. At *Jectanem* & ejus filios Arabiæ Felicis intima insedisse probat *Bochartus* in *Phaleg* Lib.2. cap. 15. Primò, quia unicuique Genti natales suos referenti, nisi aliud obstet, credendum est. At jampridem apud Arabes hæc invaluit opinio, *Jectanem* sive *Cahtanem* (Is enim est apud illos binomius) esse Arabum parentem, & repertorem linguæ Arabicæ. Ita statuunt Scriptores inter illos magni nominis *Josephus Ben-Abdillatif* in Opere Genealogico, & *Mohammedes Ben-Jacob Sirazita* apud Auctorem *Alcamus*. Secundò, ut a *Cahtane* seu *Jectane Catanitæ*, Arabiæ Felicis Populi, leguntur apud *Ptolemæum*, ita *Jectanis* nomen etiamnum servatur integrum in urbe territorii Mechensis *Baisath-Jektan*, quæ a *Meccâ* septem stationibus abest, & unâ statione a Mari Rubro. Tertiò, Gentes interioris Arabiæ ex *Jectane* oriundas Auctores celebres nominatim designant. Ad illum scilicet Amanitarum & Homeritarum originem referunt *Theophanes*, *Anastasius* & *Euthymius*. Quartò, *Moses* his verbis, *Et facta est habitatio eorum de Messâ pergentibus usque Sephar*, manifestè designat intimam Arabiæ Felicis regionem. Nam *Messa*, vel *Mesa*, aliis *Muza*, Portus fuit celeberrimus ad Mare Rubrum, ad quem frequentes appellebant Ægyptii, & Æthiopici Mercatores, inde Orientem versùs profecturi ad Sapharitas, a quibus thus & myrrham compararent, & quicquid est odorum Arabicorum. *Muza* Portus, & *Saphar* urbis Regiæ, a quâ Mons *Climax* appellatus est *Mons Saphar*, meminerunt *Ptolemæus*, *Arianus*, & *Plinius* Lib.6. cap.23.

Ex his colligitur, *Semi* filios & Nepotes incoluisse partem Asiæ tum Majoris tum Minoris. In Minori Asiâ insedisse Lydiam, Mysiam, Cares; in Majori Elymaidem Assyriam, Adiabenen, Atrapachiten, Syriam, Mesopotamiam, Armeniam, Susianam, Arabiam Felicem. His recensitis, subdit Moses: *Isti filii Sem secundùm cognationes & linguas & regiones in gentibus suis. Hæ familiæ Noë juxta Populos & Nationes suas. Ab his divisæ sunt Gentes in terrâ post Diluvium.* Ex hac porrò filiorum *Noë* genealogiâ, & populorum ab illis propagatorum recensione patet quàm vana sit Præadamitici Fabulatoris objectio, qui regiones tantùm Terræ Sanctæ, vel terras illi conterminas, non terrarum omnium plagas omnes a filiis *Noë* divisas & possessas fuisse affirmat, contra Historiæ Sacræ veritatem, ut Diluvium Noeticum particulare duntaxat fuisse Judææ, non universale totius orbis probet.

Objicit quintò idem Fabulator hæc verba *Eusebii* in Chronico, ubi de tempore nativitatis Abrahami: *In hujus Nini Imperii quadragesimotertio anno apud Hebræos natus est Abrahamus. Apud Ægyptios autem decima-sexta Potestas erat, quam vocant Dynastiam. Quo tempore regnabant Thebæi, qui præfuerunt Ægyptiis annis centum nonaginta.* Atqui, secundùm Judæos Hellenistas, nondum erant exacti trecenti anni a diluvio *Noë* ad nativitatem Abrahami. Quomodo ergo fieri potuit, ut intra annos trecentos nobilissimum sub *Nino* Assyriorum Imperium statutum fuerit & stabilitum per quadraginta tres annos? Quâ ratione etiam ordinari & instaurari potuit per idem tempus Thebanorum Regum Præfectura illa in Ægyptios, quam tempore illo a nonaginta & centum annis invaluisse retulit hoc loco *Eusebius*? An denique credibile est intra annos trecentos elapsos fuisse Dynastias quindecim, & inchoatam decimam-sextam apud Reges Ægyptios?

Respondetur, Non fore incredibile quòd Assyriorum Imperium annorum trecentorum spatio condi potuerit, exiguis primùm initiis. Ea enim rerum omnium, & ipsarum Monarchiarum conditio, ut in ortu suo parvæ sint, tenues, & angustæ. Sanè si mira generis humani fœcunditas & propagatio post Diluvium consideretur: si attendatur intra centum & triginta annos ita multiplicatos fuisse homines ante Diluvium, ut *Cainus* anno Mundi circiter centesimo trigesimo civitatem ædificare potuerit: *Jacobi* filios ac Nepotes ducentorum & quindecim annorum spatio quo in Ægypto manserunt, in magnum populum crevisse; mirum non videbitur quòd annorum trecentorum spatio condi potuerit Assyriorum Imperium. Quod sub *Nino* amplum adeò, nobile, ac potens extitisse, ut in ejus exercitu, quandò Bactrianam invadere properabat, recensiti sint decies septies centena peditum, & ducenta ac decem equitum, decemque currum falcatorum millia cum paulò minùs sexcentis, quemadmodum scribit *Diodorus* Lib.2. fabulæ propius esse videtur quàm Historiæ.

Quod spectat Ægyptiorum Regum Dynastias, quas *Eusebius* post *Julium Africanum* recenset, maximam partem fabulosæ sunt, & pro arbitrio confictæ. Origines Ægyptiacas *Manetho* scripserat, triginta recensuerat Dynastias Deorum, Semideorum, mortaliumque Regum. *Eratosthenes* Cyrenæus vetustos Thebæorum Reges, a *Manethone* (ut ajebant) prætermissos supplevit. *Julius Africanus* ea quæ *Manetho* impurorum Sacrorum Pontifex de Diis & Semideis mentitus fuerat, tanquam Scriptore Christiano indigna rejiciens, Ægyptiorum Dynastias Regum a *Diluvio* auspicatur.

At

At quamvis sexdecim *Manethonis* Dynastias explodat, integrum tamen servat triginta Dynastiarum numerum, quarum vetustissimas Diis, Semideisque *Manetho* assignavit, ut constat ex editis a *Scaligero* Latino-Barbaris: Hinc *Georgius Syncellus* observat, *Chronicas Disquisitiones a Manethone traditas discrepare ab Ecclesiasticis Historicis tum illarum appellatione, tum Regnorum duratione*. Sed & in eo sibi contradicit *Africanus*, quòd cùm a Diluvio ad Exodum numeret annos mille quadringentos sexaginta quatuor, & *Menen* Regum primum post Diluvium collocet, nihilominùs secundùm Dynastiarum suarum rationes a *Mene* ad *Amosin*, sub quo Exodum consignat, annos numeret ter mille nongentos octoginta sex. *Eusebius* Chronicum Canonem pertexens a Nativitate *Abrahami*, eum duntaxat Dynastiarum ab *Africano* recensitarum numerum adhibuit, qui suis rationibus conveniret. Quindecim itaque prioribus expunctis, annos inanes circiter trecentos *Thebais & Pastoribus* Anonymis assignat, & a Dynastiâ decimâ octavâ Ægyptiorum Regum seriem exorditur. *Eusebium* acerbè insectatur *Georgius Syncellus*, & post ipsum *Scaliger*, quòd *Julium Africanum* interpolaverit. *Eusebii* tamen Chronologiam longè accuratiorem esse, Viri Eruditi plerique omnes consentiunt. Quòd autem decimam-sextam Dynastiam Ægyptiorum Regum numerat sub tempus nativitatis *Abrahami*, optimè cohærere potest cum annorum numero a diluvio tunc numeratorum. Siquidem priscis illis temporibus Ægyptus inter diversos distributa Regulos, tot Dynastias intra annos trecentos habere potuit. Tunc *Intra suam cuique patriam Regna finiebantur*, ait *Justinus*; &
*Genes.* 14. urbes singulæ suos habebant Toparchas. Ejusmodi *Abrahami* temporibus *Bara* Rex *Sodomorum*, *Bersa Rex Gomorrha*, *Sennaab*, *Rex Adamia*, *Semeber Rex Seboim*, *& Rex Bala qua est Segor*. Quot urbes, tot Reges. Illi prælio congressi sunt cum *Amraphaël* Rege *Sennaar*, & *Chodorlahomor* Rege *Elam*, & *Arioch* Rege *Ponti*, & *Thadal* Rege *Gentium*. Quatuor Reges adversus quinque. Talem etiam fuisse vetustissimam Phœniciæ Politiam *Strabo* testatur Lib.16. *Olim*, inquit, *Aradii per sese Reges habuerunt, sicut & qualibet alia urbs Phœnicum*.

## ARTICULUS V.

### De Æternâ illorum Hominum Sorte, qui Diluvio perierunt.

### *PROPOSITIO UNICA.*

*Quòd aliqui, ex iis qui Diluvio perierunt, damnationem æternam evaserint, gratis asseritur.*

PRobatur 1. Ex eo quòd præter *Noë* & ejus familiam nulli alii tunc fuerint in terris homines justi. Eam enim rationem affert Scriptura Sacra cur Deus universum hominum genus diluvio perdere decreverit, quòd omnes sceleribus nefariis contaminati essent. Genesis 6. *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinsecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terra.... Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam* [ *omnis quippe caro corruperat viam suam super terram* ] *dixit ad Noë: Finis universa carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam eos cum terrâ*. Sanè si qui præter Noë *Justi* fuissent, hos pariter a diluvio Deus servavisset. Rationi enim prorsus consentanea sunt verba illa, quibus Deum olim interpellabat Abrahamus *Genesis* 18. vers.25. *Absit a te ut rem hanc facias, & occidas Justum cum impio, fiatque Justus sicut impius, non est hoc tuum: Qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc*.

Confirmatur auctoritate *S. Augustini* Lib.15. *De Civitate Dei*, cap.24. scribentis: *Nec frustra creditur sic factum esse diluvium, jam non inventis in terrâ qui non erant digni tali morte defungi, quâ in impios vindicatum est*.

Pœnitentiam quidem agere potuerunt incipiente diluvio, donec aquis submersi interirent, illi præsertim qui in Montibus habitabant; atque ita damnationem æternam evadere: sed ipsos revera pœnitentiam egisse nullis certis documentis probatur; imò contrarium colligitur ex his Christi verbis, *Luc.* 17. vers.27. *Edebant & bibebant; uxores ducebant, & dabantur ad Nuptias, usque in diem quâ intravit Noë in Arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes*.

Denique eâdem ratione fingi posset plurimos ex Sodomitis igne cælesti consumptis damnationem æternam evasisse, quia dum igneum & sulphureum imbrem cadere cernerent, ac jam incendio corriperentur, pœnitentiam egerint. Idem quoque de Ægyptiis Mari Rubro demersis, necnon de iis quos cum *Core*, *Dathan*, & *Abiron* dehiscens terra vivos absorbuit, aliquis eâdem libertate comminisci posset.

Objicies celebrem illam *S. Petri* sententiam Epistolâ 1. cap.3. vers.19. *In quo & his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli erant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur Arca*. Ex quibus colligi posse videtur, Christum, cùm ad inferos descendit secundùm animam, Evangelium prædicasse his qui ibi detinebantur atque cruciabantur: ejusque prædicationem aliquibus profuisse, ut per ejus misericordiam ab æternâ damnatione liberarentur: & his maximè qui increduli fuerant temporibus *Noë*, & diluvio perierant.

Respondetur, His *S. Petri* verbis significari duntaxat Christum efficaci divinitatis suæ potentiâ ad sui adorationem convertisse eorum hominum animas, qui in suâ gratiâ & amicitiâ decesserant, ut vim beneficam mortis ac redemptionis suæ ad omnes homines pertinere ostenderet, etiam qui antiquissimis temporibus vixerunt, atque adeo primâ ipsâ Mundi Ætate, quam diluvium terminavit. Ideò meminit Diluvii Noëtici, & ut ab eo ad Baptisma, cujus erat figura transiret. Ita hunc locum interpretatur Oecumenius. *Cùm*, inquit, *multa esset quæstio, si ob salutem omnium hominum facta est Domini incarnatio, qualem sortiti sunt salutem qui antea mortui sunt, utrumque uno modo dissolvit, & ait, Quòd mors Domini utrumque horum operata est, spem videlicet Resurrectionis per hoc quòd ipse resurrexerit, & rursum eorum salutem qui priores dormierant. Nam qui bonis operibus vitam suam adornarant tempore quo vixerant, quemadmodum si tunc advenisset Christus nequaquam destituti fuissent prædicatione ipsos vivificante, ita & tunc per Domini ad inferos descensum salutem consecuti sunt, quemadmodum videtur Divo Gregorio. Ait enim ipse: An simpliciter salvos facit omnes Christus qui apparuit, videlicet in inferno? An & ibi eos qui crediderint? Per hoc enim quod ait, Eos qui crediderint, significat quod se ipsos ita præparaverant, quòd si etiam tunc advenisset, credidissent. Neque id rejiciendum puto. Non enim hæreditariè habebatur salus, quandoquidem licèt ad vi-* *Gregor. Naz. Orat.* 13.

*ventes omnes venit, non tamen omnes salvat, sed eos tantùm qui crediderint. Etenim erat opus liberę voluntatis singulorum, ut cùm rationales essent, non insensibiliter se haberent ad magnificentiam ejus qui tale donum pręstiterat, sed se dignos pręberent dantis bonitate.* Et infra. *A Scripturâ confirmat inobedientiam; neque id a temporibus Prophetarum, sed ab ipso propemodum Mundi ortu: ex quo demonstrat quòd ab initio prędicabatur hominibus salus, sed despiciebatur ob declinationem ipsorum ad vana & voluptuosa. Cùm enim illorum quoque tempore innumerabiles essent homines, soli octo credentes hi quę per Arcæ præparationem prædicabantur, servati fuerunt. Quoniam autem in aquâ fuerat salus, confestim hoc ad sacrum transfert Baptisma, & ait, Quòd aqua illa designabat nostrum Baptisma, quoniam illud quoque suffocat ac demergit incredulos Dæmones, servatque Fideles ad Ecclesiæ Arcam accedentes.*

Respondetur secundò, Locum illum *S. Petri* non esse necessariò intelligendum de Christi descensu ad Inferos, & de prædicatione ejus ibi factâ, sed ita posse explicari, ut Apostolus figuratâ locutione usus docuisse intelligatur, tempus illud *Noë* quo diluvium factum est, illustrem prætulisse similitudinem atque imaginem temporis adventûs Christi, & prædicationis Legis Evangelicæ. Illâ namque tempestate Christus Spiritu venit prędicans hominibus incredulis: id est, supernis inspirationibus & revelationibus servorum suorum mentes illuminans, ut *Noë*, & aliorum, per illos prædicavit hominibus impiis, invitans ipsos ad pœnitentiam: Tempore autem Legis Evangelicæ ipsemet Christus in terris visus & cum hominibus conversatus, per se, ac per suos Discipulos Evangelium hominibus prædicavit. Tunc diluvium imminens prædicabatur, quod omnes homines deleret: Post adventum Christi prædicari cœptus est finis Mundi, extremumque Judicium, in quo omnes reprobi æternis suppliciis addicendi sunt. Tunc plurimi fuerunt increduli & impii, ideòque diluvio demersi & suffocati interierunt; pauci per Arcam generale Mundi naufragium evasere: post adventum autem Christi minor pars hominum credit Evangelio, & per Baptismum & Fidem servatur. Denique Noëtico tempore prædicabatur hominibus pœnitentia, dum fabricaretur Arca, usque ad diluvium: nunc autem prædicatur omnibus Evangelium, quo Christi Ecclesia ubique gentium ædificatur usque ad consummationem sæculi. Nec in sacris Literis inusitatum est ut nomen spiritûs pro toto homine usurpetur, quemadmodum & nomen carnis, ut Psalmo 77. *Recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens.* Nec etiam insolens videri debet, quòd nomen carceris pro corpore usurpetur, quo anima velut carcere inclusa tenetur, juxta illud Psalmi 141. *Educ de carcere animam meam:* vel pro errorum & vitiorum miseriâ, & tenebris, quibus obcæcati & captivi detinebantur increduli impiique homines. Quo sensu dicitur *Isaię* 42. vers. 6. & 7. *Et dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium; ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.*

Posterior hæc interpretatio est *S. Augustini* Epistolâ 99. ad *Evodium*, quæ in ultimâ Editione Parisiensi est 164. *Considera tamen*, inquit, *ne fortè totum illud quod de conclusis in carcere spiritibus, qui in diebus Noë non crediderant, Petrus Apostolus dicit, omnino ad inferos non pertineat, sed ad illa potiùs tempora, quorum formam ad hæc tempora transtulit. Illa quippe res gesta forma fuerat futurorum, ut ii qui modò non credunt Evangelio, dum in omnibus Gentibus ædificatur Ecclesia, illis intelligantur esse similes, qui non crediderunt cùm fabricaretur Arcâ. Illi autem qui crediderunt, & per baptismum salvi fiunt, illis comparentur qui tunc in eâdem Arca salvi facti sunt per aquam: Unde ait: Sic & vos simili formâ Baptisma salvos facit. Ad hanc igitur formæ similitudinem cætera etiam de incredulis coaptemus, & non suspicemur quòd apud Inferos ad faciendos fideles atque liberandos Evangelium prædicatum sit, vel adhuc etiam ibi prædicetur, quasi & ibi sit Ecclesia constituta. Ad illum ergo sensum, qui te movet, ideo videntur adtracti qui hoc Petrum sensisse crediderunt, quia dixit, Conclusis in carcere Spiritibus prædicatum, quasi Animæ non possint intelligi Spiritus, quæ tunc erant in carne, atque ignorantiæ tenebris velut carcere claudebantur: de quali carcere se desiderat liberari ille qui dicit:* Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo: *Psal.* 141. 8. *Quæ alibi umbra mortis appellatur. De quâ non utique apud inferos, sed hic liberati sunt, de quibus scriptum est:* Qui sedebant in umbrâ mortis, lumen ortum est eis. *Isai.* 9. 2. *Illis autem in diebus Noë frustra prædicatum est, quia non crediderunt, cùm expectaret eos Dei patientia per tempus tot annorum, quibus Arca eadem fabricata est: (Nam ejus etiam fabricatio quodammodo prædicatio fuit:) Sicut modò similes eorum non credunt, qui sub eâdem formâ ignorantiæ tenebris velut carcere concluduntur, frustra intuentes Ecclesiam toto Mundo construi imminente judicio, tanquam diluvio quo tunc omnes increduli perierunt. Ait quippe Dominus:* Sicut in diebus Noë, ita erit & in diebus Filii hominis. *Lucæ* 17. 26. Manducabant, bibebant, nubebant, uxores ducebant, donec intravit *Noë* in Arcam, venit diluvium, & perdidit omnes. *Sed quia ea res gesta etiam futuram rem significabat, ideo ibi diluvium, & baptismum significavit fidelibus, & infidelibus pœnam: Sicut in figurâ non rei gesta, sed tantummodo dicta, quod de lapide scriptum est, quo significatus est Christus, duo quadam prænuntiata sunt, & infidelibus offendiculum, & fidelibus ædificium. ..... Nec moveat ad impediendum istum intellectum, quòd eumdem Christum dixit Apostolus Petrus prædicasse illis in carcere conclusis, qui quondam non crediderant in diebus Noë, ut ideo non arbitremur hoc intelligendum, quia illo tempore nondum venerat Christus. Nondum enim venerat scilicet in carne, sicut venit quando post hæc in terrâ visus est, & cum hominibus conversatus est. Verumtamen ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, sicut ad Cain, & priùs ad ipsum Adam, uxoremque ejus, vel ad consolandos bonos, vel ad utrosque admonendos, ut alii ad salutem suam crederent, alii ad pœnam suam non crederent, ipse utique non in carne, sed in spiritu veniebat, visis congruis alloquens, quos volebat, sicut volebat. Quod autem dixi,* In Spiritu veniebat, *& ipse quidem Filius, in substantiâ Deitatis, quoniam corpus non est, utique Spiritus est. Sed quid facit Filius sine Spiritu Sancto, vel sine Patre, cùm inseparabilia sint omnia opera Trinitatis? Ipsa quoque Scriptura verba, de quibus agitur, satis hoc, ut puto, indicant eis qui diligenter attendunt:* Quia Christus, *inquit*, semel pro peccatis nostris mortuus est, Justus pro injustis, ut nos adducat Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu: in quo & iis qui in carcere conclusi erant, spiritibus adveniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabat Dei patientia, in diebus *Noë*, cùm fabricaretur Arca. *Jam, ut arbitror attenditur ordo verborum*, Christus mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu. *In quo Spiritu adveniens prędicavit & illis spiritibus, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noë. Quoniam priùs quàm veniret in carne pro nobis moriturus, quod semel fecit,*

*cit, sæpè antea veniebat in Spiritu ad quos volebat, visis eos admonens sicut volebat, utique in Spiritu, quo Spiritu & vivificatus est, cùm in passione esset carne mortificatus. Quid est enim quòd vivificatus est Spiritu, nisi quod eadem caro quâ solâ fuerat mortificatus, vivificante Spiritu resurrexit? Proinde etiam illud quod postea dictum est de incredulis:* Qui reddent rationem ei qui paratus est vivos & mortuos judicare, *non est consequens, ut eos hic intelligamus mortuos, qui de corpore exierunt. Fieri enim potest ut mortuos dixerit Infideles, hoc est in animâ mortuos, de qualibus dicitur,* Dimitte mortuos, ut sepeliant mortuos suos. *Vivos autem qui credunt in eum, non frustra audientes,* Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. *De qualibus etiam ipse Dominus dicit:* „ Venit hora & nunc est, quando Mortui audient „ vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. „ *Proinde etiam quod sequitur & dicit Petrus:* Pro„ pter hoc enim & Mortuis evangelizatum est, „ ut judicentur quidem secundùm homines in car„ ne, vivant autem secundùm Deum Spiritu: *Non cogit apud Inferos intelligi.* Propter hoc enim *in hac vitâ* & Mortuis evangelizatum est, *id est, Infidelibus & iniquis; ut eum crediderint,* judicentur quidem secundùm homines in carne, *hoc est in diversis tribulationibus, & ipsâ morte carnis; unde idem Apostolus alio loco dicit,* Tempus esse ut judicium incipiat a domo Domini: Vivant autem secundùm Deum Spiritu, *quia & in ipso fuerant mortificati, cùm morte infidelitatis & impietatis detinerentur. Hæc expositio verborum Petri cui displicet, vel cui etiam non displicet, non tamen sufficit, quærat ea secundùm Inferos intelligere. Qui si valuerit illa, quibus me moveri supra commemoravi ita solvere, ut eorum auferat dubitationem, impartiat & mihi: Quod si factum fuerit, potuerunt illa verba utroque modo intelligi; sed ista sententia de nullâ falsitate convincitur.*

Matth. 8. 28. — Ephes. 5. 14. — Joann. 5. 25. — 1. Pet. 4. 6.

Objicies secundò verba *S. Hieronymi*, Libro *Quæstionum Hebraicarum* in *Genesim* exponentis illa verba: *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis in æternum, quia carnes sunt* [ ut habent Septuaginta Interpretes ] *In Hebræo*, inquit, *scriptum est:* Non judicabit Spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam carnes sunt. *Hoc est; Quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus; sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris Codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur.* Et in 1. Cap. Prophetæ *Nahum*, ad illa verba, *Quid cogitatis contra Dominum?* hæc habet: *Si vobis videtur crudelis, rigidus, & cruentus, quòd in Diluvio genus delevit humanum, super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur pluit, Ægyptios demersit fluctibus, Israëlitarum cadavera prostravit in eremo; scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia ne in æternum puniret. Certè aut vera sunt quæ Propheta loquuntur, aut falsa; si vera sunt quæ de severitate ejus videntur dicere: ipsi dixerunt,* Non judicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione: *Si autem falsa sunt, & falsum est hoc quod dicitur:* Non consurget duplex tribulatio: *Falsa est ergo & crudelitas quæ in Lege descripta est. Quod si verum est, ut negare non poterunt dicente Prophetâ,* Non judicabit Dominus &c. *Ergo qui puniti sunt, postea non punientur: Si autem illi post a punientur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas est. Receperunt ergo & qui in Diluvio perierunt, & Sodomitæ, & Ægyptii, & Israëlitæ in solitudine, mala sua in vitâ suâ.* Si igitur Deus propterea illos homines temporali supplicio diluvii punire voluit, ne sempiternis post hanc vitam suppliciis eos puniret, multi ex illis damnationem æternam evaserunt. Accedit ad hanc sententiam *Rupertus* Abbas, Lib. 4. Commentariorum in *Genesim*, cap. 16. *Sciendum est*, inquit, *triforme unius Trinitatis esse judicium: primum videlicet quo Diabolus de cælo dejectus est: & ultimum quo idem Diabolus cum suis Angelis & malis hominibus in ignem æternum est mittendus: Præterea medium hoc quo Diluvium Mundo inducitur: & hoc quidem ut tempore vel ordine, sic & qualitate medium est. Etenim primo & ultimo judicio soli reprobi feriuntur, & soli electi servantur; isto autem medio nec soli electi conservantur, nec soli reprobi suffocantur. Credendum quippe est aliquos hoc diluvio periisse, quorum eodem periculo mortis peccatum deletum sit, juxta quod scriptum est:* Non vindicabit Deus bis in idipsum: *Plerosque tamen ex eis, utpote impios, ab illo temporali aquarum diluvio ad æternum trans„ isse incendium, juxta quod scriptum est:* Ignis suc„ census est furore meo, & ardebit usque ad in„ ferni novissima. *De his autem qui superfuerunt tam magnâ Dei gratiâ reservati, cùm tres tantùm filii Noë fuerint, unus reprobus extitit, & ex omnibus illis tribus maxima reproborum turba succrevit.*

Respondetur, Singularem esse & inauditam *S. Hieronymi*, & *Ruperti* Abbatis interpretationem illorum verborum; *Non vindicabit Deus bis in idipsum* ( secundùm 70. ) Vel, *non consurget duplex tribulatio* ( ut habet Vulgata nostra ). Longè enim alius est Prophetici illius Oraculi sensus quàm ipsi afferunt. Loquitur enim Propheta de Ninivitis, adversùs quos præcipuè illud edidit Vaticinium, & minatur eis extremum supplicium, prædicens, Deum uno & extremo supplicio eos puniturum, quo ita delebuntur, ac omnino perdentur, ut alterò supplicio, seu alterâ in eos ultione non sit opus. Hunc sensum antecedentia & consequentia verba confirmant. *Et in diluvio transeunte consummationem faciet loci ejus, & inimicos ejus persequentur tenebræ. Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena.* Atque ita hunc locum explicat *Theodoretus* in Commentario: *Funditus enim perdet*, inquit, *& in perpetuas tenebras dabit eos, qui contra eum temerè insolescunt.* Diluvium enim & consummationem *vocavit supremum exitium. Deinde per interrogationem.* Quid cogitatis contra Dominum? *Quam, inquit, potestatem eum habere arbitramini?* Consummationem ipse faciet: non vindicabit bis in idipsum in tribulatione. *Cumulatum, ait, vobis inferet supplicium, ita ut non sit opus secundam plagam adjicere.* Incredibile certè est, utpotè Scripturæ Sacræ auctoritati contrarium, impios de peccatis suis pœnitentiam non agentes, æternis suppliciis non puniri, quia temporalibus plectuntur. Id, puto, non senserit *S. Hieronymus*. Ad pœnitentes ergo ejus assertio restringenda est, quantumvis universalis videatur, & hac explicatione lenienda, quantumvis durâ. Sed ut vel sic restricta & temperata faveat iis qui diluvio perierunt, probandum est, aliquos saltem ex illis pœnitentiam egisse, quod gratis asseritur, Scripturâ minimè suffragante. Ut enim neminem ex Sodomitis, cum quibus *S. Hieronymus* comparat eos qui diluvio perierunt, æternam damnationem evasisse Christus significat, Matthæi 11. vers. 24. *Et tu Capharnaum, nunquid usque in cælum exaltaberis? Usque in infernum descendes; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, Quia terra Sodomorum remissius erit in die judicii, quàm tibi:* Et *S. Judas* Apostolus, qui

qui *ignis æterni pœnam* Sodomitis & Gomorrhæis inflictam asserit: Ita neminem eorum qui diluvio perierunt, æternam damnationem evasisse credibile est, parvulis exceptis, si qui per Sacramentum legis naturæ, aut Fidem signo aliquo sensibili & sacro significatam & confirmatam, ab originali peccato mundati sunt, & sanctificati. A sententiâ itaque *S. Hieronymi* & *Ruperti* hac in Quæstione discedimus, salvâ, quam tantis Viris debemus, veneratione.

## SCHOLION.

Quicumque extra Arcam pereunt, in æternum pereunt: Quicumque extra Ecclesiam moriuntur, per temporalem mortem ad æternam transeunt. Sed & in ipsâ Ecclesiâ nemo salvatur, nisi Cruci Christi, cujus Arca typus fuit, inhæreat. Ad cœlestem patriam volumus pervenire: *Interjacet mare hujus sæculi quà imus, etsi jam videmus quò imus: Nam multi nec quò eant vident. Ut ergo esset & quà iremus, venit inde ad quem ire volebamus. Et quid fecit? Instituit lignum, quo mare transeamus. Nemo enim potest transire mare hujus sæculi, nisi Cruce Christi portatus. Hanc Crucem aliquando amplectitur & infirmus oculis. Et qui non videt longè quò eat, non ab illâ recedat, & ipsa illum perducet...... Mare transeundum est, & lignum contemnis? O sapientia superba, irrides crucifixum „ Christum, ipse est quem longè vidisti:* In prin„ cipio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. *Sed quare crucifixus est? Lignum tibi humilitatis ejus necessarium erat. Superbiâ enim tumueras, & longè ab illâ patriâ projectus eras, & fluctibus hujus sæculi interrupta est via, & quà transeatur ad patriam non est, nisi ligno porteris. Ingrate, irrides eum, qui ad te venit ut redeas. Ipse factus est via, & hoc per Mare, inde in Mari ambulavit, ut ostenderet esse in Mari viam. Sed tu, qui quomodo ipse ambulare in Mari non potes, navi portare, ligno portare: Crede in Crucifixum, & poteris pervenire.*

*S. August. Tract. 2. in Joan.*

*Finis Primæ Mundi Ætatis.*

SECUNDA

# SECUNDA MUNDI ÆTAS
## A FINE DILUVII
## AD VOCATIONEM SEU PROFECTIONEM
# ABRAHAMI
## ANNOS COMPLEXA CCCCXXVI. MENSES IV. DIES XVII.
# HISTORIÆ SYNOPSIS

### CAPUT PRIMUM.

*Hujus Ætatis exponitur Historia ut in Sacris Literis traditur.*

I. ANNO sexcentesimo primo vitæ *Noë*, mensis primi die primo, Octobris nostri 23. respondente, cùm aperuisset *Noë* tectum Arcæ, vidit exsiccatam esse terræ superficiem. Mense secundo, die vigesimâ-septimâ, respondente Decembris nostri 18. Terrâ omnino arefactâ Noë Dei mandato de Arcâ exivit, cum uxore, tribus filiis, & totidem illorum uxoribus. Egressus, liberatori Deo erexit Altare, & holocausta obtulit, cùm in gratiarum actionem, tum ut eum sibi suisque propitium redderet. Divinis promissis cùm providentiæ, tum gratiæ recreatus *Noachus*, Iridem signum fœderis inter Deum & homines de non inducendis ampliùs aquis diluvii accepit. Cunctis animantibus in cibum attributis, Deus *carnem cum sanguine* comedi prohibuit, cùm ob alias rationes, tum maximè ut homicidii horrorem hominibus incuteret. *Carnem*, inquit, *cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum; & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: Ad*
Genes. 9. *Imaginem quippe Dei factus est homo.* (Genes. 9.
19. vers. 4. 5. 6.) Tres *Noë* filii *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, orbis restauratores fuere. *Ab his* enim *disseminatum est omne genus humanum super universam Terram.* Quinam ex illis primogenitus fuerit difficultas est in Dissertationibus illustranda.

Cùm *Noë* terram exercere cœpisset, vineam plantasset, vinoque largiùs hausto fuisset inebriatus, non ex intemperantiâ, sed ex ignorantiâ, ipsum impius *Cham* filiorum minimus irrisit, fratribusque nuntiavit, illos ut ad ridendum pariter provocaret. At illi casto pudore & pietate ac reverentiâ impulsi, aversâ facie, & retrogrado incessu ad Patrem accedentes, ejus turpitudinem pallio operuerunt. Evigilans autem *Noë* ex vino, cùm facinus *Chami*, pietatemque *Japheti* & *Semi* didicisset, *Chamo* in *Chanaan* filio maledixit: *Maledictus*, inquit, *Chanaan*, *servus servorum erit fratribus suis*. Cur ille *Cham* non maledixerit, sed filio, quæri potest. Rationem affert *Theodoretus*, quòd nimirum *Cham*, Dei benedictione paulò ante donatum, humanâ maledictione feriendum non existimaret; & quòd impium patrem in filio impietatis incitatore puniendum intellexerit. *Post sedatum*, inquit, *diluvium*, *omnes pariter benedictionis divinæ participes facti sunt. Temerarium igitur existimavit Noë maledictionem illi inferre, qui benedictionem divinam consecutus erat. Quamobrem ejus filio maledictionem intulit. Est autem supplicium justum. Quia enim cùm filius esset, in patrem deliquit, ob id per filii maledictionem pœnas luit. Ad hæc considerandum est illud, quòd si ipse Cham maledictionem suscepisset, in totum genus maledictio ea pervagata fuisset. Verùm minimum filium ejusmodi castigatione increpavit.* Origenes ab eodem *Theodoreto* laudatus *Interrogatione* 7. Chanaan ab Avo maledictum asserit, quia patri impietate similis erat, ejusque in illudendo *Noacho* socius, imò & primus illius nuditatis propalator ac sugillator. *Nam si opus erat*, inquit, *mentionem facere filiorum, omnium utique oportebat, & non solius Chanaan. Chanaan ipse etiam*

erat

*erat impius, ut historia declarat. Volens igitur Spiritus Divinus ostendere similitudinem patris & filii, eum quodammodo a suorum fratrum pietate distinguit, adjiciens*, Ipse Cham pater est Chanaan. *Genere siquidem erant omnes filii Noë: solus autem iste moribus non erat filius, sed sui similis filii pater. Quamobrem ad majorem demonstrationem positum est illud*, Ipse Pater est Chanaan. *Qui verò hac dixit Hebraus, hanc etiam Traditionem ratione confirmabat: Primum Chanaan verenda Avi sui vidisse, suoque solùm Patri narrasse tanquam Senem irridentem. Cham verò cùm similiter ac fratres non deberet impiè ad Patrem accedere, sed objurgare eum, qui primus viderat & illudebat; ipse quoque persuasus & accessit, & vidit, fratribusque renunciavit. Sed viderentur esse fabulosa, nisi hoc quod sequitur demonstrationis vim haberet:* Et suscitatus est a somno suo, *inquit*, & cognovit quæcunque fecerat ei filius suus junior. *Cham autem non erat filius ejus junior, sed secundus.* Sem enim, *inquit*, & Cham, & Japhet. *Quòd si filium minimum demonstrare voleba, Japhet nominasset. Quoniam verò nepotes ac eos etiam qui ab his longâ serie nascuntur, solent filios appellare, Chanaan Nepotum minimum dicit Scriptura cognitum fuisse a Noë sceleris hujus auctorem extitisse. Et quòd hoc ita se habeat, subjungit sermo divinus, & ait.* Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. *Quòd si quis miretur quamobrem Cham, cùm ipse quoque esset impius, eamdem cum filio maledictionem non est sortitus, cognoscat quòd si hanc sortitus esset, videlicet*, Servus servorum erit, *servitutis etiam participes fuissent fratres ejus. Nam ex maledictione fratres quoque Chanaan servi fuerunt eorum, quorum servus declaratus est Chanaan.* Verùm relictâ Hebraicâ illâ Traditione, quæ Scripturæ sacræ expressè contraria videtur, indicanti *Chamum* esse ipsum filium minorem *Noachi*, quem sibi illusisse didicit, non verò *Chanaan Chami* filium: Siquidem ait cap.9. vers.22. *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras:* hac, inquam, Traditione relictâ, seu potiùs exploso illo Hebræorum figmento, Noachum *Chanaani* non *Chamo* maledixisse censemus ob rationes a *Theodoreto* allatas. Addit *Theodoretus*, Noachi verba non tam imprecationem in se continere, quàm futurorum prædictionem. *Nam cùm Israël ex Sem genus ducens, Palæstinam occupaturus esset, quam olim incoluerant qui ex Chanaan descenderant, in maledictionis formam Prophetiam effert; prædicens quidem futura, deterrens autem posteros ne peccent in parentes. Id quod nos apertè docet benedictio Sem*, „ Benedictus, *inquit*, Dominus Deus Sem, & „ erit Chanaan servus ejus. *Non enim duobus hunc subjecit, sed soli Sem. Et Japhet quidem multiplicem progeniem prædixit, Sem verò pietatem. Nam Deum prophetavit habitaturum in tentoriis Sem. Habitavit autem apud Patriarchas, qui ex Sem orti sunt: & apud Prophetas qui ex illis descenderunt; & priùs in Tabernaculo, posteriùs Hierosolymis. Et hac prophetia certissimum finem habuit Mysterium Dispensationis; quando Deus Verbum Dei & Patris Filius unigenitus, incarnatus est & homo factus, & carnem quam accepit ex semine David & Abraham, templum suum nominavit. Nam ex Sem hi quoque originem duxerunt: At servitus Chanaan in Gabaonitis finem accepit.* Similia habent *Diodorus Tarsensis* in hujus loci explicatione, & *S. Augustinus* Quæstione 17. in Genesim. *Quæritur quare peccans Cham in Patris offensâ, non in se ipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur? Nisi prophetatum est terram Chanaan ejectis Chananæis inde & debellatis, accepturos fuisse filios Israël, qui venirent de semine Sem.* At de *Noachi* Prophetiâ plura in Dissertationibus dicemus.

*Sem* vitam quingentis minùs duobus annis post diluvium produxit. [ *Genesis* 11. vers.2.] adeò ut paucis annis superstes illi fuerit *Abraham*. Hunc fuisse *Melchisedechum*, Judæorum commentum est, quod in Dissertationibus refellemus.

*Arphaxad* genuit *Sale* anno ætatis suæ trigesimo quinto. Obiit anno ætatis trecentesimo trigesimo-octavo.

*Arphaxad* inter & *Sale* Versioni Græcæ 70. Interpretum insertum *Cainan*, Viri Eruditi censent. Hanc difficultatem in Dissertationibus expediemus.

*Sale* genuit *Heber* anno ætatis suæ trigesimo: Obiit anno ætatis quadringentesimo trigesimo-tertio.

*Heber* genuit *Phaleg* anno ætatis trigesimo-quarto, quo tempore Deus insaniam superborum hominum molitionem, civitatis & turris, cujus culmen ad cælos usque pertingeret, ædificatione nomen suum celebrare ambientium, linguarum confusione disturbavit. ( *Genesis* 10. *vers*.4.5.6.7.) Obiit *Heber* anno ætatis quadringentesimo sexagesimo-quarto; adeòque ipsi *Abrahamo* superstes vixit. Ab *Hebero* inditum Hebræorum linguæ & genti nomen, ob confusas mox sub filii *Phaleg* nativitatem linguas, ut colligitur ex Genesis 10. vers.24. & Hebraicam in solâ *Heberi* familiâ superstitem, communior est opinio. Non desunt tamen Viri Eruditi qui existiment linguam Hebraicam non esse eam, quæ ante Babelicam confusionem vulgò usurpabatur; sed Chananæam ipsam, unam ex iis quæ ortæ sunt ex Babelicâ confusione: Pristinam verò illam & primigeniam, quæ ante confusionem linguarum obtinebat, cùm terra omnis erat *labii unius & sermonum eorumdem*, vel funditus interiisse; vel in alias linguas esse disseminatam; vel si perseveravit integra, certò asseri non posse illane fuerit Assyria, an Chananæa, an alia quævis. Ea est sententia Illustrissimi & Doctissimi Præsulis *Danielis Huetii*, Demonstrationis Evangelicæ Propositione 4. cap. 13. & aliorum. Quâ de re in Dissertationibus agemus. In civitatis ac Turris Babelicæ ædificatione Monarchiæ Babylonicæ fundamenta a *Nembrodo* posita sunt. Babylone enim regnare cœpit. [ *Genesis* 10. vers.10.]

*Phaleg* genuit *Reu* trigesimo ætatis anno; vixit ducentis triginta & novem annis.

*Reu* genuit *Sarug* anno ætatis trigesimo secundo; vixit annis ducentis triginta novem.

*Sarug* genuit *Nachor* anno ætatis trigesimo; vixit annis ducentis & triginta. Ad ætatem *Sarug* simulachrorum & Idolorum cultus religiosus inter Babylonios referri consuevit. Id colligitur ex *Josue* cap.24. vers.2. *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham, & Nachor, servieruntque Diis alienis.* Quod a *Nachor* non cœpisse, sed a *Sarug* ejus parente, docent Veteres, *Eusebius* in Chronico Græco Editionis Scaligerianæ, *S. Epiphanius* Lib.1. adversùs Hæreses, Num.6. *Phaleg*, inquit, *Ragam genuit. Hujus filius Sarug fuit, quod nomen provocationem significat. Hoc verò tempore Idololatria inter homines, ac superstitionis Gentilium initium est factum, quemadmodum a Majoribus accepimus. Tametsi nondum ad simulacra calatosque lapides, aut ligna, aut argenteas aureasque statuas, alteriusve materia, superstitiosus ille cultus adhaserat; nec aliud prater colores atque effigies erat in quo hominum mentes novum per sese nequitia genus excogitarent, ac sponte suâ, proprioque animi ac rationis impetu pro honestate sibi sceleris turpitudinem adsciscerent. Serucho natus est Nachor; ab eo*

Thar-

*Tharra genitus est. Ex quo tempore simulachra primùm ex argillâ figulinoque opere reperta sunt, artifice Tharrâ.* Ad idem tempus Idololatriæ referunt originem *S. Joannes Damascenus*, Auctor Chronici Alexandrini, *Suidas*, &c. sed hæc non admodum certa.

*Nachor* genuit *Thare* anno ætatis vigesimo-nono. Obiit anno ætatis centesimo quadragesimo-octavo.

*Thare* septuagenario natus est primus trium ipsius filiorum, ut colligitur ex *Genesis* 11. vers. 26. non *Aran* quidem, (quem post sexaginta demum annos natum probabimus in Dissertationibus) sed *Abram* tertii fratris *Nachoris* Socer. Is enim priusquam pater *Thare* ex Ur Chaldæorum discederet, filiam reliquit *Melcham*, patruo *Nachori* nuptam. *Abram* duxit uxorem *Sarai*, quę & *Jescha* appellata est, *Aranis* fratris sui filiam.

*Abram* divino monitu ex *Ur* Chaldæorum, quæ Mesopotamiæ Regio est, profectionem adornavit in Terram Chanaan. Dux viæ *Thare* ejus pater; comites *Sarai* ipsius uxor, & *Lot* ex *Aran* fratre nepos. Venit usque *Haran* in eâdem Mesopotamiâ sitam, ibique consedit, gravi *Thare* imbecillitate detentus, qui eâ in Urbe mortuus est anno ætatis ducentesimo-quinto. Vocatus a Deo est *Abramus*, cùm adhuc in patriâ, *Ure* scilicet Chaldæorum versaretur, quamvis post hujusmodi profectionem, & mortem *Thare* vocatio illa referatur *Genesis* 12. vers. 1. Id liquidò constat ex *Actuum* 7. vers. 3. & 4. ubi S. Protomartyr *Stephanus* ita Judæos compellat: *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamiâ, priùs quàm moraretur in Charan; & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de Terrâ Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in Terram istam, in quâ nunc vos habitatis.*

II. Textûs Hebraici, Versionis 70. Interpretum, & Samaritanorum Codicum convenientiam & discrepantiam in Patriarcharum annis post diluvium recensendis, ad *Abrahami* vocationem usque, superest ut oculis subjiciamus.

*Secundùm Textum Hebraicum.*

*Sem* genuit *Arphaxad* anno secundo post Diluvium, anno ætatis centesimo; ab orbe condito 1657. Vixit postquam genuit annos quingentos. Vixit in universum annos sexcentos.

*Arphaxad* genuit *Sale* anno ætatis trigesimo-quinto. Vixit postquam genuit annis trecentis & tribus. Vixit in universum trecentis triginta & octo annis.

*Sale* genuit *Heber* anno ætatis trigesimo. Vixit postquam genuit annis tribus & quadringentis. Vixit in universum annis quadringentis triginta tribus.

*Heber* genuit *Phaleg* anno ætatis trigesimo quarto. Vixit postquam genuit annis quadringentis & triginta. Vixit in universum annis quadringentis sexaginta-quatuor.

*Phaleg* genuit *Reu* anno ætatis trigesimo. Vixit postquam genuit annis ducentis & novem. Vixit in universum annis ducentis triginta-novem.

*Reu* genuit *Sarug* anno ætatis trigesimo secundo. Vixit postquam genuit annis ducentis & septem. Vixit in universum annis ducentis triginta-novem.

*Sarug* genuit *Nachor* anno ætatis trigesimo. Vixit postquam genuit annos ducentos. Vixit in universum annos ducentos & triginta.

*Nachor* genuit *Thare* anno ætatis vigesimo-nono. Vixit postquam genuit annos centum undeviginti. Vixit in universum annos centum quadraginta & octo.

*Thare* genuit *Abram* anno ætatis centesimo-trigesimo. Vixit postquam genuit annos septuaginta-quinque. Vixit in universum annos quinque supra ducentos....

*Abram* anno ætatis 75. ex Harane in Terram Chanaan profectus est defuncto patre. Annus Mundi numerabatur bis millesimus octogesimus tertius; a fine verò Diluvii quadringentesimus vigesimus-septimus per aliquot menses inchoatus.

Ita fit summa annorum quadringentorum viginti-sex, mensium quatuor, & dierum septemdecim, secundùm eorum rationes qui natum censent *Abrahamum* anno *Thare* centesimo trigesimo: secundùm alios verò qui natum volunt anno *Thare* septuagesimo, fit summa annorum duntaxat trecentorum sexaginta-septem.

*Secundùm 70. Interpretes.*

III. *Sem* genuit *Arphaxad* anno ætatis centesimo, anno Mundi bis millesimo ducentesimo sexagesimo-quinto. Vixit postquam genuit annos quingentos. Vixit in universum annos sexcentos.

*Arphaxad* genuit anno ætatis centesimo trigesimo-quinto. Vixit postquam genuit annos tres supra quadringentos secundùm lectionem Eusebii; quadringentos tantùm secundùm Sixtinam Editionem; quadringentos & triginta secundùm Plantinianam. Vixit in universum annos quingentos triginta & octo secundùm lectionem Eusebii, annos quingentos triginta-quinque juxta Sixtinam Editionem, annos quingentos sexaginta-quinque juxta Plantinianam.

*Kainan* genuit *Sale* anno ætatis centesimo trigesimo. Vixit postquam genuit annos trecentos & triginta. Vixit in universum annos quadringentos sexaginta. Istum *Kainan* non agnoscunt neque numerant *Africanus*, & *Eusebius*, qui tamen sequuntur Epilogismum 70. Interpretum. Ideòque ab antiquis & sinceris Codicibus Græcis absuisse, & ab Exscriptoribus insertum cum Viris Eruditis censemus.

*Sale* genuit *Heber* anno ætatis centesimo trigesimo. Vixit postquam genuit annos sex supra quadringentos secundùm lectionem *Eusebii*; trecentos triginta-quinque duntaxat juxta Sixtinam Editionem; trecentos & triginta juxta Basileensem & Wechelianam. Vixit in universum annos quingentos & triginta-sex secundùm lectionem Eusebii; annos tantùm quadringentos sexaginta-quinque juxta Sixtinam Editionem; quadringentos & sexaginta juxta Basileensem & Wechelianam.

*Heber* genuit *Phaleg* anno ætatis centesimo trigesimo-quarto. Vixit postquam genuit annos centum triginta-quinque secundùm lectionem *Eusebii*; ducentos & septuaginta juxta Sixtinam Editionem; trecentos & septuaginta juxta Basileensem & Wechelianam. Vixit in universum annos ducentos sexaginta-novem secundùm lectionem *Eusebii*; quatuor supra quadringentos juxta Sixtinam Editionem, quatuor supra quingentos juxta Basileensem & Wechelianam.

*Phaleg* genuit *Reu* anno ætatis centesimo trigesimo-quarto juxta Plantinianam Editionem, centesimo quinquagesimo juxta Sixtinam; centesimo trigesimo juxta Basileensem & Wechelianam. Vixit postquàm genuit annos novem supra ducentos. Vixit in universum annos trecentos triginta novem.

*Reu* genuit *Sarug* anno ætatis centesimo trigesimo secundo. Vixit postquàm genuit annos septem

supra

supra ducentos. Vixit in universum annos trecentos triginta-novem.

*Serug* genuit *Nachor* anno ætatis centesimo trigesimo. Vixit postquàm genuit annos ducentos. Vixit in universum annos trecentos & triginta.

*Nachor* genuit *Thare* anno ætatis septuagesimo-nono secundùm lectionem Africani & Eusebii; centesimo septuagesimo-nono juxta Sixtinam Editionem; septuagesimo-nono juxta Basileensem & Wechelianam. Vixit postquàm genuit annos centum novem-decim juxta lectionem *Africani* & *Eusebii*, centum viginti-quinque juxta Sixtinam Editionem; centum viginti-novem juxta Basileensem & Wechelianam. Vixit in universum annos centum nonaginta, & octo secundùm lectionem *Africani* & *Eusebii*; quatuor supra trecentos juxta Sixtinam Editionem, octo supra ducentos juxta Basileensem & Wechelianam.

*Thare* genuit anno ætatis septuagesimo. Vixit postquam genuit annos centum triginta-quinque. Vixit in universum annos quinque supra ducentos. Mortuus est anno Mundi ter millesimo quingentesimo septuagesimo.

Ita fit summa annorum mille trecentorum & octoginta a diluvio ad *Abrahami* profectionem in Chananæam, adeòque Epilogismus 70. Interpretum superat calculos Hebraicos annis nongentis quinquaginta-quatuor.

*Secundùm Codicem Samaritanum.*

IV. *Sem* genuit *Arphaxad* anno ætatis centesimo; anno Mundi millesimo trecentesimo nono. Vixit postquàm genuit annos quingentos. Vixit in universum annos sexcentos.

*Arphaxad* genuit *Sale* anno ætatis centesimo trigesimo secundùm lectionem *Eusebii* in Chronico Græco. In Samaritano tamen Codice haberi annos centum triginta-quinque monent *Scaliger* in Animadversionibus, & *Morinus* Exercitatione in Pentateuchum Samaritanum. Vixit postquàm genuit annos tres supra trecentos. Vixit in universum annos quadringentos triginta tres.

*Sale* genuit *Heber* anno ætatis centesimo trigesimo. Vixit postquàm genuit annos tres supra trecentos. Vixit in universum annos quadringentos triginta-tres.

*Heber* genuit *Phaleg* anno ætatis centesimo trigesimo quarto. Vixit postquàm genuit annos ducentos septuaginta. Vixit in universum annos quatuor supra quadringentos.

*Phaleg* genuit *Reu* anno ætatis centesimo trigesimo. Vixit postquàm genuit annos centum & novem. Vixit in universum annos ducentos triginta-novem.

*Reu* genuit *Serug* anno ætatis centesimo trigesimo-secundo. Vixit postquàm genuit annos septem supra ducentos. Codex Samaritanus *Joannis Morini* habet centum & septem duntaxat. Vixit in universum annos trecentos triginta novem.

*Serug* genuit *Nachor* anno ætatis centesimo trigesimo. Vixit postquàm genuit annos centum. Vixit in universum annos ducentos & triginta.

*Nachor* genuit *Thare* anno ætatis septuagesimo-nono. Vixit postquàm genuit annos sexaginta-novem. Vixit in universum annos centum quadraginta & octo.

*Thare* genuit anno ætatis septuagesimo. Vixit postquàm genuit annos septuaginta quinque. Vixit in universum annos centum quadraginta quinque. Mortuus est anno Mundi bis millesimo trecentesimo decimo-nono.

Ita fit summa annorum mille & decem.

V. Insignem Christi typum in *Noacho* hæc exhibuit Ætas. De *Noacho* dictum est a *Lamecho* parente: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum.* (Genesis v. 28.) De se ipso ait Christus Matthæi 11. 28. 29. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* NOE *invenit gratiam coram Domino* (Genesis 6. 8.) *Gratia & Veritas per Jesum Christum facta est*, qui *plenus* est *gratiæ & veritatis*. NOE *vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* JESUS per antonomasiam *Justus* (Isaiæ 51. 5.) *Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus.* Isaiæ 62. 1. 2. *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator, ejus ut lampas accendatur. Et videbunt Gentes Justum tuum, & cuncti Reges Inclytum tuum.* Actorum 3. 14. *Vos autem Sanctum & Justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis.* Ad Romanos 3. 26. *Ut sit ipse Justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu Christi.* Idem Apostolus Jesum vocat *Filium in æternum perfectum* (Hebr. 7. 28.) JESUS denique *proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & apud homines* (Lucæ 2. 52.) Ii tantùm commune totius humani generis naufragium evaserunt, quos Deus per *Noachum* servavit: illi solùm interitum æternum effugiunt, quos Deus per Jesum Christum salvos facit. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud Nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. 4. 12.) Uterque homines per lignum incolumes præstitit. Ut Diluvii tempore nemo extra Arcam salutem consecutus est: sic nemo extra Ecclesiam salutem æternam unquam obtinuit, vel obtinebit. Nudatus *Noë* a *Chamo* filio irrisus est, quem propterea est execratus, cùm interea *Semo* & *Japheto* ob singularem erga ipsum pietatem ac reverentiam fausta omnia adprecatus est. Christus Jesus nudus in cruce pendens, a Judæis ludibrio est habitus, cùm populus Gentium ipsi fidem ac obsequium vovit, eumque ut verum Deum coluit. Idcirco Judæi divinæ execrationis notâ inusti, omnibus abominabiles, servilem & infelicem vitam trahunt, dum Gentes ad Christum conversæ, cælesti aspirante gratiâ, prospera faustaque omnia a Deo obtinent.

## CAPUT II.

*Exponitur hujus Ætatis Historia ut Ethnicorum fabulis adulterata & Judæorum, vel Christianorum etiam quorumdam Scriptorum figmentis & falsis opinionibus deformata.*

*Fabulæ ex Noë & filiorum ejus Historiâ derivatæ.*

EX historiâ *Noë* & trium filiorum ejus, Ethnici fabulam de *Saturno* & tribus ejus liberis orbis imperium inter se partientibus adornarunt, ut ex utriusque collatione demonstrat *Vossius* De Origine Idololatriæ, *Bochartus* in *Phaleg* Lib. 1. cap. 1. & alii. Ut enim *Noë* omnium qui post diluvium vixerunt communis est parens; ita *Saturnus* παγγενέτωρ & ejus uxor *Rhea* Mater Deorum hominumque, in *Orphei* Hymnis appellatur *Noë* justus & justitiæ præco. *Saturnum* etiam justissimum Regem fuisse volunt, *Homines sui temporis ex agresti vitâ ad humaniorem cultum transtulisse, & propterea magnos honores consecutum, multa orbis loca peragrasse, & omnes ad justitiam & animi simplicitatem induxisse*: Ita *Diodorus* Lib. 5. Bibliothecæ De ipso, & *Virgilius* Lib. 8. *Æneid.*

*Is genus indocile & dispersum Montibus altis*
*Composuit, legesque dedit.*

Inter diluvii tempus & *Phalegi* nativitatem anni centum intercesserunt: per quos, orbe nondum diviso, *Noë* universo hominum generi ut pater filiis im-

imperabat. Id Poëtæ per Ætatem auream sub *Saturni* Regno adumbrarunt. *Saturnus* inquit *Trogus* (apud *Justinum* Lib. 48.) *tanta justitia fuisse fertur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit, sed omnia communia & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset.* Et ut canit *Virgilius* Lib. 1. Georgicon.

*Nec signare quidem aut partiri limite campum*
*Fas erat.*

*Cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.* (Genesis 9. vers. 20.) *Saturnum* Tellurem uxorem duxisse Poëtæ fabulantur, eique agrorum & vitium cultum tribuunt profani Scriptores: unde & falx insigne messis ejus simulacro adjecta. Ita *Aurelius Victor* Lib. De Origine Romanæ Gentis, *Plutarchus* in Ρωμαικοις, Quæst. 42. *Macrobius* Lib. 1. Saturnalium cap. 6. *Servius* in 8. Æneidos, &c. *Noë* bibens vinum semel inebriatus est. *Saturnum* ebrietati præesse credebant Ethnici, & Saturnalium septem diebus mero se ingurgitare, nec serii quicquam aggredi religio erat, teste *Luciano* in Epistolâ Saturnalium. Eodem *Saturni* festo domini servos convivio excipiebant, & servilia ministeria ipsi obibant, non Romæ solùm, & in Græciâ, sed & Babylone, ut ex *Beroso* docet *Athenæus* Lib. 14. *Noë* videlicet *Chamum* execratus prædixerat fore ut ejus posteri servi essent servorum: sed *Chami* posteri, quos Græci postmodum & Romani imitati sunt, seriam maledictionem convertere conati sunt in rem ludicram. *Chamus* maledictione paternâ confixus est, quòd vidisset verenda patris nudata, ipsique illusisset. Hinc Poëtæ latam a *Saturno* legem fingunt, ne quis Deos nudos impiè contempletur: Hujus meminit *Callimachus* in Hymnis. *Saturnum* & uxorem *Rheam*, & qui cum illis fuerunt, ex *Oceano* & *Thetide* natos Poetæ finxerunt, quo figmento *Noachum* adumbrarunt, qui cum uxore, filiis, & filiorum uxoribus, ex aquis diluvii tanquam ex matrice emersit. Navem Prisci Romani *Saturni* symbolum esse voluerunt, quo significasse videntur Arcam *Noë*, quâ cum suis universale diluvium evasit. *Saturnum* omnes liberos devorasse fingunt, præter *Jovem*, *Neptunum*, & *Plutonem*, qui soli superstites orbem universum inter se diviserunt. *Noë* omnes homines consumpsit (eâ Scripturæ phrasi, quâ Prophetæ dicuntur id facere quod futurum prænuntiant) id est, prædixit consumendos. Tres solùm superfuere, nimirum *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, qui orbem inter se diviserunt. Hi tres *Saturni* liberi. *Cham* seu *Ham* fratrum minimus, in *Jovem Hammonem* a Poëtis transformatus est. Hunc Cæli Dominum finxerunt, quia *Chamo* obtigit Africa, cujus magna pars cùm sit inter Tropicos, Solem habet & reliquos Planetas supra verticem, unde Cælo proximam Poëtæ cecinerunt. *Jovem* Saturni patris virilia abscindentem *Chami* figuram esse patrem nudatum ridentis & monstrantis, probabilis conjecturâ est. Ex *Japheto Neptunum* fecere, quòd ipsi maritima omnia cum Insulis obvenerint (ex *Lactantio* Lib. 1. *Institutionum* cap. 11.) *Japheti* nomen a dilatatione sumptum est; quod optimè convenit *Neptuno* Maris Deo, de quo *Phornutus*, Iliade 3. *Lato pectore vocatur Neptunus ob Maris latitudinem.* Japheti nomen a *Niphthâ* seu *Nephthi*, ex quo *Neptuni* apellatio. Ipsum *Japheti* nomen in Mythologiam suam transtulerunt Græci, & *Japetum* appellarunt. *Semum* idololatriæ ac impietatis hostem acerrimum Ethnici *Plutonis* nomine in *inferos detruserunt.*

*Chanaan*, idem qui *Mercurius* Ethnicis. Hunc enim *Jovis*, id est *Chami* filium fecere. Utrique a mercibus & mercaturâ nomen. Hebræis enim *Chanaan* mercatorem significat. *Chanaan* fratrum servum fore prædicit Noë: *Mercurius* Jovis & Deorum minister. Viis ideo præficitur, quia orti ab illo Chananæi seu Phœnices in remotissimas terras navigare primi ausi sunt. Alæ sunt vela navium. Ejus furacitas Phœnicum in commerciis vafritiem exprimit. Fingitur eloquentiæ pater, quia literas in Græciam Phœnices invexerunt. *Mercurius* Jovi lasciviæ minister & amorum pararius fingitur, quia *Chanaan* cum patre *Chamo* creditur turpi spectaculo se oblectasse. *Mercurio* lac & mel libabant, quia Chanaani obtigerat Terra lacte & melle fluens.

In *Jano* quoque *Noachum* adumbrarunt, & illum bifrontem & utrinque oculatum finxere, quòd *Noë* utrumque hominum genus vidisset, & quod diluvio antiquius fuerat, & quod recentius. Ex *Nembrod Bacchum*, ex *Magog Prometheum* a Mythologis factos, *Bochartus* probat, in *Phaleg* Lib. 1. cap. 2.

II. Turrim *Babel* giganteo bello, & insanâ Thessalicorum montium substructione iidem adumbrarunt, ut constat ex *Ovidio* Metamorphos. Lib. 1. *Vrgilio* Lib. 1. *Georgicon*, & *Lucano* Lib. 6. Frequens est apud omnes gentes loquendi genus, ut quæ supra communem altitudinem attolluntur, cælum tangere dicantur. Nempe hyperbolica locutio est, plus significans quàm intelligi oporteat. Quo genere loquendi Hebræi Exploratores, & ipse *Moses* Deuteronomii 1. vers. 28. & 9. vers. 1. urbes Terræ Chanaan vocant *magnas & ad cælum usque munitas*, non quòd cælum fastigio suo contingerent, sed quòd insolitæ magnitudinis essent. Sibyllæ nescio cujus verba de insanâ illâ turris substructione laudat *Josephus* Lib. 1. *Antiquitatum Judaicarum* cap. 5. *Cùm universi homines*, inquit, *unâ linguâ uterentur, Turrim ædificaverunt excelsissimam, quasi ad cælum per eam ascensuri. Dii verò ventis immissis Turrim hanc subverterunt, & suam quique linguam tribuerunt; quæ causa fuit ut Urbs Babylon appellaretur.* Ejus quoque Agri, quem *Senaar* nominant, in Babyloniâ regione siti mentionem *Hestiæus* facit his verbis: *Sacerdotibus qui exitium effugerant, raptis secum Jovis Enyalii Sacris, in Senaar Babyloniæ Agrum se se primùm receperunt: Inde verò quaquà Terrarum dissipantur, ac prout communem hi aut illi fortè linguam sortiti erant, communia quoque domicilia passim collocant, oblatam quique casu regionem occupantes.* Post *Josephum* refert *Eusebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ* cap. 15.

*Fabulæ ex Turris Babylonicæ historiâ adornatæ.*

Ex *Abydeno* Assyriarum rerum Scriptore hæc referunt *Eusebius* idem cap. 14. & *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 1. contra Julianum: *Sunt etiam qui primos homines e Terrâ natos, cùm viribus & corporis mole confiderent, potentiamque Superis ipsis majorem affectarent, immensæ altitudinis Turrim, ubi nunc sita Babylon est, molitos esse dicant; quæ cùm jam propiùs abesset a Cælo, Ventos ipsos navatâ Diis operâ, vastam & immanem eorum in capita substructionem effudisse, cujus ex collapsæ ruderibus eam, quam Babylonem vocant, extiterit. Homines porrò, quorum ad id tempus una eademque lingua fuerat, multiplicem ac discrepantem ex eo vocem emisisse, ac postmodum Saturnum inter ac Titana bellum esse conflatum.* Sed & *Eupolemus* in eâ quam de *Judæis Assyriis* habet disputatione, *auctor est primùm quidem Babylonem urbem ac postmodum Turrim illam Historicorum omnium ore jactatam, ab iis qui Diluvium effugissent (Gigantes illi erant) excitatam, eâque deinde summâ Numinis potestate disjectâ, toto passim orbe distractos ac dissipatos Gigantes fuisse.* Hunc *Eupolemi* locum ex *Alexandro Polyhistore* refert *Eusebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ* cap. 17. Quæ profanorum Historicorum vetustissimorum testimonia de Turri Babelicâ, linguarumque confusione, Ethnicorum illorum vanitatem refellunt, qui fabulosam illam censebant, re-

referente *Philone Judæo* Libro *De confusione Linguarum*: Nec ad calumniam illorum depellendam necesse est cum eodem *Philone* ad allegoricum sensum confugere, quasi Mosaicæ narrationis veritas constare non possit, si ad literam accipiatur.

*Turris Babylonicæ vestigia.* Sanè immanis Turris Babylonicæ altitudinis veritatem demonstrabant rudera, quæ, *S. Hieronymo* & *Theodoreto* referentibus, olim visebantur. *S. Hieronymus* exponens illa verba *Isaiæ* cap.14. *Perdam Babylonis nomen*, Lib.5. Commentarii hæc habet: *Babylonem fuisse potentissimam, & in campestribus per quadrum sitam, & ab angulo usque ad angulum muri sexdecim millia tenuisse passuum: id est, simul per circuitum quadringenta octoginta stadia, refert Herodotus, & multi alii, qui Græcas Historias conscripserunt. Arx autem, id est Capitolium illius Urbis, est Turris illa quæ ædificata est post Diluvium, quam in altitudine quatuor millia dicunt tenere passuum, paulatim ex lato in angustius coarctatâ, ut pondus imminens faciliùs à latioribus sustentetur. Describunt ibi Templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroque fulgentes, & multa alia, quæ plenè incredibilia videantur.* Et *Theodoretus*, Quæstione 59. in *Genesim* de Turris Babylonicæ materiâ, bitumine scilicet, disserens, ait: *Ignorantes, ut verisimile est, fontes in Assyriâ existentes, putaverunt ex calce vivâ Turrim ædificatam esse. Ego verò diligenter didici ab iis qui illinc veniunt, esse fontes qui hanc materiam cum aquâ effundunt: & quòd ædificiis construendis illam adaptantes, coctilem cum eâ laterem componunt, atque hoc pacto Turrim ædificatam esse ajunt. Et qui hujus rei inspectores fuerunt, effregisse particulam aliquam affirmant, & probè novisse bitumen esse coctilibus lateribus substratum; asserentes alioqui penuriam esse lapidum in Assyriâ, & ob eam rem lateribus uti pro lapidibus. Atqui sine lapidibus quomodo calx viva confici possit?* Lege & *Herodotum* in *Clio* cap. 32. ubi Turris Babylonicæ meminit sub nomine *Templi Beli*, suâ adhuc ætate existentis.

*Aloidarum Fabula ex Turri Babel.* III. *Aloidarum* fabulam ex Historiâ Turris Babel, & fabulam *Phaetontis* ex Historiâ conflagrationis Sodomæ & Gomorrhæ interpolatas, docet *Origenes* Libro 4. contra Celsum. *Et quoniam putat* [ inquit ] *Mosen, qui scribit de Turri confusioneque linguarum, depravasse ex Aloidarum fabulâ, & ad Turrim suam transtulisse: equidem dixerim, Aloei filiorum ante Homerum in literis meminisse neminem: at quæ de Turri Moses prodidit, antiquiora esse non tantùm Homero, verùm etiam primis Græcarum literarum inventoribus. Uter igitur alterius scripta depravavit, Scriptorne Aloidarum fabulæ Historiam Turris? An is qui de Turri & linguarum confusione meminit, Aloidarum fabulam? Certè incorruptis auditoribus apparet, quòd Moses sit Homero antiquior. Sic & quæ de Sodomis & Gomorrhis propter peccatum igne deletis Moses narrat in Libro Geneseos, Celsus comparat cum Phaetontis historiâ, in eundem iterum impingens lapidem ob non observatam antiquitatem Mosis temporum. Nam hi qui de Phaetonte fabulantur, videntur Homeri ætate posteriores, quo Moses fuit tantò antiquior.*

*Noë tres tantùm filios genuit; nullos post diluvium.* IV. *Berosus Annianus* Libro 2. asserit *Noë* complures filios genuisse post Diluvium, triginta scilicet Gigantes, quos ex nomine Matris, quæ *Titæa* dicebatur, *Titanas* appellavit. Putidum figmentum probabile reddere conati sunt *Annius*, & *Cajetanus*. At Scripturæ Sacræ silentium satis illud refellit, cùm *Moses* tres tantùm *Noë* filios recenseat, *Sem*, *Cham*, & *Japhet*; nec ubi definit universum illius vitæ tempus, de eo dicat quod de cœteris ait Patriarchis: *Et genuit filios & filias*. Eodem argumento exploditur fabulosa narratio Scriptoris *Historiæ Scholasticæ*, quam auctoritate *Methodii* fultam venditat, de quodam *Noë* filio, *Jonitho* nomine, post Diluvium genito, anno centesimo tertiæ Chiliadis ab origine Mundi; quo tamen tempore *Noë* obiisse ab annis ampliùs nonaginta, constat ex Chronologiâ Scripturæ Sacræ. Fictitium illum *Jonithum* Astronomiæ inventorem facit, multaque prædixisse asserit de quatuor Monarchiarum ortu, successione, & occasu, quam Prophetiam multis post seculis *Daniel* edidit: Prædixisse, inquam, primos omnium regnaturos ex posteritate *Cham*; quod vaticinium in *Belo* & *Nino* impletum est, Regni Babylonici, & Assyriacæ Monarchiæ conditoribus: deinde regnaturos de stirpe *Sem* Persas & Græcos; postremos de genere *Japhet* Romanos.

*Chanaan in Arcâ non est genitus.* V. *Chamum* in Arcâ intempestivâ Venere se polluisse, ibique *Chanaan* genuisse, Hebræi quidam fabulantur, ut refert *R. Salomon Ephraim*. Si hominis alicujus auctoritate verisimile fieri posset id figmentum, auctoritate *S. Joannis Chrysost.* Homiliâ 28. in Genesim probabile evaderet. Sed Scripturæ Sacræ manifestè repugnat. Liberos enim à filiis *Noë* post diluvium duntaxat susceptos testatur *Genesis* cap.10. vers.1. *Hæ sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Japhet: natique sunt eis filii post Diluvium*. Secundò, *Chanaan* postremus fuit filiorum *Cham* [ ibidem vers.6. ] *Filii autem, Cham; Chus & Mesram, & Phut, & Chanaan*. Si ergo in Arcâ genitus est, jam ante diluvium nati erant ejus fratres, adeòque plusquam octo animæ servatæ sunt in Arcâ.

*Cham non est idem cum Zoroastre.* VI. *Chamum* eundem esse cum *Zoroastre* Mago Veteres quidam senserunt. *Pseudo-Clemens* Libro 4. *Recognitionum* scribit, Magiam hominibus ante diluvium a mulierosis illis Angelis traditam, *Mesraimum* Ægyptiorum conditorem didicisse a *Chamo* patre; & Chamum a posteris hujus artis admiratoribus *Zoroastrem* seu *Vivum Astrum* propterea dictum fuisse, & pro Deo habitum. Ex hoc fonte hausit *Cassianus*, quod scripsit Collatione 8. cap.21. *Quantùm*, inquit, *antiquæ Traditiones ferunt, Cham filius Noë, qui superstitionibus istis & sacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in Arcam prorsus inferre, in quam erat cum patre justo ac sanctis fratribus ingressurus, scelesta ac profana commenta diversorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum inundatione corrumpi non possent, & durissimis lapidibus insculpsit. Quæ diluvio peracto eâdem quâ celaverat curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros.* Editus est impius Liber continens elementa & praxim Artis Necromanticæ, sub titulo *Scriptura Chami filii Noë*. At Magus ille *Zoroastres* multis seculis recentior est *Chamo*, ut probat *Bochartus* Lib.4. *Phaleg* cap.1. Diu enim post Trojana tempora vixisse constat, quicquid in contrarium asserant *Eudoxus* apud *Plinium* Lib. 30. cap.1. *Hermippus* ibidem, *Plutarchus* in *Iside*, & *Hermodorus* Platonicus apud *Laertium*, in Proœmio, qui eumdem faciunt quinque annorum millibus bello Trojano vetustiorem. His certè omnibus antiquior *Xanthus Lydius* annos duntaxat sexcentos numerat a *Zoroastre* usque ad *Xerxis* transitum, ut ibidem refert *Laërtius*. Sub *Hystaspis* Imperio ipsum vixisse, ex Persarum sui temporis sententiâ refert *Agathias* Lib.2. sed valdè ambigi ait, neque certò sciri posse, an *Darii* Pater, aut alius quispiam hic *Hystaspes* fuerit. Cum *Zoroastre* Bactrianorum Rege, *Nino* æquali, perperam ipsum confundunt nonnulli Veterum, *Trogo* præeunte lib.1. Nam *Ctesias*, ex quo *Diodorus* Lib. 2. Bactrianorum Regem in quem dimicavit Ninus *Oxyartem* appellat, non *Zoroastrem*, neque Ma-

Magum fuisse dicit, aut viribus hostium Magicas artes opposuisse. Ut ut est, *Cham* Noë filius planè diversus est a Bactrianorum Rege *Zoroastre*, vel Oxyarte, siquidem illi Bactriana non obtigit, sed Africa, & Asiæ portio in Africæ finibus a Bactris remotissima.

*An Chamus Alchimiæ inventor?* VII. Alii *Chamum* Alchymiæ Auctorem faciunt, quæ de ejus nomine pro *Chamiâ* dicatur *Chemia*, & *Chymia*; & Arabico articulo præfixo, *Alchymia*. At commentum istud refellunt Arabum Scripta, qui hanc Artem maximè excoluerunt. Ab iis enim Alchymia non scribitur ut *Chami* nomen per *Cha*, sed per *Cheph*. Nomen est ab occultando. *Chema* enim Arabicè est occultare. Inde igitur *Chemia* vel *Alchemia* est Ars occulta. Hanc observationem doctissimo *Bochარto* acceptam referimus.

*Quo consilio Turris ædificatio a superbis hominibus suscepta?* VIII. Babylonicæ Turris Architectos id sibi proposuisse ut Turrim ædificarent *celsiorem quàm ut aqua eò usque posset ascendere*, si Diluvium rursus ingrueret, asserit *Josephus* Lib. 1. *Antiquitatum*, Cap. 5. At id falsissimum. Illos enim ab hoc metu præstabat immunes solemnis Dei promissio juramento firmata, addito Iridis sacramento. Genesis 9. vers. 2. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.* Et *Isaia* cap. 54. vers. 9. *Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas Noë ultra super terram, sic iuravi ut non irascar tibi.* Cui promissioni si diffidissent homines illi, relictis montibus in campum *Sennaar* non descendissent, fixuri sedes inter duos amnes vastissimos Euphratem & Tigrim, quorum inundationibus Babylonia est obnoxia. Præterea recens erat apud illos diluvii memoria, quo sciebant *Arcam* quindecim cubitis sublatam supra Montes celsissimos, quibus altiorem Turrim se erecturos sperare non possent. Denique prioris Mundi exitium abundè illos docuerat contra Dei manum armatam inania esse hæc effugia. Nec veriùs asserunt alii, illos futuri incendii metu de asylo sibi prospexisse, persuasos scilicet generale orbis exitium aliquando per ignem futurum. Ita enim stolidi non erant, ut ab igne cœlitus delapso in Turris altissimæ cacumine se tutos fore arbitrarentur, & generale orbis incendium evasuros. Denique in communi periculo nonnisi paucis admodum sic consuli potuisset, cùm Turris illa universum hominum genus capere non valeret magis ac magis in dies propagandum. Non alio itaque consilio molem illam erexerunt, quàm ut famam sui nominis longè latèque diffunderent. Genesis 11. vers. 4. *Dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.*

*An divisio orbis a Noë inter filios facta?* IX. Divisionem orbis inter filios *Noë* factam, jactis in Urbe *Rhinocorura*, seu *Rhinocolura*, sortibus, & unumquemque in illam secessisse regionem, quæ ei sorte assignata est, quamvis scripserit *S. Epiphanius*, Hæresi 66. quæ est *Manichæorum*, verisimile non est. Scripturæ eâ de re silentium, linguarum diversitas quæ illos jam sibi mutuò Barbaros fecerat, *Rhinocolura* post multa deinceps secula ædificatio ab *Actisane* Æthiopiæ & Ægypti Rege, ut testatur *Diodorus* Lib. 1. cap. 38. fidem huic *S. Epiphanii* assertioni derogant. Error ex 70. Interpretum Versione derivatus, qui *Isaiæ* cap. 27. vers. 12. *Pro Torrente Ægypti Rhinocoruram transtulerunt, quod est oppidum in Ægypti Palæstinaque confinio; non tam verba Scripturarum, quàm sensum verborum exprimentes*, ut observat *S. Hieronymus* ad eum locum Libro 8. Commentariorum. Nec verisimilius est quod addit *S. Epiphanius* loco laudato, & in *Ancorato* repetit cap. 116. *Noachum* orbe terrarum inter tres filios diviso, & certâ portione singulis assignatâ, ne qua inter ipsos discordia deinceps oriretur, eos sacramento adegisse ne quis in fratris sui sortem invaderet, extrema quæque interminatum illis, qui jurisjurandi fidem violassent: *Chanaanem* nihilominus relictâ regione suâ, quæ ob nimios calores minùs commoda videbatur, in *Semi* sorte Palæstinam occupasse; atque ob illud ipsum crimen Palæstinam seu Chananæam Judæis *Semi* posteris justo Dei judicio fuisse restitutam. *S. Epiphanio* prævit *Eusebius* in Chronico. Eadem fuit sententia Auctoris Sermonis 105. de Tempore sub nomine *S. Augustini* editi, qui 34. est in postremâ Editione Parisiensi. At hæc Assertio nullum habet in Scripturâ sacrâ fundamentum, imò ipsi repugnare videtur, cùm doceat Deum Terram Chanaan gratis dedisse, non restituisse Judæis; & *Chananæis* posteros aliis de causis excidisse jure, quod habebant in Terram Chanaan, nempe propter Idololatriam & nefarios concubitus. *Deuteronomii* 12. *vers.* 30. & *Levitici* 18. *vers.* 24. & 25. Præterea incredibile est quòd *Noë* inter filios orbem diviserit, cujus multò maxima pars nondum erat cognita. Non me latet *Philastrium Brixiensem* pro Hæreticis habere qui contrarium sentiant: *Sunt* (inquit) *quidam Hæretici, qui de divisione orbis Terræ & portione habitationis rectè non sentiunt: disputantes quòd Græci cœperint, aut Ægyptii, aut Persæ describere orbem Terræ universum, non Beatus Noë filiis suis tribus post diluvium diviserit, dederit, ac definierit, & partierit ordine.* *Hæresi 7.* Sed idem *Philastrius* pro Hæreticis habet eos, qui præter terram quam habitamus, aliam esse negant terram matricem rerum omnium, de quâ *Moses* locutus sit *Genesis* 1. Item qui naturæ adscribunt terræ motus, & stellas in cælo infixas asserunt, aut unam fuisse linguam ante diluvium, aut corpus *Adami* ante animam esse factum: Item qui negant omnes Psalmos esse *Davidis*. Meritò igitur observat *Bellarminus* Lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis, *Multa a Philastrio inter Hæreses numerari, quæ verè Hæreses non sunt, proinde cum prudentiâ legendum esse.*

*An linguarum confusio a solo Deo, vel ab Angelis etiam inflicta?* X. Confusionem linguarum a solo Deo inductam non fuisse, verùm etiam ab Angelis Dei Ministris, ad quos proinde pertineant illa Dei verba: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*, censet *Philo Judæus* Lib. *De Confusione Linguarum*. Atque in eam sententiam *S. Augustinus* concessit, quamvis de tribus personis Sanctissimæ Trinitatis verba illa exponi posse fateatur [ sicut illa, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* ] si aliquid sit quod Angelos intelligi prohibeat. Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 6. *Poterat & hic eadem intelligi Trinitas, tanquam Pater dixerit ad Filium & Spiritum Sanctum*, Venite & descendentes confundamus ibi linguam eorum; *Si aliquid esset quod Angelos prohiberet intelligi; quibus potiùs convenit venire ad Deum motibus sanctis, hoc est cogitationibus piis, quibus ab eis consulitur incommutabilis Veritas tanquam lex æterna in illâ eorum Curiâ supernâ.* At repugnare planè videtur ut hæc intelligantur de Angelis. Quippe si ipsis Deus diceret, *Descendamus*; sic loqueretur ac si esset unus ex illis, aut eodem modo descenderet, nempe mutando locum vero & reali motu. Præterea, qui descendit, linguamque superborum hominum confudit, ac eos in universas terras dispersit, est ipse *Jehova*. Genes. 11. vers. 5. *Descendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim, quam ædificeant filii Adam, & dixit: Ecce unus est populus, & unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere*, nec

*nec desistent a cogitationibus suis donec eas opere compleverint. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum... Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras.* Ex quibus patet ad eos dictum, *Venite, descendamus & confundamus linguam eorum*, qui descenderunt, & linguam eorum confuderunt. Solum autem Dominum descendisse Scriptura sacra significat, solum superborum hominum linguam confudisse, solum ipsos in regiones universas dispersisse. Itaque non Dei ad Angelos hæc verba sunt, sed Patris ad Filium & Spiritum Sanctum. Denique linguam unicam uno momento vertere in multas, & priore e memoriâ penitus obliteratâ, alias statim in animum infundere, res est quæ Angelicam superat potestatem, & a solo Deo effici potest, ut docet *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 4. Glaphyrorum. *Verùm enimvero quæ summi opificis operâ, artificioque egent, nulli profectò alteri tribuenda censeo, quàm ipsi soli, qui omnes potentiâ excellit, linguæ quoque confusionem, corruptionemque, cùm res supra naturam esse videatur, ei certè, qui naturâ omnium opifex est, attribuendam arbitror.* In eâdem est sententiâ *Rupertus* Abbas Lib. 4. Commentariorum in Genesim cap. 42. *Hoc tam mirabile vindictæ incommodum, quâ maximè homines a semetipsis dividuntur, solus potuit facere Deus. Proinde cùm dixit pluraliter:* Venite, descendamus, confundamus, *non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad feriendam superbiam se adesse testatur tota Trinitas unus Deus. Quod ex opposito remedio magis liquet: ubi enim in ore Apostolorum omnia revocantur genera linguarum, eadem Trinitas sese aperit hominibus, & eâ die primùm in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti homines baptizantur, quæ vera structura est altissima Turris, quâ in cælum homo conscendit cum Deo regnaturus.*

*Utrùm Abraham ob execrationem Idololatriæ fuerit in ignem conjectus, & miraculo liberatus?*

XI. Tradunt Hebræi, *Thare* Patrem Abrahami adeò Idolorum cultui fuisse addictum, ut etiam filium suum *Abrahamum* quòd ab Idololatriâ Chaldæorum vehementer abhorreret, detulerit ad *Nembrodum* tunc temporis regnantem in Chaldæâ; cujus ille jussu projectus in ignem est, sed servante Deo inde incolumis evasit. Interim *Aran* Abrahami fratrem, qui aderat, apud se statuisse ut si *Abraham* ex igne salvus evaderet, fidem ejus ac religionem sequeretur; sin minus, in Chaldæorum superstitione permaneret. Jussum igitur, a *Nembrodo* declarare cujus esset, *Abrahami* fratris Religionem professum, ideòque in ignem projectum, quo consumptus interiit. Et id *Mosem* significasse dicunt, cùm ait, *Aran* mortuum esse ante *Thare* Patrem suum, id est, Patre spectante, approbante, procurante. Atque ita explicant quod *Genesis* 11. vers. 31. legitur, *Abraham* exivisse ex *Ur Chaldæorum*, id est, ex igne; & Genesis 15. *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum:* his locis cum altero 2. *Esdrâ* cap. 9. vers. 7. comparatis, cujus hæc sunt verba: *Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, &c.* Hebraicam illam Traditionem legere est in *Bereschit Rabba*, ubi *R. Moses Hadd'arschan* illam proponit, ex quo ipsam refert *Raymundus Martini* in *Pugione Fidei*, 3. Parte Dist. 3. cap. 7. cui non levem auctoritatem addere videtur *S. Hieronymi* suffragium Libro Traditionum Hebraicarum in Genesim. *Vera est igitur*, inquit, *illa Hebræorum Traditio, quam suprà diximus, quòd egressus sit Thare cum filiis suis de igne Chaldæorum, & quòd Abraham Babylonico vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus, & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputetur ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens Idola Chaldæorum.*

Verùm hanc Traditionem fabulosam esse, firmissimis argumentis demonstratur. 1. *Nembrod* fuisse *Belum* Patrem *Nini*, res est Eruditis omnibus explorata; ipsumque *Ninum* post mortem Patris Imperium suscepisse Veteres Historici tradunt. *Abraham* porrò natum esse anno 43. Regni *Nini* testatur *Eusebius* in Chronico, & *Eusebium* vulgò sequuntur Ecclesiastici Scriptores. Natus itaque est Abraham annis quadraginta tribus post mortem *Nembrod*, qui *Bel* nomine apud profanos Scriptores notior est. Ineptissimè ergo fingitur quòd in ignem projectus sit jussu *Nembrodi*, tunc in Chaldæâ regnantis. 2. Supponit hæc narratio, *Thare* fuisse Idololatram, quod incertum est; imò falsum Viris Maximis videtur, *Arbioris* testimonio persuasis, Judith 5. *Populus iste*, inquit, *ex progenie Chaldæorum est. Hic primùm in Mesopotamiâ habitavit, quoniam noluerunt sequi Deos Patrum suorum qui erant in Chaldæâ: unum Deum cæli coluerunt, &c.* Hanc sententiam secutus est *S. Augustinus* Libro 16. *De Civitate Dei*, cap. 12. *Sicut ergo*, inquit, *Scripturâ Sanctâ indicante didicimus, in regione Chaldæorum natus est Abraham: quæ terra ad Regnum pertinebat Assyriorum. Apud Chaldæos autem jam etiam tunc superstitiones impiæ prævalebant, quemadmodum per cæteras Gentes. Una igitur Tharæ domus erat, de quâ natus est Abraham, in quâ unius veri Dei cultus, & quantum credibile est, in quâ jam sola etiam Hebræa lingua remanserat; quamvis & ipsa sicut jam manifestior Dei populus in Ægypto, ita in Mesopotamiâ servisse Diis alienis, Jesu Nave narrante referatur;* Josue 24. 2.
*cæteris ex progenie illius Heber, in linguas paulatim alias, & in Nationes alias defluentibus. Proinde sicut per aquarum diluvium una domus Noë remanserat ad reparandum genus humanum; sic in diluvio multarum superstitionum per universum Mundum una remanserat domus Tharæ, in quâ custodita est plantatio Civitatis Dei.*

Tertiò, *Ur* locis laudatis Geneseos non esse nomen appellativum significans ignem, sed proprium urbis, ex eo satis liquet, quòd non solus *Abrahamus* dicatur exivisse ex *Ur*, sed cum eo *Thare, Loth*, & *Sara*, ut pergerent in Terram Chanaan. Genes. 11. vers. 31. *Tulit itaque Thare Abraham filium suum, & Loth filium Aran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in Terram Chanaan: veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi.* At quomodo *Thare* eduxit *Abram* ex igne Chaldæorum, si auctor fuit *Nembrodo* ut in ignem mitteretur, ut fingunt Hebræi? Quomodo *Sara* & *Loth* cum illo educti ex igne, quos in ignem conjectos nondum somniarunt? Accedit quòd Septuaginta Interpretes hoc Geneseos loco *Ur Chaldæorum* verterunt, *Regionem Chaldæorum*, ut ambiguitatem vocabuli tollerent. Idem confirmatur ex *Josepho* Lib. 1. *Antiquitatum*, cap. 7. *Aran relicto filio Loto, & filiabus Sarâ & Melchâ, in regione Chaldæorum est mortuus, in urbe quæ Ur Chaldæorum vocatur* ἐν πόλει οὐρη λεγομένη τῶν Χαλδαίων.

Denique *Eupolemus* vetustus Scriptor, in eâ quam de Judæis texuit Historiâ, Ætate decimâ, *Camarinæ, quæ Babyloniæ civitas est, quamque Urien nonnulli vocant, Græci Chaldæopolim interpretantur, Abrahamum natum esse tradit:* apud *Eusebium* Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ*, cap. 17.

Nec enim negotium facessit, quòd *Esdræ* 2. cap. 9. vers. 7. *Nehemias* ait, Deum eduxisse *Abraham de igne Chaldæorum*, primò enim non levis suspicio est Vulgatum Interpretem ibi, ut aliis in locis, vocabulum Hebræum *Ur* posuisse: ab aliquo deinde adjectam hujus vocabuli interpretationem, id est ignem, quæ vox demum in ipsum Textum ir-

irrepsit. Quod in nonnullis aliis Scripturæ locis factum, *Lyrani*, *Tostati*, *Cajetani*, & *Melchioris Cano* suffragiis confirmat *Pererius* Lib. 15. in *Genesim* Disputatione 15. Neque vana videtur conjectura, inquit, si enim aliis omnibus locis Latinus Interpres retinuit ipsum vocabulum Hebraicum, *Ur*, nec uspiam interpretatus est *ignem*, non fit sanè credibile uno tantùm eo loco vocem *Ur* interpretari voluisse *ignem*, præsertim cùm 70. Interpretes, & hic & ubique, *Ur* verterint, *Regionem Chaldæorum*.

Secundò responderi potest, eo *Nehemiæ* loco nomen *Ignis* proprium esse, non appellativum, idemque significare ac *Civitatem Ignis*. Urbi enim *Ur* ab igne nomen, quòd Chaldæi Ignem ceu Numen colerent, sicut Heliopolis in Ægypto appellata est, quasi *Civitas Solis*. Unde in Bibliis aliquibus hic vocem Ignis per I majusculum scribi observat Vir Eruditus, atque interdum Interpretem etyma nominum pro ipsis nominibus reddere.

Tertiò, cum iisdem & aliis Interpretibus responderi potest, nomen ignis hoc loco appellativum quidem intelligi posse, sed metaphoricè positum ac usurpatum pro persecutione & tribulatione, ut alibi sæpè in sacris Literis, *Psalmis* 16. & 63. *Abrahamus* enim gravem a Chaldæis persecutionem passus est, quòd ab eorum superstitionibus abhorreret, uniusque Dei cultorem se palam profiteretur, ut tradit *Josephus*, & *S. Augustinus* confirmat Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 13. & *Maimonides* Doctrinæ Perplexæ Lib. 3. cap. 29. ex Libro *de Agriculturâ Ægyptiorum*, scribit *Abramum, quòd Solem adorare recusaret, incarceratum fuisse; deinde bonis spoliatum a Rege, & exterminatum in Chanaan*. Quâ ex persecutione quia liberatus a Deo est, qui jussit ut e Mesopotamiâ in Chananæam migraret, ipsum eduxisse de igne Chaldæorum Deus dicitur.

Quartò denique responderi potest, Ignem ibi accipi pro Idololatriâ Chaldæorum, qui Ignem colebant, ex cujus idololatriæ periculo *Abrahamum* Deus eripuit; quod exprimit his verbis *Nehemias*, secundùm Versionem Vulgatam: *Domine Deus qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de Igne Chaldæorum*. Ita hunc nodum solvit *Estius*.

Quòd *S. Hieronymum* spectat; illam Hebræorum Traditionem non approbat, nisi ut se expediat ab intricatissimâ Quæstione de tempore nativitatis *Abrahami*. Unde subdit: *Si quis ergo huic expositioni contrarius est, quærat ipse aliam solutionem, & tunc ea, quæ a nobis dicta sunt, rectè improbabit*. Cæterùm eodem libro, paulò ante verba laudata, hanc Hebræorum Traditionem disertè fabulam appellat, explicans illa verba: *Et mortuus est Aran ante Patrem suum, in Terrâ quâ natus est, in regione Chaldæorum*. Sic enim habet: *Pro eo quod legimus*, in Regione Chaldæorum, *in Hebræo habetur*, Ur Chasdim, *id est, In igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi ex hac occasione hujusmodi fabulam: Quòd Abraham in ignem missus sit, quia Ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne profugerit; Quòd in sequentibus scribitur, Egressum esse Tharan cum Sobole suâ de Regione Chaldæorum; pro eo quod in Hebræo habetur, de incendio Chaldæorum. Et hoc esse quod nunc dicitur:* Mortuus est Aran ante conspectum *Thare* Patris sui in terrâ nativitatis suæ, in Igne Chaldæorum: *Quòd videlicet Ignem nolens adorare, igne consumptus sit*.

## CAPUT III.

*Historia Exotica hujus Ætatis exponitur.*

1. HAc secundâ Mundi Ætate Ægyptiaci Regni, Babylonici, seu Assyriaci, Sicyoniorum, Cretensis, & Sinensis initia celebrantur. Regnum Ægypti multiplex, *Thebanorum*, *Thinitarum*, *Memphitarum*, & *Inferioris Ægypti*. In eorum Dynastiis, Regumque successionibus recensendis mirabilem in modum dissentiunt Veteres, nimirum Diodorus Siculus, Herodotus, Julius Africanus, Eusebius, & Georgius Syncellus, hanc Regum seriem ex Eratosthene, & Manethone describens. *Regni Ægypti initia, & Reges.*

*Menes* in Dynastiis omnibus primus est: hic est *Mesraim* Chami filius. Regnum Thinitarum ad Libycam Nili ripam positum, per fluvium a Thebano diremptum videtur. Ejus Metropolis fuit *This* urbs antiqua, prope Abydum posita, cujus meminit *Stephanus* in Opere *De Urbibus & Populis*. Ab eâ *Nomus Thinites* nomen accepit, apud *Ptolemæum*, Lib. 4. cap. 5. Regni Thebani Regia *Thebæ*, caput Thebaidis, urbs ad Arabicam Nili ripam sita, Ptolemaicis temporibus Diospolis appellata, unde Manetho, Africanus, Eusebius hos Reges Diospolitanos appellant. Regni Memphitici & superioris Ægypti Metropolis fuit urbs Memphis, supra Delta posita, in Occidentali Nili ripâ. Inferioris Ægypti caput Heliopolis, sub Pastoribus autem Tanis, unde Reges *Tanitæ*.

*Meni*, qui toti præfuit Ægypto, successit Thebis *Athotes* ejus filius; Memphi *Tosorthrus*. Hi tres in Deorum numerum ab Ægyptiis relati sunt. *Menes* Phœnicibus est Saturnus: *Athothes* Mercurius, qui Phœnicibus *Taautes*, Ægyptiis *Thoth*. Unde *Sanchuniatho* apud *Eusebium* Lib. 1. Præparationis Evangelicæ cap. 10. *Saturnus*, inquit, *cùm in Meridiem venisset, Taautum Deum Ægypti universæ Regem creavit:* Quia scilicet *Menes Athothi* filio Regnum tradidit. Ad *Athothem* referendum quod de *Mercurio*, quem quinto loco commemorat, *Cicero* scribit Lib. 3. *De Naturâ Deorum*; quamvis hunc cum *Mercurio Arcade* confundat; *Dicitur, Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis Leges, & Literas tradidisse. Hunc Ægyptii Thoyth appellant; eodemque nomine Anni primus Mensis apud eos vocatur*. Sanchuniato apud *Eusebium* Lib. 1. *Præparationis Evangelicæ* cap. 10. *Taautum primorum in scribendo elementorum inventorem fuisse tradit, quem Ægyptii Thoor, Alexandrini Thoyth, Græci Mercurium nominarunt*. Ita quoque *Socrates* apud *Platonem* in Phædro: *Audivi*, inquit, *apud Naucratim Ægypti, quemdam fuisse priscorum Deorum, cui avis, quam Ibim vocant, sacrata est. Ipsi Deo nomen esse Theut. Hunc primum Numeros & Computationem invenisse, & Geometriam, Astronomiam, talorumque & alearum ludos etiam & Literas*. Triplicem fuisse apud Ægyptios Characterum rationem, observat *Clemens Alexandrinus* Lib. 5. Stromatum, primam ἐπιστολογραφικὴν, *hoc est aptam ad scribendas Epistolas*. Secundam *Sacerdotalem, quâ utuntur*, ἱερογραμματεῖς, *id est, qui de rebus sacris scribunt*. Ultimam, ἱερογλυφικὴν, *id est sacram, quæ insculpitur, scripturam; cujus una quidem est per prima elementa* κυριολογική, *id est propriè loquens; altera vero symbolica, est per signa significans. Symbolicæ autem una propriè loquitur per imitationem; alia verò scribitur veluti tropicè; alia verò contra sumitur allegoricè per quædam ænigmata*. Primi generis exemplum esto: *Qui Solem volunt scribere, faciunt circulum; qui Lunam, Lunæ figuram exprimunt*. Secundi: *Regum laudes Theologicis fabulis*

*lis tradunt*. Tertii autem generis, quod fit per ænigmata, hoc fit exemplum: *Alia quidem Astra propter obliquam conversionem assimilabant corporibus serpentum, Solem verò scarabæo*. Symbolicum hoc per ænigmata scribendi genus ipsi Mercurio acceptum refertur, teste *Sanchuniatone*, apud *Eusebium* Libro 1. *Præparationis Evangelicæ* cap.10. *Taautus verò*, inquit, *cùm jam ante cæli imaginem effinxisset, mox Saturni etiam atque Dagonis, cæterorumque Deorum vultus, unàque sacros elementorum characteres expressit. Quin etiam insigne Regni Saturno ejusmodi excogitavit; oculos in vultu binos, ac totidem in occipite, quorum duo placidè convenire ac nictare viderentur: alas item singulis in humeris geminas, e quibus explicatæ duæ, duæ verò contractæ ac demissæ forent. Atque oculorum symbolo significatum volebat, Saturnum & dormiendo cernere, & dormire vigilando: alarum autem, eundem & volare quiescendo, & volando quiescere: Cæteris verò Diis alas in humeris duas tantùm attribuit, quippe qui Saturnum ipsum volando sequerentur. Ad ejusdem Saturni caput alas propterea geminas affinxit, quarum altera mentis principatum, altera sentiendi vim indicaret*.

*Tosorthrus* Rex Memphiticus, ob Medicinæ peritiam consecratus, *Æsculapius* appellatus est. Ægyptius ille Æsculapius a Græco planè diversus. Græcus enim multis annis recentior est Ægyptio. Nam Clemens Alexandrinus Lib.5. Stromatum, *Herculis* & *Æsculapii* Apotheosim conjicit in annum quinquagesimum-tertium ante excidium Trojæ, & ex *Apollonio Rhodio* dicit illum cum *Jasone* navigasse.

Thebis post *Athotem* regnavit *Athotes* alter, Ερμογενης *Athotis* filius, *Menis* nepos. Huic successit *Diabies* filius φιλεταιρος, *Amicus amicorum* appellatus. Hunc excepit *Pemphos*. Sequuntur in *Eratosthenis* laterculo *Tægar Amachus Momchiri*, *Stoechus*, *Mars sine sensu* appellatus; *Gosormies*; *Mares* dictus Ηλιοδωρος, *Solis donum*, *&c.* Thinitarum Regnum post *Athotem* rexit *Cenecmes*, post hunc *Venephes*, qui Pyramides struxit in *Chochome*, ignoto Ægypti loco; *Usaphædus*, *Miebidus*, *Semempsis*, *Bieuxches*, *Boebus*, *Caachos*, *Binothris*, sub quo sancitum est, Mulieres in Regno successionis jus habere; & alii quorum nomina exhibent laterculi *Manethonis*, *Julii Africani*, *Eusebii*, *Georgii Syncelli*.

*Memphitarum* Reges memorantur post Thosorthrum, *Tyris*, *Mesochris*, *Soiphis*, *Tosertasis*, *Achis*, *Siphuris*, *Cerpheres*, *Soris*, *Suphis*, qui Pyramidem maximam erexit; & de Deorum contemplatione gloriatus, Sacrum Librum conscripsit, teste *Manethone*. Ægypto inferiori dominati sunt post Menem *Curudes*, *Aristarchus*, *Spanius*, *Serapis*, *Sesonchosis*, *Amenemes*, *Amasis*, *Acesephtres*, & alii. De Ægyptiorum Legibus, ac Moribus dicemus aliàs. Ægyptiorum Imperium annos MDCLXIII. duravisse refert in Annalibus suis *Constantinus Manasses*. Qui a tempore quo Ægyptus a *Cambyse* Rege Persarum subjugata est, retrò numerati ad illud nos perducunt, quo *Mesraim* Chami filius colonias in Ægyptum duxit.

*Regni Babylonici sive Assyriaci primordia, & Reges.*

II. Regni Babylonici sive Assyriaci fundamenta jecit, primusque Babyloniæ imperavit *Nembrodus* ut colligitur ex *Genesis* cap.10. vers.8. & 10. *Nembrod cœpit esse potens in terrâ. Fuit autem principium Regni ejus Babylon*. Et propterea cap.5. *Michææ* tota Babyloniorum regio *Terra Nembrod* appellatur. Hic est *Belus* Ethnicorum, de quo *Abydenus* apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ* capit.41. *Ferunt*, inquit, *loca hæc omnia jam inde ab initio aquis obruta fuisse, Marisque nomine appellata: Verùm suam singulis regionem Belum assignasse, Babylonemque mœnibus cinxisse, ac deinceps mortalium oculis ereptum esse*. Et *Quintus Curtius* Lib. 5. de Babylone loquens: *Semiramis*, inquit, *eam condiderat, vel, ut plerique credidere, Belus, cujus Regia ostenditur*. Idem asserit *Dorotheus Sidonius* in hæc verba a *Julio Firmico* laudatus.

*Urbs Babylon vetus, a Tyrio quæ condita Belo est*

Quamvis in eo fallatur, quòd Tyrio *Belo* tribuit opus ipsâ Tyro multò antiquius, ipsumque cum *Belo* Assyrio, id est *Nembrod* confundit. Conditæ quidem Babylonis gloriam *Semiramidi* vindicant *Ctesias*, *Theocritus*, *Diodorus*, *Strabo*, *Dionysius Periegetes*, *Trogus Pompejus*, *Mela*, *Ovidius*, *Hyginus*, *Cephalæon*, *Solinus*, *Cassiodorus*, *Lucius Ampelius*, &c. Tamen his omnibus antiquior *Herodotus*, nullum aliud opus *Semiramidi* tribuit præter aggeres, quibus Euphratem coërcuit, antea frequentiùs restagnare solitum; & *Semiramidi* Nitocrin præfert. *Berosus Lib.3. Chaldaicorum culpat Scriptores Græcos, quòd vanè existimaverint Babylonem a Semiramide Assyriâ fuisse conditam, & ab illâ miris operibus exornatam falsò scripserint*. Ita refert *Josephus* Lib.1. contra *Apionem*. Quicunque a Semiramide conditam scripserunt, unum *Ctesiam* auctorem habent *parùm fide dignum*. Sic de illo censuit *Aristoteles* Historiæ Animalium Lib.8. cap.28. *Colonias a Belo in Babyloniam deductas* scribit *Diodorus* Lib.1. Hunc *Neptuni & Libyæ filium haberi, & positâ ad Euphratem sede instituisse Sacerdotes more Ægyptiorum exemptos impensis & oneribus publicis, quos Babyloni vocant Chaldæos, qui exemplo Sacerdotum, & Physicorum, Astrologorumque in Ægypto, observant stellas*. Pausanias *Messeniac*. Pag.161. *Belus*, inquit, *Babylonius a Belo Ægyptio Libyæ filio nomen habet*. Eupolemus apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ* Babylonem ab his conditam fuisse ait, qui a Diluvio evaserunt. Denique *Herennius*, quem *Salmasius* in *Solinum* p.1227. *Philonem Biblium* esse censet, Sapientum illorum sive Sacerdotum, qui ex Ægypto Babyloniam migrarunt, *Belum Sapientissimum* appellat; ejusque filium Babylonis conditorem fuisse asserit. *Babylon*, inquit, *opus Babylonis Viri Sapientis, filii Beli Sapientissimi, non (ut Herodotus) a Semiramide condita. Urbs enim illa antiquior erat duobus annorum millibus*. Quidam ut hanc litem de Babylonis conditore componant, volunt a *Belo* incœptum opus perfecisse aut reparasse *Semiramidem*: aut *Belum* solam Acropolim, *Semiramidem* Babylonis mœnia condidisse. *Ammianus Marcellinus* Libro 28. *Babylon, cujus mœnia bitumine Semiramis struxit, Arcem enim antiquissimus Rex condidit Belus*. Orosius Lib.2. cap.6. *Babyloniam a Nembrod Gigante fundatam, a Nino vel Semiramide reparatam multi prodidere*. Qui a rebellione, quâ vel in superiores vel in pares insurrexerat, *Nembrod*, id est *Rebellis* vocatus fuerat; idem a dominio *Baal*, & *Bel*, id est *Dominus* appellari cœpit stabilito imperio. Quarum appellationum sola posterior in Chaldæorum monumentis servata est, priore obliteratâ, ut quæ Regum suorum primo contumeliosa videretur. Atque sub *Beli* nomine in Deorum numerum relatus est, *Baal* etiam, & *Baalim* interdum nominatus, & *Jupiter Belus*. Herodotus Lib.1. cap. 181. celeberrimum Babylone fuisse ait *Jovis Beli Templum æneis portis*. Sanchuniato apud *Eusebium* Lib.1. *Præparationis Evangelicæ* cap.10. Phœnicum Theologiam exponens, ait: *Solem Deum unum Cœli Moderatorem credebant, eumque propterea Beelsamen, id est, Phœnicum linguâ, Cœli Dominum, Græcâ verò Δια, hoc est, Jovem, nominabant*. Theophilus Antiochenus Libro 3. ad *Autolycum*, & Eusebius in Chronico, *Belum* Græcorum *Satur-*

*turnum* fuisse asserunt. Ejus Apotheosim ad annum 28. *Thare* patris *Abraham* refert *Eusebius*. Alii ad ipsius *Abrahami* provectam ætatem referunt. Quem Scriptores cæteri *Belum*, S. Cyrillus Alexandrinus Lib.3. contra Julianum *Arbelum* nominat. *Primus*, inquit, *regnavit in Assyriorum terrâ vir superbus & arrogans Arbelus, qui & primus hominum dicitur a subditis nomen Deitatis accepisse: Perseverarunt igitur Assyrii, & finitimæ illis Gentes sacrificantes ei, & adorantes: postea fuit Ninus Arbeli filius*. Arbelum pro *Belo* S. Cyrillus posuit.

Babylonici Regni initium anno MDCCXVII. statuitur annis LXII. post Diluvium. *Calisthenes* enim Philosophus rescribens *Aristoteli* de antiquitate rerum Chaldaicarum quærenti, dicit, Chaldæos affirmare, Babylonem ab *Alexandro* occupatam anno MDCCCCIII. ab Epochâ Babylonicâ. Occupata est autem ab *Alexandro* anno Mundi ter millesimo sexcentesimo decimo-nono. Inde verò sublatis annis mille nongentis duobus, fixum manet Babylonicæ Monarchiæ initium anno Mundi MDCCXVII. post diluvium LXII. Hujus verò durationem Imperii vario modo definiunt Auctores. Cujus varietatis causa esse videtur, quòd alius Babylonici sive Assyriaci Imperii annos inchoet a *Chusi* nativitate, ut conjicit *Capellus* ( Ideo enim annos MDXX. Assyriis tribuere potuit *Herodotus* ) Alius ab erecto Babylone Imperio, ut *Diodorus Siculus*, qui annos huic Imperio tribuit mille quadringentos: Alius a conditâ Ninive, ut *Ctesias*, qui annos MCCCLX. numerat: Alii denique ab obitu *Beli*, ut *Trogus*, & *Eusebius*, qui hanc Monarchiam annis MCCC. stetisse volunt.

*Nembrodo* seu *Belo* in Regnum successit *Ninus* ejus filius, a quo Urbem a se conditam *Niniven* appellaverat, ut colligi videtur ex cap.10. Genesis vers.2. Alii tamen ab ipso *Nino* ædificatam volunt, nempe *Diodorus Siculus*, *Eusebius*, & *S. Hieronymus* in *Osee* cap.2. *Nin* Hebraicè dicitur filius; *Nava*, *Habitatio*. Igitur Ninive est *Nini* seu *filii habitatio*. Urbem ipsam *Ninum* appellant *Strabo*, *Plinius*, *Ptolemæus*. Postremum *Nino* bellum fuit cum *Zoroastre* Rege Bactrianorum, ( Ctesias & Diodorus *Oxyartem* nominant. ) *Ninum* telo transfixum periisse, dum Urbem, quæ defecerat oppugnaret, scribit *Orosius*. Narrant alii *Semiramidem Nini* uxorem ab illo petiisse, ut quinque tantùm dies Regni jus sibi concederet; quod cùm impetrasset, maritum occidi jussit. *Ninum* primum esse Regum omnium, quorum res gestæ memoriæ proditæ sunt, scribit *Diodorus*. De *Nini* ætate Chronologi non conveniunt. Quidam *Abrahamo* coævum faciunt, *Eusebio* præeunte: alii ad tempora *Barak* & *Debbora* Judicum Israëlis, annum scilicet Mundi bis millesimum septingentesimum trigesimum septimum rejiciunt, *Herodoti* & *Arriani* calculum secuti. Hæc Chronologia minùs probabilis. Ipsis enim *Moysis* temporibus cultus *Beli* sive *Baal* jam ad Phœnices pervaserat, ut ex divinæ Legis Decretis impium illum cultum prohibentibus liquet. Multò igitur ante Mosaicam ætatem divinos honores apud Babylonios obtinuerat *Belus*; ejusque filius *Ninus* ipsi in Regnum successerat.

*Nino* successit *Semiramis*, de quâ *S. Hieronymus* in cap.2. *Osee* Ovidianum illud profert.

——————— *Ubi dicitur altam*
*Coctilibus muris cinxisse Semiramis Urbem*.

Descriptionem Babylonis a *Semiramide* amplificatæ, & magnificentissimis operibus ornatæ, lege apud *Diodorum Siculum* Lib.2. ubi & ejus expeditiones in Medos, Indosque commemorat, & furtivas voluptates, atque immanitatem in procos, quos post complexus occidi jubebat. *Magasthenes* tamen Indicarum rerum Scriptor apud *Strabonem* Libro 15. & *Arrianus* in *Indicis*, mortuam *Semiramidem* fuisse scribunt, antequam Indiam fuerit aggressa. Semiramidis nomen Syrorum linguâ sumptum a columbis, ipsamque cùm in locis desertis & petrosis Ascalone infans exposita esset, a columbis miro modo nutritam & servatam fuisse, ex *Ctesiâ* fabulatur *Diodorus Siculus* Libro 2. *Azarias* in *Meor Enaim*, cap.21. *Semiramidis* nomen derivat a voce *Zemir*, quæ cantum avium, & speciatim turturis designat. Addidit, *Semiramidem* pro vexilli signo columbam habuisse, idemque signum sibi sumpsisse omnes Assyriæ Reges. Atque inde esse quòd pro Assyriorum irâ & gladio *Jeremias* dixit, *Iram Columbæ*, & *Gladium Columbæ*, cap.25. vers.38. & cap.46. vers.16. & 50. vers.16. Quod ex *S. Thoma* & *Lyrani* Commentariis confirmatur. Quin & *Semiramidem* in Columbam fuisse mutatam fabulati sunt Assyrii, ut constat ex *Luciano*, in *Syriâ Deâ*, ex *Diodoro Siculo*, & *Athenagorâ* in Legatione pro Christianis. Quamobrem Assyrii Columbas divinis honoribus colebant. Cum alterâ Semiramide Belochi filiâ, quæ & *Atossa* nominata est, confundi non debet, quæ annis plus quingentis *Belo* posterior fuit. Totam ferè Asiam Imperio suo subjecit virilis animi fœmina, & annos 42. regnavit. Sepulta est Ninive in tumulo, quem sibi & *Nino* extruxerat in ipsâ Regiâ, alto novem stadiis, & lato decem, de quo *Antipater* Anthologiæ Lib. 4. cap.28.

*Semiramis* insidias a filio *Niniâ* sibi strui certa, & *Hammonis* Oraculo confirmata, Regnum ipsi tradidit paulò ante mortem. Omne vitę Regnique tempus in deliciis egit *Ninias*, ignavus quidem, sed politicus Princeps, qui militum ex unaquaque Provinciâ quotannis conscriptorum numero, & Ducum ac Præfectorum per annos singulos mutatione, omnes Imperii sui Provincias Urbesque in officio continuit. Assyriorum Reges reliqui *Niniæ* desidiam imitati, vitam obscurè transegerunt, ad *Sardanapalum* usque; qui tamen Assyriorum Regum postremus non fuit, cùm post ipsum *Teglatphalasar*, *Salmanasar*, *Sennacherib*, & *Assarbadon* Reges potentissimi, & Judæis infesti regnaverint, ut Historia Sacra docet Lib.4. *Regum*. Sed de his aliàs.

*Regni Sicyoniorum exordium.*

III. Hac de quâ agimus, Mundi Ætate, *Sicyoniorum* Regnum in Peloponeso conditum est anno MCCCXIII. ante primam Olympiadem, ut testatur *Eusebius* in Chronico, id est, anno Mundi millesimo nongentesimo decimo-quinto. Primus Rex *Ægialeus*, a quo Peleponesus *Ægialea* dicta est. Secundùm hunc regnarunt *Europs*, *Telchinus*, *Apis*, *Thelxion*, & alii a *Pausaniâ* in *Corinthiacis*, & ab *Africano*, & *Eusebio* memorati. Regnum illud ab *Ægialeo* usque ad *Zeuxippum* annos nongentos sexaginta & unum stetisse, *Castor Rhodius* observavit. Sunt tamen Viri Eruditi quibus suspectus sit Sicyoniorum Regum laterculus, & jure merito rejiciendus videatur. 1. Quòd *Antielides* apud *Plinium* Lib.7. *Phoroneum Inachi* filium *antiquissimum Græciæ Regem* appellet; & hunc fuisse *primum hominem* dicat *Acusilaus* apud *Clementem Alexandrinum* Lib.1. *Stromatum*. Unde & *Georgius Syncellus* in Chronico pag.68. scribit: *Nihil in Historiis Græcis continetur ante Inachum, ejusque filium Phoroneum, qui primùm regnarunt Argis*. At *Phoroneus* Regum vetustissimus non esset, si ante illum per ducentos ampliùs annos Sicyone regnatum esset. Secundò *Ægialeus* Rex primus est *Phoronei* frater, si *Apollodoro* credimus, apud quem altum est de illius successoribus silentium.

tium. Tertiò, *Apis* Rex quartus numeratur: Verùm *Æschylus* in *Supplic.* docet *Apim* non Sicyoniorum Regem, sed advenam ex Ætoliâ, regionem noxiis bestiis purgasse. Quartò, *Sicyonem* Regem decimum-nonum, a quo Urbi nomen, *Pelopis* filium fuisse tradit *Ibycus* apud *Pausaniam* Lib.2. & tamen hic *Sicyone* regnasse priùs fingitur, quàm *Pelops* Argis. Quintò, *Poliphides* Rex 24. nemini vetustiorum Græcorum, ne *Pausania* quidem, notus est. Fingunt Trojam illius tempore captam esse. Apud *Homerum* verò nullus est e Sicyone Dux contra Trojam. Urbs illa scilicet Excidii Trojani tempore sub ditione fuit *Agamemnonis*, qui regnabat Micænis. Inter ejus urbes *Homerus* recenset

*Etiam Sicyona, ubi Adrastus primùm regnavit.*

*Adrasti* meminit Marmor Arundellianum anno Attico 325.

*Regni Cretensis origo.*

IV. Regni Cretensis initia ad annum bis millesimum-tertium refert *Eusebius*, ejusque conditorem ac primum Regem fuisse ait *Cretem* indigenam, cui subjungit in suo Canone *Cydonem*, *Apteram* cui Urbem condidit, & *Lapem*; sed hos dubiæ esse fidei Viri quidam Eruditi censent, & de Regno Cretensi ante *Minoëm Primum* nihil certi haberi. Nam *Cydon*, quem inter primos Reges nominat *Eusebius*, nepos erat *Minois*, ut *Stephanus* testatur Lib. De Urbibus & populis. *Cydonia urbs Cretæ*, inquit, *quæ priùs Apollonia dicta est a Cydone filio Apollinis & Acacallidis filiæ Minois.*

*Imperii Sinensis fundatio.*

V. Hac etiam Ætate jacta sunt Sinensis Imperii fundamenta, de cujus origine, ac Imperatorum successione legi possunt P. *Martinius* S. J. *Historiæ Sinicæ* Decade primâ, & P. *Cuppletus* ejusdem Societatis, in Tabulâ Chronologicâ *Sinicæ Monarchiæ*.

IN

# IN SECUNDAM MUNDI ÆTATEM DISSERTATIONES SELECTÆ.

## DISSERTATIO I.

### De ordine Filiorum Noe; & quis ex illis sit Primogenitus?

*PROPOSITIO UNICA.*

*Japhetum ortûs principatu Semo præponendum probabilius est.*

PRobatur invicto argumento ex Historiâ sacrâ desumpto. *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad biennio post Diluvium:* Genesis 11. vers. 10. hoc est anno Mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-octavo, Ætatis *Noë* sexcentesimo secundo. Cœptum namque diluvium est anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo-sexto, ætatis *Noë* sexcentesimo. (Genesis 7. vers.2.) Porrò Noë generare cœpit anno ætatis quingentesimo, Genesis 5. vers. 32. *Noë verò cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet.* Itaque si *Sem* fratrum primogenitus sit, sequitur ipsum centenarium fuisse ineunte diluvio; at *Moyses* disertè testatur centenarium duntaxat fuisse biennio post diluvium; non est igitur filiorum *Noë* primogenitus, sed *Japhetus*. De *Chamo* enim nulla controversia est, cùm natu minimus expressè dicatur, Genesis 9. vers.24. *Evigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, &c.* quæ verba quamvis ad *Chanaan* filium *Cham*, *Theodoretus* & *Procopius Gazæus* referant, ad *Chamum* tamen ipsum pertinere constabit, si cum Versu 22. conferantur, cujus hæc sunt verba: *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.*

Huic argumento, quo Hebræi, & ex Catholicis Interpretibus *Nicolaus Lyranus* & *Alphonsus Tostatus*, ad propugnandam *Japheti* primogenituram utuntur, respondet *Cajetanus*: Scripturam non dicere *Sem*, cùm esset centum annorum, genuisse *Arphaxad*; sed esse duas orationes conjunctione interjectâ; Alteram habere; *Sem filius centum annorum*, Hebræo more subintelligendo verbum substantivum, *erat*: Alteram; *Et genuit Arphaxad duobus annis post diluvium.* Addit, certum non esse, an *Sem* fuerit centum præcisè annorum biennio post diluvium: Intelligi enim posse eum fuisse genitum anno secundo post quingentesimum *Noë* annum, ut sic biennio post diluvium, non excesserit ille ætatem centum annorum. Posse quoque intelligi fuisse eum genitum illo ipso quingentesimo anno *Noë*, & ob id biennio post diluvium, cùm genuit filium Arphaxad, fuisse centum & duorum annorum. Scripturam scilicet oppositum non dicere; imò addendo biennium post diluvium ad centum annos *Sem*, innuere eum duos supra centum annos fuisse natum, cùm procreavit *Arphaxad*.

Erroneum *Cajetani* effugium meritò refellunt Viri Eruditi. Nam si ejus commento fides, sic interpungendus erit ille Scripturæ locus de Semi ætate cùm genuit *Arphaxad*, ut illa sententia duas orationes complectatur: *Sem filius centum annorum; & genuit Arphaxad duobus annis post diluvium.* At distinctionem ejusmodi, & interpunctionem verborum illorum cùm Græca Translatio, tum Vulgata nostra excludunt. Sic enim eo loci habet Vulgata: *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium:* Quibus verbis perspicuè declaratur & *Sem* fuisse centum annorum biennio post diluvium, & eo ipso tempore genitum ab eo fuisse *Arphaxad*. Præterea falsum est, quod tam confidenter asserit *Cajetanus*, Scripturam eo loci non negare *Sem*, cùm genuit *Arphaxad* fuisse centum & duorum annorum. Quomodo enim illud non negat, siquidem expressè asserit eum fuisse centum annorum, quando genuit *Arphaxad*, id est biennio post diluvium

vium: Nam biennium illud ad centum annos *Sem* inscitè adjungitur, quod ad diluvium referendum est, post quod exacto biennio, *Sem* genuit *Arphaxad*.

Aliam a *Cajetano* viam init *Pererius*, ac respondet; Vel *Noë* non cœpisse generare quingentesimo ætatis suæ anno præcisè, sed quingentesimo secundo, eoque ipso anno genitum esse *Sem*, ob idque biennio post diluvium fuisse centum annorum: Vel *Sem* secundo anno post diluvium, cùm genuit *Arphaxad*, non fuisse centum annorum præcisè, sed centum, & duorum. Morem enim esse Divinæ Scripturæ, parvis ac minutis numeris tacitis ac prætermissis, maximum & integrum numerum dumtaxat commemorare.

Verùm nihilo melior est responsio *Pererii*. Quomodo enim Mosaicæ hujus Historiæ & Chronologiæ veritas stare potest, *Noë verò cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet*, nisi anno quingentesimo ætatis generare cœperit, & aliquem ex illis genuerit? Præterea cùm *Moyses* generationes Patriarcharum ante & post diluvium recensens parvos, ac minutos numeros non prætermittat, sed accuratè commemoret, ne incerta sit Chronologiæ sacræ ratio; non est cur duos annos prætermisisse fingatur in consignando tempore *παιδογονιας Semi*. Favet Quintus Julius Hilario, in Libello *De Duratione Mundi*, ita scribens: *Quia anni Sem nonaginta-octo in consummatione Diluvii completi sunt; duo scilicet anni ad rationem summæ, quam post Diluvium designavimus, necessarii sunt. Ipse enim Sem biennio post Diluvium fuit annorum centum, & sic genuit Arphaxad: Quos annos duos descriptores hujus rationis in numerum annorum non posuerunt, quomodo eos minimè praviderunt.*

Objicies, *Sem* inter filios *Noë* primum ubique recenseri, scilicet Genesis 5. vers. 31. *Noë cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Japhet*. Genesis 9. vers. 18. *Erant ergo filii Noë qui egressi sunt de Arcâ, Sem, Cham, & Japhet*. Genesis 10. vers. 1. *Hæ sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Japhet*. Et Lib. 1. Paralipomenon cap. 1. vers. 4. *Noë, Sem, Cham, & Japhet*. Itaque probabilius est *Semum* fuisse primogenitum.

Confirmatur ex versu 21. capitis 10. ubi disertè asseritur, *Sem* fuisse maximum filiorum Noë *De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japhete Majore*. Accedit quòd *Noë* priùs benedixit *Semo* quàm *Japheto*. (Genesis 9. vers. 26.)

Respondetur, quòd prior inter fratres nominetur *Semus*, non spectari ordinem naturæ, sed gratiæ. Hunc nempe Deus patrem esse voluit non tantùm filiorum *Heber*, sed etiam filiorum *Israël*, imò & patrem familiæ ex quâ nasciturus erat Messias. Simile quid in aliis Scripturæ Sacræ locis animadvertimus. Nam *Isaac* ante *Ismaelem*, *Jacob* ante *Esau*, *Judas* etiam ante cæteros fratres interdum nominatur, non ob ortûs principatum, sed ratione electionis & dignitatis: & in ipsis, quæ objiciuntur, locis, *Cham* secundus filiorum *Noë* recensetur, quem tamen minimum fuisse certum est. Atque ob hunc dignitatis, electionisque ordinem *Semum* in paternâ benedictione cæteris fratribus præpositum probabile est. Unde *Pererius* Libro 14. in Genesim, ad versum 26. capitis noni, Num. 185. varias causas ob quas *Noë Semo* benedixisse ante *Japhetum* dici posset, problematicè hunc in modum proponit. *Cur priùs benedixit Sem quàm Japhet? An quia ille primogenitus erat? An quòd sanctimoniâ & prudentiâ morumque gravitate præstaret, & idcirco patri Deoque charissimus esset? An quòd ipse vehementiùs objurgasset Cham, auctorque fuisset Japheto id erga patrem faciendi, quod factum ab illis esse legimus? An potiùs propter excellentiam posteritatis ejus, in quâ futuri erant Patriarcha, Reges, Propheta, & quod super omnia est, Messias ipse?* Rationem aliam non improbabilem addit *Usserius*, Chronologiæ Sacræ cap. 4. scilicet Benedictionem *Japheti* fundatam fuisse in Benedictione *Semi*, nec nisi illâ priùs propositâ hanc omnino intelligi potuisse. *Dilatet Deus Japhet & habitet in Tabernaculis Sem*. Genesis 9. vers. 27. Neque prætermittenda est S. *Ambrosii* Observatio Libro *De Noë & Arcâ*, cap. 11. *Ubi generantur, hunc ordinem esse*, ut *Sem* primo loco recenseatur, *ubi autem generant, Japhet primo loco scribi*: & re verâ *Genesis* 10. & 1. *Paralipomenon* 1. ubi filiorum *Noë* generationes describuntur, *Japheti* progenies primo loco recensetur, *Semi* tertio, ut conjicere liceat posteriorem hunc geniture ordinem esse, priorem dignitatis & gratiæ. Atque retrograda illa ordinis inversio sic respondet aptissimè ejusdem generis loco illi alteri Genesis 11. vers. 26. ubi *Thare* genuisse dicitur *Abrahamum*, *Nachorem*, & *Haranem*; cùm naturalis generationis ordo *Haranem*, *Nachorem*, & *Abrahamum* poni postulet.

Ad confirmationem respondetur, Ex versu illo 21. decimi Capitis Geneseos colligi certò non posse, uter fuerit natu major inter filios *Noë*, *Semus* an *Japhetus*, propter Hebraici Textûs ambiguitatem, in quo legitur *Haggadol*, & illud quidem *ha* articulus est emphasim habens apud Hebræos, sicut etiam apud Græcos. *Gadol* autem significat *magnum*, non autem *majorem*, quia carent Hebræi comparativis, & ad excessum comparationis declarandum utuntur præpositione cum pronomine. Cæterùm quia *το gadol*, id est *magnus*, indeclinabile est, quòd Hebræi casibus careant, vel in ablativo casu accipi potest, & referri ad *Sem*, vel in genitivo, & referri ad *Japhet*. Et ut primo modo reddit Editio Vulgata Latina; *fratre Japhet majore*; sic altera Editio Græca 70. Interpretum, *αδελφω Ιαφεθ τȣ μειζονος*, *fratri Japhet majoris*. Licèt enim S. *Augustinus* Libro 16. *De Civitate Dei*, cap. 3. *majore*, in Latino suo Codice hìc vel legerit, vel legendum putaverit; in Græco tamen, eodem quo hodie modo, *τȣ μειζονος*, lectum fuisse, ex S. *Chrysostomo* Sermone 29. in Genesim manifestum est, & Codices omnes Græci habent *και τω Σημ εγεννηθη και αυτω, πατρι παντων των υιων Εβερ, αδελφω Ιαφεθ τȣ μειζονος*. *Et Sem natus est etiam ipsi, Patri omnium filiorum Heber, fratri Japhet majoris*. Ita & Targum Onkelos: *Et de Sem nati sunt ipso quoque Patre omnium filiorum Heber, fratre Japhet majoris*. Contra verò Textûs Samaritani Translatio Latina cum Vulgatâ nostrâ consentit, & sic habet: *Et Semo natum est etiam: Ipse Pater fuit omnium filiorum Heber, frater Japheti major*. Ita & Syriaca: *Sem generavit, ipse quoque Pater omnium filiorum Heber, frater Japhet major*. Ita & Arabica: *Nati sunt etiam filii Samo, qui est pater omnium filiorum Aber, & frater Japhet major natu*. Porrò in tantâ Versionum varietate nihil certi ex Hebraico Textu colligi potest, quo *Semum* ortûs principatu *Japheto* præponendum probetur. Adde quòd Vulgatus Interpres *Semum* fratrem *Japhet* majorem dignitate & gratiâ intelligere & dicere potuit, non naturâ & nativitatis ordine: atque sic intellexisse multò probabilius est, siquidem aliàs Chronologia sacra ex Hebræo ab ipsomet expressa, quoad annum *παιδογονιας Semi* stare non posset.

Non ignoro *Pseudo-Clementem* Lib. 1. Recognitionum, S. *Epiphanium* Lib. 1. adversùs Hæreses c. 4. S. *Joannem Chrysostomum* Sermone 29. in Genesim, S. *Ambrosium* Lib. De Noë & Arcâ, S. *Augustinum* Lib. 16. De Civitate Dei, cap. 3. *Semum* primo loco collocare, sed ex eo recensendi ordine colligi non potest ipsos existimasse primogenitum fuisse *Semum*. Ordinem enim Scripturæ secuti sunt, de ortûs principatu cuinam deferendus esset, nihil pleri-

plerique pronuntiarunt, præter *S. Augustinum*, qui cùm in suo Codice Latinæ Vesionis ex 70. Interpretum Translatione expressæ legeret, *fratre Japhet majore*, primogenituræ prærogativam *Semo* deferendam inde judicavit. Sed in hujusmodi Quæstionibus, quæ summam fidei non spectant, a *S. Augustino* vel quibusdam aliis Patribus discedere religio non prohibet, salvâ quæ tantis nominibus debetur reverentiâ, cùm eorum opinionem Scripturæ sacræ repugnare ostenditur.

Objicit *Pererius*: Quæ hìc narrat *Moses* de *Sem*, ad commendandam ejus excellentiam dignitatis omnino pertinent, ut quòd ipse pater fuerit omnium filiorum *Heber*, id est populi Hebræi, & tot tantorumque virorum qui in eo populo claruerunt. Ergo quod subdit, Ipsum fuisse *fratrem Japhet majorem*, ad ejusdem spectat commendationem. Quorsum enim hoc loco *Moses* dignitatem *Sem* significans, dixisset illum fuisse *fratrem Japhet majoris ipso?*

Respondetur, Argumentum supponere, quod planè incertum est, quæ de *Semo* hìc a *Mose* narrantur, encomiastico, & non merè historico modo ab eo narrari: aut si commendationis aliquid hìc ille spectaverit, *Semi* potiùs dignitatem a Populi Hebræi præstantiâ, an Populi sui Hebræi dignitatem a *Semi* patris excellentiâ æstimandam illum voluisse, ex quorum neutro erit consequens in altero membro, quod ætatis *Semi* & *Japheti* collationem continet, aliud fuisse spectatum, quàm simplicem historicæ veritatis enarrationem. Ita respondet *Usserius*.

## DISSERTATIO II.

### De Noachidarum Præceptis.

I. NOachidas vocant Hebræi, id est, *Noë* filios, Gentes omnes ab Hebræâ distinctas: *Præcepta* verò *Noachidarum*, Juris Naturalis præscripta quibus homines adstringuntur universi, & quibus solis cæteræ Gentes tenentur Dei mandatis; cùm Hebræi ut peculiaris Dei Populus præcepta etiam peculiaria a Deo per *Moysem* tradita, & in Mosaicâ Lege scripta sibi vendicent. Juris autem naturalis capita alia majora atque illustriora, alia minora seu obscuriora commemorant. Majora atque illustriora septenario numero complectuntur. Duo supremi Numinis cultum & honorem; quatuor hominum inter se convictum moresque spectant. Septimum crudelitatem erga alia animalia prohibet. Hoc ordine recenseri plerumque solent.

*I. De Cultu extraneo.*

*II. De Maledictione Nominis Sanctissimi.*

*III. De effusione Sanguinis*, seu *Homicidio*.

*IV. De Revelatione Turpitudinum*, seu *illicito concubitu*.

*V. De Furto ac Rapinâ.*

*VI. De Judiciis*, seu *Regimine Forensi ac Obedientiâ Civili*.

*VII. De Membro animalis viventis non comedendo.*

Priora sex in ipsis rerum initiis homini a Deo imperata esse ajunt, velut *primordialem legem*, *& matricem omnium præceptorum Dei*, quemadmodum ea, quæ primis Parentibus a Deo præscripta sunt, vocat *Tertullianus* Lib. *Adversùs Judæos* cap. 11. Septimum ad *Noachi* tempus revocant, cui & universis in illo hominibus prohibuit Deus, ne *carnem cum sanguine* comederent. (*Genesis* 9. vers. 4.) Hæc recensentur in *Beresith Rabba, Parasch* 34. a *Maimonide* in *Halach Melakim*, cap. 9. R. *Jehuda Ben Samuel* in *Sepher Cozri* Part. 3. §. 73. & aliis Hebræorum Magistris. Ad horum Capitum professionem a Judæis adigebantur *Proselyti Domicilii*, non *Proselyti Justitiæ*. Proselytos Domicilii vocant, qui ex Gentibus ad incolatum seu pacem in territoriis Israëliticæ ditionis fruendam admittebantur, citra Judaismi professionem. Proselytos verò Justitiæ, qui Circumcisione & Judaico baptismate initiati, & ad Populum Hebræum aggregati, Mosaicam Legem, Ritusque Judaicos profitebantur. Minorum seu obscuriorum Juris Naturalis capitum numerus neque omnino certus, neque adeò certæ semper de eis apud Hebræos sententiæ. Horum genus duplex est; alterum eorum quæ majoribus atque illustrioribus sive ut prævia atque antecedentia, sive ut consequentia commiscentur, quemadmodum propagationis generis humani, & contractûs matrimonialis jura cum præcepto de Revelatione Turpitudinum: Dominii, atque obligationis, promissionisque circa illud versantis jus in Furti interdicto: Pœnarum modus in Judiciis, & cætera, quæ Talmudici *Appendices* vocant septem illustriorum ac majorum Præceptorum. Alterum genus eorum est, quæ universis quidem hominibus ab Auctore naturæ Deo data sunt, & in ipsis mentibus insculpta, ut parentum honor: ad eorum nihilominus observationem pœnâ civili Gentiles in ditionis suæ territoriis commorantes non adigebant Israëlitæ, sed tantùm suadebant. De his omnibus fusè *Seldenus* in Libris *De Jure Naturæ & Gentium juxta Disciplinam Hebræorum*.

II. *Cultûs extranei* nomine, Idololatria, & quodvis superstitionis, & sacrilegii genus intelligitur. Quæ naturæ lege ita prohibita sunt, ut nulla in his ignorantia homines a peccato excusare valeat: immò ignorantia omnis hujus capitis atque officii peccatum simul fit ac pœna peccati. Ut enim docet Apostolus ad Romanos 1. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in justitiâ detinent: Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creaturâ Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Et ad Ephesios 4. vers. 17. *Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vitâ Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Unde & Psalmo 78. vers. 6. Rex Vates ita Deum compellat: *Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt; & in Regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Atque ut disertè ait *Tertullianus* Apologetici 17. *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.*

Cultûs extranei interdictum Ægyptiis commune cum Hebræis fuit, sed nomine tenus, significatione planè diversâ. Ægyptii enim cultûs extranei nomine Ritus omnes a Majoribus non traditos execrabantur; Hebræi omnem idololatriam, ac superstitionem quâ divinus honor creaturis tribuitur. Ægyptii Deos adorabant, alios cælestes & æternos, ut vocabant, alios terrestres & mortales, ut *Diodorus Siculus* exponit; cælestes, scilicet Solem, Lunam, Spiritum, Ignem, Terram, Ocea-

num, Aërem; Terrestres, propter animi solertiam, & beneficentiam, immortalitatem adeptos, ut *Osiridem*, *Isidem*, &c. ac præterea diversi generis animalia, boves, hircos, feles, crocodilos, &c. Hebræi unum Deum cæli & terræ Creatorem ac Moderatorem supremum colebant, quem pariter colebant e Gentibus viri pii & fideles. Nationis utriusque in Religione discrimen expressit *Tacitus* lib.5. Historiæ his verbis: *Corpora condere, quàm cremare, e more Ægyptio; eademque cura, & de infernis persuasio: cęlestium contrâ. Ægyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur: Judæi mente solâ, unumque Numen intelligunt, profanos qui Deûm imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Itaque nulla simulacra urbibus suis, nedum Templis sunt.*

*Marshamus refellitur.*

At (inquit Marshamus) *Ægyptii per Nomorum suorum animalia, venerabantur Dei in res omnes potestatem, quam singuli Deorum declararunt*, (ut loquitur *Porphyrius* Lib.1.5. *De Abstinentiâ* §.9. idemque testatur *Maimonides* de Idololatris in *More Nevochim*, Part.1.cap.36.) *Nemo* (inquit) *eâ sententiâ cultu extraneo utitur, ac si aliud non esset Numen præter id quod colit. Neque enim cuipiam in mentem venit, statuam ex metallo, saxo, ligno confictam, esse ipsum cæli, terręque Creatorem, & Gubernatorem, sed ita colunt, quatenus rei alicujus imaginem induit, quæ velut intermedia sit inter ipsos & Deum.*

Verùm etsi ita se habuisset Ægyptiorum Theologia, etsi ea mens fuisset eorum, qui apud ipsos Sapientes & Prophetæ audiebant, ipsorum tamen Ritus ac Religionem omnem extranei cultûs omnibus naturæ Jure prohibiti nomine non fuisse execrandam minimè probarent, siquidem cultum uni Deo debitum creaturis tribuebant, illasque pro *Diis* saltem *Medioxumis* habebant ut ipse *Marshamus* fatetur. Quod verò *Maimonides* ait, Spiritûs Sancti refellitur oraculo, Sapientiæ 14. *Per manus autem quod fit Idolum*, inquit, *maledictum est, & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est... Acerbo luctu dolens pater, citò rapti filii fecit imaginem; & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniquâ consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, e longinquo figurâ allatâ, evidentem imaginem Regis quem honorare volebant, fecerunt: ut illum qui aberat, tanquan præsentem colerent suâ solicitudine. Provexit autem ad horum culturam & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia.... Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines, Incommunicabile Nomen lapidibus & lignis imposuerunt.*

*Supposititii Mercurii Libri.*

Opponitur etiam *Marshamo* locus ille *Mercurii Trismegisti* in *Asclepio*, a *S. Augustino* laudatus Libro 8. *De Civitate Dei*, cap.23. *Et quoniam*, inquit, *de cognatione & consortio hominum Deorumque nobis indicitur sermo, potestatem hominis, o Asclepi, vimque cognosce. Dominus*, inquit, *& Pater, vel quod est summum, Deus, ut effector est Deorum Cælestium, ita homo fictor est Deorum qui in Templis sunt humanâ proximitate contenti... Ita humanitas semper memor naturæ & originis suę in illâ divinitatis imitatione perseverat; ut sicuti Pater ac Dominus, ut sui similes essent, Deos fecit Æternos, ita humanitas Deos suos ex sui vultûs similitudine figuraret.* Hìc cùm *Asclepius*, ad quem maximè loquebatur, ei respondisset, atque dixisset, *Statuas dicis, o Trismegiste?* Tum ille: *Statuas*, inquit, *o Asclepi, videsne quatenus tu ipse diffidas? Statuas animatas sensu & spiritu plenas, tantaque facientes & talia, Statuas futurorum præscias, eâque sorte, Vate, somniis, multisque aliis rebus prædicentes; imbecillitates hominibus facientes, easque curantes, tristitiam lætitiamque pro meritis. An ignoras, o Asclepi, quòd Ægyptus imago sit Cæli; aut quod est verius, translatio aut descensio omnium quæ gubernantur atque exercentur in Cælo; ac si dicendum est, veriùs, Terra nostra Mundi totius est Templum? Et tamen quoniam præscire cuncta Prudentem decet, istud vos ignorare fas non est: Futurum tempus est quo appareat Ægyptios incassum piâ mente Divinitatem sedulâ religione servasse, & omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur.*

Refellitur præterea *Marshamus* ex *Clementis Alexandrini* loco, Lib.6. *Stromatum*, quem ipse profert pag.241. *Ægyptii*, inquit, *peculiarem quamdam Philosophiam exercent: illam maximè ostendit sacra eorum processio. Primus enim procedit Cantor, ex Musica symbolis unum aliquod gestans. Dicunt illum ex Libris Mercurii duos accipere debere; quorum unus Hymnos Deorum, alter Regiæ vitæ rationes continet. Post Cantorem procedit Horoscopus, in manu habens horologium & palmam, Astrologiæ symbola. Hunc oportet semper in ore habere Astrologicos Mercurii Libros, qui sunt quatuor... Deinceps progreditur Scriba Sacrorum, pennam habens in capite, & in manibus Librum, ac regulam, in quâ est & atramentum ad scribendum, & juncus quo scribunt. Illum oportet scire, quæ Hieroglyfica vocantur, & Cosmographiam, & Geographiam, & ordinem Solis & Lunæ & quinque Planetarum, & Chorographiam Ægypti, & Descriptionem Nili, & Descriptionem apparatûs sacrorum, locorumque eis consecratorum, & Mensuras, & quæcunque in sacris sunt necessaria. Prædictos sequitur Stolistes, cubitum justitiæ tenens, & Calicem ad libandum. Hic omnia noscit quæ ad disciplinam pertinent, & victimarum sigillationem. Sunt autem* 10. (Libri) *qui ad Deorum suorum honorem pertinent, & Religionem Ægyptiacam continent, nempe de sacrificiis, de primitiis, de hymnis, de precibus, de pompis, de diebus festis, & ejusmodi. Post omnes prodit Propheta, hydriam apertè gerens in sinu, quem sequuntur qui panes emissarios portant. Hic, ut pręfectus sacrorum, Libros* 10. *ediscit, qui Sacerdotales vocantur; nempe de Legibus, de Diis, & de universâ Sacerdotum disciplinâ.*

III. Secundum *Noachidarum Præceptum* vetat *Maledictionem Nominis Sanctissimi*, sive Blasphemiam, a quâ abstinendum naturæ lex Gentes omnes docuit. *Hermippus* in Vitâ *Pythagoræ*, scitis quibusdam istius Sectæ hoc adjicit, *Ab omni abstinere blasphemiâ*. Hinc illud *Socratis* apud *Platonem* in Philebo: *Reverentia verò mihi semper erga Deorum nomina est, non humana quadam, sed maximum quemque timorem exsuperans.* Hinc pręclarum illud *Platonis* Monitum Libro 11. De Legibus: *Æquum profectò est Deorum nomina non facilè inquinare, nec ea huc atque illuc devolvere: sed omnia, quæ ad Deos pertinent purè castèque servare.* Plutarchus in *Quæstionibus*, dictum aliquod ex Platonis *Theæteto* celebrans, non joco illud ab eo prolatum hinc probat, quòd nominis in eo divini meminisset. *Neque enim*, inquit, *adhibuisset Dei nomen dicto non serio.*

IV. Tertium *Noachidarum Præceptum* effusionem

nem sanguinis, sive *homicidium* prohibet: quod præceptum *Genesis* 9. instauratur his verbis: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri & fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Hugo Grotius *Annotationibus in Genesis* 9. & Lib.1. *De Jure Belli & Pacis*, cap. 2. §. 5. & Lib.2. cap.20. §.8. Jus talionis his verbis indicari perperam asserit, quod aucto humano genere, & in gentes distributo, meritò solis Judicibus permissum est. Errat sanè Vir Eruditus. Nunquam enim cuiquam mortalium licuit privatâ auctoritate alium punire, vel illatas sibi injurias vindicare, ut Deus ipse testatur *Deuteronomii* 32. 35. *Roman.*12. 19. *Mihi*, inquit, *vindicta; ego retribuam*. Præcepto etiam divino, *Non occides*, quod Supremus Legislator omnium hominum cordibus inscripsit, doctrina illa *Grotii* palam adversatur. Hujus enim præcepti non hic solummodo sensus est, neminem innocentem occidendum esse, sed ne reos quidem occidendos esse ab iis, quibus Deus, vel Magistratus, peculiari Præcepto ultionem non mandavit. Eam autem Legem non occidendi quemquam privato ausu, hominum cordibus impressam, Deus confirmavit, his verbis *Cainum* fratricidam compellans, Genesis 4. 15. *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Consule quæ de Lege Talionis habet *S. Augustinus* Libro 13. contra *Faustum*, cap.25.

V. Quartum Noachidarum Præceptum spectat *Revelationem turpitudinum*, seu concubitum illicitum. Connubia certè fratrum cum sororibus tam uterinis quàm germanis a Gentibus penè omnibus incestuosa habita sunt. Ægyptios, *præter communem aliorum hominum morem*, cum sororibus matrimonium inire solitos, *Diodorus Siculus* observat Lib.1. Plato Lib.8. *De Legibus* talia conjugia vocat *nequaquam sancta, sed Deo invisa*. Scripsit Seneca: *Matrimonia Deorum jungimus, & ne piè quidem, fratrum scilicet & sororum*. Ovidius Metamorphoseon Lib.9.

——— *Dii nempe suas habuere Sorores;*
*Ut Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit:*
*Oceanus Tethin, Junonem Rector Olympi.*

*Philo Judæus* Libro *De Legibus specialibus*, *ad sextum & septimum Decalogi Præceptum*, eâ de re ita disserit: *Deinceps præcipitur ne sororem quidem esse ducendam. Honestum sanè præceptum, atque aptum continentiæ. Quamvis Atheniensis Solon hoc observat in uterinis tantùm sororibus eodem patre prognatis relinqui liberum. Contrà Lacedæmoniorum Legislator uterinis non interdicit connubio, sed solis eodem patre genitis. At Ægyptius ridens utriusque simplicitatem & semiperfecta placita, laxavit libidinem, & auxit in corporibus animisque insanabile malum intemperantiæ, permissâ licentiâ ducendi sorores, sive per alterutrum parentem, sive per utrumque cognatas, majores pariter & minores, æqualesve, ne gemellis quidem exceptis, quas natura ipso natali sejunxit, intemperantia verò societate copulavit insatiabili, & malè copulatâ juncturâ. Quas leges abominatus Moses ut alienissimas a bene constitutâ Republicâ, & incitantes ad omnem turpitudinem, modis omnibus prohibuit congressum cum sororibus, utrumque sive alterum tantùm parentem communem habentibus.*

Apud Persas serò Cambysis exemplo introducta sunt sororum conjugia. Responderunt ei Jurisconsulti; *Nullam se invenire Legem, quæ sororem fratri nubere sinat*. Ita refert *Herodotus* Lib. 3. cap.31. *Persæ verò, & inter eos potissimùm, qui sapientiam profiteri videntur, Magi cum Matribus matrimonia contrahunt*, ut refert *Sextus Empir. Pyrrh.* Lib.3. cap.24. Hinc illud *Catulli* Epig.91.

*Nam Magus ex matre & gnato nascatur oportet.*

*Antiochus Soter Stratonicem* Novercam deperiens, exemplo execrando illam a patre in uxorem accepit. Hæ aliæque turpitudines, & libidinum furiæ in corpora, in sexus, nec non adulterium, & fornicatio, Noachidarum jure, seu lege naturali prohibitæ sunt. Quæ cùm apud Gentes obscurata esset, quas *tradiderat Deus in desideria cordis earum, in immunditiam; ut contumeliis afficerent corpora sua in semetipsis*, ut ait Apostolus *ad Romanos* 1. De quibus ibidem subdit, *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum commutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Cùm (inquam) apud Ethnicos plerosque lex illa de revelatione turpitudinum, seu de concubitu illicito, obscurata esset, illam Deus instauravit *Levit.*18. Dixi, apud Etnichos plerosque legem illam fuisse obscuratam. Nam conjugia & commixtionem cum matre, filiâ vel sorore pro illicitis ac nefariis, ex ipsis Græciæ moribus habita fuisse constat ex *Ocello Lucano* Pythagorico Philosopho, Lib.2. Περι της παντος φυσεως c.4. *Oportet etiam*, inquit, *instituere hujusmodi mores, qui in Græcis Civitatibus legitimi ac recepti sunt, nimirum neutiquam cum matre, filiâ, aut sorore concumbere.* Quod *Jamblichus* in *Vitâ Pythagoræ* cap.31. confirmat; & *Euripides* in Andromache. *Hujusmodi est*, inquit, *omne barbaricum genus. Pater enim filiæ, & filius matri miscetur; soror item fratri; & per cædem charissimi vadunt.* Et *Simplicius* Commentar. ad Epicteti cap.47. *Jam cùm Lex & consuetudo sororis & fratris consuetudine interdicat: appetitiones non secus ac ab ipsius naturæ imperio suppressæ, ita prorsus sunt immobiles, nisi fortè aliquos furoris intemperies & diræ scelerum ultrices agitarint.*

VI. Quintum *Noachidarum Præceptum* furto & rapinâ interdicit. Præceptum istud omnium hominum animis a naturæ Auctore inditum est. *Furtum naturali lege prohibitum est admittere*, ait *Paulus Jurisconsultus* L. 1. D. *De furtis*. Et *Ulpianus* L. *Probrum*. D. De verborum significatione: *Furtum*, inquit, *& adulterium naturâ turpe est.* Euripides:

*Namque odit ipse vim Deus: nec divites*
*Nos esse rapto, sed probè partis cupit.*
*Spernenda, si non jure veniat, copia est.*
*Communis æther hominibus, tellus quoque,*
*In quâ ampliare cuique sic fas est domum,*
*Ut ab alienis rebus ac vi temperet.*

Soli Ægyptii circa furtum legem habuerunt perquam singularem, teste *Diodoro Siculo* Lib.1. Apud eos scilicet sodalitium aliquod furum institutum erat, cujus εργασια & quasi *opificium* erat furari. Integrum cuique erat, modò vellet, ei se sodalitio & opificio addicere; eâ lege ut *Nomen suum profiteretur apud Principem furum*, sponderetque rem furto surreptam protinus ad illum delaturum. Furti autem manifestus non modò nullâ pœnâ plectebatur, sed *quarta pars pretii* ipsi jubente lege cedebat, nonnisi tribus partibus justo possessori sua repetenti redditis.

VII. Sextum *Noachidarum præceptum* Judicia spectat, seu regimen forense, & obedientiam civilem, quæ naturâ magistrâ, seu naturæ potiùs au-

Auctore instituta est, ut ordo inter homines servaretur. De his plura *Seldenus* ex Hebræorum Commentariis.

VIII. Septimum *Noachidarum Praeceptum* de membro animalis viventis non comedendo, post diluvium accessisse docent Hebræi, idque his verbis interdictum volunt, Genesis 9. 3. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.* At Noachidis, seu Gentibus cæteris ab Hebræâ, vetitum non fuisse sanguinis esum, colligitur ex Deuteronomii 14. *Quicquid morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei, quia tu Populus sanctus Domini Dei tui es.* Carnem tantummodo ab animali vivente discerptam prohibitam Gentibus volunt, veluti exsectos agni testiculos, quia id signum est crudelitatis. Crudarum carnium esum Ethnicis olim in Bacchanalibus solemnem ipsis exprobat *Clemens Alexandrinus*, in Protreptico. *Bacchi*, inquit, *orgiis celebrant Dionysium Manolem, crudarum carnium esu sacram insaniam agentes; & cæsarum carnium divulsionem peragunt coronati serpentibus.* De iisdem *Arnobius* Lib.5. contra Gentes: *Caprorum*, inquit, *reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis.*

IX. Priorum sex Præceptorum vestigia extant in Libro *Job* ante Legem Mosaicam conscripto. 1. De cultu extraneo cap. 31. 26. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum Altissimum.* 2. De blasphemiâ cap.1. 5. *Cùmque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* 3. De homicidio cap.31. 29. *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, & exultavi quòd invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* 4. De adulterio, ibidem vers.9. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum. Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.* Et cap.24. *Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum. Perfodit in tenebris domos sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant. Levis est super faciem aquæ: maledicta sit pars ejus in terrâ, nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius. Obliviscatur ejus misericordia: dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.* Et cap.31. vers.1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* 5. De furto ibidem: *Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges & paverunt eos. Asinos pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bovem viduæ. Subverterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ... Agrum suum non demetunt: & vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore... Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperum spoliaverunt. Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamavit, & Deus inultum abire non patitur. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem: per noctem verò erit quasi fur.* Et cap.31. 7. *Si declinavit gressus meus de viâ, & si secutum est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula. Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.* 6. De judiciis cap.27. *Quando procedebam ad portam civitatis, & in plateâ parabant cathedram mihi: Videbant me Juvenes & abscondebantur, & Senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo... Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor Viduæ consolatus sum. Justitiâ indutus sum: & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram Pauperum: causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

# DISSERTATIO III.

## De Noachi Ebrietate, & Propheticâ Filiorum Benedictione.

---

### PROPOSITIO I.

*Ebrietas Noë non solùm innoxia, sed & mystica fuit.*

I. PRimam Propositionis partem id probat, quòd Noë ex ignorantiâ, & inexperientiâ, non ex intemperantiâ peccaverit. Cùm enim antea vinum nunquam bibisset, nec alium quemquam bibentem vidisset, utpotè qui primus vineam plantavit & coluit, vini potentiam, & mensuram quâ bibendum esset, ignorabat. Quamobrem ipsum a peccato Viri maximi excusant, scilicet *S. Chrysostomus* Homiliâ 20. in Genesim, cujus hæc sunt verba: *Verisimile est*, inquit, *quòd antea & ab initio fuerit in sex illis diebus vinea creata, & quando vidit Deus omnia quæ fecit, & erant valde bona; nec tamen usum fructûs ex illâ manifestum fuisse. Nam si fuisset ab initio notus, omnino Abelis tempore inter oblatas hostias & vinum libassent. Verùm quia ignorabant adhuc fructûs usum, plantâ hâc usi non sunt. Hic autem agriculturæ studiosus, & magna diligentia, fortè etiam fructum degustavit, & contritis botris vinum fecit, eoque usus est. Et quia neque ipse gustaverat priùs, neque alium sciebat, qui gustaverat, ignarus quâ mensurâ uti debebat, per ignorantiam in ebrietatem incidit.* Cùm igitur involuntarium sit quod fit ex ignorantiâ, & nullum sit peccatum nisi voluntarium, sequitur ebrietatem *Noë* peccatum non fuisse, ut quæ involuntaria prorsus fuerit.

II. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.2. Glaphyrorum in Genesim: *Noë*, inquit, *cùm vineam plantasset, suis laboribus vacabat, atque ebrius præter morem effectus est, Atqui inopinatâ ebrietate correptus est, insciens atque imprudens detectus est domi, & a multis non visus.*

III. *Theodoretus* Quæstione 45. in Genesim, quærit, *Qui fit ut Noë non sit redargutus, quòd se inebria-*

*briarit?* & respondet: *Ab imperitiâ proficiscebatur hæc passio, non ab intemperantiâ. Nam ille primus ex hominibus compresso vitis fructu, ignorans non solùm quantùm esset bibendum, sed etiam quomodo sumendum, nempe quòd priùs temperari debeat, & sic potari, incidit in ebrietatem. Quòd verò nudatus est, nihil novi pertulit. Etenim etiam nunc quidam dormientes nudantur, somno sensum eripiente. Cùm verò somno etiam accedit ebrietas, multò probabiliorem nuditatis excusationem reddit.*

IV. S. *Ambrosius* Lib. *De Noë & Arcâ*, cap. 29. explicans illa Scripturæ verba: *Et bibit de vino, & inebriatus est*, ait: *Non dixit, Vinum bibit; neque Justus vinum ebibit; sed de vino, hoc est, de ejus portione libavit. Ebriosi est omne absorbere vinum, & intemperantis evacuare quod sumpserit: continentis autem utendum mensurâ legitimâ est*. Et cap. 31. explicans hæc verba: *Et sobrius factus est Noë a vino*, ait: *Manifestum est ex ebrietate, intercedente somno, sobrios fieri homines: mens autem sobria est, quando & præterita & futura cognoscit: Sobria ergo erat mens Justi, etiam quando ebria putabatur. Est enim præclarum poculum inebrians Justos. Ille autem verè inebriatus erat, qui ridebat patrem... Mentem Justi insipiens videre non poterat. Quomodo enim videbat, qui in eo putabat ebrietatis errorem, ubi erat perfectus sapien-*
Sap. 7. 25. *tia cæterarumque virtutum vapor? Sicut scriptum est*, Vapor est enim virtutis Dei. *Quando enim mens magis sobria est, quàm tunc quando naturam omnium rerum, temporumque præsentium & futurorum ita spectat negotia, ut nulla in eâ temporalis titubantia ebrietatis appareat.*

V. Secundàm Propositionis partem probabilem facit *SS. Hieronymi* & *Augustini* auctoritas. *S. Hieronymus* Lib. contra Luciferianos hæc habet: *Egressus ex Arcâ Noë vineam plantavit & bibens de eâ inebriatus est. Notus quoque in carne Christus Ecclesiam plantavit, & passus est. Nudatum patrem irrisit major filius, & minor texit: & Deum Crucifixum irriserunt Judæi, & honoraverunt Gentiles.*

VI. S. *Augustinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 1. *Ipsa*, inquit, *ejusdem Noë & vineæ plantatio, & ex ejus fructu inebriatio, & dormientis nudatio, & quæ ibi cætera facta atque conscripta sunt, propheticis sunt gravidata sensibus & velata tegminibus*. Et Lib. 12. contra *Faustum Manichæum*, cap. 23. *Quòd de vineâ, quam plantavit inebriatus Noë nudatus est in domo suâ, qui non appareat Christus passus in gente suâ?*

---

### PROPOSITIO II.

„ *Hæc verba Noë filiis benedicentis*, Dilatet Deus
„ Japhet, & habitet in Tabernaculis Sem,
„ *Prophetiam continent de Ecclesiâ & vocatione Gentium.*

VII. Eruditi quique Interpretes ferè consentiunt, per hæc verba, *Dilatet Deus Japhet*, promitti fore ut in terræ divisione amplissimam illi portionem habitandam Deus assignet. Quod Deum abundè præstitisse statim agnoscet quisquis præter Europam quanta quantâ est, ad *Japheti* portionem pertinere cogitabit Asiam Minorem, & Mediam, & Armeniæ partem, & Iberiam, & Albaniam, & vastissimas illas regiones ad Boream, quas olim Scythæ, hodie Tartari obtinent. Ut de Novo Orbe taceam, in quem per fretum Anianis migrasse Scythas verò non est absimile.

Quod verò in eâdem benedictione sequitur, *& habitet in Tabernaculis Sem*, Interpretes aliter atque aliter exponunt. Sunt qui Dei nomen volunt ex proximo repetendum, quasi dicatur, *Dilatabit Deus Japheto, sed habitabit* (idem Deus) *in Tabernaculis Sem*. Hoc est, *Japheto* quidem largietur Deus ampliorem terræ portionem, sed in *Semi* posteris Ecclesiam sibi eliget, in quâ habitet in sempiternum. Cui prophetiæ gemina est illa *Psalmi* 131. vers. 13. & 14. *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam habitationem sibi: Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam*. Quod toti Ecclesiæ ita convenit, ut peculiari ratione in Christo fuerit impletum, *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Is autem cùm in terris esset, inter *Semi* posteros, id est, Judæos habitavit, e quibus carnem sumpserat. Unde *S. Joannes* de Christo ait: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Hanc expositionem tradit *Theodoretus* Quæst. 58. in Genesim. *Hoc autem sciendum*, inquit, *quòd verba Justi non maledictio, sed Prophetia sunt. Nam cùm Israël ex Sem genus ducens, Palæstinam occupaturus esset, quam olim incoluerant qui ex Chanaan descenderant, in maledictionis formam Prophetiam effert, prædicens quidem futura, deterrens autem posteros ne peccent in parentes. Id quod nos apertè docet benedictio Sem*. Benedictus, *inquit*, Dominus Deus Sem, & erit Chanaan servus ejus. *Non enim duobus hunc subjecit, sed soli Sem. Et Japhet quidem multiplicem progeniem prædixit, Sem verò pietatem. Nam Deum prophetavit habitaturum in tentoriis Sem: Habitavit autem apud Patriarchas, qui ex Sem orti sunt; & apud Prophetas qui ex illis descenderunt; & priùs in Tabernaculo, posteriùs Hierosolymis. Et hæc prophetia certissimum finem habuit, Mysterium Dispensationis: quando Deus Verbum Dei & Patris Filius unigenitus incarnatus est & homo factus, & carnem, quam accepit ex semine David & Abraham, templum suum nominavit. Nam ex Sem hi quoque originem duxerunt: At servitus Chanaan in Gabaonitis finem accepit*. Huic sensui suffragatur Targum Onkelos, quod sic habet: *Dilatet Deus Japhet; & habitare faciat gloriam suam in Tabernaculis Sem.*

Alii τὸ *habitet*, ad *Japhetum* potiùs quàm ad Deum pertinere censent, ut hæc fuerit mens Sancti Patriarchæ, Deum aliquando *Japheti* terminos ita dilataturum, ut habitet etiam in *Semi* fratris tentoriis. Nam cùm versus præcedens totus ad *Semum* pertineat, hic totus ad *Japhetum* referendus est. Noë scilicet *Semo* benedicens dixerat: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus*. Tum *Japheto* hunc in modum benedicit: *Dilatet Deus Japhet, & habitet in Tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus*. Quæ postrema verba de servitute *Chanaan* superfluè repeterentur, si de eodem *Semo* hic etiam versus intelligeretur. Porrò si hæc verba, *Et Chanaan sit servus ejus*, ad *Japhetum* referas, etiam ad illum referenda sunt præcedentia, *Et habitet in tentoriis Semi*. Ita ratiocinatur *Cajetanus* noster. Habitavit autem *Japhet* in *Semi* tentoriis, & Chananæis imperavit, siquidem Græci & Romani ex *Japheti* stirpe oriundi Asiæ portionem invaserunt, quæ *Semi* filiis & Chananæis obtigerat.

Verùm vocationem Gentium his verbis propheticè exprimi agnoscunt SS. Patres, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, & *Augustinus*. Nos enim qui *Japheti* posteri sumus, aut in eâdem Ecclesiâ habitamus cum Judæis qui crediderunt, aut incredulis ejectis eorum locum occupamus. Ad Ecclesiam quidem Tabernaculis *Semi*, id est, Populo Hebræo ex *Semo* oriundo usque ad adventum Christi affixam, *Japheti* posteri olim non pertinebant, adeoque non habitabant in Tabernaculis *Semi*, ut docet Apostolus his verbis *Ephes.* 11. vers. 12. *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc Mundo*. At iidem *Japheti* posteri hodie ita habitant in Tabernaculis *Sem*, ut præcipuam partem con-

fti-

stituant Ecclesiæ Gentium. Quamvis enim neque *Semi*, neque *Chami* liberos ab Ecclesiâ excludat Deus, *Ubi non est Gentilis & Judæus, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia in omnibus Christus*: Certum nihilominus & exploratum est, Christi fidem jam inde ab Apostolicis temporibus in Europâ, & Asiæ partibus, quæ in *Japheti* sortem ceciderunt, maximè viguisse.

VIII. Hæc verba Noachi filiis benedicentis de Ecclesiâ & vocatione Gentium Sancti Doctores explicant. Ita *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 29. in Genesim. *Hæc*, inquit, *maxima benedictio est fortè latentem aliquem habens thesaurum*. Dilatet, *inquit*, Deus Japhet. *Non aberravit quis si dixerit, Benedictiones Justi prophetias esse. Nam si pater Noë non simpliciter neque frustra vocabulum indicit Noë, sed vaticinatus est per nomen futurum diluvium: multò magis Justus ille non simpliciter neque frustra benedictiones protulit. Opinor enim quòd benedicendo hos duos, duorum Populorum vocationem significare voluerit: & per Sem quidem Judeos: ex illo enim & Abraham, & Judæorum genus multiplicatum est: per Japhet autem Gentium vocationem. Vide autem quòd & benedictio hæc prænunciet*. Di„ latet enim, *inquit*, Deus Japhet, & habitet in „ Tabernaculis Sem. *Hoc in Gentibus adimpletum videmus. Dicens enim*, Dilatet, *omnes gentes significavit. Sed dicendo*, Habitet in Tabernaculis Sem: *Quia gentes frui cœperunt iis quæ Judæis parata*.

IX. Ita *S. Hieronymus* in *Traditionibus Hebraicis*. Dilatet Deus Japhet, & habitet in Tabernaculis Sem. *De Sem Heber, de Japhet Populus Gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium; a latitudine, quæ Japhet dicitur, latitudo nomen accepit. Quod autem ait: Et habitet in Tabernaculis Sem: de nobis prophetatur, qui in eruditione & scientiâ Scripturarum, ejecto Israël, versamur*.

X. Ita *S. Augustinus* Lib. 12. contra *Faustum Manichæum*, cap. 24. *Quem autem non excitet, quem non vel informet vel confirmet in fide; quòd ita benedicuntur duo illi, qui nuditatem patris honoraverunt, quamvis aversi, velut quibus factum scelerata vinea displicuerit?* Benedictus, *inquit*, Dominus Deus Sem. *Quamquam enim sit Deus omnium Gentium, quodammodo tamen proprio vocabulo & in ipsis jam Gentibus dicitur Deus Israël. Et unde hoc factum est, nisi ex benedictione Japhet? In populo enim Gentium totum orbem terrarum occupavit Ecclesia. Hoc prorsus hoc prænunciabatur, cùm diceretur*: Latificet Deus Japhet, & habitet in domibus Sem. *Videte Manichæi, videte, ecce in conspectu vestro est orbis terrarum: hoc stupetis, hoc doletis in populis nostris, quia lætificat Deus Japhet. Videte si non habitet in domibus Sem, id est, in Ecclesiis, quas filii Prophetarum Apostoli construxerunt. Audite quid dicat Paulus jam fidelibus* „ *Gentibus*: Qui eratis, *inquit* illo in tempore „ sine Christo, alienati a Societate Israël, & pere„ grini testamentorum, promissionis spem non „ habentes, & sine Deo in hoc Mundo. *Per hæc verba ostenditur quòd nondum habitabat Japhet in domibus Sem. Sed paulò post quemadmodum conclu-* „ *dat, advertite. Igitur* Jam *inquit*, non estis „ peregrini & inquilini, sed estis cives Sanctorum, „ & domestici Dei, superædificati super funda„ mentum Apostolorum & Prophetarum, ipso „ summo angulari Lapide existente Christo Jesu. *Ecce quomodo dilatatur Japhet, & habitat in domibus Sem. Et tamen Epistolas Apostolorum, quibus hæc omnia contestantur, legitis, tenetis, prædicatis*.

XI. Hunc sensum expressit Chaldæus Paraphrases *Jonathan* his verbis: *Condecorabit Dominus terminos Japheti, & Proselyti fient* (id est, convertentur) *filii ejus, & habitabunt in Scholâ*, id est, Templo vel Ecclesiâ, *Semi*.

## SCHOLION.

Sensus mysticus istius benedictionis *Dilatet Deus Japhet*, Literali non derogat, quem S. Ambrosius *Lib. de Noë & Arcâ*, cap. 33. hunc in modum simpliciter exponit: *Japhet non immeritò latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem naturæ, hoc est maritimam, generatio ejus processit. Verè enim tamquam latitudo non fuit eo contenta, quod in usum hominibus natura præscripserat, hoc est, terræ possessione, verùm etiam retrogressa est, mare, & ad Insulas usque processit*.

# DISSERTATIO IV.

## DE CAINAN ARPHAXADI Filio in Vulgatâ Editione memorato, an verus sit, an insititius?

### *PROPOSITIO UNICA.*

*Cainan, qui in Semi Genealogiâ inter Arphaxad & Sale habetur, irreptitius ac supposititius est*.

PRobatur primò ex Hebraico Textu, cujus veritatem exprimit Vulgata nostra. Cùm enim genealogia *Arphaxad* ter repetatur, *Genesis* 10. vers. 24. & cap. 11. vers. 13. & cap. 1. Lib. 1. *Paralipomenon*, omnes Hebræi Codices ubique constanter asserunt *Arphaxad genuisse Sale*, absque ullâ mentione τȣ *Kainan*.

Secundò, id ipsum tradunt *Philo* & *Josephus*, & Chaldæi Paraphrastæ, Persæ, & Arabs uterque, & Vulgatus Interpres.

Tertiò, Samaritani Codices, qui tam ab Hebræis quàm a Græcis multum differunt in supputatione annorum, in numero generationum Hebræis sunt planè gemini. Utrobique enim habetur, *Arphaxad genuisse Sale*. Patet id ex collatione quam instituit *Eusebius* Samaritani Codicis & Hebraici, in Chronico Editionis *Scaligeri* pag. 9. & 10.

Quartò apud ipsos Septuaginta Interpretes *Kainan* non comparet cap. 1. Lib. 1. *Paralipomenon* in Editione Romanâ & Parisiensi.

Quintò, *Berosus* Chaldæus, Græcis Interpretibus antiquior *Abrahamum* ita describit, apud *Josephum* Lib. 1. *Antiquitatum* cap. 8. & apud *Eusebium* Lib. 9. Præparationis Evangelicæ: *Post diluvium decimâ generatione, Vir quidam extitit Justus, eximius, & cælestium peritus*. Porrò si inferatur Cainan, consequens est *Abrahamum* non vixisse decimâ post diluvium generatione, sed undecimâ. Eodem modo *Eupolemus* ab *Alexandro Polyhistore* laudatus apud *Eusebium* Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ*, decem duntaxat generationes agnoscit.

Sextò, in ipsam 70. Interpretum Versionem intrusum esse *Cainan*, multis ex capitibus probatur. 1. Quòd *Philo* & *Josephus*, qui Græcam Editionem in aliis sequuntur, hujus *Cainan* non meminerint. 2. Quòd *Theophilus Antiochenus* Lib. 3. ad *Autolycum*, hanc genealogiam ita referens ut in numero annorum Græcos apertè sequatur, tamen apertè scribit, *Arphaxad genuisse Sale* nullâ factâ τȣ *Cainan* mentione. Addit, A diluvio usque ad natum Isaac numerari annos mille tri-

gin-

ginta sex, cùm ex supputatione Græcorum, addito *Cainan*, anni numerandi sint mille centum sexaginta sex 3. *S. Irenæus* Lib.3. cap.33. ait *S. Lucam* ostendere Christi Genealogiam *usque ad Adam septuaginta duas generationes habere*. At si *Cainan* inseratur, reperientur septuaginta tres. 4. *Julius Africanus* qui τῶν LXX. epilogismum sequitur, *Cainan* pariter omittit. Ejus verba repræsentat *Eusebius* in Græco Chronico pag.9. Editionis Scaligerianæ: *Genealogia Abrahami juxta Africanum. Post diluvium Sem generavit Arphaxad. Arphaxad autem cùm esset annorum centum triginta-quinque, genuit Sala*. 5. *S. Epiphanius* Lib. *De Ponderibus & Mensuris*, §.22. numerari observat *viginti duo capita ab Adamo usque ad Jacob*. Essent autem viginti-tria, si *Cainan* insereretur. Idem Hæresi 55. quæ est *Melchisedechianorum*, quo in loco generationes omnes recenset, disertè scribit, *Arphaxad genuisse Sale*, quamvis 70. Interpretum rationes sequatur. Denique *S. Hieronymus* Traditionibus Hebraicis in Genesim, ubi collatis Græcis & Hebræis Exemplaribus, sicubi differunt sedulò notat, scribit simpliciter *Arphaxad* genuisse *Sale*, nec ullam observat inter Codices discrepantiam.

Objicies, In 70. Interpretum Editione cap.11. Genesis haberi: *Et vixit Arphaxad centum triginta-quinque annos, & genuit Cainan. Et vixit Arphaxad postquam genuit Cainan annos quadringentos, & genuit filios & filias, & mortuus est. Et vixit Cainan centum triginta annos, & genuit Sala. Et vixit Cainan postquam genuit Sala, annos trecentos triginta, & genuit filios & filias & mortuus est*.

Præterea, *Cainan* apud *S. Lucam* cap.3. legitur: *Qui Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*. Temerè itaque expungitur generatio *Cainanis*.

Respondeo ad primum, Quamvis in Editione 70. Interpretum *Cainanis* nomen & generatio haberetur, nihilominus rejici posse ut insititium, cùm nec in Hebræo Textu, nec in Vulgatâ nostrâ Versione Latinâ habeatur. Omnino enim tenenda est regula a *S. Augustino* tradita Lib.15. *De Civitate Dei*, capit.13. *Cùm aliquid diversum in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potiùs credatur unde est in aliam per Interpretes facta translatio*. Sanè si a Græcorum calculis discedere nulla religio est, eosque falsos & conturbatos asserere, cur non liceat etiam in generationum ordine recensendo, Græcis Codicibus Hebræorum ac Vulgatæ nostræ Editionis auctoritatem præferre; & *Cainanem* cum Hebraicâ Veritate, & Vulgato Interprete Latino configere?

Respondeo secundò, In Editione 70. Interpretum interpolatâ *Cainanis* nomen lectum fuisse, ac etiamnum legi, non verò in Editione 70. Interpretum incorruptâ, & immaculatâ, quæ Hexaplis Origenis inserta fuit. Duplicem illam Editionem distinguit *S. Hieronymus* Epistolâ 135. ad *Suniam & Fretelam*, illam nimirum *Quam Origenes, & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græci Tractatores Κοινὴν id est, communem appellant atque Vulgatam, & plerisque Λουκιανὸς [vel Λουκιανὸς] dicebatur; aliam 70. Interpretum, quæ in Hexaplis Codicibus reperiebatur*; & quidem *Κοινὴν istam, hoc est Communem Editionem ipsam esse quæ & 70. Sed hoc interesse inter utramque, quòd Κοινὴ pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta Editio est: ea autem quæ habebatur in Hexaplis, ipsa est quæ in Eruditorum libris incorrupta & immaculata 70. Interpretum Translatio reservari* credebatur. In communem illam tam veterem, quæ ante *Origenis* tempora erat in usu, tùm novam a *Luciano* Martyre interpolatam, esto *Cainan* irrepserit: In alterâ tamen, quæ incorrupta & immaculata 70. Editio a Doctis censebatur, quamque in Alexandrinâ *Cleopatræ* Bibliothecâ repositam, & in Ægypto, Palæstinâ, & Syriâ tum receptam, Hexaplis suis *Origenes* inseruit, *Cainan* extitisse negamus. Sed enim in Communi 70. Interpretum Editione *Origenes Theodotionis Editionem miscuit, asteriscis designans quæ minùs fuerant, & virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita*, ut habet *S. Hieronymus* Epistolâ 107. ad *Chromatium*. Hìc verò *Origenes* ea quæ ad *Cainan* spectant utì invenit, ita reliquit, sed virgulâ seu obelo prænotata; ut colligitur ex illis *Procopii Gazæi* verbis in Genesim cap.11. *Hebraica veritas habet, Selam genitum esse ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur, obelo signata visuntur*. Adde, *Eusebium* in Chronico suo annos Patriarcharum ex triplici Textu Hebræo, Græco, & Samaritano recensentem, in nullo eorum *Cainanem* posuisse; sed in eo etiam qui est *juxta 70. Interpretationem*, scriptum reliquisse, *Arphaxadum* annos 135. natum genuisse *Salam*. Noverat scilicet *Eusebius*, nomen ac generationem *Cainanis* abesse a sinceriori τῶν LXX. Editione, quæ *Origenis* Hexaplis in Cæsariensi Bibliothecâ a *Pamphilo* suo repositis inserta fuerat.

Ad secundum respondent aliqui, *S. Lucam* non recensuisse generationem *Cainan* ex propriâ sententiâ, & quòd reverâ ipse filius esset *Arphaxad*, sed quòd a Judæis Hellenistis & Christianis, non aliâ quàm Græcâ Testamenti Veteris interpretatione usis, inter *Abrahami* Majores numeraretur. Etsi enim in eâ Editione 70. Interpretum incorruptâ, & immaculatâ, quæ Alexandriæ in *Cleopatræ* Bibliothecâ reposita est, *Cainanis* istius nulla mentio extaret, in Κοινῇ tamen sive Vulgatâ, cujus communior fuit usus, *Cainanem* locum habuisse colligitur ex Chronologiâ *Demetrii* in Lib. *De his qui in Judæâ regnaverunt*, ab *Alexandro Polyhistore* propositâ, apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*. Nec mirum videri debet, quòd *S. Lucas* eâ in re vulgi opinioni se accommodaverit; ut enim ait *S. Hieronymus*, Commentario in Evangelium *S. Matthæi* cap.4. vers.9. *Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret Historicus, quomodo illo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsâ quoque Mariâ appellatur Pater Jesu; ita & Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant*. Et in *Jeremiæ* cap.28. vers.10. *Septuaginta Prophetam non dixere Ananiam: ne scilicet Prophetam viderentur dicere, qui Propheta non erat. Quasi non multa in Scripturis Sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat*. Et Lib.11. adversùs *Helvidium* ait, *Evangelistas opinionem vulgi exprimentes, quæ vera Historiæ lex est, patrem dixisse Joseph Salvatoris*. Atque huic Responsioni pondus addit *Venerabilis Bedæ* auctoritas, Præfatione in Acta Apostolorum. *Lucas* (inquit) *testimoniis Græcis utitur potiùs quàm Hebræis. Ex quo accidit, quod maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore percussus nescio perscrutari, quâ ratione cùm in Hebraicâ Veritate a Diluvio usque ad Abraham decem tantùm generationes inveniantur, ipse Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes, juxta 70. Interpretes, adjecto Cainan, in Evangelio ponere maluit*. Et in Enarratione Evangelii secundùm Lucam: *Nomen & generatio Cainan juxta Hebraicam Veritatem neque in Genesi, neque in verbis Dierum invenitur, sed Arphaxad Sala vel Sale filium, nullo interposito genuisse perhibetur. Sic enim habet*: Porrò Arphaxad vixit

xit triginta annos & genuit Sale. *Itemque in Paralipomenon;* Arphaxad autem genuit Sala, qui & ipse genuit Heber. *Scito ergo Beatum Lucam hanc generationem de Septuaginta Interpretum Editione sumpsisse, ubi scriptum est, Quòd Arphaxad centum triginta quinque annorum genuerit Cainan, & ipse Cainan cùm centum triginta fuerit annorum genuerit Sela. Sed quid horum sit verius, aut si utrumque verum esse possit, Deus noverit.*

Respondetur secundò; *Cainanis* nomen ut in 70. Interpretum Editionem, sic in Christi apud *S. Lucam* Genealogiam irrepsisse, quod asserere non dubitarunt *Cornelius a Lapide* in Commentario ad cap. 11. Genesis, *Petavius* Lib. 19. *De Doctrinâ Temporum* cap. 18. *Petrus Possinus* in Diallactico *Genealogiæ Christi*, cap. 9. *Joannes Cordesius* in Gallico *De Genealogiâ Christi* libello, & alii. Sustentatur hæc conjectura auctoritate Codicis Græco-Latini, in antiquissimis membranis literis majusculis, sine spiritibus & accentibus descripti, in quo *Cainanis* nomen tum in Græco cùm in Latino prætermissum est. Codex quatuor Evangeliorum, & Actorum Apostolorum Historias complexus, ex Græciâ olim in Galliam allatus, in Monasterio *S. Irenæi* in suburbio Lugdunensi repositus, in *Theodori Bezæ* manus incidit, a quo publicæ Cantabrigiensis Academiæ Bibliothecæ donatus est anno 1581. illumque ibi a se visum *Usserius* asserit. Hancce conjecturam confirmant *Origenis* verba Tractatu 20. in Joannem. *Abraham*, inquit, *a primo homine vigesimus natus est. Decem enim generationes ab Adamo sunt ad Noë, & decem a Noë ad Abraham.* Ut *Noë* enim, seniore *Cainane* connumerato, ab *Adamo* decimus; ita *Abraham* ab eodem vigesimus numerari non potest, nisi secluso *Cainane* juniore. His adde quòd *Josephus* vetus Scriptor Christianus in Græco suo *Hypomnestico* generationes ab Adamo ad Christum recensens, post *Arphaxad* subjunxit *Sale*, prorsus prætermisso *Cainane*.

### SCHOLION.

Quod Viri quidam Eruditi ajunt ex Hebræis Codicibus *Cainan* a Judæis expunctum fuisse, omni specie probabilitatis caret. Nihil enim causæ fuit cur a Judæis expungeretur, cùm illius seu nominatio seu prætermissio nihil prorsus faciat ad Christianorum dogmatum confirmationem, sive ad confutationem pravitatis Judaicæ. Et sanè Judæorum rabies genuinum potiùs fixisset in Vaticiniis de Christo extantibus in Scripturâ Sacrâ, quæ tamen integra habemus hodièque ad Judaicam impietatem expugnandam. Nec probabiliùs dici potest, nomen illud fortè prætermissum Librariorum oscitantiâ & incuriâ, cùm non solùm nomen *Cainan* desit in Hebræo Textu, sed & generatio ejus, & anni vitæ, quæ omnia per incuriam expuncta vel prætermissa fuisse, haud verisimile est. Faciliùs quin etiam concedi posset, mendum illud irrepsisse in Textum Sacrum, siquidem uno saltem loco mentio *Cainan* extaret: tribus verò locis id factum quis sibi persuadeat? Præterea, si nomen illud ex Hebraico Textu expunctum, vel prætermissum per incuriam fuisset, numquam id Masoretharum criticam diligentiam fugisset, qui non solùm nullius lituræ hîc meminerunt, sed & contrarium tradunt, nullam videlicet deesse generationem inter Arphaxad & Sale. Nam ad Vers. 21. 1. *Paralipom.* 1. In Notis marginalibus Masorethicis legitur: *Duo Versus in quorum dictionibus omnibus Schin*, scilicet reperitur, quod utique falsum foret, si Cainan insertus aliquando fuisset medius inter Arphaxad & Sale. Denique intruso in Textum Sacrum *Cainan*, uno eodemque anno & filius & nepos ab Arphaxad dicerentur geniti. Si enim Codicem Hebræum consulamus, reperiemus Arphaxad genuisse Sale anno ætatis trigesimo-quinto: Si consulamus septuaginta Interpretes, illo ipso anno Arphaxad genuit patrem Sale, nimirum Cainan.

Moysen & S. Lucam facilè conciliari posse Viris quibusdam Eruditis videtur, & Codicum Hebræorum simul ac Græcorum fides & integritas probari, dicendo Cainan & Sale nominibus unam eamdemque personam designari, & hunc esse sensum verborum S. Lucæ, τυ Σαλά τυ Καϊναν, non *qui fuit Sale, qui fuit Cainan;* sed *qui fuit Sale, qui & Kainan*, hoc est, qui Sale vocatus etiam fuit Cainan. Verùm hæc Responsio non satisfacit. Nam 1. ex Versione Græcâ Geneseos evidens est, Cainan proponi ut personam distinctam a Sale, imò ut patrem Sale, a quo iste genitus: a Versione autem illâ hoc loco interpolatâ, ut explicuimus, admodum probabile est Cainan in Textum S. Lucæ irrepsisse. Præterea hîc ratio & significatio articuli τυ eadem est quæ in toto capite. Cùm ergo ubique aliàs designet & personam diversam, & habitudinem inferioris ad superiorem, causæ nil est cur hîc solummodò articulus duplicatus unam eamdemque personam designet. Denique probandum esset, non supponendum, Sale fuisse binomium, & vocatum etiam Kainan.

## DISSERTATIO V.

## DE BABELICA LINGUARUM confusione; cujus occasione disquiritur, Quæ sit Linguâ omnium prima & antiquissima?

### PROPOSITIO I.

*Babelicæ Turris Ædificatores graviter peccarunt, eorumque superbiam ac fastum Deus confusione Linguarum justè punivit.*

I. Id ex Scripturâ Sacrâ disertè probatur contra *Tostatum* Quæstione 8. in capit. 11. *Genesis* asserentem ipsos in tam insolentis operis aggressione nihil peccasse, sive civitatem illam & turrim ædificare decreverint ut dispersionem suam prohiberent, sive ut nomen suum celebrarent. Dei enim in perduelles ac superbos institutum judicium ac animadversio ipsorum culpam arguit: nec a peccato absolvi possunt, nisi Divinæ Justitiæ fiat injuria. Porrò cùm ad Turris ædificationem convenerunt filii *Chami*, & alii in partes tracti a *Nembrodo* (Neque enim *Noachum*, *Semum*, *Japhetum*, aliosque pios ad insolens opus cum impiis conspirasse verisimile est) Deum statim adversùs illos judicium instituisse Scriptura testatur Genesis 11. *Dixerunt, Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum, antequàm dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce unus populus, & unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Hæc autem verba, *Descendit Dominus ut videret*, judiciariam actionem significant. Quâ de re *Maimonides* in *More Nevochim* P. 1. cap. 10. ait: *Quando plaga super gentem*

*tem vel regionem aliquam juxta voluntatem Dei descensura est, eamque Deus infligit, dicitur descendere,* „ *& res ista vocatur descensio: ut*, Age descendamus, „ & confundamus ibi labium eorum: *Item*; Et „ descendit Dominus ut videret: *Sic*: Descendam „ nunc & videbo, Genesis 18. vers. 21. *Omnia hæc significant pœnam hominum*. Idem rursus observant Magistri in Libro *Zohar* Column. 218. *Quid sibi vult quod hìc dicitur*, Ad videndum? *Annon sciverat illud jam antea? Omnino: Sed*, Ad videndum, *significat hìc, ad videndum in judicio, vel judicialiter, juxta illud* (Exodi v. vers. 21.) *Videbit Dominus super vos & judicabit*. Unde Chaldæus Paraphrastes *Jonathan* hæc Scripturæ verba, *Descendit Dominus, &c.* ita reddit: *Et manifestavit se Dominus ad vindictam sumendam de structoribus Urbis & Turris.*

II. *Tostati* singularem opinionem refellit & *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 30. in Genesim. *Hic Dei mos est*, inquit, *ut puniturus priùs indicet quàm magna sint peccata, & veluti defensionem aliquam componat, ac tunc tandem corripere incipiat. Nam & cùm terribile illud diluvium interminaretur, dicit Scriptura*: Ut autem vidit Deus quòd multiplicatæ sunt malitiæ hominum, & unusquisque cogitat in corde suo diligenter in mala a juventute; Delebo, inquit, hominem: *Ita & nunc*: Ecce genus unum, & labium unum omnium, & hoc cœperunt facere. *Si in tantâ concordiâ & linguę unitate in tantam inciderunt insaniam: ubi tempus processerit, quomodo non deteriora attentabunt? Non cessabunt enim ab his quæ decreverunt ut faciant: nihil eorum impetum & ardorem morari poterit, sed omnia quæ statuerunt secum, studebunt perficere, ni statim pro attentatis pœnas luant.* Et infra, sic Deum loquentem inducit: *Pœnâ hâc quasi perpetuâ notâ sugillabo illos, quę eos omni seculo comitabitur, neque ullo tempore obliviscentur. Nam quia abusi sunt vocis universitate, ideo vocis diversitate castigari eos volo*. Et mox: *Hi quoque honore pares, & ejusdem linguæ honore concesso in malum abusi, quàm graviter peccarint, ex linguarum varietate sunt experti. Et confundamus illorum, inquit, linguam, ut ne audiat unusquisque vocem proximi. Ut sicut linguę unitas cohabitationem fecit, ita linguæ diversitas dispergat. Nam quibus non est idem sermo & lingua, quomodo cohabitare possunt?*

III. Confirmatur ex *S. Augustino* Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 4. *Erigebat ergo* (Nembrod) *cum suis populis, Turrem contra Dominum, quâ est impia significata superbia. Meritò autem malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus verò ipsum pœnę quale fuit? Quoniam dominatio imperantis in linguâ est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere ut obediret Deo jubenti. Sic illa conspiratio dissoluta est, cùm quisque ab eo quem non intelligebat abscederet, nec se nisi ei cum quo loqui poterat, aggregaret: & per linguas divisæ sunt Gentes, dispersæque per terras, sicut Deo placuit, qui hoc modis occultis nobisque incomprehensibilibus fecit.*

IV. Illorum Babelicæ Turris Architectorum peccatum *Josephus* explicat Lib. 1. *Antiquitatum* cap. 4. *Deo*, inquit, *jubenti ut propagandi, multiplicandique humani generis gratiâ colonias deducerent, homines illi rudes minimè paruerunt: quamobrem calamitatibus implicati, offensum Deum errore suo, damnoque sunt experti. Cùm enim florerent juventutis multitudine, subinde illos Deus de coloniis deducendis admonebat: Illi verò obliti se ipsius benignitate præsentibus commodis perfrui, totamque illam felicitatem suis viribus acceptam ferentes, dicto ejus non fuerunt obedientes. Et quod pejus erat, consilium & mandatum divinum de coloniis ducendis, non favorem Dei, sed insidias interpretabantur: videlicet quò faciliùs dispersi possent opprimi. Hanc autem superbiam, Deique contemptum excitavit in illis Nembrod, nepos Cham, filii Noë.* Eorumdem peccatum multis aggerat *Philo Judæus* Libro *De Confusione Linguarum*.

---

PROPOSITIO II.

*Quamvis communis sit Veterum Patrum Sententia Linguas ex Babelicâ confusione septuaginta circiter vel paulò plures natas esse, minùs tamen probabilis est. Earum numerum definiri non posse, longè probabilius.*

I. Hebræorum opinio est septuaginta esse Gentes, & septuaginta linguas, & Angelos totidem Gentibus singulis prefectos. *Jonathan* in Chaldaicâ Paraphrasi *Genesis*. 11 vers. 7. 8. hæc habet: *Dixit Deus 70. Angelis qui stant coram eo: Venite nunc, & descendamus, & misceamus linguas eorum, ut non intelligat vir linguam socii sui. Et apparuit verbum Domini super urbem, & cum eo septuaginta Angeli juxta septuaginta Gentes, quarum unaquaque linguam habet & scripturam propriam, & inde disperserunt eas super facies omnis terra in 70. linguas, ita ut unus non nosset quid diceret socius suus, & se mutuò interficerent*. Nititur hæc sententia cap. 10. *Genesis* in quo numerantur trium filiorum *Noë* filii vel nepotes septuaginta, nempe, ex *Japheto* quatuordecim, ex *Chamo* triginta, ex *Semo* viginti-sex. Græci Patres septuaginta duos, & totidem linguas numerant propter *Elisam* & *Kainanem* in Græcâ Versione additos, illum in *Japheti* filiis, hunc in *Semi* nepotibus; vel alterutro omisso, tamen hunc numerum constare putant, qui in eos Philistæos censent, qui ex Chasluchæis sunt egressi. *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. Stromatum. *Euporus autem*, inquit, *& alii multi Historici, & gentes & linguas dicunt septuaginta-quinque, cùm audissent vocem Mosis dicentis: Erant autem omnes animæ ex Jacob septuaginta-quinque, quæ descenderunt in Ægyptum. Videntur autem, ex verâ ratione, linguę seu dialecti, ut vocant, & sermones generales esse septuaginta-duo, ut nostræ tradunt Scripturæ. Fiunt autem aliæ per communionem duarum, vel trium, vel etiam plurium dialectorum.*

II. *S. Epiphanius* Lib. 1. adversùs Hæreses §. 5. *Cæterùm*, inquit, *quintâ post Diluvium Ætate, cùm a tribus Noëmi filiis propagari genus hominum cœpisset, continuatâ sobolis successione, duo ac septuaginta numero velut principes ac stirpis capita prodierunt... Ergo illi Turrim & Babylonem adificant. Sed divino Numini de insanâ illâ molitione displicuit. Ideoque dissipatis illorum linguis septuaginta duas ex unâ fecit, pro hominum numero qui illo tempore repertus est. Unde & Meropes a vocis divisione nuncupati*. Et Hæresi 39. quæ est Sethianorum: *Quo tempore Babylon in Assyriâ ab iisdem illis extructa, qui & Turrim condiderunt, erant homines ferme 72. stirpium auctores & capita. Nimirum ex Chami progenie 22. E genere Sem 32. E Japheti verò stirpe 25. cùm Turris illa cum Babylone conderetur. Ab his in universum orbem Nationes omnes ac Linguæ dissipata sunt. Posteaquàm septuaginta illi duo, qui Turrim moliebantur, confusis linguis huc illucque dispersi sunt, & pro unâ quam callebant, alius aliam ex afflatu Dei ac voluntate sortitus est. Ex quo ad hanc usque diem linguarum omnis conflata varietas.*

III. *S. Augustinus*, Philistæis in censu additis, populos numerat 73. Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 3. Ve-

3. Verumtamen ne solemnem illum numerum 72. excedat, *Phalegum* excludit e catalogo, quia ejusdem gentis & linguæ fuit cum patre *Heber*. Unde cap.6. hanc quæstionem ita concludit: *Ex illis igitur tribus hominibus Noë filiis* [inquit] 73. *vel potiùs, ut ratio declaratura est septuaginta duæ gentes, totidemque linguæ per terras esse cœperunt, quæ crescendo & insulas impleverunt. Auctus est autem numerus & gentium multò ampliùs quàm linguarum.*

IV. Neque alia mens est S. *Hieronymi* in cap.26. *S. Matthæi*, exponentis illa verba Christi: *Anputas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum? Una legio*, inquit, *apud Veteres sex millibus complebatur hominum. Pro brevitate temporis numerum non occurimus explicare: typum tantùm dixisse sufficiat, septuaginta duo millia Angelorum, in quot gentes hominum lingua divisa est, de duodecim legionibus fieri.* Atque hùc referunt quod in Versione Græcâ legitur *Deuteronomii* 32. vers. 8. *Quando dividebat Altissimus gentes, quando disseminabat filios Adam, constituit terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei.* De quo legendus *Origenes* Homiliâ 11. in *Numeros*. Textus Hebræus & Vulgata nostra habent: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.* Ex quo nihilominus quidam colligunt, Deum constituisse tot gentes, adeòque tot linguas, quot erant *Jacobi* filii, cùm ingressus est in Ægyptum, septuaginta nimirum, ut habetur *Genesis* 46. vers. 27. *Exodi* 1. vers.5. *Deuteronomii* 10. vers.22. Ita *Procopius* & *Lyranus*: Sed & Chaldæus Paraphrastes *Jonathan*, qui sic habet: *Cùm divisit Excelsus Mundum populis qui exierunt ex filiis Noë, cum Principibus populorum cum quibus apparuit ad videndum urbem* Babel: *eo, inquam, tempore constituit terminos populorum secundùm numerum septuaginta animarum Israëlis, quæ in Ægyptum descenderunt.* Hæc tamen Scripturæ verba: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël*; longè aliud significant, nempe Deum inter populos orbem ita distribuisse, ut Israëlitis olim nascituris tantum terrarum destinaverit, quantum numerosissimæ Genti ad commodam habitationem opus esse noverat.

V. Auctor Librorum *De Vocatione Gentium* inter *S. Prosperi* Opera editorum, Lib.2. cap.4. *S. Augustino*, aliisque Patribus concinit. *Jam verò procurrente humanę propagationis augmento, cùm ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundùm elationis suæ altitudinem calo cuperet molem immodicæ constructionis inferere: Quàm mirabilis ad cohibendam hanc insolentiam fuit divinæ censura justitiæ, quæ omnem illorum populorum loquelam notis sibi invicem significationibus consonantem, septuaginta & duarum linguarum varietate confudit, ut & inter insanas voces operantium pereunte concordiâ, insanæ molitionis machina solveretur, & habitando orbi terrarum daret incolas mala congregationis opportuna dispersio.* Eidem sententiæ patrocinantur Auctor Libri *De mirabilibus Scripturæ sacrę*, Lib.1. cap.9. Item Auctor Quæstionum ex utroque Testamento, inter Opera *S. Augustini* editarum, *Philastrius* Hęresi 63. *Arnobius Junior* in Psalmum 104. *Beda*, & *Ado*, in Chronico, Ætate 1.

VI. *S. Pacianus* Barcinonensis Episcopus Epistolâ 2. ad *Sympronianum*, hunc linguarum numerum multùm auget. *Hebrais*, inquit, *sua lingua est secundùm copiam Domini, qui eam in centum viginti ora modulatus est.* Et paulò post: *Dic oro, frater, Musa literas repererunt? &c. Prater illas centum viginti linguas fuit adhuc alia Musarum?*

VII. Verùm sententiam tot confirmatam testimoniis incertam nihilominus esse, & probabiliùs asseri quòd definiri non possit linguarum numerus, in quas humanus sermo divisus est, meritò dixi. Nam ex censu Capitum-familias, ex quò linguarum numerum colligi voluerunt, expungendus primò *Cainan* Arphaxadi filius, qui in Hebræo Textu & Vulgatâ nostrâ non habetur. Secundò, ex eo etiam numero eximendi *Phalegi* majores, *Arphaxad*, *Sale*, & *Heber*, quos utpote pios viros, verisimile non est conspirasse cum reliquis in exstructione Turris Babel. Tertiò, *Jectan* excipiendus cum tredecim liberis, qui nondum erant nati. Quartò, Non omnes qui supersunt familiarum Principes & capita diversi fuere sermonis. Parentes enim per se & separatim a filiis suis Gentes constituisse, & diversis linguis fuisse usos, nemo dixerit. In Chananęâ itaque consensisse plerosque filios *Chanan*; in Græcâ, *Javan* & *Elisa*: in Ægyptiâ, *Misraim* & *Pathrusim*, qui sunt incolæ Thebaidis; in Arabicâ, cum Jectanæis, filii *Chus* plerique omnes; in Aramęâ sive Syriacâ, *Aram* & *Us*, Syrię, *Mes* Mesopotamię; *Nembrod* Babylonię; *Assur* Assyriæ, incolę: Ita ut jam vix supersint in illo censu triginta linguæ. Sic ratiocinatur *Bochartus* in *Phaleg*, Lib.1. cap.15.

VIII. Objicies verba illa Mosis de *Japheti* filiis, *Genesis* 10. vers.5. *Ab his divisa sunt insulę Gentium in regionibus suis, unusquisque secundùm linguam suam & familias suas in Nationibus suis.* Et de Chami posteris vers.20. *Hi sunt filii Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque, & gentibus suis.* Et vers.31. de filiis Semi, *Isti filii Sem secundùm cognationes, & linguas, & regiones in gentibus suis.* Ex quibus colligitur, unicuique familiæ ac populo suam fuisse linguam.

Respondetur, Ex his quidem verbis sequi, suam unicuique familiæ, ac populo fuisse linguam; sed non sequi fuisse propriam & a cæteris distinctam; ita ut filii diversâ linguâ a parentibus uterentur. Sicut cùm in Libro Esther cap.8. vers.9. legitur: *Scripta sunt Epistola ut Mardochaus voluerat, ad Judaos, & ad Principes, Procuratoresque & Judices, qui centum viginti-septem Provinciis ab Indiâ usque ad Æthiopiam præsidebant; Provinciæ atque Provinciæ, Populo & Populo, juxta linguas & literas suas:* Perperam inde colligeretur totidem fuisse linguas, imò & scribendi modos in Imperio *Assueri*.

IX. Matrices aliquas ac primigenias linguas ex illâ divisione superesse, nullus dubitat. Quænam illæ sint, non adeò certum. Inter omnes tamen penè convenit, Hebræam, Græcam, Latinam, Teutonicam, & Illyricam Matrices esse linguas e confusione Babylonicâ ad nos usque traductas, e quibus linguæ cæteræ natæ sunt. Ex Hebraicâ derivatæ sunt Chaldaica, Arabica, Samaritana, Æthiopica, Syriaca. Ex Græcâ, Attica, Jonica, Æolica, Phrygia, &c. Ex Latinâ, Italica, Gallica, Hispanica, Lusitana. Ex Teutonicâ, Belgica, Danica, Suecica, Anglica, Scotica. Ex Sclavonicâ, Polonica, Hungarica, Bohemica, Moscovitica, Tartarica, Turcica, Bulgarica, &c. An Persica primigenia sit, haud facilè dixero. Neque enim apparet ex quâ aliâ derivata sit, aut quę alia idiomata ex ipsâ nata sint. Hanc ad Germanicam accedere, quod viris doctis persuasum fuit, in tantâ locorum intercapedine haud verisimile est. Vide *Lipsium* Epistolâ 44. Centuriæ tertiæ ad Belgas.

PRO-

## PROPOSITIO III.

*Ante Babelicam confusionem una erat omnium hominum Lingua.*

ID probant Scripturæ Sacræ verba Genesis 11. vers.1. *Erat autem terra labii unius & Sermonum eorumdem*. Et vers.6. *Et Dixit* Deus: *Ecce unus est populus, & unum labium omnibus ... Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Vers.9. *Idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ*. Id congruâ ratione confirmat *Maimonides*, in *More Nevochim* P. 3. cap.1. *Labium unum*, inquit, *omnibus illis erat, Sic enim dicebat, cùm omnes essent filii unius viri*. Idque ipsis etiam Ethnicis ex lectione Geneseos innotuit. Nam *Abydenus* apud *Eusebium* Lib.9. *De Præparatione Evangelicâ* cap.14. de Turris Babylonicæ molitione loquens, scribit: *Homines, quorum ad id tempus una eademque lingua fuerat, multiplicem ac discrepantem ex eo vocem emisisse*. Quamobrem rejicienda est *Philastrii* Brixiensis Episcopi singularis sententia, qui Lib. *De Hæresibus*, cap.56. varias linguas ante Babelicam confusionem in Mundo fuisse asserit, quas tamen nemo hominum ignoraret, adeòque aliorum linguam alii peregrinam non fuisse: & contrariam sententiam velut hæreticam configit. *Habentes*, inquit, *Angelicam gratiam, id est, multarum linguarum scientiam, non agnoscebant datorem tantæ sapientiæ Dominum, contraque eum conantes progredi, perdiderant gratiam, quam sine ullo labore divinitus habebant concessam. Et quod sine studio ante donatum fuerat a Domino naturaliter omnibus, ut Dei imagini, postea per studium atque doctrinam, oblivione immissâ a Domino, vix discere prævalebant non omnes, nec multas, sed vix paucas linguas; ita ut tres quis aut quatuor valeret ediscere, atque iisdem vix eloqui. Tamen omnium scientiam linguarum, quam ante duo millia annorum & septingentos annos offendentes amiserant homines, sub Apostolis rursum post Ascensionem suam Dominus per Spiritum Sanctum sine quodam labore credentibus conferebat.*

Objicies verba illa *Mosis* cap.11. Genesis, ubi ante Babelicam linguarum confusionem de filiis *Japhet* ait: *Ab his divisæ sunt Insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundùm linguam suam*. Idemque de filiis *Chami* & *Semi* dicitur.

Respondeo, Hæc per anticipationem Scripturæ Sacræ familiarem a *Mose* narrata, sicut & quod postea legitur: *Erat autem terra labii unius*; per recapitulationem dictum est. Ita *S. Augustinus* Lib. 3. *De Doctrinâ Christianâ*, cap. 35. *Sextam*, inquit, *Regulam Tichonius Recapitulationem vocat, in obscuritate Scripturarum satis vigilanter inventam. Sic enim dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cùm ad priora quæ prætermissa fuerant, latenter narratio revocetur. Quod nisi ex hac Regulâ intelligatur, erratur. Sicut in Genesi, cùm commemorarentur generationes filiorum Noë, dictum est, Genesis* 10. Hi filii Cham in „ tribubus suis, secundùm linguas suas in regionibus suis, & in gentibus suis. *Enumeratis quoque* „ *filiis Sem dicitur*, Hi filii Sem in tribubus suis „ secundùm linguas suas in regionibus suis. *Et* „ *adnectitur de omnibus:* Hæ tribus filiorum Noë „ secundùm generationes eorum, & secundùm „ gentes eorum. Ab his dispersæ sunt Insulæ „ gentium super terram post diluvium. Et erat „ omnis terra labium unum, & vox una omni„ bus. *Hoc itaque quod adjunctum est*, Et erat „ omnis terra labium unum, & vox una o„ mnibus, *id est, una lingua omnium, ita dictum videtur tanquam eo jam tempore, quo dispersi fuerant super terram, etiam secundùm Insulas gentium, una fuerit omnibus lingua communis: quod procul dubio repugnat superioribus verbis, ubi dictum est:* In tribubus suis secundùm linguas suas. *Neque enim dicerentur habuisse jam linguas suas singulæ tribus, quæ gentes singulas fecerant, quando erat omnibus una communis; Ac per hoc recapi*„ *tulando adjunctum est:* Et erat omnis terra labium „ unum, & vox una omnibus: *latenter narratione redeunte, ut diceretur quomodo factum sit, ut ex unâ omnium Linguâ fuerint divisi per multas: & continuò de illâ Turris ædificatione narratur: Ubi hæc eis judicio divino ingesta est pœna superbiæ, post quod factum dispersi sunt super terram secundùm linguas suas*. Et Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.4. *Cùm ergo in suis linguis istæ Gentes fuisse referantur, redit tamen Narrator ad illud tempus quando una lingua omnium fuit, & inde jam exponit quid acciderit, ut linguarum diversitas nasceretur. Et erat, inquit, omnis terra labium unum, & vox una omnibus.*

## PROPOSITIO IV.

*Pristinam illam & primigeniam linguam, quæ ante Babelicam confusionem obtinebat, fuisse linguam Hebraicam, eamque Mundo ipsi coævam esse, & Adami priorumque Patriarcharum usu concelebratam, & post Babelicam linguarum divisionem in familiâ Heber integram ad Abrahamum usque & Israëliticam Gentem perseverasse, sententia est Sanctorum aliquot Patrum auctoritate, & verisimilibus rationibus firmata.*

COmmunem illam omnium hominum primigeniamque Linguam ante Babelicam confusionem fuisse Hebraicam, Hebræi Doctores imprimis asserunt. Ita Hierosolymitanus Interpres in cap.11. Genesis: *Et omnes incolæ terræ*, inquit, *lingua unius erant, & sermonis unius, & consilii unius; quippe linguâ Sanctâ loquebantur; quâ est creatus Mundus a principio*. Idipsum habet *Jonathan* in suâ Paraphrasi Chaldaicâ verbis parum diversis. *Idem* asserunt *R. Selomo Jarchi*, & *Aben Esra*. Et in *Bereschit Baraach*, Sect. in Genesis 18. legimus: *Sicut data est Lex in linguâ sanctâ, sic quoque creatus est Mundus in linguâ sanctâ*. Et in Libro *Cosri* Orat.2. Libro 68. *Linguam Hebræam per se esse præstantissimam omnium linguarum, habetur tum ex Kabalâ, tum ex rectâ ratione: Kabala enim seu Traditio est, quòd sit illa lingua in quâ locutus est Deus cum Adamo & Evâ, quâque illi quoque ambo sunt locuti*.

Eadem est sententia *Origenis* Homiliâ 11. in Numeros. *Manserit*, inquit, *lingua per Adam primitus data, ut putamus, Hebræa*.

Ita & *S. Hieronymus* in cap. 3. *Sophoniæ*, ubi illa verba expendens, *Nugas quæ a Lege recesserunt congregabo*, ait. *Id quod dicimus* NUGAS, *sciamus in Hebræo ipsum esse Latinum sermonem* NUGAE; *& propterea a nobis ita ut in Hebræo erat, positum, ut nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem: quod non est hujus temporis disserere*. Idem innuit & in illa verba Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium:* differens enim de vocabulo Hebræo *Alma*, quo non puellam tantùm, sed Virginem significari contendit, hæc habet: *Linguâ quoque Punicâ, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè Virgo nominatur Alma. Et ut risum præbeamus Judæis, nostro quoque sermone Alma dicitur Sancta. Omnium enim penè linguarum verbis utuntur Hebræi ut est illud in Cantico Canticorum de Græco*

*φορεῖον, id est, ferculum fecit sibi Salomon: quod & in Hebræo ita legimus. Verbum quoque* NUGAS & *MENSURAM Hebræi eodem modo & iisdem appellant sensibus.*

Ita *S. Augustinus* Lib. 16. *De Civitate Dei* cap. 11. *Quando*, inquit, *merito elatioris impietatis gentes linguarum diversitate punitæ atque divisæ sunt, & civitas impiorum confusionis nomen accepit, hoc est, appellata est Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret. Unde, sicut supra memoravi, cùm cœpissent enumerari filii Sem, qui singuli gentes singulas procrearunt, primus commemoratus est Heber, cùm sit abnepos ipsius, hoc est, ab illo quintus inveniatur exortus. Quia ergo in ejus familiâ remansit hæc lingua, divisis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua priùs humano generi non immeritò creditur esse communis, ideo deinceps Hebræa est nuncupata. Tunc enim opus erat eam distingui ab aliis linguis nomine proprio, sicut aliæ quoque vocatæ sunt nominibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud quàm humana lingua, vel humana locutio vocabatur, quâ solâ universum genus humanum loquebatur*. Et paulò post: *Nisi adhuc Heber viveret, quando linguarum facta est multitudo, non ex ejus nomine nomen acciperet lingua, quæ apud illum potuit permanere. Et ideo credenda est fuisse prima illa communis: quoniam de pœnâ venit illa multiplicatio mutatioque linguarum: & utique præter hanc pœnam debuit esse Populus Dei. Nec frustra lingua hæc est, quam tenuit Abraham, nec in omnes filios suos transmittere potuit, sed in eos tantùm qui propagati per Jacob, & insigniùs atque eminentiùs in Dei populum coalescentes, Dei testamenta & stirpem Christi habere potuerunt. Nec Heber ipse eamdem linguam in universam progeniem suam refudit; sed in eam tantùm cujus generationes perducuntur ad Abraham. Quapropter etiamsi non evidenter expressum est, fuisse aliquod pium genus hominum, quando ab impiis Babylonia condebatur: non ad hoc valuit hæc obscuritas, ut quærentis fraudaretur, sed potiùs ut exerceretur intentio. Cùm enim legitur unam fuisse linguam primitus omnium, & ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamvis ab illo quintus oriatur; & Hebræa vocatur lingua, quam Patriarcharum, & Prophetarum, non solùm in sermonibus suis, verùm etiam in Literis sacris custodivit auctoritas: profectò cùm quæritur in divisione linguarum, ubi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis; quæ, sine ullâ dubitatione, ubi remansit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione linguarum; quid aliud occurrit, nisi quòd in hujus gente remanserit, a cujus nomine nomen accepit; & hoc justitiæ gentis hujus non parvum apparuisse vestigium, quòd cùm aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non pervenit tale supplicium?* Et Libro 18. cap. 39. *Non itaque credendum est, quod nonnulli arbitrantur, Hebræam tantùm linguam per illum qui vocabatur Heber, unde Hebræorum vocabulum est, fuisse servatam, atque inde pervenisse ad Abraham, Hebræas autem Literas a Lege cœpisse, quæ data est per Moysen; sed potiùs per illam successionem Patrum, memoratam linguam cum suis literis custoditam. Denique Moyses in Populo Dei constituit, qui docendis literis præessent, priùs quàm divinæ Legis ullas literas nossent. Hos appellat Scriptura* γράμματο εἰσαγωγεῖς, *qui Latinè dici possunt Literarum Inductores, vel Introductores, eo quòd eas inducant, id est, introducant quodammodo in corda discentium, vel in eos potiùs ipsos quos docent.*

Nonnullis etiam rationibus verisimilibus quidem, sed non cogentibus nititur hæc sententia. Prima sumitur ex nominibus propriis sive hominum, sive locorum, quæ orbe condito usque ad linguarum confusionem in Historiâ *Mosis* commemorantur, & quorum origines in Hebraicâ linguâ reperiuntur. *Adam* primus homo dictus est, quia ex *Adamâ* seu terrâ factus. *Chava* seu *Eva* prima mulier, a vitâ, quia mater omnium viventium. *Cain* unus e filiis, ab acquirendo, seu possidendo, quia in ejus ortu *Eva* dixit: *Possedi hominem per Deum*. Alius *Seth*, a ponendo, quia dixit Eva: *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel*. Eòdem pertinent nominum allusiones ad voces Hebraicas, ut *Eva*, quę dicta est *Issa*, quia ex *Is*, id est ex viro sumpta est; cùm allusio similis in aliis linguis non reperiatur. Aliud argumentum sumitur ex antiquis variarum gentium appellationibus, quæ ex nominibus originis plerumque Hebraicæ propagatæ sunt, ut ostendit *S. Hieronymus* Lib. *De Nominibus Hebraicis*. Tertia ratio sumitur ex Hebraicæ linguæ vestigiis & reliquiis, quæ in omnibus aliis linguis perseverant, præsertim in linguis Orientalibus. Quarta arcessitur ex Hebraicæ linguæ castitate & simplicitate, quæ cùm per alias linguas diffusa sit, nihil quicquam ex illis habet admixtum; cùm Chaldaica & Syriaca peregrinas voces quamplurimas habeant.

At hujusmodi rationes non cogere, patet ex Responsionibus Virorum Eruditorum. Ad primam respondet *Grotius*, in cap. 11. *Genesis*, nomina illa Hebraico sermone a *Mose* esse expressa, Hebræorum gratiâ: in eumdem significatum quem in primævâ linguâ obtinuerant, cujus mutationis multa profert exempla; velut illa e *Curtio*, Milites quosdam a Persis vocatos esse *Immortales*; *Chiliarchos* verò eos qui mille militibus præessent; quas voces aliter extulisse Persas haud dubium est, *Clupeam* præterea Latinos appellasse, quæ *Aspis* dicebatur, *Pithecusam* & *Ampelusiam* Græcos vocasse, quæ Punica nomina habebant ejusdem notionis; & Græcos Scripturæ Interpretes nomina quædam Hebraica locorum Græcè reddidisse. Addit eruditissimus Præsul *Daniel Huetius* in Evangelicâ Demonstratione, Propositione 4. cap. 13. Vulgati Scripturæ Sacræ Interpretis exemplum, qui istud exponens: *Hæc vocabitur Issa, quoniam ex Is sumpta est*: eamdem originationem Latinis nominibus expressit: *Hęc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*. Isaacum, cujus nomen Hebraicè risum sonat, *Alexandrum Polyhistorem* γέλωτα appellasse. *Esau* cui & *Edom*, hoc est *Rufo* nomen fuit, *Erythram* a Græcis dictum. Qui *Cephas* a Christo nomen habuit *Petrum* a Græcis nuncupatum. *Mosis* nomen quod merè Hebraicum est, ab Ægypto ductum, quod ipsi primò a filiâ *Pharaonis* impositum fuit, ut constat ex Exodi 11. 10. *Origenis* auctoritate hanc fulciri posse Responsionem, docentis in Epistolâ ad *Africanum*, Græcos Interpretes allusiones & originationes, si quæ in Hebraicis occurrerent, similibus allusionibus & originationibus Græcis, diversæ licèt significationis reddidisse: & allusiones inter Πρῖνον ac Πρίσειν, & σχῖνον, ac σχίσει quę occurrunt in Historiâ *Susannę*, excogitatas fuisse ab Interprete Gręco, ut aliis allusionibus, quas in alterius significationis vocibus Scriptor Hebræus proposuerat, ex æquo responderent. Exemplum in Latinâ loquelâ dat *S. Hieronymus* Præfatione in Danielem: *Cujus rei nos intelligentiam*, inquit, *nostris hanc possumus dare; ut verbi gratiâ dicamus de arbore ilice dixisse eum, Illico pereas: & a lentisco: In lentem te comminuat Angelus; vel, non lentè pereas; aut, Lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem; sive aliud quid ad arboris nomen conveniens*. Simile quid in reddendis nominibus propriis a *Mose* factum respondet doctissimus *Huetius*. Id autem ipsum præ Gentium Historicis factitasse, quia in nominum Hebraicorum originationibus ac veriloquiis vis inerat ac sensus cognitu utilis, & Hebræis ad virtutem informandis opportunus. Conducibile quippe erat Populo Dei scire verbi gratiâ, *Adami* nomen a terrâ derivatum

tum, ut omnes conditionis humanæ meminissent, cùm primus homo fuerit de terrâ formatus.

Ad secundam rationem respondetur, Plurima variarum illarum gentium nomina, quæ habet *Moses*, nihil planè in Hebraicâ linguâ significare: quæ autem aliquid significant, ista ad linguæ suæ inflexionem ac modum illum accommodasse, quemadmodum vulgò fieri solere notum est, multisque exemplis ex Etymologistarum Græcorum & Latinorum penu prolatis ostendi facilè potest.

Ad tertiam rationem respondet doctissimus Præsul *D. Huëtius*, Ex Phœnicum peregrinationibus factum esse, ut in Occidente multa extiterint Hebraicæ linguæ vestigia: In Oriente verò tot bella gessisse Israëlitas, tot incursionibus a vicinis Gentibus lacessitos, tot transmigrationibus in Ægyptum, in Babyloniam, & Assyriam disseminatos, ut mirum non sit Linguam Hebraicam cum ipsâ Gente quaquaversus se diffudisse.

Ad quartam rationem respondetur. Cùm Linguæ Hebraicæ aliquam cum aliis linguis cognationem esse constet, puta cum Chaldaicâ & Arabicâ, haud facilè demonstrari posse voces communes potiùs ex illâ in has, quàm ex his in illam dimanasse.

*Illustris Huëtii sententiâ.* Censet autem doctissimus *Huëtius* Linguam Hebraicam non aliam fuisse quàm Chananæam ipsam, unam ex iis quæ ortæ sunt ex Babelicâ confusione; pristinam verò illam & primigeniam, quæ ante confusionem linguarum obtinebat, cùm terra omnis erat *labii unius & sermonum eorumdem*, vel funditùs interiisse, vel in alias linguas esse disseminatam; vel si perseveravit integra, quænam illa fuerit, Assyria, an Chananæa, an alia quævis, sciri omnino non posse. *Abrahamum* e Chaldæâ in Chananæam profectum regionis illius linguam perdidicisse, quod faciunt qui in externâ regione sedem figunt. Chaldaicæ itaque & Chananææ Linguæ fuisse peritum. Quod probabile censet *S. Hieronymus* in cap. 1. *Daniel.* vers. 4. At ejus posteros unâ Chananæâ utpote vernaculâ contentos alteram neglexisse. Hanc verò Hebraicam dictam esse, quia ab Hebræis usurpabatur. Qui postquam Babylonem captivi adducti sunt, ex Chaldæorum, inter quos dispersi erant, commercio, patriam inquinarunt loquelam: & ex Chaldaicæ & Hebraicæ confusione tertia prodiit loquela, quæ Syriaca dicta est, quam Christus & Apostoli usu suo consecrarunt.

Phœniciam porrò seu Chananæam Linguam eamdem esse cum Hebraicâ probat Vir Doctissimus ex nominibus locorum & gentium, quas illuc advenientes Hebræi repererunt: Hæc siquidem planè Hebraica sunt. Secundò, ex illo *Isaiæ* 9. vers. 18. *In die illâ erunt quinque civitates in Terrâ Ægypti, loquentes linguâ Chanaan & jurantes per Dominum Exercituum.* Linguam Chanaan hîc Hebraicam significare consentiunt Interpretes. At a Chaldaicâ hanc distinctam fuisse, tum multa alia probant, tum illud præsertim *Jeremiæ* oraculum, quo Hebræis exitium a Chaldæis impendere vaticinatur cap. 5. vers. 15. *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, Domus Israël, ait Dominus, gentem robustam; gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.* Hæc autem de Chaldæis intelligi constat ex 2. *Paralipomenon* cap. ultimo vers. 17. & 21. De Chaldaicâ pariter Gente dicitur *Isaia* cap. 28. vers. 11. *In loquelâ labii, & linguâ alterâ loquetur ad Populum justum.* Et *Baruch.* 4. vers. 15. *Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam & alterius linguæ.* Accedit quòd Pueros Hebræos *Nabuchodonosor* instrui jussit literis & linguâ Chaldæorum: & verba illa, *Mane, Thekel, Phares*, Hebraicè descripta neque legere potuerit Chaldæus ullus, neque intelligere; Daniel verò facilè perlegit. Huic Doctissimi Præsulis *Huëtii* sententiæ haud ægrè subscribo, Censuram *P. Claudii Frassen* nihil veritus, qui Illustrem Auctorem, & in hoc omnique alio literarum genere ad miraculum pene eruditum inurbanè perstrinxit cap. 7. Disquisitionum Biblicarum §. 3. eumque *novâ cudendi dogmata prurigine* laborantem effutire, & *temeritatis* notam tam claro & venerando apud universam eruditorum hominum gentem nomini inurere ausus est. *P. Frassen emendatur.* In hâc sanè & similibus controversiis, quæ nullius sunt ad Fidem & pietatem Christianam & Catholicam momenti, liberum est cuique sentire quod probabilius ipsi visum fuerit; & aliter sentientibus insultare virorum est suam sententiam nimis amantium. Miror cur non & in *Theodoretum* debacchatus fuerit *P. Frassenus*, cùm ille Syriacæ Linguæ, non Hebrææ, primas antiquitatis adjudicet, atque Hebraicam sacram esse linguam, non naturalem asserat, nec ab *Heber* appellatam, a quo non soli Hebræi, sed & alii Populi orti sunt; sed ab *Abrabam*, qui e regione Chaldæorum in Palæstinam veniens fluvium Euphratem transiit. *Theodoretus Quæst. 60. & 61. in Genesim* *Eber* enim *trans* vel *ultra* significat; & Pater Credentium *Abraham* appellatus est ab *Eber Hannahar*, quod idem est ac *transfluvialis*: sive a voce *Ibri*, quæ *transitorem* significat. Primus certè omnium Hebræus appellatus legitur *Abraham* Genesis 14. vers. 13. *Et ecce unus qui evaserat, nunciavit Abram Hebræo.* Et de *Josepho*, *Jacobi* filio legimus Genesis 41. vers. 12. *Erat ibi puer Hebræus;* & cap. 43. vers. 32. eodem nomine designantur ceteri *Jacobi* filii: *Illicitum est enim Ægyptiis comedere eum Hebræis.* Ex quibus fit verisimile, non ab *Heber*, sed ab *Abraham* ortum esse istud nomen, linguamque Chananæam ab eodem nomen Hebrææ traxisse, quòd primus ipsam posteris tradiderit. Ut ut est, prudentiori judicio librata Eruditis omnibus videbitur illa *Theodoreti* sententia, quàm Censura P. Frasseni: *De hoc contendere superfluum est. Nullum enim, ex eo pietatis rationibus detrimentum accedit, sive hoc, sive illud recipiamus.* *Theodoretus Quæst. 61. in Genesim.*

## SCHOLION.

Nembroth & adjunctorum illi hominum superbia Turrim molita est, cujus fastigium ad nubes usque pertingeret. Non ita filii Dei, quibus persuasum est, quòd *Tutam veramque in cœlum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum, non contra Dominum; sicut dictus est gigas iste Venator contra Dominum.* *S. August. Lib. 16. de Civitate Dei c. 4.* Sicut porrò post Diluvium *Superba impietas hominum Turrim contra Dominum ædificavit excelsam, quando per linguas diversas dividi meruit genus humanum, ut unaquaque gens linguâ propriâ loqueretur, ne ab aliis intelligeretur; sic humilis Fidelium pietas earum linguarum diversitatem Ecclesiæ contulit unitati; ut quod discordia dissipaverat, colligeret caritas, & humani generis tamquam unius corporis membra dispersa ad unum caput Christum compaginata redigerentur, & in sancti Corporis unitatem dilectionis igne conflarentur.* *Idem, Serm. 271. aliàs de Tempore 197.*

# DISSERTATIO VI.

## De Anno Natali Abrahami, & Profectionis ejus in Terram Chanaan.

*PROPOSITIO UNICA.*

*Abraham a Deo vocatus, cùm esset in Mesopotamiâ, seu in Ur Chaldæorum Regione, jussus a Deo relinquere Patriam, profectionem in Terram Chanaan adornavit cum patre Thare, Sarâ uxore, & Loth nepote. Cùm autem Harane aliquandiu substitissent, Thare ibi defuncto, Abraham in Chananæam abiit anno ætatis suæ septuagesimo-quinto: adeòque anno Thare centesimo trigesimo ipsum natum esse demonstratur.*

PRobatur ex fine capitis 11. & initio 12. Geneseos. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Loth filium Aran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abraham filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in Terram Chanaan: veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran. Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Lot: septuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran.* Ex quibus sic colligo: *Thare Abrahami* parens diem supremum obiit anno ętatis suæ ducentesimo-quinto: Exiit verò de Haran & in Chananitidem iter instituit anno ætatis septuagesimo-quinto. Porrò si de annis *Thare* ducentis quinque auferas istos *Abrahami* septuaginta-quinque annos, supererunt anni centum triginta. Natus igitur est Abraham anno *Thare* patris centesimo-trigesimo, non septuagesimo, ut Viris quibusdam Eruditis videtur, & mihi etiam aliquando visum est, Dissertatione *De Vulgatâ Scripturæ Sacræ Versione*, Quæst.6. Num.86.

Respondent nonnulli, *Abraham*, cùm defuncto patre venit in Terram Chanaan, fuisse re verâ centum triginta-quinque annorum, sed tamen dici a *Mose* septuaginta-quinque dumtaxat, annos ejus numerando, non ab ejus ortu, sed ab eo tempore quo a Chaldæis propter unius veri Dei confessionem & cultum in ignem conjectus, divinâ protectione incolumis evasit. Eam responsionem sustentant auctoritate *S. Hieronymi* Lib. *Traditionum Hebraicarum in Genesim*, & *S. Augustini* Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap.15.

Verùm hanc responsionem fabulosâ narratione fultam, constat ex his quæ in Synopsi Artic.2. Num.10. diximus, & aliunde validissimo refellitur argumento ex Scripturâ Sacrâ petito. Si enim *Abraham*, cùm primùm in Terram Chanaan iter instituit, annos centum triginta-quinque natus erat, moriente *Thare* egisset *Isaac* annum ętatis trigesimum-quintum, quòd Scripturæ disertè repugnat. Siquidem *S. Stephanus* Act. 7. testatur *Abrahamum* ex Charan exisse, & in Chananęam venisse post mortem patris, Deumque promisisse illi terram hanc & semini ejus post ipsum, *Cùm non haberet filium*. Quod autem ex eâ hypothesi sequi dixi, *Isaacum* annos triginta-quinque fuisse natum cùm *Thare* mortuus est, ex eo probatur manifestè, quod *Abramo* natus est cùm centenarius esset: Genesis 17. vers.17. *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Frustra enim respondent *Abrahamum* cùm genuit *Isaac*, centum annorum ętatem longè superasse; alioqui miratus non fuisset inquiunt promissum sibi filium eâ ætate quâ vegetus adhuc & & rei uxoriæ aptus erat, maximè si patri trigesimum supra centesimum annum agenti natus ipse fuisset. Frustra, inquam, id respondent, siquidem constat ex ipso capite 17. Genesis promissionem filii ex Sarâ factam *Abrahamo*, cùm nonaginta & novem annos ageret, eique anno sequenti natum Isaacum: *Postquam verò nonaginta & novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, &c. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illâ dabo tibi filium... Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.* Quod autem aiunt, si centenarius tantùm fuit, nullam fuisse causam cur miraretur eâ ætate promitti sibi filium, quâ vegetus adhuc erat; refellitur verbis Apostoli ad Romanos 4. *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quòd dictum est ei: Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam fere centum esset annorum, & mortuam vulvam Saræ.*

Respondent alii, Abrahamum exiisse quidem de Haran anno ætatis suæ septuagesimo-quinto, sed negant id contigisse post mortem *Thare* patris ejus; imò in centesimum quadragesimum-quintum annum *Thare* hanc profectionem incidisse volunt. Quòd autem ipsam post mortem *Thare* Moses referat, hoc recapitulationi tribuunt, *S. Augustino* præeunte, Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.15. Aiunt scilicet, voluisse *Mosen* uno tenore narrare omnia quæ ad *Thare Abrahami* patrem spectabant, ne deinceps de ipso *Abrahamo* sermonem facturus, rerum a S. Patriarchâ gestarum seriem interrumpere cogeretur, ut *Thare* mortem narraret. Hujus itaque mortis mentione factâ, redire Mosen ad profectionem *Abrahami* in Terram Chanaan, licèt sexaginta annis ante obitum patris hoc iter *Abrahamus* instituisset.

Verùm hęc Responsio S. Protomartyris *Stephani* verbis evertitur Actuum 7. disertè asserentis, *Abraham* Charane in Terram Chananęam post mortem patris migrasse. *Deus glorię*, inquit, *apparuit Patri nostro Abrahę cùm esset in Mesopotamiâ, priùs quàm moraretur in Charan; & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de terrâ Chaldęorum, & habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in Terram istam, in quo vos nunc habitatis. Et non dedit illi hęreditatem in eâ, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cùm non haberet filium.*

Qui Abrahamum anno septuagesimo *Thare* natum opinantur; varios quærunt exitus ut hanc difficultatem evadant. *S. Hieronymus* in Quæstionibus Hebraicis in Genesim, *Indissolubilem Quæstionem* hanc appellat. *Josephus Scaliger* in Elencho posterioris Orationis Chronologicæ D. Paræi, *Eliam* expectandum esse ait, qui nodum solvat. *Melchior Cano* memorię lapsum ex concionis ęstu in *S. Stephano* admittit. *Georgius Syncellus* in Chronico, *Andreas Masius* in *Josuë* cap. ultimum, & *Nicolaus Abramus*, in Pharo Veteris Testamenti, verba *S. Stephani* non de morte *Thare* na-

naturali, sed de spirituali idololatriç morte interpretantur: quòd apud Deos suos, quorum superstitioso cultui erat deditus, Charane manere statuisset, & filium inde a Deo vocatum in Chananęam sequi obstinatissimè renuisset. Verùm hęc responsio inanis est, cùm verba Proto-Martyris a sensu literali, quem in suâ narratione ipsum spectasse minimè dubium est, ad mysticum & tropologicum detorqueat: nec etiam verisimile sit *Thare*, qui filium *Abrahamum* ex Ure, idololatricâ Chaldęorum urbe miseratione divinâ vocatum ultro secutus fuerat, in Chananęam quoque (si in itinere morbo Charane detentus, & morte sublatus non fuisset) comitaturus; Charane subsistentem in idololatriam relapsum fuisse. *Pererius* in *Genesim Lib.16. Disputatione 13.* post *Tostatum*, duas Abrahami profectiones ex Haran in Chananęam distinguendas asserit. Priorem, cùm septuaginta quinque esset annorum, patre adhuc vivente; posteriorem, cùm esset annorum centum triginta-quinque, patre jam mortuo factam. Prioris *Mosen*, posterioris *S. Stephanum* meminisse. Per sexaginta verò postremos patris sui annos, non tam habitasse in Terrâ Chanaan eum dici posse censent, quàm peregrinatum esse, quòd per intervalla patrem & fratres reviseret. Sed renuntiatâ patris morte reversum in Haran, ut vel patris funus curaret, vel ne bona, quę paternâ hæreditate sibi obvenerant, perderet; egressum inde postea eum fuisse ait, firmissimo animo certissimoque proposito nunquam eò in posterum revertendi, ut perpetuus deinceps Terræ Chananęæ colonus & habitator esset. Ita enim μετώκισεν αὐτὸν *Actuum 7.* vers.4. ille interpretatur. *Colonum & habitatorem fecit, eique quasi nunquam ampliùs reversuro domicilium in Terrâ Chanaan statuit, siquidem vox μετοικία non simplicem translationem, sed quasi coloniam denotat.* Atque hanc responsionem *B. Augustini* auctoritate confirmat, qui pro verbo *transtulit*, quo Latinus Interpres utitur Actuum 7. legit, *collocavit*. *Intelligendum igitur est*, inquit S. Augustinus, *locutum fuisse Deum cum Abraham, cùm esset in Mesopotamiâ priùs quàm habitaret in Charran: sed eum in Charran pervenisse cum patre, retento apud se præcepto Dei, & inde exiisse septuagesimo & quinto suo, patris autem sui centesimo quadragesimo-quinto anno. Collocationem verò ejus in Terrâ Chanaan, non profectionem de Charrâ, post mortem patris ejus factam esse dicit; quia jam mortuus erat pater ejus, quando emit terram, cujus ibi jam sua rei cœpit esse possessor. Quòd autem jam in Mesopotamiâ constituto, hoc est, jam egresso de Terrâ Chaldæorum, dicit Deus*, Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, *non ut corpus inde ejiceret, quod jam fecerat, sed ut animum avelleret, dicitur. Non enim exierat inde animo, si spe redeundi & desiderio tenebatur, quæ spes & desiderium, Deo jubente ac juvante, & illo obediente, fuerat amputandum. Non sanè incredibiliter existimatur, cùm postea secutus esset Nachor patrem suum, tunc Abraham præceptum Domini implesse, ut cum Sarâ conjuge suâ, & Lot filio fratris sui, exiret de Charrâ.*

Verùm hæc de duplici *Abrahami* in Chananæam profectione opinio firmissimis argumentis refellitur. Primò, haud verisimile est, *Abrahamum* semel a Deo vocatum, jussumque patriam, cognationem, & domum patris deserere, ad suos, parentemque rediisse, cùm de illo præsertim intelligantur verba Apostoli ad Hebræos 11. vers.15. *Et siquidem ipsius* [ Patriæ ] *meminissent, de quâ exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem*. Hoc, inquam, Apostoli oraculum in *Abrahamo* præcipuè locum habuit, qui urgente fame, ad Ægyptios, non sine præsenti vitæ periculo proficisci maluit, quàm ad suos reverti [ *Genesis 10. vers. 12.* ] & tantopere cavit, ne filius suus *Isaac* in eam terram reduceretur, ex quâ ipse egressus erat. ( Genesis 24. vers.5. 6. 8. ) *Respondit* Servus: *Si noluerit Mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es? Dixitque Abraham: Cave ne quando reducas filium meum illuc... Sin autem Mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento: filium meum tantùm ne reducas illuc.*

Secundò, loquitur *S. Stephanus* de eâdem profectione, quam Moses commemorat cap.12. *Genesis* vers.1. his verbis: *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus.* His ( inquam ) planè gemina est Proto-Martyris narratio Actuum 7. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamiâ, priùs quàm moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de Terrâ Chaldæorum, & habitavit in Charan, & inde, postquàm mortuus est pater ejus, transtulit illum in Terram istam, in quâ nunc vos habitatis.* Enimverò si de aliâ profectione *S. Stephanus* loquitur, in promptu est ut quæramus unde illam habuerit, cujus ne umbra quidem in Mosaicâ Historiâ apparet: cùm tamen *Moses* solerti diligentiâ omnia *Abrahami* facta, dicta, peregrinationes, mansiones, locorumque mutationes persecutus sit? Num ergo verisimile est *S. Stephanum* de *Abrahami* ex Chaldæâ in Charan, & ex Charâ in Chananæam migratione, quâ Dei vocantis mandato obsecutus est, coram Judæis verba facientem, & de re ex solo *Mose* ipsis cognitâ orationem habentem, aliter locutum fuisse quàm ipse *Moses*, aut rem ab illo dissimulatam & tacitam asseruisse, cujus unius auctoritate fidem illis facturus erat? Cùm itaque *Moses* Abram de Charane egressum dicat anno ætatis septuagesimo-quinto, *S. Stephanus* de eâdem profectione loqui censendus est: maximè cùm post translationem ejus in Chananæam Deum ipsi repromisisse commemoret, daturum se illi terram istam in possessionem, & semini ejus post ipsum; eamque promissionem *Abrahamo* factam, cùm non haberet filium. Id autem anno septuagesimo-quinto *Abrahami* optimè convenit, non anno centesimo-trigesimo quinto, quo jam annum ætatis trigesimum-quintum agebat *Isaacus*, cujus ortum repromissiones *Abrahamo* factæ præcesserant. Locutus est itaque *S. Stephanus* de eâdem omnino profectione, de quâ *Moses*: nec ullum proferri potest duplicis profectionis fundamentum.

Tertiò, verbum μετοικίζειν, quo usus est *S. Lucas* in Actis, quòdque Latinus Interpres vertit, *transtulit*, nihil aliud significat, quàm facere ut quis migret, vel sedes mutet: sive peregrinatio ea transmigratio dicenda fuerit, sive quid aliud, sive is qui migrat, fixè & constanter in termino quem petit, sive ad tempus sit permansurus. Unde hoc ipsum vocabulum de transmigratione Babylonicâ *S. Stephanus* in Concione suâ usurpavit. *Abrahami* itaque migrationi e Charane anno ætatis suæ septuagesimo-quinto cum familiâ & re familiari totâ, Dei jussu se transferentis, μετοικίας appellatio propriè convenit: sicut & ejusdem *Abrahami* commorationi in Chananæâ peregrinationis nomen tribuitur, Exodi 6. vers.3. 4. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob... Pepigique*

*que fœdus eum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in quâ fuerunt advenæ.* Quod testatur & Apostolus ad Hebræos 11. verf.9. ABRAHAM, inquit, *Fide demoratus est in Terrâ repromissionis, tanquam in alienâ, in casulis habitando, cum Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem.* Unde illorum etiam concidit opinio, qui difficultatem omnem per expositionem verbi μετῴκισεν tolli posse existimant, quod *collocavit*, seu *firmiter habitare fecit*, illi interpretantur. Accedit, quòd non levis ponderis est ad evertendum duplicis translationis figmentum, quòd *Abraham*, cùm secundâ illâ vice, juxta illos, ex Charane in Chananæam reversus est, non potest dici mutasse habitationem & domicilium, cùm jam annis sexaginta in Chananæâ habitasset, & negotii duntaxat conficiendi causâ in Charan abiisset, animo statim in Chananæam revertendi: sicut nec mutasse dicitur habitationem & domicilium, qui Parisiis commoratur, cùm negotiorum causâ Burdigalam se confert, inde mox confectis negotiis domum reversurus.

Quartò, si *Abraham* anno ætatis suæ centesimo trigesimo-quinto in Charan rediit, quidni tunc *Rebeccam* filio suo uxorem accepit, potiùs quàm post annos quinque magnis impendiis eò servum allegaret, cùm *Isaacus* annum jam trigesimum quintum agens uxori maturus esset? Cur servus de rebus Domini sui, de ejus opulentiâ; de filio ex *Sarâ* suscepto, quasi de rebus ignotis loquitur *Genesis* 24. verf.35. & 36. Si ante paucos annos *Abraham* suos inviserat, quomodo *Moses* cap.22. nunciatum ait Abrahæ, *Quòd Melcha genuisset filios Nachor fratri suo, Hus primogenitum, & Buz fratrem ejus, & Camuel patrem Syrorum; & Ased, & Azau, Pheldas quoque & Jedlaph; ac Bathuel, de quo nata est Rebecca:* si ipse *Abraham* ad eos reversus fuerat post mortem *Thare*? Hæc enim omnia præsens spectare potuisset.

Objiciunt: Si *Abraham* Charane exiisset post mortem patris, natus fuisset ille cùm *Thare* esset annorum centum-triginta. *Thare* enim vixit ducentos quinque annos (*Genesis* 10. verf.32.) *Abraham* verò erat septuaginta quinque annorum cùm egrederetur de Haran (*Genesis* 12. verf.12.) porrò a *Thare* genitum esse *Abrahamum* cùm esset septuaginta annorum, verba illa Mosis, *Genesis* 11. verf.26. disertè probant: *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abraham, Nachor, & Aram.*

Respondetur, Nihil aliud his verbis significari, quàm *Thare* anno ætatis suæ septuagesimo liberis operam primùm dare cœpisse, & tres filios, suo quemque ordine, deinceps suscepisse: ordine eorum ex industriâ confuso, ut non a tempore susceptæ primùm ab eo prolis, sed a morte ipsius, & cum eâ conjunctâ *Abrahami* in Chananæam migratione, annorum Mundi series continuanda, & Chronologiæ sacræ ratio constituenda intelligeretur. Ita *Usserius* cap.7. Chronologiæ Sacræ. Quòd autem primus in serie filiorum *Thare Abraham* nominetur: non est argumento eum primogenitum fuisse, sed ipsius primo loco meminit Scriptura ratione dignitatis, ut docet *Procopius Gazæus* in cap.11. Geneseos. *Hinc quis intelligat* [inquit] *Aran annorum numero anteivisse Abrahamum & Nachor; licèt in narrationis serie priore loco Abraham sit positus. Non tamen id accidit, ut senior cæteris sit habendus: sed id tributum est honori Patriarchæ.* Theodoretus etiam, in Catenâ Græcâ ab *Aloysio Lipomano* prolatus, docet *Abrahamum* trium fratrum novissimum in senectâ patris fuisse genitum. Quam solutionem & *S. Augustinus* probabilem censet, ac minimè contemnendam, Quæstione 25. in Genesim. *Potest*, inquit, *& sic solvi*, „ *quoniam Scriptura quæ dixit*, Cùm esset Thara „ annorum septuaginta, genuit Abraham, & „ Nachor, & Arran; *non utique hoc intelligi voluit, quia eodem anno septuagesimo ætatis omnes tres genuit, sed ex quo anno generare cœpit, eum annum commemoravit Scriptura. Fieri autem potest ut posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiæ quâ in Scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus: sicut Propheta priorem nominavit minorem* [Jacob dilexi, Esau autem odio habuit:] *& in Paralipomenon, cùm sit quartus nascendi ordine Judas, prior est commemoratus, a quo Judaicæ Genti nomen est, propter Tribum Regiam. Commodiùs autem plures exitus inveniuntur, quibus Quæstiones difficiles solvantur. Consideranda est sanè narratio Stephani de hac re, cui magis harum expositionum non repugnet.* Matth. 1. 2. 1. Paralip. 4.

Porrò ex tribus *Thare* filiis *Aran* natu fuisse maximum, non *Abrahamum*, inde colligitur, quòd fratrum alter *Nachor*, filiam ejus *Melcham* accepit in uxorem, alteram verò scilicet *Jesceam*, quę & *Sarai* appellata est, ipse *Abraham* uxorem duxit. *Genesis* 11. verf.28. & 29. At *Sara* decem annis tantùm junior erat Abraham, ut liquet ex Genesis 17. verf.17. *Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Si igitur *Aran* junior fuisset *Abrahamo*, sequeretur ipsum annos decem aut octo natum non fuisse, quando genuit *Saram*: quod commentum Hebræorum est in *Sanhedrim*, cap.8. & *Seder Olam Rabbâ*, cap.2.

Instant; In nostrâ hypothesi annum nativitatis *Abrahami* non fuisse a *Mose* consignatum, adeòque tempus Secundæ Mundi Ætatis incertum esse, neque suam Chronologiæ sacræ constare satis rationem, quæ per *Abraham* deducitur.

Respondetur, Ex *Mosis* historicâ narratione satis evidenter colligi annum natalem *Abrahami*; siquidem magnæ curæ ipsi fuit notare quot annorum fuerit, cùm *Thare* Pater ejus mortuus est, & cùm de Charan exiit, atque in Chananæam est profectus. Ideo autem annum quo *Abraham* natus est, *Moses* non expressit, sed annum duntaxat profectionis ejus in Chananæam, eum anno mortis *Thare* Patris ejus conjunctum; cujus etiam solius universos vitæ annos commemoravit, quod aliis Patriarchis, qui post Diluvium vixerunt, non præstiterat, sed solùm quot vixerunt annos post generationem filiorum notaverat; ut Secundæ Mundi Ætatis finem & terræ initium, non a παιδογονίας *Thare* tempore, sed a morte ipsius, & *Abrahami* profectione in Chananitidem sumendum esse innueret.

## SCHOLION.

Admirabilis Abrahami fides & obedientia, qui Deo vocanti morem gerens, patriam, cognationemque suam generosè deseruit, Deum, Cælum, Æternitatem omnibus præponens, seque Mundi exulem, Cæli civem conversatione professus, perfectorum exemplar, ut credentium pater, homo ante Christi tempora Christianus, ante Evangelia Evangelicus, ante Apostolos Apostolicus. Hujus exemplum sequantur quicunque perfectionem Evangelicam profitentur, & ex animo dicant: *Nihil habemus nisi Christum, & vide si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus.* Nemo Christianus renuntiare sæculi vitiis, moribus, vanitati, pompisque non debet, quamvis corpore, statu, necessitudinum ac negotiorum vinculis sæculo illigatus sit. Omnis Christianus *Exul Mundi, Cæli civis* esse debet. *Non enim hic habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* S. Paulinus Epist. 5. ad Severum.

*Finis Secundæ Mundi Ætatis.*

TER-

# TERTIA MUNDI ÆTAS
## A PROFECTIONE ABRAHAMI IN CHANANÆAM, AD EXITUM FILIORUM ISRAEL EX ÆGYPTO, ANNOS QUADRINGENTOS ET TRIGINTA COMPLEXA.

# HISTORIÆ SYNOPSIS

## CAPUT PRIMUM.

### Hujus Ætatis exponitur Historia ut a Mose descripta.

#### ARTICULUS I.

*De Abrahamo.*

*Abrahami vocatio, & profectio in Terram Chanaan.*

I. ABRAM defuncto Patre, cùm esset annorum septuaginta-quinque, Deum vocantem secutus, assumptâ uxore suâ, & *Lot* filio *Aran* fratris sui, & universis facultatibus quas comparaverant, & animabus quas fecerant, hoc est, gregibus ac servis, quos acquisiverant Charane, profectus est in Terram Chanaan. A Deo vocatum, cùm adhuc in Mesopotamiâ versaretur, additâ Fœderis Evangelici promissione de benedicendis in ipso, id; est, in Semine ipsius benedicto, Domino nostro Jesu-Christo, omnibus Gentibus terræ, constat ex *Genesis* 12. *Actuum* 7. & ad *Galatas* 2. Vers. 16. ubi Apostolus: *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: & semini tuo, qui est Christus*. Ab hac promissione, & migratione *Abrahami* eam subsecutâ, numerandi sunt anni quadringenti & triginta peregrinationis *Abrahami*, & posterorum ipsius in terrâ non suâ, [ *Galat*. 3. vers. 17. ] Quod singulari Dissertatione explicabimus. Cùm in Chananitidem venissent, transivit *Abraham* per regionem illam usque ad locum *Sichem*, usque ad *Convallem Illustrem*: Id est, ad vallem nobilem & famosam ob ejus pulchritudinem & amœnitatem. Quercubus consita erat hæc vallis. Unde 70. Interpretes *Elon Moreh*, quod Hebraicè legitur, & quod S. Hieronymus *Convallem Illustrem* vertit, reddiderunt, *Usque ad Quercum excelsam*. A planitie mediâ inter duos Montes Gelboë & Hermon per totum defluxum Jordanis usque ad Mare Mortuum extenditur. Sunt in ipsâ Valle urbes nobiles, Scythopolis, Tiberias, & Jericho. Lege *Adrichomium* & *Brochardum* in Descriptione Terræ Sanctæ. Ibi apparens Dominus *Abram*, promisit semini ejus Terram hanc se daturum. Porrò in eo loco Altare Domino Sanctus Patriarcha ædificavit, eumque omnibus religionis officiis coluit, gratique animi ipsi exhibuit monumentum. Indè ad montana transgressus est versùs Orientalem tractum *Luzi*, postea *Bethel* dicti. ( *Genesis* 28. vers. 19. ) Ubi ædificato Altari invocavit nomen Domini. Mox in Meridianum regionis tractum penetrans, grassante fame in Ægyptum descendit, ubi *Sarai* uxor, quam ex condito sororis nomine compellaverat ad vitandum periculum, in domum Regis Pharaonis sublata, postea cum muneribus intacta ipsi *Abram* restituta est; amboque fide publicâ incolumes ex Ægypto dimissi. Pharao commune Regum Ægypti nomen: illi, cui *Sarai* tradita, proprium nomen *Apophi*. De *Sarai* Raptu singularis erit Dissertatio. *Abram* & *Lot* unà in Chananæam reversi, ubi cùm eadem regio pecori utriusque alendo non sufficeret, ad invicem separati sunt. *Lot* Jordanis fines elegit, regionemque Sodomorum. *Abram* in Terrâ Chanaan habitavit. Post eam secessionem, terræ & numerosæ posteritatis promissionem *Abramo* Deus renovavit. Promissum autem *Abrahamo* semen est, non secundùm carnem duntaxat, sed secundùm spiritum, & imitationem fidei. Legatur *S. Augustinus* Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 21. Mox a loco inter *Bethel* & *Hai* tento-

*Abraham peregrinatio in Ægyptum, & Sara raptus a Pharaone. Genes. 12.*

toria movens, habitavit in planitie *Mambre*, quę est ad *Hebronem*, ibique ædificavit Altare Domino. *Genesis* 13. Accidit subinde ut exteri Reges adversùs Pentapolitanos bellum moverent, ipsosque profligarent commisso in Valle Sylvestri certamine; atque cum ingenti prædâ, *Lot Abrami* nepotem captivum abducerent. Quod audiens *Abram*, armatis servis suis trecentis decem & octo (quorum mysticus numerus a Patribus Nicæni Concilii repræsentatus est) unà cum *Mambre*, *Escole*, & *Anere* Fœderatis suis, expeditionem in eos suscepit, eosque ad Danem assecutus, cæcidit; eisque prędam omnem eripuit, ac *Lotum*, captivosque reliquos recepit. Hanc expeditionem *Abrahami* justam fecere auctoritas legitima, causa justa, intentio recta. Auctoritatem legitimam a Deo habuit. Neque enim privatus fuit, qui si non possessione, at certè jure & promissione divinâ dominus fuit Terræ Chanaan. Unde eum Hebronitæ *Principem* Dei agnoscebant ac reverebantur, *Genesis* 23. vers.6. & fœdus ab Amorrhæis Principibus cum ipso initum ostendit, ipsum ut privatum spectatum ab illis non fuisse. Quanquam etsi privatus fuisset, motus ille ac impulsus Spiritûs Sancti, qui in totâ illâ expeditione promicat, auctoritatem ipsi conciliasset. Causæ autem æquitas, & intentionis rectitudo ex eo patent, quòd bellum illud susceperit ut *Lotum* nepotem suum ab injuriâ vindicaret, atque e captivitate eriperet. Esto enim fontes fuerint Pentapolitani Reguli in *Chodorlahomorem* Regem Elamitarum perduelles, insons tamen fuit *Lotus*, qui nuper inter eos habitare cœperat. Redeunti *Abrahamo* a cęde quatuor Regum benedixit *Melchisedech* Rex Salem, Deique Altissimi Sacerdos, proferens panem & vinum, id est, offerens Deo in gratiarum actionem pro *Abrami* victoriâ, in eoque typum Sacrificii Christi in Eucharistiâ exhibens. At de *Melchisedecho*, ejusque oblatione uberiùs differemus. Illi spoliorum decimas dedit *Abramus*, & quidem propriè dictas, quamvis contrarium sentiat *Cajetanus* noster, verbis Apostoli confutandus ad Hebræos 7. *Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abram Patriarcha. Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a Populo secundùm Legem; id est, a fratribus suis; quanquam & ipsi exierunt de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones benedixit. Sine ullâ autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur*: Sibi de prædâ nihil retinuit *Abram*, sed unicuique res suas restituit, sociis belli quod ex jure erat relinquens. Quâ in re Patriarchæ magnanimitatem admirare, qui prędam universam, quam ipsi sponte cedebat Rex Sodomorum, generosè recusavit, interpositâ etiam juramenti religione, ne pecuniæ, non veræ glorię ac pietati dimicasse videretur; & ne Rex ille jactare se posset, quòd *Abrahamum* ditasset, qui uni Deo, non Principi infideli suas opes debere volebat. (*Genesis* 14.)

*Abrahami expeditio & victoria.*

*Melchisedech oblatio.*

*Illi decimas propriè dictas dedit Abraham.*

Secundùm hæc, Deus *Abrahamo*, quòd liberis careret mœrenti, filium promittit, ac posteritatem stellis cæli numero comparandam, quam post quadringentorum annorum peregrinationem ac afflictionem in terrâ non suâ, missurum se in possessionem Terræ promissæ pollicetur. Pactum Divinum oblatione Sacrificii quod ipse Deus præscripsit, scilicet vaccæ triennis, caprę trimę, arietis annorum trium, turturis quoque & columbæ, firmatum est. *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* (Genesis 15.) Credidit verò non solùm filium sibi nasciturum; non solùm carnalem posteritatem suam sicut stellas cæli multiplicandam; sed *credidit Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum. Ut scias quia hoc credidit, Dominus ait*: Abraham diem meum vidit, & gavisus est. *Ideo reputatum est illi ad justitiam, quia rationem non quæsivit, sed promptissimâ fide credidit* [inquit S. *Ambrosius* Lib 1. *De Abraham*, cap.3.]

*Promissio posteritatis Abraham repetita.*

*Joan. 8.*

Abrahami fidem commendat Apostolus ad Romanos 4. *Non enim per legem*, inquit, *promissio Abrahæ aut semini ejus ut hæres esset Mundi, sed per justitiam fidei ... Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrûm [sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te] ante Deum, qui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundùm quòd dictum est ei: Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum: & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissimè sciens quia quæcumque promisit, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam.*

*Abrami fides.*

III. *Sarai* desiderio seminis benedicti *Agaram* ancillam Ægyptiam *Abramo* viro suo pro uxore tradidit, decem annis ex quo habitare cœperant in Terrâ Chanaan. Quæ ex hero gravida, & ab herâ, quòd erga eam insolentiùs se gessisset repressa, fugit, sed ab Angelo divinis promissionibus recreata, & revocata, juxta fontem aquæ in deserto *Sur*, inter *Cades* & *Barad*, ad officium rediit, & *Abramo* octoginta & sex annos nato peperit Ismaëlem. (*Genesis* 16.)

*Sara Ancillam suam Abrahamo tradit uxorem.*

IV. Deus cum *Abramo* nonaginta-novem annos nato fœdus iniit, repetitis promissionibus; nomen *Abram*, quod *Patrem excelsum* significat in *Abraham*, quod *Patrem multarum Gentium*, commutavit; uxorem verò ejus *Sarai*, cujus nomen *Dominam meam*, significat, mutavit in *Sarah* quod *Dominam* simpliciter exprimit. Deum unam ex literis nominis sui *Tetragrammaton*, scilicet *He*, eorum nominibus addidisse S. *Hieronymus* cum Hebręis observat in Traditionibus Hebraicis: quâ in re mysterium Interpretes rimantur. Signum fœderis a Deo cum *Abraham* initi, Circumcisionis Sacramentum tunc primùm institutum. Usus ejus fuit, ut divinas promissiones, & *Abrahami* fidem obsignaret, unde ab Apostolo dicitur *Signaculum justitiæ fidei*: quę justitia, adeòque & peccati originalis remissio, & gratiæ infusio, non erant, *ex Circumcisione significante*, sed ex fide significatâ, ut scitè observat *S. Thomas*. 2. Ut *Abrahami* posteros a Gentibus distingueret, ne cum illis commiscerentur, earumque superstitionibus ac pravis moribus imbuerentur, ut testantur *Josephus* Lib. 1. *Antiquitatum* cap. 11. *S. Chrysostomus* Homiliâ 30. in Genesim, *Theodoretus* Quæstione 67. in Genesim, & vulgò Patres ac Theologi. 3. Ut signum esset ac prophetia nasciturí ex semine *Abraham* Filii Dei, ejusque sanguinem præfiguraret. 4. Ut Baptismum & Circumcisionem non manufactam adumbraret. (Ad *Colossenses* 2. vers. 2.) *In quo & circumcisi estis Circumcisione non manufactâ in expoliatione corporis carnis, sed in Circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo*. In ejus autem Ritu quinque spectanda sunt. 1. Circumcidendorum sexus; solis nempe masculis præcepta fuit: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*. 2. Conditio; non soli nimirum Abrahamo & filiis ejus ac posteris, sed etiam servis, tam vernaculis, quàm emptitiis, lex ista posita est. *Tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestrâ.*

*Dei fœdus cum Abrahamo.*

*Circumcisionis Sacramentum quo fine institutum.*

*ſtrâ*. 3. Ætas, octava ſcilicet a nativitate dies Circumciſioni præfinita. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris*. 4. Pars corporis circumcidenda, ſcilicet, præputium. *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*. 5. Duratio, quæ ſempiterna, id eſt toto tempore duratura erat Circumciſio, donec fœdus Dei cum *Abrahamo* ſecundùm omnes partes ſuas impletum eſſet, miſſo videlicet Meſſiâ, qui novum fœdus ſtatueret. *Eritque pactum meum in carne veſtrâ in fœdus æternum*. 6. Pœna ſancita adversùs eos, qui fœdus violarent, & circumciſionem negligerent, pœna (inquam) capitalis: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*. De morte ſpirituali & æternâ hunc locum intellexit *S. Auguſtinus* Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 27. Lib. 2. *contra Pelagium & Cœleſtium*, cap. 30. & Lib. 2. *De Nuptiis & Concupiſcentiâ*, cap. 11. Et hæc verba. *Quia pactum meum irritum fecit*, non de pacto Circumciſionis, ſed de pacto quod fecit Deus cum *Adamo* interpretatus eſt, quia Verſionem 70. Interpretum ſecutus, ita legit hunc locum: *Maſculus qui non circumcidetur carne præputii ſui octavo die, interibit anima illa de genere ſuo, quia teſtamentum meum diſſipavit*. Hæc enim verba, *octavo die*, quæ nec Hebraicus Textus, nec Vulgata Verſio Latina habent, *S. Auguſtinum* adduxerunt ut locum illum de Circumciſione parvulorum interpretaretur. Verùm hanc *S. Auguſtini* opinionem ut minùs probabilem vulgò ſacri reiiciunt Interpretes. Abrahamicum fœdus, & Circumciſionis legem *Moſes* deſcribit cap. 17. *Geneſis*.

*Filius Abrahamo ex Sarâ a Deo promittitur.*

Tunc primùm etiam filium ex *Sarâ* promiſit Deus *Abrahamo*; ad quem, & ejus ſtirpem, divinum illud fœdus pertineret. *Cecidit Abraham in faciem ſuam & riſit, dicens in corde ſuo, Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Riſus Abrahæ *Exultatio* fuit *gratulantis, non irriſio diffidentis*: verba quoque ejus illa animo expreſſa, *non dubitantis* fuerunt, *ſed admirantis*; (inquit *S. Auguſtinus*, Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 26.) Suffragatur *S. Ambroſius*, Lib. 1. *De Abraham*, cap. 4. & nituntur ambo teſtimonio Apoſtoli ad *Romanos* 4. verſ. 19. 20. & 21. cujus verba ita luculenta & clara ſunt, ut abſque ſcrupulo relinquendi ſint *S. Chryſoſtomus* Homiliâ 6. *De Pœnitentiâ*, & *S. Hieronymus* Lib. 3. Dialogi adversùs Pelagianos, *Abrahamum* infidelitatis arguentes. Quamquam *S. Chryſoſtomus* in eâ ſententiâ conſtans non fuerit, & in eam ſententiam locum illum ſit interpretatus, quam S. Auguſtinus ſectatus eſt. Legatur Homilia 40. in Geneſim. *Abrahamus* fide & obedientiâ divinum fœdus amplexus, ſtatim ſe, *Iſmaëlem*, domeſticoſque omnes vernaculos, emptitios, alienigenas, circumcidit. Annum ætatis nonageſimum nonum agebat ipſe; *Iſmaël* verò decimum tertium. (*Geneſis* 17.)

V. Eodem anno *Abrahamo* in Convalle *Mambre* ſedenti in oſtio tabernaculi, tres viri apparuerunt, quorum in occurſum cucurrit Sanctus Patriarcha; Deumque adorans, quem in illis agnoſcebat, ipſos hoſpitio ſuſcepit. Tres illos viros Angelos fuiſſe, nec unum ex illis fuiſſe Filium Dei probat *S. Auguſtinus* Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 29.

*Hebr. 13. 2.*

*Angelos autem*, inquit, *Scriptura teſtatur, non ſolùm in hoc Geneſis Libro, ubi hæc geſta narrantur, verùm etiam in Epiſtolâ ad Hebræos, ubi cùm Hoſpitalitas laudaretur*, Per hanc, *inquit*, etiam quidam neſcientes hoſpitio receperunt Angelos. *Per illos igitur tres viros, cùm rurſus filius Iſaac de Sarâ promitteretur Abrahæ, divinum datum eſt etiam tale reſponſum, ut diceretur:* Abraham erit in gentem magnam & multam, & benedicentur in eo omnes gentes terræ. *Et hic duo illa breviſſimè, pleniſſimèque reſponſa ſunt, Gens Iſraël ſecundùm carnem, & omnes Gentes ſecundùm fidem*. Auditâ promiſſione riſit *Sara*, occultè dicens: *Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Riſus iſte dubitationis fuit: unde ab Angelo nomine Dei loquente reprehenſa eſt. *Quare*, inquit, *riſit Sara dicens: Num verè paritura ſum anus? Nunquid Deo quicquam difficile eſt?* Longè alius fuit *Abrahæ* & *Saræ* riſus, ut *S. Auguſtinus* obſervat cap. 30. ejuſdem Libri legendus, & Quæſt. 36. in Geneſim: *Riſerat enim & Pater, quando ei promiſſus eſt, admirans in gaudio; riſerat & Mater, quando per illos tres viros, iterum promiſſus eſt, dubitans in gaudio, quamvis exprobrante Angelo quòd riſus ille, etiamſi gaudii fuit, tamen plenæ fidei non fuit. Poſt ab eodem Angelo in fide etiam confirmata eſt. Ex hoc ergo puer nomen accepit*. Tres illi Angeli maximè futurum Pentapoleos excidium *Abrahamo* retexerunt, qui de ſalute *Loti* & familiæ ejus ſollicitus, Deum pro conſervatione Sodomæ interpellavit. (*Geneſis* 18.)

*Lot Sodomis educitur.*

VI. *Lot* Angelis hoſpitio ſuſceptis, a Sodomitis vim paſſus, utramque filiam, illorum libidini imprudens obtulit. Cum uxore & utrâque filiâ ab Angelis Sodomâ eductus, ad exiguam *Balæ* civitatem, quæ & *Saliſſa*, & Moſaicâ ætate *Segor*, tandemque *Zoara* appellata eſt (ut *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis, & *Stephanus* Lib. *De Urbibus & Populis*, teſtantur) ſe recepit. Interim, Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, ob horrenda incolarum ſcelera, igne & ſulphure cœlitùs demiſſo conflagrarunt. Id expreſſit *Moſes* his verbis. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ignem & ſulphur a Domino de cælo: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia*. Hæc verba *Pluit Dominus a Domino* ad Perſonarum Divinarum diſtinctionem, & Filii divinitatem probandam veteres Patres adhibuerunt, Dominum Filium a Domino Patre, a quo judicandi poteſtatem, ſicut & eſſentiam per æternam generationem accepit, pluiſſe interpretati. Ita *S. Juſtinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone, *S. Irenæus* Lib. 3. cap. 6. *Tertullianus* Lib. contra Praxeam cap. 13. *S. Cyprianus* Lib. contra Judæos, *S. Hilarius* Lib. 5. De Trinitate, *S. Cyrillus* Lib. 1. in *Julianum*, & Synodus Sirmienſis contra *Photinum* congregata, quæ contrariam expoſitionem ab ipſo uſurpatam hoc Anathemate confixit. *Si quis illud quod ſcriptum eſt*, Pluit Dominus a Domino, *non de Patre & Filio perceperit, ſed Deum Patrem a ſeipſo pluiſſe dixerit, Anathema ſit*. Hæc tamen verba: *Pluit Dominus a Domino*, Hebraiſmum continere, Interpretes plerique recentiores arbitrantur, quo ſignificetur dumtaxat Dominum a ſe ipſo pluiſſe, id eſt, pluviam illam non ex cauſis naturalibus, nec modo naturali, ſed Dei vindicis omnipotentiâ deſuper immiſſam. De Sodomorum excidio S. Petrus Epiſtolâ 2. cap. 11. verſ. 6. *Deus Civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: exemplum eorum qui impiè acturi ſunt, ponens, & juſtum Lot oppreſſum a nefandorum injuriâ & luxurioſâ converſatione eripuit*. Et *S. Judas* in ſuâ pariter Epiſtolâ Canonicâ, verſ. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates, & ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes*. Pœnam inquam, impiis omnibus infligendam in ſtagno ignis & ſulphuris, quæ eſt mors ſecunda. In itinere, uxor *Lot*, contra monitum Angelorum, poſt reſpiciens, in ſtatuam ſalis converſa, *Hominibus fidelibus quoddam præſtitit condimentum, quo ſa-*

*Sodomæ conflagratio.*

*sapiant aliquid unde tale caveatur exemplum:* ut scilicet moneamur *non esse redeundum ad veterem vitam, quâ per gratiam regeneratus exuitur, si ultimum evadere supplicium cogitamus* (inquit *S. Augustinus* Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.30.) Unde Christus *Luca* 17. vers.29. *Quâ die autem exit Lot a Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit: Secundùm hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur. In illâ horâ, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa, & qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Lot.* Pentapolitanæ conflagrationis monumentum adhuc superest, *Mare mortuum*, ita nuncupatum, quòd nullum animal gignat, aut sustineat. *Maris* etiam *salsi* nomen obtinuit a sale, & *Lacus Asphaltitis* a bitumine: quòd Vallis *Siddimorum* harum civitatum antiqua sedes puteis bituminis & salis abundaret, & quòd non ignis tantùm & sulphuris, sed & salis urentis pluvia immissa sit a Deo ad urbes illas evertendas, ut colligitur ex *Deuteronomii* 29. vers.23. De hoc divinæ justitiæ exemplo, & de misericordiâ, quam Divina Sapientia erga *Lotum* exercuit *Sapientiæ* 10. vers.6. & 7. legimus: *Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.*

*Loti incestus.*

VII. *Lot* Segor commorari metuens, e planitie in Montem, quò jussus fuerat fugere, duabus filiabus suis comitibus migravit, a quibus inebriatus, incestum cum utrâque ignorans commisit, quo ex congressu *Moab* & *Amon* nati sunt, Moabitarum & Amonitarum Patres. [ *Genes.*19.]

*Sara ab Abimelecho Rege sublata; sed intacta.*

VIII. *Abrahamus* ex planitie Mambre ad Regionem Meridianam profectus, apud *Abimelechum* Regem Philistæorum Gerari hospitatus est. Ubi uxore (quam sororem suam esse iterum vulgavit) ei sublatâ, Rex divinitus objurgatus & punitus, eam cum magnis muneribus intactam marito restituit: *Abrahami* verò precibus Rex cum suis sanitatem recuperavit (*Genesis* 20.) Ex hac Historiâ liquet, quàm horrendum esset gentibus ipsis Infidelibus adulterium.

*Nativitas Isaaci.*

IX. *Abrahamo* centenario, & Saræ nonagenariæ natus est *Isaac filius* promissionis, quo ablactato, fecit Abraham splendidum convivium. Inter Hebræos autem varia opinio est, asserentibus aliis quinto anno ablactationis tempus statutum, aliis duodecimum annum vendicantibus. Priorem *S. Hieronymus* probabiliorem putat in Traditionibus Hebraicis. Videns *Sara* filium *Agar* Ægyptiæ cum *Isaaco* ludentem, vel potiùs ipsum deludentem & contumeliosè tractantem, immo *persequentem* (ut explicat Apostolus ad *Galatas* 4. vers.29.) ut qui sibi primogenituræ ratione dominatum vendicaret, ac hæreditatem sibi deberi jactaret, ut *S. Hieronymus* observat in Traditionibus Hebraicis, & in Cap.4. Epistolæ ad *Galatas*, dixit Abrahamo: *Ejice Ancillam hanc & filium ejus: non enim erit hæres filius Ancillæ cum filio meo Isaac.* Quod etsi primùm ægrè ferret, perfecit tamen jubente Deo ac dicente: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Sedem Bersabee fixerat *Abraham*, ubi & cum *Abimelech* Rege Palæstinorum fœdus iniit. *Genesis* 21.

*Lege S. August. Serm.3. de Tempore, novissimæ Edit. qui de Agar & Ismaële inscribitur.*

*Abrahami probatio, & Sacrificium.*

X. Fidem & obedientiam Abrahæ Deus probavit, præceptâ ipsi *Isaaci* unigeniti dilectique filii immolatione, quæ inter ejus tentationes gravissima fuit. Absque mendacio pueris suis dixit: *Expectate hic cum asino: Ego & puer illuc usque properantes* (in Montem scilicet Moriah) *postquàm adoraverimus, revertemur ad vos.* Certissimè enim existimavit, quòd Deus qui semen ipsi ex *Isaac* promiserat, ipsum a mortuis suscitaturus esset. Hinc Apostolus ad Hebræos 11. vers. 17. *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones: ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans, quia & a mortuis suscitare potens est Deus.* Et S. Augustinus Lib.16. *De Civitate Dei* cap.32. *Hanc ergo promissionem Pater pius fideliter tenens, quia per hunc oportebat impleri, quem Deus jubebat occidi, non hæsitavit quòd sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus.* Addit Apostolus: *Unde eum & in parabolam accepit;* hoc est in typum & similitudinem, illius utique de quo dicit idem Apostolus. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom.8. v. 32.
Propterea & *Isaac sicut Dominus Crucem suam, ita sibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipse portavit. Postremò quia Isaac occidi non oportebat, posteaquam est Pater ferire prohibitus, quis erat ille aries, quo immolato impletum est significativo sanguine sacrificium? Nempe quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, nisi Jesus, antequàm immolaretur spinis Judaicis coronatus?* Legatur ejusdem S. Doctoris Sermo 11. De Tempore, novissimæ Editionis, *De Tentatione Abrahæ a Deo*, inscriptus. *Isaacum* annum vigesimum-quintum egisse cùm oblatus est, tradit *Josephus* Lib.1. *Antiquitatum* cap.14. Id licèt ex Scripturâ Sacrâ non constet, certum tamen est jam adultioris fuisse ætatis, qui tantæ lignorum strui ferendæ pares humeros habuerit, quanta ad eum quasi holocaustum comburendum opus erat. Deus *Abrahami* animo & obedientiâ contentus, ipsum a filii cæde prohibuit, amplissimasque promissiones, ac illam præcipuè de omnibus Gentibus terræ in semine ipsius, id est in Christo benedicendis [ ut Apostolus ad *Galatas* 3. vers.17. & *S. Petrus* Actorum 3. vers.15. & 16. interpretantur ] juramento confirmavit. [ *Genesis* 22. ] Mons Moria *Abrahami* sacrificio celebris, ille ipse est [ ut tradunt Hebræi, referente *S. Hieronymo* Lib. de Quæstionibus Hebraicis in Genesim ) *in quo postea Templum conditum est in areâ Ornæ Jebusæi, sicut & in Paralipomenis scriptum est:* Et cœperunt ædificare „ Templum in Mense secundo, in secundâ die „ Mensis, in Monte Moriâ. *Qui idcirco illuminans interpretatur & lucens, quia ibi est Dabir, hoc est, Oraculum Dei, & Lex, & Spiritus Sanctus, qui docet homines veritatem, & inspirat prophetias.* Abrahamum fuisse in Geraris, cùm de immolando filio præceptum a Deo accepit, ex quo loco ad Montem Moria iter trium dierum est, *S. Hieronymus* existimat; sed probabilius est fuisse Bersabee, quò peracto sacrificio rediit.

*II. Paralip. 32.*

*Mors Saræ & Sepultura.*

XI. Aliquanto post, *Sara* centum & viginti septem annos nata Hebrone defuncta est, & in speluncâ duplici quam *Abraham* ab Ephrone Hethæo, filio Seor, quadringentis siclis argenti probatæ Monetæ publicæ, unà cum agro in quo sita erat, acquisivit, sepulta est. Prima hæc fuit *Abrahami* in Terrâ Chananæâ possessio. De *Ephrone* scribit *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis: Primum nomen ejus scribi *Ephron* in Hebræo, secundum *Ephran*. *Postquam enim*, inquit, *pretio victus est ut sepulcrum venderet argento, licèt cogente Abraham, Vau litera, quæ apud illos pro O legitur, ablata de ejus nomine est, & pro Ephron appellatus est Ephran: significante Scripturâ, Non eum fuisse consummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur qui sepulcra venditant, & non coguntur ut accipiant pretium, sed a nolentibus quoque extorquent, immutari nomen suum, & perire quid de merito eorum: Cùm etiam ille reprehenda-*

*datur occultè, qui invitus acceperit.* Verùm hæc *S. Hieronymi* observatio de nomine Ephron commutato, mystica potiùs quàm literalis est. Cur enim vitio vertatur *Ephroni* venditio sepulcri, cùm emptio crimini non detur *Abrahamo*, maximè cùm gratis sepulcrum obtulerit, neque pretium receperit, nisi ab *Abrahamo* compulsus? ( *Genesis* 23. vers. 1. & 15. ) Accedit 1. Quòd sepulcrale jus *Ephron* non vendiderit, utì nec emit *Abraham*, sed agrum & speluncam: de quâ non constat an ad usum sepeliendi destinata esset, & in eâ sepulcra excitata essent. 2. Quòd incertum sit an jus sepulcri apud illam gentem sacrum esset. 3. Quòd etsi ob sanctitatem & consecrationem non liceat rem aliquam pluris æstimare, ipsa tamen res quæ adjunctam habet sanctitatem, secluso præcepto positivo, vendi potest, & tanti æstimari, quanti æstimaretur, si nihil haberet sanctitatis, ut patet in Calice consecrato. 4. Quòd nullæ tunc essent leges sepulcrales positivæ, quibus venditio & emptio sepulcri illicitæ fiunt. Hæ rationes depromptæ sunt ex *S. Thomâ* Secundâ Secundæ, Quæst. 100. Art. 4. ad 3. ex *Thomæ Angli* Commentariis in Genesim Doctori Angelico adscriptis, ex *Cajetano*, aliisque Commentatoribus.

*Moses cum S. Stephano Act. 7. conciliatur.*

XII. Ἀντιλογία, seu contradictio in speciem occurrit inter Mosaicam de emptione sepulcri ab *Abrahamo* historiam, *Genesis* 23. & *S. Stephani* narrationem Actuum 7. *Moses* enim scribit *Abrahamum* emisse sepulcrum *ab Ephrone Hethæo, filio Seor in Civitate Arbee, quæ est Hebron, quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ*. Sanctus verò Stephanus Actuum 7. vers. 15. & 16. ait *Abraham* emisse sepulcrum in Sichem pretio argenti, a filiis Hemor filii Sichem. *Et descendit Jacob in Ægyptum*, inquit, *& defunctus est ipse, & Patres nostri. Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham prètio argenti a filiis Hemor filii Sichem.* In hoc nodo solvendo sudant Interpretes. Quidam patrem *Ephronis* binomium fuisse fingunt, ipsique *Hemor* & *Seor* nomen fuisse. Nec tamen sic solvitur difficultas, cùm sepulcrum quod emit Abraham, Sichimæ non fuerit, sed Hebrone. Alii legendum esse conjiciunt ὁ τοῦ Ἀβραάμ, & subaudiendum ἔγγονος, quasi *Abrahamo* genitus, ut hìc dicatur non ipse *Abraham*, sed ejus nepos *Jacob* emisse monumentum a filiis *Hemor*, quod etiam legimus cap. 24. Libri *Josuë*. Alii respondent, cùm nomini Ἀβραάμ articulus in Græco nullus præponatur, tam dativum subintelligi posse quàm nominativum, ut sensus sit ὃ ὠνήσατο τῷ Ἀβραάμ. *Quod emerat* Jacob *Abrahamo*. Etsi enim *Abrahamus* diem suum obiisset, ipsi tamen emptus ager ille dici potest, spectato consilio *Jacob*, qui illum non emit duntaxat ut eo pro sepulcro uteretur ( Illic enim sepelivit neminem, nec ipse in eo sepultus est ) sed maximè ut primitiæ quædam essent Terræ Chanaan, cujus totius hæreditatem *Abrahamo* & semini ejus Deus promiserat. *Abrahamo* quippe emptum esse agrum, qui promissione divinâ hæres illius esset. Alii alios quærunt istius intricatissimæ difficultatis exitus. *S. Hieronymus* Epistolâ 101. ad *Pammachium*, *De optimo genere interpretandi*, hanc difficultatem proposuit, solutionem in aliud tempus distulit, nusquam dedit. *Differo*, inquit, *solutionem istius Quæstiunculæ: ut obtrectatores mei quærant, & intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensus*. Quidam nomen *Abraham* glossema esse suspicantur, quod a sciolo in margine adscriptum, tandem in textum irrepserit. Conjiciunt scilicet *S. Lucam* scripsisse: *Descendit Jacob in Ægyptum, & mortui sunt ipse & Patres nostri, qui Sichimam translati sunt, & positi in monumento*, ὃ ὠνήσατο τιμῆς ἀργυρίου &c. *quod emit pretio argenti*, nempe Jacob. Id non satis animadvertentem semidoctum aliquem existimasse, ante ὠνήσατο deesse casum, & in margine scripsisse *Abraham*, ac si eo loco sermo esset de sepulcro, quod *Abraham* emisse dicitur *Genesis* 23. Vers. 16. Atque alium æquè indoctum, quod perperam adscriptum fuerat, e margine in ipsum textum invexisse. Alii verba illa, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ perinde interpretantur ac si expresso articulo legeretur, παρὰ τοῦ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ. Præter illud [ nempe, μνῆμα monumentum ] *filiorum Emmor*, hoc est quod ab illis emit Jacob: Quasi dicat, Translatos esse Patres, & positos partim in Sichem, partim in monumento illo, quod emerat *Abrahamus*, præter illud quod *Jacob* a filiis *Emmor* Patris *Sichem* comparasse legitur *Genesis* 33. Vers. 19. Alii *Abrahamum* pro *Jacob* nominatum volunt, quòd parentes & filii idem esse moraliter censeantur. Ita 3. *Regum* 12. Vers. 16. populum *Roboamo* infensum dicere: *Quæ pars nobis in Davide?* hoc est, in Roboamo *Davidis* Nepote, & 3. *Regum* 15. Vers. 6. perpetuum bellum intercessisse legitur inter *Roboamum* & *Jeroboamum*, quamdiu hic fuit in vivis. Ubi nomine *Roboami*, qui pridem obierat, intelligitur filius ejus *Abias*, qui graviter afflixit Israëlitas usque ad obitum Jeroboami. 2. *Paralipomenon* 13. Vers. 17. 18. Sic *Jacob* Genesis 48. ait, Se arcu & gladio suo eripuisse terram Amorrhæis. Quod non ipse, sed posteri ejus fecerunt. Ita Christo *Davidis* nomen tribuitur *Jeremiæ* 30. Vers. 9. & *Ezechielis* 34. Vers. 23. & *Æneas* pro Dardanide a Virgilio *Dardanus* vocatur Lib. 4. *Æneidos*. Et eâ quidem convenientiùs *Abraham* pro *Jacob* nominari a *S. Stephano* potuisse adducunt Auctores illi, quòd Terræ illius promissio *Abrahamo* facta sit, semine scilicet ipsius pro ipso substituto. Aliis denique planior videtur *Venerabilis Bedæ* Commentario in *Acta Apostolorum* solutio, quam sequitur & Rabanus. *Docet Genesis* [ inquit Beda ] *Abraham ab Ephron filio Seor Hethei in Cariatarbe locum sepulcri quadringentis argenti siclis emisse, in quo ipse Abraham, Isaac, & Jacob, & Adam protoplastus sepulti. Itemque Jacob de Mesopotamiâ reversum, juxta urbem Sichem, partem agri, quo Tabernacula tenderet, ab Emor patre Sichem datis centum agnis accepisse. Non emit ergo Abraham sepulcrum ab Hemor Sichimitâ, sed ab Ephron Hethæo, in quo duodecim Patriarcha non sunt sepulti, sed in Sichem. Verùm B. Stephanus vulgò loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem. Duas enim pariter narrationes conjungens, non tam ordinem circumstantiis Historiæ, quàm causam de quâ agebatur, intendit. Qui enim insimulabatur adversùs locum sanctum & Legem docuisse, pergit ostendere quomodo Jesus Christus ex Lege monstretur esse promissus, & quòd ipsi nec tunc Moysi, nec Domino nunc servire maluerint. Hæc, ut potui, dixi, non præjudicans sententiæ meliori, si adsit.* Eadem ferè habere *Rabanum*, ubi observavit *Melchior Cano* Lib. 11. *De Locis Theologicis* cap. 18.
„ subjungit: Quibus verbis verecundè quidem ac
„ modestè significarunt *Stephano* id, quod vulgò
„ fore solet, accidisse: ut in longâ videlicet nar-
„ ratione, eâque præsertim subitâ confuderit non-
„ nulla & miscuerit; in quibusdam etiam memo-
„ riâ lapsus fuerit, in his duntaxat, quæ ad rem
„ parum aut nihil omnino attinerent. Nam cau-
„ sæ de quâ potissimùm agebatur, erat intentus.
„ *Lucas* verò historiæ veritatem retinere volens,
„ ne jota quidem mutavit; sed rem ut a *Stephano*
„ narrata erat, exposuit. Nos autem non *Stepha-*
„ *num* ab omni lapsu, sed Evangelistam vindi-
„ care debemus. Solis quippe Apostolis, Pro-
„ phetis & Evangelistis hunc honorem deferre Ca-
„ tholicâ Fide docente didicimus, ut nullum eo-
„ rum vel memoriâ lapsum esse credamus, nullum

„ nec

„ nec in magnis, nec in parvis erraſſe. At *Stephanus* plenus erat Spiritu Sancto; Fatcor. At „ Spiritus loquebatur in eo. Et id quidem fatcor. „ Sed aliter in Chriſto Spiritus loquitur, aliter „ in Prophetis & Apoſtolis; aliter in *Stephano* & „ *Ambroſio*. Ac certè per hos omnes loquebatur. „ Per Concilium Generale Deus Eccleſiæ loquitur: Per Eccleſiæ Paſtores Deus Eccleſiæ loquitur: Per veteres Sanctos Deus Eccleſiæ loquitur. Et hi omnes tamen in parvis labi poſſunt memoriâ præſertim, ubi lapſus facilior „ eſt. Scriptorum ergo ſacrorum hoc privilegium „ eſt, ut eorum nullus in docendo erret. *Stephano* privilegium hoc nec ratio concedit, nec auctoritas. Nec verò ab ſacris Auctoribus alienum „ eſt errantium quoque verba referre. Sic enim „ *Jephte*, Judicum 2. trecentos annos poſſeſſionis prætendit, cùm revera trecenti non fuiſſent. Et facer tamen Hiſtoricus trecentos retulit. Sic etiam *Matthæus*, ſi S. Hieronymo „ credimus, Prophetiam *Michææ*, non ut a *Michæâ* ſcripta erat, ſed ut a Scribis erat enunciata, retulit. Hæc Vir eruditus & diſertus.

*Matth.2. Mich.5.* Hanc opinionem ſuffragio ſuo comprobat *Eſtius* Interpres quoque Scripturæ doctiſſimus, in Annotationibus. Multiplex [ inquit ] hic difficultas in Hiſtoriâ conciliandâ. Ac primùm leve illud eſt, quod poſtremo loco dicitur: *Hemor filii Sichem*, cùm *Hemor* pater fuerit *Sichem*. Nam in Græco tantùm habetur τȣ Συχέμ „ quod juxta fidem Hiſtoriæ Geneſeos, & *Joſuë*, „ vertendum potiùs erat, *Patris Sichem*. Sed „ cætera multùm diſcrepare videntur, & continere commixtas diverſas hiſtorias, nempe de „ ſpeluncâ duplici in Hebron, quam ab *Ephron Hethæo* emit *Abraham* quadringentis ſiclis argenti, ubi ſepulti ſunt *Sara*, *Abraham*, *Iſaac*, „ *Rebecca*, *Lia*, *Jacob*, Geneſis 23. 25. 35. 49. & 50. „ & alteram de agro in Sichem, quem a filiis „ *Hemor Hethæi* patris *Sichem* emit *Jacob* centum „ agnis, ubi ſepultus eſt *Joſeph*. De eo habes *Geneſis* 33. & *Joſuë* ultimo. Poſſet autem tota „ *Stephani* ſententia impleri hoc modo: *Et deſcendit Jacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe*, „ *& Patres noſtri, & tranſlati ſunt*; Jacob quidem in Hebron, Joſeph autem *in Sichem*. *Et „ poſiti ſunt*, Jacob quidem *in ſepulcro quod emit „ Abraham pretio argenti* ab Ephron Hethæo, Joſeph „ autem *in ſepulcro quod emit* Jacob centum agnis „ vel ( ut in *Joſue* legitur ) centum novellis ovibus, a *filiis Hemor* patris *Sichem*. Rectè animadvertit *Eſtius*, vertendum potiùs fuiſſe in Actis, *Patris Sichem*, ſiquidem *Hemor* patrem fuiſſe *Sichem* diſertè habetur *Geneſis* 33. Verſ.19. & *Joſue* ultimo verſ.32. & *S. Hieronymus* Epiſtolâ 101. hunc Actorum locum ita refert: *Et poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor Patris Sichem*. Et *Venerabilis Beda* in Commentario hanc obſervationem habet: *Quod dicitur*: A filiis Hemor filii Sichem, *in Græco exemplari ſcriptum eſt*, A filiis Hemor qui fuit Sichem: *quod Geneſis Hiſtoriæ magis concordare videtur*. Denique verba illa, τȣ Συχέμ *Actorum* 7. in *S. Stephani* narratione irreptitia eſſe, quod & *Maſio* doctiſſimo Scripturæ Interpreti in cap. *Joſuë* 24. viſum eſt, Syriaca Verſio dat anſam conjiciendi. Sic enim habet: *Et tranſlatus eſt in Sichem, poſituſque in ſepulcro quod emerat Abraham argento a filiis Hemor*.

*Emanuël Sa* in Adnotationibus eruditis ad hunc Actorum locum, opinioni *Melchioris Cano* ſubſcribit: Quidam dicunt [ inquit ] *Stephanum* intentum, ut fit, in aliud, pro *Jacob*, dixiſſe, *Abraham*, & pro *Patris Sichem*, *filii Sichem*. Lucam verò fideliter, quod ille dixerat retuliſſe. „ Quæ mihi opinio non diſplicet. Nec enim id repugnat *Stephani* Sapientiæ, & Spiritui quo plenus erat. Accedit enim id interdum ſapientiſſimis & ſanctiſſimis. Quanquam quod attinet „ ad vocem filii, Græcè eſt, τȣ Συχέμ quod poteſt „ intelligi *Patris Sichem*.

*Salianus*, in Annalibus Eccleſiaſticis Veteris Teſtamenti ad annum II. M.C.LXXV. Num.8. hanc difficultatem expendens, ubi varias retulit ſententias, ſubdit: *Ego Venerabilis Bedæ & Rabani expoſitionem non improbo, cui video graves & doctos viros ſubſcripſiſſe*. Hæc fortè uberiùs tractata, quàm Synopſis ratio poſtularet, ſed nec prætereunda fuit hæc difficultas ad Hiſtoriam Sacram maximè pertinens, nec Diſſertatio ſingularis ei deſtinanda viſa eſt.

XIII. *Abrahamus* filio *Iſaac* de uxore proſpiciens, famulum ſuum primarium, *Eliezerem* Damaſcenum Jurejurando obſtrictum, in Meſopotamiam ad eam quærendam allegavit. Qui ſigno a Domino petito, & impetrato, *Rebeccam* filiam *Bathuëlis* & ſororem *Labanis* Syri, ei uxorem obtinuit. Quam *Iſaac* in uxorem accipiens, introduxit in tentorium *Saræ* matris ſuæ; ejuſque amore dolorem quem ex illius morte conceperat, temperavit. ( *Geneſis* 24.) Ritus quo juravit *Eliezer* ejuſmodi fuit, ut manum femori *Abrahami* Domini ſui ſupponeret. Fuiſſe eam hoc ritu jurandi conſuetudinem tum temporis paſſim uſurpatam *Joſephus* Lib.16. *S. Joannes Chryſoſtomus* Homiliâ 47. in Geneſim, & Recentiores quidam exiſtimant, & inter alios *Grotius* Commentario in Geneſim. Hebræi plerique antiquiores cenſent cæremoniam illam manum ſupponendi femori in ſolemni juramento adhiberi ſolitam, ob reverentiam Sacramenti Circumciſionis, quod erat ſigillum divini fœderis cum *Abrahamo* initi. Plerique Patres putant *Abrahamum* juſſiſſe ſervo ut manum ſuper femur ſuum apponeret, quod idem eſſet ac jurare per Meſſiam, qui erat ex illo naſciturus. Ita *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis: *Tradunt Hebræi*, inquit, *quod in ſanctificatione ejus, hoc eſt, in Circumciſione juraverit. Nos autem dicimus juraſſe eum in ſemine Abrahæ, quod eſt Chriſtus, quia ex illo naſciturus erat juxta Evangeliſtam Matthæum loquentem: Liber generationis Jeſu-Chriſti filii David, filii Abraham*. Ita *S. Ambroſius* Lib.1. *De Abrahamo* cap.9. *Inventus eſt de ſervulis ſenior, tamen qui ad uxorem providendam Domino juniori eligeretur & conſtrictus ut juraret, mitteret manum ſub femur Domini ſui. Per femur generationem intelligimus: generatio autem „ Abrahæ Chriſtus eſt. Unde Apoſtolus ait*: Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. „ Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis: ſed ſicut „ in uno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus; *oſtendens per ipſum nobis ſanctum Sacramentum, per ipſum tutum auxilium fore*. Ita *S. Auguſtinus* Lib.16. *De Civitate Dei* cap.33. *Quid aliud*, inquit *demonſtratum eſt, cùm eidem ſervo dixit Abraham*: Pone manum tuam ſub femore meo, & adjurabo te per Dominum Deum cæli, &c. *Niſi Dominum Deum cæli & Dominum terræ, in carne, quæ ex illo femore trahebatur, eſſe venturum? Nunquid hæc parva ſunt prænuntiata indicia veritatis, quam compleri videmus in Chriſto?* Idem aſſerit Quæſtione 62. in Geneſim, & Tractatu 43. in *Joannem*, ubi ait: *Ut hoc cognoſceret ſervus, quod noverat Abraham, quia nepotes non carnaliter deſiderabat, nec de genere ſuo aliquid carnale ſapiebat; ait ſervo ſuo quem mittebat*: Pone manum ſub femore meo, & jura per Deum cæli. *Quid vult Deus cæli ad femur Abrahæ? Jam intelligitis ſacramentum; per femur, genus. Ergo quæ fuit illa juratio, niſi quia ſignificabatur de genere Abrahæ venturum in carne*

*Iſaaco uxor quæritur.*

*Ritus jurandi manu femori ſuppoſitâ.*

Deum

*Deum cœli? Stulti reprehendunt Abraham, quia dixit* Mitte manum sub femore meo. *Qui reprehendunt carnem Christi, reprehendunt factum Abrahæ. Nos autem Fratres, si agnoscimus carnem Christi venerandam, illud femur non contemnamus, sed in prophetia dictum accipiamus. Etenim Propheta erat Abraham. Cujus Propheta? Seminis sui, & Domini sui. Semen suum significavit dicendo:* Mitte manum sub femore meo: *Dominum suum significavit addendo*, Et jura per Deum cœli. Ita *Theodoretus* Quæstione 74. in Genesim. Cùm, inquit, *in semine suo tum benedictionem, tum promissionem bonorum suscepisset, illic servum apponere manum jussit, ubi fidei signum recepit. Credens enim promissionibus divinis, accepit signaculum Circumcisionis. Illic autem manum adhibere jussit, ut & promissionis divinæ, & Circumcisionis memor, matrimonia cum alienigenâ contracto nobilitatem dominicam non inficeret.*

*Abraham alteram uxorem ducit, Cethuram.* XIV. Post mortem *Saræ*, alteram uxorem duxit *Abrahamus*, nomine *Cethuram*. Quòd tam affectâ ætate, centum scilicet & quadraginta circiter annorum, ad novas Nuptias transierit Sanctus Patriarcha, ad Mysterium refert *S. Augustinus*, Quæstione 70. in *Genesim*, & Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.34. Quo postremo loco hæc habet: *Absit ut incontinentiam suspicemur, præsertim in illâ jam ætate, & in illâ fidei sanctitate. An adhuc procreandi filii quærebantur, cùm jam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Isaac per stellas cæli & arenam terræ fide probatissimâ teneretur? Sed profectò si Agar & Ismaël, Doctore Apostolo, significaverunt carnales veteris Testamenti, cur non etiam Cethura & filii ejus significent carnales, qui se ad Testamentum Novum existimant pertinere? Ambæ quippe & uxores Abrahæ, & concubinæ sunt appellatæ: Sara verò nunquam dicta est concubina.* Addit Scriptura, *Isaacum* ab *Abrahamo* institutum ex asse hæredem, filios verò concubinarum muneribus donatos, & in Orientalem regionem dimissos. *Habent ergo nonnulla munera filii concubinarum* (inquit S. Augustinus), *sed non perveniunt ad Regnum promissum, nec Hæretici, nec Judæi carnales; quia præter Isaac nullus est hæres:* Et non „ qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissio- *Rom. 9. 8.* „ nis deputantur in semine, *de quo dictum est*, In „ Isaac vocabitur tibi semen.

*Mors Abrahami.* Objit *Abraham* anno Mundi bis millesimo centesimo octogesimo tertio, ætatis centesimo septuagesimo quinto, post adventum in Chananæam centesimo; & a filiis suis *Isaac* & *Ismaële*, præter quos sex alios ex *Cethurâ* susceperat, in speluncâ *Macpela* cum *Sarâ* uxore suâ sepultus est. (*Genesis* 25.)

---

## ARTICULUS II.

### *De Isaaco.*

*Rebecca duos Gemellos parit, Esau, & Jacob.* I. REbeccam uxorem quadragenarius duxerat *Isaacus*. Quæ cùm novendecim post Nuptias annis sterilis permansisset, Marito pro ipsâ Deum exorante, fœcunditate donata est, duosque gemellos concepit. Colluctantibus in utero pueris affecta mater, Deum consuluit, a quo responsum accepit, Duarum dissidentium gentium auctores ex eâ prodituros, & majorem serviturum minori. Tempore partûs prodiit prior rufus, & totus in morem pellis hispidus, & appellatus est *Esau*. Deinde prodiit alter manu calcaneum fratris tenens, quem idcirco vocarunt *Jacob*. Tunc sexagenarius erat *Isaacus*. (Genesis 25.) *Esau* Idumæorum, *Jacob* Israëlitarum Populum repræsentabat, si historiæ sensum attendamus; prior Judæorum, alter Gentium, si sensum mysticum spectemus. Sic explicat *S. Augustinus* Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.35. *Quod*, inquit, *dictum est*, Major serviet minori, *nemo ferè nostrûm aliter intellexit, quàm majorem Populum Judæorum minori populo Christiano serviturum. Et re verâ quamvis in gente Idumæorum, quæ nata est de Majore, cui duo nomina erant,* [ *Nam & Esau vocabatur, & Edom, unde Idumæi,* ] *hoc videri possit impletum; quia postea superanda fuerat a Populo qui ortus est ex minore, id est, Israëlitico, eique fuerat futura subjecta; tamen in aliquid majus intentam fuisse istam prophetiam, quâ dictum est:* Populus populum superabit, & major serviet minori, *convenientiùs creditur. Et quid est hoc, nisi quod in Judæis & Christianis evidenter impletur?* Item Esau reproborum omnium, Jacob electorum typos fuisse, ex *Malachiâ* colligit Apostolus, ad *Romanos* 9. Sic *Malachias* cap.1. v.2. *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob, Esau autem odio habui? Et posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti. Quòd si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam; & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus usque in æternum.* Sic verò S. *Paulus* ad *Romanos* 9. cap. *Non solùm autem illa; sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali;* [ *ut secundùm electionem propositum Dei maneret* ] *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* De quo Apostoli loco hæc strictim *S. Augustinus* loco superiùs laudato: *Paulus Apostolus magnum vult intelligi gratiæ documentum; quia nondum illis natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, sine ullis bonis meritis eligitur minor, majore reprobato; quando proculdubio quantùm ad originale peccatum, ambo pares erant; quantum autem ad proprium, ullius eorum nullum erat. Sed nunc de hac re dicere aliquid latiùs, instituti operis ratio non sinit, unde & in aliis jam multa diximus.*

II. Cùm ex agro fatigatus *Esau* aliquando rediret, fratrem pulmentum ex lenticulis coquentem invenit, cujus colore ac odore captus, partem sibi concedi avidè postulavit. Haud ægrè *Jacob* annuit, sed statuto pretio, primogeniti jure. Id vile guloso homini visum, qui emisso etiam juramento jura primogenituræ pro offâ fratri vendidit. Annexum fuisse primogenitorum principatui Sacerdotium ex Diluvii tempore, Hebræorum Traditio est a S. Hieronymo *in Traditionibus Hebraicis* approbata, & communi penè omnium Interpretum consensu confirmata. In familiâ *Isaaci* hoc præterea proprium habuit jus promogenituræ, quòd ipsi promissa fuerit Messiæ ex semine suo nativitas. Quocirca ab Apostolo ad Hebræos 12. *Profanus Esau* dicitur, *Qui propter unam escam vendidit primitiva sua.* Licèt autem peccaverit *Esau* primogenita vendens, non peccavit *Jacob* illa emens, quia suam duntaxat redemit vexationem. Jus enim primogenituræ ipsi ex divinâ electione debebatur, (inquit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæst.100. Art.4. ad 3.) *Esau vendit primogenita.*

III. Fame apud Chananæos grassante, *Isaac* ad *Abimelech* Palæstinorum Regem in Gerara profectus est monente Deo, Terræ Chananææ, Semìnisque benedicti iteratis promissionibus. Patris exemplum secutus, *Rebeccam* uxorem sororem suam dixit, more gentis, quia consobrina ejus erat. Factum istud *Isaaci* iisdem rationibus a peca- *Isaaci ad Abimelechum Regem profectio.*

cato vindicat S. *Augustinus* Lib.22. contra *Faustum*, cap.46. quibus simile factum *Abrahami* ab ejusdem Hæretici calumniis vindicaverat. Rex *Abimelech*, per fenestram prospiciens, cùm *Isaac Rebecca* blandientem, & cum eâ liberiùs ludentem conspexisset, uxorem ejus esse cognovit, increpuitque *Isaac* ob simulationem, quæ occasionem adulterii Palæstinis præbere poterat: *Quare*, inquit, *imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum uxore tuâ, & induxeras super nos grande peccatum. Praecepitque omni populo dicens: Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Ex his patet, quàm execrandum esset apud Gentes ipsas a veri Dei cultu alienas adulterium. *Isaac* Dei benedictione locupletatus, Palæstinis, ipsique *Abimelecho* Regi invidiæ fuit, qui ejus potentiam ac felicitatem veritus, finibus suis discedere imperavit. Morem gessit, in Vallem Geraris descendit; indeque *Bersabee* profectus, vix ibi tentorium fixit, cùm Dei visione ac promissis recreatus, Altare erexit, Deique nomen invocavit. Mox *Abimelechus* cum *Phicolo* copiarum Duce ad *Isaacum* accessit, Fœdusque cum illo iniit jurejurando firmatum.

IV. *Isaacus* senex & oculis captus, *Esau* filio-
*Isaac mo-* rum natu majori testamentariam benedictionem
*riturus fi-* impertiri decrevit. Dum venatum jussu patris pro-
*liis bene-* ficiscitur, *Jacob* filius junior innoxiâ matris arte
*dicit.* & consilio benedictionem fratri præripit, quam
*Jacob pa-* ipsi pater his verbis precatur: *Det tibi Deus de*
*ternam be-* *rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam fru-*
*nedictio-* *menti & vini. Et serviant tibi Populi, & adorent*
*nem fratri* *te Tribus: esto Dominus Fratrum tuorum, & incur-*
*præripit.* *ventur ante te filii matris tuæ: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Hæc benedictio, Christi Prophetia fuit, ut docet S. *Augustinus* Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.37. *Benedictio Jacob*, inquit, *prædicatio Christi est in omnibus Gentibus. Hoc fit, hoc agitur: Lex & Prophetia est Isaac: Etiam per os Judæorum Christus ab illo benedicitur velut a nesciente, quia ipsa nescitur. Odore nominis Christi, sicut ager, Mundus impletur: Ejus est benedictio de rore cœli, hoc est de verborum pluviâ divinorum; & de ubertate terræ, hoc est, de congregatione populorum: Ejus est multitudo frumenti & vini, hoc est, multitudo quam colligit frumentum & vinum, in Sacramento Corporis & Sanguinis ejus. Ei serviunt Gentes, ipsum adorant Principes. Ipse est Dominus fratris sui, quia Populus ejus dominatur Judæis. Ipsum adorant filii patris ejus, hoc est filii Abrahæ secundùm fidem: Quia & ipse filius est Abrahæ secundùm carnem. Ipsum qui maledixerit, maledictus; & qui benedixerit, benedictus est. Christus, inquam, noster etiam ex ore Judæorum, quamvis errantium, sed tamen Legem Prophetasque cantantium benedicitur, id est, veraciter dicitur; & alius benedici putatur, qui ab eis errantibus exspectatur.*

Idem confirmat *Theodoretus* Quæstione 82. in *Genesim*, his verbis conceptâ: *Quænam est benedictionis interpretatio?* Cui hunc in modum respondet: *Ex ipso secundùm carnem nasci debebat Christus Dominus, qui erat expectatio Gentium, & totius Mundi Salvator & Dominus. Hoc prævidens* „ *Patriarcha dixit:* Ecce odor filii mei sicut odor „ agri pleni, cui benedixit Dominus. *Quòd au-* „ *tem sæpè numero Divina Scriptura Mundum appellet agrum, testis est Dominus in sacris Evange-* „ *liis, cùm Parabolam interpretatur:* Ager enim, „ *inquit*, est Mundus: Qui autem seminat bonum
*Matth.13.* „ semen, est Filius hominis. *Observa igitur in Jacob salutem universi orbis. Quamobrem precatur illi rorem cœli & pinguedinem terræ; quæ quidem facili & superficiario literæ sensu denotant supernam gratiam, & bonorum e terrâ nascentium abundantiam; sed secundùm interpretationem agri, indicant Domini Christi, per rorem quidem, divinitatem; per pinguedinem autem terræ, humanitatem a nobis acceptam. Etenim Beatus David hæc prædi-* „ *cens, inquit*, Descendet ut pluvia in vellus, &
„ sicut stillicidia stillantia super terram. *Quem-* Psal.71.
*admodum enim ros invisibiliter quidem descendit, deorsum autem consistens manifestò apparet; sic Deus, cùm sit invisibilis, per carnem visus est super terram, & cum hominibus conversatus est, & apparuit in carne, secundùm divinum Apostolum. Frumentum autem & vinum, sunt ænigma divinorum Mysteriorum. Et huic interpretationi consentiunt quæ* „ *sequuntur*, Et servient tibi Gentes. Omnes enim
„ Gentes servient illi, *ut ait Divinus David*, Et Genes. 27.
„ *adorabunt* te Principes. Reges enim, *inquit*, Psal. 27.
„ Tharsis & Insulæ munera afferent. Reges Ara-
„ bum & Saba dona adducent, & adorabunt eum
„ omnes Reges terræ. *Hanc quoque benedictionem confirmavit, quando misit eum in Mesopotamiam.*
„ Eris enim, *inquit*, in congregationes populo- Genes.28.
„ rum, & det tibi Dominus Benedictionem Abra-
„ hæ patris tui. *Quænam autem esset benedictio, facile est discere volenti. Abrahæ enim dixit Deus* „ *omnium*, In semine tuo benedicentur omnes „ Gentes Terræ.

Vix *Isaacus* Jacobo benedixerat, cùm *Esau* a venatione reversus, conditam opiparè cœnam Patri apposuit. Is errore cognito obstupuit, haud tamen *Jacobo* succensuit, sed totum id divinitùs factum intelligens, ratum voluit. Frustra ingemuit *Esau*, miseroque ejulatu domum implevit, quærens num unam tantùm benedictionem pater haberet? Sibi etiam benediceret: Verùm enimvero unam tantùm benedictionem habuit Sanctus Patriarcha, quâ primogenitum a Deo electum augeret. Siquidem *Non multa semina, sed unum est semen, quod est Christus; in quo, secundùm promissionem datam Abrahæ, benedicendæ erant omnes Gentes. Quam verò, præter Semen illud benedictum, habere poterat Isaac benedictionem? Erant autem duo fratres, & ex illis duo populi contra alterutrum di-* „ *videndi, juxta veritatem dicentis:* Duæ Gen- „ tes sunt in utero tuo, & duo populi de utero „ tuo dividentur. *Quomodo igitur illis divisis communicari poterat unum semen, quod est Christus? Ille quippe unus est, & non in divisione, sed in unitate est. Oportebat igitur alterum alteri præferri: & prælatus est quem Deus commendavit, non quem caro & sanguis commendare voluit secundùm naturale jus primogeniti.* Verba sunt *Ruperti* Tuitiensis Abbatis Lib.7. Commentariorum in *Genesim* cap.8. Tantillum tamen solatium *Esau Isaacus* impendit, venandi studio & armorum præstantiâ celebrem fore prædicens, & futurum aliquando tempus, cùm excusso jugo Imperium invaderet. *Vives*, inquit, *in gladio, & fratri tuo servies, tempusque veniet cùm excutias & solvas jugum de cervicibus tuis.* Id in *Esau* non impletum, sed in ejus posteris, qui regnante *Davide* subditi sunt Hebræorum Imperio, ut constat ex Lib.2. *Regum* cap.8. *Fecit quoque sibi David nomen cùm reverteretur captâ Syriâ in Valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus: & posuit in Idumæâ custodes, statuitque præsidium, & facta est universa Idumæa serviens David.* Jugum autem excusserunt, & ab Hebræorum Imperio recesserunt regnante *Joram* filio *Josaphat* Regis Juda, ut habetur 4. *Regum* cap.8. Vers.20. *In diebus ejus recessit Edom, ne esset sub Judâ, & constituit sibi Regem.* Eâ porrò servitute soluti, liberique manserunt Idumæi usque ad *Hyrcani* ex Assamonæorum familiâ Judæorum Pontificis Principatum, a quo Idumæi non solùm Judaicæ dominationis jugum iterum subire, sed etiam Judaicam Religionem cæremoniasque

que accipere coacti sunt, teste *Josepho* Lib. 13. *Antiquitatum*. Esau primogeniti juribus, paternâque benedictione, & multò magis benedictionibus spiritualibus ob peccata sua privatum, docet Apostolus ad Hebræos 12. *Ne quis*, inquit, *fornicator, aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua; Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*. Quia scilicet, *non flevit peccatum, sed prosperum Jacob successum*, [ inquit Theodoretus ] *Non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat: Non doluit de peccato venditionis, sed de damno perditionis* ( inquit *S. Thomas* in Commentariis)

*Mors Isaaci.* VI. Mortuus est *Isaac* anno Mundi bis millesimo ducentesimo octogesimo-octavo, ætatis centesimo octogesimo completo, cùm filium suum *Jacob* ex Mesopotamiâ reducem, opibusque ac liberis auctum vidisset: ab eoque & *Esau* sepultus est. ( *Genesis* 35.)

---

## ARTICULUS III.

### *De Jacob, ejusque Filiis.*

*Jacobi peregrinatio.* I. ESau ob præreptam benedictionem adeò exarsit in fratrem, ut ei necem moliretur. Id *Rebecca* nunciatum, cujus consilio ad *Labanum* Avunculum in Mesopotamiam *Jacob* profectus est, donec fratris ira defervesceret. Discessuro fausta precatus *Isaac*, ipsum admonuit, ut e cognatione suâ, non ex Chananæorum filiabus uxorem duceret. In itinere somno sub dio gravatus, Dominum in somnis vidit Scalæ a terrâ cælo cacumen insinuanti innixum, sibi Terræ Chananeæ, seminisque benedicti promissiones iterantem; tum Angelos, quorum alii ministrorum instar a Scalæ vertice deorsum, alii ab imo sursum ferebantur. Hoc mysterio intellexit peregrinus res humanas Deo esse curæ, & cuncta ejus nutu gubernari. Locum in quo *Jacob* Scalam mysticam vidit, illum ipsum fuisse censet *S. Augustinus*, in quo Templum postea extructum est a Salomone. *Hæc verba:* ( inquit) *Non est hìc aliud nisi Domus Dei, ad Prophetiam pertinent, quia ibi futurum erat Tabernaculum, quod constituit Deus in hominibus in primo populo* [ Quæstione 83. in Genesim. ] Verùm huic opinioni repugnat & ratio itineris ex Bersabee Charanem, inter quæ loca Hierosolymâ devia & procul remota sunt, & Textus ipse, qui locum hunc *Bethelem* fuisse, non Montem *Moria*, Vers. 19. testatur. In hujus rei testimonium erecto lapide, quem & oleo perfudit, nomen urbis *Bethel* appellat, quæ priùs *Luza* vocabatur, votumque Deo nuncupat. *Quod Jacob fecit, ad Prophetiam pertinet. Neque enim more idololatriæ lapidem perfudit oleo, quasi faciens eum Deum. Neque enim adoravit eum lapidem, neque ei sacrificavit. Sed quoniam Christi nomen a chrismate, id est, ab unctione, profectò figuratum hinc est aliquid, quod ad magnum pertinet sacramentum*. ( inquit *S. Augustinus* Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 38. ) Nempe Christus lapidis & petræ nomine seu typo passim in Scripturâ indigitatur, & oleo lætitiæ præ consortibus suis a Deo inunctus est.

*Jacobi apud Labanem mansio Nuptiæ, filii.* II. *Jacob* Haranem tandem pervenit, & a *Labano* peramanter susceptus, *Rachelis* filiæ ipsius amore corripitur, quam septenni servitute paciscitur uxorem. Annis servitii completis, qui pauci videbantur dies præ amoris magnitudine, *Jacob* mercedem operæ poscenti *Labanus* pro *Rachele* pulcherrimâ *Liam* oculorum lippitudine laborantem, tenebris fallentibus, substituit, genero pro *Rachel* alterum septennium servire compulso. Alios septem annos servitutis nòn implevit *Jacob*, antequàm *Rachel* ipsi traderetur, sed transactâ hebdomadâ celebritatis Nuptiarum cum *Liâ*, statim ipsi *Rachel* in uxorem data est, ut explicant *S. Hieronymus* in *Traditionibus Hebraicis*, & *S. Augustinus* Quæstione 89. in *Genesim*, utque ex cap. 29. *Genesis* colligitur. *Imple.* ( inquit Laban ) *hebdomadam dierum hujus copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis. Acquievit placito, & hebdomadâ transactâ, Rachel duxit uxorem... Tandemque potitus optatis Nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis:* Cùm autem *Lia* minùs a marito amaretur quàm *Rachel*; hæc sterilis divinitus; illa quatuor filiorum mater, continuâ per suos annos serie, reddita est, *Rubenis*, *Simeonis*, *Levi*, & *Judæ*. *Rachel* sterilitatis impatiens *Jacobum* compulit ut ad *Balam* ancillam accederet, quam *ipsi dedit in conjugium*: similiter & *Lia* cùm parere desiisset, *Zelpham* ancillam suam marito tradidit. Ex ancillis hos filios *Jacob* suscepit, *Dan*, *Nephthali*, *Aser*, *Gad*, singularum etiam tribuum Patriarchas. *Jacobum* a lasciviæ & incontinentiæ notâ, quam ipsi *Faustus Manichæus* inurebat, purgat *S. Augustinus* Lib. 22. contra eumdem edito, cap. 47. & sequentibus, ac mysteria in connubio Sancti Patriarchæ cum *Liâ* & *Rachel*, ac utriusque Ancillis, latentia uberiùs explicat. Ibi Patriarchas cum Apostolis comparans hæc habet: *Sicut ergo Sancti Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis: Ita Sancti Patriarchæ conjugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentiâ percipiendæ voluptatis, sed providentiâ propagandæ successionis: Ac per hoc nec illos ambitiosos multitudo populorum, nec illos libidinosos multitudo faciebat uxorum. Sed quid de viris loquar, quibus excellentissimum testimonium divinâ voce perhibetur, cùm ipsas feminas satis eluceat nihil aliud in concubitu appetisse quàm filios: Quippe ubi se minimè parere viderunt, famulas suas dederunt viris suis, ut illas matres facerent carne, ipsæ fierent voluntate?* Lege quæ de eodem argumento habet Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 38. Consule & *Theodoretum* Quæst. 48. in *Genesim*. Duos præterea filios *Lia Jacobo* peperit, *Issachar*, & *Zabulon*, filiamque nomine *Dinam*. Tandem *Rachel* favente Deo, quem ferventibus votis exoraverat ut sterilitatis opprobrium a se tolleret, filium peperit, *Josephum* nuncupatum, hoc est, *Additionem*, quòd sibi de prole alterâ blandiretur, eamque a Deo precaretur. ( *Genesis* 29. & 30. )

III. *Jacob* Terram Chanaan repetere decreverat Soceri ingratitudine motus, cùm *Labanus* ipsum pacto moratus est, illius oves fore & capras, quæ ex albis aut nigris pecudibus varii coloris & maculis aspersæ nascerentur. *Jacob* virium naturæ peritus, collectas ex amygdalâ, castaneâ, populoque arbore virgas, cortice detracto variegatas, pecudum oculis ingerit, ut inter potandum fœmellæ fœtu graves iis conspectis agnos maculis aspergerent. Hâc arte ditatus est supra modum sex annorum spatio, quibus *Labano* pro gregibus operam locavit, præter quatuordecim annos quibus pro *Liâ* & *Rachele* servierat. Factum illud *Jacob* injustitiæ ac fraudis perperam quis damnaret, cùm Deus illud approbaverit, portionemque bonorum *Labani* ipsi debitam cum titulo dotis uxorum, tum ob laborum mercedem, tum denique ob fraudum, quibus ipsum circumvenerat, compensationem, ei dederit. Id constat ex verbis *Jacobi* ad uxores suas Genesis 31. *Deus*, inquit, *Patris mei fuit mecum. Et ipsæ nostis, quòd totis viribus meis* *Jacob justa compensatio, & ars innocens quâ rem familiarem auget.*

 ser-

*servierim patri vestro : Sed & pater vester circumvenit, & mutavit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oves varios fœtus. Quando verò è contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt. Tulitque Deus substantiam patris vestri & dedit mihi.* Idemque ex responso *Liæ* & *Rachelis* confirmatur: *Nunquid*, inquiunt, *habemus residui quidquam in facultatibus & hæreditate domûs patris nostri? Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum? Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis ac filiis nostris.* Lege *S. Hieronymum* in Traditionibus Hebraicis in Genesim.

*Jacob in in Patriam redit.*

IV. Animadversâ *Labani* & filiorum invidiâ, reditum in patriam *Jacobus* a Deo monitus meditatur, reque cum uxoribus suis communicatâ, dum peregrè tondendis ovibus socer occupatus esset, clam eo cum facultatibus suis omnibus & totâ familiâ discedens, *Euphratem* trajecit. *Rachel* compositis sarcinis, patris Idola inscio marito, furata est. Id superstitioni tribuunt *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 57. in Genesim, & *Rupertus* Lib.7. Commentariorum. At longè probabilius est ipsam pietatis studio id fecisse, ut patrem ab Idolorum cultu revocaret, ut censet *S. Basilius* Homiliâ 12. in principium Libri Proverbiorum, *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 42. & *Theodoretus* Quæstione 90. in Genesim ubi hanc sententiam duobus argumentis confirmat. 1. Quòd scriptura sacra *Rachelis*, pietati testimonium perhibeat. 2. Quòd Ecclesiæ typum gereret, quæ idololatriam extirpavit. *Quoniam igitur Ecclesia, quæ Deo Salvatori credidit, Majorum suorum errorem radicitus extirpavit, hujus autem typus erat Rachel, furata est Idola patris, ut in eo quoque veritatem adumbraret* (inquit Theodoretus.)

*Laban* die tertio a *Jacobi* fugâ, ipsum cum suorum agmine persecutus est itinere septem dierum, tandemque assecutus est in Monte *Galaad*, ab hujus congressûs eventu sic appellato. Post multas enim ultrò citròque expostulationes, fœdus pacis initum, cujus in testimonium cumulus lapidum congestus est, quem *Laban* Syrus suo idiomate *Jegar Sahadutha*, *Jacob* Hebræus suo sermone *Galaad* id est, *Acervum testimonii* nominavit. (*Genesis.* 31.)

*Jacob visione divinâ recreatur, cum Angelo luctatur.*

V. Periculi metu solutus *Jacob* iter in Chanaanitidem prosequebatur, cùm Angelos obvios habuit, velut ejus custodiæ deputatos, quorum visione mirum in modum recreatus ac animatus, exclamavit: *Castra Dei sunt hæc.* Inde loco nomen dedit *Mahanaim*, id est, *Castra*. Mox novo fratris *Esau* ad ipsum cum copiis properantis nuntio territus, suos in duas turmas distribuit, Dei auxilium implorat, fratri munera præmittit, interimque cum Angelo luctatus, novum *Israëlis* nomen cum cœlestis Athletæ benedictione victor obtinet, nervo femoris ex luctâ obtorpente. Hoc eventu, verbisque Angeli dicentis: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* confirmatus *Jacob* animus est. Angelum cum eo luctatum typum Christi evidentissimè gessisse, observat *S. August.* Lib.16. *De Civit. Dei. Nam quòd ei prævaluit Jacob, utique volenti, ut Mysterium figuraret, significat passionem Christi, ubi visi sunt ei prævalere Judæi. Et tamen benedictionem ab eodem Angelo, quem superaverat, impetravit: ac sic hujus nominis impositio benedictio fuit. Interpretatur autem Israël, Videns Deum; quod erit in fine præmium omnium Sanctorum. Tetigit porrò illi idem Angelus velut prævalenti latitudinem femoris, eumque isto modo claudum reddidit. Erat itaque unus atque idem Jacob & benedictus & claudus; benedictus in eis qui in Christum ex eodem Populo crediderunt, atque Infidelibus claudus. Nam femoris latitudo generis est multitudo. Plures quippe sunt in eâ stirpe, de quibus prophetice prædictum est: Et claudicaverunt a semitis suis.*

VI. *Jacob* multiplici corporis animique demissione, ac muneribus *Esau* fratrem propitium reddidit. Ab eo digressus, venit in *Socoth*. Loco nomen a tentoriis illic expansis. Inde superato Jordane *Salem* migravit, Sichemitanæ Regionis urbem in Terrâ Chananæâ positam. Fixit ibi tabernacula in portione agri, quam *emit a filiis Hemor*, patris Sichem, centum agnis. Porrò agnos monetæ genus fuisse, Viri Eruditi observarunt. Erecto ibi Altari, *Deum fortissimum Israëlis* Jacob invocavit. (*Genesis* 33.) Eo in loco primum suum Altare quondam extruxerat *Abrahamus*. [*Genesis* 12. Vers.6. & 7.] Ibi etiam erat fons *Jacob*, in conspectu Montis Garizim, de quo mulier Samaritana ad Christum, Joannis 4. *Patres nostri in Monte hoc adoraverunt*. Regioni illi dominabatur *Hemor* Hevæus, cujus filius *Sichem* ut in *Dinam Jacobi* ex *Liâ* filiam, quæ ad mulieres Regionis illius videndas egressa erat, defixit oculos, ejus specie ita captus est & incensus, ut Virginem rapuerit, & constupraverit. Haud tamen vitiatam aspernatus est, sed blanditiis delinitam, in conjugem a *Jacobo* poposcit. Votis ejus parentisque precibus annuere *Jacob* visus est eâ lege, ut Sichimitæ, præeunte Regis ac Principis exemplo, Circumcisionis ritu initiarentur. Duram licèt conditionem cùm subiissent, *Simeon* & *Levi* germani *Dinæ* fratres opprobrium non passi, tertiâ luce quâ gravissimus erat ex recenti Circumcisione vulnerum dolor, Urbem invaserunt, & masculis omnibus ferè deletis, Sororeque sublatâ, depopulati sunt Urbem in ultionem stupri; Mulieresque, pueros, armenta, greges abduxerunt. De isto filiorum *Jacob* facinore in Dissertationibus agemus. Id *Jacobo* necessitatem attulit illinc discedendi. Objurgatis itaque filiis, *Bethelem* petiit, cùm antea Idola, sive ex *Labani* domo, sive ex Sichimæ direptione a suis allata, subter terebinthum juxta Sichem defodisset. Bethele Altare erexit, eo in loco ubi ante annos triginta, fratrem fugiens, vota Deo nuncupaverat; quocirca *Domum Dei* appellavit. *Rachelem* dilectissimam partûs dolor juxta Ephratam extinxit. Filium enixa, *Benoni*, id est, sui doloris filium appellarat; sed *Jacob* materni luctûs monumentum transferri non ferens ad posteros, mutato nomine *Benjaminum*, id est *Filium dextræ* vocavit. Juxta Ephratam seu Bethelem sepulta est Conjux charissima, erecto super sepulcrum ejus titulo ad memoriam sempiternam. Filios duodecim *Jacob* susceperat antequàm reverteretur ad Patrem. Ex Liâ, *Ruben* primogenitum, *Simeonem*, *Levi*, *Judam*, *Issachar*, & *Zabulon*; Ex Rachele, *Josephum & Benjaminum*: Ex Balâ Ancillâ Rachelis, *Dan & Nephtali*: Ex Zelphâ Ancillâ Liæ *Gad* & *Aser*. In Mesopotamiâ nati dicuntur, quamvis ibi natus non sit *Benjaminus*, sed in Terrâ Chanaan, annis circiter decem post *Jacobi* ex Mesopotamiâ discessum, adeoque verum non sit quod ait *S. Chrysostomus* Homiliâ 60. in Genesim, *Benjaminum* in Mesopotamiâ fuisse conceptum, licèt in Chananitide natus sit. Cùm ergo dicitur: *Hi sunt filii Jacob qui nati sunt ei in Mesopotamiâ Syriæ*; id per Synecdochen dictum intelligendum est. *Ubi enim pars major est, aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim Apostolos jam non pertinebat Judas, qui etiam mortuus fuit, cùm Dominus resurrexit a mortuis, & tamen*

*Dina raptus, Sichimitarum cædes.*

*Mors Rachelis.*

*Filii Jacob, an omnes in Mesopotamiâ nati?*

*Genes. 35.*

Græc. Τοῖς δώδεκα 1. Cor. 15.6.

*men ipsius duodenarii numeri nomen Apostolus in Epistolâ suâ tenuit, ubi ait: Eum apparuisse illis duodecim. Cum articulo enim hoc Græci Codices habent, ut non possint intelligi quicunque duodecim; sed illi in eo numero insignes ...* Sic *Genesis* 34. vers.6. *Ubi Emmor pro filio suo Sichem, ut acciperet Dinam filiam Jacob, exiit loqui cum eodem Jacob, & venerunt etiam filii ejus qui absentes erant, & ad omnes dicit Emmor, Sichem filius meus elegit animo filiam vestram, date ergo illi eam uxorem. Quia enim potior erat patris persona, per Synecdochem* Filiam vestram *dicens, etiam fratres tenuit hoc nomine, quorum non erat filia. Sic quia potior erat numerus undecim filiorum Jacob, qui nati fuerant in Mesopotamiâ, ipsorum commemoratione Scriptura complexa est etiam Benjamin, qui non erat ibi natus, & dictum est: Hi sunt filii Jacob qui facti sunt ei in Mesopotamiâ Syriæ.* Ita hanc difficultatem solvit *S. Augustinus* Quæstione 118. in *Genesim*.

*Fratrum invidia in Josephum, ejusque venditio.*

VII. Amorem, quo in *Rachelem* exarserat *Jacob*, in ejus filios transtulit, sed impensiùs *Josephum* dilexit. Singularis ille patris affectus fratrum invidiam peperit, hinc auctam maximè quòd fratres crimine pessimo apud patrem accusasset, somniaque puerili simplicitate narrasset, quibus futura ejus felicitas portendebatur. Tunc annos septendecim natus erat *Josephus*. Tam immane in ipsum fuit fratrum odium, ut occasione datâ primùm in necem, deinde in venditionem ejus conspiraverint. Eductum e cisternâ in quam eum conjecerant, Ismaëlitis mercatoribus viginti argenteis vendunt; a quibus in Ægyptum abductus, *Putipharis* Magistri Militum *Pharaonis* mancipium efficitur. *Genesis* 37.

*Juda & Thamaris historia.*

VIII. Interim dum in Ægyptum ducitur *Josephus*, *Judas* a fratribus suis divertens ad Virum Odollamitem nomine *Hiram*, mulierem Chananæam uxorem duxit, ex quâ tribus filiis susceptis, *Her*, *Onan*, & *Sela*, *Thamarem* primo, & post ejus mortem secundo uxorem dedit. *Onan introiens ad uxorem fratris sui*, Jure Levirationis ante Legem ex Dei instinctu a Patriarchis instituto, *semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret. Selam* tertium filiorum *Thamari* maritum despondit *Judas*. Sed cùm hunc, jam maturum uxori, ipsi non copulasset, *Thamar* scortum simulans sedit in bivio itineris, quà transiturus erat *Judas* Thamnam ad tondendas oves iturus. Ad ipsam accessit, furtivumque concubitum hædi pretio cum eâ pactus, annulo, armillâ, & baculo in pignus traditis, eâ pro voluntate abusus est. Ut primùm apparuit atque vulgatum est *Thamaris* dedecus, eam ad Magistratus publicos deferendam, ut igne damnaretur, *Judas* pronuntiavit, seu fortè damnavit ipse pro more Gentis, ut caput familiæ, ad quam *Thamar* utpote Nurus ejus pertinebat. Quæ cùm ad supplicium duceretur, pignora misit ad *Judam*, dicens: *De viro, cujus hæc sunt, concepi; cognosce cujus sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus ait: Justior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo.* Peperit autem *Phares* & *Zaram*, in Christi Genealogiâ cum patre & matre recensitos, ad Christi Domini humilitatem & charitatem commendandam, qui ex turpissimis peccatoribus secundùm carnem genus ducere dignatus est, ut omnium peccata deleret, ( *Genesis* 38. ) Circa hanc Historiam duæ difficultates occurrunt singulari Dissertatione dignæ. Prima tempus spectat, An scilicet ante vel post venditionem *Josephi* contigerit? Altera spectat ipsum facinus *Judæ* & *Thamaris*; Utrùm a peccato excusari possit.

IX. *Josephus* in Ægyptum abductus, Putiphari, cui venditus fuerat, ob eximiam indolem, speciem corporis, industriam ac fidem in curandâ re familiari gratissimus, ab ejus uxore, muliere impudicâ, illecebris ac promissis tentatus est. Ille refutatis lascivis amoribus, dixit ad eam: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo suâ, nec quidquam est quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es: Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Cùm ipsum aliquando importuniùs urgeret mulier impudens, se foras proripuit, relicto in manu ejus pallio. Hæc amore in furorem verso castissimum Juvenem salacitatis insimulavit, & tanquam tentatæ pudicitiæ indicium, pallium ostendit. *Josephus* nullâ habitâ quæstione trusus in carcerem, Pistorum & Pincernarum *Pharaonis* Principibus in eodem ergastulo detentis somnia ipsorum interpretatus est, mox eventu ipso veritatem interpretationis comprobante, ut vaticinium potiùs quàm interpretatio somniorum videretur. Post biennium e carcere eductus, *Pharaoni* Regi sistitur, ejusque somnium de septem bobus pinguissimis & totidem macie confectis, ac de spicis plenis ac pulcherrimis ex uno culmo pullulantibus, & totidem tenuissimis & stipulâ exortis interpretatus, septem annos ubertatis primùm, deinde totidem sterilitatis & famis vaticinatus est, consiliumque suum de procurandâ annonâ insuper adjunxit. Ejus sapientiam demiratus *Pharao*, ipsum rei frumentariæ in universâ regione præfecit, ac in regiminis partem assumpsit, uno sibi solio, Imperiique nomine retento. *Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit?* ( inquit *Pharao* ad Ministros ) Tum ad *Joseph* conversus ait: *Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem & consimilem tui invenire potero? Tu eris super Domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm Regni solio te præcedam .... Ecce constitui te super universam Terram Ægypti ...* Mutavitque nomen ejus, & vocavit linguâ Ægyptiacâ, *Salvatorem Mundi*, Dedit illi in uxorem *Asenetham* filiam *Putipharis* Sacerdotis Heliopoleos, ex quâ duos filios *Manassem* & *Ephraim* suscepit. Annos triginta natus erat *Joseph*, cùm stetit in conspectu *Pharaonis*. ( Genesis 39. 40. & 41. )

*Joseph tentatio, victoria, carcer, somniorum Pharaonis interpretatio.*

*Joseph Ægypti Prorex.*

*Jacob filios in Ægyptum mittit ad comparandam annonam. A Josepho probantur.*

X. Fame non per Ægyptum modò, sed per Chanaanitidem grassante, *Jacob* decem filios suos ad annonam comparandam in Ægyptum mittit, qui a fratre *Josepho* dissimulante agniti, perditionis insimulantur, tanquam Imperii vires urbiumque munimenta exploraturi venissent. In carcerem conjecti non priùs dimittuntur, quàm vincto *Simeone*, & ut obside relicto, *Beniaminum* fratrem suum adducturos se promitterent. Dimissi, unà cum annonâ pecuniam saccis inscii referunt. Annonâ absumptâ, ægrè impetrant a patre ut in Ægyptum denuo pergant, ascito in comitem *Beniamino*. Josepho se sistunt, ipsum in terram proni venerantur, munera offerunt, benignè excipiuntur, ac *Simeone* in libertatem restituto, cum *Josepho* epulantur. Cum frumento dimissi, scypho in *Beniamini* sacco invento ( quem in eo abscondi *Josephus* jusserat ut ipsos probaret ) in Urbem revocantur. *Joseph* vultu in severitatem composito facinus ipsis improperat, reo necem aut vincula minatus. *Judas* se pro *Benjamino* in servitutem offert. Victus tandem pietate *Josephus* se fratribus manifestat, eosque sceleris in se commissi recordatione perturbatos propositâ divinâ providentiâ, cujus decreto in Ægyptum pro illorum salute præmissus est, erigit, consolatur; demum curribus, commeatu, muneribusque instructos remittit ad patrem, familiamque quantocyus adducendam ( *Genesis* 42. 43. 44. 45. )

Quod

*Josephus a mendacio purgatur.*

Quod Josephus Fratribus dixit: *Per salutem Pharaonis exploratores estis*, absque mendacio dixit; sensus enim est, *Si verum non dicitis, exploratorum pœnâ digni estis, hoc est, exploratores deputabimini merito mendacii vestri*. Estis *autem*, *potuisse dici pro habebimini & deputabimini, innumera similes locutiones docent. Unde est illa Eliæ:* Quicunque exaudierit in igne, ipse erit Deus. *Non enim tunc erit, sed tunc habebitur*. Ita *S. Augustinus* Quæstione 139. in Genesim. Nec etiam mentitus est cùm ait: *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientiâ?* Quia id *non seriò, sed joco* ab ipso dictum est. *Mendacia enim a mendacibus seriò aguntur, non joco: Cùm autem quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia*. Ita *S. Augustinus Quæstione 165. in Genesim*. Josephum tamen hoc joco mysterium aliquod adumbrasse censet.

*3. Reg. 28. 24.*

*Quot capita cum Jacob Ægyptum ingressa? Moyses cum seipso, & cum S. Stephano conciliatur.*

XII. *Sexaginta-sex* capita cum Jacob in Ægyptum ingressa, ortaque ex ipso, *Moses* commemorat, *Genesis* 46. vers. 26. sequenti autem versu, *Omnes animas domûs Jacob, quæ ingressa sunt in Ægyptum, septuaginta fuisse*, scribit. Idem numerus habetur initio Exodi: *Hæc sunt nomina filiorum Israël qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob . . . Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacôb, septuaginta*. Et cap. 10. *Deuteronomii*, Vers. 22. *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum; & ecce nunc multiplicavit te Dominus tuus sicut Astra cæli*. Septuaginta Interpretes Capite *Geneseos* supra laudato septuaginta-quinque numerant, eumdemque numerum exprimunt initio *Exodi*. Denique S. Stephanus, *Actorum* 7. vers. 14. totidem numerat: *Mittens autem Joseph*, inquit, *accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta-quinque*. Hæc multiplicem involvere contradictionem primâ fronte videntur. At illa conciliare facile est dicendo, *Mosen* Genesis 46. vers. 26. in illo numero sexaginta-sex capitum nec *Jacob* comprehendere, sed eos duntaxat qui cum eo in Ægyptum descenderunt, nec *Josephum* & duos filios ejus *Manassem* & *Ephraim*, quos in Ægypto invenit: Versu verò 27. in numero septuaginta animarum & ipsum *Jacob*, & *Joseph*, duosque ejus filios in Ægypto natos includere. Ita quæstionem illam solvit S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis. *Quòd excepto Joseph & filiis ejus, sexaginta-sex animæ de femore Jacob egressæ introierunt Ægyptum, nulla dubitatio est; ita enim & paulatim per singulos supputatus numerus approbat, & in Hebræis Voluminibus invenitur. Nam quod apud 70. legimus, filios Joseph natos in Ægypto fuisse novem, sciamus in Hebræo pro novem esse duos: Ephraim quippe & Manasse, antequàm Jacob intraret in Ægyptum, & famis tempus ingrueret, nati sunt in Ægypto. Hinc manifestum est, omnes animas quæ ingressæ sunt Ægyptum cum Jacob, fuisse 70. sexaginta enim & sex cum eo ingressa sunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Joseph scilicet & duos ejus filios; septuagesimus autem ipse fuit Jacob*. Quòd autem Interpretes Græci ad hunc numerum quinque capita addiderunt, nempe *Machir* filium Manasse, *Galaad* ejus nepotem, *Sutalaam* & *Taam Ephraimi* filios, ac *Edem* illius nepotem, id per anticipationem scripsere. *Neque enim* (inquit S. Hieronymus) *eùm intravit Jacob Ægyptum, Manasse & Ephraim in eâ erant ætate ut jam filios generare potuissent. Hanc rem ne videamur adversùs Scripturæ Auctoritatem loqui, etiam 70. Interpretes in Deuteronomio transtulerunt, dicentes, Quòd in septuaginta animabus ingressus sit Jacob in Ægyptum. Si quis igitur nostræ sententiæ refragatur, Scripturam inter se contrariam faciet; ipsi enim 70. Interpretes, qui hîc posuerunt 75. animas, per πρόληψιν, id est, anticipationem, Joseph & posteros ejus commemorantes, iidem in Deuteronomio septuaginta tantùm intrasse memorarunt*. Sanctus autem *Lucas* Versionem 70. Interpretum secutus est, quæ tunc apud Gentes, quibus scribebat, magis vulgata erat & celebrata. *Non*, inquit S. Hieronymus, *debuit S. Lucas illius Scriptor Historiæ, & in Gentes Volumen illud emittens, scribere contrarium aliquod Scripturæ Septuaginta, quæ jam fuerat Gentibus divulgata, quorum Auctoritas illo tempore major erat quàm Lucæ, qui ignotus & vilis, nec magnæ fidei in Nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quòd ubicumque Sancti Apostoli aut Apostolici Viri loquuntur ad Populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata. Licèt plerique tradant, Lucam Evangelistam, ut Proselytum, Hebræas literas ignorasse*.

Alium ex hac difficultate exitum *S. Augustinus* invenit, exposuitque postremâ Quæstionum in *Genesim*. Nomen scilicet ingressûs *Jacob* in Ægyptum, ad omne tempus vitæ *Joseph*, qui ingressûs illius auctor fuit, extendit. *Si quisquam*, inquit, *exigit quemadmodum etiam secundùm Historiæ fidem verum sit, Jacob eum septuaginta-quinque animabus Ægyptum intrasse? Dicemus, non uno illo die quo Jacob venit in Ægyptum, ingressum ejus intelligi oportere: sed quia in filiis suis plerumque appellatur Jacob, hoc est in posteris suis, & per Joseph constat eum intrasse in Ægyptum, introitus ejus accipiendus est, quandiu vixit Joseph, per quem factum est ut intraret ille. Toto quippe illo tempore nasci & vivere potuerunt omnes qui hîc commemorantur, ut 75. animæ compleantur usque ad Nepotes Benjamin. Sic enim dicit Scriptura, numerans omnes posteros Jacob ex Liâ:* Hi sunt filii Liæ, quos peperit ipsi Jacob in Mesopotamiâ Syriæ. *Inter quos tamen multi numerantur non ibi nati, sed quia illic parentes ipsorum nati fuerant, ibi eos perhibuit esse natos, quoniam causa quâ nascerentur, ibi nata est, id est, parentes eorum quos Lia ibi pepererat. Similiter igitur, quoniam causam intrandi Jacob in Ægyptum præbuit Joseph, totum tempus quo in Ægypto vixit Joseph, ingressio erat Jacob in Ægyptum, per suam videlicet progeniem, quæ illo vivo propagabatur, per quem factum est ut ingrederetur*. Lege & caput 40. Libri 16. *De Civitate Dei*.

*Oeconomica & politica Josephi prudentia.*

XIII. Interim *Josephus* totam pecuniam, quæ inveniebatur in Ægypto & in Terrâ Chanaan, pro annonâ illis venditâ collegit, & in ærarium *Pharaonis* intulit. Pecuniâ utriusque regionis absumptâ, Ægyptii greges & armenta sua *Josepho* vendiderunt, & cum cibis commutarunt. Postremò denique famis anno agros & libertatem suam *Josepho* addixerunt Ægyptii pro annonâ, & semente quo agros sererent in sequentem annum fertilitatis redituræ. Sic jus omne proprietatis Terræ, hominumque, *Pharaoni Josephus* acquisivit: agrosque colendos Ægyptiis eâ conditione assignavit, ut quintam proventuum partem Regi, lege perpetuâ, quotannis solverent. Agri duntaxat Sacerdotum ab hac lege immunes fuere, quibus cibaria ex horreis publicis tempore famis præbebantur; ideoque possessiones suas vendere compulsi non fuerant. [ *Genesis* 47. ]

*Jacob moriturus filiis benedicit, & de futuris, & præsertim de adventu Messiæ vaticinatur.*

XIV. *Jacob* morti proximus *Manassem* & *Ephraim* filios *Josephi* adoptavit, eisque benedicens, minorem majori divino instinctu præposuit, commutans manus, dexteramque, quam *Josephus* capiti *Manassis* applicuerat, super caput *Ephraim* extendens. Sic autem precatus est: *Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentiâ meâ usque in præsentem diem. Angelus qui eruit me de cunctis*

ma-

*malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.* Convocatis deinde omnibus filiis benedixit *Jacob*, singulis eventura prædixit: de adventu Messiæ insigne Vaticinium edidit, *Juda* bene precatus: *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui: Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna; quis suscitabit eum? Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & ipse erit Expectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* De cujus Oraculi sensu inferiùs differemus. Mortuus est *Jacob* annos natus centum quadraginta septem, postquàm in Terrâ Ægypti vixisset annis septem-decim. Corpus ejus in Terram Chanaan delatum, sepultum est in speluncâ duplici, quam emerat *Abraham* cum agro in possessionem sepulcri ab *Ephron Hethæo* contra faciem Mambre. (*Genesis* 50.) Ad *Jacobum* pertinent verba illa Sapientiæ 10. *Hæc profugum iræ fratris Justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum adfuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* De eodem Apostolus ad Hebræos 11. Vers. 21. *Fide Jacob, moriens singulos filiorum Joseph benedixit: & adoravit fastigium virgæ ejus.* Versionem 70. Interpretum sequitur S. Paulus: Latinus enim Interpres convenienter Hebraico Textui, & Chaldaicæ Paraphrasi transtulit: *Adoravit Israël Deum, conversus ad lectuli caput.*

*Mors Josephi.*

XV. *Josephus* imminente morte egressum filiorum Israël ex Ægypto vaticinatus est, dicens: *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de Terrâ istâ ad Terram, quam juravit Abraham, Isaac & Jacob.* Cùmque de transferendis suis ossibus præcepisset, annos centum & decem natus obiit. Ad *Josephum* pertinent hæc verba *Sapientiæ* 10. Vers. 13. *Hæc venditum Justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi Sceptrum Regni, & potentiam adversùs eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* De ipso Apostolus ad *Hebræos* 11. Vers. 22. *Fide*, inquit, *Joseph moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandavit.* Ægypti Præfecturam sub pluribus Regibus annis octoginta gessit *Josephus*. Annorum seriem *Eusebius* in Chronico ita digerit. *Joseph Dux Ægypti fit anno ætatis trigesimo, Jacobi patris centesimo secundo: Quem Principatum tenuit annis octoginta. Post cujus interitum Hebræi Ægyptiis servierunt annis centum quadraginta quatuor. Fiunt autem omnes anni, quos Hebræi in Ægypto fecerunt, ducenti quindecim, qui ab eodem tempore computantur, quo Jacob cum filiis suis descendit in Ægyptum.* In morte *Josephi* desinit Liber *Geneseos* annorum bis mille trecentorum sexaginta novem res gestas continens.

## ARTICULUS IV.

### *De Jobi Historiâ.*

*Quo tempore Jobi Historia contigerit?*

JObi Historiam Patriarcharum temporibus contigisse, & ante *Mosem*, non levia suadent argumenta. 1. Quòd *Job* Sacrificia offerret, quod post Legem solis Sacerdotibus Aaronicis sive ex Tribu *Levi* licebat, idque coram Tabernaculo, sive in Templo. 2. Quòd Legis & Prophetarum in totâ *Jobi* Historiâ nulla mentio extet; Nullum ab Israële petatur virtutis exemplum in *Jobi* & Amicorum ejus colloquiis; Nulla admirabilium Dei operum, sive in Ægypto, sive in Deserto, longoque in Terram Chanaan itinere commemoratio, quæ tamen in ore *Jobi* vel amicorum, qui ad eum consolandum accesserant, peropportuna fuisset. 3. Quòd *Job* & Amici ejus veram Religionem profiterentur, atque adeò illis temporibus viverent, quibus Idumæi ab *Esau* progeniti sincerum veri Dei cultum retinebant, quod temporibus datam Legem secutis non convenit. 4. Quòd *Eliphaz* Jobi amicus non alius videatur ab *Eliphaz* illo *Esau* filio, cujus meminit *Moses* Genesis 36. & *Jobad* filius *Zare*, Rex Idumæorum secundus, de quo Vers. 33. ejusdem Capitis, eundem cum *Jobo* esse verisimile sit. Id enim probat Clausula illa celebris in Codicibus Septuaginta Interpretum Libro *Jobi* adtexta. *Hic interpretatione redditur ex Libro Syriaco; In Terrâ quidem Ausitide habitans, in finibus Idumææ & Arabiæ: & erat ei nomen Jobad. Cùm autem accepisset uxorem Arabissam, generat filium, cui nomen Ennon. Erat autem ipse ex patre quidem Zare, de filiis Esau filius: matris autem Bosorra: ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt Reges, qui regnaverunt in Edom, cujus Regionis etiam ipse denominatus est: Primus Balac filius Beor: & nomen Civitatis ejus Dennaba: Post Balac autem Jobab, qui vocatur Job... Amici autem, qui ad eum venerunt, Eliphaz de filiis Esau Thamanorum Rex, Baldad Tyrannus Sauchæorum, Sophar Rex Minæorum.* Quamquam verò clausula ista modò in Hebræo non extet, nec *S. Hieronymi* tempore in Codicibus Hebræis legeretur, ipsam tamen ex illis se exstudisse Septuaginta Interpretes significant, Syriacum enim Librum vocant Hebraicum, ut *Olympiodorus* ostendit in *Catenâ in Job*, ut etiam censet Scholiastes a *Nobilio* laudatus. Eamdem clausulam admiserunt *Theodotion*, Interpres Arabs, *Pseudo-Origenes* Commentario in Jobum, *Nicetas* in *Catenâ*. Ejus etiam meminerunt *Origenes Epistolâ ad Africanum*, *S. Joannes Chrysostomus*, *Polychronius*, & *Olympiodorus* in Proœmio & ad calcem *Catenæ in Job*, asserens eam cum reliquo *Jobi* Libro Ecclesiæ ab Apostolis traditam fuisse. In omnibus denique vel antiquissimis Codicibus Græcis reperitur. Unde nullius auctoritatis esse non potest. Ex his verisimillimum fit, *Jobi* Historiam eo tempore contigisse, quo Israëlitæ in Ægypto versabantur. Sanè *Mose* vetustiorem fuisse consentiens est Interpretum prope omnium & Chronologorum opinio. Thalmudistæ *Jobum* eo anno natum ariolantur, quo in Ægyptum venit *Jacob*; mortuum anno quo inde Israëlitæ exierunt.

*Jobi moderatio in prosperis, patientia in adversis*

II. *Job* Ausitidis Princeps, *Vir simplex, rectus, ac timens Deum & recedens a malo* septem filiorum & trium filiarum pater, opibus inclytus inter omnes Orientales, id est Arabes, magnus & potens admirabile præbuit in prosperis moderationis ac pietatis, in adversis patientiæ & humilitatis exemplum. Cùm ejus filii convivia in necessitudinis symbolum alternis vicibus celebrarent,

rent, Pater de suorum salute sollicitus, mittebat ad eos, illisque a Deo benè precatus, *holocausta pro singulis, diluculo* consurgens offerebat. Hunc Satanas Deo permittente aggressus, multiplici clade perculit, bonis perditis, Liberis omnibus repentinâ domûs, in quâ convivabantur, ruinâ oppressis, ipsum ulcere fœdissimo a plantâ pedis usque ad verticem afflixit; ita ut in sterquilinio sedens, & testâ saniem abstergens, vivum cadaver potiùs quàm homo videretur. Bonorum jacturam filiorumque funera æquo animo tulit, tot ac tam gravium malorum acceptis nuntiis Deum adoravit, laudavitque, has in voces erumpens: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.* Ulcera fœtoremque non minori patientiâ ferentem, Dæmon novis præstigiis adorsus est, uxore ad ejus pietatem subsannandam subornatâ: cujus proterviam *Jobus* his verbis arguit, fregit. *Quasi una de stultis Mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Ubi tantæ cladis fama percrebuit, tres ex Amicis, proximarum urbium Reguli, *Eliphaz Themanites, & Baldad Subites, & Sophar Naamathites*, ex condicto venerunt, infœlicem consolaturi. *Et sederunt cum eo in Terrâ septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Quod tamen non ita intelligendum, quasi toto septem dierum noctiumque spatio sine cibo & potu immoti cum *Jobo* sederint, sed quòd septiduo in Urbe manserint, ipsum interdum adeuntes: Sicut cùm *Jacob* Genesis 31. Vers.40. ait: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis:* non significat se toto viginti annorum spatio, quibus apud *Labanum* mansit, nec tectum subiisse, nec somno indulsisse, sed frequenter sub dio versatum, aërisque injuriis expositum, diluculo surrexisse, & vigilias in multam noctem sæpiùs protraxisse, ut res illius procuraret. Tum verba miscuerunt *Job* & amici in eam sententiam, quam Libri *Job* sacer Auctor expressit. Eorum controversiam Deus Oraculo suo diremit, & querimonias composuit. *Jobo* denique Deus non solùm restituit universa quæ amiserat, sed addidit duplo majora. Filiorum duntaxat & filiarum idem fuit qui ante calamitatem numerus, quia priores filii apud Deum vivebant. Vixit postea centum quadraginta annis: Unde conjiciunt Hebræi totidem annos ante calamitatem illum vixisse: & vidit filios suos ac nepotes usque ad quartam generationem: & mortuus est senex & satur dierum. Eximiam Christi figuram in se expressisse Jobum, rectè observarunt *Polychronius*, & Auctor Commentariorum in *Job* inter *S. Hieronymi* Opera editorum. Summam Historiæ *Jobi* proponit *Severus Sulpitius* Lib.1. Historiæ Sacræ his verbis: *Hoc tractu temporum Job fuit, legem naturæ, & agnitionem Dei, & omnem justitiam complexus: prædives opibus, atque eò illustrior, quòd his neque integris corruptus, neque amissis depravatus est. Nam cùm per Diabolum exutus bonis, filiis etiam esset orbatus, ad extremum diris ulceribus affectus, non potuit vinci ut præ doloris impatientiâ aliquâ in parte peccaret. Mercedem denique divini testimonii consecutus, sanitati redditus, omnia quæ amiserat in duplum recepit.*

*Quomodo Amici Job septiduo cum illo sederunt.*

*Job insignis Christi typus.*

## ARTICULUS V.

*Summa Historiæ Sacræ a morte Josephi ad Exitum usque Israëlitarum ex Ægypto.*

I. Defuncto *Josepho* & universis ejus fratribus omnique cognatione, Hebræos in gentem jam maximam auctos, novus Rex *Ramesses Miamun*, beneficiorum Ægyptiis a *Josepho* collatorum, servatique per ipsum Regni immemor, tributis operisque opprimere decrevit. Ipsis Custodes ac Præfecti adhibiti, qui ad coquendos lateres ad Urbes munitissimas *Phitomam* & *Ramessem* extruendas, aliaque opera domestica, rustica, civilia cogerent. Cùm durissimâ servitute afflictos & oppressos in dies nihilominus augeri *Pharao* videret, Gentemque peregrinam indigenis omnibus terrori fieri, *Sephoræ* ac *Phua* Hebræarum obstetricibus imperavit ut salvis in partu femellis, masculos omnes interficerent. Non paruerunt illæ ferali Decreto, timore Dei impulsæ. Quâ de re cùm a Rege objurgarentur, mentitæ sunt, Hebræas Mulieres artis obstetricandi peritas priùs parere, quàm ad eas accederent. Placuit Deo Mulierum pietas, propter quam *Domos ipsis ædificavit*, id est, rem ipsarum familiarem auxit, ingentemque bonorum temporalium copiam illis largitus est, ut *S. Augustinus*, & *Theodoretus* explicant. Quamquam id etiam de cælestis patriæ fœlicitate, & variis mansionibus apud Patrem intelligi possit, ut explicat *S. Hieronymus*: Qui tamen alibi domorum ædificationem simpliciùs & convenientiùs interpretatur *filiorum procreationem*. Nullum mendacio patrocinium ab obstetricum mendacio quæri potest, nec illud a Deo muneratum fuit. Nam, ut ait *S. Augustinus Lib. contra Mendacium*, cap.15. *Quæ contra Legem Dei fiunt, justa esse non possunt; dictum est autem Deo:* Lex tua veritas. *Cùm igitur contra Legem Dei sit mendacium, id justum esse non potest: Item ex veritate est omne quod justum est. Clamat autem Joannes.* Omne mendacium non est ex veritate. *Omne ergo mendacium non est justum. Quapropter cum nobis de sacrâ Scripturâ mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur; aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt. Nam quod scriptum est. Bene Deum fecisse Hebrais Obstetricibus, & Rahab Hiericunthinæ Meretrici; non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim non esset mirum, si priori tempore commissa ab ipsis opera mala, propter posteriora opera bona vellet Deus ignoscere: ita mirandum non est, quòd uno tempore, in unâ causâ, Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, & factum fallaciter, & bonum remuneravit, & propter hoc bonum & illi malo ignoverit. Si enim peccata quæ propter carnis concupiscentiam, non propter misericordiam fiunt, ea propter posteriora opera misericordiæ dimittuntur; cur non merito misericordiæ dimittantur, quæ propter ipsam misericordiam committuntur? Gravius est enim peccatum quod animo nocentis, quàm quod animo subvenientis efficitur.* Legi potest de eodem argumento *S. Gregorius* Lib.18. *Moralium in Job*, ad illa verba Cap. 26. *Donec superest halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.*

*Israëlitarum in Ægypto dura servitus.*

*Obstetricum pietas a Deo remunerata est, non mendacium.*

*S. Augustin. Lib. Locution. in Exod. Theodoret. Quæst. 2. in Exod. S. Hieron. in cap. 65. Isaiæ, & in Tradit. Hebr. in Genes. ad cap. 16.*

II. Suis frustratus consiliis *Pharao* edixit ut pue-

*Mosis expositio.*

ri

ri Hebræi in flumen projicerentur. [ *Exodi* 1. ] Interea *Amram* filius *Chaath*, nepos *Levi*, pronepos *Jacob* Patriarchæ, uxorem duxit *Jochabed*, ex stirpe suâ, quæ ipsi filium peperit formę cumprimis elegantis. Hunc tribus mensibus apud se celatum educare ausa est. Cùm verò propter diligentem inquisitionem a Rege institutam, & vicinos Ægyptios, celari ampliùs puerulus non posset, ipsum in arcâ scirpeâ, bitumine & pice illitâ positum, ad fluminis ripam exposuit, stante procul sorore ejus *Mariâ*, & rei eventum considerante. Ibi eum repertum *Thermutis* Pharaonis filia, ipsius venustatem demirata, Matri *Jochabedæ* lactandum tradidit, posteaque adoptatum filii loco habuit; vocavitque nomen ejus *Moyses*, quòd esset ex aquis sublatus. *Mo* enim Ægyptiorum linguâ aquam, *Ises* verò servatum significat. Unde nomen compositum *Moyses*, quasi ex aquis servatus, ut observant *Philo* Lib. *De Vitâ Mosis*, *Josephus* Lib. 3. *Antiquitatum*, *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*. Adolescens *Omni sapientiâ Ægyptiorum eruditus est*. ( Act. 7. vers. 18. 19. ) Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Medicinam, reconditiorem insuper doctrinam, quæ hieroglyphicis literis tradebatur, arcana Physiologiæ, Theologiæ, & Politicæ Ægyptię dogmata explicantem, ab Ægyptiis Prçceptoribus, Astrologiam a Chaldęis, Philosophiam a Græcis *Mosem* didicisse, *Philo* in ejus Vitâ, & *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. Stromatum asserunt. Verùm hæc de Græcis *Mosis* Præceptoribus narratio falsissima est, cùm literas e Phœniciâ allatas Græcis primus tradiderit *Cadmus Mose* longè recentior, ut tradunt *S. Justinus* Martyr, Oratione ad Gentes, & *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*, *Eusebius* Lib. 10. *Præparationis Evangelicæ* cap. 5. & ante hos omnes *Josephus* Lib. 1. contra *Apionem*.

*Ægypti cędes a Mose.*

III. Cùm *Moses* vir factus fratres suos Israëlitas inviseret, eorumque ærumnas cerneret, Ægyptium qui Hebræo insultabat, eumque verberibus affligebat, occidit, cadaverque arenâ contexit, velut hoc facinore præsagiens, futurum se olim Dei vindicem ac Israëliticæ Gentis liberatorem. Proditâ cæde, & ad *Pharaonem* ipsum delatâ, supplicii metu in Madianitidem profugit, ibique uxorem duxit *Sephoram*, filiam *Raguelis*, sive *Jethro*, Madianitarum Sacerdotis, quæ Numerorum 12. *Ethiopissa* dicitur, quòd Madianitæ Orientalis Æthiopiæ Populus essent, ut colligitur ex Cantico Habacuch: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles Terræ Madian*: utque docent *S. Hieronymus* Commentario in eum Prophetæ locum, & *Theodoretus* Quæstione 22. in Numeros. Duos ex eâ liberos suscepit, *Gersam* & *Eliezer*. Annos quadraginta in terrâ Madian *Moses* expleverat, jamque octogesimum ætatis agebat annum, cùm illi gregem *Jethro* Soceri sui pascenti ad Montem *Horeb*, in Rubo ardenti & incombusto Deus apparuit, & ad Populum suum ab Ægyptiacâ servitute liberandum vocavit. ( *Exodi* 2. & 3. & *Actuum* 7. ) Ille Munus impositum variis subterfugiis detrectans, tandem tribus signis, *Aaronis* fratris adjunctione, divinæ opis promissione animatus, Miraculorum patrandorum auctoritate instructus, illud suscipit. [ *Exodi* 3. & 4. ]

*Mosis vocatio.*

*Mosis & Aaronis ad Pharaonem legatio.*

IV. *Moses* & *Aaron* prodigiis primùm apud Hebræos editis ut Legationem confirmarent, *Pharaonem* conveniunt, Dei mandata exponunt. Ipsa contemnit Tyrannus, duriori servitute Israëlitas premit, graviores ipsis labores præter diurnum pensum imponi jubet. *Moses* Pharaonis repulsâ, & Populi ærumnis, quibus augendis occasionem dedisse videbatur, afflictus, Deum rogat, a quo Israëlitarum animi spe libertatis, & Terræ Chanaan promissione eriguntur. Cum amplioribus Mandatis ad Regem remittuntur *Moses* & *Aaron*, quorum hic tenor: *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israël de Terrâ suâ. Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo signa & ostenta mea in Terrâ Ægypti, & non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, & educam Exercitum & Populum meum filios Israël de Terrâ Ægypti per judicia maxima*. Moses octoginta & Aaron octoginta tres annos natus, cum *Pharaone* congrediuntur. Miraculo virgæ in serpentem conversæ magis induratus est Pharao, cùm Magorum Principes *Jannem* & *Mambrem* ab Apostolo nominatos 2. *ad Timotheum* 3. *Vers*. 8. signum illud præstigiis suis vidit imitari, quamquam serpens ex virgâ *Mosis* factus, serpentes ex virgis Magorum excitatos devoraverit. ( *Exodi* 7. ) Mox decem plagas per intervalla Deus Ægyptiis inflixit ad frangendam Tyranni contumaciam.

*Decem Plagæ Ægypti.*

V. Prima plaga fuit aquarum in sanguinem versarum. Ab aquâ porrò plagarum initium factum est, *Quia valde gloriabantur Ægyptii de flumine suo, & hunc pro Deo habebant: ut qui parem usum illis præberet atque nubes cæli. Deinde propter pueros Judæorum in illum demersos: Fluvius enim ille mutatus in sanguinem velut conquerebatur de cæde puerorum per Ægyptios commissâ* ( inquit *Theodoretus* Quæstione 19. in Exodum. ) Circa hanc plagam multa docet Scriptura. 1. Aquas omnes fluviorum, rivorum, paludum, lacuum, in sanguinem versas, tam in vasis ligneis, quàm in saxeis. 2. Pisces mortuos esse, fluviumque computruisse. 3. Plagam hanc ad omnem Terram Ægypti pertinuisse; adeòque Terram *Gessen* ab hac plagâ immunem non fuisse respectu Ægyptiorum, quamvis eædem aquæ Hebræis dulces ac potabiles essent, pristinamque naturam & speciem ab eis haustæ retinerent, ut tradit *Josephus* Lib. 2. *Antiquitatum*, Cap. 5. Docet 3. Scriptura Magos *Pharaonis* incantationibus suis idem fecisse, aquas nimirum vertisse in sanguinem, ex Mari scilicet, quod proximum erat, in Domum Regiam allatas, ut *S. Augustinus* & *Theodoretus* conjiciunt; vel ex iis locis quæ soli incolebant Hebræi, ut idem *S. Augustinus* probabilius putat. Docet 4. Scriptura Ægyptios fodisse puteos circa flumen, ut biberent; quòd aqua fluminum in sanguinem versa, cùm subterraneo meatu per arenas colata, attenuata, & purgata esset, sanguinis crassitiem, colorem & saporem aliquantulum amitteret, ac in potu tolerabilis fieret extremâ necessitate urgente, ut explicat *Tostatus*. 5. Docet impletos esse septem dies postquam Deus hanc plagam inflixit; quam adeò septiduum durasse verisimillimum est, ut *Philo* asserit Lib. *De Vitâ Mosis*. De hac plagâ loquens *David* Psalm. 77. ait: *Convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent*. At *Moses* nullam pluvialis aquæ mentionem facit; & præterea nulli in Terram Ægypti cadunt imbres, sed Nilus ipsi & nubium & imbrium vicem præstat, ut *Moses* ipse, sive Deus per *Mosen* loquens significat *Deuteronomii* 11. vers. 10. 11. quod etiam testantur *Philo* Lib. 3. *De Vitâ Mosis*, *Josephus* Lib. 2. *Antiquitatum* cap. 5. *Plinius* Lib. 6. *Mela* Lib. 3. cap. 9. *Strabo* Lib. 16. Difficultas ista facilè solvitur; siquidem Hebræam vocem, quam Latinus Interpres *Psalmo* 77. Vers. 49. vertit *imbres*, S. Hieronymus *rivos* reddit; & *S. Augustinus* in Commentario hujus Psalmi vocem Græcam ὀμβρήματα *Manationes aquarum* interpretatur; idemque nomen est Latinis *imber*, quod Græcis ὄμβρος sive ὀμβρήματα, mutatâ literâ ο in ι, ut notat *Jansenius*. Locus consimilis *Psalmo* 104. Vers. 29. habet aquas; *Convertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum*.

*S. August. Epist. ad Marcellinum olim 7. nunc 42. Theodoret. Quæst. 20 in Exod.*

VI. Secunda plaga fuit Ranarum e fluvio ebullientium, per terram grassantium, domos implentium, in cibos, in potum, in cubilia invadentium, omnia fœdantium. Unde Psalmo 104. Vers. 29. *Edidit Terra eorum ranas in penetralibus Regum ipsorum*. De plagâ illâ Ægyptiacâ vel ipsi impii non ambigent, si legant ea quæ de vastitate integris civitatibus & populis a ranis illatâ Auctores tam profani quàm sacri referunt, scilicet *Diodorus Siculus* Lib. 3. *Plinius* Lib. 8. cap. 29. *Athenæus* Lib. 8. cap. 2. *Orosius* Lib. 3. cap. 23. Hæc plaga octavo die post primam inflicta, & die nonâ ablata est, *Moyse* orante, cùm *Pharao* dimissionem Populi promisisset. Signum istud præstigiis etiam suis imitati sunt Magi.

VII. Tertia plaga fuit Sciniphum, id est muscarum minutissimarum, inquietissimarum, & inordinatè volantium, in oculos irruentium, acerbissimo stimulo pungentium, quæ homines quiescere non sinunt, ut docent *Philo*, *Origenes in Exodum* & *S. Augustinus Sermone De 10. Plagis & Præceptis*, qui inter Sermones De Tempore Octavus est in postremâ Editione Parisiensi. *Josephus* nomine Sciniphum pediculos perperam intellexit, repugnante Scripturâ, quæ ex pulvere terræ, non ex corporibus hominum & animalium natos significat, & homines ac jumenta afflixisse. (*Exodi* 8. *Vers.* 16. 17.) Idem incantationibus suis frustra tentarunt Magi, suamque impotentiam professi, *Pharaoni* dixerunt: *Digitus est Dei hic*.

VIII. Quarta plaga fuit muscarum omnis generis, & præsertim caninarum, de quibus *Psalmo* 77. Vers. 50. *Misit in eos Cynomiam, & comedit eos*. Philo Lib. 1. De Vitâ Mosis, *Origenes*, *S. Augustinus*, & *Theodoretus*, legunt *Cynomiam*, hoc est, caninam muscam. *S. Hieronymus* legit *cœnomiam*, id est, muscam communem, seu omne genus muscarum. Utraque lectio facilè conciliari potest: Musca namque canina alias non excludit, sed propter graviorem molestiam præcipuè nominata est. Huic autem prodigio solâ Scripturæ sacræ auctoritatè exploratissimo fidem vel apud impios conciliare possunt muscæ lethiferæ, quarum meminit *Aristoteles* Lib. *De Mirabili Auscultatione* pag. 886. infestissimæ Nili muscæ, de quibus *Plutarchus Oratione De esu Carnium*, aliæque similes, de quibus *Plinius* Lib. 10. & *Pausanias* in *Arcadicis* p. 497. & quarum gratiâ *Jovi* muscarum abactori litabatur, teste *Pausaniâ* in *Eliacis* p. 313. Quod *Clemens Alexandrinus* confirmat in *Protreptico ad Gentes*. Hac plagâ perculsus *Pharao* se filios Israël dimissurum pollicitus est: quod tamen non præstitit. (*Exodi* 8.)

IX. Quinta plaga fuit pestis & interitûs pecorum. Cùm verò Ægyptiorum animalia quæ erant in agris, equi, asini, cameli, boves, & oves gregatim perirent, de animalibus Israëlitarum nihil omnino periit. (*Exodi* 9.)

X. Sexta plaga fuit ulcerum & pustularum erumpentium in hominibus & jumentis: quâ & ipsi Magi *Pharaonis* percussi fuere. (*Exodi* 9.)

XI. Septima plaga fuit grandinis gravissimæ cum igne commixtæ, tonitruum & fulminum. De quâ *Psalmo* 74. Vers. 52. & 53. *Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruinâ. Et tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum igni*. Et Sapientiæ 14. Vers. 22. *Nix autem & glacies sustinebant ignis vim & non tabescebant: ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluvia coruscans*. Huic signo vel apud impios fidem conciliare possunt, grandineæ plagæ ab Auctoribus narratæ, scilicet ab *Horatio* Lib. 3. Ode 1. & Lib. 1. Epistolâ 8. *Socrate* Historiæ Ecclesiasticæ Lib. 4. cap. 10. *Glycâ* Annalium p. 4. *Flodoardo* in *Chronico* ad annum 919. *Paulo Æmilio* Lib. 5. De Gestis Francorum, *Matthæo Palmerio* in *Chronico* ad annum 825. *Hectore Boëthio* Lib. 13. Historiæ Scoticæ, *Antonio Bonfinio* De Rebus Hungaricis Decade 1. Lib. 11. &c.

XII. Octava plaga fuit locustarum omnia depascentium, (*Exodi* 10.) Ad hanc pertinet, *Psalmi* 74. Versus 51. *Et dedit ærugini fructus eorum; & labores eorum locustæ*. Ærugo ponitur pro brucho locustæ specie, ut patet ex *Psalmo* 104. Vers. 34. & 35. *Dixit & venit locusta & bruchus, cujus non erat numerus: Et comedit omne fœnum in terrâ eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum*. Ærugo itaque ad octavam plagam pertinet, sicut pruina & ignis ad septimam, ut plures quàm decem plagas admittere cum *S. Augustino* minimè necesse sit. Porrò plagæ istius prodigium nec ipsi impii negabunt, si probatos Auctores audiant mira de vastatione ac pernicie a locustis allatâ narrantes, scilicet *Plinium* Lib. 8. cap. 29. & Lib. 11. cap. 29. *Titum Livium* Lib. 42. *S. Augustinum* Lib. 3. *De Civitate Dei*, cap. 31. *Cedrenum* circa annum 278. *Anastasium Bibliothecarium* a *Baronio* laudatum Tom. 9. ad annum 885. *Aventinum* Lib. 7. Historiæ Boiorum, *Johannem Leonem Africanum* in Descriptione Africæ Lib. 9.

XIII. Plaga nona fuit densissimarum & horrendarum tenebrarum, quæ universæ Terræ Ægypti per triduum offusæ sunt, ita ut nemo Ægyptiorum alterum videret, nec se loco moveret: dum limpidissima lux Israëlitis interim affulgebat. *Exodi* 10. Hanc plagam vivacissimis coloribus depingit Spiritus Sanctus *Sapientiæ* 17. & 18. *Dum persuasum habent iniqui posse dominari Nationi Sanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis impediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrendè, & cum admiratione nimiâ perturbati. Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere: nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam. Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus: & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur... Sanctis autem tuis maxima erat lux.*

XIV. Plaga decima & ultima post institutionem Paschatis divinitùs factam inflicta, fuit cædes primogenitorum, tam in hominibus, quàm in jumentis, mediâ nocte facta, Angelorum ministerio. Ab illâ clade nulla Ægypti familia immunis fuit. Periere simul primogeniti omnes *a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere*. [ Exodi. 12. ] Hæc plaga describitur Sapientiæ 18. *Resonabat inconveniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. Simili autem pœnâ servus cum domino afflictus est, & popularis homo Regi similia passus. Similiter ergo omnes uno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant: Quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum exterminata est. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt Populum Dei esse. Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo a Regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii Terram prosilivit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans replevit omnia morte*. Agni sanguis in superliminaribus domorum & in utroque poste cum hyssopo aspersus Hebræos ab hac plagâ liberavit. In tanti beneficii memoriam omne pri-

primogenitum tam ex hominibus quàm ex jumentis sibi consecrari Deus jussit. Primogenita pecudum, masculini sexûs, mactari, primogenitos hominum redimi. *Exodi* 13. *Vers.*12. *& seq.* Circa institutionem Paschatis, quæ hanc, imò & nonam plagam præcessit, multa observanda sunt, quæ Dissertatione singulari commodiùs exponentur.

Decem Ægypti plagæ vulgatis versibus, sed malè natis sunt expressæ:

*Prima rubens unda, ranarum plaga secunda.*
*Inde culex tristis, pòst musca nocentior istis.*
*Quinta pecus stravit, anthraces sexta creavit.*
*Post sequitur grando, pòst bruchus dente nefando.*
*Nona tegit Solem, primam necat ultima prolem.*

Quæ *Moysen* spectant, ad Exitum usque Israëlitarum ex Ægypto, strictim exprimit Apostolus ad Hebræos 11. *Fide Moses, natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis Edictum. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: Aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: Invisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebravit Pascha & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva tangeret eos.*

*Insignes Christi Typi tertiâ Mundi Ætate.*

XV. Plures Typi Christum Jesum hac Ætate insigniter expresserunt, præsertim *Melchisedech, Isaac, & Josephus.* In *Melchisedecho*, præclaram Christi figuram Apostolus agnoscit, Hebr.7. 2. 3. *Primùm quidem*, inquit, *interpretatur Rex Justitiæ, deinde autem & Rex Salem; quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogiâ; neque initium dierum, neque finem habens; assimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum*: Christus Jesus Rex, Justus, & pacificus in utroque Testamento prædicatur.

*Melchisedec.*

Isaiæ 9. 6. 7. *Et vocabitur nomen ejus Princeps pacis. Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & in justitiâ, a modo & usque in sempiternum.* Et cap.32. 1. *Ecce in Justitiâ regnabit Rex.* Actuum 10. 36. *Verbum misit Deus filiis Israël annuncians pacem per Jesum Christum: Hic est omnium Dominus.* Roman. 14. 17. *Non est enim Regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Ephes.2. 11. 13. 14. *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longè, facti estis prope in Sanguine Christi.* Jesus item sine patre in tempore natus est, utpote ex Virgine: sine matre ab æterno natus est, utpotè Filius Dei, quâ ratione genealogia etiam ejus nulla est. Neque initium habet, neque finem. Ad ipsum quippe referuntur hæc Dei verba per *Davidem* loquentis: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* [ Psalmo 109. 3. ] Qui de se ipso ait: *Ego principium qui & loquor vobis.* Et, *Ego sum Alpha & Omega, primus & novissimus, principium & finis.* [ Apocal. 22. 13. ] Unde & ejus *Sacerdotium sempiternum* esse probat Apostolus, quòd ipse *maneat in æternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* ( Hebr.7. 24. 25. ) Sacerdos Dei Summi fuit *Melchisedec*: Sacerdos item *Jesus*, non oleo illo ex arborum fructibus expresso unctus, sed *oleo lætitiæ præ consortibus suis* a Deo consecratus. ( *Psalmo* 44. ) non Hebræorum solùm, sed & gentium Sacerdos, ut *Melchisedechus*, Psalmo. 109. 4. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Hebr. 5. *Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu, ego hodie genui te: quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Hebr.6. 19. 20. *Usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedec Pontifex factus in æternum.* De quo *Tertullianus Lib.5. contra Marcionem*, cap.9. *Quid Ezechias ad Melchisedec Altissimi Sacerdotem, & quidem non circumcisum, qui Abraham circumcisum jam acceptâ decimarum oblatione benedixit? At in Christum conveniet ordo Melchisedec: Quoniam quidem Christus proprius & legitimus Dei Antistes, præputiati Sacerdotii Pontifex, tum in Nationibus constitutus, a quibus magis suscipi habebat, cognituram se quandoque Circumcisionem, & Abrahæ Gentem, cùm ultimò venerit, acceptatione & benedictione dignabitur.* Melchisedecus panem & vinum obtulit: Jesus Christus Corporis & Sanguinis sui Sacrificium sub panis & vini symbolis in Eucharistiâ instituit. *Melchisedechum* Sacerdotem fuisse nec Judæi ipsi diffitentur: Messiam Sacerdotem fore, & Dei Filium etiam credunt, idque in Psalmo 109. significatum esse censent. Philo *Primogenitum Verbum Dei Pontificem* esse asserit Lib. *De Somniis*, & Lib. *De Exulibus*. Quin etiam in *Midrasch Thehillim* Hebræorum Libro legimus, Sacerdotii dignitatem ab Israëlitis propter peccata ablatam, ad Gentes translatam fuisse, ut observat Doctissimus Præsul *Daniel Huëtius Demonstrationis Evangelicæ Propositione* 9. cap.28.

XVI. In multis etiam Jesu Christi typum gessit *Isaacus*. Hunc enim genuit centenarius pater & plenus dierum: Pater Æternus, quem Daniel *Antiquum dierum* appellat, *Ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum.* ( Galat.4. 4. ) Matre vetulâ & ad diem illam sterili, speciosâ tamen, natus est *Isaacus*: Synagogæ filius fuit *Jesus*, matris pulchræ quidem, & præclaris ceremoniis ornatæ, sed vetulæ jam & infœcundæ; quippe gratiam Spiritûs Sancti, quæ vita æterna est, non conferentis. *Isaac* promissionis filius fuit: *Jesus* divinarum promissionum fructus est: Hunc enim Deus *promisit per Prophetas suos in Scripturis Sanctis.* [ Rom.1. 2. ] Unigena uterque fuit. *Isaacus* a patre sacrificio destinatus est, & ad mortem ductus: *Jesus* decreto & voluntate Patris pro hominum salute morti addictus: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* ( Roman.8. 32. ) *Isaacus* ligna, quibus imponendus & comburendus erat, in Montem portavit: *Jesus* Crucem in quâ immolandus erat, in Montem ipse tulit. Arietem pro *Isaaco* immolavit *Abrahamus*: pro hominibus mactatus est *Jesus*. Cornibus in veprete hærere aries *Abrahamo* visus est. *Jesus* cùm toto vitæ decursu summas difficultates & angustias pro nobis tolerasset, in Passione sua spinis coronatus est. Arietem *Isaaco* substituendum post tergum conspexit *Abrahamus*: *Jesum* post multos annos ex stirpe suâ oriturum, & pro omnibus hominibus mactandum & ipse prævidit. Unde Christus ait: *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit & gavisus est.* Isaacus in Montem Moria ductus est ut mactaretur: *Jesus* in Montem Golghota ut crucifigeretur. Mons Hierosolymitanus utriusque sacrificii locus.

*Isaac Typus Christi.*

*Daniel.7.*

XVII. Aliam Christi *Jesu* imaginem in *Josepho* conspicimus. Josephus enim cùm a Patre præ fratribus diligeretur, illorum sibi invidiam odiumque concivit: Christus invidiam & odium Judæorum immeritus incurrit. *Josephi* somnia summam illi dignitatem portendebant, in quâ fratres coram ipso supplices ac venerabundi procumberent: *Jesus* a fratribus suis, a *Mariâ* Virgine Matre suâ, & a *Josepho*, cuius filius putabatur, re verâ adoratus est. Advenientem *Josephum* fratres occidere me-

*Josephus Christi figura.*

meditantur: *Venite* (inquiunt, *Genesis* 37. 20.) *occidamus eum*. Veniente ad homines Jesu, *Morte*, inquiunt, *turpissimâ condemnemus eum*. (Sap.2. 20.) Venditur *Joseph* a fratribus viginti, vel, ut alii Interpretes habent, triginta nummis: *Jesus* a *Judâ* venundatur triginta argenteis. Cruenta *Josephi* tunica ad *Jacobum* patrem perlata cruentam *Jesu* mortem significat. *Putiphari* Eunucho *Pharaonis*, Principi Exercitûs, in servum venundatus est *Josephus*: *Jesus semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. [Philipp.2. 7.] *Josephus* carcere clausus inter duos reos, alteri mortem, salutem alteri & restitutionem in integrum vaticinatur, oratque ut in gratiam Principis, Munusque pristinum restitutus, sui meminerit: *Jesus Christus* inter duos Latrones affixus, altero vitæ præteritæ crimina novis blasphemiis, æternâ damnatione dignis, promerito, alteri crimina suæ pœnitentiæ actibus expianti, & roganti ut regnum adeptus memor ipsius sit, æternam felicitatem spondet: *Hodie*, inquit, *mecum eris in Paradiso*. Ad *Josephi nutum frumenta Populi vendebantur*. [Genesis 41.] *Jesus* escas populis esurientibus non semel subministravit, panibus per miraculum multiplicatis: Ipse se *Panem vitæ*, *Panem vivum qui de Cælo descendit*, esse profitetur; Qui venerit ad se, non ampliùs esuriturum; qui panem hunc manducaverit, non moriturum. *Pharao* Ægyptios coram *Josepho* jussit in genua procumbere, totamque Ægyptum ex ipsius arbitrio pendere, & alterum eum esse a Rege: *Deus exaltavit JESUM, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in Nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris*. Pharao *Josephum* vocavit *Salvatorem Mundi*: [Genesis 41. 45. De Christo Angelus ad
Matth. 1. *Josephum Mariæ* Virginis ipsius Matris Sponsum: *Pariet autem Filium, & vocabis Nomen ejus Jesum: Ipse enim salvum faciet Populum suum a peccatis eorum*. Josephus fratres dimittens, hoc præceptum illis dedit: *Ne irascamini in viâ*. (Genesis 45. 24.) *Jesus* a Discipulis abiturus ad Patrem pacem ipsis impertit. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Et per Apostolum suum Christianis omnibus fratribus & cohæredibus suis hoc præceptum significat: *Irascimini, & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram*. (Ephes. 4. 26.) *Jacob* morti proximus de *Josepho* ait: *Filius accrescens*: [Genesis 49. 22.] De Christo Jesu Joannes Baptista: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Et *Lucas* Evang. cap.12. 40. *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientiâ: & gratia Dei erat in illo*. Item Vers.52. *Et Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines*.

## CAPUT II.

Exponitur hujus Ætatis Historia ut ab Hebræis vel Exoticis Scriptoribus interpolata vel confirmata.

### ARTICULUS I.

*De Abrahamo.*

*Gentium Scriptores Abrahami meminere.*

I. ABrahami cum laude meminerunt antiquissimi Gentium Scriptores, *Berosus*, *Hecathæus*, & *Nicolaus Damascenus*, laudati a *Josepho* Lib.1. *Antiquitatum*, cap.8. & ab *Eusebio* Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ* cap.16. *Josephi* verba sic repræsentante. *Mosem præterea, in eâ quam fusè de Abrahamo Hebræorum parente scribit Historiâ, consentientes habere Gentiles Historicos Josephus Auctor est, Sic enim loquitur. Ac Berosus quidem Abrahami parentis nostri, suppresso licèt nomine, his tamen verbis meminit. Circa decimam post Diluvium Ætatem, Vir quidam apud Chaldæos vixit, summâ cum integritate morum, tum etiam dignitate, rerumque cœlestium cognitione præditus. Hecathæus verò non ejus tantùm obiter meminit, sed etiam justum de ipso Volumen scriptum reliquit. Nicolaus autem Damascenus quarto Historiarum Libro hunc in modum loquitur: Abrahamus Damasci regnavit, cùm ex regione Chaldæorum ultra Babylonem sitâ cum exercitu profectus, eò commigrasset. Inde verò haud longo post tempore, mutatis denuo sedibus eam, quæ tum Chananæa, nunc autem Judæa nuncupatur, cum suis incoluit, nec non illius posteri numero ac multitudine aucti: quorum de rebus alium mihi sepono dicendi locum. Et verò illustris etiamnum Abraami nominis totâ passim Damascenâ regione memoria est, ac certus quidam vicus ostenditur, quod Abraami domicilium nominant. Verùm ubi gravis postea fames in Chananæam incubuisset, is quòd annonæ copiâ Ægyptios abundare intelligeret, libenter omnino sese ad eos contulit, partim ut ipsorum ubertate frueretur, partim ut Ægyptiorum Sacerdotum de Diis opinionem acciperet; hoc utique consilio, uti si meliora traderent, ea sectaretur, sin autem veriùs ipse sentiret, eos contra saniorem ad mentem sententiamque traduceret. Ac deinceps ita subjungit: Cùm Ægyptiorum, inquit, eruditissimis familiariter uteretur, novum ipse non ad virtutem modò suam, verùm etiam ad nominis existimationem decus ac splendorem adjunxit. Nam quòd Ægyptii discrepantibus moribus delectati, suos ipsimet aliorum alii Ritus elevarent, mutuoque propterea odio tenerentur, ille cum singulis ita seorsim agebat, ut quicquid suis quique de rebus ac placitis disputarent, id totum ipse respueret, & ab omni veritate vacuum esse demonstraret. Quo factum est ut in quotidianis eum mutuisque congressibus, tanquam Sapientissimum, nec singulari tantùm intelligendi vi præditum, sed etiam ad persuadendum aliis quicquid probandum suscepisset, potentissimum admirarentur. Itaque Arithmeticam eos atque Astrologiam prolixè ac liberaliter docuit, quibus in Artibus, ante ipsius adventum, Ægyptii hospites omnino ac peregrini fuerant. Quippe a Chaldæis in Ægyptum, indeque ad Græcos utriusque præcepta permanarunt.*

*γενεὰ melius stirpē vel generationem, quàm ætatem Interpres reddidisset.*

*Justinus* ex *Trogo Pompejo* Lib.36. *Historiarum* Cap.2. *Judæis*, inquit, *origo Damascena, Syriæ nobilissima Civitas. Nomen Urbi a Damasco Rege inditum... Post Damascum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Israhel Reges fuere*. Falsò asserunt *Nicolaus Damascenus* & *Trogus Pompejus*, *Abrahamum* Damasci substitisse ac regnavisse. Id enim ratio temporum non patitur. Siquidem illo ipso anno quo ex *Haran* urbe egressus est, venit in Terram Chanaan, ut patet ex Cap.16. *Genesis*, ubi scriptum est, *Abrahamum*, cùm esset octoginta-sex annorum, genuisse *Ismaëlem*, decem annis postquam habitare cœperat in Terrâ Chanaan, ductâ in uxorem *Agar Ismaëlis* matre. Ex quo conficitur, *Abrahamum* cœpisse habitare in Chanaanitide anno ipso septuagesimo-quinto ætatis. Falsum igitur est ipsum, cùm venit ex *Haran* civitate, priusquàm Terram Chanaan intraret, habitasse, nedum regnasse Damasci. Id etiam cum promptissimâ Patriarchæ obedientiâ conciliari non potest. Dei enim mandatum, quo jubebatur e Mesopotamiâ in Terram Chanaan migrare, ut par erat, executus non fuisset, si Damasci non solùm commorari, verùm etiam posthabitis Dei promissis Regnum sibi comparare studuisset. Adde quòd *Abraham* ubique se peregrinum & advenam esse dixit, idemque

que *Jacob* de se ac Majoribus suis confessus est. Nusquam igitur *Abraham* certam & propriam sedem ac domicilium habuit: tantùm abest ut Regnum obtinuerit. Tandem *Moysis* & aliorum Scriptorum sacrorum, nec non *Josephi* silentium, narrationem illam de Regno Damasceno *Abrahami* fabulosam esse convincit.

*Eupolemus in Rerum Judaic. Histor.*

*Abrahami* etiam cum laude meminit *Eupolemus* ab *Alexandro Polybistore* laudatus, apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.17. *Idem*, inquit, *Ætate decimâ, Camarinæ, quæ Babyloniæ civitas est, quamque Urien nonnulli vocant, Græci Chaldæopolin interpretantur, Abraamum natum esse tradit, qui cùm nobilitate ac sapientiâ omnibus anteiverit, tum verò Astrologiam pariter & Chaldaicam invenerit, & singulari studio pietatis divinam sibi gratiam conciliarit. Hunc porrò divino jussu, collocato rerum suarum in Phœniciâ domicilio, Solis Lunæque conversiones, ac reliqua id genus omnia Phœnices docuisse, quæ res summè gratiosum eum apud Regem effecerit. Postea verò cùm appetitos bello Phœnices Armenii superassent, ipsumque Abraami Nepotem captivum abducerent, Abraamum servorum manu stipatum auxilium ei tulisse, Victores suam in potestatem redegisse, eorumque liberos & uxores belli jure captos abegisse. Verùm Legatis ad ipsum ab hoste missis, qui captivos pecuniâ redimerent, victis eum insultare ferociùs noluisse, sed militum suorum stipendio contentum, captivos liberaliter reddidisse. Addit insuper eum in sacro Urbis Argarize, hoc est, Altissimi Monte susceptum hospitio, dona simul a Melchisedecho Dei Sacerdote, qui ibidem regnabat, accepisse. Postmodum urgente fame Abraamum in Ægyptum cum universâ familiâ secessisse, ibique fixâ sede, cum ejus uxore, quam sororem ille suam vocaret, Ægyptiorum Regem Matrimonium iniisse. Hìc verò fusiùs exequitur, quemadmodum nec illius congressu frui Rex potuerit, & Populum ejus universum, Regiamque adeò familiam gravissima pestis invaserit; tandemque Rex consultis Vatibus, ac minimè Viduam mulierem esse respondentibus, ubi eam Abraami uxorem esse compperisset, Viro suo reddiderit. Cæterùm cùm apud Heliopolim Abraamus Ægyptiorum Sacerdotum consuetudine plurimùm uteretur, multa ipsos, necnon Astrologiam, quæque ad eam pertinent omnia, illo docente didicisse tradit.*

*Fabula de Melchisedecho.*

Quidam, teste *S. Epiphanio*, Melchisedecho patre statuere *Heraclem*, matrem *Astartam* sive *Asteriam*. Hujus commenti Auctores nihil aliud voluisse conjicit *Vossius* Lib.2. *De Idololatriâ* cap.21. quàm *Melchisedecho* patrem fuisse Solem, matrem Lunam vel Terram. Nam ὁ Ἡρακλῆς Sol, ἡ Ἀστάρτη Luna, aut Tellus. Horum omnes filii sumus, viri summates, infimates, medioximi; vitalis enim calor nobis est a Sole, Cæloque; materies autem a terræ & aquæ globo, in quem Lunæ, maximèque in humorem imperium est: Quod igitur omnium est hominum commune, id particulatim tribuerunt *Melchisedecho*; quòd parentes ejus nescirentur.

*Artapanus* in Rerum Judaicarum Historiâ, Judæos scribit *Hermuth* nominari, *quæ vox, si Græcè loqui velis, Judæos sonet: eosdem verò Abraami ex nomine Hebræos nuncupari. Abraamum autem in Ægyptum cum universâ familiâ ad Parethonem Ægyptiorum Regem sese contulisse, quem cùm Astrologiæ præceptis instituisset, ac viginti continentes annos ibidem egisset, in Syriam denuo remigrasse, plerisque suorum ob regionis ubertatem in Ægypto residentibus.* Refert *Alexander Polybistor*, apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ* cap.18.

*Melo* in Opere adversùs Judæos, *Virum quemdam qui cum filiis diluvium effugerat, ab indigenis Armeniâ pulsum, ædibusque ac possessionibus ejectum suis, intermediâ regione peragratâ in deserta Syriæ montes secessisse commemorat. Abraamum verò post tertiam ætatem natum esse, cujus nomen Patris Amicum significet. Eumdem, cùm sapientiæ laude præstaret, solitudinem percurrisse ac lustrasse universam: tum duabus ductis uxoribus, alterâ quidem indigenâ & affini, Ægyptiâ verò alterâ, quæ servitutem ante serviebat; ex Ægyptiâ liberos duodecim genuisse, qui in Arabiam profecti, eam inter se diviserint, locique hominibus Principes imperarint: ex quo factum sit, ut Reges Arabum duodecim primis illis cognomines ad nostra usque tempora numerentur. Ex legitimâ autem uxore filium unicum suscepisse, cujus nomen apud Græcos* γέλωτα, *hoc est, risum sonet, quique Abraamo seniore jam defuncto, liberos ex conjuge indigenâ duodecim procreavit, quorum postremo Josepho nomen fuit, a quo Moses tertius numeretur.* Artapanum & Polyhistorem Alexandrum *Jacobum* cum *Isaaco* confudisse patet, atque *Abrahami* Historiam interpolasse. Subdit Polyhistor: *Paulò post jussum a Deo Abraamum fuisse ait, ut Isaacum filium ipsi in holocaustum immolaret, eumque continuò Adolescente secum in Montem educto, succendisse pyram, eique simul Isaacum imposuisse. Verùm ipsi, cùm jam filium jugulaturus esset, ab Angelo facinus inhibente Arietem ad sacrificium oblatum esse, quem ille subducto pyræ filio immolarit.* Hæc nobis servavit *Eusebius* cap.19. ejusdem Libri.

*Abrahami sacrificium.*

*Abrahami filii ex Cethurâ: indeque orta fabula.*

*Clodemus Vates, quem & Malchan plerique vocant, quique Rerum Judaicarum scripsit Historiam, idipsum quod a Moyse Judæorum Legislatore narratur, de Abrahamo commemorat, Natos ei plures ex Cethurâ liberos fuisse, e quibus tres etiam nominat, Aferem, Asurem, Afranem. Et ab Asure quidem Assyriam, ab Afere autem atque Afrane cùm Afran Urbem, tum Africam universam nomen accepisse. Hos porrò Herculi* * *in Libyam Anteumque moventis socios fuisse, ipsumque Herculem ex Afranis filiâ, quam uxorem duxerat, Diodorum filium suscepisse, qui Sophonam deinceps genuerit, a quo Barbari Sophæ appellati fuerint.* [ Apud *Eusebium* cap.20. ejusdem Libri ] Ex *Philone Biblio* quædam de *Abrahamo* refert *Eusebius* ibidem. *Abrahamum* etiam indigitasse videtur vetustissimus Orphicorum Scriptor his versibus, quos apud *Clementem Alexandrinum* Lib.5. *Stromatum* & *Eusebium* Lib.13. cap.12. legimus.

** Id falsum cùm Hercules non solùm Abrahamo sed & Moyse sit recentior.*

*Nemo illum novit mortalia cuncta regentem,*
*Unicus ille nisi Chaldæo sanguine cretus:*
*Norat enim Solis quâ se Astrum lege rotaret,*
*Et circum Terram magnus se volveret orbis*
*Æqualisque teresque, intus sita circumplectens.*

*Hebræorum fabulæ de Abrahami sacrificio, & arietis oblatione in locum Isaaci.*

II. Hebræi in *Tanchuma* fol.2. & in *Beresith Rabba* Sect.63. *Isaaco* ad Montem, in quo immolandus erat, cum Patre pergenti *Satanam* comitem adjungunt, qui ipsi dextrum clauserit latus, & a proposito eum absterrere conatus fuerit. *Isaacum* se in busto ultrò ligandum obtulisse, eò quòd præceptum de honorandis parentibus violasset, Hebræi fabulantur. Ita *R. Eliezer* in *Pirke* cap.31. Huic ligationi tantam vim tribuunt, ut ejus recordatione Deum moveri credant ad remittenda populi peccata. Unde in precatione novi anni Deum orant ut recordetur *ligationis quâ ligavit Abraham Isaacum filium suum super Altare.* In *Sepher Thephileth*. P.113. *Aspiciatur*, inquiunt, *coram te constrictio Unigeniti*. Arietem quem *Abraham* pro filio in holocaustum obtulit, creatum fuisse volunt ante annos bis mille & amplius, nempe sub vesperam diei sextæ creationis. Ita *Jonathan* in Paraphrasi, *R. Selomo*, & *Tanchuma* fol.22. Tamen in Jonathanis Paraphrasi Num. 22. 28. & in *Pirke Aboth* fol.30. & in Tractatu Talmudico *Pesachim* fol.54. & in Capitulis *R. Eliezer*

*Græcorum Fabulæ ex Abrahami sacrificio natæ.*

zer

zer cap.19. ubi enumerantur res illæ decem, quas sub vesperam sextæ diei creatas fuisse fingunt, arietis nulla est mentio. Itaque hac in parte Judæi sibi non constant, quod in tantâ mentiendi licentiâ mirum non est, inquit *Bochartus*. Hujus Historiæ lacinias, sed de more interpolatas, Græci suis fabulis immiscuerunt. Sic *Iphigeniam* narrant a patre *Agamemnone Dianæ* fuisse oblatam: & cùm *Calchantis* ministerio jamjam esset mactanda, *Vox quadam luco emissa, aspernari Numen sacrificii genus, & ob id abstinendum a corpore Virginis.* [inquit *Dictys Cretensis*, vel quisquis illius nomine abutitur Lib.1.] *Itaque curarent id, quod in vice Virginis oblatum animadverterent, immolari. Interim deliberantibus cunctis, quid nam & ubi esset, quod immolari juberetur, cerva, formâ corporis admirandâ ante ipsam Aram intrepida consistit. Eam prædictam hostiam rati, oblatamque divinitùs comprehendunt, mox que immolant.* Ita & *Euripides* in *Iphigeniâ*, in *Aulide*. *Ovidius* Lib.12. Metamorphoseon, *Hyginus* Fabulâ 98. *Servius* in Lib.2. Æneidos Virgilii. Similem de Helenâ fabulam ex *Aristodemo* refert *Plutarchus* in *Paralellis*, cap.35. *Peste*, inquit, *Lacedemone grassante, cùm ex Oraculi monitu Helena fuisset Aris admota, ut pro salute popularium immolaretur, aquila advolans gladium arripuit, & in armentum deferens buculæ imposuit*, quæ proinde *Helenæ* substituta est. Huic simile est quod de *Valeriâ Lupercâ* legitur in *Aristidis Italicis*, hanc scilicet cùm in remedium grassantis pestis pariter immolanda esset, simili casu servatam fuisse, cùm arreptum gladium aquila injecisset *in juvencam quamdam prope Templum pascentem*.

*Hebræorum Fabula de Morte Saræ.* Rursus fabulantur Hebræi, *Saram* audito nuntio de abductione *Isaaci* in Montem ut immolaretur, tanto dolore fuisse perculsam, ut præ ægritudine animi mortua sit. Ita *R. Solomon Jarchi*. Eamdem fabulam habes in *Pirke Eliezer*, cap.32. Subscribit egregius quoque fabulator *Eutychius* Patriarcha Alexandrinus Annalium p.66.

*Cethuram fuisse ipsam Agar ab Abrahamo revocatam, Hebræorum commentum est.* III. *Cethuram*, quam post mortem *Saræ* uxorem accepisse *Abraham* Scriptura testatur *Genesis* 25. fuisse ipsam *Agar*, quam hactenus exulantem revocaverit, & in contubernium ac thorum receperit, Hebræi commenti sunt: Ita *Targum Jonathanis*, Paraphrasis Hierosolymitana, *Jarchius*, *R. Eliezer*. *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis: *Cethura*, inquit, *Hebræo sermone, copulata interpretatur aut conjuncta; quam ob causam suspicantur Hebræi, mutato nomine eamdem esse Agar: quę Sarâ mortuâ, de concubinâ transierit in uxorem. Et ita sanè videtur decrepiti jam Abrahæ excusari ætas: ne senex post mortem uxoris suæ vetulæ, novis arguatur Nuptiis lasciviisse. Verùm nos, quod incertum est relinquamus.* Certè cùm *Agaram* tunc octogenariam circiter fuisse ex Chronologiâ sacrâ demonstretur, ex quâ proinde tot liberos suscipere non potuisset: cùm aliunde Scriptura eodem in capite Genesis Vers.12. *Agar* proprio nomine vocet, ac *Ismaelis* Matrem appellet, qui seorsim a *Cethuræ* filiis recensetur 1. *Paralipomenon* cap.28. cùm denique *Moyses* de connubio *Abrahami* cum *Cethurâ*, ut de novo prorsus Matrimonio loquatur: *Abraham verò*, inquit, *aliam duxit uxorem nomine Cethuram*: nec unam, sed plures illius concubinas nominet, quarum filiis largitus est munera: nequaquam verisimile est, *Cethuram* fuisse ipsam *Agaram*: quamvis S. Hieronymus, vel alius Auctor *Traditionum Hebraicarum* in *Paralipomenon* id asserere videatur; eamque opinionem *Thomas Anglus*, & *Lyranus* sequantur, quam *Cajetanus*, *Tostatus*, *Pererius*, aliique Scripturæ Commentatores rejiciunt & impugnant.

*Mahometanorum figmenta de Abrahamo.* IV. Multa de *Abrahamo* temerè fingunt Muhammedani, scilicet quòd nativitas ejus fuerit miraculosa; quòd *Muselmanus* fuerit; Quòd cum *Nembrodo* disputaverit de unitate Dei & Resurrectione mortuorum; Quòd relictâ patriâ *Meccam* concesserit, ibique Meccani Templi fundamenta posuerit, teste *Suratâ* & *Kessæo*; aliasque putidissimas fabulas, quibus *Alcoranus* scatet.

*Libri Abrahamo suppositi.* V. Libros *Abrahamo* supposuerunt Hebræi, & Hæretici veteres. Ipsi Librum *Jetzira* seu *Creationis*, adscribunt Auctor *Cosri*, *Gemara Codicis Sanhedrin*, cap.7. *R. Moses Batrel* qui cum commentatus est, *R. Saadias*, in Lib. cui titulus, LAPIS PHILOSOPHICUS. *R. Moses Bar-Nachman*, qui Commentarium in illum etiam scripsit; *R. Abraham Dior*, *R. Saadias*, & *R. Eliezer de Geramisrâ* Commentatores ejusdem Libri editi Mantuæ anno Christi MDLXII. Latinè redditus est a *Reuclino*, & editus Basileæ anno MDLXXXVII. in fine primi Voluminis Scriptorum Cabbalisticorum. Ipsum ab *Abrahamo* compositum adversùs Chaldæos Philosophos de Dei unitate inter se dissidentes *R. Saadias* asserit. De hujus Libri fabulis & ineptiis lege *Joannem Morinum* Lib.2. *Exercitationum in Scripturam Exercitatione* 9. cap.8. Hunc tamen Librum ab *Abrahamo* editum, non desunt è Judæis qui inficientur. Ipsum νοθείας apertè postulat *Abraham Zacbut* in Libro *Juchasin* & præfatione 2. *Zohar* Mantuæ editi hæc leguntur: *Quis dedit potestatem R. Aquibæ scribendi Librum Jetzira nomine Abrahami Patris nostri?* Veteres inter Hæreticos Sethiani *Apocalypsim Abrahami* venditarunt, teste *S. Epiphanio* in Panario. *Origenes* Homiliâ 35. in *Lucam* testimonium profert ex Scripturâ Apocryphâ *Abrahami*, in quâ inducuntur Angeli iniquitatis & Justitiæ de salute & interitu *Abrahami* disceptantes. Denique in *Synopsi* adscriptâ S. Athanasio *Assumptio Abrahami* inter Libros Apocryphos rejicitur.

*Sodomiticum incendium profanorum Scriptorum testimoniis confirmatur.* VI. Sodomitici incendii Historia insignibus Profanorum testimoniis confirmatur, scilicet *Diodori Siculi* Lib.19. ubi post Lacus Asphaltitæ descriptionem: *Vicina Regio*, inquit, *cùm igni subardeat, sævumque odorem exhalet, in causâ est cur accolarum corpora morbida sint minimèque vivacia.*

*Strabonis* Lib.16. p.526. ubi post Asphaltitę, cum quo Sirbonim Paludem malè confundit descriptionem: *Esse* inquit, *in hoc solo ignem, multa indicia afferunt. Nam & petras ostendunt asperas & exustas circa Moasada; tum multis in locis exesas cavernas, terram cinerosam, picis guttas de petris stillantes, ferventia non sine fœdo odore flumina; quæ cuncta fidem faciunt famæ apud indigenas vulgatæ, 13. olim in eâ Regione habitatas Urbes, quarum Princeps Sodoma fuerit, cujus ambitus etiamnum ostenditur in 60. stadia patens; terra autem motibus, erumpente igne aquisque calidis & bituminosis, extitisse, qui nunc est, Lacum, saxa concepisse ignem, Urbium absorptas alias, alias ab iis qui fugere potuerunt, derelictas.* Veris falsa miscere *Strabonem*, & multa ad historię summam pertinentia, utpote ipsi incomperta, omittere manifestum est.

*Cornelii Taciti* Lib.5. Historię. *Haud procul inde campi*, inquit, *quos ferunt olim uberes magnisque Urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse, & manere vestigia, terramque specie torridam, vim frugiferam perdisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vanescunt.*

*Plinii* Lib.5. cap.16. & Lib.35. cap.15.

*Solini* cap.36. Editionis Salmasianę: *Longo ab Hierosolymis recessu tristis Sinus panditur, quem de cælo tactum testatur humus nigra & in cinerem soluta. Duo ibi oppida, Sodoma nominatum alterum*

*rum, alterum Gomorrum, apud quæ pomum quod gignitur, habeat licèt ſpecimen maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fuliginem intrinſecùs favillaceam ambitus tantùm extremæ cutis cohibet, quæ vel levi preſſa tactu fumum exhalat & fatiſcit in vagum pulverem.*

Quid aliud ſignificat fabula Philemonis & Baucidis, qui Jovem & Mercurium in Phrygiâ peregrinantes, & a loci incolis ſpretos domibuſque excluſos benignè exceperunt; propterea que cùm tota regio aquis ſubmerſa a Diis, ſtagnumque facta eſſet, ſervati & in tuto collocati ſunt; quid aliud, inquam, ſignificat, quàm Lothi erga duos Angelos Sodomam venientes humanitatem, a quo hoſpitio excepti, & a Sodomitarum injuriis prohibiti, præmium hoſpiti, totique familiæ rependerunt incolumitatem; cùm tota regio cæleſti igne deleta, & aquis ſtagnantibus obruta eſſet, quæ prodigioſi illius incendii notas retinerent & Hiſtoriæ Sacræ fidem facerent?

*Fabula ex converſione uxoris Loth in ſtatuam Salis nata. Hebræorum de eâdem figmenta.*

VII. Hiſtoriam uxoris *Loth* in Statuam Salis converſæ, Poëtę ſuis de *Niobe*, quam ex nimio ob filios ſuos amiſſos dolore in ſaxum obriguiſſe fabulantur, commentis contaminarunt. In ſtatuam Salis converſam quidam ex Hebræis fingunt, inter alios *R. Solomon Jarchi*, quia *in Sale peccavit*. Nempe in pridiano hoſpitum convivio, eam *Lotho* petenti ſal in condimentum ciborum, gentilitio hoſpitalitatis odio dare noluiſſe. Alii, quod de Sale ab iſtis dictum eſt in aliam trahunt ſententiam, quòd nimirum hoſpites non humaniter ac benignè, ſed triſti ac tetrico vultu exceperit, adeoque hoſpitalitatem violaverit, cujus ſal ſymbolum eſt.

*Illi ſtatuæ contigiſſe quod Mulieres menſibus ſingulis patiuntur, fabula eſt.*

Statuam Salis, in quam uxor *Lothi* converſa eſt, non ſolùm manere etiamnum, ſed & muliebria pati, Veterum nonnulli ſcripſere. Primum non ægrè crediderim, at ſecundum fabulam ſapit. *S. Irenęus* Lib.4. cap.51. *Uxor remanſit in Sodomis non jam caro corruptibilis, ſed ſtatua Salis ſemper manens: & per naturalia, ea quæ ſunt conſuetudinis hominis oſtendens.* Auctor Poëmatis quod inſcribitur, SODOMA, apud *Tertullianum*, de uxore *Loth* ita canit:

*In fragilem mutata Salem, ſtetit ipſa ſepulcrum,*
*Ipſaque imago ſibi, formam ſibi tempore ſervans*
*Durat adhuc, etenim durâ ſtatione ſub æthram*
*Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.*
*Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,*
*Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.*
*Dicitur & vivens alio jam corpore ſexus*
*Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.*

Cęterùm ſtatuam ipſam ſuâ ętate ſuperſtitem fuiſſe ſignificat *Joſephus*, Lib.1. *Antiquitatum*, capit.22. ſuâ etiam *Brochardus*, Deſcriptionis Terrę Sanctę cap.7. §.34. etſi eam ſe non vidiſſe ingenuè fateatur; ſuâ *Saliniacus*, quam & ſibi viſam affirmat, Itinerarii Hieroſolymitani Tom.9. cap.6. & ad hanc diem ſupereſſe aſſerunt Recentiores, qui has regiones luſtrarunt.

---

## ARTICULUS II.

### *De Iſaaco.*

*Hebræorum fabula de convivio in die Circumciſionis Iſaaci.*

I. CONvivium ſplendidum, non die ablactationis *Iſaaci*, ut narrat Scriptura, ſed die Circumciſionis ipſius, ab *Abrahamo* inſtructum Hebræi fabulantur, eique convivio interfuiſſe Regem Gogum ejuſque Principes, nec non 32. Reges a *Joſue* interfectos. Commentum iſtud legitur in *Bereſith Rabba* Sectione 53.

*Quomodo Rebecca de luctâ Infantium in utero ſuo Deum conſuluerit, Hebræorum figmenta.*

II. Quod ſcribitur *Geneſis* 25. Verſ.22. *Rebeccam* luctâ infantium in utero affectam perrexiſſe ut conſuleret Dominum, Hebræi variè interpretantur. Quidam Paraphraſten Hieroſolymitanum ſecuti, volunt eam adiiſſe *Semum*, quem cum *Melchiſedecho* eumdem faciunt. *R. Abenezra* per *Abrahamum* adhuc ſuperſtitem reſponſum illi redditum putat. *Maimonides* ipſam ad *Heberem* iviſſe, & per eum Deum conſuluiſſe cenſet. Hęc incerta, ſed longè fabulę propiora ſunt Auctoris Hiſtorię Scholaſticę Commenta, ſcilicet *Petri Comeſtoris*. Scribit ille *Rebeccam* iviſſe ad Montem *Moria*, quem locum Sanctum eſſe credebat, ubi *Abraham* Altare ſtruxerat, cùm voluit immolare filium, & immolatis victimis pelles earum ad dormiendum ſibi ſtraviſſe, ut in ſomnis a Deo veritatem audiret. Et ne phantaſticis ſomniorum illuſionibus falleretur, folia lauri, quæ tripodes vocant, & folia agni caſti, quę eſt herba ſomniorum phantaſias prohibens, capiti ſuo ſuppoſuiſſe, & ſic dormientem a Deo reſponſum accepiſſe.

*Fabula orta ex colliſione Jacob, & Eſau in utero.*

Simile quid colliſioni *Jacobi* & *Eſau* in utero matris referunt *Euſtathius* ex Lycophronte *Iliad*. ψ luctam ſcilicet *Epis Palaſtritæ* & fratris in utero. Et *Apollodorus* Bibliothecę Lib.11. *Acriſii* & *Proëthi* meminit, qui in utero matris adhuc poſiti, inter ſe diſſidere cœperunt.

*Erythras Græcorum ipſe eſt Eſau.*

*Erythram* Gręcorum, a quo *Mare Erythræum* ſeu Rubrum nomen accepit, eſſe ipſum *Eſau*, Viri Eruditi dudum obſervarunt, inter alios *Fullerus* Lib.4. *Miſcellaneorum*, cap.20.

---

## ARTICULUS III.

### *De Jacob, & ejus Filiis.*

*Jacob & filiorum ejus Hiſtoria externis teſtimoniis confirmata.*

I. DEmetrius ab *Alexandro Polyhiſtore* laudatus, apud *Euſebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.21. *Jacobum* Patriarcham celebrat. Ipſum *annos quinque ac ſeptuaginta natum Charram Meſopotamiæ civitatem confugiſſe narrat, idque parentum ſuorum voluntatem ſequutum, partim ut occulto ſeſe Eſau fratris odio ſubduceret, paternæ jacturâ benedictionis, quam ſibi ipſe furtim ſimulatâ Eſau ſpecie Jacobus expreſſerat, concitato; partim ut inde uxorem duceret. Sic igitur eum relicto Iſaaco parente ſeptimum ac trigeſimum ſupra centeſimum annum agente, hanc in Urbem perveniſſe, ubi jam ipſe annum ſeptimum ac ſeptuageſimum attigiſſet. Eumdem poſt ſeptem annos quàm ibi verſatus fuerat, filias Labani materni Avunculi duas Liam & Rachelem duxiſſe, circa annum ætatis quartum & octogeſimum, aliorumque ſeptem annorum ſpatio liberos ſuſcepiſſe omnino duodecim.* Quorum nomina recenſet. *Patriam repetenti obvium Dei Angelum, poſtquam aliquandiu eum eo luctatus eſſet, femur ejus quâ parte latius percuſſiſſe, Jacobumque ſimul eo membro torpeſcentem claudicare cœpiſſe: (Quo factum deinceps, ut ex pecudibus femoris nervum Judęorum attingat nemo). Ab Angelo autem futurum audiſſe, ut in poſterum non Jacobus, ſed Iſraël vocaretur. Itaque in eam Terræ Chanaan ſucceſſiſſe partem, quæ Sichimis adverſa eſſet, liberorum ſuorum comitatu ſtipatum. Ceterùm Iſraëlem annis ſibi decem juxta Emmorem domicilium delegiſſe: cujus filiæ Dinæ cùm Sichemus Emmoris filius ſtuprum obtuliſſet, Simeonem & Levinum Iſraëlis filios ſororis injuriâ graviter commotos, Emmorem ac Sichemum ejus filium, maresque univerſos impetu facto cecidiſſe.* Narrat deinde *Joſephum, cùm eſſet annorum ſeptendecim, Ægyptiis venditum, totos tredecim annos in vinculis fuiſſe. Ac poſt felicem Regis ſomniorum explicationem, toti Ægypto annis ſeptem præfuiſſe, quo tempore Aſenethem Pentephræ Heliopoleos Sacerdotis filiam con-*

ju-

*jugem duxerit, atque ex eâ Manassem, Ephraimumque susceperit. Tum annis duobus fame laborari ceptum. Eumdem verò novem annorum spatio, quibus fortunatè admodum vixerit, Patrem accersere noluisse, quòd tam ipse quàm fratres pascendi ovibus operam darent, qua vita ratio apud Ægyptios probro duceretur.* Porrò anno tertio famis apud Ægyptios cunctam eorum familiam in Ægyptum migrasse, &c. Quæ apud *Eusebium* loco laudato legi possunt. Floruit porrò *Alexander Polyhistor* ætate *Ptolemęi Lathyri*.

II. *Theodotus*, Libro quem *De Judæis* conscripsit, Sichimam ab Hebræis Regnante *Emmore* occupatam fuisse affirmat, ita canens.

*Illinc, o Hospes, tandem vaga liquit Jacob*
*Pascua, & immensam Sichimûm successit in Urbem,*
*Dum socios Emmor Populos, atque Emmore Natus*
*Imperio premeret Sichemus, Patri amula pestis.*

Tum profectionis *Jacobi* in Mesopotamiam, nuptiarum ejus cum duabus Sororibus initarum, liberorum ex utrâque susceptorum, migrationis in Urbem Sichimorum, raptûs *Dina*, Circumcisionis in Urbem Sichimorum, cædis ipsorum a *Jacobi* filiis *Simeone* & *Levi*, meminit.

*At pecorum altricem in Syriam concedit Jacob,*
*Atque sonante vagos volventem gurgite fluctus*
*Deserit Euphratem; irati simul aspera Fratris*
*Jurgia declinat. Blando pia tecta Nepoti*
*Pectore Labanus, Syria tum stirpe recenti*
*Sceptra tenens, pandit. Cui mox promissa minoris,*
*[Sic malè certa fides] Nata connubia mutat,*
*Majoremque viro Thalami in penetralia furtim*
*Summittit Liam Genitor; sed fraude retectâ,*
*(Sensit enim conjux) natuque minore potitus,*
*Esse utramque dedit solerti prole parentem.*
*Undenis Maribus pulcro spectabilis ore*
*Additur, & molli prastans in corpore Dina*
*Exerit ingenium.*

Narrat subinde, cùm solemnis fortè conventus Sichimis ageretur, *Dinam*, tametsi adhuc Virginem, in Urbem visendi studio penetrasse; ac *Sichemum Emmoris* filium ejus amore captum, ipsi per vim raptæ ac domum abductę stuprum cùm obtulisset, paulò pòst unà cum patre ad *Jacobum* venisse, ab eoque filiæ nuptias expetisse; quas ille cùm negaret, priusquam incolæ Sichimorum universi & Circumcisionem & Ritus Judaicos accepissent: *Emmorem* futurum spopondisse, ut eos ad hanc conditionem adducere teneretur. Et eos quidem circumcidi omnes oportere, *Jacobus* ita declarat:

*Hebraam divina vetant Oracula Gentem,*
*Externos sponsa generos in tecta vocare,*
*Hac patrius tantùm novit commercia sanguis.*

Mox de Circumcisione:

*Qui magnum patriis Abraamum eduxit ab oris,*
*Calitus hunc totâ jussit cum stirpe recurvo,*
*Glande sub extremâ, praputia demere ferro.*
*Paruit, atque Dei verbis immotus inhasit.*

Sichimitarum verò cædem a *Simeone* & *Levi* ita describit:

*Tunc Emori vasto Simeon caput arduus ictu*
*Amputat, ac lavâ truncam suspendere gestit*
*Cerviccm, donec, quòd pugna atrocior instet,*
*Linquat humi singultantem. At violentior ardet*
*Levinus, frustràque solo pedibusque volutum,*
*Ausum immane nefas Sichemum, pendentibus harens*
*Crinibus, invadit. Jugulum delatus in altum,*
*Mox toto gladius subit in pracordia ferro,*
*Exturbatque animam.*

Hæc ex *Theodoto Alexander Polyhistor*, & ex *Polyhistore Eusebius*, Lib. 9. *Praparationis Evangelica*, Cap. 22.

*Superstitio Gentium in Batylorum cultu, ex lapide quem Jacob erexit Bethele derivata.*

III. Lapidem a *Jacob* Patriarchâ *Bethele* erectum, & oleo perfusum, Phœnices coluere, ut referunt Hebræi; tum alios etiam lapides simili ritu unxerunt & consecrarunt, quos *Batylia*, & *Batylos* nominarunt, in memoriam lapidis *Bethele* erecti. *Sanchuniaton* Rerum Phœniciarum Scriptor, apud *Eusebium* Lib. 1. *Praparationis Evangelica* ait: *Deus Uranus* (Cælum) *excogitavit Batylia, cùm fabricasset lapides animatos.* Bochartus Lib. 2. *De Phœnicum Coloniis*, vertendum conjicit, *Lapides unctos*. Quanquam & animatos esse creditum sit, diabolo fortè illos movente, & plebis credulitatis suis præstigiis illudente. *Damascius* Scriptor Ethnicus, qui *Justiniano* Imperante florebat, scripsit: *Vidi Batylum* lapidem *in aëre motum*. Et *Isidorus* Philosophus ait: *Aliquem esse Dæmonem a quo movetur* (Apud *Photium* in *Bibliothecâ*, p. 1062. & 1063.) Idem *Photius*, p. 1047. ex *Damascio* refert, *Juxta Heliopolim Syria Asclepiadem in Libani Montem ascendisse, & vidisse multa Batylia, vel Batylos, quos vocant, de quibus multa Miracula narrat. Et* pag. 1063. *Batulorum alium alii Deo consecratum esse, Saturno puta, Jovi, Soli, & aliis.* Quin & *Batylus* vocabatur lapis *Saturno* pro *Jove* datus, quem ille devoravit, ut *Hesychius* observat. Sacros hujusmodi lapides spectat illud *Pausania* in Achaicis: *Prope simulacrum lapides ferè singulos certis Deorum nominibus appellantes Pharenses venerantur. Et sanè seculis antiquioribus apud Gracos universos rudes lapides pro simulacris divinos honores habuerunt.* Testatur *Livius* Lib. 29. Romanos *Idaam Matrem* summâ religione Pessinunte Romam advectam in Æde Victoriæ collocasse. Illa autem sacer istiusmodi lapis erat, quem describit & ridet *Arnobius* Libro 7. adversùs Gentes: *Si verum*, inquit, *loquuntur Historia, neque ullas inserunt rerum conscriptionibus falsitates, allatum ex Phrygiâ nihil quidem aliud scribitur missum Rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ullâ impressione qui posset, coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inaqualis; & quem omnes hodie ipso illo videmus in signo, oris loco positum, indolatum, & asperum, & simulacro faciem minùs expressam simulatione prabentem ... Et quis hominum credat terrâ sumptum lapidem, sensu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri corporis, Deûm fuisse Matrem? Aut quis rursus accipiat, (hoc enim solum restat) Numinis alicujus habitasse in Silicis fragmentis more subjectam, venisque in ejus abstrusam? &c.* De *Heliogabalo* scribit *Lampridius* in ejus Vitâ: *Lapides qui Divi dicuntur, ex proprio Templo Diana Laodicea, & Adyto suo, in quo id Orestes posuerat, afferre voluit.* Pro Lapidibus Divis, *Vivos* legit *Salmasius*, quæ lectio ex Scriptoribus Græcis convenientior videtur, qui ἐμψυχους λιθους eos vocant. Idolum *Algabalum*, a quo nomen suum *Heliogabalus* mutuatus est, *Herodiano* teste Lib. 5. cap. 3. *Lapis erat maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactabant cœlitus decidisse.* De se ipso denique adhuc Ethnico scribit *Arnobius* Lib. 1. *Picturatus veternosis in arboribus tanias si quando conspexeram, lubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset Vis prasens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco.*

*Josephi Historia externis testimoniis confirmata, vel interpolata.*

IV. *Artapanus* in suo de Judæis Commentario scribit, *Josephum Abraami nepotem, Jacobi filium, cùm reliquis fratribus ingenio, Sapientiâque praestaret, eorum insidiis appetitum esse, quorum ipse conjuratione prospectâ, vicinos Arabas, utì se in Ægyptum abducerent, obsecravit, ejusque precibus illos annuisse. Arabum enim Reges Israëlis nepotes,*

*Abraa-*

*Abraami filios, & Isaaci fratres esse. Ergo Josephum paulò post quàm Ægyptum attigisset; eo Regis studio ac benevolentiâ exceptum esse, ut Præfectus ab eo totius Regni constitutus fuerit. Eumdem verò, cùm Ægyptii terram catenus magnâ perturbatione coluissent, quòd neque divisa Regio esset, ac tenuioris fortunæ homines a potentioribus iniquiùs haberentur: agros ante omnia divisisse, certis passim finibus terminisque descriptos, adeoque magnam soli partem incultam prius atque sylvescentem, culturæ opportunam commodamque redidisse, suosque Sacerdotibus agros singulares ac proprios assignasse. Mensuras præterea invenisse, quibus ille officiis Ægyptiorum sibi voluntatem majorem in modum devinxerit. Cæterùm, Asenethen Heliopolitani Sacerdotis filiam uxorem duxisse, ac liberos ex eâ suscepisse. Postea verò patrem, cunctosque fratres, multis cum opibus ac facultatibus ad eum venisse, fixisque in Urbe Casanâ domiciliis, Syrorum in Ægypto auctam admodum ac propagatam Sobolem fuisse. Eosdem insuper tum quod apud Athon, tum quod apud Heliopolim est, Templum condidisse. Hermiuthios vulgò nominatos. Postremò Josephum, Ægyptiorumque Regem obiisse. Ac Josephum quidem, cùm Ægypto præesset, immensam frumenti vim quæ toto septennio provenerat, in medium contulisse, ac totius Ægypti Dominum fuisse.* Hæc ex *Artapano Alexander Polyhistor*, quæ nobis servavit *Eusebius* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.23.

V. Ex *Philone* Seniore Lib.4. *De Hierosolymis*, hæc nobis servavit *Eusebius*, cap.24. Libri 9. *Præparationis Evangelicæ*.

*Ollis ampla potens ultro dat jugera Princeps.*
*Fœcundoque solo locat incorruptus Joseph,*
*Abrami Isacique nepos, quemque almus Jacob*
*Sustulit, obscura cui pravia somnia noctis,*
*Qui Solio incumbens, Ægyptia Regna tuetur,*
*Ambiguo fati variè jactatus ab æstu.*

VI. *Justinus* ex *Trogo Pompejo* Lib.36. Cap.2. *Israëlis* & *Josephi* his verbis meminit: *Israëlem felix decem filiorum proventus Majoribus suis clariorem fecit. Itaque Populum in decem Regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Juda qui post divisionem decesserat, ~~Judæos appellavit; colique~~ ejus memoriam ab omnibus jussit: Ejus portio omnibus accesserat. Minimus ætate inter fratres Joseph fuit, cujus excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cùm magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, brevi ipsi Regi percarus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit; nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur; adeò ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit; periissetque omnis Ægyptus fame, nisi monitu ejus Rex Edicto servari per multos annos fruges jussisset: Tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed a Deo responsa dari viderentur.*

*Israëlitarum adventus in Ægyptum a Manethone multis, fabulis, deformatus.*

VII. Israëlitarum adventûs in Ægyptum & exitûs eorumdem historiam multis fabulis interpolavit *Manetho in Ægyptiacis* Lib.1. cujus verba *Josephus* exhibet Lib.1. contra Apionem. *Fuit nobis*, inquit, *Rex Timaus nomine. Sub hoc nescio quo modo Deus iratus fuit; & præter spem ex partibus Orientalibus homines, genere ignobiles, adeptâ fiduciâ in Provinciâ castrametati sunt. Et facilè ac sine bello eam potenterque cœperunt; & Principes, ejus allegantes, de cætero Civitates crudeliter incenderunt; & Deorum Templa everterunt. Erga omnes verò Provinciales inimicissimè se gesserunt: & alia non pauca, quibus eorum crudelitatem exaggerat.* Deinde Regum quibusdam nominibus interjectis narrat Gentem illam vocatam esse *Hycsos*, hoc est, *Reges Pastores. Hyc enim secundùm sacram linguam, Regem* significat; *Sos* verò *Pastorem* secundùm communem dialectum; & sic componitur *Hycsos*, (inquit Manetho) *Quidam verò dicunt illos fuisse Arabas*. Addit Josephus: *In aliis autem Exemplaribus non Reges significari comperi per appellationem Hyc, sed e diverso captivos declarari, Pastores.* Hyc *enim Ægyptiacâ lingua, &* hac, *quando denso sono profertur, captivos apertè significat; & hoc potiùs verisimile videtur, & antiquæ Historiæ conveniens.* Post alia subdit Manetho; *Sub Rege cui nomen erat Alisfragmuthosis, victos Pastores, & aliam quidem universam Ægyptum perdidisse, inclusos autem in locum habentem mensuram jugerum decem millium; cui loco nomen est* Avaris, *Filium verò Alisfragmuthoseos Themosin conatum eos vi expugnare cum quadringentis octoginta millibus armatorum eorum muros obsedisse: Cum verò de obsidionis successu desperasset, pacta cum eis fecisse ut Ægyptum relinquentes, quò vellent innoxii omnes abirent. Illos verò his promissionibus impetratis, cum omni domo & possessionibus, non minùs ducenta quadraginta millia numero ex Ægypto per desertum in Syriam iter egisse; & metuentes Assyriorum potentiam [tunc enim illi Asiam obtinebant] in Terrâ quæ nunc Judæa vocatur Civitatem ædificasse, quæ tot millibus hominum sufficere posset, eamque Hierosolymam vocitasse.* In alio verò quodam Libro Ægyptiacorum Manetho, *Hanc ipsam gentem, id est, qui vocitabantur Pastores, in sacris suorum libris captivos adscriptos rectissimè dixit* [inquit Josephus) *Nam antiquis Progenitoribus nostris pascere mos erat, & pascualem habentes vitam, vocabantur ita Pastores, sed & captivi non temerè ab Ægyptiis dicti sunt: Quoniam Progenitor noster Joseph dixit ad Regem Ægyptiorum, se esse captivum; & fratres in Ægyptum posteriùs evocavit Rege præcipiente.* Narrationem illam *Manethonis* ad Hebræos pertinere, *Josephus*, & *Josephum* secuti Viri Doctissimi intellexerunt, *Manethonem* quidem vel ignorantiæ vel falsi postulantes, quòd multis figmentis Historiæ veritatem obscuraverit ac interpolaverit: non ita tamen quin interdum quasi per nebulas radii quidam illius intermicent. Ait enimvero *Pastores* quosdam *extraneos* e partibus *Orientalibus* in *Ægyptum* se contulisse. At Hebræi extranei Ægyptiis erant, & pastoritiam agebant viam jam inde ab Abrahamo. Addit quidem *Manetho*, fuisse qui dixerint eos fuisse Arabes, sed in eâ se fuisse mente minimè significat. *Africanus* qui sua ex *Manethone*, excerpsit, Phœnices fuisse testatur. Addit *Manetho*, extraneos istos facilè & sine pugnâ Ægypto potitos, quod de *Abrahamo* non absurdè intellexeris, qui & in *Sara* gratiam, & propter singularem sapientiæ apud Ægyptios opinionem, ab *Eupolemo*, *Artapano*, *Nicolao Damasceno*, aliisque apud *Eusebium* celebratam, tantis opibus auctus est, ut Ægyptum sine pugnâ quodammodo spoliasse dici possit. Id factum ait *Manetho* sub *Timao* Rege, cui Deus fuit contrarius. In *Timao* Pharaonem intellige, quem *flagellavit Dominus plagis maximis* propter *Abrahamum* & *Saram* ejus uxorem, *Genesis* 7. *Vers.* 17. Extraneos illos Pastores magnas clades Ægyptiis intulisse ait *Manetho*, quòd Abraham fuerit illatæ divinitus, *Pharaoni* calamitatis occasio. Qualis ea fuerit calamitas, Scriptura non exprimit. *Josephus* auctor est pestem fuisse, & seditionem popularem: *Philostratus* morbos insolentes cruciatusque horrendos; quod & *Polyhistor* ex *Eupolemo*, significat his verbis: *Accidit autem ut & familia Pharaonis & populus interiret.* Addit *Manetho* hanc ipsam gentem, id est, qui vocabantur *Pastores*, in sacris suorum libris captivos cognominatos, quod Israëlitis apprimè convenit, qui, ut *Josephus* observat, non temerè captivi ab Ægyptiis dicti sunt: Quia *Joseph* coram Ægyptiorum Rege captivum se ipse nuncu-

nuncupavit; & Israëlitæ deinceps a Pharaonibus ut captivi habiti, pessimèque accepti sunt. Atque ad *Joseph* ætatem hæc retulit *Eusebius*, quæ Viri inter recentiores Eruditi ad *Abrahamum* referre maluerunt, ut eas difficultates, quas *Scaliger* movit circa istarum Dynastiarum tempora, minuerentur. Quod autem sub Rege *Alisfragmuthosi* victos Pastores universam Ægyptum perdidisse narrat *Manetho*, inclusos verò intra loci alicujus angustias vixisse, eatenus cum veritate convenit, quatenus Hebræi cùm totâ (ut ita dicam Ægypto) *Josepho* superstite potiti essent; eo defuncto, quasi reliquâ Ægypto pulsi, in Terram Gessen se recipere, ejusque finibus perangustis se continere compulsi sunt. Vis Themosi ad eos obsidendos & debellandos adhibita, respondet iniquissimis illis gravissimisque vexationibus, quibus totam gentem exscindere Pharaones conati sunt. Cætera de pacto, cujus vi Pastores cum omnibus possessionibus Ægypto egressi, de itinere per desertum, de adventu in Judæam, de Hierosolymorum ædificatione, adeò manifestè Hebræos designant, ut *Marshamum* in Canone Chronico refellere facile sit, negantem hæc ad Israëlitas pertinere: Quem eruditè refellit *Hermannus VVitsius Ægyptiacorum*, Lib. 3. Cap. 3.

VIII. Celebre illud Jacobi de Christo Vaticinium: *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Silo*, (ut Hebræus Textus habet) id est, *Qui mittendus est, & ipse erit Exspectatio Gentium, &c.* Ethnici fœdè interpolarunt. *S. Justinus Martyr Apologiâ* 2. & in *Dialogo cum Tryphone* ait, hanc Prophetiam Dœmones ad *Bacchum* retulisse, & in ejus mysteriis asinum recensuisse. At hinc potiùs detortam esse *Sileni* fabulam conjicit *Bochartus* in *Chanaan* Lib. 1. Cap. 18. Ex dictione quippe *Silo*, quam Christo illic tribuit *Jacobus* Patriarcha, excusum esse *Sileni* nomen; & asino vectum fingi *Silenum*, & comitem *Bacchi*, quòd in illo Jacobi oraculo dicatur, *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam*. Calcandis uvis ideo *Silenum* addici, quia sequitur: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, instar calcantium in torculari, ut explicatur *Isaiæ* 61. Vers. 2. *Silenum* semper ebrium esse, & venas inflatum vino, quia statim additur: *Pulchriores sunt oculi ejus vino*. Denique *Silenum* coagulato caseo & lacte bovis pastum, quia Prophetia finitur hàc clausulâ: *Et dentes ejus lacte candidiores.*

## ARTICULUS IV.

### *De Mosis Initiis.*

I. *Josephus* Lib. 2. *Antiquitatum*, Cap. 5. de *Mosis* nativitate, pueritiâ, & institutione singularia quædam refert, nobis minimè prætermittenda. Ejus ortum a Vate quodam Ægyptiaco prænuntiatum tradit. *Exortum est* (inquit) *aliud quiddam eur genus nostrum magis etiam cuperent extinctum. Quidam ex eo genere hominum quos gens illa vocat Sacrorum Scribas, quorumque prædicationibus multum tribuit, prænuntiat Regi, Nasciturum per id tempus apud Israëlitas quemdam res Ægyptiorum olim graviter afflicturum, Israëlitas contra evecturum, si modò ad ætatem adultam pervenerit. Nam & virtute fore præcellentissimum, & gloriâ per omne ævum celebrem. Quo terrore perculsus Rex, edicit ex ipsius Monitoris sententiâ, quicquid masculini sexûs inter Israëlitas nasceretur, in flumen projectum necari*. Sed & divino Oraculo prænuntiatam *Mosis* parentibus futuram per ipsum Hebræorum ex Ægyptiacâ servitute liberationem *Josephus* addit. Ab ipsis, cùm celari diutiùs non posset infans, in lectulo papyraceo & bitumine illito positum, in flumen delatum fuisse, divinæque providentiæ commissum. A *Thermuthe* Pharaonis Ægypti Regis filiâ ex aquis receptum, cùm Ægyptiæ Nutricis mammam aversaretur, suggerente *Mariâ* ipsius *Mosis* infantuli sorore vocatam Mulierem Hebræam, *Jochabelem* scilicet utriusque matrem, cui nutriendum infantem *Pharaonis* filia tradidit. Post tertium annum ætatis Deum admirandam gratiam puerulo addidisse, adeò ut ejus eleganti formâ non satiarentur hominum oculi, invitique ab hoc spectaculo discederent. Quo factum est, ut Ægyptia Princeps hunc sibi in filium adoptaverit, Patrique obtulerit in spem Regni educandum. Puerum blandè sinu suo *Pharao* excepit, ejusque capiti diadema suum imposuit. Regiæ Dignitatis insigne capiti suo detraxit puer, in terram abjecit, pedibus conculcavit. Id ominosum Ægyptiis visum est; moxque ille Sacrorum Scriba, qui nativitatem ejus Ægypto cladem allaturam fuerat auguratus, suadere conatus est ut e medio tolleretur. At Deo providente, a *Thermuthe* servatus est, non invito *Pharaone*, & maximâ curâ educatus. Adolescentiæ annis expletis, bello adversùs Æthiopes Ægyptum frequentibus incursibus lacessentes, & victoriis insolentes conficiendo Dux præpositus est. Ille verò hostem opprimere volens priusquam Ægyptiaci Exercitûs motum exploratum haberet, non per fluminis ripam, sed per interiora Terræ copias in hostem duxit. Quâ in expeditione dubium est an prudentiâ an fortitudine magis claruerit. Cùm enim iter difficile ac periculosum esset præ multitudine serpentum, qui non solùm humi repentes insidiabantur, sed & volantes ex improviso nocebant, hoc usus stratagemate est. Vasa enim plexilia non pauca ex papyro seu junco in arcæ formam fieri curavit, atque Ibibus plena in exercitum deferri. Ubi autem in Terram venenosis bestiis scatentem ventum est, Ibes immisit, volucrum genus serpentibus inimicum: atque itinere impunè peracto, Æthiopes aggressus; vicit, profligavit, in Urbem Regiam *Saba*, quam postea *Cambyses* Persarum Rex de Sororis suæ nomine *Meroën* appellavit, compulsos obsidione cinxit. Interim *Tharbis* filia Regis Æthiopum, *Mosis* admirata virtutem, conjugium ipsi obtulit. Matrimonio cum Principe feminâ præbuit assensum *Moyses*, pactâ velut in dotem Urbis aliàs inexpugnabilis deditione: Nuptiis celebratis, victorem Exercitum in patriam reduxit. Inde cædis apud Regem accusatus, fugâ sibi consuluit, & in urbem *Madian* in Rubri Maris littore sitam se recepit, vindicatisque a Pastorum puteos occupantium injuriâ *Raguelis* Sacerdotis filiabus, ex hospite socerum fecit, acceptâ ex puellis alterâ uxore. Pleraque ex his quæ *Josephus* commemorat, præter ea quæ in Historiâ Sacrâ scripta sunt, ab Hebræis conficta videri possunt. Illud certè de filiâ Regis Æthiopum ductâ uxore in Expeditione Æthiopicâ, *Theodoretus* fabulosum censet Quæstione 22. in Numeros, *De muliere Æthiopissâ quam Moyses uxorem accepit*: Cui Quæstioni hunc in modum respondet: *Josephus quidem ait, Moysem eùm in Regiâ educaretur, in bello contra Æthiopes Ducem creatum esse, partâque victoriâ Regis illius filiam duxisse. Apollinarius autem fabulam finxit hâc longè fabulosiorem. Ait enim, Post Sephoram illum duxisse aliam Æthiopissam; ut esset, inquit, figura Christi Domini, qui post Israëlitieam, Ecclesiam ex Gentibus desponsavit. Atqui Sephora etiam erat extranea. Non est ergo Divini Spiritûs fabulas fingere, sed contrarii. Tanta enim castitatis studium habuit Legislator post vocationem suam, ut ingressurus Ægyptum Sephoram etiam domi reliquerit. Postquam autem illinc egressus est, accessit ad eum Socer adducens eam unà cum li-*

*liberis*, *& addidit*, Quòd post dimissionem adduxit eam. *Sephoram igitur appellavit Æthiopissam. Siquidem Saba gens est Æthiopica, Evangelista enim ait:* Regina Æthiopum surget & condemnabit generationem istam. *Regnorum autem Historia nuncupavit eam Reginam Saba. Porrò Saba gens Homeritarum appellatur, quibus vicini sunt Madianitæ.*

*Luc. 11.*

*Petri Comestoris fabula de Moyse.*

Fabulam multò magis olet, quod narrat Auctor Historiç Scholasticç cap.6. Historiç suç in Exodum, *Mosen* Æthiopicâ Expeditione defunctum, cùm redire vellet in Ægyptum, ipsiusque discessum prohiberet Filia Regis, quam duxerat uxorem, duas imagines Astronomicas in gemmis sculpsisse, ejus virtutis ac potestatis, ut altera memoriam afferret, altera oblivionem. Cùmque paribus annulis eas inseruisset, alterum annulum scilicet oblivionis dedisse uxori, alterum sibi servasse, ut qui pari amore ardebant, paribus annulis ornarentur. Sensim ergo Feminam principem amoris oblitam, Mosis in Ægyptum reditui nullum amplius obicem apposuisse.

*Mosis Historia ab Ezechielo Poëtâ confirmata.*

II. *Ezechielus* Poëta Tragicus Judçorum, *Mosis* Historiam fusè persequitur, & Grçcis carminibus exprimit quç *Moses* ipse solutâ oratione expressit. Ejus carmina legere est apud *Clementem Alexandrinum* Lib.1.*Stromatum*, & apud *Eusebium* Lib.9. *Prçparationis Evangelicç* capit.28. & 29. Porrò *Ezechielus*, quem nonnulli unum e 70. Interpretibus fuisse censent, *Alexandrum Polyhistorem*, qui fuit *L. Sullç* coævus; & *Demetrium* Judæum præcessit, qui ex Scriptis fragmenta depromunt apud *Eusebium*, & *Clementem Alexandrinum* mox laudatos.

*Mosis Historia ab Artapano partim confirmata partim interpolata.*

III. *Artapanus*, in suo de Judæis Opere, *Mosis* Historiam hunc in modum interpolavit. *Palmanothem* Ægypti Regem *Judæum Populum duriùs habuisse* refert. *Merrhim* ejus filiam *Cenephra* Regionis cujusdam supra Memphim Regulo collocatam. Hanc porrò, cùm sterilis esset, *Judææ Mulieris infantem supposuisse, quem Moysum ipsa primùm, deinde verò Græci, cùm ad virilem ætatem pervenisset, Musæum nominarint. Atque hunc Orphei Magistrum fuisse memorant, ac permulta humano generi utilissima tradidisse. Illi enim & navigiorum, & machinarum, quibus adducti sursum lapides posteà coagmententur, & armorum Ægyptiacorum, & instrumentorum partim haurienda vel deducenda aquæ, partim bello necessariorum, ipsiusque adeò Philosophiæ inventionem acceptam ferunt. Ad hæc Civitatem ab eo in sex & triginta Præfecturas divisam; suosque singulis Numini colendo Ritus assignatos, literasque sacras puta felium, canum, ibium figuras Sacerdotibus cum singulari ac propriâ Regione attributas fuisse. Quæ omnia eo consilio perfecerit, ut summum Chenephra Imperium stabiliret, cùm nullo distincta ordine multitudo Reges antea modò ejiceret, modò crearet, ac sæpè quidem eosdem, interdum etiam alios. Quibus ipse rebus non modò Populorum sibi amorem conciliarit, verùm etiam parem Superis honorem a Sacerdotibus, qui* Equbuillum *hoc est Mercurium, sive Interpretem, ob sacrarum literarum* ἑρμηνείαν *interpretationem, appellarunt, facilè impetrarit. At verò Chenephren Moysi virtutibus invidentem, perimendi hominis colorem aliquem, honestamque speciem quçsivisse. Itaque cùm in Ægyptum armati Æthiopes invasissent, commodam facinoris oblatam occasionem esse ratum, Moysum Imperatorem adversùs eos Exercitu ex gentibus & propinquis ejus maximam partem conflato misisse, quòd cum propter Militum imbecillitatem ab hoste nullo negotio conficiendum putaret. Moysum autem ad Præfecturam quamdam, cui Hermopolytç nomen, quçque colonorum ad centum millia numerabat, profectum, castra ibi posuisse; Legatorum suorum fortissimis ac strenuissimis quibusque præmissis, qui locum ac sedem occuparent. Quod bellum toto decennio gestum esse, ab Heliopolitanis se accepisse testatur. Porrò Moysum copiarum magnitudine instructum, eodem in loco Urbem condidisse, Hermopolim nomine, in quâ primùm Ibim, quòd noxias hominibus animantes perimat, consecrarit. Æthiopes autem ipsos, tametsi hostes, tam propenso tamen in Moysum animo fuisse, ut ipsius quoque Circumcisionis ab eo ritum acciperent.* Narrat deinde structas ipsi jussu *Chenephris* a *Chanethote* insidias: At *Moysum* hominem stricto gladio sibi occurrentem occupasse, illumque *confodisse. E vestigio elapsum in Arabiam, ad Raguelum ejus tum Regionis Principem adhæsisse, ab eoque filiam in uxorem accepisse. Porrò cùm in Ægyptios movere Raguelus vehementer optaret, ut Moysum eò deduceret, filiæque simul ac Genero imperium assereret: Moysum, quòd Gentilibus suis metueret, ab eâ ipsum mente dimovere conatum esse quidem, sed tamen & Arabibus abstinere, & ex Ægypto prædas agere a Raguelo jussum fuisse. Interea Chenephren elephantiæ morbo mortalium omnium primum obiisse, cùm in eum incidisset, quòd Judæos, laneæ vestis usu prohibito, sindones jussisset induere, quò faciliùs in eos hoc a cæteris cultu distinctos sævire posset. At Moysum Gentis suæ miserias apud Deum assiduè deprecantem, eo demum tempore Numen propitium habuisse, ac repente succensum e terrâ ignem erupisse, ait, qui, tametsi locus ab omni ligno aliâque materiâ igni pascendo aptâ vacuus esset, ardere tamen non desineret. Quo prodigio Moysum, cùm exterritus fugeret, voce divinitus immissâ admonitum esse, ut in Ægyptum expeditione susceptâ Judæos liberaret, ac pristinam in patriam aliquando reduceret. Itaque confirmato animo bellum Ægyptiis inferre statuisse, sic tamen ut Aaronem fratrem ante omnia conveniret, cujus adventu nunciato, Ægyptium Regem ex eo, quem ad se confestim evocaverat, quæsiisse, Quorsum illuc venisset? Ipsum autem orbis universi Moderatoris jussu ac nomine Regi denuntiasse, utì Judæos liberos securosque dimitteret. Quamobrem, cùm in carcerem ab eo conjectus esset, noctu portas omnes carceris sponte patuisse, custodesque partim repentino sublatos interitu, partim alto somno solutos, fractis passim armis jacuisse. Moysum e vestigio sese in Regiam, patefactis etiam ultro januis intulisse, ac Præsidiariis Militibus profundo quoque somno sepultis, Regem excitasse, qui facti novitatem primùm quidem obstupuerit, mox tamen quasi ludos Moysum faceret, Dei a quo missus esset Nomen eum aperire jusserit: Quod ubi Moysus in aurem insinuasset, Regem illicò mutum concidisse, donec ab eodem arreptus, sibi ac vitç redderetur. Et illum quidem indicatum Nomen tabellis inscripsisse, quas postmodum obsignarit: Quemdam verò Sacerdotem, qui scripti nominis Maiestatem elevaret, repentino spasmo correptum periisse. Præterea cùm Rex a Moyso prodigium aliquod expeteret, eam quam manu Virgam tenebat, in serpentem subitò convertisse, omnibusque stupentibus, arreptâ caudâ priorem ei rursus Virga formam reddidisse. Paulò post Nilum eâdem Virgâ percussum, intumescentibus undis Ægyptum universam proluisse; ex eoque tempore statis deinceps vicibus in agros sese Nilum effudisse. Mox collectas, & stagnantes passim aquas efferbuisse, nec piscibus modò interitum, sed exitialem quoque hominibus sitim attulisse. Itaque Regem tot prodigiis territum, sese post Mensem Judæos dimissurum spopondisse, si pristinus flumini status a Moyso redderetur: Illum aquam denuo Virgâ tetigisse, eodemque momento insolentem ejus impetum constitisse. Hic verò Regem evocatis qui trans Memphim incolebant Sacerdotibus, necem omnibus interminatum, nisi similia ipsi quoque prodigia ostenderent. Eos præstigiis*

*giis & cantionibus quibusdam repente draconis speciem objecisse, ac fluminis colorem immutasse; quo facto elatiorem ac tumidiorem quàm antea Regem, omni pœnarum ac suppliciorum genere postmodum Judæos vexasse. Quod ubi Moysus videret cùm alia pleraque ab eo miracula edita esse, tum ex terrâ quam Virgâ percusserat, genus quoddam alati animantis extitisse, quod Ægyptios pessimè vexaret, omniumque corporibus fœdum morsibus punctionibusque suis ulcus inureret. Cui morbo cùm nullum Medici remedium invenirent, Judæos aliquantulum denuò respirasse. Moysum verò ejusdem Virgæ contactu ranas præterea, locustas, ac culices excitasse, quæ quidem in causâ fuerint, quamobrem singulis in Templis Virgam Ægyptii consecrarint, eâdemque omnino quâ ipsammet Isin religione coluerint. Isin quippe Terram esse rati, quæ Virgâ percussa, tot miraculorum formas exclusisset. At furente nihilominus Rege Moysum ad grandinis calamitatem nocturnos terræ motus addidisse, ut qui sese motui subducere conarentur, grandine afflicti contusique perirent: Qui autem grandinis impetum declinarent, terræ quassatione interirent. Ac domos quidem universas Fanaque tum plurima corruisse: Regem verò tot malis cladibusque fractum, Judæos serò licet, aliquando tamen dimisisse.* Hæc ex *Artapano* refert *Eusebius* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.27.

*Hominis Ægyptii eadem a Mose.*

IV. *Demetrius*, (referente *Eusebio* cap.29. ejusdem Libri) *& hominis Ægyptii eadem, & susceptæ a Mose cum eo a quo facti sugillatus est, altercationis exitum eumdem in modum, quo Sacra Historia commemorat.* Vixit autem *Demetrius* ille inter *Ptolemæos Philopatora* & *Lathurum*.

*Mosis Miracula Numenii Philosophi Pythagorici testimonio confirmata.*

V. *Numenius* Philosophus Pythagoricus Lib.3. *De Bono*, cùm editorum a *Mose* miraculorum, tum divini erga ipsum amoris consignatam fidem ac testatam reliquit. *Deinceps verò*, inquit *Jannes & Jambres, Scribæ rerum sacrarum Ægyptii, quo tempore Ægypti finibus ejecti Judæi sunt, claruere viri omnium judicio rerum magicarum scientiâ nemini concedentes. Quippe ambo quidem communi Ægyptiorum consensu delecti sunt, qui Musæo Duci Judæorum, cujus apud Deum potentissimæ preces erant, sese opponerent; adeòque gravissimas quasque calamitates a Musæo in Ægyptum invectas omnium in oculis dissolvere ac dissipare, potuerunt.* Refert *Eusebius* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.8.

*Plinii & Apuleji in Mosen calumnia.*

VI. *Plinius* Lib.30. cap.1. *Mosem Magicæ* cujusdam *factionis* auctorem fuisse mentitur: Eumdemque inter famosos Magos celebrat *Apulejus Apolog.2.* inde occasionem nacti, quòd *Moses* totam prodigiis suis ac mirificâ vi conturbaverit Ægyptum, & *Jannis*, ac *Mambris* incantamenta retuderit.

*Jannis ac Jambris Magorum Pharaonis sepulcrum.*

VII. In *Palladii Lausiacis*, cap.20. narratur *Macarius* in vastâ solitudine *Jannis* & *Jambris* fratrum, qui propter magicæ artis peritiam apud *Pharaonem* primo loco erant, sepulcrum in horto visitasse. *Optavit*, inquit, *aliquando in sepulcrum ingredi, quod in horto habebant Jannes & Jambres sub Pharaone Magi, ut videret, & occurreret dæmonibus, qui illic sunt. Dicebantur enim infamis illorum artis vi locum illum esse sortiti multi & molesti dæmones. Factumque fuerat hoc hortense sepulcrum ab illis ipsis fratribus Janne & Jambre, qui propter magicæ artis præstantiam tum temporis apud Pharaonem primas tenebant.*

---

## CAPUT III.

### Quod tertiæ Mundi Ætatis Exoticam Historiam complectitur.

*Ægyptiorum Reges.*

I. HAc Ætate varia Ægypti Regna in unam coaluisse Monarchiam videntur. Thinitis, Memphitis, ac Thebanis imperavit *Nitocris*, cujus nomen ex interpretatione *Eratosthenis* est *Minerva Victrix*. Dicunt hanc fratrem, quem Ægyptii regnantem interfecerant, ultam fuisse, cùm Regnum illi detulissent conjurati. Vindicatum est multis Ægyptiorum dolo absumptis. Extruxit enim illa cœnaculum subterraneum valde longum prætextu novitatis, sed aliud mente machinata, & vocatis ad convivium conjurationis consciis, discumbentibus magnum flumen per occultum canalem immisit. Ipsa autem sese conjiciens in domum cinere plenam evasit illæsa. Refert *Herodotus* Lib.2. cap.100. Regum Pastorum, & Elephantinorum Dynastiæ ab Africano descriptæ, suspectæ sunt fidei. Ad hanc Mundi ætatem pertinent Ægyptii illi Reges a Manethone celebrati, *Assis*, *Thetmosis* sive *Amosis*, *Chebron*, *Amenophis*, *Amessis* ejus soror, *Mephres*, *Mephramuthosis*, *Thmosis*, *Amenophis*, *Orus*, *Acenchres Ori filia*, *Rathotis Acenchru frater*. Eo regnante Æthiopes ab Indo flumine consurgentes juxta Ægyptum consederunt anno Mundi circiter bis millesimo trecentesimo octogesimo nono. [Ex *Eusebio* in Chronico.] Quò spectat locus ille Panegyristæ: *Dent veniam trophæa Niliaca, sub quibus Æthiops & Indus intremuit*, ut observat *Usserius* in Annalibus sacris. Hinc etiam factum ut Æthiopia, quæ sub Ægypto est, major India appelletur, teste *Joanne Potken* in Psalterio Æthiopico Romæ anno MDXIII. edito. *Rathoti* in Regnum successit *Aceneberes* ejus filius: Hunc *Aceneberes* alius excepit, post quem regnarunt *Armais*, *Ramesses*, & *Ramesses* alter *Miamum* cognominatus, qui Hebræos durissimâ servitute oppressit. Ex ejus nomine urbium altera, quas ædificare coacti sunt, *Ramesse* appellata est. Regnavit annis sexaginta sex. Hujus tyrannidis diuturnitas verbis illis *Exodi* 2. Vers.23. indicatur: *Post multum verò temporis mortuus est Rex Ægypti: & ingemiscentes filii Israël propter opera vociferati sunt.* Ipsi successit filius ejus *Amenophis*, qui tyrannidem in Hebræos pariter exercuit. Cum ipso *Moses* & *Aaron* congressi illum ad Israëlitas dimittendos tandem compulerunt.

*Mulieres jus regnandi in Ægypto habuerunt.*

II. Quod in Regum Ægyptiorum laterculo *Nitocrin*, aliasque feminas adscriptas legamus, probat regnandi jus muliebre in Ægypto receptum, adeò ut *Cæsari* verè dixerit *Cleopatra* [apud *Lucanum* Lib.10.]

*——————Non urbes prima tenebo*
*Femina Niliacas, nullo discrimine sexûs*
*Regina scit ferre Pharos.*

Jus istud ab *Isidis* exemplo deductum scribit *Diodorus Siculus* Lib.1. *Præter communem*, inquit, *aliorum hominum consuetudinem, Ægyptiis lege permissum est sorores ducere: Quod feliciter successisset Isidi, quæ nupsit Osiridi fratri, eoque mortuo juravit se nemini in complexum venturam, & eadem viri ulta, regnavit νομιμώτατα, omnibusque hominibus quamplurimùm benefecit. Has ob causas jam in more positum est, ut penes Reginam plus sit potestatis & honoris quàm penes Regem; & inter privatos in tabulis dotalitiis assignetur feminæ imperium in virum: Maritis profitentibus se per omnia uxoribus obtemperaturos.*

III. Eâ

*Ægyptiorum superstitiones, & præcipua Numina.*

III. Eâ ætate apud Ægyptios maximè viguit Ethnicismus. Ægyptiaca superstitio non vana solùm, sed insana ab aliis Gentibus habita est ob consecrationem bestiarum, de quâ *Juvenalis* Satyra 15.

> ———— *Quis nescit qualia demens*
> *Ægyptus portenta colit? Crocodilum adorat*
> *Pars hæc; illa pavet saturum serpentibus Ibin:*
> *Effigies sacri nitet aurea Cercophitheci.*
> *Illic cæruleos, hîc pisces fluminis, illic*
> *Oppida tota Canem venerantur.....*

Eò dementiæ processit superstitio, ut rebus vilissimis nulliusque pretii divinos honores tribuerent: Quam insaniam idem Poeta sugillat:

> *Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morsu.*
> *O sanctas Gentes, quibus hæc nascuntur in hortis*
> *Numina.*

De his *Minucius Felix* in Octavio: *Nonne*, inquit, *& Apim bovem eum Ægyptiis adoratis & pascitis? Nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, belluis cæteris, & avibus, & piscibus; quorum aliquem Deum si quis occiderit, etiam capite punitur. Iidem Ægyptii cum plerisque nobiscum, non magis Isidem quàm ceparum acrimonias metuunt, nec Serapidem magis quàm strepitus per pudenda corporis emissos contremiscunt.*

De causis consecrationis Animalium ab Ægyptiis, legi possunt *Diodorus Siculus*, Lib.1. Bibliothecæ Historicæ, *Plutarchus* Lib. *De Iside*, & alii. Præcipua Ægyptii Numina *Isis* & *Osiris*. *Osiridi Apis* & *Mnevis*, boves illi Heliopolitanus & Memphiticus sacri erant. Orta inde superstitio, quòd *defuncti Osiridis animam in bovem transmigrasse*, & in posteros perpetuò transfusam secundùm ejus apparitiones crederent, teste *Diodoro*. Hinc Sacerdotes docebant *Apim* censendum esse *pulcram imaginem animæ Osiridis*. Et mense Athir quo *Osiridem* periisse dicebant, bovem auratum pullâ veste byssinâ amictum ostendebant in luctu Deæ *Isidis*, ob necem *Osiridis*, ut refert Plutarchus, *De Iside*. Fertur scilicet *Isidem* Osiridis a *Typhone* occisi membra in bove ligneâ byssinis obtectâ condidisse. Unde urbs *Busiris* appellata, teste *Diodoro* Lib.1. Apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, narrat *Artapanus*, *Macherotem* Ægyptium a *Mose* quærentem, Ecquid hominibus valde esset utile? Boum genus respondisse, qui terram arant. *Chenephrem* itaque Ægypti Regem taurum nominasse *Apim*, eique Templum extrui jussisse.

*Moses ab Ægyptiis sub Osiridis personâ, vel etiam sub Apidis & Mnevis nominibus non est consecratus.*

*Mosem* ab Ægyptiis sub *Osiridis* personâ, vel etiam sub *Apidis* & *Mnevis* nominibus consecratum & pro Deo habitum, Viro Erudito non assentior; siquidem *Moysi* coæva aut etiam *Mose* antiquior est Ægyptiaca illa superstitio, ad cujus scilicet exemplum Vitulum aureum in Horeb Israëlitæ adoraverunt, & choreas inconditas agitarunt, ut *Philo* testatur in *Vitâ Mosis*. Quod etiam a *S. Hieronymo* observatum est Commentario in *Osee* cap.4. scribente: *Videtur mihi idcirco & populus Israël in solitudine fecisse sibi caput Vituli quod coleret, & Hieroboam filius Nabath Vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant*, Ατην και μνε ιν, *qui sub figurâ Boum coluntur, esse Deos; hoc in suâ superstitione servarent*. Caput vituli, vel bovis, pro vitulo vel bove τεριφρατικως, dixerunt post *Tertullianum*, *Lactantius*, *Optatus Milevitanus*, *S. Hieronymus*, & alii. Præterea brutorum cultum apud Ægyptios jam olim obtinuisse, & antequam Israëlitæ Ægypto excederent usurpari cœpisse, colligitur ex cap.8. Exodi, ubi cùm Pharao *Mosi* & *Aaroni* diceret: *Ite & sacrificate Deo vestro in Terrâ hac*: Respondit Moses, *Non potest ita fieri: Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quòd si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent.* Abominationem Ægyptiorum, id est, boves & oves, quibus ad abominandam idololatriam abutuntur. Gentium enim Idola *abominationes* appellant sacri Scriptores, *Deuteronomii* 7. Vers.25. & 12. Vers.30. 31. 4. *Regum* 23. Vers.13. *Esdræ* 9. Vers.1. *Isaiæ* 44. Vers.19. Vel, *Abominationem Ægyptiorum*, id est, sacrificium quod Ægyptiis erit abominationi, nequaquam permissuris ut ea immolemus animalia, quæ ipsi colunt. Tertiò, *Philonis Judæi*, *S. Hieronymi*, & aliorum Patrum observatio nititur auctoritate S. Protomartyris *Stephani* Actuum 7. Vers.39. dicentis: *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron, Fac nobis Deos qui præcedant nos; & Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum.*

*Joseph hus sub symbolo bovis non est ab Ægyptiis consecratus.*

Alii fortè verisimiliùs *Apidis* ac *Serapidis* cultum ad *Josephum* retulerunt, quem Ægyptii sub symbolo bovis consecrarint multis de causis. 1. Quia *Deuteronomii* 33. Vers.17. *Josephus* bos vocatur, aut certè cum bove confertur ab ipso Mose: *Quasi primogeniti tauri pulcritudo ejus*. 2. Propter interpretationem somnii *Pharaonis* de septem vaccis pinguibus, quas devoraverant vaccæ aliæ totidem aspectu fœdæ & macie confectæ. 3. Quia cùm *Josephus* tempore famis Ægyptiis optimè prospexerit, non potuit ullo aptiore quàm bovis symbolo hoc beneficium exprimi; cùm annonæ ratio tota ex agriculturâ pendeat, in quâ bos homini laboris socius, tanquam *Cereris* minister, ut Veteres illum indigitant. 4. Cùm Hebræis *Ab* Patrem, *Sor* bovem, & *Sar* Principem significet; inde Josephus *Apis*, id est, *Pater* dici potuit, cùm vocetur *Pater Pharaonis* Genesis 45. Vers.8. item Σαραπις, *Princeps Pater*, cùm præfuerit toti Ægypto, aut Σ' ωατις, *bos pater*, propter causas jam allatas. Suffragatur *Julius Firmicus* Lib. *De errore profanarum Religionum*, cap.14. ubi de *Josepho* sic loquitur. *Huic post mortem Ægyptii patria suæ Gentis instituto Templa fecerunt. Et ut justam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modio esurientibus, & ementibus frumenta diviserat, capiti is superpositus est. Nomen etiam ut sanctiùs coleretur, ex primo Auctore generis accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, Sarapis dictus est Græco sermone, hoc est*, Σαρας απο. Suffragatur & *Ruffinus* Lib.2. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap.23. ubi postquam præmisit *Serapin* modium habuisse capiti superimpositum: *Quidam*, inquit, *in honorem nostri Joseph formatum perhibent simulacrum, ob divisionem frumenti, quâ famis tempore subvenit Ægyptiis.* Auctor Librorum *De Mirabilibus Scripturæ Sacræ*, apud *S. Augustinum* Lib.1. cap.15. *Bovis*, inquit, *simulacrum juxta sepulcrum Joseph statuerunt, eo quòd bos viro in agriculturâ cooperatur. Quâ etiam causâ filii Israël, cùm in deserto Idolum adorare vellent, non aliam aliquam statuam quàm vitulum, id est, bovem fecerunt, hac vel maximè causâ, quòd ipse in Ægypto juxta sepulcrum Joseph adoraretur.* Denique *Suidas* in Σαραπις: *Illum quidam Jovem esse dixerunt, alii Nilum, quia modium habet in capite... Alii Josephum.* Porrò *Sarapis* idem qui *Apis*, si *Nymphodoro Amphipolitæ* credimus, cujus verba refert *Clemens Alexandrinus* Lib.1. *Stromatum*, & ex eo *Eusebius* Lib.10. *Præparationis Evangelicæ* cap.12. *Quin etiam*, inquit, *Apis Rex Argivorum, ut scribit Aristippus Lib. Arcadicarum Historiarum primo, Memphim condidit; quem eumdem Aristeas Argivus Sarapin nominatum, atque illum ipsum esse testatur quem colunt Ægyptii. At Nymphodorus Amphipolitanus Lib. De Moribus Asiæ 3. Apim illum Taurum quemdam fuisse*

*si ait, quem post mortem sale maceratum, atque in ejus Dæmonis Templo, cujus præcipuus apud eos cultus erat, σορῷ, hoc est loculo conditum, Soroapin inde primò, tum Sarapin nominarint. Apis autem ab Inacho tertius extitit.* At his reclamant Viri inter recentiores Eruditi; tum quòd Serapidis cultus inter Ægyptios non ita vetustus fuerit, ut probat *Herodoti* silentium, qui de Diis Ægyptiorum tam multa scripsit, & aliorum Auctorum qui ante *Alexandri Magni* tempora floruerunt; aliaque non spernenda momenta, quæ apud *Bochartum* Lib. 2. *Hierozoici*, cap. 34. legi possunt; maximè verò quòd *Tacitus* Lib. 4. *Historiæ* testetur *Serapin* ignotum fuisse Ægyptiorum Sacerdotibus Deum, antequàm *Sinope* Ponti urbe *Alexandriam* adveheretur, *Ptolemæo Lago* regnante: Tum quòd verisimile non sit *Josepho* mortuo divinos honores ab Ægyptiis exhibitos, siquidem *Moses* testatur, post mortem *Josephi* Regem alium surrexisse, qui *Josephum* non noverat, id est qui nullâ ejus, nec fratrum & posterorum habitâ ratione gravissimam in eos tyrannidem exercuit. Huic Regi alium successisse Israëlitis æquè infensum, quem in Populi sui gratiam Deus gravibus plagis afflixit, & tandem in Mari Rubro cum omnibus copiis suis demersit.

*Apidis* & *Serapidis* cultum inde nihilominus *S. Augustinus* arcessit, unde *Nymphodorus Amphipolita* supra laudatus; eumque secuti *Clemens Alexandrinus* & *Eusebius*, & Ægyptiacam illam superstitionem refert ad *Josephi* tempora. En ejus verba ex Lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 5. deprompta. *His temporibus, Rex Argivorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus. Nominis autem hujus, cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit. Quia enim Arca in quâ mortuus ponitur, σορος dicitur Græcè; & ibi eum venerari sepultum cœperant, priùsquàm Templum ejus esset extructum, velut Soros & Apis, Sorapis primò, deinde una literâ, ut fieri adsolet, commutatâ, Serapis dictus est. Et constitutum est etiam de illo, ut quisquis eum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam. Et quoniam ferè in omnibus Templis ubi colebantur Isis, & Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret; hoc significare idem Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur. Ille autem bos, quem mirabili vanitate deceptâ Ægyptus in ejus honorem deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago vivum venerabantur, Apis non Serapis vocabatur. Quo bove mortuo, quoniam quærebatur & reperiebatur vitulus coloris ejusdem, hoc est; albis quibusdam maculis similiter insignitus, mirum quidam & divinitùs sibi procuratum esse credebant. Non enim magnum erat Dæmonibus ad eos decipiendos phantasiam talis tauri, quam sola cerneret, ostentare vaccæ concipienti atque prægnanti, unde libido matris adtraheret, quod in ejus fœtu jam corporaliter appareret: sicut Jacob de virgis variatis, ut oves & capræ variæ nascerentur, effecit. Quod enim homines coloribus & corporibus veris, hoc Dæmones figuris fictis facillimè possunt animalibus concipientibus exhibere.*

*Hircus Mendesius.* Sicut Memphi & Heliopoli boves, ita Mendete, quæ Urbs est τȣ *Delta*, ad Mendesium Nili alveum posita, quæ Nomo Mendesio nomen dedit, colebatur Hircus, seu *Pan* sub hirci formâ, ut testantur *Herodotus* Lib. 2. cap. 46. *Diodorus* Lib. 1. *Strabo* Lib. 17. *Plutarchus in Iside*, *Stephanus*, *Suidas*, *Phavorinus*, *Nonnus*, & *Elias Cretensis in Orationem* 4. *S. Gregorii Nazianzeni*. Nempe μενδης, unde oppido & Nomo impositum nomen est, Ægyptiacè hircum sonat. Proinde *Pan* quoque *Mendes* dictus est. Et in ejus honorem ab hircis & capris abstinebant, ut scribunt *Herodotus* *Nonnus*, *Suidas*, & alii. Quò hæc Poetæ pertinent.

——— *Nefas illic fœtum jugulare capellæ.* *Juvenal. Satyr. 15.*

De salacissimi animalis superstitioso cultu, fœdissimisque libidinibus quibus se mulieres Ægyptiæ velut ex religione contaminabant, *Herodotus*, Lib. 2. cap. 46. *Pindarus*, *Strabo* Lib. 17. *Ælianus* Historiæ Lib. 7. cap. 19. & *Plutarchus* in Libro *Quòd bruta ratione utantur*, ea scribunt quæ horrorem moveant: Nimirum præstantissimâ formâ Mulieres illius hirci libidini substernere solitos Ægyptios, & bestiam lege naturæ ab eo concubitu abhorrentem instigare. Quamobrem mirum est, quòd *Plutarchus* ipse scripserit religiosa Ægyptiorum scita, *Nihil, a ratione alienum, aut fabulosum, aut a superstitione profectum continere.*

*Refellitur Plutarchus Ægyptiacæ superstitionis vindex.* Sed *Plutarcho* adversatur Gentium omnium præjudicium, quibus nihil dementius Ægyptiorum superstitionibus visum est, de quibus *Cicero* Lib. De naturâ Deorum: *Cum Poetarum autem errore conjungere licet portenta Magorum, Ægyptiorumque in eodem genere dementiam.* Unde factum est, ut Romani nonnisi serò, & cum indignatione Sapientiorum Ægyptiaca Sacra in Urbem admiserint, quod necdum *Augusto* imperante factum fuerat, ut observat *Servius* ad illud *Virgilii*.

——— *Omnigenumque Deûm monstra.*

*Persius* Lib. 2. *Elegiâ* 33. *Isidem* in Urbem receptam conqueritur.

*An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?*
*Cur tibi tam longâ Roma petita viâ est?*

Ejusdem *Isidis* Sacerdotes *Sacrificulos vanæ superstitionis* appellat *Suetonius* in *Domitiano*. Idem *Tiberium* laudat, quòd *Externas ceremonias, Ægyptiosque Ritus compescuit, coactis, qui superstitione eâ tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere.* Sed nec ipse *Plutarchus* dissimulat Ægyptios Religionem suam ridiculam fecisse, eamque ita comparasse, ut alios in superstitionem trahat, alios in impietatem præcipitet. *Sed Ægytiorum plerique colentes ipsa animalia, & tractantes tanquam Deos, non sannis modo, & irrisioni totam penè sacrorum objecerunt rationem (hoc enim a stultitiâ illâ malum provenit minimum) sed & vehemens ingeneratur animis opinio, quæ infirmis atque simplicibus meram inducit superstitionem; vehementiores autem atque audaciores ad negandum Deos, belluinasque cogitationes propellit.* Ægyptiorum Theologiæ epitomen ex *Diodoro Siculo* exhibet *Eusebius* Libro 2. *Præparationis Evangelicæ*, cap. 1. omnibusque eorum fabulis recensitis, ac fœdæ superstitionis descriptis ritibus, ita concludit: *Hæc illa est Ægyptiorum Divinitatis omnis ejectio potiùs quàm Theologia, eò usque infamis certè quidem, ut vel eam argumentis oppugnare turpe videatur.* De Allegoricâ eorumdem Ægyptiorum Theologiâ differit *Eusebius* cap. 3. ejusdem Libri, ostenditque eos, quos sub nominibus Solis, Lunæ, Ignis, Aëris, Oceani, Deos venerantur, mortales homines fuisse, ex *Diodoro Siculo* & *Plutarcho*; ac demum ita colligit: *Mortuorum ergo fuit tota illa Numinum apud istos consecratio; quicquid autem Phisiologiæ est, hoc iidem postea confinxere. Nam quid attinebat in virorum ac mulierum effigiem simulacra configurare, cùm sine illis Solem ipsum, Lunam, ac reliqua hujus Universi elementa colere ac venerari liceret? Jam utris porrò ex istis, & a quibus auspicati, ejusmodi cognomenta tribuere? Vulcani, inquam, & Minervæ, Jovis, Neptuni, atque Junonis? Utrùm ista primùm fuere hujus Mundi elementorum nomina, quæ deinde mortalibus, ad aliquam inter eos cælestesque Deos appellationis communionem imposuerint? An potiùs*

tiùs

*tius ad communes illas naturas hominum ipsorum nomina traduxere? Quorsum verò mortalibus hisce appellationibus Universi naturas nuncupare? Quid autem singulorum Deorum Mysteria? Quid hymni & carmina? Quid initiorum arcani Ritus? Mundi ne elementorum, an priscorum mortalium eodem cum Diis nomine praditorum invecta fuere symbola? Nam errores quidem, ebriosas perpotationes, amores, mulierum oppressiones, virorum insidias, & hujusmodi sexcenta in mortem utique vergentia, & summâ cum turpitudine & indignitate conjuncta, quis communibus Mundi elementis attribuat, cùm prasertim ipsa per sese mortalis natura mores, ipsasque hominum cupiditates exhibeant? Ut profectò his omnibus argumentis, egregiam istam mirabilemque Physiologiam nihil usquam attigisse veritatis, nihil quod Divinitatem sapiat, invexisse, sed coactitiam potiùs & ementitam sibi honestioris explicationis speciem aliunde mendicatam obtendisse, manifestò teneamus.*

Cap. 4. ostendit *Eusebius* ex *Charemone*, & ex *Porphyrio* in Epistolâ ad *Anebonem Ægyptium*, Ænigmaticam illam Ægyptiorum Theologiam alios præter Solem, Lunam, & reliqua Sydera, atque elementa Deos non agnovisse. Unde sequitur, ne arcanam quidem Ægyptiorum Theologiam præter naturæ corpora ullos in numero Deorum collocasse, *Imò nec corporis expertem aliquem hujus universitatis Architectum statuisse, nec rationi effectrici, nec Deo, Diisque ullis, aut intelligentibus quibusdam ac sub oculos minimè cadentibus Naturis, sed uni duntaxat aspectabili Soli ejus molitionem tribuisse. Itaque solis Astris rerum universarum causam assignarunt, ex fati necessitate, Syderumque motu & agitatione cuncta suspendentes* (inquit *Eusebius*). De Ægyptiorum religione, Numinibus, Ritibus, Oraculis legi possunt *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Plutarchus*, *&c.*

*Ægyptiorum mores.* IV. Tam heterocliti Ægyptiorum mores quàm absurda & ridicula Religio. Pauca hæc ex *Herodoto* Lib. 2. velut specimen accipe. *Apud hos feminæ quidem negotiantur, cauponanturque, & institoriis operis vacant: viri autem intra domos texunt. Onera viri capitibus, femina humeris bajulant. Femina stantes mingunt: viri sedentes. Domi ventrem exoneran; foris in viis comedunt: reddentes rationem, qua sunt turpia, sed necessaria, ea in occulto fieri debere: palam verò qua non sunt turpia. Alendi parentes filiis, nulla nolentibus: filiabus etiamsi nolint, summa necessitas. Deorum Sacerdotes alibi comati sunt: in Ægypto derasi. Apud alios ritus est, statim in funere proximi capita deglabrare: Ægyptii in funeribus sinunt crines capitis augescere, barbam tamen tondent. Apud cateros mortales victus a ferarum secretus est consortio: Ægyptii cum feris vescuntur. Alii frumento atque hordeo victitant: Ægyptiis victitare iis qua ex his facta sunt, maximo probro est, sed cibis e farre confectis, quod quidam siliginem appellant. Conspersionem pedibus, lutum manibus subigunt. Virilia alii talia relinquunt, qualia naturâ sunt, prater eos qui ab istis didicerunt: Ægyptii circumcidunt. Viri binas vestes habent, femina singulas: Graci literas scribunt, & calculis computant a sinistro in dextrum manum ferentes: Ægyptii a dextro in sinistrum: & hoc facientes, ajunt se in dextrum, Gracos facere in sinistrum. Literis bifariis utuntur, quarum unas sacras vocant, populares alteras, &c.* Mos eorum qui circa frumentariam Ægypti partem habitabant, in conviviis, singularis quidem, sed non adeò absonus erat, immò ad vitam rectè instituendam ex jugi mortis memoriâ referri aliquatenùs potest. *Apud locupletes* (inquit Herodotus) *cùm multi convenerunt, & a cœnâ discessum est, circumfert aliquis in loculo Mortuum e ligno factum, sed picturâ & opere verum maximè imitantem, longitudine cubitali omninò aut bicubitali, ostendensque singulis convivarum, ait: In hunc intuens pota & oblectare, talis post mortem futurus.*

V. Si ex Religione æstimentur Ægyptii, omnium hominum amentissimi: Si ex Politicâ, sapientissimi habebuntur. De quorum Politicis Institutis hæc *Diodorus Siculus* ex Ægyptiorum Sacerdotum Commentariis excerpsit. *Primi* (inquit) *Ægyptiorum Reges non pro caterorum instituto Monarcharum vitam agebant, ut omnia scilicet ad suum arbitrium nullis obnoxii censuris moderarentur: sed universa non modò publicè gerenda, sed & quotidiana vita regimen, & victûs ratio, ad Legum normam conformata erant. Quippe ad ministeria ipsorum nullus adhibebatur servus, neque emptitius, neque verna, sed nobilissimorum tantùm Sacerdotum filii viginti annos egressi, & pra ejusdem gentis hominibus cateris optimè instituti: ut, si curatores corporis & familiares optimos nocte dieque secum Rex haberet, nihil pravum aut vituperatione dignum committeret. Hora tam noctis quàm diei prafinita erant, quibus Regem non sibi placita, sed Legibus statuta omnimodè agere oportebat. Sub auroram experrecto Litera undecumque scripta omnium primò acceptanda erant, ut omnia rectiùs moderari posset, si exactè singula Regni negotia comperta haberet. Tum lotus, & Regni Insignibus, splendidâque trabeâ ornatus, Diis sacrificatum ibat. Adductis tum ad Aram victimis, mos erat Principem Sacerdotum Regi adstantem magnâ voce in confertâ Ægyptiorum coronâ preces enuntiare: Ut Dii sanitatem cum bonis cateris omnibus Regi, jus & aquum erga inferiores tuenti largiantur. Singula etiam Regis virtutes deprædicanda tumerant. Quòd videlicet piam erga Deos, & mitissimam erga homines affectionem gerat, ut qui sit continens, justus, magnanimus, alienus a mendacio, benignus bonorum communicator, & tandem omnis concupiscentia victor; qui minores delictorum meritis pœnas irroget; & ampliorem beneficio gratiam rependat bene meritis. Hac multaque alia his affinia ubi peroravit Antistes, ignorantia ad extremum peccata exsecratur, Regem quidem culpâ eximens, sed & noxam, & pœnas in malorum Ministros & Doctores malorum retorquens. Quod ideo peragebat, simul ut ad metum Numinis, & vitam Diis gratam Regem exhortaretur; simul ut non admonitionis acerbitate, sed laudum illecebris virtuti maximè congruis, ad vita modestiam illum assuefaceret. Post hac cùm extis victima inspectis Rex perlitasset, a sacris Libellis Sacerdos, consulta quadam & facta Clarissimorum Virorum ad vitam conducentia e Commentariis sacris pralegebat, ut Princeps Reipublica honestissimorum consiliorum rationes animo consideratas, ad prascriptam singulorum administrationem simili modo accommodaret. Non enim agendi ad populum, & judicia obeundi tantummodo, sed etiam deambulandi, & cum uxore dormiendi, omniumque adeo per vitam agendorum, tempus definitum erat. Simplici praterea nutrimento uti; & vitulorum anserumque carnibus vesci; & certam bibere vini mensuram, qua nec ad repletionem immodicam, nec ad ebrietatem faceret, in more habebant. Mirum sanè atque insolens, quotidiani potestatem cibi non esse integram Regi; sed multò admirabilius, quòd nec judicare, nec quidvis agere, nec punire quemquam ex petulantiâ, aut irâ, aliâve injustâ causâ, contra quam de singulis sancita Leges jubebant, ipsis liceret.* — *Ægyptiorum Politia.* — *Regia vita ratio.*

*Ægyptii Sacerdotes.* Tota Ægyptus in tres Regiones, divisa erat [Græcè νομοὶ appellabantur]. Suus cuique Regioni Nomarcha seu Præfectus, penes quem rerum omnium administratio. Primam sibi *Sacerdotum* ordo vendicabat, *in magnâ apud indigenas auctoritate* & reverentiâ constitutus, tum ob pietatem in Deos, tum quòd summam ex eruditione prudentiam ad Rempublicam afferrent. Ex vectigalibus au-

autem suis cuncta per Ægyptum Sacrificia procurabant, invigilantes ne quid in cultu Deorum mutaretur. Ut *Senatûs Principes* Regi perpetuò præsto erant, *quâ operâ, quâ consilio & doctrinâ ipsum adjuvantes. A cunctis oneribus immunes* erant, & *primas a Rege honoris & potestatis* obtinebant. Secunda Terræ portio cessit Regibus *ad vectigalia*, unde in usus bellorum impendebant, & splendorem suum conservabant. Spectatæ quoque virtutis viros dignis prosequebantur muneribus: & quia affatim eis suppetebat, *tributis plebem demergere* nefas ducebant. Pars ultima tenebatur a Militibus, ut per liberalem hanc agrorum attributionem summâ patriæ benevolentiâ devincti, promptissimè bellorum discrimina exciperent.

*Judiciorum apud Ægyptios administratio.*

VII. Magna erat apud Ægyptios judiciorum accuratio & integritas. Nam ex Urbe Solis, & Thebis, & Memphi *denos Judices* eligebant. Congressi hi 30. viri, *unum ex Collegio*, & quidem *optimum*, Præsidem judiciorum creabant, in cujus locum Urbs alium submittebat Judicem. *Stipendia in victum & alias res necessarias, a Rege Judicibus præbebantur, sed Prætori multò ampliùs. Gestabat is in Collo ex aureâ catenâ dependens e lapillis pretiosissimis simulacrum, cui* VERITAS *nomen. Hoc a Judiciorum Principe assumptum, disceptandi lites auspicium erat.* Tum 19. Codicibus, quibus universæ Leges continebantur, apud Judices depositis, mos fuit ut *Actor singulatim scripto exhiberet. & crimen, & facti modum, & damni illati æstimationem.* Reus contrà post acceptum ab adversario criminationis libellum, ad singula scriptum opponere, *Se vel non fecisse, vel faciendo non deliquisse, vel delinquendo minus pœnæ commeruisse.* Tum Accusator scripto replicare, defensor responsionem duplicare. Postquam bis ita libellos Judicibus exhibuerant litigantes, tandem sententias inter se dicendi 30. viris. Prætori veritatis effigiem alteri litigantium parti applicandi officium incumbebat. Hoc modo cuncta judicia peragebant, rejectis Causi dicis, quorum oratione *Multum Juri caliginis offundi* arbitrabantur. *In perjuros capitis pœna sancita fuit; ut qui duo maxima committerent flagitia; quòd & pietatem in Deos violarent, & fidem maximum humanæ societatis firmamentum everterent.*

*Ægyptiorum leges pœnales.*

*Si quis in viâ hominem interfici, aut quamlibet vim sustinere videns, cùm posset, non vindicasset, capitali supplicio obnoxius erat. Sin quis revera opem ferre per infirmitatem non potuisset, indicare tamen latrones, & actione scelus persequi tenebatur. Hoc negligenti plaga certo numero inflicta, & triduo cibis interdictum.*

*Calumniosi Accusatores statutam falsò delatis pœnam subibant, si postmodum ejus condemnati essent.*

*Mentitus, aut injustum agitans quæstum, mortis pœnam incurrebat.* Quam Legem *Solon* a peregrinatione in Ægyptum Athenas traduxisse fertur.

*Qui sponte liberum hominem, aut etiam servum necasset, ei Leges capitis supplicium irrogabant;* utpote quæ non fortunæ conditione, sed factorum consiliis, a sceleribus prohiberi cunctos vellent, & hac erga servos curâ homines docerent, ingenuos multò minùs injuriis afficiendos. *Parentibus liberorum interfectio non capitalis erat; Sed tres dies atque noctes in complexu occisi perdurare, custodiâ assidente publicâ, cogebantur. Pragnantes ad mortem damnatas, ante partum non interimebant.*

Militiæ *desertoribus*, aut Ducum jussa in bello non exsequentibus, *non mortis, sed infamiæ extrema pœna* decernebatur. Qui si postea ignominiam strenuitate abolerent, in pristinam libertatem ac fiduciam restituebantur.

*Qui hostibus secreta enuntiarent, his linguam exsecari Lex mandabat. Illis, qui monetam adulterarent, aut nova substituerent pondera, aut sigilla transculperent: Scribis etiam qui tabulas falsas concinnarent, vel de relatis in tabulas publicas quippiam demerent; aut syngraphas ementitas obtruderent utramque, manum præcidi.*

VIII. De Sexu Muliebri severas Leges habebant Ægyptii. *Qui vim ingenuæ, attulisset*, huic genitalia præcidi jubebant. *Unius enim facinoris enormitate, tria maxima flagitia, injuriam corruptelam, liberorum confusionem perpetrari* judicabant. Si persuasu adulterium esset commissum, viro millæ plagæ fustium, mulieri narium detruncatio irrogabatur. Nam *Mulieri ad vetitas libidines se exornanti, præcipua venustatis lenocinia adimenda* censebant.

IX. Leges commerciorum a *Bocchoride* latas asserebant. His sancitum erat, ut *Si quis pecuniis mutuò acceptis absque syngraphâ se debere negaret, interposito juramento a debito absolveretur.* Rationes Legis has affert *Diodorus Siculus*: Primam, Ut juris jurandi Religionem magni facientes, Deum revererentur. Secundò, Ut vitam adeò integram ducerent, ne tanquam fide indigni infamarentur. Iniquum præterea judicabant, quibus citra juramentum fides habita esset, his de eodem contractu juratis fidem denegari. *Per interventum syngraphæ fœnerantes, ultra duplum per usuram augere sortem*, Lex vetabat. *Et usuras de facultatibus dumtaxat obæratorum exigere, sed corpus in nexum ducere nullo modo concedebat.* Bona scilicet illorum arbitrabantur esse, qui vel labore comparassent, vel per donationem a possessore legitimo accepissent; sed corpora civitatibus deberi, quibus ad congrua belli pacisque munia uterentur.

*Ægyptii a Lege Naturæ in plerisque aberrabant.*

X. Sed hic ipse, qui Ægyptiorum Politica Instituta ita commendat *Diodorus*, testis est quàm turpiter a Jure ipso naturæ, & a Lege omnium hominum animis insculptâ in plerisque aberrarint, puta in matrimoniis, quæ fratres cum sororibus ex lege inibant. *Lege etiam*, inquit, *statutum fuit, ut præter communem aliorum hominum morem cum Sororibus Matrimonium ineatur, quod Isidi apud ipsos feliciter id successisset. Hac enim Orisidi germano nupsit.* Scortationem illicitam non esse censebant: *Nec quemquam filiorum pro spurio habebant, etiamsi ex ancillâ emptitiâ esset procreatus. Solum enim patrem generationis auctorem esse, matremque alimenta tantùm & locum infanti præbere arbitrabantur.* Multa furti genera non impunita solùm, sed & licita, imò verò tantùm non honorata habuere; hactenus saltem, ut pars bonorum ablatorum publicis legibus furi decerneretur. Testes sunt *A. Gellius* Lib. 11. Cap. 18. & *Diodorus Siculus* Lib. 1. *Id etiam*, inquit ille, *memini legere me in Libro Aristonis Jure consulti haud quaquam indocti viri, apud veteres Ægyptios, quod genus hominum constat & in artibus reperiendis solertes fuisse, & in cognitione rerum indagandâ sagaces, furta omnia fuisse licita & impunita.* Hic autem paulò explicatiùs: *De furibus*, inquit, *Lex quædam Ægyptiis est perquam singularis. Qui furtis operam dare volunt, nomina apud furtum Principem profitentur; & e vestigio furtum ex pacto ad eum referunt. Qui res suas amiserunt, consimiliter unumquodlibet amissorum literis consignatum exhibent, locumque ac diem & horam, quibus jacturam fecerint, adscribunt. Hoc modo rebus facilè repertis, qui fraudatur, taxatione rerum factâ, quadrantem horum persolvit, & tum sua recuperat. Cùm enim fieri non possit ut omnes a furto abstineant, viam Legislator invenit, quo tota res sublata, præter exiguum redemptionis pretium, servaretur.*

*Ægyptiorum studia.*

XI. Arithmeticæ, Geometriæ, & Astrologiæ studia colebant Ægyptii, Palestram & Musicam repu-

repudiabant. *Musicam non modò inutilem, sed & noxiam esse ut quæ virorum animos effeminet, persuasum habebant.* Ægyptiis universis præscriptum erat, ut nomina apud Magistratus profiterentur, indicantes simul quo proventu & vitæ genere victum sibi quisque compararet.

*Medici.* XII. Medicos habebant publicos, & certis legibus adstrictos, de quibus idem Diodorus: *Medici annonam ex publico accipiunt, & Medicinam ex Lege scriptâ, per multos ab antiquo Medicos Illustres concinnatam, applicant. Si Leges, quas sacri Codicis lectio tradit, secuti, ægroto sanitatem reddere nequeant, culpâ vacant, & indemnes abeunt. Sin contra præscriptum agant, capitis judicium subeunt. Nam medendi rationem longi temporis usu observatam, & ab optimis Artificibus ordinatam, paucos ingenio & solertiâ superaturos Legislator censuit.*

*Ritus funebris.* XIII. Ethicam & Civilem Ægyptiorum Disciplinam satis testatur illud Moralis vitæ Symbolum, quod in funeribus exhibere soliti erant, referente *Porphyrio* Lib.4. *De Abstinentiâ* §.10. *Cùm condiant* (inquit) *Nobiles Defunctos, alvum privatim eximunt, & in arcâ reponunt; dein inter alia quæ in Mortui gratiam faciunt, arcam ad Solem attollentes, eum invocant, uno ex Libitinariis hujusmodi Orationem habente pro Defuncto, quam Euphantus ex Linguâ Ægyptiacâ transtulit: Domine SOL, Diique omnes, qui vitam hominibus largimini, me accipite, & Diis contubernalem tradite. Ego enim Deos, quos mihi parentes commonstrarunt, piè colui, quandiu in hoc seculo vixi. Et illos, qui corpus meum genuerunt, semper honoravi: Neque aliorum hominum occidi quemquam; neque eos deposito fraudavi; nec aliud quippiam inexpiabile malum admisi. Si verò dum viverem peccavi vel edendo, vel bibendo aliquid, quod fas non erat, non per me peccavi, sed per ista; (ostendens arcam in quâ erat venter.) Atque hæc locutus, in fluvium eam conjicit; reliquum autem corpus tanquam purum condit.*

*Priscorum Ægypti Sacerdotum temperantia & continentia.* XIV. Temperare mihi non possum quin ea commemorem, quæ de priscorum Ægypti Sacerdotum temperantiâ & continentiâ ex *Cheramone* Stoico Philosopho refert *S. Hieronymus* Lib. 2. contra Jovinianum. *Cheramon*, inquit, *Stoicus vir eloquentissimus, narrat de vitâ antiquorum Ægypti Sacerdotum, quòd omnibus Mundi negotiis curisque postpositis, semper in Templo fuerint; & rerum naturas, causasque ac rationes Syderum contemplati sint; nunquam mulieribus se miscuerint: nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint; ex eo tempore quo cœpissent divino cultui deservire, carnibus & vino semper abstinuerint, propter tenuitatem sensûs, vertiginem capitis, quam ex pravo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis, & ex hac potione nascuntur. Pane rarò vescebantur, ne onerarent stomachum; & si quando comedebant, tusum pariter hyssopum sumebant in cibo, ut escam graviorem illius calore decoquerent; oleum tantùm in oleribus noverant, verùm & ipsum parum, propter nauseam & asperitatem gustûs leniendam ... Quid loquar, inquit, de volatilibus, cùm ovum quoque pro carnibus vitaverint, & lac? Quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum, quas Bajas vocant, contextum erat; scabellum acclive, & ex unâ parte obliquum, in terrâ pro pulvillo capiti supponebant, bidui triduique inediam sustinentes. Humores corporis, qui nascuntur ex otio, & ex mansione unius loci, nimiâ victûs castigatione, siccabant.*

*Argivorum Reges.* XV. Argivorum Regnum in Peloponeso cœptum est *Abrahami* ætate, anno Mundi bis millesimo centesimo quadragesimo-octavo, annis mille octoginta ante primam Olympiadem; ut ex *Castore* in suo Chronico refert *Eusebius*. Primus apud eos regnavit *Inachus* annos quinquaginta. Huic successit *Phoroneus* ejus filius, qui Argivos antea dispersos & seorsim habitantes in jus civitatis compulit, teste *Pausaniâ* Lib. 2. De quo Tatianus: *Post Inachum autem*, inquit, *sub Phoroneo ferina & pastoralis hominum vita mitior & elegantior facta est.* Quamobrem Acusilaus Argivus *Phoroneum primum hominum* fuisse scripsit, ut refert *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*. Eumdemque ἀρχέγονον *Nonnus* appellat. Hunc primùm *Junoni* Aram erexisse, ideòque regnandi potestatem accepisse *Hyginus* scribit, & ex *Hygino* refert vetus *Statii* Interpres, ad illud *Thebaidos* 4. *Mitisque Phoroneus.* *Inachus.*

*Græcia sub Phoroneo Argolico Rege, Legum & Judiciorum quibusdam clarior facta est Institutis. Phegous tamen frater hujus Phoronei junior, cùm esset mortuus, ad ejus sepulcrum Templum est constitutum, in quo coleretur ut Deus, & ei boves immolarentur. Honore tanto ideo dignum putarunt, quia in Regni sui parte sacella constituerat ad colendos Deos, & docuerat observari tempora per Menses atque Annos. Hæc in eo nova mirantes rudes adhuc homines, morte obitâ Deum esse factum, sive opinati sunt, sive voluerunt. Nam & Io filia Inachi fuisse perhibetur, quæ postea Isis appellata, ut Magna Dea culta est in Ægypto; quamvis alii scribant eam ex Æthiopiâ in Ægyptum venisse Reginam, & quòd latè justèque imperaverit, eisque multa commoda & literas instituerit, hunc honorem illi habitum esse divinum, posteà quam ibi mortua est.* Ita *S. Augustinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 3.

Post *Phoroneum* regnavit *Apis* ejus filius, a quo Regio illa *Apia* vocata est in beneficii accepti memoriam, quòd illam noxiis bestiis purgasset, teste *Apollodoro* Lib. 2. & *Æschylo* in *Supplicibus*, ubi tamen ipsum advenam facit, non Regem. Unde & illum in Argivorum Regum laterculo Pausanias & *Hyginus* omittunt, at *Castor* & *Eusebius* admittunt. Excerpta *Castoris* a *Casaubono* accepit *Scaliger*, & suo Thesauro Temporum inseruit. *Apis* Thelxionis & Telchinis insidiis proditus, sine liberis mortuus est, (ex Apollodoro) *Apidi* successit *Argus* Phoronei ex filiâ Nepos, regnavitque annos 70. Argo *Criasus*, sive *Pirasus* aut *Peranthus* [In ejus enim nomine variant *Castor*, *Pausanias*, & *Hyginus*] successit. Huic *Phorbas* frater, cui *Triopas*. Hunc excipit *Jasus* in solius *Pausaniæ* laterculo. Cæterùm *Agenor* Triopæ filius cum multo equitatu invasit Argos, ut docet vetus *Homeri Scholiastes* ad *Iliad*. 3. Vers. 75. Secundùm hunc regnarunt *Crotopus* sive *Pelasgus*, a quo Pelasgi originem duxisse creduntur, qui eam Peloponesi partem, quæ pòst Arcadia dicta est, primò videntur insedisse. Unde *Pausanias* initio Arcadicôn: *Arcades primùm quidem omnium Pelasgum in hac Terrâ extitisse memorant.* Quam ab eo Πελασγίδα & Πελασγίαν vocatam observat Stephanus Lib. *De Urbibus & Populis*.

XVI. *Cecrops* Ægyptius, Saitarum coloniâ in Atticam traductâ, eodem quo *Moses natus est* anno Mundi bis millesimo quadringentesimo quadragesimo-octavo. Atheniensium Regnum condidit, annis ante primam Olymoiadem septingentis octoginta, ut ex *Castore* docet in Chronico suo *Eusebius*. Ab ejus temporibus Græcorum Antiquitates deducit Chronographus Parius a *Seldeno* inter Arundelliana Marmora editus; utpote post quem, & coævum illi Mosem. *Quæ apud Græcos Mirabilia narrantur, contigerunt; Deucalionis Diluvium, Phaëtontis incendium, Ortus Erichthonii, Proserpinæ raptus, Cereris Mysteria, Eleusiniorum institutio, Triptolemi agricultura, Europæ ab Jove raptus, Apollinis nativitas, Cadmi ad Thebanos adventus; atque iis juniores Bacchus, Minos, Perseus, Æscula-* *Regni Atheniensis initia.*

*lapius*, *Castor*, *& Pollux*, *& Hercules*, ut observat *Eusebius Praparationis Evangelica* Lib. 10. cap. 9. *Cecrops* διφυὴς *gemina natura* fuisse dicitur, corpus habens hominis simul & serpentis, quòd Barbaris Ægyptiorum moribus depositis mores magis civiles in Græciam induxerit, *Politia duplicis*, *Graca & Barbara Municeps* fuerit, ut loquitur *Diodorus Siculus* Lib. 1. & *Eustachius* Scholiis in *Dionysium* confirmat. Aliud hujus fabulæ fundamentum affert *Athenaus* Lib. 13. quòd scilicet *Cecrops primus Athenis unam feminam uni viro conjunxit; cùm antea promiscuè congrederentur, Nuptiaque essent communes*. Cecrops *primus Jovem appellavit Deum, primus Athenis Aram statuit, primus Minerva statuam posuit: & post illum tota Gracorum Numinum genealogia texitur* (inquit *Eusebius* Lib. 10. *Praparationis Evangelica* cap. 11.) Sed & *S. Epiphanius* Lib. 1. §. 5. Græcę superstitionis originem ex Ægypto arcessit. *Athenis mos a Cecrope, (ut ajunt) permansit corporis terrâ humandi, quam eùm proximi injecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur; ut sinus & gremium quasi matris mortuo tribueretur; solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epula quas inibant coronati, apud quas de Mortui laude cùm aliquid veri erat prędicatum [nam mentiri nefas habebatur,] justa confecta erant. Postea quàm (ut scribit Phalerus) sumptuosa fieri funera & lamentabilia cœpisset, Solonis Lege sublata sunt.* Refert *Cicero* Lib. 2. *De Legibus*.

*Unde Athenarum nomen.* *Ut Athena vocarentur, quod certè nomen a Minervâ est, qua Gracè Ἀθῆνα dicitur, hanc caussam Varro indicat. Cùm apparuisset illic repentè oliva arbor, & alio loco aqua erupisset, Regem prodigia ista moverunt, & misit ad Apollinem Delphicum sciscitatum quid intelligendum esset, quidve faciendum. Ille respondit, quòd olea Minervam significaret, unda Neptunum, & quòd esset in civium potestate, ex cujus nomine potiùs duorum Deorum, quorum signa illa essent, Civitas vocaretur. Isto Cecrops Oraculo accepto cives omnes utriusque sexûs (Mox enim tunc in iisdem locis erat, ut etiam feminę publicis consultationibus interessent) ad ferendum suffragium convocavit. Consultâ igitur multitudine, mares pro Neptuno, femina pro Minervâ tulere sententias, & quia una plus est inventa feminarum, Minerva vicit. Tunc & Neptunus iratus Marinis fluctibus exęstuantibus terras Atheniensium populatus est: quoniam spargere latiùs quaslibet aquas difficile damonibus non est. Cujus ut iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem Auctor ab Atheniensibus affectas esse Mulieres: ut nulla ulteriùs ferrent suffragia, ut nullus nascentium maternum nomen acciperet, ut ne quis Athenaas vocaret. Ita illa Civitas mater ac nutrix liberalium doctrinarum, & tot tantorumque Philosophorum, quâ nihil habuit Gracia clarius atque nobilius, ludificantibus dęmonibus de lite Deorum suorum, maris & femina, & de Victoriâ per feminas femina, Athenas nomen accepit: & a victo lasa, ipsam victrieis victoriam punire compulsa est, plus aquas Neptuni, quàm Minerva arma formidans. Nam in Mulieribus qua sic punita sunt, & Minervâ quę vicerat, victa est; nec adfuit suffragatricibus suis, ut suffragiorum deinceps perditâ potestate, & alienatis filiis a nominibus matrum, Athenęas saltem vocari liceret, & ejus Deę mereri vocabulum, quam viri Dei victricem fecerant ferendo suffragium.* Verba sunt *S. Augustini* Lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 9.

*Deucalionis Diluvium.* XVII. *Cecrope* regnante *Deucalion* Thessalis imperabat, quo tempore tota illa Regio Diluvio submersa est annis ante Exodum sexdecim, ante primam Olympiadem septingentis triginta septem, ut ex antiquis Chronographis *Clemens Alexandrinus* observat. De Diluvio Deucalionæo *S. Augustinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 10. hęc habet: *His temporibus, ut Varro scribit, regnante Atheniensibus Cranao Successore Cecropis, ut autem nostri Eusebius & Hieronymus, adhuc eodem Cecrope permanente, Diluvium fuit, quod appellatum est Deucalionis, eo quòd ipse regnabat in earum Terrarum partibus, ubi maximè factum est. Hoc autem Diluvium nequaquam ad Ægyptum atque ad ejus vicina pervenit.* Ad Ægyptum pervenisse hunc Cataclysmum pariter negat *Diodorus Siculus* Lib. 1. huncque circa illam maximè Græciæ partem, quæ *Hellas* antiquitus dicebatur, factum scribit *Aristoteles* Meteorologicon Lib. 1. *Orosius* Lib. 1. cap. 9. de tempore Deucalionæi Diluvii ab *Eusebio*, *S. Hieronymo*, *& S. Augustino* paululum dissentit. Scribit enim illud contigisse anno octingentesimo ante Urbem conditam, regnante Athenis *Amphictyone*, qui tertius a *Cecrope* imperavit. De *Deucalionis* Diluvio legendi *Herod.tus* Lib. 7. *Lucianus*, *De Deâ Syriâ*, *Plutarchus in Vitâ Pyrrhi*, ubi *Deucalionem* scribit post Diluvium Templum *Jovi* apud Dodonam construxisse, ibique concedisse in Molossis. *Deucalionis* Diluvium, & *Phaëtontis* incendium in idem tempus conjiciunt *Tatianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Orosius*, *Georgius Syncellus* & alii, *Platonem in Timęo* secuti. Originem fabulæ *Orosius* aperit Lib. 1. *His temporibus*, inquit *adeò jugis & gravis astus incanduit, ut Sol per devia transvectus, universum orbem non calore affecisse, sed igne torruisse dicatur.* *Deucalionem Promethei* filium faciunt *Apollonius Rhodius* Lib. 3. & *Hellanicus*, illius (inquam) *Promethei*, *Quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia Sapientię optimus Doctor fuisse perhibetur, nec tamen ostenditur qui ejus temporibus fuerint Sapientes*, (inquit *S. Augustinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, capit. 8.) Prævit *S. Augustino Eusebius* in Chronico. *Secundùm quorumdam opinionem* inquit, *his temporibus fuit Prometheus, a quo homines factos esse commemorant, & revera; cùm enim Sapiens esset, feritatem eorum & nimiam imperitiam ad humanitatem & scientiam transfigurabat.*

*Promethei* frater *Atlas*, *magnus fuisse Astrologus dicitur: unde occasionem fabula invenit, ut eum Cęlum portasse confingeret: Quamvis Mons ejus nomine nuncupetur, cujus altitudine potiùs Cęli portatio in opinionem vulgi venisse videatur*; [inquit *S. Augustinus* loco supra laudato.] *His temporibus etiam Mercurius fuisse perhibetur nepos Atlantis, ex Majâ filiâ. Multarum artium peritus claruit, quas & hominibus tradidit, quo merito eum post mortem Deum esse voluerunt, sive etiam crediderunt*, (inquit ibidem *S. Augustinus*).

*Ogygis Diluvium* XVIII. Annis ante Deucalionæum Diluvium circiter ducentis quinquaginta, alterum in Bœotiâ contigerat tempore *Ogygis*, quando *Copais Lacus obstructis in imo meatibus, auctus est usque ad Loca habitata: ita Eleusine & Athenę absorptę*, ut ait *Strabo* Lib. 9. Ab hoc Diluvio *Varro* exorsus est Librum [inquit *S. Augustinus* ibidem] *& nihil sibi, ex quo perveniat ad Res Romanas proponit antiquius. Nostri autem qui Chronica scripserunt, priùs Eusebius, pòst Hieronymus, qui utique prętedentes aliquos Historicos in hac opinione secuti sunt, post annos ampliùs quàm trecentos, jam secundo Argivorum Phoroneo Rege regnante, Ogygis Diluvium fuisse commemorant.*

*Areopagi institutio.* XIX. *Cecrope* regnante, *Areopagus* Judiciorum locus Athenis constitutus est, teste *Eusebio*, anno Mundi bis millesimo quadringentesimo nonagesimo-quinto, *Mosis* 68. Ibi *Martem* occiso *Hallirotio Neptuni* filio, qui *Alcippę* ejusdem *Martis* filię stuprum obtulerat, primum causam capitis dixisse, fabularis tradit Historia. Quâ de re legendi *Apollodorus* Lib. 3. & *Pausanias*, in *Atticis*. Hinc ille lo-

locus πάγος, id est *Collis* antea dictus, Ἄρειος πάγος id est *Collis Martius*, postea appellatus. At verisimilius est ita nuncupatum, quod ibi de cædibus, quibus *Mars* præest, Judices quæstionem haberent, ut *Suidas* & *Stephanus* observant: Quod enim de *Marte* homicidii reo, & Deorum sententiâ ibi absoluto Mythologi finxerunt, *Varro* improbat, referente *S. Augustino* Lib.17. *De Civitate Dei*, cap.10. cujus hæc sunt verba: *Attamen Marcus Varro non vult fabulosis adversus Deos fidem adhibere figmentis, ne de Majestatis eorum dignitate indignum aliquid sentiat, Et ideo nec Areopagon, ubi cum Atheniensibus Paulus Apostolus disputavit, ex quo loco Areopagitæ appellati sunt Curiales Urbis ejusdem, vult inde accepisse nomen, quòd Mars, qui Græcè Ἄρης dicitur, cùm homicidii crimine reus fieret, judicantibus duodecim Diis in in eo pago, sententiis absolutus est; quia ubi paris numeri sententiæ fuissent, præponi absolutio damnationi solebat. Sed contra istam, quæ multò est amplius celebrata, opinionem, aliam quamdam de obscurarum notitiâ literarum caussam nominis hujus conatur adstruere, ne Areopagon Athenienses de nomine Martis & pagi, quasi Martis pagum nominasse credantur; in injuriam videlicet Numinum, a quibus litigia, vel judicia existimat aliena: non minùs hoc quod de Marte dicitur, falsum esse asseverans, quàm illud quòd de tribus Deabus, Junone scilicet, & Minervâ, & Venere, quæ pro malo aureo adipiscendo, apud Judicem Paridem de pulchritudinis excellentiâ certasse narrantur, & ad placandos ludis Deos, qui delectantur seu veris, seu falsis istis criminibus suis, inter theatricos plausus cantantur atque saltantur. Hæc Varro non credit, ne Deorum naturæ, seu moribus credat incongrua.* Areopagi nomen aliunde arcessit *Æschylus Eumenid.* Vers.690. Ait scilicet locum illum πάγον Ἄρεως vocatum, quòd Amazones illum occupantes *Marti* hostias immolaverint; & primum capitis judicium ibi latum esse in causâ *Orestis*, id est, post bellum Trojanum. Contra verò *Apollodorus* ante *Orestem* Capitalia Judicia in Areopago instituta testatur. Ita enim scribit Lib.3. *Cephalus jaculo fortè occidit uxorem Procrin Erechthei filiam: & in Areopago judicatus, perpetuo exilio damnatus est.* Et *Dædalus Discipulo suo Talo, sororis filio, ex arce dejecto, condemnatus in Areopago, ad Minoëm fugit.*

# IN TERTIAM MUNDI ÆTATEM DISSERTATIONES SELECTÆ

## DISSERTATIO I.

### Unde numerandi sint Anni CCCCXXX. Peregrinationis Hebræorum, qui tertiæ Ætatis Mundi periodum constituunt.

*PROPOSITIO UNICA.*

*A promissione factâ Abrahamo Genesis XII. secundùm quam statim Charane exiens in Chananaam profectus est, ad exitum Israëlitarum ex Ægypto, anni quadringenti & triginta numerandi sunt: Quo temporis spatio definitur tertia Mundi Ætas. Quamobrem audiendi non sunt qui hunc annorum numerum ad servitutem Israëlitarum in Ægypto referunt.*

I. ISTius Assertionis fundamentum exstat firmissimum in Epistolâ *S. Pauli* ad *Galatas* cap.3. ubi a promissione factâ *Abrahamo* de benedicendis in ipso omnibus Tribubus terræ, usque ad Legem datam post Exitum Israëlitarum ex Ægypto mense tertio, ( *Exodi* 19. Vers.1. 16.) annos quadringentos & triginta numerat. *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones; & semini ejus. Non dicit: & seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: Et semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico, Testamentum confirmatum a Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Nam si ex Lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.*

II. Confirmatur auctoritate Patrum, verba Apostoli in eum sensum exponentium: *Eustathii* imprimis Anthiocheni seu alterius Auctoris, Commentario in *Hexaëmeron* versùs finem. *Manifestum itaque est*, inquit, *eos antequam externorum Terræ hæredes facti fuissent, peregrinos palasse annos quadringentos & triginta, quemadmodum & Apostolus ait*, [ *Galat*.3. ] Testamentum prædeterminatum a Deo post annos quadringentos triginta ut fructificaret promissio. *Et subdit* [ *Galat*. 3. 18. ] Abraham autem per promissionem dedit Deus. *Consentaneum itaque est, eos in Chananæâ habitasse annos* 215. *qui simul sunt* 430.

*Eusebii* in Chronico ad annum *Abrahami* 76. *Primus annus*, inquit, *repromissionis Dei ad Abraham: a quo usque ad Mosem, & egressum Gentis Hebræorum ex Ægypto, supputantur anni* 430. *quorum meminit Paulus.*

*S. Hieronymi* ad Caput 3. Epistolæ ad Galatas. *Supputandi*, inquit, *in hoc loco anni ab eo tempore quo Dominus ad Abraham locutus est, dicens:* Et in semine tuo benedicentur omnes Gentes, *usque ad Legislatorem Moysen, utrùm quadringenti triginta sint; vel quomodo in Genesi ipsi Abrahæ Dominus polliceatur, quòd post quadringentos annos de Terrâ servitutis filii ejus exituri sunt: Non enim parva res est, & a multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inventa...... Simplex autem sensus, qui in hoc loco texitur, hanc vim habet, ut doceat Apostolus, Non posse per legem, quæ postea data est, repromissiones, quæ ante factæ sunt ad Abraham, destrui, & posteriora prioribus præjudicare: cùm repromissiones ad Abraham ante quadringentos triginta annos datæ sint, quòd benedicerentur in illo universæ nationes. Legis autem observatio, quòd qui fecisset eam, viveret in eâ, post quadringentos triginta annos Moysi data sit in Monte Sina.*

*S. Augustini* Quæstione 47. in Exodum. *Illa*, inquit, *computatio, quam secutus est Eusebius in Historiâ suâ Chronicâ, perspicuâ veritate subnixa est. Ab illâ enim Promissione computat quadringentos triginta annos, quâ vocavit Deus Abraham, ut exiret de terrâ suâ in Terram Chanaan: Quia*

*&*

Galat. 3. 17. *& Apostolus cùm Abrahæ laudaret & commendaret fidem, in eâ promissione quâ Christum vult intelligi prophetatum, id est, quâ promisit Deus Abrahæ, quod benedicentur in eo omnes tribus terræ,* Hoc autem „ dico, *inquit*, quia Testamentum confirmatum „ a Deo post quadringentos & triginta annos fa„ cta Lex non infirmat ad evacuandas promissio„ nes. *Ex illâ ergo promissione quâ vocatus est Abraham, & credidit Deo, post quadringentos & triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Jacob intravit in Ægyptum.*

Et Lib. 16. *De Civitate Dei*, cap. 24. *Computantur*, inquit, *ab anno septuagesimo & quinto Abrahæ, quando ad eum facta est prima promissio, usque ad exitum Israël ex Ægypto, quadringenti & triginta anni, quorum Apostolus meminit.*

III. At objicit non nemo: Non ait Apostolus annis quadringentis triginta post promissiones dictas *Abrahamo* latam esse Legem, sed post Testamentum confirmatum a Deo. Confirmari porrò dicitur, non cùm primis veluti lineis informatur, promittitur, aut etiam primò conditur; sed cùm id quod confirmatum & conditum antea fuerat, iteratâ testatoris voluntate renovatur. Postremam verò Testamenti confirmationem, quæ priusquam Deus *Mosi* loqueretur, narratur facta Patriarchis, ea promissio est, quæ *Jacob* in Ægyptum profecturo, *Genesis* 46. Vers. 4. his verbis facta legitur: *Ego descendam tecum, & inde adducam te hue revertentem.* Quæ promissio cum eâ jungenda est, quæ immediatè præcesserat: *In gentem magnam ponam te.*

Verùm hanc objectionem retundere facile est. Loquitur enim Apostolus non de qualibet promissione, sed de promissione, quæ in omnes Gentes redundaret: *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritûs accipiamus per fidem.* [Ad *Galatas* 3. vers. 14.] Cùm itaque in promissis *Jacobo* in Ægyptum cum totâ familiâ migranti factis, ne verbum quidem appareat quod secundùm literam videri possit ad vocationem & benedictionem omnium Gentium pertinere, non intelligitur laudatus Apostoli locus de promissione factâ *Jacobo* in Ægyptum profecturo.

IV. Alterum Propositionis nostræ fundamentum habetur *Genesis* 15. Vers. 13. ubi aliquot annis post dictam promissionem, dixit Deus *Abrahamo* jam in Chananæâ habitanti: *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in Terrâ non suâ, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis.* Et *Actuum* 7. Vers. 6. *Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen ejus accola in Terrâ alienâ, & servituti eos subjicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis.* Porrò per *Terrenam non suam*, tum Chananæam, tum Ægyptum hìc designari, SS. Patres & celebriores Chronologi asserunt: & quadringentos hosce annos a primis *Isaaci* annis incipiunt, in quo benedictum *Abrahami* semen vocari cœptum est. (*Genesis* 21. 12. *Roman.* 9. 7. *Hebræor.* 11. 20.) Ita ut spatium illud totius etiam peregrinationis, non servitutis tantùm & afflictionis, (quæ extremis illius annis contigit) tempus complectatur. His enim verbis, (ut a Viris Eruditis observatum est) tria significantur, quorum unum est *peregrinatio* seminis *Abrahæ* in Terrâ non suâ, alterum *servitus*, tertium afflictio. Tempus itaque illorum quadringentorum annorum non refertur ad quodlibet illorum trium disjunctim, sed ad tria conjunctim, quòd intra spatium quadringentorum annorum tria illa complenda essent. Sensus itaque verborum illorum Dei ad Abraham; *Scito prænoscens, &c.* hic est: Semen tuum, priusquam Terram Chanaan, tibi illique promissam, possideat, quadringentos annos numerabit, quo temporis intervallo & in Terrâ alienâ peregrinabitur, & aliquandiu etiam durâ servitute affligetur.

V. Anni ergo peregrinationis Hebræorum, in duas æquales partes distribuendi sunt, & ducenti quindecim peregrinationi eorum in Terrâ Chanaan, totidem peregrinationi eorum in Terrâ Ægypti assignandi: quod non *Eusebius* solùm, & alii Christiani Chronologi, sed etiam *Josephus* Judæus, & ex Scriptoribus exoticis ante Christi tempus *Demetrius*, eumque secutus *Alexander Polyhistor* apud *Eusebium Lib.* 9. *Præparationis Evangelicæ* asserunt. *Josephi* de egressu Israëlitarum ex Ægypto agentis verba subjicio. *Reliquerunt Ægyptum Mense Xantico, Lunâ quintâ decimâ, annis quadringentis & triginta postquam sator noster Abrahamus in Chananæam venit. Post migrationem verò Jacobi in Ægyptum, annis ducentis & quindecim.*

*Alexander* verò *Polyhistor* ex *Demetrio* refert: *Ex quo electus est e Gentibus Abraham, & ex Charan in Chananaenem venit, usque ad Jacobi in Ægyptum adventum, annos fuisse ducentos quindecim.* Annis deinde septemdecim post *Jacobi* adventum in Ægyptum, *Levin* genuisse *Caathum*; *Caathum* cùm esset quadraginta annorum, genuisse *Amramum*; *Amramum* cùm septuaginta octo esset annorum genuisse *Mosem*. Qui παιδογονίας anni licèt pro libitu excogitati admitti non debeant, additi tamen annis octoginta, quos tempore Exodi *Mosem* egisse Scriptura indicat, (*Exodi* 8. Vers. 7.) numerum ducentorum quindecim annorum peregrinationis filiorum Israël in Ægypto conficiunt. Prioris verò ducentorum quindecim annorum summæ peregrinationi Hebræorum in Terrâ Chanaan attributæ, partes singulas disertè in Scripturâ Sacrâ consignatas habemus. Cùm enim septuaginta quinque annorum fuerit *Abraham* cùm ex Charane in Chananæam est profectus (*Genesis* 13. Vers. 14.) & centum cùm natus est ei Isaac (*Genesis* 16. Vers. 5.) colliguntur a profectione *Abrahami* in Terram Chananæam usque ad nativitatem *Isaaci*, anni viginti quinque. A nativitate *Isaaci*, usque ad nativitatem *Jacobi* [Genesis 15. Vers. 26.] anni sexaginta. A nativitate *Jacobi* usque ad descensum ipsius cum totâ familiâ in Ægyptum [*Genesis* 47. Vers. 9.] anni centum & triginta. Ex quibus exurgit summa ducentorum quindecim annorum.

VI. Sanè integram illam quadringentorum & triginta annorum summam ad servitutem Ægyptiacam referri citra errorem non posse, gravissimis argumentis evincitur. Primum est, quòd hìc adscriptæ generationes id minimè patiantur. Enim verò *Caath* filius *Levi* cum patre suo atque avo *Jacob* descendit in Ægyptum (*Genesis* 46. Vers. 11., *Amram* autem filius *Caath* pater fuit *Mosis* (Exodi 6.) Immo & *Jocabed* mater *Mosis* filia erat ipsius *Levi*, ipsi nata in Ægypto (*Numer.* 26. Vers. 59.) Absurdum est autem unam vel duas generationes per quadringentos & triginta annos eâ Ætate extendere. Certè *Caath* saltem anniculus fuit, quando cum patre *Levi* descendit in Ægyptum: Vixit autem *Caath* annos centum-triginta-tres. (*Exodi* 6. Vers. 18.) *Amram* filius ejus vixit annos centum-triginta-septem. (Vers. 20.) Moses verò tempore Exodi octoginta erat annorum. (*Exodi* 7. Vers. 7.) Hi anni simul collecti summam trecentorum quinquaginta annorum non superant; ex quâ tamen detrahendi sunt illi, quos filii cum patribus vixerunt, qui pauci non invenientur.

VII. Alterum momentum ex eo petitur, quòd filii Israël non semper afflicti fuerint in Ægypto. *Josepho* enim superstite non solùm ibi non servierunt, sed etiam regnarunt. Anni ergo illi quadrin-

dringenti & triginta ad solam commorationem Israëlitarum in Ægypto non sunt referendi.

VIII. Tertium momentum petitur ab auctoritate Patrum. Ita *Eustathius Antiochenus* (sive alius Auctor) in Hexaëmeron. *Primùm itaque observandum:* inquit, *non dixisse: In Ægypto, sed in Terrâ alienâ peregrinum erit semen Abrahæ. Aliena autem erat & Terra Chanaan, quam habitavit Isaac, qui præ omnibus ipse semen Abrahæ erat eximium.*

Ita *S. Epiphanius in Ancorato*, cap. 112. p. 114. *Quid*, inquit, *in animo habebant Ægyptii, cùm Judæorum operâ gratis abuterentur, non brevi aliquo tempore, sed annis ducentis quindecim, qui ad alios ducentos quindecim qui ad Josephum fluxerunt, adjiciendi sunt? Cùm enim quadringentorum triginta annorum peregrinatio Abrahamo ac stirpi ejus esset his verbis indicta:* Peregrinum erit semen tuum
Genes. 15. 13. in Terrâ alienâ: *Quod decretum fuerat, re ipsâ perfectum est. Nam pro suâ benignitate Deus peregrinationis illius annos bifariam partitus est. Quippe ducentos quindecim priores annos ab illis in Chananæâ compleri voluit; reliquos ducentos quindecim iis, qui in Ægypto habitabant, attribuit.*

Ita *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 37. in Genesim. *Verùm*, inquit, *hic merito quis addubitet, Quomodo quadringentis annis dicit servire eos, quamvis neque dimidium eorum fuerint ipsi in Ægypto? Et propterea non dixit, quòd in Ægypto futuri sint annis quadringentis, sed in Terrâ non suâ: Ita ut possit connumerari cum annis in Ægypto & tempus Patriarchæ, ex quo ei imperatum est ut ex Charran egrederetur. Ab illo enim tempore, tempus annorum nobis manifestum fecit Scriptura, quæ dixit, quòd septuaginta quinque annorum fuerit Abram, quando exivit ex Charran: Ex eo igitur tempore usque ad exitum de Ægypto, inveniet quis numerum salvum & integrum.*

Exod. 12. 40. Ita *S. Augustinus* Quæstione 47. in Exodum. *Quidam putant*, inquit, *quadringentos triginta annos accipi debere, ex quo Jacob intravit in Ægyptum, donec inde populus per Moysen liberatus est,*
,, *quoniam in Exodo scriptum est:* Incolatus autem
,, filiorum Israël, quem incoluerunt in Terrâ
,, Ægypti & in Terrâ Chanaan, ipsi & Patres
,, eorum, anni quadrigenti triginta. *Servitutis autem eorum volunt esse annos quadringentos; pro-*
,, *pterea quod scriptum est in Genesi*, Sciendo scias,
,, quia peregrinum erit semen tuum in Terrâ non
,, suâ, & in servitutem redigent eos, & noce-
,, bunt illis quadringentos annos. *Sed quoniam*
Genes. 41. 46. *servitutis anni post mortem Joseph computantur, (illo enim vivo, non solùm ibi non servierunt, verùm etiam regnaverunt,) non est quemadmodum computentur quadringenti-triginta in Ægypto. Ingressus est enim Jacob anno filii sui trigesimo & nono: quoniam triginta annorum erat Joseph, cùm apparuit in conspectu Pharaonis, & regnare cœpit sub illo: transactis autem septem annis ubertatis, secundo anno famis ingressus est Jacob in Ægyptum*
Genes. 45. 6. *cum aliis filiis suis: ac per hoc tunc agebat Joseph triginta & novem annos, qui impletis vitæ suæ*
Genes. 50. 22. *annis centum & decem mortuus est. Vixit ergo in Ægypto post ingressum ad se Patris sui, septuaginta & unum annos: quos si detraxerimus a quadringentis triginta annis, remanebunt servitutis anni, id est, post mortem Joseph, non quadringenti, sed trecenti & quinquaginta novem anni. Quod si ex illo putabimus nos computare debere, ex quo Joseph sub Pharaone regnare cœpit, ut tunc quodammodo intelligatur intrasse Israël in Ægyptum, quando ibi filius ejus tantâ potestate sublimatus est, etiam sic trecenti quinquaginta erunt, quos Tychonius vult accipi quadringentos, ut a toto pars intelligatur, id est, a toto centenario pars quinquagenaria, & probat hâc loquendi regulâ solere uti Scripturam. Si autem, quod aliquanto probabilius dici potest, tunc habeamus intrasse Israël in Ægyptum, quando illic Joseph esse venditus cœpit, detracturi sumus adhuc annos tredecim, ut trecentos triginta-septem annos pro quadringentis accipiamus. Sed cùm Scriptura commemoret Caath filium Levi, avum Moysi, cum avo suo Jacob intrasse in Ægyptum; dicat autem eum vixisse annos centum triginta; filium* Exod. 6. v. 18. & 20.
*verò ejus Patrem Moysi Ambram centum triginta-septem; Moysen verò dicat octoginta annorum fuisse cùm de Ægypto Populum liberavit; etiamsi tunc genuisset Caath Patrem Moysi, quo anno mortuus est, ille quoque Ambram ultimo vitæ suæ anno genuisset Moysen, computati anni centum-triginta, & centum triginta septem, & octoginta, trecentos & quadraginta septem annos faciunt, non quadringentos-triginta. Quòd si quis dicat extremo anno vitæ Joseph natum esse Caath filium Levi; septuaginta ferme anni possunt accedere illi summæ, quia septuaginta unum-annos vixit in Ægypto Joseph post ingressum patris sui. Quapropter etiam sic septuaginta anni vitæ Joseph ab ingressu Jacob in Ægyptum usque ad nativitatem Caath, si tunc natus asseratur, & centum triginta anni ipsius Caath, & centùm triginta septem filii ejus Ambram Patris Moysi, & octoginta ipsius Moysi, quadringentos decem & septem annos faciunt, & non quadringentos triginta.* Lapsu memoriæ centum triginta annos tantum *Caath* tribuit *S. Augustinus*, cui centum triginta-tres & Textus Hebræus, & Editio τῶν 70. & Vulgata Versio tribuit: aut certè in Codices mendosos incidit.

Et infra. *Septuagesimo ergo & quinto anno vitæ suæ Abraham, sicut Scriptura dicit, egressus est in Terram Chanaan, & genuit Isaac, cùm esset annorum centum. Fiunt itaque anni centum-viginti-quinque ex promissione usque ad natum Isaac. His ad-* Genes. 21. 5.
*duntur omnes anni vitæ Isaac, id est, centum-octoginta, fiunt ducenti-quinque: tum erat Jacob an-* Genes. 35. 28.
*norum centum-viginti; nati sunt enim sexagenario patre gemini, ipse & Esau: Post decem autem an-* Genes. 25. 26.
*nos intravit Jacob in Ægyptum, cùm esset annorum centum-triginta, Joseph autem esset triginta-novem.* Genes. 47. 9.
*Fiunt proinde anni a promissione usque ad ingressum Jacob in Ægyptum, ducenti quindecim. Joseph autem ab illo trigesimo & nono anno ætatis suæ, in* Genes. 50. 22.
*quo eum Pater in Ægypto invenit, vixit septuaginta & unum annos; quia omnes ætatis ejus anni centum decem fuerunt. Cùm itaque ad ducentos quindecim annos accesserint septuaginta unus, fiunt anni ducenti octoginta-sex. Restant centum quadraginta-quatuor vel quinque, quibus intelligitur servisse in Ægypto Populus Israël post mortem Joseph.*

Hac Chronologiâ stabilitâ & explicatâ, sic de- Genes. 15. 13.
mùm colligit. *Quod ergo dixit Deus ad Abraham*,
,, Sciendo scias, quia peregrinum erit semen
,, tuum in Terrâ non propriâ, & in servitutem
,, redigent eos, & nocebunt illis quadringentos
,, annos, *non accipiendum est, tanquam in illâ durissimâ servitute quadringentos annos Dei Populus fuerit: sed quia scriptum est*, In Isaac vocabitur
tibi semen; *ex anno nativitatis Isaac usque ad an-* Genes. 21. 12.
*num egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cùm ergo de quadringentis-triginta detraxeris viginti-quinque qui sunt a promissione usque ad natum Isaac, non mirum est si quadringentos & quinque annos summâ solidâ quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summâ perfectionis numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur.* Non *itaque quod ait*, In servitutem redigent eos, & nocebunt illis, *ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in servitute: sed referendi sunt qua-*

drin-

*dringenti anni ad id quod dictum*, Peregrinum erit semen tuum in Terrâ non propriâ: *Quia sive in Terrâ Chanaan, sive in Ægypto, peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatem sumerent in Terrâ ex promissione Dei; quod factum est postea quàm ex Ægypto liberati sunt; ut hyperbaton hìc intelligatur, & ordo verborum sit*, Sciendo scias quia peregrinum erit semen tuum in Terrâ non propriâ quadringentis annis, *illud autem interpositum intelligatur*, Et in servitutem redigent eos, & nocebunt illis; *ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extremâ enim parte annorum summa hujus, hoc est, post mortem Joseph, factum est, ut in Ægypto Populus Dei duram perageret servitutem.* Ad hanc sententiam accedunt *Severus Sulpitius*, Lib.1. *Historiæ*, *Beda*, *De sex Ætatibus*; *Rupertus* Lib.2. *Commentar. in Exodum*, ad Cap.20. & major ac sanior pars recentiorum Chronologorum & Interpretum Scripturæ Sacræ.

IX. Probatur denique Propositio nostra ex verbis Apostoli a *S. Lucâ* relatis Actuum 13. *Viri Israëlitæ, & qui timetis Deum, Deus plebis Israël elegit Patres nostros, & plebem exaltavit cùm essent incolæ in Terrâ Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex eâ, & per quadraginta annorum tempus Mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens Gentes septem in Terrâ Chanaan, sorte distribuit eis Terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos; & post hæc dedit Judices usque ad Samuel Prophetam.* Anni circiter quadringenti quinquaginta ab electione Patrum, in *Isaaci* nativitate confirmatâ, ad divisionem Terræ promissæ fluxerunt: Atqui ut resultet hæc annorum summa, oportet ut quadringenti circiter fluxerint ab *Isaaci* nativitate ad Exodum. Annis enim quadraginta in deserto peregrinati sunt Israëlitæ; Josue integrum sexcennium in debellandis Gentibus insumsit: nec nisi unius alteriusve anni spatio distributio Terræ facta est: En igitur quadraginta & octo annos, qui numero rotundo dicuntur quasi quadringenti & quinquaginta. Jam verò si quadringentis annis ab *Isaaci* nativitate ad Exodum numeratis addantur anni viginti-quinque a promissione *Abrahamo* factâ *Genesis* 12. Vers.2. & 3. de universæ terræ Tribubus in ipso benedicendis, fit summa quadringentorum viginti-quinque annorum a promissione *Abrahæ* factâ usque ad Exodum, qui numero rotundo dicuntur quadringenti & triginta.

Accedit ad hujus ratiocinii confirmationem *Venerabilis Bedæ* auctoritas Commentario in Cap.3. Actorum. *Dixerat Deus ad Abraham, quia erit semen ejus accola in Terrâ alienâ annis quadringentis. Et iterum ait*, Quia in Isaac vocabitur tibi semen. *Ab exortu ergo seminis usque ad exitum filiorum Israël ex Ægypto, fuerunt ( ut Exodus scribit ) anni quadringenti quinque. His adde annos quadraginta in deserto, & quinque in Terrâ Chanaan, quibus actis videtur terra quievisse a præliis, & sors fuisse missa, & invenies annos quadringentos quinquaginta.*

X. Objiciet quispiam: A discessu *Abrahami* ex Haran usque ad nativitatem *Isaaci* fluxerunt anni viginti quinque. *Abrahami semen peregrinum futurum in Terrâ non suâ per annos quadringentos*, a Deo prædictum est [ *Genesis* 15. *Vers*.13. ] qui anni a nativitate *Isaaci* incipiunt [ *Actuum* 7. *Vers*. 6. 8. ] & in exitu posterorum ejus ex Ægypto desinunt. Cùm igitur a discessu *Abrahami* ex Haran usque ad exitum filiorum Israël ex Ægypto quadringentorum viginti-quinque tantùm annorum spatium intercesserit; & totius peregrinationis anni fuerint quadringenti triginta ( *Exod*.12. *Vers*.40. ) ut integræ summæ constet ratio, quinquennio ante profectionem *Abrahami* ex Haran horum annorum calculus est ineundus.

Respondetur, A nativitate *Isaaci* usque ad exitum Israëlitarum ex Ægypto annos quadringentos quinque intercessisse, quos solemni more Scriptura pleno & rotundo quadringentorum annorum numero exprimere potuit, ut jam innuimus, utque ex *S. Augustino* confirmatur Lib. 16. *De Civitate Dei*, Cap. 24. cujus hæc sunt verba. *Quod verò dictum est ab Abraham*, Sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in Terrâ non propriâ, & in servitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis; *de Populo Israël, qui fuerat in Ægypto serviturus, apertissimè prophetatum est. Non quòd in eâdem servitute sub Ægyptiis affligentibus quadringentos annos ille Populus fuerat peracturus: sed in ipsis quadringentis annis prænuntiatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Tharâ Patre Abrahæ*: Et fuerunt dies Tharæ in Genes.11.
Charrâ quinque & ducenti anni; *non quia ibi omnes* 32.
*acti sunt, sed quia ibi completi sunt: ita & hic propter-* Genes.15.
*ea interpositum est*, Et in servitutem redigent eos, 13.
& affligent eos quadringentis annis; *quoniam iste numerus in eâdem afflictione completus est, non quia ibi universus peractus est. Quadringenti sanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamvis aliquanto ampliùs sint; sive ex hoc tempore computentur, quo ista promittebantur Abrahæ, sive ex quo natus est Isaac, propter semen Abrahæ de quo ista prædicuntur. Computantur enim ab anno septuagesimo & quinto Abrahæ, quando ad eum facta est prima promissio, usque ad exitum Israël ex Ægypto, quadringenti & triginta anni; quorum Apostolus ita meminit*: Hoc autem dico, *inquit*, Testamentum confirmatum Gal.3.17.
a Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non infirmat ad evacuandam promissionem. *Jam ergo isti quadringenti & triginta anni, quadringenti poterant nuncupari, quia non sunt multò ampliùs; quantò magis cùm aliquot jam ex isto numero præteriissent, quando illa in visu demonstrata & dicta sunt Abrahæ; vel quando Isaac natus est centenario Patri suo, a primâ promissione post viginti quinque annos, cùm jam ex istis quadringentis triginta quadringenti & quinque remanerent, quos Deus quadringentos voluit nominare, & cætera quæ sequuntur in verbis prænuntiantis Dei, nullus dubitaverit ad Israëliticum Populum pertinere?*

Respondetur secundò, Ab *Isaaci* ablactatione, quo tempore a fratre, *Ismaële* irrisus, & persecutionem passus, & *Ismaël* ipse cum *Agarâ* Matre ex domo *Abrahæ* ejectus est, fuitque a Deo declaratum, *In Isaac vocandum illi semen*, ( Genesis 21. 12. ) ab hac, inquam, solemni utriusque seminis discretione, quadringentos annos peregrinationis promissi seminis in Terrâ non suâ posse deduci. Ablactatus autem est *Isaacus* anno quinto ætatis, ut docet *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis in Genesim. *Inter Hebræos*, inquit, *varia opinio est; asserentibus aliis quinto anno ablactationis tempus statutum, aliis duodecimum annum vindicantibus. Non igitur, ut breviorem eligamus ætatem, post decem & octo annos Ismaël supputavimus ejectum esse cùm Matre.* Huc spectat & illud *Venerabilis Bedæ* in cap. 7. Actuum Apostolorum: *Potest & sic intelligi; quòd a quinto Isaac anno, quo per filium Ancillæ cœperit affligi, labor quadringentorum comprobetur* ( vel *computetur*) *annorum.* Sed cùm universum illud quadringentorum annorum spatium, *peregrinationem seminis* respiciat eaque illius pars quę *servitutem* & *afflictionem* conjunctam habebat, in Terrâ Ægypti completa fuerit, secundùm divinum illud oraculum, *Genesis* 15. Vers. 14. *Verumtamen Gentem cui servituri sunt, ego judicabo; & post hæc egredientur cum magnâ substantiâ*: A designatione & declaratione seminis illius, quod peregrinum futurum

erat

erat in Terrâ non suâ, horum annorum epocha convenienter deducitur.

At (inquies) Ante separationem hanc, & semen *Abraha* erat *Isaac*, & peregrinum in Terrâ non suâ.

Respondetur, *Ismaël* quoque ante separationem hanc & semen fuisse *Abraha*, & in Terrâ non suâ peregrinum. Tum demum verò, cùm ejecto *Ismaële* solus in *Abraha* familiâ mansit *Isaac*, prænuntiatumque illi a Deo est: *In Isaac vocabitur tibi semen* (Genesis 21. Versic. 12.) effectum esse ut ad solum *Isaacum* & ejus progeniem, neutiquam verò omnino ad *Ismaëlem* & ejus posteros, spectare intelligeretur oraculi illius sententia: *Peregrinum futurum est semen tuum in Terrâ non suâ, & subjicient servituti, & affligent quadringentis annis.*

XII. Instabis: Cùm Deus posteris *Abrahami* Terram Chanaan promisisset, jamque illi, si nondum jus in re (ut loquuntur) saltem jus ad rem suo tempore possidendam haberent; Terram Chanaan magis eorum dici potuisse, quàm non eorum. Unde Deus ad *Jacobum* ait Genesis 31. Vers. 3. *Revertere in Terram Patrum tuorum*. Anni ergo quadringenti quibus peregrinum futurum semen *Abraha* prophetatum est, ad commorationem Israëlitarum in Ægypto, non verò in Terrâ Chanaan referuntur.

Respondetur, Quamvis Terra Chanaan promissa fuerit a Deo *Abrahamo* & ejus posteris, & vi divini promissi ad eam jus haberent; eorumque esset respectu incolatûs & παροικήσεως, Chananæorum tamen illam fuisse respectu possessionis & κτήσεως. Unde ab ipso Deo Patriarchas alloquente Terra peregrinationis ipsorum passim appellatur. *Genesis* 28. *Vers.* 4. Isaac bene precatur Jacobo his verbis: *Deus omnipotens benedicat tibi.... Et det tibi benedictiones Abraha, & semini tuo post te, ut possideas Terram peregrinationis tua, quam pollicitus est Avo tuo.* Et *Genesis* 36. *Vers.* 6. & 7. dicitur *Esau* tulisse uxores suas, & filios, & filias, & omnia quæ habere poterat in Terrâ Chanaan, & abiisse in alteram regionem, atque a fratre suo *Jacob* secessisse. *Divites enim erant valde, & simul habitare non poterant; nec sustinebat eos Terra peregrinationis eorum pra multitudine gregum.* Et Genesis 37. vers. 1. *Habitavit autem Jacob in Terrâ Chanaan, in quâ pater suus peregrinatus est.* Item Exodi 6. vers. 2. 3. 4. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob ... Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis Terram Chanaan, Terram peregrinationis eorum, in quâ fuerunt advena.* Denique Apostolus ad *Hebræos* 11. Vers. 8. scribens: *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem; & exiit nesciens quò iret.* Cum illo tamen jure ad rem suo tempore possidendam consistere potuisse præsentem peregrinationem in Terrâ alienâ satis ostendit, Versu proximè sequente subjiciens: *Fide demoratus est in Terrâ repromissionis, tanquam in alienâ, in casulis habitando, cum Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem.* Ut dubitare nemini jam liceat *Isaac* & ejus posteris in Chananæâ commorantibus divini illa verba oraculi *Abrahamo* facti convenire posse: *Scito pranoscens, quòd peregrinum futurum est semen tuum.*

XIII. Objicies celebrem illum Scripturæ sacræ locum *Exodi* 12. Vers. 40. *Habitatio autem filiorum Israël quâ manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum, quibus expletis, eâdem die egressus est omnis Exercitus Domini de Terrâ Ægypti.* Summa ergo quadringentorum triginta annorum ad solam commorationem filiorum Israël in Ægypto referenda est.

Respondetur, Vulgatam Editionem hoc in loco per Textum Hebraicum & 70. Interpretes elucidandam. Ita enim Textum Hebraicum interpretari oportet: *Peregrinatio autem filiorum Israël qui* (non quâ) *manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Cùm enim Hebræi casibus careant, pronomen Hebræum ambiguæ relationis est. Unde & in ipsâ Editione Vulgatâ Latinâ, Biblia Polyglotta, Antuerpiensia Regia, & Jayana Parisiensia hîc legunt: *Habitatio autem filiorum Israël, QUI manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Ubi alia ejusdem Versionis Exemplaria habent, *Habitatio filiorum Israël, quâ manserunt in Ægypto.* Quæ posterior relativi pronominis acceptio, Chronologiam determinans, mansionis Israëlitarum in Ægypto integram quadringentorum triginta annorum summam assignat, quem tamen totâ parte dimidiâ breviorem, ex Apostolo, & ex SS. Patribus ostendimus. Istud verò incommodum prior illa Textûs Originalis explicatio secum non affert. Hanc autem 70. Interpretes tradiderunt. *Peregrinatio filiorum Israël, quâ peregrinati sunt in Terrâ Ægypti, & in Terrâ Chanaan, ipsi & Patres eorum, fuit quadringentorum triginta annorum.* Ubi illud, *Ipsi & Patres eorum*, in Romano ☧ 70. Codice (Librarii vitio) desideratur; quod tamen in Alexandrino non minoris antiquitatis Exemplari, necnon in Editionibus Complutensi & Aldinâ, aliisque omnibus ex Romano non expressis, eodem modo hîc legitur, quo ab *Eusebio* in Chronico, *Quinto Julio Hilarione in Libello De Mundi Duratione*, *S. Augustino* Quæstione 47. in Exodum, *Sedulio in Cap.* 3. *Epistola ad Galatas*, & Veterum aliis prolatum habetur. Sed & lectio Samaritani Codicis sic habet: *Habitatio filiorum Israël, & Patrum ipsorum, quâ habitarunt in Terrâ Chanaan, & in Terrâ Ægypti, fuit quadringentorum triginta annorum.* Quamobrem ita colligit *S. Augustinus Quæstione* 47. *in Exodum* superiùs laudatâ. *Ex illâ ergo promissione, quâ vocatus est Abraham & credidit Deo, post quadringentos & triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Jacob intravit in Ægyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significavit. Non enim dixit,* Incolatus filiorum Israël, *quem incoluerunt in Terrâ Ægypti „ anni quadringenti triginta, sed apertè dixit,* „ Quem incoluerunt in Terrâ Ægypti, & in Terrâ „ Chanaan, ipsi & Patres eorum. *Ac per hoc manifestum est, computandum esse tempus etiam Patriarcharum Abraha, Isaac, & Jacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in Terrâ Chanaan, & deinde semen Israël in Ægypto: ac sic completi sunt quadringenti triginta anni a promissione usque ad exitum Israël ex Ægypto, quando facta est Lex in Monte Sina, qua non infirmat Testamentum ad evacuandas promissiones.*

Verùm quia versio ☧ 70. hoc in loco Paraphrastica potiùs explicatio quàm literalis Textûs originalis interpretatio quibusdam fortè videbitur, cùm in Hebræo hæc verba non habeantur, *& in Terrâ Chanaan, ipsi & Patres eorum*, Observandum est cum Viris Eruditis, *Moysen* eam Israëlitarum descriptionem ab Ægypti tantùm incolatu petendam censuisse: Quòd illa Patrum in Chananæâ peregrinatio & paucorum hominum extiterit, & interrupta fuerit aliquoties, & minùs in oculos hominum incurrerit: *Cùm essent numero brevi, paucissimi & incola ejus: Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad Populum alterum.* (Psalmo 105. 12. 13.) Hæc verò filiorum Israël in Ægypto ingentem hominum multitudinem complexa, stabilis fuerit, & apud omnes Gentes celebratissima. Nam habitatio Hebræorum in Ægypto tribus rebus insignita & nobilitata est. Primùm enim *Joseph* eo tempore summo cum imperio universam Ægyptum gubernavit secundus a Rege, eoque superstite omnia prospera & læta fuerunt Hebræis. Deinde post mortem *Josephi* perinsignis & admiranda fuit multiplicatio Hebræorum, quamvis durissimâ servitute ab Ægyptiis affligerentur. Denique liberationem eorum atque exitum ex Ægypto tot & tanta

tunc

tunc facta prodigia admirabilem reddiderunt.

XIV. Objicies verba *Achioris*, Libri *Judith*, Cap. 5. ubi de Israëlitis sic loquitur: *Cùm operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illique per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum Exercitus non posset*. Epocha igitur quadringentorum annorum a descensu Jacob in Ægyptum inchoanda est.

Respondetur, Hæc verba, Per quadringentos annos, quamvis in Editione Vulgatâ legantur, abesse tamen a Græcis Codicibus, quorum magna est auctoritas, in iis præsertim libris, ubi Hebræi deficiunt.

Respondetur secundò, *Achiorem*, utpote alienigenam, accuratam omnino rerum Hebræarum non habuisse notitiam. Statim enim in ipso orationis suæ limine impingit, primis Hebrææ Gentis Patribus apostasiæ notam inurens, *Populus iste*, inquit, *ex progenie Chaldæorum est. Hic primùm in Mesopotamiâ habitavit, quoniam noluerunt sequi Deos Patrum suorum, qui erant in Terrâ Chaldæorum*. Quasi *Heber*, *Phaleg*, *Ragau*, & cæteri Patriarchæ ad *Tharam* usque, Chaldæorum Deos coluissent.

Respondetur tertiò, Quadringentos annos mansioni in Ægypto ibi tribui, quia in Ægypto completi sunt, non quia in illâ regione omnes peracti, (ut suprà ex S. Augustino exposuimus.) Et sanè Scripturam sacram sæpè totum annorum numerum ei loco adscribere in quo completus est, non in quo peractus, ex ipsâ *Judithæ* Historiâ est exploratum. Hæc enim cap. 16. dicitur *Mansisse in domo viri sui annos centum quinque*: Qui numerus intelligendus est de toto vitæ illius curriculo, quam ad usque centesimum-quintum annum productam in hac viri sui domo tandem finivit.

XV. Objicies testimonium *Josephi*, Lib. 2. *Antiquitatum*, Cap. scribentis, *In Ægypto per annos quadringentos fuisse laboratum Ægyptiis id agentibus, ut Israëlitas nimio labore perderent*.

Respondetur, Hoc in loco *Josephi* mendum esse apertissimum, ac υ pro σ irrepsisse, quæ figuræ ac notæ satis vicinæ sunt, sive quadringentos pro ducentis, ut advertit *Gerardus Vossius*. Mendosum porrò esse hunc *Josephi* locum, ostenditur ipsum conferendo cum altero, in quo ab exitu *Abrahami* in Chananæam ad Exodum annos quadringentos-triginta disertè numerat; quod stare non potest, si Israëlitæ totos quadringentos triginta annos in Ægypto exegerint. Quin etiam ab ingressu *Jacob* in Ægyptum ad Exodum numerat annos tantùm ducentos sexdecim. In posteriori itaque loco mendum extare necessarium est. En integrum *Josephi* locum Lib. 2. *Antiquitatum*, Cap. 6. *Reliquerunt autem Ægyptum Mense Xanthico, Lunâ 15. anno* CCCCXXX. *Postquam Abraham Pater noster in Chananæam venit, & post Jacobi migrationem in Ægyptum anno ducentesimo-decimo-sexto. Moses verò annum tunc agebat octogesimum, & frater ejus Aaron triennio erat major.*

## DISSERTATIO II.

### DE RAPTU SARÆ.

I. RAptum *Saræ* duplicem *Moses* commemorat: primum a *Pharaone* Ægypti Rege *Genesis* 12. Alterum ab *Abimelecho* Rege Palæstinorum sive Geraritarum, *Genesis* 20. Primi raptûs historia hæc est. Fame gravissimâ Chananæam infestante, *Abrahamus* in Ægyptum concessit, ut vitæ subsidia quæreret. Cùm verò in Ægypti finibus versaretur, vitæque suæ & conjugis pudicitiæ ob *Saræ* pulchritudinem metueret, consilium illi suggessit, quod *Moyses* his verbis complectitur: *Novi quod pulchra sis Mulier* (quamquam annos fermè sexaginta-quinque tum nata esset) *& quòd cùm viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: & interficient me, & te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis: ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui*. Ægyptii Regis Aulici elegantem *Saræ* speciem demirati, suis lenociniis ejus pulchritudinem eximiam ei commendarunt, ac effecerunt ut a *Pharaone* (commune id & appellativum Regum Ægypti nomen erat) raperetur. *Viderunt Ægyptii Mulierem, quòd esset pulchra nimis* [inquit Moyses]: *Et nuntiaverunt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum: & sublata est Mulier in domum Pharaonis*. Raptum hunc consecuta sunt tum benevolentia Regis erga *Abrahamum*, tum plaga Regi, ejusque Domui ob raptum immissa; tum emendatio ac resipiscentia Regis, necnon expostulatio cum *Abrahamo*; tum denique dimissio *Saræ & Abrahami*: Quæ *Moses* his verbis exprimit: *Abram verò bene usi sunt propter illam fueruntque ei oves & boves, & asini, & servi, & famulæ, & asini, & cameli. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & Domum ejus propter Sarai uxorem Abram. Vocavitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? Quare non indicasti quòd uxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, & vade. Præcepitque Pharao super Abram viris: & deduxerunt eum, & uxorem illius, & omnia quæ habebat.*

II. Raptûs posterioris historia ita habet. Cùm *Abraham* in Palæstinâ peregrinaretur inter Geraritas, consilium *Saræ* suggessit ei simile quod antea in Ægypto suggesserat, ut scilicet uxorem se non esse simularet, eamque palam sororem appellavit. *Dixit de Sarâ uxore suâ Soror mea est. Misit ergo Abimelech Rex Geraræ, & tulit eam.* Cùm *Saram* jam abduxisset, Deus ei in somnis noctu apparuit, utque a patrando crimine, violandoque jure conjugali ipsum absterreret, illi minatus est his verbis: *En morieris propter Mulierem quam tulisti, habet enim virum*. Abimelechus ad Dei justitiam provocat, seque bonâ fide Mulieris nuptias ambivisse profitetur, quam nesciret Matrimonio conjunctam. *Domine*, inquit, *non gentem ignorantem & justam interficies? Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est: & ipsa ait, Frater meus est? In simplicitate cordis mei & munditiâ manuum mearum feci hoc*. Regis excusationem Deus admittit, ipsique consulit quid facto sit opus, ut scilicet Mulierem viro suo restituat, cujus utpote Prophetæ orationibus juvabitur. *Nunc ergo redde viro suo uxorem, qui Propheta est: & orabit pro te, & vives; Si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt*. Hac Dei sententiâ territus *Abimelechus* res malè gestas emendare studet. Statimque de nocte consurgens servos advocat, eisque Dei mandata & indignationem exponit. Tum accersito *Abrahamo*, cum ipso expostulat, quòd veritatem dissimulaverit, ipsique ac populo grandis ruinæ occasio penè extiterit: *Quid fecisti nobis*, inquit, *quid peccavimus in te, quia induxisti super me & super Regnum meum peccatum grande? Quæ non debuisti facere fecisti nobis*. Tùm seriò sciscitatur cur ita egerit. Respondit *Abraham*, Se id metu fecisse, ne in loco in quo nullum esse timorem Dei fuerat suspicatus, propter uxorem interficeretur; quæ alioquì verè soror sua erat, ex patre, non ex matre, id est fratris sui *Aram* filia. Ipsum inter & *Saram* ita conventum fuisse, ex quo e natali solo discesserunt, ut sororem se ipsius *Abrahami*, diceret. *Postquàm autem edu-*

*xit me Deus de domo Patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: In omni loco ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim.* Mox *Abimelechus* oves, & boves, servos & ancillas dedit Abrahamo, *Redditque illi Saram uxorem suam*, eique Terrę suę copiam propensissimâ voluntate fecit. *Terra coram vobis est*, inquit, *ubicumque placuerit, habita*. Sed & mille siclos dedit *Abrahamo*, sive in pretium & compensationem injuriæ per raptum illatæ, sive ad comparandum velum quo *Sara* faciem obnuberet, sicut Mulieres conjugatæ obnubere solebant, etiam apud Ethnicos. Unde *Tertullianus* Lib. de velandis Virginibus: *Judicabunt vos*, inquit, *Arabia faminę Ethnica, quę non caput, sed faciem quoque ita totam obtegunt, ut uno oculo liberato contentę sint dimidiâ frui luce, quàm totum corpus prostituere.* Id multò magis apud Populum Dei observabatur. Unde *Rebecca* statim atque *Isaacum* Maritum suum procul conspexit, vultum suum velavit, *Genesis* 24. *Sara* absque hujusmodi velamine apud Geraritas incesserat, ne *Abrahami* conjux videretur: Ideo *Abimelechus* inter munera quibus *Abrahamum* honestavit, mille siclos dedit ad velum comparandum, ne cuiquam deinceps imponeret habitu suo, neve in simile periculum veniret, ex quo singulari Dei protectione evaserat. Id exprimit Vulgata nostra his verbis: *Sara autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quòcumque perrexeris, mementoque te deprehensam.* Paulò aliter 70. Interpretes: *Ecce dedi mille didrachmas fratri tuo: hæ tibi erunt in pretium faciei tua, & omnibus qua tecum sunt, & omnia verè dicito.* Quæ sic explicat S. *Chrysostomus* Homiliâ 45. in Genesim: *Pro his qua per ignorantiam attentavi, te qua es uxor Justi, in domum meam introducendo; pro hoc solùm, quia contumelia tibi auctor fui, mille dedi didrachmas, resarturus ea qua a me in te sunt admissa. Verùm omnia alia verè dic. Omnes a te discant, quod nihil factum est a me iniquum, quia intacta exivisti de domo meâ. Doce virum tuum quòd innocens sum a peccato; discat a te quòd nihil a me factum sit.* Sic verò Targum Onkelosi. *Ecce dedi mille siclos argenti fratri tuo; Ecce illud est tibi velamen honoris, pro eo quòd miserim tollere te, & viderim te, & omnia qua tecum sunt: & super omnia qua dixit, est reprehensa.* Paulò aliter Syrus Interpres: *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, & ecce etiam ipsi sunt tibi concessi eo quòd velaveris oculos omnium qui mecum sunt, & super omnia me corripueris.* Sic tandem Arabica Versio: *Jam dedi fratri tuo mille drachmas, impendantur tibi pro vestitu pulcro, omnibus qui tecum sunt; & ecce omnia ad ruborem tuum:* Vertit Vatablus: *Et cum his omnibus erudita fuit.* Abrahamus porrò cùm uxorem & munera ab *Abimelecho* recepisset, pro ipso oravit, eique sanitatem, & uxori ejus ac ancillis fœcunditatem a Deo impetravit. *Concluserat enim Dominus omnem vulvam domûs Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.*

III. Circa hanc Historiam duplex occurrit difficultas, prima, Utrùm *Abraham* a mendacii aut imprudentiæ labe immunis fuerit, *Saram* uxorem suam dicendo sororem. Secunda, Utrùm *Saram* cum a *Pharaone*, tum ab *Abimelech* intactam receperit.

## PROPOSITIO UNICA.

*Abraham uxorem suam Sarai sororem vocavit absque mendacio aut imprudentiâ: Eamque cùm a Pharaone, tum ab Abimelecho Regibus intactam recepit.*

Prima pars Propositionis probatur. Sara verè soror erat Abrahami, id est, ex fratre Neptis, filia scilicet *Aram*. Verè ergo ipsam vocavit sororem, more apud Hebræos usitato, ut propinquiores cognati fratres vocarentur. Unde *Abraham* ad Loth dixit, *Genesis* 13. Vers.8. *Fratres enim sumus.*

Antecedens liquet ex ipsius *Abrahami* verbis rei veritatem *Abimelecho* ingenuè aperientis, *Genesis* 20. Vers.12. *Aliàs autem*, inquit, *& verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* 70. vertunt: *Verè soror mea est, de patre, non de matre.* Quæ verba S. *Hieronymus* expendens Traditionibus Hebraicis in Genesim: *Id est*, inquit, *fratris ejus est Aram filia, non sororis. Sed quia in Hebræo habetur:* Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ; *Et magis sonat quòd soror Abrahæ fuerit: in excusationem ejus dicimus, nec dum illo tempore tales nuptias Lege prohibitas.* Secundùm Hebræorum Traditionem hanc difficultatem solvit S. *Hieronymus*. Censent enim illi *Saram* sororem fuisse *Abrahami*, eodem patre, scilicet *Thara* genitam, non tamen eâdem matre. Tunc verò prohibitum fuisse Matrimonium fratrum cum sororibus duntaxat uterinis. Sed ex propriâ sententiâ loquens in eodem Libro, *Saram* neptem fuisse *Abrahami* ex *Aram* fratre asserit: *Aram filius Thare genuit Melcham, & Sarai, cognomento Jescam διώνυμον, e quibus Melcham accepit uxorem Nachor & Sarai Abraham: Necdum quippe inter patruos & fratrum filias Nuptiæ fuerant Lege prohibitæ: Quæ in primis hominibus etiam inter fratres & sorores initæ sunt.*

IV. Probatur secundò ex S. *Augustino* Lib.1. *Contra Mendacium*, Cap.10. *Non autem*, inquit, *hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare, mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occulimus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus, ubi ait:* Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. *Joan.* 16. 12. *Vera tacuit, non falsa locutus est, quibus veris audiendis eos minùs idoneos judicavit. Quòd si eis hoc ipsum non indicasset, id est, non eos posse portare quæ dicere uoluit, occultaret quidem nihilominus aliquid veritatis, sed posse hoc rectè fieri forsitan nescìremus, aut non tanto firmaremur exemplo. Unde qui asserunt aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sarâ, quam sororem suam dixit. Non enim dixit. Non est uxor mea; sed dixit,* Soror mea est: *Quòd erat reverâ tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur.* *Genes.* 26. 7. *Quod & postea jam sibi ab illo qui abduxerat eâ redditâ confirmavit, respondens illi & dicens,* Et verè soror mea est de patre: *hoc est, de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem. Hoc & filius ejus fecit Isaac, nam & ipsum novimus propinquam suam conjugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium cùm silendo absconditur verum, sed cùm loquendo promitur falsum.*

Et Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.19. *Uxorem suam*

*suam dixit sororem, nihil mentitur. Erat enim & hoc, quia propinqua erat sanguine: Sicut etiam Loth eâdem propinquitate, cùm fratris ejus esset filius, frater ejus est dictus. Itaque uxorem tacuit, non negavit.*

Et *Libro* 22. *contra Faustum Manichæum*, cap. 34. & 35. *Nonnulli quidem*, inquit, *non calumniosi & maledici sicut Faustus, sed eisdem Libris honorem debitum deferentes, quos iste vel non intelligendo reprehendit, vel reprehendendo non intelligit: cùm hoc Abrahæ factum considerarent, visum est eis, quòd a firmitate fidei subdefecerit atque titubaverit, & timore mortis, sicut Dominum Petrus, ita iste negaverit uxorem. Quod si ita necesse esset intelligi, peccatum hominis agnoscerem: nec ideò cuncta ejus merita deleta atque obliterata censerem, sicut nec illius Apostoli: Quamquam culpa non sit æqualis negare uxorem, & negare Salvatorem. Nunc verò cùm habeam quod intelligam, ne hoc intelligam, nullâ causâ cogor temeritate labi ad reprehendendum, quem nemo convincit timore lapsum fuisse ad mentiendum: Neque enim utrùm ejus uxor esset interrogatus, non esse respondit: Sed cùm ab eo quæreretur, Quid ei sit illa Mulier? Indicavit sororem, non negavit uxorem. Tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi. An usque adeo desipimus, ut hîc Faustum sequamur, qui ait sororem mentitum, quasi genus Saræ aliunde didicerit, cùm id Sancta Scriptura non aperuerit? Puto justum esse, ut in eâ re, quam noverat Abraham, nos autem non novimus, Patriarchæ potiùs credamus loquenti quod scit, quàm Manichæo criminanti quod nescit. Cùm igitur Abraham eo tempore viveret in rebus humanis, quo quidem jam fratres ex utroque aut ex altero vel alterâ parente natos necti conjugio non licebat, filios autem fratrum, aliosque longinquiore gradu generis consanguineos, nullâ Lege, nullâ potestate prohibita consuetudo jungebat: Quid mirum si sororem suam, id est, patris sui sanguine procreatam habebat uxorem? Nam hoc ipse* Genes. 20. 12. *reddenti sibi eam Regi dixit, De patre esse sororem, non de matre; Ubi certè ut sororem mentiretur, nullo jam timore cogebatur, quando jam ille uxorem ejus esse didicerat, & eam divinitùs territus cum honore reddebat. Fratres autem, sive sorores, generali nomine consanguineos vel consanguineas solere apud Veteres appellari Scriptura testatur. Nam & Tobias dicit Deo, cùm oraret* Tob. 8. 9. *antequàm misceretur uxori;* Et nunc tu Domine, tu scis quoniam non luxuriæ causâ accipio sororem meam; *Cùm esset illa non ex concubitu ejusdem patris, nec ex eodem matris utero, sed ex eâdem stirpe cognationis exorta. Et Lot frater Abrahæ* Genes. 13. 8. *dicitur, cùm patruus ejus esset Abraham: Ex quâ vocabuli consuetudine etiam fratres Domini vocantur in Evangelio, non utique quos Maria Virgo pepererat, sed ex ejus consanguinitate omnes propinqui.* Matth. 12. 46. Joan. 7. 3.

S. *Augustinum* secuti, S. *Ambrosium*, salvâ quæ tam venerando Nomini debetur reverentiâ, deserimus, Lib. 1. *De Abraham* cap. 2. scribentem de *Sarâ Abrahami* uxore: *Ut tueretur Maritum, mentita est germanitatem, ne insidiatores pudoris ejus tamquam æmulum & vindicem uxoris necarent.* Deserimus multò libentiùs *Origenem Homiliâ 6.* in *Genesim* scribentem, *Abram non solùm mentitum esse Regi, sed & pudicitiam conjugis prodidisse.*

V. Enimverò uxoris pudicitiam non prodidit, nec eam *Avaritiæ ac ventris causâ duobus Regibus in concubitum venditavit Matrimonii sui infamissimus nundinator*, ut calumniabatur *Faustus*, sed prudenter atque inculpatè fecit, quæ est Propositionis nostræ altera pars. Gravissimum scilicet periculum *Abrahamo* utrimque imminebat, sive *Sarai* uxorem suam diceret, sive id reticens sororem assereret. Nam si uxor ejus putaretur, periculum erat ne Ægyptii aut Geraritæ illius amore capti *Abrahamum* interficerent, & sublato Marito, eâ ut scorto fœdè abuterentur. Sin autem *Abraha* soror crederetur, periculum erat ne a Rege, vel ab aliquo Principum specie Matrimonii raperetur. Viri porrò prudentis est, cùm multis urgetur ac premitur malis, ex eo genere quæ mala pœnæ vocantur, si vitare omnia non potest, id subire quod minus est, si eâ ratione declinare valeat id quod est gravius. Cùm igitur duo illa pericula, scilicet mortis *Abrahami*, & pudicitiæ *Sarai* ita se haberent, ut aliud certius esset & gravius, idque vitare posset *Abraham* dissimulatione conjugii, & appellatione sororis; istud autem non ita certum esset, nec in potestate esset Patriarchæ nefarium Ægyptiorum vel Geraritarum appetitum prohibere, vel raptum *Sarai* impedire: In his angustiis prudenter ac inculpatè minori periculo se exposuit ut majus vitaret; fiduciâ præsertim pudicitiæ uxoris animatus, quam insuperabilem atque impenetrabilem fore non dubitabat. Certum enim habebat, eam voluntariè nullius assensuram libidini: Sin autem per vim opprimeretur invita, id ei nec vitio, nec dedecori futurum. Dei denique auxilio ac singulari protectione confisus, quam in gravissimis periculis præsentissimam non semel expertus fuerat, vitæ humanis mediis prudenter consuluit, uxoris pudicitiam Deo tuendam commendavit. Id egregiè S. *Augustinus* explicat *Lib. 22. contra Faustum*, cap. 36. *Dicet aliquis; Cur non potiùs ita de Deo suo præsumpsit Abraham, ut fateri non timeret uxorem? Nunquid enim Deus ab illo mortem non poterat repellere quam timebat, eumque cum conjuge suâ ab omni pernicie in illâ peregrinatione tutari, ut nec uxor ejus, quamvis esset pulcherrima appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipse necaretur? Poterat sane hoc efficere Deus, quis ita sit demens ut hoc neget? Sed si interrogatus Abraham illam feminam suam esse indicaret uxorem, duas res tuendas committeret Deo, & suam vitam, & conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare Dominum Deum suum. Neque enim & ipse Salvator non poterat tueri Discipulos suos, quibus tamen ait:* Si vos persecuti fuerint in unâ civitate, fugite in aliam. Matth. 4. 7. *Cujus rei prior exemplum præbuit. Nam cùm potestatem haberet ponendi animam suam, nec eam poneret nisi cùm vellet; in Ægyptum tamen Infans portantibus parentibus fugit: & ad diem festum non evidenter sed latenter ascendit, cum aliàs palam loqueretur Judæis irascentibus, & inimicissimo animo audientibus, nec tamen valentibus in eum mittere manus, quia nondum venerat hora ejus: Non cujus hora necessitate cogeretur mori, sed cujus hora opportunitate dignaretur occidi. Quia ergo palam docendo & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem: Idem tamen fugiendo, & latendo hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, ut quod cavere oportet, evadat. Neque enim & Apostolus Paulus desperaverat adjutorium protectionemque divinam, fidemque perdiderat, quando per murum in sportâ submissus est, ut inimicorum manus effugeret. Non* Act. 9. 25. 2. Cor. 33. *ergo in Deum non credendo sic fugit; sed Deum tentando fugere noluisset, cùm sic fugere potuisset. Proinde cùm inter ignotos propter excellentissimam pulchritudinem Sara, & ejus pudicitia, & Mariti vita esset in dubio, nec utrumque tueri posset Abraham, veruntamen unum horum posset, id est vitam: Ne Deum suum tentaret, fecit quod potuit. Quod autem non potuit, illi commisit. Qui ergo se hominem occultare non valuit, Maritum se occultavit ne occideretur, uxorem Deo credidit ne pollueretur.*

Et Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.19. *Itaque*, inquit, *uxorem tacuit, non negavit, conjugis tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas insidias cavens ut homo: Quoniam si periculum, quantum caveri poterat non caveret, magis tentaret Deum, quàm speraret in Deum. De quâ re contra calumniantem Faustum Manichæum satis diximus.*

VI. Nedum ab imprudentiâ, sed a flagitio excusari non posset *Abraham*, si id fecisset quod ipsum fecisse scribit, & propter quod ipsum laudat *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 32. in Genesim. *Propterea*, inquit, *in adulterium uxoris consentit Justus, & quasi servit adulterio in Mulieris contumeliam, ut mortem effugiat.* Et paulò pòst de *Sarâ* sic loquitur: *Quis non obstupescat hanc parendi facilitatem? Quis hanc satis laudaverit, quòd post tantam continentiam, & in tali ætate, ad hoc ut Justum servet, quantùm in suâ voluntate pendebat, etiam adulterio se exposuit, & Barbarorum tulit congressum?*

VII. Tertiam Propositionis partem, quòd scilicet *Saram* intactam a *Pharaone* & ab *Abimelecho Abraham* receperit, probant singularis Dei providentia erga Sanctum Patriarcham, plagæ *Pharaoni* & ejus domui inflictæ propter *Saram*, ut scilicet ab ejus congressu prohiberetur; disertum Scripturæ testimonium, quæ raptûs posterioris narrans historiam ait, *Abimelech verò non tetigerat eam*; & hæc Dei verba ad Abimelechum refert; *Et ego scio quòd simplici corde feceris; & ideo custodivi te ne peccares in me, & non dimisi ut tangeres eam.* Quod studiosiùs *Moses* expressit in secundi illius Raptûs historiâ quàm primi, ob *Isaaci* filii promissionis nativitatem proximè consecutam, ne scilicet *Abimelechi*, non *Abrahami* filius crederetur, ut docet *Theodoretus* Quæstione 72. in *Genesim*.

VIII. Probatur rursus auctoritate SS. Patrum, *S. Hieronymi* Traditionibus Hebraicis in Genesim. *Licèt*, inquit, *corpus Sanctarum Mulierum non vis maculet, sed voluntas; & excusari possit Sarai, quòd famis tempore sola Regi in peregrinis locis, Marito connivente, resistere nequiverit: Tamen potest & aliter fœda necessitas excusari; quòd juxta Librum Hester, quæcumque Mulierum placuisset Regi apud Veteres, sex mensibus ungebatur oleo myrtino, & sex mensibus in pigmentis variis erat, & curationibus feminarum; & tunc demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita potest fieri, ut Sarai, postquàm placuerat Regi, dum per annum ejus ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donaverit; & Pharao postea sit percussus a Domino, illâ adhuc intactâ ab ejus concubitu permanente.*

IX. *S. Ambrosii* Lib.1. *De Abraham*, cap.2. *Itaque*, inquit, *magnum exemplum devotionis Abrahæ, quòd eum Uxore speciosâ descendit in Ægyptum. Erat quidem justo viro cura conjugalis pudicitiæ; sed majus erat studium maturandæ devotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cœlestibus. Itaque quoniam propter Deum contempsit omnia, recepit a Deo multiplicata omnia: Sed primam Deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam sciebat conjugi. Nam quia studio obeundi cœlestis oraculi Uxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam conjugii defendit.*

X. *S. Augustini* Quæstione 26. in Genesim. *Diligentiùs*, inquit, *a Presbytero Hieronymo expositum est, quare non sit consequens, ut cùm aliquot dies apud Regem Ægypti Sara fecerit, etiam ejus concubitu credatur esse polluta; quoniam mos erat Regius, vicibus ad se admittere Mulieres suas, & nisi lomentis & unguentis diu priùs accurato corpore, nulla intrabat ad Regem. Quæ dum fierent, afflictus est Pharao manu Dei, ut Viro redhiberet intactam, quam ipsi Deo Maritus commiserat, tacens quòd uxor esset, sed non mentiens quòd soror esset: Ut caveret quod poterat quantum homo poterat, & Deo commendaret quod cavere non poterat; ne si & illa quæ cavere poterat Deo tantùm dimitteret, non in Deum credere, sed Deum tentare potiùs inveniretur.*

Et Lib. *De Octo Dulcitii Quæstionibus*, Quæstione 7. *Quomodo dicant immissum in eius copulam Pharaonem, non video; cùm ad hoc credendum Scriptura non cogat. Accepit enim eam quidem in uxorem, continuòque ditatus est Abraham multis Ægyptiorum muneribus propter illam, sed non scriptum est quòd eum eâ Pharao dormierit, eique permixtus sit; quoniam Deus eum multis magnisque cladibus affligendo id facere non permisit. Non enim placita Regibus ad conjugium femina mox etiam carne copulabantur. Sed sicut legimus in Libro qui prænotatur Ester, per aliquot menses, imò per totum annum, unguentis, pigmentis, aromatis accurabantur earum corpora, priùs quàm corpori Regio miscerentur. Hoc ergo spatio facta sunt illa quæ scripta sunt, donec Pharao contritus & exterritus Marito restituisset Uxorem. Abimelech autem quoniam somnio est ab ejus commixtione prohibitus, ideo qui Saram stuprum non vitasse contendunt, putant utique Regem, ut somniaret, nonnisi post ejus concubitum dormire potuisse. Quasi verò, ut omittam tempus quo accurabantur, ut supra dixi, ad voluptatem Regiam corpora feminarum, non potuerit Deus, priusquàm convenirent, eum mergere in somnum, & admonere per somnium. Dicam quod factum est in Mauritaniâ Sitifensi. Neque enim Deus Sanctorum Patrum non ipse est etiam Deus noster. Viduam in proposito continentiæ constitutam Celticchius quidam Cathecumenus juvenis rapuit, ut haberet uxorem. Antequàm concumberent, pressus somno & territus somnio, Sitifensi Episcopo eamdem vehementissimè requirenti revocavit intactam. Vivunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus & ipso in se facto miraculo conversus ad Dominum, ad Episcopatum venerabili probitate pervenit: Illa in sanctâ viduitate persistit.*

Et Lib.22. *Contra Faustum* cap.33. *Quòd autem*, inquit, *Justum & Fidelem Virum Matrimonii sui infamissimum nundinatorem appellans, avaritiæ ac ventris causâ duobus Regibus Abimelech & Pharaoni diversis temporibus Saram conjugem suam sororem mentitum, quia erat pulcherrima, in concubitum asserit vendidisse, non ore veridico a turpitudine separat honestatem, sed ore maledico totum vertit in crimen. Hoc enim Abrahæ factum lenocinio simile videtur, non valentibus ex illius æternæ legis lumine a peccatis rectè facta discernere; quibus & constantia & pertinacia videri potest, & virtus fiducia vitium putatur audacia: & quæcumque similiter objiciuntur quasi non rectè agentibus a non rectè cernentibus. Neque enim Abraham flagitio consensit uxoris, ejusque vendidit adulterium; sed sicut illa famulam suam non libidini Mariti permisit, sed officio generandi ultrò intulit, nequaquam turbato ordine naturali, ubi ejus potestas erat, jubens potiùs obedienti, quàm cedens concupiscenti: Sic & ipse Conjugem castam, & casto corde sibi cohærentem, de cujus animo, ubi pudicitia virtus habitabat, nullo modo dubitabat, tacuit uxorem, dixit sororem; ne se occiso, ab alienigenis atque impiis captiva possideretur: certus de Deo suo, quòd nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides ac spes fefellit: Namque Pharao territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, ubi ejus esse uxorem divinitus didicit, illæsam eum honore restituit: Abimelech autem somnio commonitus atque edoctus similiter fecit.*

Et Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.19. *Denique fa-*

*factum est quod de Domino præsumpsit Abraham. Nam Pharao Rex Ægypti, qui eam sibi uxorem acceperat, graviter afflictus, Marito reddidit. Ubi absit ut credamus, alieno concubitu fuisse pollutam: quia multò est credibilius hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis non fuisse permissum.*

XI. *Theodoreti* Quæstione 62. in Genesim. *Quanta igitur cura fuit Abraham omnium Deo*, inquit, *si ejus Uxorem adulterio stupratam neglexit? Cur verò afflictionibus magnis & sævis Pharaonem & totam domum ejus afflixit, si noluit cohibere congressum illum iniquum? Sed & ipse Pharao ignorantiam pro defensione proponit, & expostulat eum Abraham, quòd uxorem suam vocavisset sororem: & ostendit quòd non eam acceperit ut eâ contumeliosè ute-*
Genes. 12. „ *retur; sed ut in uxorem haberet*. Quid hoc enim „ fecisti mihi, *inquit*, quia uxor tua est? Cur „ dixisti, Soror mea est, & sumpsi eam in uxo„ rem? Et ecce nunc uxor tua coram te, accipe „ eam, & abi. *Et non solùm dixit, sed etiam opere complevit, & omnimodâ solicitudine dignum* „ *æstimavit*. Præcepit enim, *inquit*, Pharao vi„ ris de *Abraham*, ut deducerent illum, & uxo„ rem ejus, & omnia quæcunque possidebat. *Constat ergo quòd raptâ Sarâ statim Rector universorum Pharaonem obstrinxit morbo, qui libidinem ejus fregit: & venator habens intra retia prædam, captâ frui non potuit, quia morbus non permisit.*

XII. *Abrahamum* Christi, *Saram* Ecclesiæ figuram fuisse, quæ in hac peregrinatione inter alienigenas pollui macularique non sinitur, ut sit viro suo sine maculâ & rugâ, *S. Augustinus* docet Lib. 22. *contra Faustum*, cap. 38. *In gloriâ quippe Christi*, inquit, *rectè vivit Ecclesia, ut pulchritudo ejus honori sit Viro ejus: sicut Abraham propter Saræ pulchritudinem inter alienigenas honorabatur, eique ipsi, quæ dicitur in Canticis Canticorum*, O pulchra inter mulieres, *ipsius pulchritudinis merito Reges offerunt munera: sicut Saræ obtulit Rex Abimelech, plùs in eâ admirans formæ decus quod amare potuit, & violare non potuit. Est enim & sancta Ecclesia Domino Jesu Christo in occulto uxor. Occultè quippe atque intus in abscondito secreto spiritali Anima humana inhæret Verbo Dei, ut sint duo in carne unâ: Quod magnum conjugii Sacramentum in Christo & in Ecclesiâ commendat Apostolus. Proinde Regnum terrenum sæculi hujus, cujus figuram gerebant Reges, qui Saram polluere permissi non sunt, non expertum est, nec invenit Ecclesiam conjugem Christi: id est, quàm fideliter illi tanquam præcipuo viro suo subdita cohæreret, nisi cùm violare tentavit, & divino testimonio per fidem Martyrum cessit, correptumque in posterioribus Regibus honoravit munere, quam corruptioni suæ subdere in prioribus non evaluit. Nam quod tunc in eodem Rege priùs & posteriùs figuratum est, hoc in isto Regno prioribus & posterioribus Regibus adimpletur. Cùm autem dicitur de Patre esse sororem Christi Ecclesiam, non de matre, non terrenæ generationis, quæ evacuabitur, sed gratiæ cœlestis, quæ in æternum manebit, cognatio commendatur. Secundùm quam gratiam genus mortale non erimus, acceptâ potestate ut filii Dei vocemur & simus. Neque enim hanc gratiam de Synagogâ matre Christi secundùm carnem, sed de Deo Patre percipimus. Hanc verò cognationem terrenam, quæ ad mortem temporaliter generat, vocans in aliam vitam, ubi nullus moritur, negare nos Christus docuit, non fateri, cùm*
Matth. 23. 9. „ *Discipulis ait*: Ne vobis dicatis Patrem in ter„ râ, unus est enim Pater vester qui in cœlis
Matth. 12. 48. „ est. *Cujus rei præbuit exemplum, quando & ipse dixit*: Quæ mihi mater, aut qui fratres? *Et extendens manum super Discipulos ait*; Hi sunt fratres mei. *Et ne quisquam in hoc vocabulo terre*„ *nam cognationem cogitaret, adjunxit*; Et qui„ cunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse „ mihi frater, & mater, & soror est: *Tanquam diceret: De Deo Patre hanc cognationem appello, non de Synagogâ matre. Ad æternam quippe vitam nunc voco, ubi immortaliter natus sum: non ad temporalem, unde ut vocarem mortalis effectus sum. Quòd ergo Ecclesia, cujus uxor sit, occultatur alienigenis; cujus autem soror, non tacetur, hac interim causa facilè occurrit: Quia occultum & difficile ad intelligendum est, quomodo Anima humana Verbo Dei copuletur, sive misceatur: sive quid melius & aptius dici potest, cùm sit illud Deus, ista creatura. Secundùm hoc enim sponsus & sponsa, vel vir & uxor, Christus & Ecclesia dicuntur. Quâ verò cognatione sint fratres Christus & omnes Sancti, gratiâ divinâ, non consanguinitate terrenâ, hoc est, de patre, non de matre, & effabiliùs dicitur, & capaciùs auditur. Nam inter se omnes sancti per eamdem gratiam fratres sunt: Sponsus autem cæterorum societate nullus illorum est. Proinde Christum quamquam excellentissimæ justitiæ atque sapientiæ, tamen hominem multò faciliùs & procliviùs alienigenæ crediderunt, non quidem falsò quòd homo esset, sed quomodo etiam Deus esset, ignoraverunt. Hinc & Jeremias*: Et homo, *inquit*, est, & quis cognoscit eum? *Et homo est, quia proditur quòd frater est: Et quis agnoscit eum? Quia occultatur quòd Sponsus est.*

## SCHOLION.

Heroicam Saræ virtutem in hoc discrimine commendat Apostolorum princeps: *Mulieres*, inquit, *subditæ sint viris suis.... Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres ornabant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.* 1. Petr. 3. 6.

# DISSERTATIO III.

## DE MELCHISEDECO.

Melchisedeci notitiam ut comparemus, in unum colligenda sunt lineamenta seu characteres, quibus illum *Moses* & *S. Paulus* describunt. Ac primò quidem uterque *Melchisedecum Regem Salem* appellat. (*Genesis* 14. 18. *ad Hebræos* 7. 1.) Secundò, utramque vocem tum *Melchisedeci* tum *Regis Salem* interpretatur Apostolus Vers. 2. dicens, *Melchisedechum* significare *Regem Justitiæ*, Regem verò *Salem*, idem esse quod *Regem Pacis*. Tertiò, *Moses* & *Paulus* Melchisedecum pariter vocant *Sacerdotem Dei altissimi*. Et Sacerdotem quidem esse in perpetuum hic significat. [ *Ad Hebræos* 7. *Vers.* 3. ] Quartò, ab Apostolo dicitur: *Sine Patre, sine Matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*. Unde colligit eum *Sacerdotem manere in perpetuum*. Quintò dicit Apostolus, *Melchisedecum assimilatum Filio Dei*. Sextò, ejus eminentiam ac dignitatem inde comprobat, quòd major fuerit *Abrahamo*. Quam eminentiam multis rationibus confirmat. 1. Quòd *Abraham* ipsi *decimas dedit de præcipuis*. 2. Quia filii *Levi* originem ducentes ab Abrahamo *Mandatum habent decimas sumere a Populo secundùm Legem, id est, a fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis*, MELCHISEDECUS, *decimas sumpsit ab Abraham*, & *hunc*

*hunc qui habebat repromissiones benedixit. Sine ullâ autem contradictione id quod minus est a meliore benedicitur.* 3. Quia decimatus est *Abraham* per eum qui testimonium habet in Scripturâ *Quia vivit*, nullâ mortis ipsius factâ mentione, cùm alii Sacerdotes moriantur, eorumque mors memoretur. 4. Quia & *Levi* qui decimas accepit utpote Sacerdotum Veteris Testamenti parens, decimas ipse dedit Melchisedeco. *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando ei obviavit Melchisedech.*

II. His præmissis, Quæstio movetur, Quænam Persona fuerit, quæ hâc proprietatum complexione a *Mose* & *S. Paulo* descripta est? Melchisedechiani a *Theodoto* Trapezita secundo seculo exorti, *Melchisedecum* supernam quamdam *Virtutem majorem Christo* asseruerunt, ut testantur *S. Epiphanius Hæresi* 55. *Theodoretus* Lib.2. *Hæreticarum Fabularum* Cap.6. & *S. Augustinus* Lib. de Hæresibus. *Melchisedecum* esse *Spiritum Sanctum* asseruit *Hierax* seu *Hieracas* Ægyptius, Græcis & Ægyptiacis literis eruditus, qui Commentaria in Vetus & Novum Testamentum docta quidem, sed hæresibus asperfa edidit; a quo Hieracitæ Hæretici, de quibus *S. Epiphanius Hæresi* 67. Eumdem de *Melchisedeco* errorem propugnavit Anonymus ille Scriptor, cujus Volumen ad *S. Hieronymum* misit *Evagrius*, quem errorem Sanctus Doctor confutavit Epistolâ 126. ad eundem *Evagrium* datâ. Eamdem sententiam pertinaciter propugnavit Auctor Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, quas *S. Augustini* non esse jam inter Eruditos convenit, & quarum Auctorem esse *Hilarium* Sardum Romanæ Ecclesiæ Diaconum, cujus sunt & Commentarii in *S. Pauli* Epistolas olim *S. Ambrosio* adscripti, & inter ejus Opera editi, probavimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Seculi 4. Cap.6. Art.14. *Origenes*, teste *S. Hieronymo*, censuit *Melchisedecum* esse Angelum, qui *Abrahamo* apparuit. Samaritani *Melchisedecum* esse *Sem* Noë filium arbitrati sunt, testibus *S. Epiphanio* Hæresi 55. & *S. Hieronymo* in Epistolâ ad *Evagrium*. Judæi hominem justum ac probum fuisse, & Sacerdotem Altissimi fatentur, ut in sacris Literis proditum est, sed spurium, quòd neque patris, nec matris ejus nomina cognita sint. Quod Catholicos attinet, quidam existimarunt *Melchisedecum* fuisse Dei Filium, qui *Abrahamo* humanâ specie sese videndum obtulerit, ut refert *S. Epiphanius* loco proximè laudato. Hanc opinionem jam exoletam suscitarunt *Petrus Molinæus* Calvinista, Libro cui titulus, *Vates*, necnon peculiari de eo Scripto Gallico, & *Petrus Cunæus* Lib.3. *De Republicâ Hebræorum*. SS. Patres & Catholici Theologi fuisse hominem purum, Chananæum, Regem simul & Sacerdotem suæ Gentis, constanter asseverant.

---

PROPOSITIO I.

*Melchisedecus nec fuit Virtus cœlestis Christo Major, neque Spiritus Sanctus.*

Prima pars probatur. *Deo* enim *magno*, *qui est super omnia Deus benedictus in secula*: Qui *non est arbitratus rapinam esse se æqualem Deo*: Qui est *splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ*: Qui est *Unum cum Patre*: Et qui *Erat in principio Verbum apud Deum, & Deus, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil*; nulla Virtus major fingi potest. Sed Christus est *Deus magnus, qui est super omnia Deus benedictus in secula*: Qui *Cùm in formâ Dei esset, non est arbitratus rapinam esse se æqualem Deo*: Qui est *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ*: Qui est *Unum cum Patre*: Et qui *Erat in Principio Verbum apud Deum, & Deus per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil*: Ineptum igitur est, nedum hæreticum, asserere Melchisedecum Virtutem fuisse Christo majorem.

*Epist. ad Tit.* 2. 13. *Ad Rom.* 9. 5. *Ad Philip.* 2. 6. *Ad Hebr.* 1. 3. *Joan.* 10. 30. *Joan.* 1. 2. 3.

Præterea, qui *Assimilatus* est *Filio Dei*, ei non æqualis, nedum superior fuit; sed Melchisedecus *Assimilatus est Filio Dei*, ex Apostolo ad *Hebræos* 7. Non fuit itaque Virtus cœlestis Christo superior. Hoc argumento adversùs Melchisedechianos pugnat *S. Epiphanius* Hæresi 55. *Si Dei Filio, inquit, Melchisedech assimilatur, æqualis eidem esse non potest. Quomodo enim servus Domino esse possit æqualis? Nam Melchisedech homo utique fuit*, Et infra: *Fuit enim Justus ille quidem, ac Dei Sacerdos, & Rex Salem: sed neque e cælo fuit, nec e cælo descendit.* Nemo enim ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, *ait sanctissimus verissimusque Deus idem & Verbum*.

Tertiò, quâ ratione Melchisedech Sacerdos Dei Altissimi dici potest, si cælestis virtus fuit residens in locis innominatis? Quomodo ab *Abrahamo* decimas accepit? Quomodo *Rex Salem* fuit?

Altera pars Propositionis probatur. Qui enim carnem nunquam induit, sive ut in eâ appareret hominibus, sive ut eam sibi hypostaticè uniret, is dici non potest *Melchisedecus* Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi, qui obviam fuit *Abrahamo*, qui panem & vinum protulit, qui decimas ab ipso accepit: Is dici non potest *Assimilatus Filio Dei*, ut secundùm ejus ordinem sempiternum habeat Sacerdotium: Sed Spiritus Sanctus carnem nunquam induit, sive ut in eâ hominibus appareret, sive ut eam in unitatem Personæ assumeret: *Melchisedecus* ergo de quo hæc omnia *Moses* & *S. Paulus* affirmant, non est Spiritus Sanctus. Hoc argumento Hieracitas refellit *S. Epiphanius* Hæresi 57. *De Melchisedeco quod asseris, Spiritum illum esse Sanctum, id si verum est, venisse Spiritum & carnem induisse, non solus utique secundùm carnem natus est Filius, sed & eum eo quoque Spiritus. Quod si secundùm carnem natus est & Spiritus, cùm Maria Salvatorem ediderit, dicat nobis Hieracas, ubi nam gentium ea sit quæ Spiritum pepererit? Nam quod Apostolus dicit:* Assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in æternum, *nulla est illic de Spiritu Sancto mentio. Non enim similem illum Filio Dei, sed assimilatum esse dixit. Quæ vox,* Assimilatus, *posterius quiddam ut intelligamus inducit. Ac si post Abrahami tempora Christo Spiritus assimilatur, aliquando non extiterit oportet, ut propterea Dei Filio similis sit factus. Jam sine Patre esse qui potest? Nam si per sese esset Spiritus, nec ex propriâ Divinitatis naturâ procederet, meritò sine Patre esse diceretur. Revera enim unigenitus est Filius, neque fratrem habet, estque Dei Filius. Sed etsi genitum esse Spiritum nequaquam velimus, cùm unigenitus sit, ut dixi, Filius: verùm Spiritus sit a Patre procedens, &* de meo, *ut Christi verbis utar,* accipiens, *certè quidem qui & a Patre progreditur, & de meo accipit, sine Patre esse non potest.*

*Hebr.* 7. 9.

Hunc errorem refellit & *S. Cyrillus Alexandrinus*, Lib.2. Glaphyrorum. *Scriptum est*, inquit, *de Melchisedec, quòd* Erat Sacerdos Dei Altissimi. *Si autem Spiritus Sanctus est Melchisedec, refertur inter Sacerdotes Spiritus, & Sacerdotali ministerio fungitur. Laudabit itaque etiam cum Ange-„lis Deum Altissimum. Scriptum est enim:* Bene-„dicite Deo omnes Angeli ejus, Ministri ejus „facientes voluntatem ipsius. *Neque verò dubium esse poterit, quin qui alteri alicui sacrificat, non sibi ipsi, sed Deo, ut superiori, sacrificat. Quo circa*

*ex si dicimus Spiritum Sacerdotio fungi, divinâ omnino naturâ inferior erit, & creatis accensebitur, adorabitque unà nobiscum. Sanctificabit verò non seipsum, siquidem quod sanctificatur, præstantiori alicui, quàm ipsum ex suâ naturâ est, sanctificatur. Sanctificabitur itaque nobiscum. Quo pacto igitur Deus secundùm naturam erit, id quod sanctificatum est? At non enim omnis Sacerdos sanctificatur, atque ita ingreditur ad sacrorum administrationem?* Et postquàm ostendit ipsum Dei Filium Sacerdotem non esse, nisi in quantum homo propter nos est factus, & secundùm humanitatem sanctificatus, ita colligit: *Sacerdotio igitur fungi, & nobiscum sanctificari, per carnem assumptam ipsi accedit: exinanitionique ipsius, modò rectè sentire velimus, hæc adscribimus. Si verò Spiritum Sanctum, cùm nequaquam se exinaniverit, Sacerdotio functum dicamus, divinâ ipsum gloriâ privamus, atque in iis quæ Deo inferiora sunt, constituemus, inter creata collocantes; aut ostendant nobis Spiritum humanitatem assumpsisse, imminutionemque divino consilio institutam substinuisse, quemadmodum Filium.*

Argumenta quibus *Melchisedecum* esse Spiritum Sanctum probare conatus est Auctor Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, proposita habes & soluta in Panopliâ nostrâ adversùs Hæreses secundi Seculi, seu Dissertatione 19. in Historiam Ecclesiasticam 2. Seculi Articulo 1. Unde illa hìc non repeto.

---

## PROPOSITIO II.

*Melchisedech Angelus non fuit humanâ specie Abrahamo aspectabilis.*

Hebr. 5. 1. PRobatur. Angelus nec Rex Salem, nec Dei Altissimi Sacerdos est. *Omnis*, enim *Pontifex* & Sacerdos *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant & errant: Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Quod certè Angelis non convenit: Sed *Melchisedech* fuit *Rex Salem*, & *Sacerdos Dei Altissimi*: Angelus itaque non fuit.

---

## PROPOSITIO III.

*Melchisedech non est Filius Dei, qui in carne assumptâ ad tempus Abrahamo apparuerit, sed merus homo; non tamen Sem filius Noë, sed Rex Salem, idemque Dei Altissimi Sacerdos.*

PRobatur primò ex *Mose*, qui non obscurè indicat *Melchisedecum* merum hominem fuisse. Narrat enim *Moses* Genesis 14. Verf. 17. *Abrahamo* post reportatam de *Chodorlahomor* & fœderatis Regibus in Valle *Save* victoriam, Regem *Sodomorum in occursum egressum esse*, sed & *Melchisedecum Regem Salem* ipsi obviam ivisse, ac panem & vinum protulisse. *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei Altissimi) benedixit ei & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.* Quę omnia non sapiunt nisi merum hominem. Eodem modo *Melchisedecus* occurrit *Abrahamo*, quo Rex Sodomorum, nomen ejus proprium, Regnique sedes indicatur, ne altioris originis quàm Reges cæteri videatur. Ipsi decimas ex manubiis dat Patriarcha; cum ipso agit ceu cum homine Regiâ & Sacerdotali simul Dignitate ornato. *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*: Omnis porrò Sacerdos *est ex hominibus assumptus*: Per carnalem nimirum generationem ex hominibus propagatus, *Hebr.* 5. 1. quod Filio Dei Veteris Testamenti Tempore hominibus apparenti (si tamen per se apparuit) non convenit. Præterea, Sacerdos Dei Altissimi *offert dona & sacrificia pro peccatis*. Quæ verò dona, quæ Sacrificia Christus pro peccatis obtulit tempore Veteris Testamenti? An typica, ut Levitici Sacerdotes? Id Sacerdotio ipsius non convenit. An seipsum? Sed Veteris Testamenti non est hæc oblatio; siquidem *Semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit Christus, & semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Atque *Ingrediens Mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: In capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superiùs dicens: Quia hostias & oblationes & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm Legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat. In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Hebr. 9. & 10.

Probatur secundò ex *Davide*, apud quem Psalmo 104. Verf. 4. Dominus Christo Domino nostro ait: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Porrò qui secundùm ordinem, morem, & ritum alterius Sacerdos est, non est idem eum ipso: Igitur *Melchisedec* non est idem cum Filio Dei.

Probatur tertiò ex Apostolo ad *Hebræos* 7. ubi *Melchisedeci* excellentiam describens & commendans ait: *Assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Nullum autem simile idem est cum eo cui simile est. *Melchisedecus* ergo non est Filius Dei, qui humanâ specie *Abrahamo* apparuerit.

Pars altera Propositionis, quòd nimirum merus homo fuerit, superioribus argumentis abundè jam demonstrata, nihilominus ex Traditione probatur, *S. Hieronymi* verbis Epistolâ 126. ad Evagrium. *Revolvi*, inquit, *Veterum Libros, ut viderem quid singuli dicerent, & tibi quasi de multorum consilio responderem ... Verti me ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium quoque nostrum & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissimâ tubâ bellicum cecinit, & deprehendi, horum omnium opiniones diversis argumentationibus ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent, Melchisedec hominem fuisse Chananæum, Regem Urbis Hierosolymitanæ, quæ primùm Salem, postea Jebus, ad extremum Jerusalem appellata sit: nec mirum esse si Sacerdos Dei Altissimi describatur absque Circumcisione & legalibus ceremoniis, & genere Aaron, cùm Abel quoque, & Enoch, & Noë placuerint Deo, & victimas obtulerint: & in Job volumine legerimus, Quòd ipse & oblator munerum fuerit, & Sacerdos, & quotidie pro filiis suis hostias immolarit: & ajunt ipsum quoque Job non fuisse de genere Levi, sed de stirpe Esau, licèt aliud Hebræi autument. Quomodo autem Noë inebriatus in domo suâ, & nudatus atque derisus a mediano filio typum Salvatoris præbuit, & Cham Populi Judæorum: Samson quoque amator meretricis & pauperis Dalilæ multò plures hostium mortuus quàm vivus occidit, ut Christi exprimeret Passionem: omnesque penè Sancti & Patriarchæ & Prophetæ, in aliquâ re figuram expresserunt Salvatoris: sic & Melchisedech eò quòd Chananæus fuerit, & non de genere Judæorum, in typum præcessisse Sacerdotis Filii Dei, de quo dicitur in centesimo*

*simo nono Psalmo:* Tu es Sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedec. *Ordinem autem ejus multis modis interpretantur: Quòd solus & Rex fuerit & Sacerdos, & ante Circumcisionem functus Sacerdotio; ut non Gentes ex Judæis, sed Judæi a Gentibus Sacerdotium acceperint; neque unctus oleo Sacerdotali, ut Moysi pręcepta constituunt, sed oleo exultationis, & fidei puritate; neque carnis & sanguinis victimas immolaverit, & brutorum animalium sanguinem dextrâ susceperit, sed pane & vino simplici puroque Sacrificio, Christi dedicaverit Sacramentum.*

Subinde Melchisedecum non fuisse Regem Hierosolymorum, sed Salem urbis Sichimorum ostendit. *Salem autem non, ut Josephus & nostri omnes arbitrantur, esse Hierosalem, nomen ex Græco Hebraicoque compositum; quod absurdum esse peregrinæ linguæ mixtura demonstrat; sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi Palatium Melchisedec, ex magnitudine ruinarum*
Genes. 33. *veteris operis ostendens magnificentiam: De quo in posteriore quoque parte Geneseos scriptum est: Venit Jacob in Soroth, id est, in tabernacula, & fecit sibi ibi domos atque tentoria, & transivit in Salem civitatem regionis Sichem, quæ est in Terrâ Chanaan. Considerandum quoque est, quòd Abrahæ a cæde hostium revertenti, quos persecutus est usque Dan, quæ hodie*
Genes. 14. *Paneas appellatur, non de viâ Hierusalem, sed de oppido Metropoleos Sichem, in itinere fuerit: de quo*
Joan. 3. *in Evangelio quoque legimus:* Erat autem Joannes baptizans in Ennon, juxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. *Nec refert utrùm Salem an Salim nominetur, cùm vocalibus in medio literis perrarò utantur Hebræi; & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur. Hæc ab eruditissimis Gentis illius didicimus: qui in tantum non recipiunt, Spiritum Sanctum, vel Angelum fuisse Melchisedech; ut etiam certissimum hominis nomen adscribant. Et reverâ stultum est id quod in typo dicitur, eò quod Christi Sacerdotium finem non habeat, & ipse Rex & Sacerdos nobis utrumque donaverit; ut simus genus Regale & Sacerdotale; & quasi angularis lapis parietem utrumque conjunxerit; & de duobus gregibus bonus Pastor unum effecerit gregem; sic quosdam referre ad ἀναγωγὴν ut historiæ auferant veritatem, & dicant non fuisse Regem, sed in imagine hominis Angelum demonstratum: cùm in tantum nitantur Hebræi Melchisedec Regem Salem filium Noë Sem ostendere, ut ante hoc*
,, *scriptum sic referant:* Egressus est autem Rex Sodo-
,, morum in occursum ei: haud dubium quin Abra-
,, ham: postquàm reversus est a cæde Chodorlaho-
,, mor, & Regum qui cum eo erant, in Valle Suave:
,, Hæc est Vallis Regis; *de quâ statim sequitur:*
,, Et Melchisedec Rex Salem protulit panem & vi-
,, num, *& reliqua. Si ergo hæc Civitas Regis est, & Vallis Regis, sive, ut Septuaginta transtulerunt, campus, quem hodie Aulonem Palæstini vocant: manifestum est hominem fuisse, qui in terrenâ & valle & urbe regnaverit.* Lege & *S. Cyrillum Alexandrinum* Lib. 2. *Glaphyrorum*, ubi hancce Quæstionem fusè tractat.

Tertia Pars Propositionis, scilicet quòd *Melchisedec* non fuerit *Sem* filius *Noë*, probatur. *Melchisedec* ab Apostolo dicitur, *Sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Quod de *Semo* dici non potest, cujus genus, parentes, nativitas, obitus, ætas in Scripturâ sacrâ expressè traduntur.

Hebr. 7. Præterea, Apostolus generationem *Melchisedec* Judæorum generi velut extraneam opponit. *Et quidem*, inquit, *de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a Populo secundùm Legem, id est, a fratribus suis: quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.* At Judæi fratres etiam *Melchisedeci* dici potuissent, & ab illo per *Abrahamum* propagati essent, si *Melchisedec* fuisset *Semus* filius *Noë*. Tertiò cùm *Levi* fuerit in lumbis tum *Abrahami* tum *Semi*, idem *Levi* dici posset tum accepisse decimas, tum solvisse. Accepisset enim in lumbis *Semi*, solvisset in lumbis *Abrahami*. Atque sic rueret argumentatio Apostoli. Quartò, cùm Terra Chananæa obtigerit filiis *Chami*, probabile non est *Semo* in eâ Terrâ obtigisse Regnum, vel certè eum alienos in fines irrupisse. Quintò, *Abraham* in Terrâ Chanaan non habitasset ut peregrinus, nec planè reliquisset cognationem patriam, nec ab aliis in Terrâ Chanaan præsidium vitæ, commorationis, sepulturæ ambivisset, si Regem Salem habuisset gentis suæ auctorem. Denique nulla causa est cur dissimulasset *Moses* in Historiâ sacrâ nomen *Semi* proprium, & aliud ipsi imposuisset.

Objiciunt primò *Petrus Molinæus*, & *Petrus Cunæus*, Melchisedecum non fuisse Regem & Sacerdotem Urbis alicujus Terræ Chanaan: Siquidem (inquiunt) tempore *Abrahami* nullus erat in Chananæâ Fidelium cœtus. Rex etenim absque subditis, & Sacerdos absque Populo fideli esse non potuit. Quòd si tales Rex aut Populus fuisset, illic potiùs quàm inter Ethnicos *Abrahamus* consedisset; ab hoc potiùs quàm ab *Aner*, *Escol* & *Mamre* auxilium in Expeditione Pentapolitanâ petiisset. (*Genesis* 14.) Cùm mutandæ sedis consilium iniit, ad ipsum potiùs quàm ad *Abimelechum* profectus fuisset. (*Genesis* 20.) Cùm corpus defunctæ uxoris sepelire vellet, a *Melchisedeci* subditis potiùs quàm ab Hethæis sepulcralem terram emisset. (*Genesis* 23.) Denique servum filio suo uxorem quæsiturum in Mesopotamiam non ablegasset, sed potiùs in vicinum Salemensium Regnum. Addunt, Scripturam de Hierosolymis constanter loqui tanquam de Urbe Ethnicâ usque ad tempora *Davidis*: expugnatam propterea fuisse ab Israëlitis; (*Judicum* 1.) Deinde adhuc ex parte inhabitatam a Jebusæis; (*Josue* 15. vers. 63.) Judaico tandem Regno subjectam a *Davide* (2. *Regum* 5.) Atque hinc perspicuum esse ac exploratum, nomina illa *Melchisedeci* & *Salem* non fuisse nomina propria Regis alicujus, sed appellativa, solùm Christum Regem Justitiæ & Pacis designantia. Idcirco S. Paulum *Hebr.* 7. vers. 2. utrumque illud nomen interpretari: *Primum quidem qui interpretatur Rex Justitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est Rex Pacis.*

Respondetur, Scripturæ Sacræ testimonium quibuslibet humani ingenii conjecturis firmius esse; nullamque verisimilem esse rationem, quæ illius repugnet divinæ & inconcussæ veritati. Fuisse *Melchisedecum* Regem Salem, & Sacerdotem Dei Altissimi constanter credendum & asserendum est, quia id *Moses* & *S. Paulus* testantur. Nec tamen Populum, cui imperabat, verum Deum coluisse certum est, cùm id Scriptura sileat. Potuit sanè *Melchisedecus* cum familiâ suâ verum Deum colere, suoque & suorum nomine sacrificia ipsi offerre, Populo adhuc in infidelitate perseverante. Et quamvis populus fidelis fuerit, id latere potuit *Abrahamum* in Terrâ peregrinâ hospitem. Ut ut est, cùm jam fœdus solemne cum *Aner*, *Eskol* & *Mamre* iniisset, necesse non fuerit ut ab aliis suppetias rogaret, sive aliò migraret; vel agrum sepeliendæ uxori aliunde quàm ex viciniâ compararet. Misit verò servum in Mesopotamiam filio suo uxorem quæsiturum, potiùs quàm ad Salemenses, ne patriam cognationem despiceret, ipsam alienigenis postponendo. Denique Deo duce hæc omnia egit Sanctus Patriarcha, unde rationes habuit cur ita ageret optimas, etsi fortè nobis ignotas. Quamvis autem Judicum tempore Hierosolyma Urbs Ethnica esset, non sequitur quòd

*Abra-*

*Abrahami* & *Melchisedechi* tempore fidelis non fuerit, & postea ad idololatriam defecerit. Quamquam ea de Hierosolymitanâ Civitate observatio minimè nos urgeat, qui *Melchisedecum* non Hierosolymorum, sed Salem urbis Sichimorum Regem fuisse cum *S. Hieronymo* censemus. Quamquam verò nomina *Melchisedeci* & *Salem* Apostolus interpretetur, non sequitur propria Personæ & Urbis alicujus non fuisse. Nihil enim prohibet, quò minùs nominum, quæ reverâ propria sunt, exponatur significatio, cùm alteri Personæ typicè accommodantur, quò faciliùs typus respondeat antitypo. Ita nomen *Jesu*, quod proprium est, explicavit Angelus. (*Matth.* 1. 21.)

Objiciunt secundò illud *Davidis* Oraculum Psalmo 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; & Apostolus *Melchisedecum Sacerdotem in perpetuum* asserit: At Sacerdotium æternum soli Christo convenit: Itaque *Melchisedec* alius non fuit a Filio Dei, qui *Abrahamo* humanâ specie se aspectabilem præbuit.

Respondetur, *Melchisedeci* Sacerdotium æternum esse typicè, quia typus fuit æterni Sacerdotii Christi; non quòd eodem modo æternum fuerit Melchisedeci & Christi Sacerdotium. *Typus enim non omnia habet quæ exemplar.* Satis est quòd utrumque certâ ratione conveniat. Confirmatur hæc responsio *S. Epiphanii* verbis Hæresi 55. Num. 4. *Illum verò Melchisedeci ordinem cùm Scriptura Sacra confirmat, ac Sanctus Spiritus expressis verbis asserit, Sacerdotii translationem ostendit, quod ab vetere Synagogâ Rituque egregium ac præstantissimum in Ritum, neque eum illi successione devinctum postea transiit. Etenim Sanctus ille Melchisedec nullum neque post se Successorem habuit, nec ei Sacerdotium est abrogatum; sed Sacerdos toto vitæ suæ tempore mansit. Quare adhuc in Sacris Literis eâdem Sacerdotii dignitate celebratur; cùm nemò ei successerit, aut illam Sacerdotii functionem, quam suo tempore nactus est, everterit. Eodem planè modo Dominus noster non nudus homo; sed ex Deo Deus Verbum, Deique Filius, ab eodem nullo initio aut tempore genitus, qui est eum Patre perpetuò, sed homo tamen de Mariâ nostrâ causâ factus est; nec ex virili semine procreatus. Qui quidem Sacerdotale Patri suo Munus offert, acceptâ ex naturâ hominum massâ, ut pro nobis Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec successionem omni carentem constituatur. Manet enim, & assiduè dona pro nobis offert. Imprimis quippe semetipsum obtulit, ut perfectiore vivâque pro totius Mundi salute mactatâ hostiâ, Veteris Testamenti Sacrificium aboleret. In quo idem ipse victima fuit, ipse Sacrificium; ipse Sacerdos; ipse Altare; ipse Deus; ipse homo; ipse Rex; ipse Pontifex; ipse Ovis; ipse Agnus; adeòque omnia in omnibus propter nos est factus; ut modis omnibus nobis vita suppeteret; ac Sacerdotii sui constantem & immutabilem firmitatem in sempiternum statueret: ut non jam stirpis habitâ ratione successiones distribueret; sed ex justificatione conservari propagarique in Spiritu Sancto singulari beneficio vellet.*

Objiciunt tertiò; *S. Paulus* Melchisedecum vocat *sine patre, sine matre, sine genealogiâ*. Hoc autem non alii convenit, quàm Christo, qui non fuit communi lege ex patre atque matre, neque ex libidine aut conjunctione viri fœminæque satus, sed æternus; de quo *Isaias* cap. 53. vers. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?*

Respondetur, Neque *Melchisedecum*, neque Christum ipsum cujus typus fuit, dici *Sine patre sine matre, sine genealogiâ*, quòd patre, vel matre, vel genealogiâ caruerint. Nam Christus quà Filius Dei habet Patrem, quà Filius hominis habet Matrem & genealogiam omnium accuratissimam. Id unum itaque significat Apostolus, Nec *Melchisedecum*, neque Christum Sacerdotes fuisse ex Ordine Levitico, quia in successorum *Aaronis* genealogiâ neuter censeatur, neuter sive patre, sive matre Leviticâ satus fuerit. Eodem certè modo *Melchisedecus* fuit sine patre, sine matre, sine genealogiâ, quo Christus. At Christus ex mente Apostoli fuit sine patre, sine matre, sine genealogiâ, quia de Tribu Leviticâ non fuit. *In quo enim hæc dicuntur*, inquit, *de aliâ Tribu est, de quâ nullus Altari præsto fuit. Manifestum est enim, quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster, in quâ Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Eodem igitur modo *Melchisedecus* fuit sine patre, sine matre, sine genealogiâ, ut colligitur ex Vers. 5. & 6. *Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a Populo secundùm Legem, id est a fratribus suis: Quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones benedixit.* Hinc constat, *Sine genealogiâ* dici, non ob aliam rationem, quàm quia ex Levitis originem non duxit, atque eâ in re Christi typus fuit. Id quadrat optimè scopo Apostoli, qui hìc omnino est, ut ostendat Christi Sacerdotio Leviticum Sacerdotium aboleri. Hoc inde probat, quia Christus non fuit ex Tribu Levi, sed ex aliâ Tribu, adeòque Sacerdotium ejus non fuit Levitico simile, sed juxta ordinem *Melchisedec*, qui ex Levitarum familiâ non fuit. *Si ergo*, inquit, *consummatio per Sacerdotium Leviticum erat: quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedec alium surgere Sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est ut & Legis translatio fiat.* Hæc Responsio confirmatur ex *S. Hieronymo* Epistolâ 126. ubi *Melchisedecum* ab Apostolo ἀγενεαλόγητον dici ait, *Non quòd absque patre & matre fuerit, cùm Christus quoque secundùm utramque naturam & Patrem habuerit, & Matrem, sed quòd subitò introducatur in Genesi occurrisse Abrahæ a cæde hostium revertenti, & nec antè, nec posteà ejus nomen feratur adscriptum. Affirmat autem Apostolus, quòd Aaron Sacerdotium, id est Populi Judæorum, & principium habuerit & finem; Melchisedec autem, id est Christi & Ecclesiæ, & in præteritum & in futurum æternum sit, nullumque habuerit auctorem; & quòd translato Sacerdotio, Legis quoque mutatio fiat: ut nequaquam de Agar Ancillâ & Monte Sinâ, sed de Sarâ liberâ, & Arce Sion egrediatur Verbum Domini & Lex Dei de Jerusalem.*

Sanctus quoque *Epiphanius* Hæresi 55. explicat quo sensu *Melchisedec* ἀγενεαλόγητος dicatur: *Patris verò*, inquit, *ac matris expers dicitur, non quod ambobus illis caruerit; sed quòd nulla sit illorum in Divinis Literis expressa mentio.*

Objiciunt quartò, Ab Apostolo asseri, *Melchisedecum neque initium dierum, neque finem vitæ habere:* Quod certè nulli mortalium competit, sed soli Deo & Domino nostro Jesu Christo.

Respondetur, *Melchisedecum* dici ab Apostolo non habuisse initium dierum neque finem vitæ, quia neque nativitatis ejus tempus, aut nativitas ipsa, vel parentes; neque mors a *Mose* memorata est, ut Christi typum exhiberet, qui revera non habuit initium dierum, nec finem vitæ quà Deus est, & cujus Sacerdotium est æternum. Hæc Responsio confirmatur ex *Theodoreto* Dialogo 2. qui inscribitur: *Inconfusus:* Ubi locum illum Apostoli de Melchisedeco expendens, sic Orthodoxum interrogantem inducit: *Dic igitur, congruunt ne horum singula Melchisedec secundùm naturam & veritatem?* Ubi verò per multas interrogationes Eranistem eò abduxit, ut hæc humanæ naturæ mensuram superare fateretur, quærit Or-

Orthodoxus: *Quid ergo, an falsa dixisse dicemus Apostolum?* Respondet Eranistes: *Absit.* Tum Orthodoxus? *Quâ igitur ratione fieri queat, ut & Apostolo veritatis laudem afferamus, & Melchisedec quæ supra naturam sunt adaptemus?* ERAN. *Obscurus valde hic locus, & qui accuratam explicationem desiderat.* ORTH. *Iis qui attendere velint, verborum sententiam assequi difficile non erit.* „ *Cùm enim dixisset divinus Apostolus*, Sine pa- „ tre, sine matre, sine genealogiâ, neque ini- „ tium dierum, neque finem vitæ habens, *addi-* „ *dit*, Assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. *Et apertè nos docet, quòd Melchisedec in iis quæ humanam naturam superant archetypum est Christus Dominus. Melchisedec verò dixit assimilatum esse Filio Dei. Sic autem consideremus. Dicisne Dominum patrem habuisse secundùm carnem?* ERAN. *Nullo modo.* ORTH. *Quid ita?* ERAN. *Ex solâ enim Sanctâ natus est Virgine.* ORTH. *Rectè igitur sine patre nominatus est?* ERAN. *Verè.* ORTH. *Dicisne ipsum matrem habuisse secundùm divinam naturam?* ERAN. *Nequaquam.* ORTH. *Ex solo enim ante secula genitus est Patre.* ERAN. *In confesso est.* ORTH. *Itaque etiam sine genealogiâ dictus est propter ineffabilem ejus ex Patre generationem.* Generationem *enim* ejus, *ait Propheta*, quis enarrabit? ERAN. *Rectè dicis.* ORTH. *Sic ipsi convenit, nec dierum initium, nec finem vitæ habere. Caret enim principio & fine, & ut breviter dicam, Æternus est, & Patri coæternus.* ERAN. *Hæc mihi quoque ita videntur. Deinceps verò considerandum est, quomodo conveniant hæc etiam admirando Melchisedec.* ORTH. *Tanquam imagini & typo. Imago verò, sicut ante diximus, non omnia habet quæcumque habet archetypum. Itaque Salvatori quidem conveniunt hæc naturâ & veritate, Melchisedec verò antiquæ genealogiæ Historia hæc attribuit. Cùm enim Patriarchæ Abraham patrem nos docuisset, Isaac verò patrem ac matrem, & Jacob similiter, atque hujus filiorum, sed & priscorum quoque Patrum seriem exposuisset, Melchisedec patrem & matrem non nominavit, neque illum ab aliquo ex Noë posteris genus ducere docuit, ut esset typus illius qui verè est sine patre & sine matre. Quod ita nos intelligere docuit divinus Apostolus. Eodem enim* „ *loco hæc quoque adjecit.* Cujus autem genera- „ tio non annuntiatur ex eis, decimas sumpsit „ ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones benedixit. ERAN. *Et quoniam parentum ejus nullam mentionem fecit divina Scriptura, sine patre potest & sine matre appellari?* ORTH. *Si verè sine patre esset, & sine matre, non esset imago, sed veritas. Quia verò non naturâ hæc habet, secundùm divinæ Scripturæ dispensationem, veritatis typum ostendit.* ERAN. *Concedamus sanè sine patre, & sine matre, & sine genealogiâ sic esse, ut dixisti: Quòd nec initium dierum, nec finem vitæ habeat, quomodò intelligemus?* ORTH. *Antiquam genealogiam conscribens divinus Moyses, docuit nos, quòd Adam cùm tot esset annorum, genuit Seth, & cùm tot vixisset annos, vitæ finem accepit. Sic etiam de Seth, & Enos, & reliquis dixit. Melchisedec verò & ortûs principium & vitæ finem silentio præterüt. Quare secundùm historiam, nec initium dierum, nec vitæ finem habet; At secundùm veritatem Unigenitus Dei Filius nec cœpit esse, nec finem habiturus est.* ERAN. *Omnes consentiunt.* ORTH. *In iis ergo quæ Deo conveniunt, & quæ verè divina sunt, Melchisedec typus & figura erat Christi Domini: in Sacerdotio autem, quod hominibus magis quàm Deo convenit, Christus Dominus Pontifex fuit secundùm ordinem Melchisedec. Nam & ille Sacerdos fuit Gentium, & Christus Dominus pro omnibus sanctissimum & salutare sacrificium obtulit.*

Hanc doctrinam ex *S. Joanne Chrysostomo* hauserat *Theodoretus*, qui Homiliâ 12. in Epistolam ad Hebræos hæc habet de Melchisedeco: *Sicut hujus nescimus neque initium dierum, neque vitæ finem, propterea quòd non scripta sint: ita Jesu nescimus, non quòd non scripta sint, sed propterea quòd non sint. Nam ille quidem est figura, hic verò veritas.... Assimilatus autem Filio Dei. Si autem ubique futura esset similitudo, non utique essent typus & veritas, sed ambo essent typus. Sicut etiam in imaginibus est aliquid quidem simile, aliquid verò dissimile.*

Objiciunt quintò, Apostolum de *Melchisedeco* dictum ad *Hebræos* 5. vers. 2. ita præfari: *De quo nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum.* Hîc stupere Apostolum ad magnitudinem personæ, & ineffabilem illam confiteri: quod nusquam facit cùm de aliis typis loquitur, quibus Christus olim figuratus fuerat.

Respondetur, Apostolum non vocare ininterpretabilem sermonem qui est de personâ *Melchisedeci*, sed eum qui est de analogiâ *Melchisedecum* inter & Christum, neque simpliciter sermonem illum ininterpretabilem asserere, sed respectu Hebræorum, qui *Imbecilles facti sunt ad audiendum.* Hæc responsio confirmatur ex *S. Hieronymo* Epistolâ 126. *Difficultatem rei, inquit, proœmio exaggerat, dicens:* Super quo multus nobis „ sermo est, & ininterpretabilis: *Non quia Apostolus non potuerit id interpretari: sed quia illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id est, Judæis persuadebat, non jam Fidelibus, quibus passim proderet Sacramentum. Veruntamen si Vas Electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat, ineffabile confitetur: quantò magis nos vermiculi & culices, solam debemus scientiam inscitiæ confiteri, & amplissimam domum parvo quasi foramine ostendere; ut dicamus quasi duo Sacerdotia inter se ab Apostolo comparata, prioris Populi & posterioris. Et hoc ait totâ disputatione, ut ante Levi & Aaron Sacerdos fuerit Melchisedec ex Gentibus: Cujus tantum prædicat meritum, ut futuris Sacerdotibus Judæorum in lumbis benedixerit Abraham; Totumque quod sequitur in laudes Melchisedec, ad Christi typum referri, cujus profectus Ecclesiæ Sacramenta sunt.*

Objiciunt sextò verba Apostoli ad *Hebræos* 7. Vers. 7. *Sine ullâ contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur.* Ex quibus colligunt, Divinioris cujusdam naturæ fuisse *Melchisedecum*, nec in hominibus numerandum. Qui enim *Abrahamo* tanto Patriarchæ benedixit, major illo dignior que esse debuit.

Respondetur, Quòd etsi *Melchisedecus* dignitate, officio, mysterio, major fuerit *Abrahamo*, non sequitur quòd divinioris naturę fuerit. Sicut quamvis minimus in Regno cælorum sit major *Joanne Baptistâ*, quo major inter natos mulierum non fuit, non sequitur minimum illum in Regno cælorum divinioris esse naturæ quàm *Joannem Baptistam*. Hæc responsio confirmatur ex *S. Epiphanio* Hæresi 55. ubi de *Melchisedeco* scribit: *Qui Abrahamo benedixit, & ab eo decumam accepit. Ita enim fieri decebat, ut a Dei famulo Altissimi Sacerdos honoraretur; utque primus Abrahamus præputiato Sacerdoti Sacra celebranti munus offerret; quandoquidem futurum erat aliquando, ut circumcisionis proprium Sacerdotium originem ab illo ipso duceret, quo sublimitas omnis adversùs Dei cognitionem elata, cognitione deprimeretur, ac ne Circumcisio gloriosiùs sese jactitans, de Sacerdotiô posset cum Ecclesiæ Sanctæ Sacerdotio contendere. Cùm enim Abrahamus Melchisedecho decumam obtulerit, illiusque posteri Levi & Aaroni deinceps offerrent, ac nihilominus postea cùm attributum Circumcisioni Sacerdotium adhuc penes Aaronem ejusque stirpem*

*pem maneret*, *Divina per Davidem Scriptura*, *duodecim ab origine Levi generationibus evolutis*, *ab Aaronis verò successione septem*, *oraculum illud ediderit*, *argumento illud fuit*, *Sacerdotii dignitatem in Testamento Vetere perpetuò non esse mansuram*: *sed in eum ordinem esse transferendam qui Levi & Aaronem antecessit*. *Quod ipsum a Christo ad hodiernum usque diem in Ecclesiâ factum & administratum cernimus*: *ubi Sacerdotalis generis non ex ipsâ stirpe*; *sed ex virtutis formâ ac ratione delectus instituitur*. Confirmatur & ex *Theodoreto*, Quæstione 64. in Genesim. *Tum Rex*, inquit, *tum Sacerdos erat*; *Sacerdos autem Dei omnium*: *Unde etiam Abram Patriarcha obtulit ei spoliorum decimas*; *& cùm justus esset & amicus Dei ab eo benedictionem percepit*. *Typum enim gerebat Sacerdotii Dominici*. Ita & *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.2. *Glaphyrorum*, ubi ex eo quòd *Aaron* sanguine arietis inunctus sit & sanctificatus ut Sacerdotio fungeretur, cùm tamen ariete non esset inferior naturâ, sed significatione duntaxat in eo ritu præcelleret sanguis arietis, ut typus sanctificationis per sanguinem Christi, ita colligit: *Ne igitur*, *eos pudeat*, *etiamsi Abraham multò potior ac melior existens quàm Melchisedech*, *ab eo benedictus dicatur*. *Typus enim erat vincens non autem benedicentis natura*.

Objiciunt septimò verba Apostoli ad *Hebræos* 7. Vers.7. quibus Melchisedechus comparatur cum Levitis: *Et hìc quidem decimas morientes homines accipiunt*: *ibi autem contestatur*, *quia vivit*. Hic de Levitis, quibus decimæ dabantur, duo dici observant: alterum quòd homines, alterum quòd mortales fuerint. At hunc Sacerdotem, cui *Abrahamus* decimas dedit, non hominem, non mortalem fuisse, sed eum de cujus vitâ & æternitate testimonium habeamus omni exceptione majus; nempe illud *Davidis* quod profert Apostolus: *Tu es Sacerdos in æternum*, *secundùm ordinem Melchisedech*. Quasi dicat, Tu es ille, Justitiæ Pacisque Rex, ille Sacerdos qui vivis eternusque es, quem vidit *Abrahamus*, decimisque ac muneribus est veneratus, & *Melchisedecum* appellavit, cùm appellare eum majore atque ampliore nomine non posset. Id confirmant ex illis verbis Vers.15. & 16. *Et amplius adhuc manifestum est*: *si secundùm similitudinem Melchisedec exurgat alius Sacerdos*, *qui non secundùm legem mandati carnalis factus est*, *sed secundùm virtutem vitæ insolubilis*. Nimirum quod in Levitis fuisse negat, id in Melchisedeco & Messiâ ponit, *Virtutem vitæ indissolubilis*.

Respondetur 1. *Melchisedecum* habere testimonium quòd vivat, quia in Historiâ *Mosis* & in Psalmo *Davidis* Sacerdotium ejus commendatur nullâ mortis aut successoris mentione factâ; adeoque virtutem vitæ indissolubilis habere typicè duntaxat: Christo autem id convenire ut archetypo, & in rei veritate, quia Sacerdos est æternus & immortalis, qui de se ipse ait Apocal.1. *Ego sum primus & novissimus*: *& vivus*, *& fui mortuus*, *& ecce sum vivens in secula seculorum*, *& habeo claves mortis*, *& inferni*.

Respondetur secundò, Verba illa non tam ad *Melchisedeci* personam, quàm ad ejus Sacerdotium referenda, quod Levitico extincto adhuc superest & quasi vivit, ut Græcorum plerique explicant.

Objiciunt octavò, Apostolum Sacerdotium *Melchisedeci* extollere supra Sacerdotium Leviticum. *Si ergo*, inquit, *consummatio per Sacerdotium Leviticum erat* [ *Populus enim sub ipso Legem accepit* ] *quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem*, *& non secundùm ordinem Aaron dici*? Quibus significat Apostolus, Nullam consummationem rerum, quæ promissæ quondam erant, fieri potuisse per Leviticum Sacerdotium. Itaque opus fuisse Sacerdotio perfectore, cujusmodi fuit illud Messiæ, seu *Melchisedeci*. At si *Melchisedecus* mortalis homo fuit & Salemensium Rex & Sacerdos; absurdum est fingere quòd Sacerdotium ejus purius fuerit illo, quod tam perfectè juxta mentem Dei informavit *Moyses*; & quòd perfectior Dei cultus extiterit in mediâ Chananæâ, inter Infideles, quàm in familiâ & Ecclesiâ Patriarcharum.

Respondetur Sacerdotium *Melchisedeci* cum Regiâ ejusdem Dignitate conjunctum præstantius fuisse Levitico, tum quia ab insigniori Personâ administratum est, tum quia typus fuit excellentior & expressior Sacerdotii Christi, & Sacrificii Christianorum. Ut enim ait *S. Augustinus* Lib.16. *De Civitate Dei*, cap.22. *Ibi primùm apparuit Sacrificium*, *quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum*, *impleturque illud quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum*, *qui fuerat adhuc venturus in carne*, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. *Non scilicet secundùm ordinem Aaron*: *Qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus*, *quæ illis umbris prænotabantur*. Psal. 109. 4.

---

## PROPOSITIO IV.

*Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ*, *oblatione panis & vini a Melchisedeco significatum est*.

Sacerdotium Melchisedeci figuram fuisse Sacerdotii Christi manifestum est ex *Davidis* oraculo a *S. Paulo* usurpato ad æternitatem Sacerdotii Christi comprobandam ad *Hebræos* 7. vers.21. *Juravit Dominus*, *& non pœnitebit eum*, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*. At major difficultas est utrùm *Melchisedecus* sacrificio quoque suo incruentum Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ Sacrificium præfiguraverit. Id constanter asserunt Catholici Doctores; Hæretici Lutherani & Calvinistæ negant. Catholica sententia Scripturæ Sacræ verbis nititur *Genesis* 14. Vers.18. *At verò Melchisedec Rex Salem proferens panem & vinum*, *erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, *benedixit ei*. Ubi verbum *hotsi* quod in Textu Hebræo respondet τῷ *proferens*, relationem ad sacrificium habere constat ex istius loci collatione cum altero *Judicum* 6. Vers.18. & 19. ubi idem verbum *hotsi* usurpatur in Hebræo quo loco Vulgata nostra habet, *Nec recedas hinc*, *donec revertar ad te portans Sacrificium*, *& offerens tibi*. Verba sunt *Gedeonis* Angelum, qui humanâ specie ipsi apparuerat, rogantis, ut paulisper expectet donec afferat victimam Deo per ipsum offerendam. *Ingressus est itaque Gedeon*, *& coxit hœdum*, *& de farina modio azymos panes*: *carnesque ponens in canistro & jus carnium mittens in ollam*, *tulit omnia sub quercu*, *& obtulit ei*: ut scilicet Deo in Sacrificium illa offerret. *Cui dixit Angelus Domini*: *Tolle carnes & azymos panes*, *& pone supra petram illam*, *& jus desuper funde*. *Cùmque fecisset ita*, *extendit Angelus Domini summitatem virgæ*, *quam tenebat in manu*, *tetigit carnes & panes azymos*: *ascenditque ignis de petrâ*, *& carnes azymosque panes consumpsit*. Præterea tres ibi narrantur a *Mose* actiones *Melchisedeci*, quarum duæ posteriores sunt planè Sacerdotales, scilicet benedicere *Abrahamo*, & decimas ab eo accipere: prima igitur actio, scilicet prolatio panis & vini Sacerdotalis fuit & sacrifica. Quod enim pertinaciter contendunt Hæretici *Melchisedecum* protulisse

lisse panem & vinum *Abrahamo*, vel ut subsidium ad reficiendos Milites ex prælio fatigatos vel ut honorarium quod viris potentibus, maximèque victoribus ex bello redeuntibus offerri soleret, cujus moris plura exempla cùm sacra tum profana congerunt, omnino improbabile est: Nam *Abrahamus* cum spoliis opimis hostium & annonâ rediens, pane & vino ad reficiendos Milites aliunde quæsito non egebat; Nec moris unquam fuit ut panis & vini honorarium a majoribus inferioribus offerretur. *Melchisedec* autem major erat *Abrahamo*, utpote Rex & Sacerdos Dei Altissimi, quo nomine & illi benedixit, cùm *Sine ullâ contradictione quod minus est a meliore benedicatur*, (ut ait Apostolus.) Tertiò, cùm Scriptura Sacra pluribus in locis describat nobis Sacerdotium *Melchisedeci* ut distinctum ab Aaronico, & ut simillimum Sacerdotio Christi; conveniens certè fuit ut alicubi traderet, quale fuerit *Melchisedeci* Sacrificium. Siquidem Sacerdotium ad oblationem sacrificii institutum est, & ignorato sacrificio consequens est & Sacerdotium ignorari. Nusquam autem fit mentio Sacrificii a *Melchisedeco* oblati, nisi loco laudato Geneseos. Per prolationem ergo panis & vini, sacrificam actionem intelligere oportet. Denique id omnino conficitur ex verbis sequentibus, quibus Spiritus Sanctus rationem reddit cur *Melchisedecus* panem & vinum protulerit. *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*. Quæ ratio ad rem nullatenus pertineret, nisi panem & vinum ad Sacrificium protulisset, vel Deo priùs oblata *Abrahamo* tribuisset.

Neque verò ullius momenti est quod objiciunt Hæretici, Particulam causalem *chi* non esse in Hebræo, sed *vau* conjunctivam. Quod etiam observat hebraizans *Cajetanus*. Ex 70. vertunt: *Erat autem Sacerdos Dei Altissimi*. Quod & ita profert *S. Hieronymus*, Epistolâ 126. Id [inquam] nullius est momenti. Norunt enim Hebraicæ linguæ periti, conjunctivam particulam apud Hebræos sæpè vim habere causalis. Exempla sunt obvia. *Genesis* 20. Vers.3. sic legimus: *En morieris propter mulierem quam tulisti; habet enim virum*. Ubi Hebræi legunt, *Vehi behhulath bahal*. *Et ipsa habet virum*. Psalmo 124. *Non avertas faciem tuam a me, & similis ero descendentibus in lacum*. Ubi [*Et*] positum est pro (*quia*) hoc sensu: Quia si faciem averteris a me, similis ero descendentibus in lacum. *Isaia* 64. Vers.5. *Ecce tu iratus es, & peccavimus*: Id est, Tu iratus es, quia peccavimus.

Probatur secundò propositio nostra ex Traditione. Patres enim omnes quotquot *Melchisedeci* & Sacerdotii ejus meminerunt, illudque cum Sacerdotio Christi ut figuram cum veritate compararunt, prolationem panis & vini a *Melchisedeco* factam cùm *Abrahamo* victori occurrit, velut actionem sacram & sacrificam agnoverunt, & ut typum Eucharistici Sacrificii, quod in Ecclesiâ Catholicâ offertur, commendarunt. Hos inter primus laudandus venit *Clemens Alexandrinus* Lib.4. Stromatum pag.539. Edit. Paris.1641. *Melchisedec*, inquit, *Rex Salem, Sacerdos Dei Altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ*.

*Eusebius Cæsariensis* Lib.5. *Demonstrationis Evangelicæ*, Cap.3. ubi Psalmi 109. Oracula explicat. *Et sanè*, inquit, *Oraculi exitus admirabilis ei qui contempletur, quemadmodum Salvator noster Jesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedec ritu, ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos Ministros perficiat. Nam quemadmodum ille qui Sacerdos Gentium erat, nusquam videtur Sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit; ita sanè primus ipse Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt, Sacerdotes, in omnibus Gentibus, Spirituale secundùm Ecclesiasticas Sanctiones Sacerdotii Munus obeuntes, vino ac pane, & Corporis illius & salutaris Sanguinis Mysteria repræsentant; quæ sanè Mysteria Melchisedec tantò antè Spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat, sicut etiam Mosis Scriptura testificatur*, „ *ubi ait*: Et Melchisedec Rex Salem, protulit „ panes & vinum, erat autem Sacerdos Dei al„ tissimi, & benedixit Abraham. *Meritò igitur & cum jurisjurandi adjectione, uni ei de quo hic agimus talia promissa sunt*. Juravit, *inquit*, Do„ minus Deus, & non pænitebit eum, Tu es Sa„ cerdos in æternum secundùm ordinem Mel„ chisedec.

*S. Epiphanius Heresi* 55. Num.6. *Ei*, inquit, *Melchisedecus occurrit, ac panem ipsi vinumque protulit. Quo facto Mysteriorum significationes adumbravit, quæ Domini figuram exprimebant, qui dixit, Ego sum panis vivus. Sed & Sanguinis illius figuram, qui è perforato ipsius latere ad eorum, qui inquinati erant, expiationem aspersionemque manavit*. Joan.6.51.

*S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 36. in Genesim. *Vide*, inquit, *propter honorem in Patriarcham collatum, quomodo Sacramentum insinuatur. Protulit enim panem & vinum. Videns typum, cogita & veritatem, & admirare divinarum Scripturarum accuratam diligentiam, quemodo superioribus seculis & ab initio futura præsignata sint*. Et Homiliâ 36. *Quæ fiebant*, inquit, *Christi typus erant, & ipsa oblata Mysterium quoddam præsignabant*. Idem contra *Judæos* scribens, apud *Euthymium* in Panopliâ: *Deus*, inquit, *legalis extinctionem Sacerdotii præmonstrans, per Davidem dixit*: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. *Qui non legales hostias immolabat; sed preces, & panem ac vinum, ut Historia tradit. Manifestum igitur est, quòd cum Sacerdotio Aaronis sublatus est Legalis vivendi Ritus: Cum Melchisedeci verò Sacerdotio introductum est ei congruens Institutum*.

*S. Cyrillus Alexandrinus*, Lib.2. *Glaphyrorum* in Genesim. *Aptavit itaque divinus Paulus hæc ex similitudine clarâ ac manifestâ Melchisedec Christo. Statuit autem symbolum sive typum Sacerdotii præstantioris, quàm est legale, benedictionem Abrahæ factam, vinique & panum oblationem. Neque enim aliâ ratione benedicti sumus a Christo, magno ac vero Sacerdote*. Et infra: *Ipsum etiam Sacerdotii modum in exemplum rei manifestè ob oculos posuit. Panes enim & vinum obtulit Melchisedec ..... Qui erat similitudo ac typus Christi, non quidem carnaliter Sacerdotium administrantis, sed secundùm virtutem vitæ indissolubilis. Nutrit enim nos in immarcescibilem vitam Mysticis Sacrificiis*. Genes. 14. 18.

*Theodoretus Quæstione* 64. *in Genesim* ubi de *Melchisedeco* sic loquitur: *Typum gerebat Sacerdotii Dominici. Ideòque & Abrahæ panes & vinum vicissim dedit, ut qui fortasse solitus erat Deo omnium talia offerre. Oportebat enim & in hoc typum patefieri*. Et Commentario in Psalmum 109. *Melchisedech porrò non Judæorum, sed Gentium est Sacerdos. Sic & Dominus Christus non pro Judæis tantùm, sed pro omnibus hominibus semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem Sacerdotium in nocte, post* „ *quàm crucem subivit; cùm* Accipiens panem, Matt.26.
„ & gratias agens, fregit & dixit, Accipite & „ comedite ex eo, Hoc est corpus meum. Simi„ liter & calicem cùm temperasset, dedit Disci„ pulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est „ enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro „ multis effundetur in remissionem peccatorum. *Invenimus autem Melchisedec & Sacerdotem & Regem esse (figura enim erat veri Sacerdotis &*

Re-

*Regis*) *& offerentem Deo non victimas ratione carentes, sed panem & vinum. Hæc enim Abraha quoque obtulit, cùm Sacerdotii sui exemplar in lumbis Patriarcha secundùm Spiritum prævideret. Si igitur ex Davide Christus secundùm carnem ortus est, & David ex Judâ, & Pontificatum secundùm ordinem Melchisedec accepit Christus, Leviticum utique Sacerdotium cessavit, & in Juda Tribum majoris Sacerdotii benedictio transiit. Sacerdos autem nunc est Christus, ex Judâ secundùm carnem ortus, non ipse aliquid offerens, sed caput existens eorum, qui offerunt. Corpus enim suum Ecclesiam vocat, & per eam Sacerdotio fungitur ut homo, recipit autem ea quæ offeruntur, ut Deus. Offert verò Ecclesia Corporis ejus & Sanguinis symbola, totam massam per primitias sanctificans.*

*S. Isidorus Pelusiota* Lib. 1. Epistolâ 431. *Melchisedec, panibus ac vino Sacerdotis munus obiens, per quæ divinorum Mysteriorum typum adumbrabat.*

*S. Joannes Damascenus* Lib. 4. *De Fide Orthodoxâ*, Cap. 14. *Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem ille summi Dei Sacerdos Melchisedec pane ac vino excepit. Mensa illa Mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & Sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram & imaginem præ se ferebat,*
Psalm. 109. *Tu enim, inquit, es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.*

*Oecumenius* in Commentario Cap. 7. Epistolæ ad Hebræos. *Melchisedec primus hostiam sine sanguine Deo obtulit, nempe panem & vinum. Aut quia etiam Christus sine sanguine hostiam obtulit, deinde postmodum suum ipsius etiam Corpus: Propterea ergo aptè dictum est, Christum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec.* Et infra; *Significat sermo, quòd licèt Christus non obtulerit incruentam hostiam (Siquidem suum ipsius corpus obtulit). At tamen qui ab ipso fungentur Sacerdotio, quorum Deus Pontifex esse dignatus est, sine sanguine offerent. Nam hoc significat,* in æternum. *Neque enim de eâ quæ semel a Deo facta est oblatio & hostia dixisset,* In æternum: *Sed respiciens ad præsentes Sacrificos, per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur: qui etiam in Mysticâ Cœnâ modum illis tradidit hujusmodi Sacrificii.*

Patrum Latinorum agmen ducit *S. Cyprianus* Epistolâ 63. ad *Cæcilium* scribens: *Item in Sacerdote Melchisedec Sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod Scriptura Divina testatur & dicit:* Et Melchisedec Rex Salem „ protulit panem & vinum. Fuit autem Sacer„ dos Dei summi, & benedixit Abraham. *Quòd autem Melchisedec typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus ex personâ Patris ad Filium dicens:* Ante Luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. *Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quòd Melchisedec Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem ..... Ut ergo in Genesi per Melchisedec Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Christi, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.*

*S. Hieronymus* in Epistolâ 17. ad Marcellam. *Recurre*, inquit, *ad Genesim: & Melchisedec Regem Salem, hujus Principem invenies Civitatis: Qui jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & Mysterium Christianum in Salvatoris Sanguine & Corpore dedicavit.* Et Epistolâ 126. ad Evagrium, *Ordinem Melchisedec*, & Sacerdotium sic interpretari dicit Græcos Patres: *Quod non carnis & sanguinis victimas immolaverit, & brutorum animalium sanguinem dexterâ susceperit; sed pane & vino, simplici, puroque sacrificio, Christi dedicaverit Sacramentum.*

*S. Augustinus* Libro octoginta trium Quæstionum, Quæst. 61. *Dominus noster Jesus-Christus ipse est Sacerdos noster in æternum secundùm ordinem Melchisedec, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris; & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit: ut illud quod Melchisedec obtulit Deo jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesiâ videamus offerri.*

Item Libro contra Adversarium Legis & Prophetarum, Cap. 20. *Noverunt*, inquit, *qui legunt, quid protulerit Melchisedec, quando benedixit Abrahamo; & jam sunt participes ejus. Vident tale Sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.* Lib. 16. *De Civitate Dei*, Cap. 22. de *Melchisedeco* agens, & *Abrahamo* ab illo benedicto: *Ibi quippe*, inquit, *primùm apparuit Sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne:* Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. *Non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.* Et Lib. 17. Cap. 17. *Et eò*, inquit, *quòd jam nusquam est Sacerdotium & Sacrificium secundùm ordinem Aaron; & quòd ubique offertur sub Sacerdote Christo quod protulit Melchisedec, quando benedixit Abraham, quis ambigere permittitur, de quo ista dicantur?* Lib. 18. Cap. 35. *Hoc Sacrificium*, inquit, *per Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedec cùm in omni loco a Solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri; Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est, Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt.*

Tractatu in Psalmum 33. Concione 1. *Erat autem, ut nostis, Sacrificium Judæorum antea secundùm ordinem Aaron in victimis pecorum; & hoc in mysterio. Nondum erat Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, quod Fideles norunt, & qui Evangelium legerunt; quod Sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo Sacrificia; & illud secundùm ordinem Aaron; & hoc secundùm ordinem Melchisedec, de quo dicitur, Tu es Sacerdos in æternum, &c.* Et Concione 2. *Ipse*, inquit, *de Corpore & Sanguine suo instituit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedec.*

Tractatu in Psalmum 109. *Judæi*, inquit, *vident periisse jam Sacerdotium secundùm ordinem Aaron, & non agnoscunt Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedec.* Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. *Fidelibus loquor. Si quid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam. Non ergo opus est Mysteria promere: Scriptura vobis intimet, quid est Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedec.*

Epistolâ 95. quæ est 177. postremæ Editionis Parisiensis, ad *Innocentium I.* Pontificem Maximum datâ: *Melchisedec*, inquit, *prolato Sacramento Mensæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium figurare.*

*S. Cæsarius Arelatensis* Homiliâ 7. *Hic ergo in Melchisedec*, inquit, *cujus genealogia vel origo notitiam illius temporis latuit, oblatione panis & vini hoc Christi Sacrificium præsignavit:* Nimirum Corporis & Sanguinis ejus, quod in Eucharistiâ exhibetur & offertur. *Caf-*

*Cassiodorus* in Psalmum 109. hæc verba explicans, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*, &c. hæc habet: *Hoc etiam Propheta promisisse Filio commemorat Patrem. Cui enim potest veraciter istud & evidenter aptari, nisi Domino Salvatori, qui Corpus & Sanguinem suum in panis ac vini erogatione salutariter consecravit? Quem ordinem per mysticam similitudinem Melchisedec Justissimus Rex instituit, quando Dominus panis & vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt ordinis Aaron; & Melchisedec manere potiùs Institutum, quod toto orbe in Sacramentorum erogatione celebratur.*

*Paschasius Radbertus* in Epistolâ ad Frudegardum: *Volo*, inquit, *perpendat fidelis animus, quid intersit inter illud typicum Pascha, quo agnus immolatus est, & in eâdem Cœnâ comestus; & istud, quod secundùm ordinem Melchisedec in pane & vino continuò celebratur.* Et mox: *Deinde Corpus & Sanguis in Calice ad expletionem factum est veritatis, ut quod in Melchisedec præcesserat, totum compleretur in Christo.*

*Potho Prumiensis* Lib. 2. De Statu Domûs Dei. *Denique*, inquit, *præter unum verum summumque Sacrificium, quod secundùm ordinem Melchisedec in consecratione Eucharistiæ offerimus, nullum aliud Munus præstantius Altari Sancto superponimus.*

Sanè *Melchisedecum* figuram fuisse Sacerdotii Christi in eo præsertim quod panem & vinum obtulerit, adeòque Christum Sacerdotem esse secundùm ordinem *Melchisedec*, quatenus figuram illam complet, Corporisque ac Sanguinis sui exhibet veritatem, Deoque per Sacerdotes illa offert in Eucharistiæ Sacrificio, ut Patres summo consensu interpretantur, hæc ratio luculenter confirmat. Siquidem Christus est Sacerdos secundùm ordinem *Melchisedec*, in Sacrificio, sive in eo quod est primum hujus Sacerdotii, cum eo convenire debet. Nihil autem illius Sacerdotii proprium est, nisi forma ritusque talis Sacrificii. Quòd enim *Melchisedec* benedixerit & decimas acceperit, hujus Sacerdotii non est proprium, sed commune ipsi cum Sacerdotio Levitico. Quòd oleo sensibili non fuerit unctus *Melchisedecus*, neque successerit alteri, nec alius ipsi successerit, non est proprium *Melchisedec*, sed commune cum *Abel*, aliisque nonnullis. Denique quòd ejus genealogia scripta non sit, ac propterea sit typus æterni Sacerdotii Christi, præter quàm quòd extrinsecum est Sacerdotio, non est proprium *Melchisedec*, sed commune cum *Job*, *Eliâ* & aliis, quos fuisse Sacerdotes exploratum est ex Scripturâ sacrâ, quæ tamen eorum genealogiam non describit, ut observat *S. Epiphanius Hæresi* 55. Cùm itaque oblatio panis & vini, incruenti scilicet, puri, simplicisque Sacrificii, propria fuerit Sacerdotii *Melchisedeci*, Christus secundùm ordinem *Melchisedec* Sacerdos in æternum, hoc functus est Sacerdotio, quatenus ex pane & vino Corpus & Sanguinem suum mysticis verbis consecravit, & in Sacrificium sub eorundem elementorum speciebus Deo obtulit, ut veritatem, cujus typum exhibuerat *Melchisedecus*, impleret; illudque per Novæ Legis Sacerdotes eodem Ritu quem in supremâ Cœnâ instituit, offerre non cessat. Sic æterno Sacerdotio fungitur, quia ejus Sacrificium perpetuum est, quod Sacrificio Crucis non convenit, quod semel dumtaxat est oblatum, & ratione tantùm effectûs, scilicet redemptionis humani generis, æternum dici potest; sed uni Sacrificio Eucharistiæ, quod omni tempore in Ecclesiâ celebratur, & ad finem usque seculorum celebrabitur.

At, inquies, proprium & singulare Sacerdotii *Melchisedec* insigne non fuit panis & vini oblatio in Sacrificio. Nam & Levitici Sacerdotes in jugi Sacrificio, quod manè & vespere singulis diebus offerebant, panem adhibebant & vinum, ut scriptum est *Numer.* 28.

Respondetur, Longè diversam esse istius & *Melchisedechiani* Sacrificii rationem. Jugis enim Sacrificii præcipua materia erat agnus anniculus; panis autem & vinum ut adjuncta, & quædam (ut ita dicam) illius Sacrificii condimenta adhibebantur: nec panis ille vulgaris erat & usitatus, simplexque & purus, sed azymus & oleo conspersus.

Objicies, Si *Melchisedec* typus fuisset Sacerdotii ac Sacrificii Christi quatenus panem & vinum obtulit; & Christus hanc figuram implevisset cùm instituit Eucharistiæ Sacrificium; *S. Paulus* de Sacerdotio Melchisedeci disserens, illudque cum Levitico comparans, & Sacerdotium Christi non secundùm ordinem *Aaron*, sed secundùm ordinem *Melchisedec* fuisse commemorans, tum oblationis panis & vini a *Melchisedeco* factæ, tum Sacrificii Eucharistiæ, quod eâ oblatione significatum est; meminisset. Neutrius porrò meminit; quod argumento est *S. Paulum* figuram illam non agnovisse.

Respondetur, *S. Paulum* oblationis panis & vini a *Melchisedeco* factæ, & Eucharistiæ quam illa oblatio significabat, non meminisse, quòd ejus instituto & consilio id nullatenus conduceret. Quatuor enim sibi probanda ac declaranda sumpsit Apostolus, ad quæ nullatenus pertinet rerum istarum commemoratio. Probat primò Sacerdotium Christi minimè futurum fuisse secundùm ordinem Leviticum; quia *David* quadringentis amplius annis post institutionem Levitici Sacerdotii, vaticinatus est Christum futurum Sacerdotem in æternum secundùm ordinem *Melchisedec*; tum quia Christus ortus non fuit de Tribu Levi, sed de Tribu Juda, ex quâ nullus unquam Sacerdotio functus est. Secundò, ostendit Apostolus Sacerdotium Christi multò præstantius futurum Levitico; quia Christus futurus erat Sacerdos secundùm ordinem *Melchisedec*. Porrò *Melchisedecum* majorem & præstantiorem *Abrahamo* innuit Scriptura, utpotè qui *Abrahamo* benedixerit, ab eoque decimas acceperit. Quare cùm *Levi* tunc fuerit in lumbis Patris sui *Abrahæ*, ipse quoque unà cum illo benedictionem accepit a *Melchisedeco*, eique decimas solvit. Tertiò docet Apostolus, Sacerdotium Leviticum æternum futurum non fuisse, sed aliquando tandem aboleri debuisse, quia Deus per *Jeremiam* promisit se daturum Hebræis Pactum & Testamentum Novum, diversum *Jerem.* 31.
ab eo quod eis olim dederat in deserto. *Dicendo autem novum* [inquit Apostolus] *veteravit prius; quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Quartò, demonstrat Apostolus infirmitatem ac inefficacitatem Sacerdotii & Sacrificii Levitici; contrà verò vim incredibilem & efficacitatem Sacerdotii & Sacrificii Christi, ex duobus capitibus. Primùm quòd Sacerdotes Levitici multi fuerint & diversi, alii succedentes aliis; cùm enim mortales essent, iidem Sacerdotio fungi semper non poterant morte prohibente: Christus autem unicus est & æternus Sacerdos. Deinde quòd Levitica Sacrificia multiplicabantur, & per singulos annos iterabantur, utpote per se imperfecta & inefficacia; At verò Christus unicâ oblatione sui & remissionem peccatorum, & sanctificationem in æternum consummavit. Ex his liquet, ab Apostoli instituto prorsus alienam fuisse sacrificii panis & vini a *Melchisedeco* oblati, aut Sacrificii Eucharistiæ, quòd Melchisedechiano significatum est, commemorationem.

SCHO-

### SCHOLION.

Eucharistia, cujus typus fuere panis & vinum, a Melchisedech oblata, dari non debet nisi Abrahæ imitatoribus, veris Fidelibus, victoribus hostium, id est Dœmonum, vitiorum, & cupiditatum suarum. Unde Dominus in Apocalypsi ait:
Apoc.2.17. *Vincenti dabo Manna absconditum.*

# DISSERTATIO IV.

## DE TERRÆ PROMISSÆ finibus a Deo descriptis; & de Sacrificio, cujus oblationem Abrahamo Deus imperavit in promissionis Argumentum.

I. Terræ promissæ fines a Deo describuntur *Genesis* 15. his verbis: *In illo die pepigit Dominus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo Terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem, Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Jebusæos.* Iidem fines designantur *Exodi* 23. Vers.31. *Ponam autem* [ inquit Deus ] *terminos tuos a Mari Rubro usue ad Mare Palæstinorum, & a Deserto usque ad fluvium: Tradam in manibus vestris habitatores Terræ, & ejiciam eos de conspectu vestro.* Et Josue 1. Vers.4. *A Deserto & Libano usque ad fluvium magnum Euphratem, omnis Terra Hethæorum usque ad Mare Magnum contra Solis occasum erit terminus vester.* Fluvius Ægypti Terræ promissæ terminus erat ad Meridiem, Euphrates verò ad Septemtrionem. Fluvius ille Ægypti non est Nilus; alioquì magna pars Ægypti, itemque Arabia & Madianitis ad Hebræorum ditionem pertinuissent; sed est parvus fluvius e Nilo derivatus, inter Pelusium & Palæstinam per latissimam solitudinem decurrens, & Mare Mediterraneum intrans, quod Ægyptiacum sive Phœnicium appellatur. Hunc fluvium ita describit *S. Hieronymus* in Libello de Locis Hebraicis: *Est Rivus Nili de eremo veniens, atque inter Rhinocoluram & Ægyptum in Mare ingreditur Mediterraneum.* Ideo *Genesis* 15. vocatur *Fluvius Ægypti*, & 3. *Regum* 8. Vers.65. *Rivus Ægypti*; & *Numer.*34. vers.5. *Torrens Ægypti*; ut & *Josue* 15. vers.4. Quia fluit in confinio Ægypti & Palęstinæ, quà tamen Ægyptus vergit ad occasum; quam ob causam, & quia definit in Mare Mediterraneum, quod est occidentale Judææ, 70. Interpretes *Amos* 6. eum appellaverunt *Torrentem Occidentis.* Vel dicitur *Fluvius Egypti*, quòd ortum habeat in Ægypto, ex Nilo scilicet qui Ægyptum alluit. Vocatur etiam *Torrens deserti*. Amos 6. quòd per vastissimam solitudinem interjacentem inter Pelusium & Palęstinam in Mare præcipiti cursu defluat. *Fluvius turbidus* appellatur *Josue* 13. quòd turbidas habeat aquas. Alter promissæ Terræ terminus est *Euphrates*, qui *Exodi* 23. & *Josue* 24. solo *Fluminis* nomine per antonomasiam indigitatur.

II. At difficultatem non levem facessit, quòd *Numerorum* 34. ubi Terræ promissæ fines accuratissimè describuntur, & omni ex parte determinantur, ea non ultra *Emath* extenditur, quod longissimè distat ab Euphrate. Sic & 3. *Regum* 8. vers.65. Terræ ab Israëlitis possessæ fines designantur *Ab introitu Emath, usque ad Rivum Egypti.* Quin etiam brevioribus terminis Terram promissam circumscribit quandoque Scriptura sacra, scilicet *A Dan usque Bersabee*, 1. Regum 3. Vers. 20. & 3. Regum 4. Vers.25.

---

### PROPOSITIO I.

*Quamvis totum illum Terrarum tractum, qui ab Ægypti fluvio ad Euphratem interjacet, nusquam possederint Hebræi, stat nihilominus divinæ promissionis inconcussa veritas.*

III. Sanè longè citra Euphraten ab ipso Deo definita est Israëlitarum hæreditas, quam sortitò partiri inter se jussi sunt Numerorum 34. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Præcipe filiis Israël, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis Terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur. Pars meridiana incipiet a Solitudine Sin, quę est juxta Edom: & habebit terminos contra Orientem Mare Salsissimum. Qui circuibunt Australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, & perveniant a Meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad Villam nomine Adar, & tendent usque ad Asemona. Ibitque per gyrum terminus ab Asemonâ usque ad Torrentem Ægypti, & Maris magni litore finietur. Plaga autem Occidentalis a Mari magno incipiet, & ipso fine claudetur. Porro ad Septemtrionalem plagam a Mari magno termini incipient, pervenientes usque ad Montem altissimum, a quo venient in Emath usque ad terminos Sedada: ibuntque confinia usque ad Ephrona, & Villam Enan. Hi erunt termini in parte Aquilonis. Inde metabuntur fines, contra Orientalem plagam de Villâ Enan usque Sephama, & de Sephamâ descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: Inde pervenient contra Orientem ad Mare Cenereth, & tendent usque ad Jordanem, & ad ultimum salsissimo claudentur Mari. Hanc habebitis Terram per fines suos in circuitu:* Porrò quàm longè dissiti sint ab Euphrate hi fines quibus Terra promissa circumscribitur, in Geographiâ hospes est omnino & peregrinus qui non videt. Sed ne illam quidem longè angustiorem regionem adversùs priscos incolas totam obtinere Israëlitas potuisse, in *Judicum* Historiâ multis comprobatum est exemplis. Numquid ergo divinarum promissionum frustrata veritas est? Nequaquam. Deus enim Israëlitis fines diversos duos despondisse videtur atque destinasse: alteros qui non ultra eum locum, qui aditus sive introitus ad Emath appellatus est, extendebantur ad Septemtrionem: alteros verò qui ulteriùs ad Euphratem usque excurrebant: & illis quidem angustioribus primùm contentos vivere, forte inter se distributis, voluisse Deum, donec magis magisque propagati spatio ampliore opus haberent. Cùm verò freti Deo illos universos occupassent; neque barbaris Deoque invisis Gentibus quicquam illic reliqui fecissent; tum demum fore tempus, quo possent ultra progredi, & ad Euphratem usque omnia sub ditionem suam loca, pulsis possessoribus pristinis redigere, sibique ut hæreditatem suo jure vindicare: si tamen perpetuâ adversùs Deum pietate dignos se ampliori ejus liberalitate præstitissent. Non igitur periclitatur veritas promissorum divinorum, etiamsi Hebræos nunquam hæreditarias suas possessiones ad Euphratem usque protulisse fateamur: quando illi plerumque ita impii erga Deum fuerint, ut mirari potiùs oporteat Dei indulgentiam, qui tamdiu illos in ipsâ Chananæâ manere passus sit. Ita differit Scripturæ doctissimus Interpres *Andreas Masius Commentar. in Josue cap.1.*

IV. Quam ille doctrinam ex *S. Hieronymo* hause-

ferat, Epistolâ 129. *Dardano* inscriptâ, in quâ hæc habet: *Respondeant mihi* (inquit) *qui hanc Terram, quæ nunc nobis Christi Passione & Resurrectione Terra repromissionis effecta est, possessam putant a populo Judæorum, postquam reversus est ex Ægypto, quantùm possederit? Utique a Dan usque Bersabee, quæ vix centum sexaginta millium in longum*
3. Reg. 4. *spatio tenditur. Neque enim David & Salomon, potentissimos Reges exceptis iis quos post victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuisse Scriptura testatur. Et hoc dico, ut taceam quinque Palæstinæ Civitates, Gazam, Ascalonem, Geth, Accaron, & Azotum: Judæos quoque a meridianâ plagâ vix septuaginta quinque millibus ab Hierosolymâ separatos; Arabas & Agarenos, quos nunc Saracenos vocant, in viciniâ Urbis Jerusalem. Pudet dicere latitudinem Terræ repromissionis, ne Ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur. Ab Joppe usque ad viculum nostrum Bethleem quadraginta-sex millia sunt; cui succedit vastissima Solitudo, plena ferocium Barbarorum, de quibus dicitur*: Contra
Genes. 16. faciem omnium fratrum tuorum habitabis: *& quorum facit Poëta eloquentissimus mentionem*: Latéque vagantes Barcæi, *a Barce oppido, quod in solitudine situm est: quos nunc corrupto sermone Afri Barcianos vocant. Hi sunt qui pro locorum qualitatibus diversis nominibus appellantur, & a Mauritaniâ per Ægyptum, Africam, Palæstinamque, & Phœnicem, Cœlen Syriam, & Osrhoenem, Mesopotamiam atque Persidem, tendunt ad Indiam. Hæc est, Judæa, tuarum longitudo & latitudo terrarum: in his gloriaris; super his te per diversas Provin-*
Apocal. 3. 17. *cias ignorantibus jactitas*: Ad Populum phaleras; ego te intus & in cute novi. *Quod si objeceris, Ter-*
Num. 34. *ram repromissionis dici, quæ in Numerorum Volumine continetur, a Meridie Maris Salinarum per Sina & Cadesbarne, usque ad Torrentem Ægypti, qui juxta Rhinocoluram Mari magno influit: & ab Occidente ipsum Mare, quod Palæstinæ, Phœnici, Syriæ-Cœle, Ciliciæque protenditur: Ab Aquilone Taurum Montem, & Zephyrium, usque Emath, quæ appellatur Epiphania Syriæ: ad Orientem verò per Anthiochiam, & Lacum Cenereth, quæ nunc Tiberias appellatur: & Jordanem, qui Mari influit Salinarum, quod nunc Mortuum dicitur: Trans Jordanem autem duorum & semis Tribuum possessio est, Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribûs Manasse. Et ego fateor hæc tibi repromissa, non tradita: Si observasses mandata Dei, & in præceptis illius ambulasses; si non pro omnipotenti Deo coluisses Beelphegor, & Baal, Beelzebud, & Chamos quos quia prætulisti Deo, omnia quæ tibi promissa fuerant, perdidisti. Et mihi in Evangelio promittuntur Regna Cælorum, quæ Instrumentum Vetus omnino non nominat. Sed si non fecero quæ præcepta sint, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me, qui promissum accipere non merui. Ubi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, frustra cupias quod promissum est. Lege Librum Josue, & Judicum, & quantis possessionum angustiis sis coarctatus, intelliges. Quid diversarum Urbium Alienigenas commemorem, quos Populus Judæorum non quivit expellere de Urbibus & sedibus suis? Cùm ipsa Metropolis tua, priùs Jebus, postea Salem, tertiò Hierosolyma, & nunc Ælia, Jebusæos expellere non valuerit, sed manserit cum eis in scandalum exemplumque vicinorum.*

V. Mens alia fuit *Cajetani* & *Oleastri* Clarissimorum nostri Ordinis Interpretum, qui Dei promissum de Terrâ ab Hebræis usque ad Euphratem possidendâ tempore *Davidis* impletum censent: idque ex Libro 2. *Regum*, cap. 8. colligunt, ubi hæc leguntur: *Percussit David Philisthiim, & humiliavit eos, & tulit David Frenum tributi de manu Philisthiim. Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terræ: Mensus autem duos est funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo. Et percussit David Adarezer filium Robob Regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten. Et captis David ex parte ejus mille septingentis Equitibus, & viginti millibus Peditum, subnervavit omnes jugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer Regi Soba: & percussit David de Syriâ viginti duo millia virorum. Et posuit David præsidium in Syriâ Damasci; factaque est Syria David serviens sub tributo*: Eadem referuntur 1. *Paralipomenon* 18.

VI. Verùm cùm ambiguum sit, de quo verba illa intelligenda sint, *Quando profectus est ut dominaretur supra Euphraten*, de *Davide*, an de *Adarezer*, & ad *Adarezer* probabiliùs referantur, divinæ promissionis effectum ad *Salomonis* tempora verisimiliùs refert *S. Augustinus*. Salomonem quippe suo subditas Imperio habuisse Gentes omnes, Terramque totam a flumine Euphratis usque ad terminos Ægypti, colligit ex 3. *Regum*, cap. 4. Vers. 21. ubi sic legimus: *Salomon autem erat in Ditione suâ, habens omnia Regna a flumine Terræ Philisthiim, usque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & servientium ei cunctis diebus vitæ ejus*. Et Vers. 24. *Ipse enim obtinebat omnem Regionem, quæ erat trans flumen a Thaphsâ usque ad Gazam, & cunctos Reges illarum Regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu*. Observat autem *S. Augustinus*, Terram Hebræis promissam duplicem esse; primam in quâ septem Gentes Deo invisæ habitabant, Amorrhæus, Hethæus, Pherezæus, Gergesæus, Evæus, Jebusæus, & Chananæus: quas quidem Gentes ejicere, delere, exterminare debebant Israëlitæ, ut Terram, sorte inter se distributam incolerent. Hæc porrò Terra, quæ Chananæa solet appellari, longiùs non extendebatur quàm a Dan usque Bersabee, vel ab Introitu Emath usque ad Fluvium sive Torrentem Ægypti. Alteram Terram seu potiùs Terræ Hebræis promissæ partem, protensam ultra Chanaanitidem usque ad Euphraten *S. Augustinus* censet; quæ tamen ita ipsi promissa fuerit, ut eam Imperio suo subjicerent, ejusque incolas vectigales sibi facerent, non ut eam pulsis ac exterminatis indigenis incolerent. Distinctionem illam suam fundat *S. Augustinus* in his *Deuteronomii*, verbis, cap. 20. *Si quando accesseris ad expugnandam Civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus Populus, qui in eâ est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tuâ, percuties omne quod in eâ generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus & infantibus, jumentis, & cæteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam Exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis Civitatibus, quæ a te procul valde sunt, & non sunt de his Urbibus, quas in possessionem accepturus es. De his autem Civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere: sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*. Jam *S. Augustini* verba quæ ad præsentem Quæstionem maximè faciunt, exhibere operæ pretium est. *Proinde*, inquit, *his atque aliis Scripturarum locis sæpè ostenditur, harum septem Gentium Terras ita accepisse in hæreditatem filios Israël, ut non cum eis qui easdem Terras tenebant, sed pro eis illic habitarent. Veruntamen in Genesi non istæ tantùm septem Gentes, sed undecim promittuntur* Genes. 15. 18. 19. &c.
„*semini Abrahæ. Sic enim legitur*: In die illâ dispo-
„suit Dominus Deus testamentum ad Abraham,
„dicens

„ dicens, Semini tuo dabo Terram hanc, a flumine „ Ægypti usque ad flumen magnum, flumen Euphratem, Cenæos, & Cenesæos, & Cetmonæos, „ & Cetthæos, & Pheresæos, & Raphaim, & Amorrhæos, & Chananæos, & Evæos, & Gergesæos, „ & Jebusæos. *Quæ ita solvitur Quæstio, ut intelligamus hanc præcessisse Prophetiam, quod in eos fines Regnum fuerat porrecturus & dilataturus Salomon,* „ *de quo ita scriptum est*, Et omne propositum *Salomonis*, quo destinaverat ædificare in Jerusalem & „ Libano, & in omni Terrâ potestatis suæ; Omnis „ Populus qui derelictus est a Cetthæo & Amorrhæo „ & Pheresæo & Evæo & Jebusæo, qui non erant „ ex Israël, ex filiis eorum, qui residui erant cum „ eis in Terrâ, quos non consumpserant filii Israël, „ & subjugavit eos Salomon in tributum usque in „ diem hunc. *Et residua Populorum debellandorum atque omnino ex Dei præcepto perdendorum subjugavit Salomon in tributum, quos utique secundùm Dei præceptum perdere debuit: sed tamen subjugati tanquam tributarii possessi sunt. Paulò post autem ita* „ *legitur*: Et erat dominans in omnibus Regibus „ a Flumine usque ad Terram Philistiim, & usque „ ad fines Ægypti. *Ecce ubi impletum est, quod in Genesi Deus ad Abraham loquens, promittensque prædixerat. A Flumine quippe hic intelligitur, ab Euphrate: Magnum enim flumen in illis locis, etiam proprio nomine non addito, potest intelligi. Neque enim de Jordane hoc accipi potest, cùm & citra Jordanem, & ultra Jordanem jam terras Israëlitæ obtinuerant & ante Regnum Salomonis. Ergo a flumine Euphrate ex partibus Orientis, usque ad fines Ægypti, quæ pars illis erat ab Occidente, Regnum Salomonis Scriptura Regnorum dixit fuisse porrectum. Tunc ergo ampliùs subjugatum est, quàm septem illæ Gentes tenebant; ac per hoc tunc in servitutem redactæ sunt, non septem, sed undecim Gentes. Quod enim in Regnorum Libris scriptum est, Usque ad fines Ægypti a flumine, cùm Scriptura ab Oriente usque ad Occidentem quantùm porrectum esset Regnum vellet ostendere: hoc idem in Genesi, cùm ab Occidente usque ad Orientem præfiniretur, dictum est, A flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem. Flumen quippe Ægypti, qui finis est disterminans Regnum Israël ab Ægypto, non est Nilus, sed alius est non magnus fluvius, qui fluit per Rhinocoruram Civitatem, unde jam ad Orientem versùs incipit Terra promissionis. Sic ergo fuerat constitutum filiis Israël, ut septem Gentium Terras, exterminatis & perditis illis Gentibus, ipsi inhabitarent: Aliis autem regnarent subditis atque tributariis usque ad flumen Euphratem. Et quamvis in hoc Deo non obtemperassent, quia & ex illis quas & exterminare deberent, obedientes aliquas fecerant: Deus tamen temporibus Salomonis fidem suæ promissionis implevit.*

3. Reg. 10. 21. apud 70. 9. 19. in Vulg.

3. Reg. 10. 26. apud 70. 4. 21. in Vulg.

VII. Huic *S. Augustini* sententiæ subscriberem, nisi in *S. Hieronymi* partes me Scripturæ Sacræ auctoritas inclinaret, ex quâ manifestum est, Terram, quæ ultra Chananitidem ad Euphratem usque protendebatur, ita promissam Hebræis, ut non solùm eis foret subdita & vectigalis, ut vult *S. Augustinus*, sed etiam tanquam hereditaria eorum possessio. Id colligitur ex *Deuteronomii*, cap. 19. Vers. 8. 9. 10. *Cùm autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit Patribus tuis, & dederit tibi cunctam Terram, quam eis pollicitus est [si tamen custodieris mandata ejus, & feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus omni tempore] addes tibi tres alias Civitates, & supra dictarum trium Urbium numerum duplicabis; ut non effundatur sanguis innoxius in medio Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus.* Quod ex *Josue* 1. vers. 3. & 4. confirmatur: *Omnem locum* (inquit Deus) *quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. A Deserto & Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis Terra Hethæorum usque ad Mare Magnum, contra Solis occasum, erit terminus vester.* Ex his locis duo conficiuntur, ut ante nos *Masius* vir doctissimus observavit; alterum, laxiores illos fines Israëlitas nequaquam initio possessuros fuisse; sed tunc demum, ubi diutinâ in Deum observantiâ atque amore se ipsi majore Dei liberalitate dignos præstitissent. Alterum, illud Terræ auctarium, si quidem aliquando prioribus possessionibus adjunctum esset, non minùs quàm Chananitidem, proprium & hereditarium esse futurum, non autem vectigale. Porrò quamvis negari non possit, *Davidem* & *Salomonem*, ultra fines a *Josue* designatos, multis Provinciis, partim subactis, partim voluntariis imperasse: probari tamen non potest iis Provinciis potitos esse Hebræos ut hereditariis possessionibus, & nova in illis Asyla ut in Terrâ suâ instituisse, quemadmodum Deus jusserat. Scilicet harum Gentium dominationem Deus illis permiserat, non excidium. Sanè post illa quæ de Imperii *Salomonis* amplitudine scripta proferunt *S. Augustinus*, & qui ipsum sequuntur Commentatores, mox subdit Scriptura 3. *Regum* 4. Vers. 25. *Habitabatque Juda, & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite suâ, & sub ficu suâ, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.* Et cap. 8. Vers. 65. narrat Scriptura quomodo dedicato Templo *Fecit Salomon Festivitatem celebrem, & omnis Israël cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad Rivum Ægypti.* Nemo certè non videt, etiam in amplissimo illo *Salomonis* Imperio Hebræos non ultra terminos a *Josue* definitos habitavisse. Denique si quis duodecim Præfecturas, quas instituit *Salomon*, quo tempore Imperii gloria maximè florebat, nominatorum locorum observatione peragret (3. *Regum* 4.) nullas fuisse extra Chananæam institutas fatebitur. Externum igitur illud *Salomonis* usque ad Euphratem Imperium, securitatem quidem & pacem Israëlitis, non item ampliores possessiones peperit. Neque verò absurdum est, si quæ sub conditione promittuntur, ut eâ non extante conditione, nunquam præstentur. Nec propterea irritum fuisse Dei consilium, vanaque promissa putandum est; quippè quæ in veris Israëlitis, veroque Semine Abrahæ, id est, in Christi Ecclesiâ, cumulatissimè impleta sint, ut observat *S. Hieronymus* in laudatâ Epistolâ ad *Dardanum*.

VIII. Cùm Deus Terram Chanaam *Abramo* promisisset, Sanctus Patriarcha signum futuræ possessionis postulavit, non quasi de promissionis divinæ veritate dubitans, sed modum, ordinem & tempus adimplendæ promissionis nosse cupiens, ut explicant S. Joannes Chrysostomus, S. Augustinus, & Theodoretus. *Domine Deus*, inquit, *unde scire possum, quòd possessurus sim eam?* Mox Deus præcepit *Abramo* ut certa animalia & aves sumeret, ad percutiendum fœdus solemni ritu, offerendumque Sacrificium. *Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens universa hæc divisit ea per medium, & utrasque partes contra se a trinsecus posuit; aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abram. Cùmque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus invasit eum. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in Terrâ non suâ, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen Gentem, cui servituri sunt, ego judicabo: & post hæc egredientur cum magnâ substantiâ. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace*

S. Chrysost. Homil. 36. in Genes. S. August. Lib. 16. De Civit. Dei, Cap. 24. Theodoret. Quæst. 64. in Genes.

*pace, sepultus in senectute bonâ. Generatione autem quartâ revertentur huc: Nedum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo Terram hanc, &c.*

---

### PROPOSITIO II.

*Sacrificium in signum Terræ Promissæ Abramo a Domino præscriptum, & Prophetica futurorum figura fuit, & solemnis pactio fœderis Deum inter & Patriarcham humano more initi.*

IX. Probatur primò auctoritate *S. Augustini, Libro 16. De Civitate Dei*, cap. 24. *Hic*, inquit, *similitudo data est de animalibus, juvencâ, caprâ, & ariete, & duabus volucribus turture & columbâ: ut secundùm hoc futurum sciret quod futurum esse non ambigeret. Sive ergo per juvencam significata sit plebs posita sub jugo Legis, per capram eadem plebs peccatrix futura, & per arietem eadem plebs etiam regnatura: quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cùm sint insignes articuli temporum ab Adam usque ad Noe, & inde usque ad Abraham, & inde usque ad David, qui reprobato Saule primus in Regno Gentis Israëliticæ est Domini voluntate fundatus; in hoc ordine tertio, qui ostenditur ex Abraham usque ad David, tanquam tertiam Ætatem gerens ille Populus adolevit: (Sive aliquid aliud convenientius ista significent;) nullo tamen modo dubitaverim, Spiritales in eâ præfiguratos additamento turturis & columbæ. Et ideo dictum est*, Aves autem non divisit: *Quoniam carnales inter se dividuntur, Spiritales autem nullo modo; sive a negotiosis conversationibus hominum se removeant, sicut turtur; sive inter illas degant, sicut columba: Utraque tamen avis est simplex & innoxia; significans & in ipso Israëlitico Populo, cui Terra illa danda erat, futuros individuos filios promissionis & heredes Regni in æternâ felicitate mansuri. Aves autem descendentes super corpora quæ divisa erant, non boni aliquod, sed spiritus indicant aëris hujus, pastum quemdam suum de carnalium divisione quærentes. Quòd autem illis consedit Abraham, significat etiam inter illas carnalium divisiones veros usque in finem perseveraturos Fideles. Et circa Solis occasum quòd pavor irruit in Abraham, & timor tenebrosus magnus, significat circa hujus sæculi finem magnam perturbationem ac tribulationem futuram Fidelium; de quâ Dominus dixit in Evangelio:* Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.

Matth. 24. 22. Genes. 15. 17. *Quod verò adjungitur*. Cùm autem jam Sol erat „ ad occasum, flamma facta est, & ecce fornax „ fumabunda, & lampades ignis, quæ pertransierunt per media divisa illa: *Significat jam in fine sæculi per ignem judicandos esse carnales. Sicut enim afflictio Civitatis Dei, qualis antea nunquam fuit, quæ sub Antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahæ circa Solis occasum, id est, propinquante jam fine sæculi: sic ad Solis occasum, id est, ad ipsum jam finem, significatur isto igne dies Judicii dirimens carnales per ignem salvandos, & in igne damnandos. Deinde Testamentum factum ad Abraham Terram Chanaan propriè manifestat.*

X. Probatur secundò auctoritate *Theodoreti*, qui sensum literalem hujus loci magis assecutus videtur, Quæstione 66. in Genesim. *Hæc erant illorum ænigmata*, inquit, *quæ posteris erant eventura. Siquidem sacrificio peracto, subjunxit:* Co- „ gnoscens cognosces, quòd semen tuum pere- „ grinum erit in Terrâ non suâ. *Et addidit*, Quar- „ tâ verò generatione revertentur huc. *Propterea ex quadrupedibus mundis tria, & unumquodque eorum trimum sacrificari præcepit, ad significandas tres generationes quæ in incolatu permansuræ erant. Turtur autem generationem illam denotabat, quæ ex Ægypto egressa velut avolavit, & habitavit in deserto. Hujusmodi enim avis est amans deserti. Columba autem generationem aliam innuebat, quæ Terram Promissam accepit. Mansuetum enim est hoc animal & domesticum. Quamobcausam hæc quidem minimè divisit, ut liberationem a servitute significantia. Quadrupedes autem partitus est, eo quòd indicarent quàm malè tractandi erant in Ægypto. Aves autem illæ, quæ supra portiones divisas volitabant, quas quidem Patriarcha a Sacrificiis abigebat, sententiam Ægyptiorum significabant, quâ omnes cædere decreverant: Quam tamen irritam Dominus Deus reddidit, volens ea firma rataque esse, quæ Abrahæ promiserat: Sicut enim in figurâ aves illas prædatrices expellebat Abraham: Sic Abrahæ honor repressit Ægyptios. Quod autem dicitur, Visum esse circa Solis occasum, clibanum fumantem, & lampades ignis, significabat suscepta esse Sacrificia: & præterea, Deum omnium fore conspicuum circa finem prædicti temporis. Nam in igne visus est Mosi Legislatori, deinde universo Populo. Docebat etiam quòd posthac animalia hujusmodi per Legem erant offerenda. At quidam ferunt, quòd Deus volens demonstrare promissionem suam firmam esse, de more qui tum obtinebat, pactiones inivit. Solebant enim, ut ajunt, victimas bipartitò dividentes sic pactiones juramento firmatas contrahere. Ego verò utrumque posui, ut quisque recipiat quod sibi verius videbitur.*

XI. Idem *Theodoretus* explicans hæc verba *Jeremiæ* 34. Vers. 18. *Et dabo viro, qui prævaricantur fœdus meum, & non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter divisiones ejus:* Hæc habet in Commentario: *Sic illi*, inquit, *jurare prisco more consueverant. Quin & Deus omnium, fœdus iniens cum Abraham, cùm arietem trimum, & vitulum, atque hircum similis ætatis in duas partes dividi jussisset, easque ex adverso collocari, clibanum fumantem, & lampadas ignis, per medium ambarum portionum transire fecit, cum eo paciscens ex more qui tum vigebat.*

XII. Hanc doctrinam *Theodoretus* hauserat ex *S. Joanne Chrysostomo*, Homiliâ 37. *in Genesim*, ubi hæc habet: *Vide quomodo more humano init cum eo fœdera. Quemadmodum enim nos homines, quando aliquid promittimus, & volumus certum reddere eum, cui promissio fit, ita ut de promissis nihil ambigat, signum aliquod damus & pignus, ut ad illud spectans, scire queat promissa omnino eventura: Ita & benignus Dominus postquam dixit Abram*, Quomodo cognoscam? *inquit*, *Ecce & hoc tibi præbeo:* Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem, & turturem, & columbam. *Attende obsecro, in quantam crassitudinem descendendum sibi duxerit bonus Dominus, quò Patriarcham argumentis copiosis certiorem reddat. Nam quia olim eis ita mos erat paciscendi, & pacta firmandi, adeo & ipse viâ hâc ingreditur.* „ Et accepit, *inquit*, & divisit ea in duas partes,

### SCHOLION.

S. Cæsarius Arelat. Serm. 21. *aliàs inter August. De Tempore* 54. *nunc in Append.* 4.

„ Omnes Gentes quæ in Christum credunt & „ crediturae sunt, filii sunt Abrahæ imitando fidem

„ dein, non nascendo per carnem, Vacca triennis, & aries annorum trium, & capra triennis, & turtur vel columba, figuram omnium Gentium prætulerunt. Dicta sunt autem trium annorum, quia omnes Gentes in Trinitatis erant Mysterium crediture. Et quia tota Ecclesia Catholica, non solùm habet spirituales; sed habet etiam & carnales: quamvis nonnulli in Trinitatem se credere dicant, carnales tamen sunt, quia crimina & peccata vitare dissimulant; quia ergo cum carnalibus sunt etiam spirituales, ideo turtur & columba sunt additæ. In turture & columbâ spiritales possunt significari, ut in illis tribus animalibus carnales intelligi. Illa tria animalia in duas partes divisisse dicitur Abraham, & contra se invi-
Genes. 15. cem posuisse. *Aves autem non divisit:* Quia in Ecclesiâ Catholicâ carnales dividuntur, spiritales omnino non dividuntur; & sicut dicit Scriptura, contra se invicem præparantur. Omnes scilicet luxuriosi & amatores Mundi contra se invicem divisiones & scandala habere non desinunt. Isti ergo dividuntur, quia sibi invicem adversantur: Aves autem, id est, spiritales non dividuntur, quia est illis cor unum & anima una in Deum, est illis unum velle ac nolle. Illis enim avibus similes sunt, turturi scilicet vel columbæ. In turture castitas, in columbâ simplicitas designatur. Omnes enim in Ecclesiâ Catholicâ Deum timentes, & casti
Psalm. 54. 7. Psal. 84. 4. simplicesque esse signantur, & cum Psalmistâ dicere possunt: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescam?* Et, *Turtur invenit sibi nidum, ubi ponat pullos suos.* Et quando carnales qui dividi possunt, gravibus vitiorum compedibus premuntur in Mundo; spiritales diversarum virtutum pennis elevantur in altum, & duabus velut alis, duobus scilicet præceptis, diligendo Deum & proximum, eriguntur in cælum, & cum Apostolo dicere pos-
Philipp. 3. 20. sunt: *Nostra autem conversatio in cælis est;* & quoties Sacerdos dixerit, *Sursum corda*, securi & fideliter dicunt se habere ad Deum, quod valdè pauci in Ecclesiâ cum veritate dicere possunt. Ideo ergo aves Abraham non divisit, qui a Dei vel a proximi amore separari
Rom. 8. 35. non possunt, sed cum Apostolo clamant: *Quis nos separabit a caritate Christi? &c.* SPIRITALES *ergo nec tormentis separantur a Christo; carnales verò interdum etiam otiosis fabulis separantur. Illos non separat nec crudelis gladius, istos verò separat carnalis affectus. Spiritales nec dura frangunt; carnales etiam blanda corrumpunt.*

# DISSERTATIO V.

## DE ABRAMI CUM AGARA Ancillâ copulatione.

I. SUppositis iis quæ de veterum Patriarcharum Polygamiâ diximus Dissertatione 4. in Primæ Mundi Ætatis Historiam, cum *Fausto Manichæo* res nobis est, qui *Abramum* insanæ libidinis, & incredulitatis accusare non erubuit, ita scribens apud *S. Augustinum* Lib. 22. cap. 5. *Alioquin neque illa nos de Abraham scripsimus, quòd habendæ prolis insanâ flagrans cupidine, & Deo qui id jam sibi de Sarâ conjuge promiserat, minimè credens, cum pellice volutatus sit, sub conscientiâ, quod sit inhonestius, uxoris.*

*PROPOSITIO UNICA.*

*Abrahami cum Agarâ Ancillâ copulatio nec ipsius Patriarchæ, nec Saræ uxoris respectu inhonesta fuit; illamque a Sarâ traditam accepit uxorem absque intemperantiæ labe, aut infidelitatis.*

II. HIstoriam *Moses* scripsit cap. 16. *Geneseos* his verbis: *Igitur Sarai uxor Abram non genuerat liberos: sed habens Ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit Marito suo: Ecce conclusit me Dominus ne parerem. Ingredere ad Ancillam meam, si fortè ex illâ suscipiam filios. Cùmque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam Ancillam suam, post annos decem quàm habitare cœperant in Terrâ Chanaan: & dedit eam viro suo uxorem. Qui ingressus est ad eam.* Cùm tunc licita esset Polygamia, ut ostendimus Dissertatione 4. in Primæ Ætatis Historiam, nec *Abram* sibi *Agaram* copulaverit, nisi *Sarâ* jam provectæ ætatis, sterili, eâdemque rogante & has nuptias conciliante, ut quos naturâ non poterat, adoptione filios faceret; nec Scriptura Sacra id unquam vitio vertat *Abrahamo*, sed ejus fidem, pietatem, justitiam non uno commendet in loco: intemperantiæ aut infidelitatis nota inuri tanto Patriarchæ absque temeritate & calumniâ non potest.

Probatur secundò *S. Augustini* contra *Faustum* disserentis ratiocinio, Lib. 22. Cap. 30. *Insanâ*, inquit, *iste Faustus criminandi cupiditate excæcatus, & hæresis suæ nefas prodidit, & Abrahæ concubitum nesciens erransque laudavit. Sicut enim Lex illa æterna, id est, voluntas Dei creaturarum omnium Conditoris, conservando naturali ordini consulens, non ut satiandæ libidini serviatur, sed ut saluti generis prospiciatur, ad prolem tantummodo propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitum relaxari sinit: Sic e contrario perversa lex Manichæorum, ne Deus eorum, quem ligatum in omnibus seminibus plangunt, in conceptu fœminæ arctiùs colligetur, prolem ante omnia devitari a concumbentibus jubet; ut Deus eorum turpi lapsu potiùs effundatur, quàm crudeli nexu vinciatur. Non igitur Abraham prolis habendæ insanâ cupiditate flagrabat; sed Manichæus prolis devitandæ insanâ vanitate delirabat. Proinde ille naturæ ordinem servans, nihil humano concubitu agebat, nisi ut homo nasceretur: Iste perversitatem fabulæ observans, nihil in quolibet concubitu timebat, nisi ne Deus captivaretur. Ubi autem Faustus in facto Abrahæ velut conscientiam culpat uxoris, ibi verò malo quidem animo & intentione vituperandi, sed tamen nesciens & nolens, utrumque collaudat. Neque enim conscientiam suam flagitio conjugis miscuit, quo ille suam libidinem turpi & illicitâ voluptate satiaret: Sed etiam illa naturali ordine filios volens, seque sterilem sciens, ancillaris uteri fœcunditatem in usum juris sui potestate licitâ vindicavit: Non cedens viro concupiscenti, sed jubens obedienti. Neque hoc inordinatâ superbiâ: Quis enim nescit uxorem Marito tanquam Domino debere servire? Sed quod ad membra corporis attinet, quibus sexus ipse distinguitur, Apostolus dicit,* Similiter & vir sui corporis potestatem
non habet, sed mulier: *ut cùm in cæteris actibus ad humanam pacem pertinentibus mulier viro debeat servitutem, hujus unius rei, quâ sexus utriusque carnali sorte discernitur & carnali commixtione concernitur, similem in se habeant potestatem vir in uxorem, & uxor in virum. Prolem igitur quam de se habere Sara non poterat, de Ancillâ habere voluit: ex eo tamen semine, ex quo & de se* 1. Cor. 7.

*se, si posset, habere debebat. Nunquam hoc faceret mulier, si in corpore viri carnali concupiscentiâ teneretur: zelaret enim potiùs pellicem, non faceret matrem. Nunc verò propterea sic propagandi voluntas pia fuit, quia concumbendi voluptas libidinosa non fuit.*

III. Idem Sanctus Doctor libidinis & intemperantiæ notam ab *Abrahamo* abstergit Libro 16. *De Civitate Dei*, Cap. 25. *Nullo modo*, inquit, *est inurendum de hac concubinâ crimen Abrahæ. Usus est eâ quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem. Nec insultans, sed potiùs obediens conjugi, quæ suæ sterilitatis credidit esse solatium, si fœcundum Ancillæ uterum, quoniam naturâ non poterat, voluntate faceret suum, & eo jure quo di-*
„ *cit Apostolus*, Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, *uteretur mulier ad pariendum ex alterâ, quod non poterat ex se ipsâ. Nullâ hìc cupido lasciviæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab Uxore caussâ prolis Ancilla Marito traditur: a Marito caussâ prolis accipitur: ab utroque non culpæ luxus, sed naturæ fructus exquiritur. Denique cùm Ancilla gravida Dominâ sterili superbiret, & hoc Sara suspicione muliebri Viro potiùs imputaret, etiam ibi demonstravit Abraham non se amatorem servum, sed liberum fuisse genitorem, & in Agar Saræ conjugi pudicitiam custodisse; nec voluntatem suam, sed voluntatem illius implevisse: accepisse, non petiisse; accessisse, nec hæsisse; seminasse, nec amasse. Ait enim*, Ecce An-
„ cilla tua in manibus tuis, utere eâ quomodo
„ tibi placuerit. *O virum viriliter utentem feminis, Conjuge temperanter, Ancillâ obtemperanter, nullâ intemperanter.*

IV. Idem confirmatur ex *Theodoreto Quæstione 67. in Genesim*, quem locum superiùs descripsi Dissertatione 4. in Historiam Primæ Ætatis.

V. Secundam partem Propositionis, quâ *Abrahamus* ab infidelitatis vitio absolvitur, probat *S. Augustinus* Cap. 32. Libri 22. contra Faustum. *Illud sanè*, inquit, *defendi non potest, si Abraham, sicut Faustus objecit, minimè credens Deo, qui sibi jam prolem de Sarâ promiserat, de Agar suscipere voluit. Sed apertissimè falsum est. Nondum hoc promiserat Deus. Recenseant Scripturæ illius superiora,*
Genes. 12. 9. *qui volunt, inveniant semini Abraham jam fuisse promissam Terram, & innumerabilis multitudinis abundantiam, nondum tamen fuisse patefactum quomodo illius seminis esset futura propagatio, utrùm ex carne Abrahæ, si de se ipse generaret; an ex voluntate, si aliquem fortè adoptaret. Deinde si ex carne ipsius, utrùm ex Sarâ, an ex aliâ, prorsus nondum manifestum fuit. Legant, inquam, qui volunt, & invenient Faustum aut falli imprudenter, aut fal-*
Genes. 15. *lere impudenter. Itaque Abraham cùm sibi videret non nasci filios, & tamen semini suo factam promissionem teneret, primò de adoptione cogitabat. Hoc indicat, quòd cum Deo loquens, ait de Vernaculo suo*, Hic Hęres meus erit: *Tanquam diceret, Quia de me ipso mihi semen non dedisti, in isto comple quod meo semini promisisti. Si enim semen cujusque non appellaretur, nisi quod ejus carne*
Galat. 3. *nasceretur, nec nos appellaret Apostolus semen Abrahæ, qui certè originem carnis ab illo non ducimus, sed imitatione fidei semen ejus facti sumus, credentes in Christo cujus caro ex illius carne propagata*
Genes. 15. 14. *est: Tunc ergo Abraham audivit a Domino*, Non erit hic hæres tuus, sed qui exibit de utero tuo, ipse erit hæres tuus. *Jam tunc adoptionis cogitatione sublatâ, cùm de se ipso semen speraret Abraham, restabat incertum utrùm ex Sarâ, an ex aliâ, quod illi Deus occultare voluit, donec priùs ex Ancillâ Vetus Testamentum figuraretur. Quid ergo mirum, si videns Abraham sterilem Uxorem, cupientem sibi prolem, quam parere ipsa non potuit, ex famulâ suâ & ex marito provenire, non suæ carnali cupiditati cessit, sed conjugali potestati obtemperavit: credens hoc Saram ex nutu Dei voluisse, qui jam ex ipso illi hæredem promiserat, sed ex quâ feminâ non prædixerat? Frustra igitur Faustus ad objiciendum hoc crimen insanus insiluit, tanquam infidelem Abraham infideliter arguens.* Sed quid pluribus opus, cùm Apostolus ad Romanos 4. Vers. 20. 21. 22. *Abrahami* fidem commendet his Verbis? *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ; sed conformatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam.*

VI. Quomodo verò dispensatione divinâ hæc ordinata sint ad Synagogæ & Ecclesiæ, seu Testamenti Veteris & Novi significationem, aperit Apostolus ad *Galatas* 4. Vers. 24. &c. *Scriptum est enim:* (inquit) *quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancillâ, & unum de liberâ. Sed qui de ancillâ, secundùm carnem natus est: qui autem de liberâ, per repromissionem: Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Unum quidem in Monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est in Arabiâ, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est; quæ est mater nostra. Scriptum enim est: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. Nos autem fratres, secundùm Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice Ancillam & filium ejus: Non enim hæres erit filius Ancillæ cum filio Liberæ. Itaque fratres, non sumus Ancillæ filii, sed Liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit.*

# DISSERTATIO VI.

## DE DIVINA CIRCUMCISIONIS Institutione, & Antiquitate.

I. JOANNES *Marshamus in Canone Chronico*, Hebræos ab Ægyptiis Circumcisionem, aliaque Sacra accepisse contendit, fretus *Herodoti*, & *Diodori Siculi* testimonio. *Herodotus* scilicet Libro 2. Cap. 104. ex eo probat Colchos oriundos esse ab Ægyptiis, quòd essent circumcisi. *Soli*, inquit, *omnium hominum Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices, & Syrii, qui sunt in Palæstinâ, didicisse id ab Ægyptiis & ipsi confitentur. Syrii verò qui fluvium Thermodontem & Parthenium accolunt, & horum contermini Macrones, a Colchis se nuper didicisse ajunt. Hi enim ex hominibus soli sunt qui circumciduntur: & in hoc faciendo agnoscuntur Ægyptii esse. Ægyptii verò atque Æthiopes, non queo dicere utri ab utris didicerint, magnum mihi fit hoc testimonium: quòd hi Phœnices qui cum Græcis commercium habent, non ampliùs circa virilia imitantur Ægyptios, nec eorum qui nascuntur virilia circumcidunt.*

*Diodorus* verò Lib. 1. p. 17. Postquam Judæos & Colchos ab Ægypto propagatos asseruisset, continuò addit: *Ideoque Gentibus illis ex antiquâ Traditione in usu est ut circumcidant statim a partu pueros, ritu ab Ægyptiis derivato.* Et Lib. 3. pag. 115. *Genitalia*, inquit, *ritu Ægyptiorum universi Troglodytæ circumcidunt, demptis his quos a casu mutilos appellant. His enim solis omnium fauces illas seu angustias incolentium, id totum quod aliis circumciditur, novaculâ in primâ infantiâ amputa-*

tur

*tur*. Idem asserit *Strabo* Lib.17. Judæos scilicet Ægyptiis & originem suam, & Circumcisionis ritum debere.

Sanè Ægyptios ab Hebræis Circumcisionem, aliaque Sacra non accepisse, inde colligitur, quòd, (ut scribit *Herodotus* Lib.2. cap.93.) *Nullorum hominum aliorum institutis uti volebant Ægyptii*: tum quòd probabile non sit illos ab eâ Gente Circumcisionem aliosque sacros Ritus mutuatos, in quam odio capitali & hereditario exarserunt, ut ipse testatur *Josephus* Lib.1. contra Apionem: *Videntur*, inquit, *maximè erga nos iniqui in communi omnes Ægyptii*. Quin & odii atque invidiæ istius caussas exponit, *Quas multas*, inquit, *pariter habuerunt. Principio quidem, quia in eorum regione nostri Progenitores potentes effecti sunt: unde regressi ad propria, denuo fuere felices. Deinde Sacrorum diversitas multas inter eos fecit inimicitias; in tantum præstantiore nostrâ Pietate quàm Solemnieates ipsorum, quantum Dei natura animalibus irrationalibus sine dubitatione præstat*. Unde concludit, *Propterea eos nequaquam imitari Hebræorum honestatem de divinâ ratione potuisse*. Celsum & Julianum Apostatam laudare etiam potuit *Marshamus*, qui ipsi in tam erroneâ opinatione prævivere: ut constat ex *Origene*, & *S. Cyrillo Alexandrino*, in Libris contra ipsos editis. Singularem illam *Marshami* sententiam unicâ Propositione subvertemus.

## PROPOSITIO UNICA.

*Circumcisionem neque Abrahamus suo consilio ad Ægyptiorum exemplum suscepit: neque Deus ei ut Ægyptiorum Superstitionibus addicto præscripsit: Unde absque temeritate asseri non potest, Circumcisionem ab Ægyptiis ad Hebræos pervenisse.*

II. Probatur ex Scripturâ Sacrâ *Genesis* 17. ubi *Moses* testatur, Deum *Abrahamo*, adeoque & Hebræis ex eo oriundis, circumcisionis auctorem fuisse; ipsique sacrum hunc ritum in signum fœderis cum ipso initi imperasse. *Hoc est*, inquit, *pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te; circumcidetur ex vobis omne Masculinum: & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestrâ: eritque pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de Populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. Sanè cùm *Abrahamus* sese veri Dei cultui totum devovisset, unoque religionis ac pietatis studio patriam ac necessitudines omnes posthabuisset; temerarium ac impium est fingere ipsum tam insano Ægyptiacorum Rituum amore correptum, ut clementiæ ac sapientiæ divinæ par fuerit hujus ei ceremoniæ concessione gratificari, ut eum in obsequio suo contineret. Neque etiam verisimile est, Sanctum Patriarcham aliâ ratione quàm Dei mandato induci potuisse ut Ritum propemodum pudendum in se ipso exerceret, eâ præsertim ætate quæ huic actioni ineptior (Senex enim erat nonaginta-novem annorum) & in quâ vulneris curatio difficilior esset.

Preterea, non eo fine Circumcisionem *Abrahamo* & ejus posteris Deus imperavit, ut cum aliis Gentibus, puta Ægyptiis, Æthiopibus, Colchis conveniret. Erat enim Circumcisio signum fœderis, quod cum solo *Abrahamo* & ejus posteris Deus pepigit, exclusis Nationibus cæteris: Ideoque ex Instituto divino comparata erat ad distinguendum semen *Abrahami* a reliquis gentibus. Hinc filii *Jacob* indignum familiæ suæ nobilitate existimarunt Sororem suam homini incircumciso collocare. *Genesis* 34. vers.14. *Non possumus facere quod petitis, nec dare Sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum & nefarium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexûs; tunc dabimus & accipiemus mutuò filias vestras, ac nostras: & habitabimus vobiscum, erimusque unus Populus. Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus*.

Hanc traditæ Circumcisionis rationem reddit *Josephus* Libro 1. Antiquitatum, Cap.11. *Deus*, inquit, *jussit genus ipsius, quod nolebat eum aliis permixtum, pudenda circumcidi. Idque octavâ die nativitatis*. Quod & *Tacitus* agnovit, scribens, Judæos *circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur*. [Lib.5. *Historia*.]

III. Idem confirmatur testimonio Patrum. Ita enim *S. Justinus* in Dialogo cum Tryphone: *Abraam qui primus Circumcisionem carnis accepit, &c. Vobis ergo solis necessaria fuit Circumcisio ista, ut Populus fieret non Populus, & gens non gens, sicut & Oseas ait*. Et infra: *Circumcisio vestra in signum data est, & non ad justitiæ peragendæ opus, pro eo atque verba ipsa hoc sic accipere cogunt*.

*S. Irenæus* Lib.4. Cap.30. *Quod autem*, inquit, *Circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ fidei, sed in signum dederit, eam Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ ex ipsâ Scripturâ discimus. Dixit enim Deus ad Abraham*: Circumcidetis carnem præputii vestri, & erit signum Testamenti inter me & vos. *In signum igitur data est circumcisio; non autem sine symbolo erat signum id est sine argumento; neque erat otiosa, ut quæ a Sapiente Artifice daretur: sed illa secundùm carnem Circumcisio præfigurabat spiritualem*; Etenim nos, *ait Paulus*, circumcisi sumus Circumcisione non manu factâ. *Et Propheta ait*: Circumcidite duritiam cordis vestri. *Quod autem non per Circumcisionem justificabitur homo, sed in signum data est Populo, clarum fuit indicium ipse Abram, qui ante Circumcisionem justificatus, & amicus Dei reputatus est, &c*.

Ita *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 39. in Genesim. *Volebat*, inquit, *eos qui ex ipso* ABRAHAMO *nascituri erant facere suum peculiarem Populum; & ut postea cùm multitudo propagaretur, non se Gentibus illis, quarum hæreditatem occupatura erat, commisceret. Et aliter: juxta prædictionem suam in Ægypto servituri erant. Ut igitur ne Gentibus se commiscerent in Ægypto, Circumcisionem signi gratiâ Justo præcipit, & inquit*: Hoc est Testamentum quod servabis inter me & vos, & inter semen tuum post te in generationibus illorum. Circumcidetur in vobis omne masculinum. Circumcidetis carnem præputii vestri. *Deinde ut doceat & illos, & omnes nos quare hoc injunxit, & quòd non alterius cujuspiam gratiâ quàm ut esset assignatus & sibi segregatus Populus inquit*, Et erit signum Testamenti inter me & vos.... *Vide sapientiam Domini, quomodo cùm sciret imperfectas & pravas eorum mentes futuras, signum Circumcisionis quasi frænum quoddam imposuit ad indomitos eorum impetus cohibendos, ut ne Gentibus commiscerentur. Nam quia sciebat eorum lasciviam, & quòd licet infinities moniti, ut se ab illicito continerent, obedituri non essent; ideo dato eis perpetuo Memoriali, injecit eis circumcisionis signum, quasi vinculum quoddam, deditque eis leges & regulas, ultra quas transire eis non liceat, ut in nullo*

cum

cum Gentibus se commiscerent, sed gente suâ contenti essent, ut Patriarchæ semen impermixtum maneret, ut sic & promissa in eis compleri possent. Et quemadmodum vir aliquis temperans & lenis, ancillam habens petulantem, terminos & regulas illi dat, ne unquam extra vestibula prodeat, neque eum prætereuntibus conveniat, & nonnunquam pedibus compedes addit, ut sic illius intemperantiam coërcere valeat: ita & benignus Dominus Circumcisionis signum carni eorum indidit, quasi pedibus vinculum quoddam; ut domesticum habentes signum, non ultra doctrinâ aliorum opus habeant.

Ita S. Epiphanius, Hæresi 30. quæ est Ebionæorum, Cap. 28. de Circumcisione Abrahamo imperatâ loquens: Ne, inquit, ejus posteri Infidelibus, Idolorumque cultoribus Ægyptiis in servitutem dati ad eosdem, quos & illius Majores venerati fuerant Deos sese transferrent, tam Abrahamo, ipsi quàm ejus Stirpi Circumcisionem illam carnis inussit, ut ejus aspectu commonitos reverentia quadam Numinis subiret, quò minus ejurare illud auderent.

Ita S. Hieronymus in Cap. 3. Epistolæ ad Galatas: Abraham, inquit, Circumcisionem non ob meritum operum, sed in signum fidei prioris accepit. Quia enim ex semine ejus erat Christus oriundus, in quo universarum Gentium fuerat benedictio repromissa, & ab Abrahamo usque ad Christum multa erant secula transitura, providens Deus ne Soboles dilecti Abrahæ cæteris Nationibus misceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israëliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios atque Chaldxos, hoc signaculo distinguerentur.

Theodoretus, Quæstione 68. in Genesim de Circumcisionis præcepto Abrahamo & ejus posteris dato ita disserit: Cùm Deus prædixisset incolatum, pietati custodiam aliquam molitur: ne hominibus impiis permixti, maculent nobilitatem, sed in signum intuentes, indelebilem memoriam ejus qui dedit illud, conservent. Atque hoc esse verum, testatur desertum. Nam cùm in eo degerent quadraginta annos, superfluam existimabant Circumcisionem, nempe a cæteris Gentibus segregati, & quòd secum inter se versarentur. Quando verò postea ingressi sunt Terram promissam, tunc iterum Deus omnium præcepit Jesu filio Nave, circumcidere omnes, & ita dominium Terræ tradere. Erant enim futuri proximi Populis alienigenis. Quamobrem indigebant necessario signo quodam, quod illos distingueret ab alienigenis Nationibus. Quod si Judæi gloriantur de Circumcisione, discant & certò sciant, quòd non solus Patriarcha circumcisus est, sed etiam Ismaël semiservus, & vernaculi, & pretio empti servi, & Idumæi, & qui ex Chetturâ orti sunt. Quin & Ægyptii quoque didicerunt ab Israëliticis circumcidi. Non igitur circumcisio Justos reddit. Isti enim omnes tanquam impii & a divinâ Scripturâ notantur. Ergo neque Abram Circumcisio justificavit, sed fides illum justum declaravit, & illustriorem reddidit virtus. Circumcisio autem data est veluti signum fidei.

S. Ambrosius Libro 1. De Abraham, Cap. 4. Deum Circumcisionem Abrahamo & ejus posteris imperasse docet, non ut Mores Ægyptiorum aut aliarum Gentium æmularentur, sed ut spiritualis Circumcisionis signo erudirentur, & ad veritatem præpararentur Fideles. Plerosque, inquit, moveri scio: Si enim bona est Circumcisio, hodieque teneri debuit: Si inutilis, mandari non debuit, divino præsertim oraculo. Sed cùm Apostolus dixerit Paulus: Quia Abraham signum accepit Circumcisionis: Utique signum non ipsa res, sed alterius rei est, hoc est, non veritas, sed indicium veritatis. Denique ipse imposuit & expressit dicens: Signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ & fidei. Unde non incongruè intelligimus quia Circumcisio corporalis signum Circumcisionis est spiritualis. Ergo signum mansit, donec veniret veritas. Advenit Dominus
Jesus. Qui ait: Ego sum via, veritas, & vita. Joan. 14.
Quia non partem exiguam corporis in signo, sed totum circumcidit hominem in veritate, signum detraxit, veritatem induxit; quia postea quàm venit quod perfectum est, quod ex parte erat evacuatum est; & ideo cessavit Circumcisio partis, ubi refulsit Circumcisio universitatis. Jam enim non ex parte sed totus homo salvatur in corpore, salvatur in animâ. Scriptum est enim. Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc est perfectio Circumcisionis, quia
per corporis oblationem redimitur anima, de quâ Lucæ 24.
ipse Dominus ait: Qui perdiderit animam suam 9.
propter me, inveniet eam.

Superest illa nunc Quæstionis portio, utrùm debuerit pars præmitti, cùm esset ventura perfectio. Qui locus facilis est ad diluendum, si consideremus quibus pars mandata sit, quibus servata perfectio. Pars enim mandata est secundùm Legem Populo Judæorum, illi durâ cervice, illi infirmo, illi qui Deum suum non cognovit. Cùm ergo partem non potuerit sustinere, quomodo perfectionem servare potuisset? Ut si puerulum literis imbuas, a singulis literarum elementis inchoandum est tibi, ut a singulis apicibus ad syllabas, a syllabis eum per ordinem ad nomina orationemque deducas. Nec potest Mare quispiam navigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus navigaverit. Denique si quid aut conficiendi itineris, aut levandi oneris puero velis provectiorique mandare, numquid æquanda onera sunt, aut æquandus labor? Ita igitur noveris his perfectionem Circumcisionis esse servatam, qui a Christo instituti, validioribus idonei viderentur, ut fideles probarentur, quorum multitudo innumera Crucem tolleret, suamque pro Christo animam devoveret, & increduli non possent resistere, qui in totius corporis immolatione quæri salutem putarent, qui exiguum Circumcisionis suę sanguinem salutarem arbitrarentur.

Auctor Commentarii in Epistolas S. Pauli B. Ambrosii nomine cohonestatus, in Cap. 4. Epist. ad Romanos: Circumcisio, inquit, non habet aliquid dignitatis, sed signum est tantùm: Quod signum ideò accipiebant Abrahami filii, ut scirentur ejus filii esse, qui credens Deo hoc signum acceperat; ut ęmuli essent paternę fidei, & crederent in Jesum, qui promissus est Abrahamo.

S. Augustinus, Lib. 16. De Civitate Dei, Cap. 26. Circumcisionem Abrahamo imperatam a Deo esse docet, ut regeneratio per Christum significaretur. Hic, inquit, apertiora promissa sunt de vocatione Gentium in Isaac, id est, in filio promissionis, quo significatur gratia, non natura: qui de sene & anu sterili promittitur filius. Quamvis enim & naturalem procreationis excursum Deus operetur: Ubi tamen evidens opus Dei est, vitiatâ & cessante naturâ, ibi evidentiùs intelligitur gratia. Et quia hoc non per generationem, sed per regenerationem futurum erat, id o nunc imperata est Circumcisio, quando de Sarrâ promissus est filius, Et quòd omnes, non solùm filios, verùm etiam servos vernaculos & emptitios circumcidi jubet, & ad omnes istam gratiam pertinere testatur. Quid enim aliud Circumcisio significat, quàm vetustate exutâ naturam renovatam? Et quid aliud quàm Christum octavus dies, qui hebdomadâ completâ, hoc est, post Sabbatum, resurrexit? Parentum mutantur & nomina, omnia resonant novitatem, & in Testamento Vetere obumbratur Novum. Quid est enim quod dicitur Testamentum Vetus, nisi occultatio Novi? Et quid est aliud quod dicitur Novum, nisi Veteris revelatio?

Et

Et *Lib.2. De Nuptiis & concupiscentia, Cap.11.* institutam a Deo Circumcisionem asserit, ut purgationem Originalis peccati significaret. *Ex quo*, inquit, *instituta est Circumcisio in Populo Dei, quod erat tunc signaculum justitię fidei, ad significationem purgationis valebat parvulis originalis veterisque peccati: Sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. Non quòd ante Circumcisionem justitia fidei nulla esset, quippe cùm adhuc incircumcisus, ex fide justificatus fuerit ipse Abraham: Sed quòd superioribus temporibus non fuit Sacramentum aliquod justificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris salvos faciebat Justos illos antiquos, pusillos cum magnis: Non autem Vetus Testamentum, quod in servitutem generat, non Lex Mosis quæ vivificare non poterat, sed Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quia sicut nos credimus, Christum venisse in carne, mortuum esse, & resurrexisse; ita illi eum venturum, moriturum & resurrecturum crediderunt.*

Venerabilis *Beda* in Caput secundum *S. Lucæ*, superioris ævi Patribus concinit. *Ritus*, inquit, *& Religio circumcisionis a Beato Abraham Patriarchâ sumpsit exordium. Qui cùm positus adhuc in præputio, perfectè Deo credidisset, reputatumque ei esset ad justitiam, signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio. A quo etiam ut die Circumcisionis nomen parvulis apparetur, exortum est. Quia & ipse cùm testamentum a Deo Circumcisionis acciperet, eâdem priùs die cum suâ conjuge nominis augmentum promeruit, ut qui eatenus Abram, id est, Pater excelsus vocabatur, deinceps ob meritum fidei, Abraham, hoc est, Pater multarum gentium nuncuparetur; Sarai quoque Sara diceretur. Erat autem Circumcisionis typus ac figura multiformis. Nam & signaculum justitiæ fidei Abrahæ & semini ejus, & indicium castigandi eos qui ad hoc semen hancque fidem pertinerent, ab omni inquinamento carnis, & spiritûs; & prophetiam nasciturì de hoc semine Salvatoris, qui nos & in præsenti per Baptismum ab omni mortifera actionis pollutione mundaret, & in futuro per resurrectionem ab universâ mortis ipsius corruptione in perpetuum liberaret: & præcipuè donum remissionis, quod solveret a peccato prævaricationis Adæ, per hanc id temporis ministrari, eidem Gratiæ Legisque Latori complacuit. Qui enim nunc dicit*, Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiri-
„ tû Sancto, non potest introire In Regnum Dei;
„ *Ipse tunc dicebat*, Masculus cujus præputii caro
„ circumcisa non fuerit, peribit anima illa de po-
„ pulo suo, quia pactum meum irritum fecit. *Non pactum utique Circumcisionis, quod non infans, qui discernere necdum valuit, sed majores qui id servare noverant, poterant, debuerant, irritum fecerunt; Verùm pactum quod cum primo homine Deus iniit, quod omnis qui vel unius diei vitam gessit in terrâ, prævaricasse convincitur, atque ideo remedio salutis aliquo opus habere non ignoratur. Nam qui vel ante tempora Circumcisionis, vel etiam post datam Circumcisionem de exteris gentibus extitere fideles, ut exemplar patientiæ Job, & amici, liberique illius, sive victimis hostiarum se suosque ab originali*
„ *peccato, seu certè solâ fide salvabant, quia* Ju-
„ stus ex fide vivit; & sine fide impossibile est
„ placere Deo.

Hæc verba, *Quia pactum meum irritum fecit*, de pacto Adamico, non de pacto Circumcisionis interpretatus est Venerabilis Pater *S. Augustinum* secutus Libro 16. *De Civitate Dei*, cap.37. ubi tamen ei se interpretationi immobiliter non adhærere significat. *Si autem*, inquit, *quisquam hoc nonnisi de isto Circumcisione factum esse contendit; quid in eâ testamentum Dei, quoniam non est circumcisus dissipaverit parvulus; quærat locutionis aliquem modum, quo non absurdè possit intelligi ideo dissipasse testamentum, quia licèt non ab illo, tamen in illo est dissipatum.*

V. Probatur tertiò Propositio nostra ex ipsius Christi oraculo, *Joannis 7. Vers.22. Propterea*, inquit, *Moyses dedit vobis Circumcisionem: [ non quia ex Moyse est, sed ex Patribus ]* Primam Circumcisionis originem non ab Ægyptiis Christus arcessit, sed a Patribus. Scilicet primus qui eam accepit, jubente Deo, fuit *Abraham* Credentium Pater. Id ignotum fuit veteri *Horatii* Scholiasti, ad *Serm.* Lib.1. *Satyr.9.* de Judæis scribenti: *Pelliculâ imminuti sunt, quia Moses Rex Judæorum, cujus legibus reguntur, negligentiâ medicinalis* ( vel ut legendum putat Doctissimus Huëtius ) *Medici talis ) effectus, & ne solus esset notabilis, omnes circumcidi voluit.*

VI. Probatur quartò ex *Theodoreto* Auctore Ethnico, quem laudant *Alexander Polyhistor*, & *Josephus Libro 1. contra Apionem*, quemque eumdem esse, qui res Phœnicum Phœniciâ linguâ prosecutus est, & *Sanchoniatonis* continuavit Historiam, quique Græcè a *Læto* redditus est, teste *Tatiano Oratione contra Gentes*, Viri Eruditi sentiunt. Is ergo in *Libro de Judæis*, postquàm *Sichemi* cum civibus suis Circumcisionem ad impetrandas *Dinæ* Nuptias enarravit, ad primam ritûs originem ascendens, eam *Abrahamo* imputat, a quo primùm ex Dei mandato usurpata sit.

*Qui magnum Patriis Abrahamum eduxit ab oris.*
*Cœlitus hunc totâ jussit cum stirpe recurvo,*
*Glande sub extremâ præputia demere ferro.*
*Paruit, atque Dei verbis immotus inhæsit.*

VII. Ex his falsi convincitur *Herodotus*, scribens Ægyptios, Colchos, & Æthiopes, solos omnium hominum ab initio circumcidi. Nulla certè profano Scriptori adversùs *Moysen* a Deo afflatum adhibenda fides, maximè cùm multis seculis *Moyse* recentior fuerit, quippe qui floruit temporibus *Darii Hystaspis, Xerxis*, & *Artaxerxis Longimani*, circa annum Urbis conditæ trecentesimum: & *Josephus*, Lib.1. contra *Apionem*, ex Manethonis Scriptis probet, *Herodotum frequenter in Ægyptiacis ignoratione mentitum.* Quam ei notam & *Diodorus Siculus* Lib.1. p.63. inurit. *Nos autem*, inquit, *quæ Herodotus, & nonnulli Rerum Ægyptiarum Scriptores, portenta narrationum pro veritate sponte amplexi, & voluptatis gratiâ fabulas commenti blaterarunt, missa faciemus.* Secundò, errat *Herodotus*, cùm Colchos *ab initio* Circumcisionem habuisse scribit. Colchos enim eosdem esse, quos *Moyses Genesis* 10. Chasluchæos vocat, ex *Mesraim*, adeòque ex Ægyptiis oriundos, Philistæorum parentes, gravia argumenta persuadent, quæ apud *Bochartum* legere est, *Lib.4. Phaleg* cap.31. At Casluchæos ex Ægypto migrasse certum est ante *Abrahami* tempora: Quia ex his orti Philistæi jam tum pulsis Auvæis Palæstinâ potiebantur, & Reges suos habebant, cum quibus fœdus contraxerunt *Abraham* & *Isaac* ( *Genesis* 20. & 26. ) Et hoc ipsum quòd Philistæi non circumcidebantur, docet circumcidendi ritum nondum fuisse a Casluchæis usurpatum, quo tempore ex iis excesserunt Philistæi. Sed credibile est Colchos, qui Ægyptii generis sese esse non ignorabant, aliquot post migrationem seculis hunc ritum recepisse Ægyptiorum æmulatione. Quod *Diodorus Siculus* confirmat, scribens, *Colchos, ut qui Ægyptii generis sint, ab iis Circumcisionis ritum suscepisse, priscò illo more apud colonos manente.* Tertiò, in eo fallitur *Herodotus*, quòd Syros, qui in Palæstinâ sunt, fateri dicat, se Circumcisionem ab Ægyptiis & Colchis habere. Ex Palæstinæ incolis soli Judæi cir-

circumcidebantur, ut *Josephus* testatur; qui nunquam fassi sunt se hunc ritum moremque ab Ægyptiis accepisse, imò Ægyptios ab Israëlitis hunc didicisse contendunt, ut constat ex *Lexico Aruch*, quod laudat *Drusius Lib.6. Præteritorum*. Quartò fallitur *Herodotus*, cùm Phœnices Circumcisionem ab Ægyptiis habere asserit. Ad *Saturnum* quippe Phœnices referunt Circumcisionis Institutum, ut scribit *Philo Byblius*, homo Phœnix, & rerum suarum *Herodoto* longè consultior apud *Eusebium* Lib.1. *Præparationis Evangelicæ*. Accedit, quòd per Phœnices a Syris Palæstinæ incolis distinctos, Idumæos intelligit, ut & *Ammonius* Libro De verborum differentiis: *Idumæi* (inquit) *ab origine non Judæi, sed Phœnices*. Idumæi verò non ab Ægyptiis, sed ab *Esau* Circumcisionem acceperunt.

Neque etiam ab Ægyptiis hanc acceperunt Troglodytæ, ut scribit *Diodorus Siculus*, sed ab Hebræis, per *Abrahami* ex *Cetturâ* filios, quemadmodum & Ammonitæ, Moabitæ, Madianitæ: Sicut & per *Ismaëlem* Arabes, fortassis & Æthiopes, & ab Arabibus Ægyptii. Neque *Diodoro Siculo* Scriptori Ethnico, *Mose* longè recentiori, qui nempe *Julii Cæsaris* & *Augusti* ævo vixit, his in rebus adhibenda fides est, præsertim cùm ea quæ de Ægyptiorum rebus ante bellum Trojanum prodit, se pro certis non habere innuat, & in iis *nullam firmitatem fide dignam* reperire se
Lib. 1. p. 26. fateatur: & Ægyptios ob ambitiosam antiquitatis suæ jactantiam perstringat, & *Multa ambitiosa magis quàm verè sibi ipsis tribuere* asserat, *quæ nec firmis demonstrationum argumentis nec idoneorum testimoniis Auctorum subnitantur*. Quidni verò Ægyptios asseramus ab Israëlitis, invisâ licèt Gente, Circumcisionem accepisse, cùm de Æthiopibus scribat *Artapanus* apud *Eusebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, cap.27. *Ipsos, tametsi hostes, tam propenso tamen in Moysen animo fuisse, ut ipsius quoque Circumcisionis ab eo ritum acciperent. Id quod a Sacerdotibus etiam omnibus præstitum fuerit:* A Sacerdotibus [inquam] Ægyptiorum. Neque enim Ægyptiis omnibus commune fuit circumcidi, sed iis duntaxat qui sacris, aut literis operam dabant, ut observavit *Origenes* Libro 2. Commentariorum in Epistolam ad Romanos. *Nam apud Ægyptios*, inquit, *qui in superstitionibus vestris & vetustissimi habentur, & eruditissimi, a quibus prope omnes reliqui ritum sacrorum & ceremonias mutuati sunt, apud hos* [inquam] *nullus aut Geometriæ studebat, aut Astronomiæ, quæ apud illos præcipua ducitur, illius certè Astrologiæ & Geneseos, quâ nihil divinius putant, secreta rimabatur, nisi Circumcisione susceptâ. Sacerdos apud eos, Aruspex, aut quorumlibet Sacrorum Minister vel (ut illi appellant) Propheta omnis circumcisus est. Literas quoque Sacerdotales veterum Ægyptiorum, quas Hieroglyphicas appellant, nemo discebat nisi circumcisus. Omnis Hierophantes, omnis Vates, omnis Cæli (ut putant) Infernique Mystes, & conscius apud eos esse non creditur, nisi fuerit circumcisus*. Quò spectat id quod de *Pythagorâ* tradit *Clemens Alexandrinus* Lib.1. Stromatum: *Pythagoras*, inquit, *cum Ægyptiorum Prophetis congressus esse dicitur; per quos etiam circumcisus fuit, ut Adyta ingrediens, mysticam Ægyptiorum disceret Philosophiam*. Judæi verò ad unum omnes Lege *Mosis* ad ponendum præputium adstringebantur. Atque hoc primum est Ægyptiacæ & Judaicæ Circumcisionis discrimen. Alterum est, quòd Judæi octavâ die circumcidebantur: Ægyptii decimo tertio anno, quemadmodum & de Ismaelitis testantur *Josephus* Lib.5. *Antiquitatum*, cap.12. & 13. & *Origenes Lib. contra Fatum, apud Eusebium* Lib.6. *Præparationis Evangelicæ* cap.10. & in *Philocaliâ*. Tertium discrimen ex caussâ arcessitur; quod exponit *Origenes* Lib.5. contra Celsum. *Cæterùm*, inquit, *Circumcisionis causa non eadem est Judæis, quæ Colchis, aut Ægyptiis, ac proinde nec eadem Circumcisio. Nam quemadmodum sacrificans non eidem sacrificat, quamvis videatur similia sacra facere; & qui precatur, non eidem preces offert, quamvis precetur eadem: Sic neque de Circumciso dicendum, nihil eum differre a Circumcisis quibuslibet: Propositum enim, & Lex, & voluntas Circumcisi facit ut sit aliud negotium. Et quò meliùs intelligatur hic locus, dicendum, quòd cum Justitiæ nomen idem sit apud omnes Græcos, aliam tamen appareat esse juxta Epicurum Justitiam, aliam juxta Stoicos negantes tripartitam animam, aliam juxta Platonicos Justitiam dicentes propria cujusque animæ partis officia. Sic alia est Epicuri fortitudo, laborem ferentis ut majorem laborem effugiat; alia Stoici, omnem virtutem propter ipsam virtutem expetentis; alia Platonici, ad irascibilem animæ partem virtutem hanc, referentis, tribuentisque ei locum in pectore. Sic quàm diversa sunt Circumcisorum dogmata, tam diversa est & Circumcisio. Itaque Circumcisionem hanc quâ se jactant Judæi, non patientur sibi communem esse cum Colchis aut Ægyptiis, imò ne cum Ismaëlitis quidem Arabici generis, quamvis a communi Patre Abrahamo descendentis per Ismaëlem, qui unà cum Patre circumcisus fuit. Ajunt autem Judæi octavæ diei Circumcisionem esse præcipuam, cæteras supervacaneas*. Sanè Ægyptios non Mysterii gratiâ, & in signum divini fœderis, atque ex Dei præcepto, sed corporeæ duntaxat munditiei gratiâ, Circumcisionem usurpasse, non ut Ritum sacrum & religiosum, sed ut morem civilem ac politicum, ipse *Herodotus* testis est Libro 2. *Ægytii*, inquit, *virilia circumcidunt munditiæ gratiâ, pluris facientes se mundos esse, quàm decoros. Sacerdotes tertio quoque die totum corpus eradunt, ne quis pediculus Deos colentibus, aut alia sordes creetur*. Origenes
Concludamus itaque cum Origene, *Abrahamum* Lib. 1. con-
primum omnium mortalium circumcisum fuisse. tra Cel-
*Post hæc*, inquit, *Circumcisionem pudendorum non* sum.
*reprehendens Celsus Judæis usitatam, ait eam mutuatos ab Ægyptiis, malens Ægyptiis credere quàm Mosi, qui refert primum mortalium circumcisum Abrahamum*.

Objiciet quispiam Dei verba apud *Jeremiam*, cap.9. vers.25. 26. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium, super Ægyptum, & super Juda, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab, & super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in Deserto; quia omnes Gentes habent præputium; omnis autem domus Israël circumcisi sunt corde*. Quid enim Dominus primum locum inter Gentes circumcisas Ægypto tribuit, nisi quòd Circumcisionis usus apud Ægyptios quàm apud Judæos fuerit antiquior, & ad alias Gentes ab Ægyptiis pervenerit?

Respondetur, Inde solùm probari quòd Circumcisio *Jeremiæ* temporibus fuerit ab Ægyptiis usurpata, non autem quòd ab iis derivata sit ad Judæos. Inter eos autem qui circumcisum præputium habebant, quos Deus visitare statuit & plectere, primas tribuit Ægyptiis, viribus opibusque præstantissimis, quorum in auxilio Judæi præcipuè confidebant. Adde, Judaicam Circumcisionem ab Ægyptiacâ toto cælo discrepasse, ut jam observatum est. Nam Ægyptiis in more fuit & *feminas* circumcidere, ut docet *Strabo*, Lib.17. Quamvis Ritûs illius peragendi modum taceat: Hebræi Masculos tantùm ex Lege & More circumcidebant. Judæi die octavo: Ægyptii appetente anno decimo-quarto ut plurimùm circumcidebantur, ut refert *S. Ambrosius* Lib.11. *De Abraham*

*bam* cap.11. Apud Ægyptios soli Sacerdotes circumcidi solebant, ut observat etiam *S. Epiphanius* Hæresi 30. quæ est *Ebionæorum*, cap.30. *Et verò*, inquit, *quid est quòd Ebion adeò de Circumcisione suâ glorietur, cùm & Idolorum cultores, & Sacerdotes Ægyptii se ipsos quoque circumcidant?* At Judæis masculos omnes circumcidere præceptum erat. Ex his omnibus verisimile fit, Ægyptios ritum illum a Judæis mutuatos fuisse, & eum superstitione tandem suâ infecisse. Ægyptii ipsi Sacerdotes καθαρότητος εἵνεκα, *puritatis causâ*, ut observat *Herodotus:* Judæi causâ Religionis, ut Legi Dei obsequerentur, ut ab aliis Gentibus discernerentur, ut Populus Dei electus. Ægyptiis, aliisque Gentibus superstitiosa erat ceremonia, quâ Dœmoni devovebantur ii quorum secabatur præputium: Judæis Sacramentum erat, quo Deo consecrabantur, ab iisque Dœmonum injuriæ propulsabantur, ut docet *Origenes* Lib.5. contra *Celsum*, pag.263. Editionis Cantabrigiensis. *Circumcisio*, inquit, *citò celebrata est, propter aliquem infestum Judæorum Genti Angelum, qui posset non circumcisos lædere, circumcisos non item: Quod colligi potest ex Libro Exodi, ubi Angelus ante Circumcisionem Eleazari contra Mosem valuit; quo circumcisio irrita est illius potentia.* Veteribus Ethnicis in more fuisse ut infantulos suos ritu aliquo superstitioso Dœmoniis & Idolis dedicarent, certissimum est. Chaldæos & Ægyptios consuevisse recens natos infantes inusto stigmate, vel traductione per flammas, *Molocho*, vel alteri falso Numini devovere, *Maimonides* observat in *More Nevochim*, P.3. Cap.27. Ad horum imitationem Græcorum Ἀμφιδρόμια instituta sunt, quinto post partum die celebrata, quo nomen imponere, infantem certis ritibus expiare, & Diis devovere solebant. Hunc diem γενέθλιον, *natalem* appellabant, & illius lætitiam missis muneribus demonstrabant. Morem affinem apud Romanos *Terentius* memorat, his verbis, in *Phormione?*

——— *Porro autem Geta*
*Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:*
*Porro alio autem ubi erit puero natalis dies,*
*Ubi initiabunt*, ......

Ad quem locum hæc *Servius* annotavit: *Solebant Antiqui diem octavum pueri natalem constituere, & eo die singulis annis lætum convivium parare, sicut Judæi in die octavâ circumcidunt.* Deus itaque Circumcisionem Hebræis præcipit, ut infantes suos in ipso vitæ limine vero Numini consecrarent, ne eos jam Dei notâ & charactere insignitos superstitiosis ceremoniis apud Gentes usurpatis, vel deinceps usurpandis, falsorum Numinum alicui devoverent, & in clientelam traderent. *Spencero* viro doctissimo Lib.1. *De Legibus Hebræorum Ritualibus* cap.4. Sect.5. hanc observationem debere me profiteor.

Objicies, Ægyptios diu ante *Josue* tempora præputiatis & incircumcisis opprobrii & infamiæ notam inussisse. Postquàm enim Deus Israëlitas in Deserto natos circumcidi præcepisset, dixit *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis*. [Josue. 5. 9.] Circumcisio itaque Ægyptiis in usu fuit longè ante Legem datam, eosque ritum illum non Hebræorum exemplo, sed ritûs ipsius studio, in honore habuisse, ac frequentasse constat.

Respondetur, Opprobrium Ægypti non esse præputium, sed servitutem & stemmatis ab *Abrahamo* deducti servili conditione obscurationem, Circumcisione scilicet effecit Deus, ne ulteriùs veluti mancipia, & in domo servitutis nati, sed ut *Abrahami* filii, & Terræ promissæ hæredes haberentur. Circumcisio pristinam generis claritatem Israëlitis asseruit, & omnem servitutis Ægyptiacæ maculam & opprobrium obliteravit.

Sensus itaque illorum Dei verborum ad *Josuë* hic est: Diu in Ægypto vixistis, ubi mancipia, & animalia ad onera nata videbamini: & præputia hactenus quasi servitutis illius probrosæ signa circumgestistis. Jam verò Circumcisionis ritu vos in filiorum meorum numerum coaptavi, & servitutis vestræ pristinæ non molestiam tantùm, sed & opprobrium, & memoriam penè omnem abolevi. Hinc puer ipso Circumcisionis die *Sponsus* dicebatur apud Hebræos, ut Viri Eruditi observarunt, quasi tum primùm Deo conjunctus, & quasi desponsatus. Hinc illud *Sephora*, non ad *Moysem*, ut vulgus censet, sed ad filiolum dictum: *Sponsus sanguinum tu mihi es*. (Exodi 4. 25.) Quod sequentia verba confirmant: *Et dimisit eum postquàm dixerat: Sponsus sanguinum ob circumcisionem*. Et Targum Onkelosi: *Propter sanguinem Circumcisionis hujus detur nobis Sponsus meus:* Id est Ritu illo Deo & Ecclesiæ nostræ quasi conjugii fœdere copuletur. Laudata Dei ad *Josue* verba sic explicat *Theodoretus* Quæstione 4. in Jesum Nave. *Tunc dixit Deus omnium*: Hodie abstuli a vobis opprobrium Ægypti. *Quæ verba liberationem significant ab Ægyptiacâ servitute & Promissæ Terræ adeptionem. Nos verò discimus, quòd qui sacratissimo Baptismate dignus habitus fuerit, & Circumcisionem spiritualem susceperit, peccati contumeliam deponit.*

## SCHOLION.

Judæi Ritum ac præceptum externæ carnalisque circumcisionis a Deo acceperunt. Christiani præceptum spiritalis circumcisionis. *Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito Judæus est, & Circumcisio cordis in spiritu, non litera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Rom.2.28. Justitia fidei per caritatem operantis, quam Spiritus Sanctus in cordibus nostris diffundit, quâ efficimur *Nova in Christo* creatura, cor nostrum, aures nostras, labia nostra circumcidit. Circumcisio cordis prava desideria, noxias cupiditates, amorem sui, quo Babylonis civitas ædificatur, resecat. Origines Homil. 3. in Genesim. De hac circumcisione S. Stephanus loquitur, cùm Judæos hunc in modum increpat. *Incircumcisis cordibus.* Act.7. 51. Aurium circumcisio auditum avertit a sermonibus adulatoriis, scurrilibus, impudicis, maledicis; efficitque ne ex illorum numero simus, de quibus Apostolus ait: *Coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* 2. Tim. 4. 3. Hanc circumcisionem Sanctus Protomartyr indicat: *Durâ cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Circumcisio labiorum, omnia verba Deo injuriosa, proximo noxia, prudentiæ, justitiæ, pudicitiæ, caritati adversa, vana, otiosaque abscindit, ut Christianus in verbo non offendens *perfectus* sit *vir*. Jacobi 3. 2. Hanc circumcisionem Moyses indicat, dicens: *Et incircumcisus labiis sum, & quomodo audiet me Pharao?* Exod. 9, 30. Denique ut perfectus sit homo Dei in omnibus, sensus omnes sunt circumcidendi, membra omnia circumcidenda. Si enim singula in officiis mandatorum Dei deserviant, circumcisa censenda sunt: Si verò ultra præscriptas sibi divinitùs leges luxuriant, & serviunt iniquitati, incircumcisa reputanda sunt.

# DISSERTATIO VII.

## DE FACTO LOT FILIAS Sodomitarum libidini exponentis, ut cælestes Hospites a stupro tueretur: Necnon de illius ebrietate & incestu.

HIstoriam a *Mose* scriptam habemus *Genesis* 19. his verbis: *Veneruntque duo Angeli in Sodomam vespere, & sedente Lot in foribus civitatis, Qui cùm vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis: adoravitque pronus in terram, & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lavate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt; Minimè, sed in plateâ manebimus. Compulit illos oppidò ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium, & coxit azyma, & comederunt. Priùs autem quàm irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero usque ad senem, omnis populus simul. Vocaveruntque Lot, & dixerunt ei: Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoscamus eos. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbrâ culminis mei.* Et hæc quidem *Moses* de facto *Lot* filias suas libidini Sodomitarum exponentis, ut hospites a nefariâ violatione tueretur. Ejus verò ebrietatis & incestûs historiam ita narrat. *Ascendit Lot de Segor, & mansit in Monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in speluncâ ipse, & duæ filiæ ejus cum eo. Dixitque major ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terrâ qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ, Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illâ: & ingressa est major dormivitque cum patre: At ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Alterâ quoque die dixit major ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro. Dederunt etiam & illâ nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia dormivit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. Peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Moab: Ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem. Minor quoque peperit filium, & vocavit nomen ejus Ammon, id est, filius Populi mei: ipse est pater Ammonitarum usque hodie.*

---

### PROPOSITIO I.

*Lot Angelis hospitio susceptis, a Sodomitis vim passus, utramque filiam illorum libidini illicitè ac imprudenter obtulit.*

PRobatur hæc Propositio: Non licet in malis culpæ minori malo consentire, vel illud procurare, aut committere, ut majus malum vitetur, ut docet Apostolus ad Romanos 3. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator judicor? Et non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est.* Quamvis itaque constupratio Virginum sit minus crimen sodomitico, *Lotus* filias suas illicitè & imprudenter Sodomitis constuprandas obtulit, ut hospites a nefariâ ipsorum violentiâ tueretur. Peccavit præterea contra ordinem charitatis. Filiarum enim pudicitia & honor charior patri esse debuit, quàm defensio hospitum.

Probatur secundò ex *S. Augustino*, Quæstione 42. in Genesim. *Quoniam*, inquit, *prostituere volebat filias suas hâc compensatione, ut viri hospites ejus nihil a Sodomitis tale paterentur, utrùm admittenda sit compensatio flagitiorum vel quorumcumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid ne alius gravius malum faciat: an potiùs perturbationi Lot, non consilio tribuendum sit quia hoc dixerit, meritò quæritur. Et nimirum periculosissimè admittitur hæc compensatio: Si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.* Et Quæstione 44. *Hac perturbatione timoris non credebat ipsi Domino, quem in Angelis cognoscebat, quâ etiam illud de filiabus suis prostituendis dixerat: ut intelligamus non pro auctoritate habendum quod dixit de turpitudine filiarum: Non enim & hoc pro auctoritate habendum est, Deo non esse credendum.*

Et *Libro contra Mendacium ad Consentium*, cap. 9. *Ita*, inquit, *humanos animos quadam compensativa peccata perturbant, ut etiam putentur debere laudari, ac potiùs rectè facta dicantur. Quis enim dubitet esse grande peccatum, si pater filias suas prostituat fornicationibus impiorum? Et tamen extitit causa quâ hoc Vir Justus debere se facere existimaret, quando Sodomitæ nefario libidinis impetu hospitibus ejus irruebant.... Quid hìc dicemus? Nonne ita illud scelus, quod Sodomitæ hospitibus illius Viri Justi facere conabantur, horremus, ut quicquid hoc fieret, ne hoc fieret, arbitremur fuisse faciendum? Movet etiam maximè persona facientis, quæ merito justitiæ liberabatur a Sodomis: ut quoniam minus malum est feminas quàm viros perpeti stuprum, etiam hoc ad justitiam Justi illius pertinuisse dicatur, quòd in filiabus hoc maluit fieri quàm in hospitibus suis; non tantùm id volens animo, verùm & offerens verbo, & si illi assensi fuissent, impleturus & facto. Sed si hanc peccatis aperuerimus viam, ut committamus minora ne alii majora committant; lato limite, immo nullo limite, sed convulsis & remotis omnibus terminis infinito spatio cuncta intrabunt atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum peccandum esse homini minùs, ne alius peccet ampliùs; profectò & furtis nostris stupra cavebuntur aliena, & incesta stupris; & si qua impietas visa fuerit etiam pejor incestis, incesta quoque facienda dicentur a nobis, si eo modo agi potuerint, ut illa impietas non committatur ab aliis..... Si ergo peccare, ne graviùs vel in nos vel in quoslibet alii peccent, procul dubio non debemus; considerandum est in eo quod fecit Loth, utrùm exemplum sit quod imitari, an potiùs quod vitare debeamus. Magis enim videtur intuendum & notandum, cùm tam horrendum malum ex impietate flagitiosissimâ Sodomitarum suis impenderet hospitibus, quod cuperet depellere, nec valeret, sic etiam Justi animum potuisse turbari, ut vellet facere quod non humani timoris nebulosa tempestas, sed divini juris tranquilla serenitas, si consulatur a nobis, faciendum non esse clamabit; & jubebit potiùs ut sic nostra peccata caveamus, ne ullorum prorsus alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille Vir Justus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suum, quo voluit subdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in Scripturis Sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus*

*damus; ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla. An verò quia juravit David se occisurum esse Nabal, & clementiâ consideratiore non fecit, propterea illum imitandum esse dicemus, ut temerè juremus nos esse facturos, quod non esse faciendum postea videamus? Sed sicut illum timor ut prostituere filias vellet, sic istum ut temerè juraret, ira turbavit... Et Sancto quidem David justius dici potuit quod nec irasci debuit, quamvis ingrato & reddenti mala pro bonis; sed etsi ut homini ira subrepsit, non utique tantum debuit pravalere, ut se facturum juraret, quod aut saviendo faceret, aut pejerando non faceret: Illi autem inter libidinosas insanias Sodomitarum constituto quis auderet dicere, Etiamsi tui hospites in tuâ domo, quò eos intrare humanitate violentissimâ compulisti, ab impudicis apprehensi & oppressi muliebria patiantur, nihil timeas, nihil cures, non expavescas, non horrescas, non contremiscas? Quis hac vel illorum sceleratorum socius Hospiti pio dicere auderet? Sed planè rectissimè diceretur, Age quicquid potes, ne fiat quod meritò times: Sed non te timor iste compellat ut facias quod in se filiæ tuæ si voluerint, facient cum Sodomitis te auctore nequitiam; si autem noluerint, patientur a Sodomitis te auctore violentiam. Noli facere magnum scelus tuum, dum majus horrescis alienum: Quantumlibet enim distet inter tuum & alienum, hoc erit tuum, illud alienum.*

Objiciet quispiam loca SS. Patrum, illud facinus *Loti* magnis præconiis celebrantium. *S. Joannis Chrysostomi*, Homiliâ 43. in Genesim. *Quanta*, inquit, *Justi virtus! omnem virtutem hospitalitatis superavit. Quid enim quis Justi hujus benignitate sat dignum attulerit, qui neque filiabus parcere voluit, ut servaret hospitibus honorem, & liberaret eos a perversitate Sodomitarum?*

*S. Ambrosii*, Lib. 1. *De Abraham*, Cap. 4. *Offerebat*, inquit, *Sanctus Lot filiarum pudorem. Nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat; tamen minus erat secundùm naturam coire, quàm adversùm naturam delinquere. Præferebat domûs suæ verecundiæ hospitalem gratiam, etiam apud Barbaras Gentes inviolabilem. Denique illic quoque inoffensa hospitalitas est, ubi nec germanitas satis tuta est.*

Sed & *Lotum* penitùs absolvere videtur *S. Petrus*, *Epist. 2. Cap. 2.* ipsum ceu Virum Justum commendans. *Justum Lot*, inquit, *oppressum a nefandorum injuriâ ac luxuriosâ conversatione eripuit; Aspectu enim & auditu Justus erat habitans apud eos qui de die in diem animam Justam iniquis operibus cruciabant.*

Denique *S. Thomas* in *Quæstionibus disputatis*, *Quæst. 1. De Malo*, *Art. 5.* in Respons. 14. argumentum, non modò *Lot* a peccato absolvere videtur, sed ipsum prudenter egisse innuit. *Lot*, inquit, *non praelegit culpam pœnæ, sed ostendit ordinem esse servandum in fugâ culparum: Quia tolerabilius est si quis committat minorem culpam, quàm majorem.*

Respondeo ad primum, *S. Joannem Chrysostomum* commendare quidem *Loti* benevolentiam in hospites, a quibus constuprationis periculum, expositâ etiam obscœnissimis hominibus utriusque filiæ castitate avertere voluit: sed facinus illud absolutè non laudare. Unde sicut Patres remuneratam esse dicunt in obstetricibus Ægyptiis *benignitatem mentis, non iniquitatem mentientis*: ita laudatam dico a *S. Chrysostomo* benevolentiam *Loti* hospites ab insultu libidinis Sodomitarum protegentis; non ejusdem iniquitatem, filiarum pudorem exponentis.

Ad secundum Respondeo, *S. Ambrosium* asserere dumtaxat *Lotum* minus malum elegisse, ut majus propelleret: an autem id licitum fuerit, non explicat. Quamquam & nonnullâ laude dignus sit, qui ita se gerit, non propter minoris mali perpetrationem, sed propter majoris mali fugam ac execrationem.

Ad tertium Respondeo, *Lotum* comparatè justum vocari a *S. Petro*, quia inter Sodomitas vivens, a nefariis ipsorum flagitiis abhorruit: & quia ingens perturbatio ipsum fortè a lethalis peccati labe in ipso, de quo agimus, facto immunem fecit; sed absolutæ & perfectæ justitiæ laudem ipsi ab Apostolorum Principe non tribui. Hanc Responsionem *S. Augustino* debemus *Quæstione 45. in Genesim*, ubi expendens illa verba, Cap. 19. Vers. 29. *Et recordatus est Deus Abraham, & exemit Loth de medio eversionis*, ait: *Commendat Scriptura meritis magis Abrahæ liberatum esse Loth, ut intelligamus Justum Loth dictum secundùm quemdam modum, maximè quòd unum verum Deum colebat, & propter comparationem scelerum Sodomorum, inter quos vivens ad vitam similem non potuit inclinari.*

Ad quartum Respondeo, *S. Thomam* nihil aliud significare quàm *Lothum* peccasse quidem, sed *tolerabiliùs* (ut ipse loquitur) quàm si majorem culpam leviori prælegisset.

Non spernenda ratio quâ *Lothum* excusat *Cajetanus*, si tam solidè fundata esset, quàm subtiliter inventa est. Ait, *Loth* non obtulisse filias „ animo repensandi flagitium flagitio; sed animo „ placandi furentem Populum per hyperbolicam „ quamdam sui summissionem. Credebat enim „ Populum minimè accepturum ejusmodi oblationem; sed fore potiùs ut populus ille „ tantâ ejus placatus summissione, ab incœpto „ desisteret. Idque propterea verisimile erat, „ quòd filiæ *Loth* primariis Sodomæ civibus jam „ desponsæ fuerant. Simile igitur est quod de „ *Loth* dicimus, ut si placaturus quis alium a se „ magnâ læsum & offensum injuriâ, nudum pugionem ei offerat dicens, Interfice me: non „ eo sanè animo ut ille occidat ipsum; sed ut „ tantâ ejus summissione mitigatus, omnem ei „ remittat injuriam & offensam.

---

### PROPOSITIO II.

*Lothi ebrietas, & cum utrâque filiâ incestus, a crimine excusari non possunt.*

PRobatur: Quæ naturæ lege prohibita sunt facinora, a crimine excusari non possunt; Sed ebrietas & incestus facinora sunt naturæ lege prohibita: Excusari itaque non possunt a crimine *Lothi* ebrietas & cum filiabus incestus. Ebrietatem sola ignorantia virium vini excusare potuisset. At vim vini *Loth* ignorasse, virum divitem & hospitalem, haud verisimile est, maximè cum filiæ ejus illam perspectam & exploratam haberent. Cùm verò ebrietas ipsum in incestum præcipitem egerit, incestus in causâ suâ voluntarius fuit, adeoque gravissimum peccatum.

Probatur secundò ex *Origene* Homiliâ 5. in Genesim. *Post hæc*, inquit, *jam refertur illa famosissima fabula, in quâ scribitur filias ejus arte furatas concubitum Patris. In quo nescio si quis potest ita excusare Loth, ut eum immunem faciat a peccato. Neque rursum ita eum accusandum puto, ut ita gravis Incesti fieri debeat reus. Non enim invenio eum insidiatum esse, aut violenter eripuisse pudicitiam filiarum, sed magis insidias passum, & arte circumscriptum. Sed neque rursum circumventus fuisset a puellis, nisi inebriari potuisset. Unde videtur mihi in parte culpabilis, in parte excusa-*

*bilis inveniri. Excusari namque potest, quòd a concupiscentiæ & voluptatis crimine liber est, & quia neque ipse voluisse arguitur, neque volentibus consensisse. Subjacet verò culpæ, & quòd decipi potuit, quòd vino nimis indulsit, & hoc non semel, sed iterum fecit. Nam & ipsa Scriptura mihi videtur pro eo quodammodo satisfacere, cùm dicit:* Nesciebat enim cùm dormiret cum eis & cùm surgeret. *De filiabus hoc non dicitur, quæ studio & arte decipiunt Patrem. Ille tamen in tantum sopitus est vino, ut nesciret dormisse se cum filiâ priore, neque cum filiâ juniore. Audite, ebrietas quid agat, audite, quantum facinoris conciliet temulentia. Audite & cavete, vos o quibus istud malum non in crimine, sed in usu est. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis Mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. Erat ergo Loth arte, non voluntate deceptus. Ideo medius est inter peccatores & justos: quippe qui ex Abrahæ quidem cognatione descenderit, in Sodomis tamen habitaverit. Nam & hoc quod evadit ex Sodomitis [ sicut Scriptura indicat ] magis ad honorem Abrahæ, quàm ad meritum pertinet Loth.*

Probatur tertiò ex *S. Augustino Libro 22. contra Faustum*, Cap.44. *Namque*, inquit, *ut scriptum est, filiæ Loth inebriaverunt eum, & se nescienti miscuerunt. Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantùm ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas. Nam & hanc lex æterna condemnat, quia cibum & potum ad ordinem naturalem, nonnisi gratiâ conservandæ salutis admittit. Quamvis ergo inter ebriosum & ebrium plurimum intersit: Nam nec ebriosus semper est ebrius, nec quisquis aliquando ebrius, consequenter ebriosus est: tamen in homine justo hujus ipsius, etsi non ebriositatis, ac certè ebrietatis causa quærenda est. Quid enim tandem cogebat, ut filiabus suis crebra vina miscentibus, aut fortasse nec mixta crebrò porrigentibus, consentiret aut crederet? An ad hoc filias nimiam tristitiam fingentes ita voluit consolari, ut illius destitutionis & materni luctûs dolor de cogitatione mentis ebria fugaretur, etiam ipsas tantumdem bibere existimans, & aliquâ fraude agentes ne biberent? Sed etiam talem tristibus suis adhibere consolationem, quomodo Virum Justum decuerit, non videmus. An aliqua Sodomitarum arte pessima etiam paucis poculis patrem sic inebriare potuerunt, ut illud peccatum cum ignorante, vel potiùs de ignorante committerent? Sed mirum si hoc Scriptura Divina tacuisset, vel servum suum Deus sine aliquo voluntatis ejus vitio perpeti sineret. Nos tamen Scripturas Sanctas, non hominum peccata defendimus. Non sic autem de hujus facti purgatione satagimus, quasi hoc Deus noster aut fieri jusserit, aut factum approbaverit: aut ita justi homines in illis Libris appellentur, ut si voluerint peccare, non possint. Cùm ergo in Literis, quas isti reprehendunt, Deus huic facto nullum justitiæ testimonium perhibuerit, quâ dementiâ temeritatis hinc illas Literas accusare contendunt, cùm aliis earum locis apertissimè inveniantur divinis præceptis ista prohiberi?*

Objicies verba *Theodoreti*, Lothum propter ignorantiam a peccato excusantis, Quæst.70. in Genesim. *Quando res ita se habet*, inquit, *ut homines quoque illis soleant ignoscere, qui per ignorantiam delinquunt: Nemo profectò meritò Loth reprehenderit ob illam mixtionem. Nesciebat enim quid ageret.*

Respondeo *Theodoretum* excusare quidem incestum *Loth* cum utrâque filiâ, propter ignorantiam, si spectetur in se ille incestus; non tamen si in suâ causâ consideretur. Nam de ebrietate ex quâ facinus illud consecutum est, hæc subdit: *Ebrietas verò illa quamdam habet reprehensionem veniâ temperatam. Siquidem anxius valdè ac mœrens, utpote omnibus simul bonis & uxore etiam suâ spoliatus permisit ut filiæ vinum largiùs affunderent, & quod struebatur ignorans, ad leniendam mitigandamque tristitiam id fieri suspicabatur.* Quibus licèt innuat mœrorem excusasse *Lothum* a tanto ( ut ajunt ) Satis significat non excusasse a toto, siquidem reprehensione dignum asserit.

Objicies: Major est ratio excusandi *Lothum* ab incestûs crimine, quàm filias illius: Ille siquidem ebrius ac dormiens; istæ verò vigilantes, & ex destinatâ animi sententiâ hoc se polluerunt flagitio: Atqui Patres excusant puellas ob ignorantiam, quâ genus omne humanum periisse arbitrabantur: Multò magis igitur excusandus est illarum Pater.

Puellas [ inquam ] excusant antiqui Patres. *S. Irenæus* Libro 4. Cap.51. *Loth*, inquit, *non ex suâ voluntate, neque ex suâ concupiscentiâ carnali, neque sensum, neque cogitationem hujusmodi generationis accipiens, sed consummavit typum. Quemadmodum Scriptura dicit:* Et intravit major nata, & dormivit cùm patre suo nocte illâ: & non scivit Loth cum dormiret nocte illâ, & cùm surgeret. *Et in minore autem hoc idem:* Et non scivit, inquit, cùm dormiisset secum, nec cùm surrexisset. *Nesciente igitur homine, neque libidini serviente, dispensatio perficiebatur, per quam duæ filiæ, id est, duæ Synagogæ, ab uno & eodem Patre in sobolem adoptatæ significabantur sine carnis libidine. Nec enim alter erat aliquis, qui semen vitale & filiorum fructus posset dare eis, quemadmodum scriptum est.* Dixit autem major ad minorem, Pater noster senior est, & nemo est super terram qui intret ad nos, ut oportet omni terræ: Veni potionemus Patrem nostrum vino, & dormiamus cum eo, ut suscitemus de Patre nostro semen. *Illæ quidem filiæ secundùm simplicitatem & innocentiam putantes universos homines periisse, quemadmodum Sodomitas, & universam terram iracundiam Dei supervenisse, dicebant hæc. Quapropter & ipsæ excusabiles sunt, arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conservationem generis humani, & propter hoc circumveniebant Patrem. Per verba autem earum significabatur neminem esse alterum, qui possit filiorum generationem majori & minori Synagogæ præstare, quàm Patrem nostrum. Pater autem generis humani Verbum Dei est.*

*Origenes* Homiliâ 5. in Genesim. *Sed & filiarum ejus*, inquit, *propositum puto diligentiùs considerandum, ne fortè etiam ipsæ non tantum, quantum putantur accipere, criminis mereantur... Quantum ad ea quæ de his dicit Scriptura, videtur etiam pro ipsis quodammodo satisfacere. Apparet namque filias Loth didicisse quædam de consummatione Mundi, quæ immineret per ignem. Sed tanquam puellæ, non integrè perfectèque didicerant: Nescierunt quòd Sodomitis regionibus igne vastatis, multum adhuc spatii integrum resideret in Mundo. Audierunt in fine seculi terram, & omnia elementa ignis ardore decoquenda. Videbant ignem, videbant sulphureas flammas, videbant cuncta vastari. Matrem quoque suam videbant non esse salvatam: suspicatæ sunt tale aliquid factum, quale in temporibus audierant Noë, & ob reparandam mortalium posteritatem solas esse cum parente servatas. Recuperandi igitur humani generis desiderium sumunt, atque instaurandi seculi ex se dandum opinantur exordium. Et quamvis grande eis crimen videretur furari concubitum Patris, grandior tamen eis videbatur impietas, si humanæ ( ut putabant ) posteritatis spem servatâ castitate delerent. Propter hoc ergo consilium ineunt minore [ ut ego arbitror ] culpâ, spe tamen argumentoque majore: Patris molestiam vel rigorem vino molliunt & solvunt. Singulis ingressæ noctibus, singulæ su-*

*suscipiunt ab ignorante conceptum. Ultra non repetunt, non requirunt. Ubi hic libidinis culpa? Ubi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor (inquam) ne castior fuerit harum incestus, quàm pudicitia multarum.*

*S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 44. in Genesim. *Considera*, inquit, *quomodo Scriptura omnia manifestè narrarit, & nobis scopum ac finem ostenderit filiarum Justi: & nunc quidem pro illis, nunc verò pro Justo dignam satisfactionem afferens: ut nullus ad factum respiciens, vel Justum condemnet, vel Justi filias, quasi congressus ille propter incontinentiam fuerit. Quomodo igitur pro filiabus satisfacit?* Dixit, *inquit*, major natu ad juniorem: Pater noster est senex, & nullus est super terram qui ingrediatur ad nos, juxta morem universæ terræ. *Vide scopum diligenter, & omni eas liberabis crimine. Putaverunt generalem totius orbis factum interitum, nullumque ampliùs superstitem: deinde & Patris viderunt senectutem.* Ut igitur, *inquit*, non aboleatur genus, & pereat nomen nostrum. *Hæc enim erat priscorum maxima cura, quomodo genus suum liberorum successione dilatarent: Proinde dicit, Ne ergo nostri generis tota fiat abolitio, præsertim jam senio patre confecto: & nullus inveniatur vir qui nobis jungatur, ut possimus extendere & relinquere seminis nostri propagationem: Veni, inquit, ut ne hoc fiat, potemus patrem nostrum vino. Quasi dicere velit, Quia nunquam ferret vel auribus hoc Pater, vino decipiamus eum.* Potaverunt autem Patrem suum vino nocte istâ, & ingressa est senior, & dormivit cum patre suo: & nescivit quando illa accubuerit vel surrexerit. *Vidisti quomodo Scriptura & pro Justo rationem dederit semel atque iterum? Et priùs quidem quòd filiæ vino ei imposuerint, declaravit, & quòd non aliter potuerint persuadere Patri, quàm sic faciendo: Nunc autem opinor & supernâ dispensatione esse factum, ita fuisse eum aggravatum vino, ut omnino ignoraret, ne scilicet fieret criminum reus: Ea enim peccata nos condemnant, quæ scientes & voluntariè facimus. Vides quomodo testimonium præbet justo Scriptura, quòd omnino factum nescierit. Verùm iterum Quæstio surgit de ebrietate. Oportet enim omnia investigare, ut nulla rudibus & impudentibus calumniandi relinquatur occasio. Quid igitur & de hac dicemus? Non tam ex ebrietate vel incontinentiâ hæc facta sunt, quàm ex tristitiâ. Nullus igitur audeat ut Justum, aut Justi filias condemnare. Quomodo enim non esset extremæ dementiæ & desipientiæ, ut eos, quos Scriptura ab omni liberat crimine, imò pro quibus tantam apologiam componit, nos innumeris peccatis pleni condemnemus, & non audiremus Paulum dicentem:* Deus qui justificat, quis est qui condemnat? (Rom. 8. 33.)

*S. Ambrosius* Lib. 1. De Abraham. *Excusantur autem*, inquit, *filiæ Sancti Lot, quia putaverunt non vicinæ regionis, sed totius orbis fuisse illud excidium, & se solas cum Patre superstites ex omnibus populis remansisse. Et ideo ne genus deficeret humanum, paternum petisse concubitum, ut semen generationis humanæ de Patre suo resuscitarent. Non ergo libidinis vitium fuit, sed generationis remedium, quod non puto criminis duci loco. Nam & Eva de viro assumta, supra cujus costam ædificata est mulier, os de ossibus ejus, & caro de carne ejus, tamen propter seriem successionis humanæ viro juncta est. Subducitur tamen huic admisso conscientia viri Justi: inebriatus enim vino, quid gereret nesciebat. Unde non mirum si puellas decepit opinio, quæ putarent totius Populos orbis periisse. Non eadem esset Lot Sancti excusatio, qui audierat ab Angelis locum illum, non totum Mundum esse periturum.*

*Theodoretus*, *Quæstione* 70. *in Genesim*, de filiabus *Loth* sic loquitur: *Illæ verò prorsus a crimine sunt immunes; quia cùm vidissent quatuor civitates & universos pagos igneâ pluviâ exarsisse, habitatores autem Segor terræ hiatu absorptos, arbitrabantur universam prorsus naturam hominum interiisse. Cùmque præsentem solitudinem attenderent, & providerent senectutis imbecillitatem, humano simul generi semen excogitare voluerunt, & sibi ipsis consolationem aliquam. Hac ratione ductæ non ut libidini inservirent, auxilium vini acciverunt: cùmque Patri sensum majore copiâ vini ademissent, illum seminis auctorem reddiderunt.*

Respondeo primò, negari posse majorem: quia *Lothus* ebrietatem non ignarus incurrit, adeoque nec ab illâ, nec ab incestu consequente excusari meritò potest, ut qui fuerit omnino voluntarius, non quidem in se, sed in suâ causa. At puellæ existimare potuerunt errore muliebri funditus periisse hominum genus, atque ita invincibili ignorantiâ favente, a peccato excusari. Quamobrem ex Patribus laudatis *Origenes* filias *Lothi* excusat, non *Lothum* ipsum: & ne illas quidem penitus absolvit, *sed minore culpâ* teneri affirmat. Et *S. Ambrosius* puellas excusans, Patrem accusat, non incestûs quidem, quasi per se voliti; sed in suâ causâ, scilicet ebrietate. *Sanè*, inquit, *discimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cavere non possumus. Nam quæ sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Multi se fortes putant, num fortiores quàm Loth? Num continentiores, quàm Noë? Non utique vitia Patriarcharum Scriptura exposuit, quos victos vino legimus: sed ut tu disceres. Ille nudus jacuit, iste filiarum errori patuit. Et Noë Justus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus se credidit, & per senectutem madidam vino solutus, commisit incestum ignorans: tu sic bibe, ne capiaris. Instruant te Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmetur magisterium cautionis.*

Respondeo secundò, *Lothi* filias non rectè a Patribus laudatis excusari, (quod salvâ ipsorum reverentiâ dictum velim.) Neque enim invincibilis fuit puellarum ignorantia, cùm Urbem Segor servatam esse viderent, & Pentapolim propter pessimum & execrandum crimen periisse; adeòque totum hominum genus, quod in eâdem causâ non erat, non fuisse eodem igne absumptum. Et quamvis eo errore imbutæ fuissent invincibiliter, Patri tamen misceri ipso inconsulto minimè debuissent, contra naturæ legem. Hanc enim ipsis cognitam fuisse inde patet, quòd paternum concubitum furatæ sint, ipsumque inebriarint, ut ab ebrio & nesciente extorquerent, quod a vigilante impetrare nunquam potuissent. Patrem enim ob horrorem facinoris ipsarum impudens postulatum omnino repulsurum meritò suspicabantur. Laudatis vero Patribus *S. Augustinum* oppono *Libro* 22. *contra Faustum*, *Cap.* 43. ipsas quidem aliquatenus, non ex omni tamen parte excusantem. *Nec rursus*, inquit, *tantâ reprehensione atque excusatione res digna est, quantam in eam Faustus inimicus & cæcus evomuit. Consulitur enim æterna lex illa ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, & non ita de hoc facto judicat, ac si ille in filias nefariâ libidine exarserit, ut earum incestato corpore frueretur, aut eas haberet uxores: Sed nec de illis feminis ac si in sui patris carnem execrabili amore flagrassent. Ratio quippe justitiæ non tantùm quid factum sit, verùm etiam quare factum sit intuetur, ut ex causis suis facta pendentia libramento æquitatis examinet. Cùm igitur illæ ad conservationem generis, prolem quærerent, quia utique*

*que in eis humanus erat & naturalis affectus, nec se crederent invenire posse alios viros, veluti exusto illâ conflagratione orbe terrarum (Neque enim discernere poterant quousque ignis ille sævierit) misceere se Patri voluerunt. Potius quidem nunquam esse matres, quàm sic uti patre debuerunt: Verumtamen multùm interest quòd eâ causâ usæ sunt, quàm si concupiscentiâ tam funestæ voluptatis uterentur. Ab illo autem opere ita Patrem abhorrere sentiebant, ut id se impleturas esse non crederent, nisi ejus ignorantiam procurarent. Namque, ut scriptum est, Inebriaverunt eum, & se nescienti miscuerunt.* Et infra: *Unde in illâ re gestâ de opere filiarum Loth narrata ista sunt, non laudata. Quadam verò enunciato judicio Dei, quadam tacito narrari oportuit: ut quando promitur quid inde judicaverit Deus, instruatur nostra imperitia, Quando autem tacetur, vel exerceatur peritia, ut quod alibi didicimus, recolamus, vel excutiatur pigritia, ut quod nondum novimus, inquiramus. Deus ergo qui novit & de hominum opere malo facere opera bona, Gentes quas voluit ex illo semine propagavit: Non Scripturas suas propter hominum peccata damnavit. Prodidit quippe ista, non fecit: & cavenda admonuit, non imitanda proposuit.*

Nec verò propterea purgantur a crimine sive filiæ, sive pater, quòd rei alicujus futuræ typum gesserint, ut scitè *S. Augustinus* observat. *Nec ideo tamen*, inquit, *hoc factum vel ipsius Loth, vel ejus filiarum justificamus, quia significavit aliquid quo futuram quorumdam perversitatem prænuntiaret. Aliud enim illæ, ut hoc facerent, intenderunt; aliud Deus qui hoc fieri permisit, ut etiam inde aliquid demonstraret, manente recto judicio suo super peccatum hominum tunc præsentium, & vigilante providentiâ suâ pro significatione futurorum. Proinde illud factum cùm in Sanctâ Scripturâ narratur, prophetia est: cùm verò in illorum vitâ, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est.*

## SCHOLION.

*Origenes Homil. 5. in Genesim.*

„ Cùm effugeris flammas sæculi, & incendia carnis „ evaseris, etiam cùm pusillam civitatem Segor, „ qui est medius quidam & civilis profectus, superaveris, & ad scientiæ altitudinem velut ad „ quædam cacumina montis ascenderis, vide ne „ tibi insidientur duæ filiæ istæ, quæ a te non discedunt, sed sequuntur te, etiam cùm ascendis in „ montem, id est, vana gloria, & major soror ejus „ superbia. Vide ne istæ filiæ te, sopitum ac dormientem, dum tibi nec sentire nec intelligere „ videris, complexibus suis adstringant. Quæ idcirco filiæ dicuntur, quia non nobis extrinsecùs „ superveniunt, sed de nobis, & de actuum nostrorum velut quadam integritate procedunt. Vigila „ ergo quantùm potes, ne de his generes filios: „ quia qui de his nati fuerint, non introibunt in „ Ecclesiam Domini, ut Moabitæ & Ammonitæ ex „ filiabus Lot geniti. Tu autem si vis generare, „ in spiritu genera, quoniam *Qui in spiritu seminat, de spiritu metet vitam æternam*. Si vis „ amplecti, amplectere sapientiam, quæ est Christus Jesus.

# DISSERTATIO VIII.

## DE ABRAHAMI SACRIFICIO.

*Marshamus in Canone Chronico* pag. 77. agens de tentatione quâ *Abrahami* fidem & obedientiam experiri Deus voluit, asserit *Novum & inauditum Abrahamo non fuisse hujusmodi Sacrificium*. Idque probat primò ex *Philone Judæo* Lib. *De Abraham*, scribente: *Quid attinet illum laudare tanquam novi facinoris auctorem, quod & privati, & Reges, & Gentes integræ ex occasione faciunt?* Secundò, ex *Philone Byblio*, qui ex *Sanchuniatone τα ιδουτοναι* ad *Saturnum* refert, apud *Eusebium* Lib. 1. *Præparationis Evangelicæ*, cap. 10. *Grassante*, inquit, *fame & pestilentiâ, Saturnus unicum suum filium Cœlo Patri in holocaustum obtulit*. Saturni exemplo crudelem superstitionem invaluisse colligit, cujus vetustatem agnoscit *Philo Judæus* loco citato dicens, *Gentes Barbaras diu mactationem liberorum pro sancto opere & Diis grato habuisse*. Chananæos *Molocho* Liberos suos igni comburendos tradidisse, observat ex Historiâ Sacrâ 4. *Regum* 17. Eorum vicinos Phœnices nefandum illud Sacrificium jam dudum fecisse, constare asserit ex Libro 1. *Philonis De Phœnicum Historiâ*, apud *Eusebium* Lib. 4. *Præparationis Evangelicæ* cap. 16. dicentis: *Apud Veteres mos fuit in magnis periculis, ut Reges Urbium aut Populorum, filium maximè dilectum pro calamitate publicâ mactandum darent, ad placandum Deorum iram. Qui sic devoti sunt, ceremoniâ mysticâ jugulantur. Enim verò Saturnus, quem Phœnices Illum nominant, qui etiam post mortem in Saturni sidus consecratus est, cùm in illo tractu regnaret, & ex Anobret Nymphâ indigenâ suscepisset filium unicum, quem propterea nominavit Jeud (quæ vox etiam apud Phœnices unigenam significat) cùmque maximum ex bello periculum immineret, filium cultu Regio ornatum ad Aram a se constructam immolavit.* Ex his colligit Marshamus, *Hanc Abrahami tentationem non fuisse actionem innovatam, non recèns excogitatam, sed ad pristinos Chananæorum mores designatam*. Nefarium illum morem in Ægypto vetustissimum fuisse confirmat ex Typhonicis Sacris, de quibus *Diodorus Siculus* Lib. 1. *Dicunt homines ejusdem coloris, quem habuit Typhon, a Regibus antiquitùs mactatos esse ad sepulcrum Osiridis. Cùm verò pauci Ægyptiorum inveniantur rufi, sed peregrinorum complures; inde apud Græcos invaluit fabula, de Busiridis advenas obtruncantis sævitiâ: non quòd Rex aliquis vocatus sit Busiris, sed tumulus Osiridis linguâ vernaculâ id nominis habet*. Commentum istud *Marshami* sequenti Propositione refellimus.

## *PROPOSITIO UNICA.*

*Abrahami promptus & alacer ad Filium suum immolandum animus nullo pravio Ægyptiorum, vel Gentium aliarum exemplo obscurari potest.*

Probatur primò ex Scripturâ Sacrâ, præceptum de immolando Filio *Abrahamo* datum, velut rem inauditam & inusitatam referente, quo Deus ejus obedientiam ac fidem tentaret. Genesis 22. *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi, Tolle filium tuum unigenitum quem diligis, Isaac, & vade in Terram Visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super unum Montium quem monstravero tibi*. Confirmatur ex verbis Angeli *Abrahamum* Dei nomine compellantis, ejusque eximium & singulare facinus celebrantis, & magnificis promissis munerantis. *Extenditque manum, & eripuit gladium ut immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit, Adsum. Dixitque ei. Non extendas manum tuam super Puerum, neque facias illi quidquam: Nunc cognovi quòd times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.... Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundò de cælo, dicens: Per memetip-*

*ipsum juravi, dicit Dominus quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in litore maris: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Confirmatur rursus ex Apostolo ad *Hebræos* 11. fidem *Abrahami* in illâ filii sui oblatione commendante. *Fide*, inquit, *obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est: In Isaac vocabitur tibi semen.*

*Marshamus refellitur.* Probatur secundò ex *Philone Judæo*, cujus nomine *Marshamus* abutitur, objectionem calumniatorum & invidorum ab eo confutatam & explosam, pro illius sententiâ obtrudens & ostentans. *Verùm*, inquit, *malitiosis calumniatoribus, nostra damnare potiùs quàm laudare solitis, hoc imperatum non videbitur tam magnum & mirificum quàm nobis videtur. Ajunt enim, Alios multos suis effectibus devinctos, & amantes liberorum, immolandos exhibuisse filios, vel pro incolumitate Patriæ, vel ut averterent bella, siccitates, inundationes, pestilentias. Alios item domesticæ quantumvis falsæ Religionis gratiâ Græcorum certè clarissimos, non solùm privatos cives, sed & Reges non magnâ ratione ex se natorum habitâ, his mactatis maximas delevisse hostium copias primo impetu, sociorum verò servasse maximos Exercitus. Barbaras quoque Gentes per multas ætates litasse mactatis filiis, cujus sceleris etiam sacrosanctum Mosem meminisse, dum accusans eos ut pollutos ait*: Filios & filias Diis suis adolent. *Indorum quoque Gymnosophistas & hodie sub initium senectutis morbi longi & incurabilis, priusquam invalescat, accenso rogo se ipsos exurere, quamvis possent ad tempus fortasse diuturnum resistere. Imò & Mulierculas eorum defunctis Maritis in rogos eorum cum gaudio se mittere, atque ita vivas concremari cum adamatis cadaveribus. Harum, inquiunt, meritò mireris audaciam, quæ mortem contemnunt tantopere, ut ad eam tanquam ad immortalitatem cursu contendant. Illum verò laudare quorsum attinct, Quasi novum aliquod facinus aggressum, quod non semel fando auditum est de privatis Civibus, de Regibus, de integris Gentibus?* Hæc improborum calumniatorum objectio, quam ceu genuinam *Philonis* ipsius sententiam imprudens *Marshamus* accepit. Hanc verò sic diluit Philo: *Ad hanc invidorum infestationem sic respondeo. Qui liberos mactant, partim ex more id faciunt, ut fertur de nonnullis Barbaris: partim quia magna mala, & adversùs humanam opem contumacia a suis civitatibus aliter arcere nequeunt. Ex his quidam inviti suos exhibent, coacti a potentioribus: alii compulsi metu hominum, alii cupidine gloriæ, famæque, in præsens gloriæ, famæ verò ad posteros. Ergo qui ex more mactant, nihil magnum videntur facere. Nam inveterata consuetudo plerumque tantùm potest, quantùm natura, ita ut gravissima quæque reddat toleratu facilia, omni terrore semoto. Qui verò cedunt timori, laudem nullam merentur. Laudantur enim facta voluntaria, involuntaria referuntur ad necessitatem rerum aut casuum, aut temporum. Quod si quis amore gloriæ vel filium prodit, vel filiam, vituperio magis quàm laude dignus est, morte charissimorum parans sibi honorem, quem etiamsi antea habuisset, pro incolumitate filiorum abjicere debuerat. Proinde considerandum est, an ille aliquâ modò dictâ necessitate coactus sit mactare filium, vel more, vel honore, vel timore. Mos certè immolandi liberos, nec Babylone, nec in Mesopotamiâ, nec a Chaldæis receptus est, apud quos educatus, magnam vitæ partem cum eis exegit, ne quis putet præ assuetudine leviorem visam mali ejus imaginem. Sed neque metus ullus imminebat ab hominibus, neque Oraculi jussum quisquam norat alius. Nulla publica premebat calamitas, cui morte probatissimi filii remedium quæreret. At laudis apud vulgum parandæ cupidine ad hoc facinus concitatus est. At quæ laus captabatur in solitudine, ubi nemo erat applausurus, datâ operâ longè a tergo relictis duobus etiam famulis, ne se coram testibus ostentare videretur? Quapropter obturato infrani ore, moderentur accusatores suam invidiam, nec lacerent honestâ vitâ defunctos, quos potiùs prædicare deberent cum aliis. Siquidem apud omnes qui rectè sapiant nihil honestius habetur, nihil optabilius, quàm Deo parere, quod hic in primis studuit, ita ut nullum unquam mandatum negligeret, quantumvis refertum molestiis & ignominiis, atque etiam laboribus ac doloribus. Quamobrem & id quod Oraculo jussus est de filio, fortiter constanterque pertulit. Deinde cùm nulla consuetudo esset in eâ regione, sicut fortasse apud quosdam, immolandi liberos, ipse primus auctor futurus erat novi & inusitati exempli, quod mihi videtur nemo laturus fuisse, etiamsi ferreum aut adamantinum haberet animum.*

Probatur tertiò ex *S. Joanne Chrysostomo* Homiliâ 47. in Genesim. *Magnum*, inquit, *præcepti pondus, & res humanæ transcendens naturam. Accipe filium tuum dilectum, quem dilexisti, Isaac. Unumquodque verbum per se sufficeret ad sauciandam animam Justi. Non enim simpliciter dixit, Isaac; sed addidit, filium tuum, quem præter omnem expectationem genuisti; & in ipsâ senectute habere potuisti; dilectum, desiderabilem tuum, quem tam immodicè diligis Isaacum, quem successurum tibi expectas, ex quo & semen tuum multiplicandum promisi. Illum ipsum accipe; & vade in Terram excelsam & offer eum ibi in holocaustum super unum Montium, quem tibi dicam ... Quid igitur Justus? Non turbatus est animo, non confusus est mente, non consilio destitutus est. In tam gravi præcepto non cogitabat, non ratiocinabatur secum: Quid hoc est: Qui mihi præter omnem expectationem beneficium exhibuit, qui propter benignitatem suam emortuam Saræ vulvam generationi idoneam fecit: nunc postquam ablactatus est, & crevit, & in flore ætatis est, occidi, & in holocaustum offerri præcipit. Qui paulò antea dixit, In* Isaac vocabitur tibi semen, *nunc contraria præcipit. Et quomodo implebuntur quæ ab eo sunt promissa; ... Cæterum horum nihil cogitat secum Justus ille, sed sicut gratus famulus, omissâ omni ratione humanâ, unam tantùm rem curabat, ut imperata opere impleret: & quasi factus ab humanâ naturâ alienus, & postponendam ducens divinis præceptis omnem affectionem & dilectionem, ad implenda Dei jussa festinavit ...* Et infra subdit quod Propositionem nostram directè probat, & refellit vanitatem, *Quia*, inquit, *sciebat quod novum & inauditum esset id quod ab ipso faciendum erat, neque ab ullo unquam tale quidquam factum erat antea, facit ut lateat servos.* Falsum itaque est *Chrysostomi* judicio, quod tam confidenter *Marshamus* asserit, novum & inauditum *Abrahamo* non fuisse hujusmodi Sacrificium.

Probatur quartò ex *S. Ambrosio* Lib. *De Abraham*, cap.8. ubi de tentatione *Abrahami* ipsique dato immolandi filii præcepto disserens ait: *Probatum igitur, quasi fortiorem tentandum putavit majoribus, & quibusdam imperiis durioribus. Et hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis; tentatur autem compositis & fictis. Non enim volebat Deus immolari a patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit. Sed tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, nec paternæ pietatis contemplatione vim devotionis inflecteret.* Accepit autem ,, ligna holocausti, & imposuit Isaac filio suo;

Ac-

„ Accepit & ignem ipse in manu, & machæram. *Consecratur sacris hostia Ministeriis, & commendatur futura. Quæ pietatis hostia pii ante ministerii ventura est. Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum Crucis portavit. Abraham comitabatur filium, Pater Christum. Nec Isaac solus nec Jesus solus. Addidit Isaac dicens:* Ecce ligna, ubi est ovis in holocaustum? *Et hic prophetat sermone, non scientiâ. Ovis enim a Domino ad sacrificium parabatur. Respondit denique similiter & Abraham:* Deus providebit ovem sibi ad holocaustum, fili. *Inflexibilis a studio devotionis Minister vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis soliditate fundatus: & hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum judicabat filium, si eum immolaret Deo. Non solùm autem hoc prophetavit, quod statim accidit, quia Deus providit sibi pro Isaac hostiam, & reddidit patri filium: Verùm illud magis, quòd non hæc hostia divinæ esset dispositionis: Sed alia esset hostia, quam Deus sibi pararet, ut mundaret orbem terrarum: illa esset omnibus acceptior, propter quam multi Patres offerrent filios suos, & separari in hoc seculo a filiis non timerent.* Actionem a Deo præceptam ad tentandum servum suum, in quâ tot virtutum insignia promicant, tanta mysteria latent, non fuisse actionem innovatam, non recens excogitatam, sed ad pristinos Chananæorum mores designatam, temerè *Marshamus* asserit.

Probatur quintò ex *Theodoreto*, Quæstione 73. in Genesim. *Non* inquit, *ut diceret ipse quæ sciebat, sed ut ignorantes doceret, quàm justâ de causâ Patriarcham diligeret. Hac de causâ tres dies & totidem noctes amoris divini periculum in eo fecit. Nam Patriarcha medius inter naturam constitutus & fidem, cùm utrinque stimularetur, fides dedit palmam victoriæ. Deus autem patefaciens ejus pietatem, sacrificium cohibuit. Qui enim prohibet sibi sacrificari animalia irrationalia, quomodo sacrificium tale pertulisset? Siquidem hanc ob rem Judæos sine intermissione notat: clamat per*
Psalm. 105. „ *Prophetam David*, Sacrificaverunt filios suos &
„ filias suas dæmoniis: effuderunt sanguinem
„ innocentem, sanguinem filiorum suorum &
„ filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculpti-
„ libus Chanaan. *Itidem & per Ezechielem*, Ac-
„ cepisti filios tuos, & filias tuas, quas genuisti
„ mihi & obtulisti eas amatoribus tuis... *Quomodo ergo is qui damnat eos qui talia perpetrant, filium unigenitum a patre sibi sacrificio oblatum pertulisset? Verùm hæc erant umbra dispensationis pro nobis factæ, Pater siquidem filium dilectum obtulit pro Mundo. Isaac enim typus erat divinitatis; aries autem humanitatis. Tempus autem ipsum æquale, quia tres dies & tres noctes & hic & illic.*

Serm. 11. de Abraham. Probatur sextò ex *S. Zenone*, seu alio, quisquis est, Auctore Sermonum, qui sub ejus nomine in Bibliothecis Patrum editi sunt. *Ecce*, inquit, *contra spem natum Abraham ad Aram filium immolaturus Domino auctore perducit: nec deest ad ministerium gladius ut pariter & Sacerdos. Consimilis filii quoque est ex divinâ voluntate securitas: Qui cùm hostiam providet, cujus loco electus fuerat, requirebat, sed traduntur teneræ adhuc vinculis manus: & ne quid minus ab hostiâ videretur, pedem ligatura distringit, ne incitata victima displiceret. Cesset itaque hic impietatis abominanda suspicio. Abraham Dominum filio, Sacerdotem prætulit patri, nec pium se credidit, nisi probasset fidelem. Denique intrepidus ad ministerium immolationis armatur, rimatur ad ictum vulneris securus animus, sed securior manus; elatus ad immolandum gladius libratur, nec puerum mors vicina contristat, ne trepidatio fidem prodat infirmam. Sub hac denique immolantis immolandique constantiâ absolvi meruit, dum humanum ex se deponit timorem: & quantum ad fidem pertinet, Pater promissa complevit; Dominus parricidium probatâ voluntate prohibuit.* Tum explicat quomodo *Isaac* figura Christi fuerit in Cruce immolandi: in cujus sacrificio nec fructum sortita est sceleris crudelitas: *Quia sicut in Isaac aliud offertur, aliud immolatur, ita & in Passione Christi quod per Adam deliquerat, per Christum liberatur.*

Probatur septimò ex *S. Augustino*, Libro 16. De Civitate Dei, cap. 32. *Tentatur*, inquit, *Abraham de immolando dilectissimo filio ipso Isaac, ut pia ejus obedientia probaretur, seculis in notitiam proferenda, non Deo... Nunquam sanè crederet Abraham quòd victimis Deus delectaretur humanis: Quamvis, divino intonante præcepto, obediendum sit, non disputandum.* Et *Sermone 2. De Tempore*, novissimæ Editionis: *Ejus*, inquit, *dextera eligitur ad Sacrificium, ut moreretur; Cujus cor electum est ad fidem ut nasceretur. Non trepidavit Abraham credere, quando promittebatur; non trepidavit offerre quando exigebatur: Nec fuit Religio eredentis contraria devotioni obedientis.... Credidit filium suscepturus, credidit occisurus. Ubique fidelis, nusquam crudelis. Omnino perduxit filium ad locum victimæ: armavit etiam dexteram cultro. Attendis quis feriat, & quem feriat. Attende quis jubeat. Pius ergo Abraham obtemperando: Quid Deus jubendo? Ne fortè infirmis, non dicam sacrilegis animis ipse displiceat qui jubebat: sed si placet qui obtemperabat, quomodo displiceat qui jubebat? Quia si Abraham bene fecit obtemperando; multò meliùs & longè meliùs incomparabili modo, Deus jubendo.*

Quæ contra Propositionem nostram objicit *Marshamus*, inania sunt, nulliusque ponderis. *Philonem Hebræum* ejus figmento adversari jam ostendimus. Non magis illi favet *Philo Biblius* Sanchuniatonis Interpres, qui primam filiorum mactationem ad Saturnum refert. Saturni namque nomine Abrahamum intellexit *Sanchuniaton*, ut multis probatur. Primò, quia *Saturnus* ille *filium suum unigenitum in holocaustum offert, etiam pudenda circumciditur, & commilitones suos eò adigit ut idem præstent.* Qui characteres *Abrahamo* conveniunt. Deinde *Saturnum* a Phœnicibus *Israëlem* dictum, Codices Eusebiani constanter habent. Confugit scilicet Avum cum Nepote. Aut si pro *Israële*, *Ilum* legamus cum *Vossio* Lib. 1. *De Idololatriâ*, cap. 18. quia alibi *Sanchuniaton* Saturnum *Ilum* dictum fuisse memorat: cùm *Il* ex *El* seu *Elohim* derivetur: Non absurdè etiam ad *Abrahamum* id referemus, cui Chananæi dicebant Genesis 23. 6. *Princeps Dei es apud nos*. Neque enim mirum est si ex *Principe Dei* fabulosa posteritas *Principem Deum* fecerit.

Tertiò, filius hujus *Saturni* dictus fuit *Jeud*, quod Phœnicum linguâ *Unigenitum* significat. Illo autem epitheto *Jehid* insignitus est *Isaacus* [ Genesis 22. Vers. 2. ] Quartò, hunc *Unigenam* suscepit ex *Nymphâ*, scilicet *Sarâ* eximiæ pulchritudinis fœminâ, eâque indigenâ, imò quæ proximo sanguinis vinculo Abrahamo conjuncta erat: cui *Nympha* nomen *Anobret*, id est Hebraicè, *Ex gratiâ concipiens*: Quod nomen *Saræ* apprimè convenit, de quâ Apostolus ad Hebræos 11. Vers. 2. *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: Quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat.* Lege *Grotium Annotat. in Matthæum*, Cap. 5. Vers. 31. & *VVitsium Lib. 3. Ægyptiacorum*, Cap. 7.

At, inquit *Marshamus*, *Jeud Saturni* verè mactatus est, non *Isaacus*; Hunc itaque non designavit *Sanchuniaton*.

Re-

Respondetur primò, Diabolum egisse ut verè mactatus crederetur. Verisimile enim est, impiam & immanem homines immolandi consuetudinem, ex pravâ Abrahamici illius Sacrificii æmulatione originem apud Gentes duxisse. Sicut enim *Saturno* feriam septimam, id est, diem Sabbathi consecrarunt, quæ apud Judæos sacra erat; ita & filios ipsi immolarunt, quo *Abrahamum* imitarentur. Unde cùm Deus *Abrahami* fidem & obedientiam abundè expertus, illum a filii mactatione prohibuerit: *Saturnum* tamen filium suum *Jeud* verè mactasse, *Sanchuniaton*, *Philo Byblius*, & *Porphyrius* asseruerunt.

Respondetur secundò, Deum, cui *Abrahami* fides ac obedientia mirum in modum placebant, animum pro effectu æstimantem, ita de hoc Sacrificio in sacris Literis loqui, quasi revera filium *Abrahamus* immolasset. Genesis 22. 12. *Nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*. Et Epistolæ ad Hebræos cap. 11. 17. *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat*. Idem & *Philo Judæus* observat: *Facinus tamen hoc*, inquit, *quamvis effectu caruit, nihilominus pro integro absolutoque, non modò in sacris refertur Voluminibus, sed & in lectorum insculptum est mentibus*. Et *Gregentius* Archiepiscopus Tephrensis in Disputatione cum Herbano Judæo: *Abrahamus enim*, inquit, *Isaacum filium immolare jussus pro eâ quam erga Deum habuit charitate, voluntate & consilio capto, jugulavit, & non jugulavit; consummavit, & non consummavit. Vivum enim ipsum ex inopinatis & insperatis domum reduxit. Nam & sic Dominus Deus, pro Mundi salute Filium suum jugulavit: Sed hic tertiâ die resurgens, tametsi jugulatus fuit, non tamen jugulatus fuit; & si mortuus, non tamen est mortuus*. Eòdem spectat locus ille Augustiniani Sermonis olim 71. *De Tempore*, ab Eruditis Monachis Benedictinis *Congregationis S. Mauri* novissimæ Editionis Procuratoribus in Appendicem nunc primùm rejecti: *Videte, Fratres, Abraham patientiâ fortem, devotione constantem; non eum aliquâ ferâ luctantem, sed eum naturâ pugnantem. Devotio dicebat, Percute: Pietas clamabat, Parce. Illa revocabat; ista provocabat. Filius tunc moriturus jacebat: erigit dexteram feriturus, & locum quò libens percutiebat, occupabat. Parce, inquit, Abraham. Qui jusserat ut feriret, modò vociferatur ut parceret. Parce, inquit, devote Pater, Parricida sine crimine, parce. Tuum Sacrificium quod paraveras intendi, ego quod jusseram ut obtulisses accepi. In voto probavi, quod in facto renui. Acceptavi votum, nec repuli Sacrificium. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi patior inferri orbitatem. Perfecta sunt omnia, & salva sunt universa*. Nihil igitur obest quò minus fabularem illam *Saturni* υἱοθυσίαν ex *Abrahami* historiâ derivatam, cum Viris Doctissimis asseramus: Adeòque ex illâ *Sanchuniatonis* & *Philonis Byblii* narratione probari non posse ritum illum barbarum homines immolandi ante *Abrahami* ætatem in Phœniciâ solemnem fuisse. Atque id ex *Saturni* ætate confirmatur, qui annis duntaxat trecentis viginti duobus antiquior bello Trojano fuit, utpote *Beli* coævus, unusque ex Titanibus, cum quibus adversùs *Jovem* bellum gessit, ut ex *Thalli* Historiâ memorat *Theophilus Antiochenus Lib.* 3. ad *Autolycum*. Cùm itaque fateatur omnis eruditorum hominum Natio, a *Mosis* ætate bellum Trojanum plus trecentos annos distare, sequitur *Saturnum Abrahamo* longè posteriorem, Mosi coævum, vel etiam recentiorem fuisse: Adeòque illius υἱοθυσίαν *Abraham* Sacrificio antiquiorem a *Marshamo* perperam & ineruditè supponi.

Denique Typhonicis Sacris nihil cum *Abrahami* facto commune. *Abrahamus* filium unigenitum & dilectissimum ad fidei & obedientiæ suæ demonstrationem Deo immolare jussus est. Ægyptii homines sibi exosos, ejusdem cum *Typhone* coloris, id est, rufos, quales ex Ægyptiis pauci, ex peregrinis plures erant, ad *Osiridis* tumulum mactabant. Nec morem illum in Ægypto *Abrahami* ætate vetustiorem fuisse probari potest; maximè cùm *Typhonis* fabulâ personatum repræsentari *Mosem*, *Bochartus*, *Huëtius*, aliique Viri Eruditi luculenter probaverint.

*Abrahamo* posteriorem esse, & ex illius Sacrificio apud impias & barbaras Gentes introductam Dæmonis cacozeliâ hominum immolandorum consuetudinem, ex his compertum est. Plura exempla profert *Eusebius Lib.* 4. *Præparationis Evangelicæ* ex *Porphyrio*, & aliis Auctoribus. *Apud Rhodios* (inquit Porphyrius) *ad diem Julii sextum, hominem Saturno immolabant, deinde verò morem antiquissimum ita mutarunt, ut ex iis unum qui morte damnati publicè forent, vinctum usque ad Saturnalia custodirent, eumque ad solemnis Festi diem extra portas eductum, vinoque madidum, e regione Ædis Optimi Consilii jugularent. Salamine, quæ priùs Coronea dicebatur, Mense Martio, Agraulo Cecropis Nymphaque Agraulidis filiæ hominem quoque mactabant. Qui mos cùm ad Diomedis usque tempora propagatus esset, ita deinceps mutatus est, ut Diomedi hominem illum immolarent, cùm Palladis, Agrauli, ac Diomedis Templum uno eodemque ambitu teneretur. Atque is quem ad Sacrificium destinarant, primùm quidem Adolescentium manibus ter circum Altare cursim agebatur; deinde a Sacerdote ad stomachum hastâ percussus, extructo rogo cremabatur. Hanc verò Legem Diphilus, qui apud Cyprios circa Seleuci Theologi tempora regnabat, tandem abrogavit, ejusque loco bovis Sacrificium instituit... Similem quoque hominum immolandorum consuetudinem apud Heliopolim Ægypti Amosis sustulit, Manetho teste, in eo quem De priscis moribus ac pietate scripsit. Ac Junoni quidem hujusmodi Sacrificium fiebat, lectis antè probatisque hominibus, eodem planè ritu, quem in puris illis vitulis summâ quæsitis diligentiâ, certisque notis insignibus observabant. Tres autem uno die mactabantur, quorum in locum Amosis totidem cereas hominum Imagines suffici jussit. Præterea in Insulis Chio ac Tenedo discerptum hominem Baccho Omadio, ut refert Evelpis Caristius, itemque Lacedæmone, alium, Apollodoro teste, Marti immolare consueverant. Jam Phœnices ubi graviùs sive bello, sive fame, sive etiam æstu laborarent, necessariorum suorum aliquem Saturno communibus addictum suffragiis immolabant: cujusmodi exemplorum plena est Phœnicum Historia, quam Phœniciâ linguâ a Sanchuniatone conscriptam Philo Biblius in octo digestam Libros Græco sermone donavit. Istrus etiam auctor est, in eo quod de Cretensium Sacrificiis edidit Volumine, pueros olim Saturno immolari a Curetibus solitos fuisse. At verò Pallas, is qui collecta in unum Mithræ Mysteria optimè consignavit, solemnia apud omnes fermè Populos hominum Sacrificia, Hadriano Imperante funditus exterminata esse tradit. Nam priùs quidem & Laodiceæ Syriæ quotannis Virgo Palladi mactabatur, nunc autem Cerva: & Carthaginenses in Libyâ hoc Sacrificii genere utebantur, quod ab Iphicrate aliquando sublatum est. Dumatii verò Arabiæ Populi singulis item annis puerum sub Arâ, quæ simulacri loco ipsis erat, immolatum sepeliebant. Imò Græcos passim universos, antequàm in hostem moverent, humano sanguine litavisse, Philarcho referente accepimus. Thracas, Scythasque prætereo; quemadmodum Athenienses Erechthei, Praxitheæque filiam ceciderint, nihil dico. Illud autem quis nescit, Magnâ in Urbe hominem circa Jovis Latiaris ferias hodie-*

*hodieque mactari? Et rursus: Ex quo, inquit, ad ætatem usque nostram, non tantùm vel in Arcadiâ solemni Lupercalium festo, vel Carthagine Saturno populus universus homines immolat, sed etiam certo statoque redeuntis anni circulo, ad usurpationem veteris fixæque Legibus memoriæ, Aras civili semper ac domestico cruore perfundunt.* Hæc *Eusebius* ex *Porphyrio*. Subjicit *Eusebius Philonis Byblii* locum superiùs descriptum & explicatum.

Addit *Clementis Alexandrini* locum insignem in Cohortatione ad Gentes. *Nunc autem* (inquit) *superioribus illud etiam adjungamus, quàm immanes Dii vestri Dæmones fuerint, quàmque capitali hominum odio flagraverint, qui eorum non vecordiâ modò insaniâque delectarentur: sed etiam carnificinâ cædibusque fruerentur. Quippe enim modò armatas in Stadio & ambitiosas commissiones, modò infinitas Belli contentiones honoris causâ glorięque susceptas, voluptatis sibi materiam ac segetem accersebant, ut sic indignum in modum humano cruore satiari possent. Jam verò per Urbes passim ac Populos tanquam teterrimæ pestes grassati, crudeles dirasque libationes expetebant. Sanè Aristomenes ille Messenius Ithomitæ Jovi trecentos jugulavit, ratus egregiè se se tot tamque lectis hecatombis litasse, quorum e numero Theopompus erat, Lacedæmoniorum Rex, illustris utique nobilisque victima. Tauri verò Populi, qui circa Tauricam Chersonesum habitant, quotquot apud se peregrinos eò tum errore, tum vi tempestatis appulsos interciperent, e vestigio Tauricæ Dianæ immolabant, quibus Sacrificiis tragicæ sæpiùs Euripidis Theatra personarunt. Scribit etiam Monimus in suo De Rebus Admirabilibus Commentario, Pelle oppido Thessaliæ, hominem Achivum Peleo & Chironi mactari consuevisse. A Lictiis verò Cretæ Insulæ Populis Jovi homines jugulari solitos, Auctor est Anticlides, in eo quem Reditus inscripsit Opere. Itemque Baccho similem a Lesbiis oblatam esse victimam, ex Docidâ cognoscimus. Phocæenses quoque, ne præteriti a nobis videantur, hominem integrum Tauricæ Dianæ cremabant, ut testis est Pythocles Libro De Concordiâ tertio. Adde his & Erechthæum Atticum & Romanum Marium, qui suas ambo filias immolarunt, Persephonæ quidem Erechtheus, ut apud Demoratum primo Rerum Tragicarum Libro legimus; Averruncis autem Marius, ut ex quarto Dorothei Rerum Italicarum Libro constat. Perhumanos scilicet ac misericordes exemplis istis habemus Dæmones.*

*Dionysii Halicarnassensis* Romanæ Historiæ Scriptoris testimonio ἀνθρωποθυσίαν profanis Gentibus solemnem fuisse confirmat *Eusebius*. Refert nimirum ille, *Jovem & Apollinem aliquando humanas hostias exegisse, eos verò a quibus exegerant, tametsi frugum pariter ac pecorum omnium iis decimas obtulissent, quod tamen hominibus pepercissent, nihil non calamitatis subiisse.* Subdit paucis interjectis: *Ferunt etiam Saturno Veteres (quemadmodum & Carthagine dum superstes esset, & apud Gallos etiamnum, aliosque nonnullos Occidentis Populos fieri solet) homines immolasse: Qui mos sublatus ab Hercule fuerit, cùm ipse Princeps & Aram in Colle Saturnio erigere, & purarum hostiarum primitias puro igni consecrare voluisset. Atque is, ut ipsos omni metu ac Religione solveret, si quâ fortè se se, tanquam patriis Sacris neglectis, obligatos putarent, hanc eos placandi Numinis rationem docuit, ut in locum hominum, quo manibus ante pedibusque revinctis in Tiberim projiciebant, hominum simulacra eodem ornata cultu, eodemque ritu in Fluvium mittenda sufficerent: ut si quid adhuc Religionis in cujusquam animo resideret, totum id funditus retentâ vel specietenus Sacrificii veteris usurpatione tolleretur. Atque hunc morem etiamnum Romani servant, paulò post Vernum Æquinoctium, Maiis, quas appellant, Idibus, sic nimirum ut eo die dimidiatus Lunæ orbis appareat. Tum verò solemnibus hostiis rite mactatis, Pontifices (quod Summum apud eos Sacerdotium est) simulque Vestales Virgines, quibus immortalis Ignis credita custodia est, unà cum Prętoribus, cæterisque civibus, quos quidem Sacris interesse fas est, triginta id genus hominum in speciem conformatas Imagines (Argeos ipsi vocant) in Tiberim fluvium de Sacro Ponte dejiciunt.*

Idem confirmat *Eusebius* testimonio *Diodori Siculi Libro Historicæ Bibliothecæ* 20. ubi post *Alexandri Macedonis* obitum, circa *Ptolemæi* 1. tempora, de Carthaginensibus ab *Agathocle* Siciliæ Tyranno obsessis ita scribit: *Iratum sibi præterea Saturnum esse hac de causâ dictitabant, quòd cùm ipsi antea liberorum suorum florem immolarent, deinceps nonnisi pueros quosdam furtim coemptos atque abs se se educatos ad sacrificium summitterent. Itaque hac de re quæstione habitâ, nonnullos ex iis qui sacro ac solemni ritu cæsi erant, supposititios fuisse repererunt. Quæ cùm secum ipsi reputarent, hostiumque castra mœnibus suis imminere cernerent, magna illis injecta Religio est, quasi patrios Deorum honores sustulissent. Atque hunc errorem ut maturè procurarent, primùm quidem eximios communibusque lectos suffragiis Adolescentes omnino ducentos publicè immolarunt: Deinde verò alii præterea qui violatæ Religionis suspecti vulgò essent, ultro se se ac sponte obtulerunt, trecentis haud pauciores. Erat autem apud eos simulacrum Saturni aureum, supinis ac pendentibus in terram manibus, ut impositus ipsis Adolescens subjectam in foveam ignique plenam volveretur ac rueret.* Hæc autem immolandorum hominum immanis superstitio, tam latè apud profanas Gentes propagata, cùm *Saturni* exemplo derivata *Marshamo* videatur; & *Saturno* multò antiquior fuerit *Abrahamus*; quin etiam fabulosam *Saturni* Historiam ex sacrâ Historiâ *Abrahami* interpolatam verisimillimum sit: Improbabile omnino atque incredibile est, *Abrahami* filium suum dilectissimum *Isaacum* Deo in Sacrificium offerentis religiosum facinus ad exemplum ἀνθρωποθυσίας profanarum Gentium conformatum fuisse.

## SCHOLION.

*S. August. Serm. 3. aliàs De Tempore 72.*

Deus tentavit Abraham, illi præcipiens immolationem filii, ut se Abraham ipse nosset, nosque illum nosceremus. Deus tentat, ut doceat: Diabolus tentat, ut decipiat. Etsi sciebat se Abra-
„ ham, nos non noveramus Abraham. Aut sibi,
„ aut certè nobis prodendus erat; sibi, ut sciret
„ unde gratias ageret; nobis, ut sciremus vel
„ quid a Domino deprecaremur, vel quid in ho-
„ mine imitaremur. Quid ergo nos docet Abraham? *Ut Deo non præponamus quod dat Deus.* Jussus immolare unicum filium, Deo jubenti paruit. *Ergo nec illud quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi qui præstitit; & cùm tibi voluerit subtrahere, non tibi vilescat; quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius a Deo præmium, quàm ipse Deus?*

*Origenes Hom. 8. in Genes.*

Cùm filium fortè amittis, etsi unicum, etsi dilectum, propone tibi exemplum Abraham, magnanimitatem ejus imitare. Non a te exigitur ut filium ipse mactes. Proposito saltem & mente constans esto, fide firmus, lætus offer filium Deo. *Esto Sacerdos animæ filii tui. Sacerdotem autem immolantem Deo non decet flere. Si filii Abrahæ estis*, inquit Christus, *opera Abrahæ facite*. Istud est opus Abrahæ. Quis vestrûm aliquando vocem audiet Angeli dicentis, *Nunc cognovi quia times Deum, quia non pepercisti filio tuo*, vel filiæ tuæ, vel uxori, aut non pepercisti pecuniæ vel honoribus sæculi, sed omnia con-

tempsisti & duxisti ut stercora, ut Christum lucrifaceres? Fidem & obedientiam Sancti Patriarchæ imitemur, dicamus Deo: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Invenire est hominem semel quidem paratum, non tamen secundò. Si dixerit ei Deus, *Ejice ancillam & filium ejus*, id est, opera carnis, non cunctatur. Si dixerit: *Immola mibi filium tuum quem diligis Isaac*, hoc planè jam patienter audire non potest, ut fraternæ utilitatis, aut unitatis gratiâ, spiritualis sustinere videatur studii detrimenta... Quidni abjiciat facilè servus Christi quicquid ad corpoream pertinet voluptatem? At verò spirituali jucunditate æquanimiter fraudari, quando aut obedientia cogit, aut fraternæ caritatis ratio postulat, hoc planè magnum & Deo gratum offerre est holocaustum. *Memento tamen non Isaac in hoc sacrificio, sed arietem contumaciæ jugulari.*

*Psal.56.* *S. Bernar. Serm. 79. De Diversis, aliàs 43. ex parvis.*

# DISSERTATIO IX.

## De facto Jacob Benedictionem Paternam surripientis, seque Primogenitum asserentis.

QUæstio est Sacrorum Interpretum Disputationibus multùm vexata, Utrùm *Jacob* matris consilio Paternam Benedictionem loco *Esaü* acceperit absque fraudis & mendacii crimine: quam paucis expediemus impræsentiarum.

---

### PROPOSITIO UNICA.

*Si literali Scripturæ sensui inhæreamus, Jacob a Mendacio vix aut nullo modo excusari potest: At si sensus figuratus attendatur, & gravissimorum Patrum auctoritati hac in Quæstione credendum sit, magisque communi sacrorum Interpretum & Theologorum sententiæ, asserendum est Jacob paternam Benedictionem accepisse absque fraude & mendacio.*

PRrima pars Propositionis probatur: Qui se non solùm Primogenitum dixit, sed *Esaü*, cùm non esset; idque respondit Patri de personâ *Esaü*, non de solo jure quærenti, & benedictionem ipsi *Esaü* majori natu filio, non *Jacobo* juniori dare volenti, a mendacio vix aut nullo modo excusari potest: Porrò *Jacob* non solùm se primogenitum dixit, sed *Esaü*, cùm non esset, idque respondit Patri de personâ *Esaü*, non de solo jure quœrenti, & benedictionem ipsi *Esaü*, non autem *Jacobo* dare volenti: Vix igitur aut nullo modo a fraude & mendacio excusari potest.

Præterea, qui vulgares cibos offerens patri, ait illi ut de venatione suâ comedat, a mendacio vix aut nullo modo excusari potest: Sed *Jacob*, vulgares cibos offerens Patri, ipsum rogat ut de venatione suâ comedat: Vix igitur aut nullo modo a mendacio excusari potest. Tertiò, ille quem Pater ipse datâ benedictione fraudis arguit & mendacii, a fraude & mendacio excusari non potest: Sed *Isaac* datâ benedictione *Jacobum* fraudis arguit & mendacii. *Esaü* enim lugenti ait, Ipsum *venisse fraudulenter*, & benedictionem surripuisse: Vix igitur aut nullo modo a fraude & mendacio excusari potest.

Triplicis Syllogismi Propositio minor probatur ex Scripturæ sacræ verbis Genesis 27. *Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavitque Esaü filium suum majorem, & dixit ei: Fili mi! Qui respondit: Adsum. Cui Pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras: cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer ut comedam: & benedicat tibi anima mea antequàm moriar. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum ut jussionem Patris impleret, dixit filio suo Jacob: Audivi Patrem tuum loquentem cum Esaü fratre tuo: & dicentem ei: Affer mihi de venatione tuâ, & fac cibos ut comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis; & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis escas Patri tuo quibus libenter vescitur: Quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquàm moriatur. Cui ille respondit: Nosti quòd Esaü frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: Si attrectaverit me Pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione. Ad quem Mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi; tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abiit, & attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat Patrem illius. Et vestibus Esaü valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum; pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi. At ille respondit: Audio. Quis es tu, fili mi? DIXITQUE JACOB: EGO SUM PRIMOGENITUS TUUS ESAU. FECI SICUT PRÆCEPISTI MIHI: Surge, sede, & COMEDE DE VENATIONE MEA, ut benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam citò invenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut citò occurreret mihi quod volebam. Dixitque Isaac: Accede huc, ut tangam te, fili mi, & probem utrùm tu sis filius meus Esaü, an non. Accessit ille ad Patrem, & palpato eo dixit Isaac: Vox quidem vox Jacob est; sed manus manus sunt Esaü. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem Majoris expresserant. Benedicens ergo illi, ait: Tu es filius meus Esaü? Respondit, EGO SUM, At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tuâ, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cùm oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum, quo hausto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini. Et serviant tibi populi, & adorent te Tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonem impleverat, & egresso Jacob foras, venit Esaü, coctosque de venatione cibos intulit Patri, dicens: Surge, Pater mi, & comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esaü. Expavit Isaac stupore vehementi, & ultra quàm credi potest admirans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priùs quàm tu venires, benedixique ei, & erit benedictus? Auditis Esau sermonibus Patris, irrugiit clamore magno, & consternatus, ait: Benedic etiam & mihi, Pater mi. Qui ait: VENIT GERMANUS TUUS FRAUDU-*

*LENTER, ET ACCEPIT BENEDICTIONEM TUAM.*

Confirmatur hæc Sententia ex Patribus, qui mendacium in supra dictis *Esaü* verbis agnoscunt, *Origene* Lib. 6. *Stromatum* laudato a *S. Hieronymo Lib. 1. Apologiæ adversùs Ruffinum; S. Joanne Chrysostomo Homiliâ 53. in Genesim; Cassiano Collatione 17.* Cap. 17. Qui tamen in eo nullatenus sequendi sunt, quòd mendacium illud peccatum non fuisse asserunt; Quoddam scilicet mendacii genus esse sentientes minimè improbum, quin etiam bonum & laudabile, quod magni alicujus boni acquirendi, vel gravis mali propulsandi causâ, loco & tempore congruis proferri possit. Ad eamdem Sententiam accedunt, aut in eam certè propendent graves & eruditi Theologi, *Scotus* in 3. *Sententiarum Dist.* 38. *Nicolaus de Lyrâ, Tostatus, Lippomanus, Cajetanus Commentario* in Cap. 27. *Genesis, Adrianus Quodlibeto 1. in Respons. ad 3. Argum.* & alii, qui tamen *Jacob* ita mentientem a peccato saltem veniali non excusant. His adde *Gabrielem Biel in 3. Sententiarum. Dist.* 38. & *Petrum de Alliaco in 1. Sententiarum* sub finem Quæstionis 12. Qui *Jacob* mentitum quidem esse concedunt, sed peccasse negant, quia id ex revelatione & consilio Dei fecit. Quam opinionem probare non possum, cùm mendacium quodcunque ex eorum sit genere, quæ intrinsecè mala sunt; adeòque Deus nec auctor, nec præceptor, nec suasor mendacii esse possit.

Pars altera Propositionis probatur primò ex *S. Augustino Libro contra Mendacium*, Cap. 10. *Jacob quod matre fecit auctore, ut Patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia, quod absit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam; ita ut & ipsa quæ appellatur metaphora, hoc est de re propriâ ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit istâ ratione mendacium nuncupari.... Si autem non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantiæ referuntur, profectò non solùm id quod fecit aut dixit Jacob Patri ut benediceretur, sed neque illud quod Joseph velut illudendis locutus est fratribus, neque quod David simulavit insaniam, nec cætera hujusmodi mendacia judicanda sunt, sed locutiones actionesque propheticæ ad ea quæ vera sunt intelligenda referenda. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum piè quærentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant....Tamen vera, non falsa dicuntur, quoniam vera non falsa significantur, seu verbo, seu facto: quæ significantur enim, utique ipsa dicuntur. Putantur autem mendacia, quoniam non ea quæ vera significantur, dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt, dicta esse creduntur. Hoc ut exemplis fiat planius, idipsum quod Jacob fecit, attende. Hœdinis certè pellibus membra contexit: si caussam proximam requiramus, mentitum putabimus; hoc enim fecit ut putaretur esse qui non erat; Si hoc factum ad illud propter quod significandum revera factum est referatur; per hœdinas pelles peccata, per eum verò qui eis se operuit, ille significatus est qui non sua, sed aliena peccata portavit. Verax ergo significatio nullo modo mendacium rectè dici potest. Ut autem „ facto, ita & in verbo. Nam cùm ei Pater di„ xisset*, Quis es tu fili? *Ille respondit*, Ego sum „ Esau Primogenitus tuus. *Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur: Si autem ad illud propter quod significandum ista gesta dictaque conscripta sunt, Ille hic est intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac re „ loquens, ait:* Cùm videritis Abraham, & Isaac, „ & Jacob & omnes Prophetas in Regno Dei, „ vos autem expelli foras. Et venient ab Ori„ ente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & „ accumbent in Regno,: & ecce sunt novissimi „ qui erant primi, & sunt primi qui erant no„ vissimi. *Sic enim quodam modo minor majoris primatum frater abstulit, atque in se transtulit fratris. Cùm igitur tam vera tamque significentur veraciter, quid hic debet putari factum dictumve mendaciter?*

Secundò, ex *Theodoreto* Quæstione 81. in Genesim. *An non videtur*, inquit, *Jacob esse mentitus cùm dixit, Ego sum Esau primogenitus tuus? Emerat privilegia primogenituræ. Verè igitur seipsum appellabat primogenitum.*

Tertiò, ex *S. Gregorio Magno* Homiliâ 6. in Ezechielem. *Jacob*, inquit, *Primogeniti benedictionem non per fraudem surripuit, sed ut sibi debitam accepit, quam concedente fratre, datâ lentis mercede emerat.*

His adde *S. Isidorum Hispalensem, Venerabilem Bedam*, & *Rupertum*, qui *Jacob* a mendacio pariter excusant, Commentario *in Genesim*, & *S. Thomam Secundâ Secundæ, Quæst.* 110. *Art.* 3. *in Resp. ad tertium argumentum.*

Ad Objectiones ex Scripturâ Sacrâ petitas, quibus prima pars Propositionis adstruitur, vulgò respondent Interpretes, Non esse mentitum *Jacob*, cùm se *primogenitum Esau* asseruit. Primogenitus enim erat, si jus spectetur, non autem si persona. Sic verè Christus, *Matthæi* 11. 14. de Joanne Baptistâ dixit, *Ipse est Elias qui venturus est:* Quia in spiritu *Elias* erat, quamvis in personâ *Elias* non esset, ut explicat *S. Augustinus*. Sic etiam *Ezechielis* 37. Deus Judæis captivis aliquod afferre volens solatium ex spe bonorum quæ a Messiâ accepturi erant, ait; Et *David servus meus Princeps eorum in perpetuum:* Davidis nomine Messiam significans. Unde *S. Thomas* loco supra laudato ait: *Jacob verò mysticè dixit se esse Esau primogenitum Isaac: Quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. Usus autem est hoc modo loquendi per spiritum prophetiæ ad designandum Mysterium. Quia videlicet minor Populus scilicet Gentilium substituendus erat in locum Primogeniti, scilicet in locum Judæorum.*

Quòd verò ait Jacob, *Feci sicut præcepisti mihi*; verum esse respondent, spectatâ primariâ intentione *Isaaci*, non verò secundâ & minùs præcipuâ. Primarium enim Sancti Patriarchæ consilium fuit, præceptum illud de quærendâ venatione Primogenito suo dare, ut hoc officio supremam ac solemnem benedictionem promereretur. Secundariò verò intendebat id præcipere ipsi *Esau*, quem ignarus adhuc mysterii, divinique consilii, ut personâ, sic & iure primogenitum existimabat. Unde *Jacob* [ inquiunt ] primariam dumtaxat Patris intentionem spectans, absque mendacii notâ dixit: *Feci sicut præcepisti mihi*. Quod autem subjunxit, *Comede de venatione meâ*; verissimum etiam esse ajunt. Hædos enim attulerat *Jacob* ex grege exquisitos, quos dederat matri, ut ex illis cibum *Isaaco* pararet; quos venationis nomine licèt minùs proprio significavit.

Denique, hæc verba *Isaaci* ad Esau, *Venit germanus tuus fraudulenter*, exponunt de fraude in speciem, non de verâ fraude; & œconomiam, sapientiam, industriam, quâ quis jus suum vindicat, fraudis nomine hic significatam volunt. Quod autem *Isaac* veram fraudem non intellexerit, ex eo colligunt, quòd ratam habuerit benedictionem *Jacob* concessam: *Benedixique ei* [ inquit ] *& erit Benedictus.*

Confirmatur hæc Responsio primò ex *S. Joanne Chrysostomo Lib. 1. De Sacerdotio*, versùs finem, ubi

ubi genus quoddam simulationis & fraudis impropriè sumptæ esse docet, non solùm non damnandum, sed maximè laudandum; quod qui usurpant, prudentes ab æquis rerum æstimatoribus habentur, & magnos interdum fructus ex hujusmodi simulatione vel œconomiâ referunt, cùm eam opportunè adhibent, modò fraudolento animo id non faciant. Id cùm Imperatorum & Medicorum exemplis demonstrasset, subdit: *Fraudis igitur dummodo non fraudolento animo fiat, magna vis est: Quam ipsam ego ne fraudem quidem nominandam putaverim, verùm œconomiam quandam potiùs ac sapientiam, artemque quâ possis e mediis atque imperviis desperatarum rerum angustiis, correctis emendatisque animi vitiis evadere. Nam si res ipsas per se nudas, & ab auctorum consilio & proposito separatas expendere licuerit, nemini sanè non licebit vel Abraham ipsum parricidii accusare; vel nepotem ejus Jacob doli & fraudis, qui jus sibi primogenitorum usurpavit: vel abnepotem ejus Mosen maleficii & furti qui opes Ægyptiorum Hebræis attribuit. Cùm tamen eos viros non solùm culpâ liberemus, sed etiam vel eo maximè nomine admiremur. Ergo verè illusoris deceptorisque nomine dignus fuerit, quisquis iniquo animo & studio nocendi simulationem & fraudem contexit: Alioquì sæpè numero profuit decepisse; & per hanc artem sæpè numero in maximis periculis saluti multorum subventum est.*

Confirmatur secundò ex *S. Augustino Libro 16. De Civitate Dei*, Cap.37. *Iste dolus Jacob*, inquit, *ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magna rei mysterium quæreretur, superiùs prædixit Scriptura*: Erat Esau homo sciens venari, agrestis. Genes. 25. 27.
„ Jacob autem homo simplex, habitans domum. *Hoc nostri quidam interpretati sunt*, Sine dolo. *Sive autem* sine dolo, *sive* simplex, *sive potiùs*, sine fictione *dicatur, quod est Græcè* ἄπλαστος, *quis est in istâ percipiendâ benedictione dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis?.... Ecce benedictionem promissam repetente majore, expavescit Isaac, & alium pro alio se benedixisse cognoscens, miratur, & quisnam ille sit, percunctatur: nec tamen se deceptum esse conqueritur; immò confestim revelato sibi intus in corde magno Sacramento, devitat indignationem, confirmat benedictionem.* Quis ergo, *inquit*, venatus est mihi venationem, & intulit mihi, & manducavi ab omnibus, antequàm tu venires, & benedixi eum, & sit benedictus? *Quis non hic maledictionem potiùs expectaret irati, si hæc non supernâ inspiratione, sed terreno more gererentur? O res gestas, sed propheticè gestas; in terrâ, sed cælitus, per homines, sed divinitus.*

Confirmatur tertiò ex *Theodoreto, Quæstione 80. in Genesim*. Quærit, *Quare Deus non revelavit Isaac voluntatem suam?* Respondet: *Ut patefieret providentia Dei erga Jacob. Quod satis constat ex eo, quòd Isaac modis omnibus conabatur benedicere Esau: sed gratia Dei, contra quàm volebat Isaac, transtulit benedictionem super Jacob. Quod etiam intellexit ipse Isaac. Nam cùm operam omnem dedisset, & misisset Esaü venatum, & Jacob illi cibum offerentem sæpiùs interrogasset*, Esne tu Esau Primogenitus meus? *Nec solùm rogasset, sed etiam manus corpori admovisset: postea Esau ingresso stupefactus, ob id quod factum erat, non est indignatus, quasi a filio deceptus esset: Sed intentionem divinam agnovit, & quam dederat, benedictionem confirmavit.*

SCHOLION.

Benedictio Jacob, prædicatio Christi est in omnibus gentibus. Hoc fit, hoc agitur: *Lex & propheta est Isaac; etiam per os Judæorum Christus ab illâ benedicitur velut a nesciente, quia ipsa nescitur. Odore nominis Christi sicut ager mundus impletur: ejus est benedictio de rore cæli, hoc est, de verborum pluviâ divinorum; & de ubertate terræ; hoc est, de congregatione populorum: ejus multitudo frumenti & vini, hoc est, multitudo quam colligit frumentum & vinum in Sacramento Corporis & Sanguinis ejus. Et serviunt Gentes, ipsum adorant Principes. Ipse est Dominus fratris sui, quia populus ejus dominatur Judæis. Ipsum adorant filii patris ejus, hoc est, filii Abrahæ secundùm fidem; quia & ipse filius est Abrahæ secundùm carnem. Ipsum qui maledixerit, maledictus; & qui benedixerit, benedictus est. Christus, inquam, noster etiam ex ore Judæorum, quamvis errantium, sed tamen Legem Prophetasque cantantium benedicitur, id est, veraciter dicitur; & alius benedici putatur, qui ab eis errantibus expectatur;* S. August. Lib. 16. de Civitate Dei, cap. 17. De Benedictione Jacob & Esau secundùm spiritalem sensum plura dabit idem *S. Augustinus* Serm. 4. Aliàs *De Diversis* 46.

## DISSERTATIO X.

### De Filiorum Jacob facinore, quo Sichimitas, ob stuprum Dinæ Sorori a Sichem Regionis Principe illatum peremerunt.

CUM *Jacob* ex Mesopotamiâ in Chananæam redux, juxta Salem Urbem Sichimorum tentoria fixisset, *Sichemus* filius *Hemoris* illius regionis Principis in *Dinam* Jacobi ex *Liâ* filiam, annos tum sexdecim circiter natam, petulantes defigens oculos, ejus specie adeò captus est, ut Virginem in loco solitario repertam stupro subdiderit: Nec tamen vitiatam aspernatus est, sed blanditiis & promissis delinitam in conjugem a *Jacobo* patre poposcit. Votis ejus annuit *Jacob* eâ lege, ut Sichimitæ, præeunte Regis & Principis exemplo, Circumcisionis ritu initiarentur. Conditionem illi subiere. At *Simeon* & *Levi* germani *Dinæ* fratres, irâ perciti, captatâ occasione, in Sichimitas, cum vulnerum dolore tertiâ die graviùs premerentur, irruerunt, Urbem invaserunt, & masculis omnibus ferro deletis, sororeque sublatâ, *Hemoris* Ædes depopulati, mulieres insontes, pueros, armenta, greges in sua tentoria abegerunt. Historiam hujus facinoris descripsit *Moyses Genesis* 34. his verbis. *Egressa est autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, Princeps Terræ illius, adamavit eam; & rapuit, & dormivit cum illâ, vi opprimens Virginem. Et conglutinata est anima ejus cum eâ, tristemque delinivit blanditiis. Et pergens ad Hemor patrem suum: Accipe, inquit, mihi Puellam hanc conjugem. Quod cùm audisset Jacob, absentibus filiis, & in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent. Egresso autem Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Jacob, ecce filii ejus veniebant de agro; auditoque quod acciderat, irati sunt valdè, eo quòd fœdam rem operatus esset in Israël, & violatâ filiâ Jacob rem illicitam perpetrasset. Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ; date eam illi uxorem; & jungamus vicissim connubia: Filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite. Et ha-*

*habitate nobiscum: Terra in potestate vestrâ est, exercete, negotiamini, & possidete eam. Sed & Sichem ad patrem & ad fratres ejus ait. Inveniam gratiam coram vobis; & quæcunque statueritis, dabo: Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis; tantùm date mihi Puellam hanc uxorem. Responderunt filii Jacob Sichem & Patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis:* Non *possumus facere quod petitis, nec dare Sororem nostram homini incircumciso: Quod illicitum & nefarium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexûs; tunc dabimus, & accipiemus mutuò filias vestras ac nostras; & habitabimus vobiscum, erimusque unus Populus: Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio ejus: Nec distulit Adolescens quin statim quod petebatur expleret: Amabat enim Puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo Patris sui. Ingressique portam Urbis, locuti sunt ad Populum: Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: Negotientur in terrâ, & exerceant eam, quæ spatiosa & lata cultoribus indiget: Filias eorum accipiemus uxores, & nostras illis dabimus. Unum est quo differtur tantum bonum: Si circumcidamus masculos nostros ritum Gentis imitantes. Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt: Tantùm in hoc acquiescamus, & habitantes simul, unum efficiemus Populum. Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus. Et ecce, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis, duo filii Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt Urbem confidenter: Interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob: & depopulati sunt Urbem in ultionem stupri. Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus & in agris erant, parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas.* Quæritur, Utrùm filii *Jacob* in Sichimitarum cæde tam atroci peccaverint?

---

### PROPOSITIO UNICA.

*Sichimitæ a filiis Jacob ob Dinæ raptum iniquè perempti sunt.*

PRobatur primò ex increpatione quâ *Jacob Simeonem* & *Levi* hujus facinoris auctores perstrinxit Genesis 34. 30. *Turbastis me*, inquit, *& odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus Terræ hujus. Nos pauci sumus: Illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.*

Probatur secundò ex ultimis verbis *Jacob*, qui cùm singulos filios supremâ benedictione donaret, ac quorumdam vitia argueret, his verbis de *Simeone* & *Levi* loquitur, Genesis 49. 5. 6. 7. *Simeon & Levi fratres: vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate suâ suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israël.* Quibus verbis significat Sanctus Patriarcha, interprete S. *Hieronymo* in Traditionibus Hebraicis, *Non sui consilii fuisse, quòd illi Sichimitas fœderatos viros interfecerint, contraque jus pacis & amicitiarum sanguinem fuderint innocentem; & quia quodam furore sive crudelitate rapti, muros hospitæ Urbis everterint. Illud*, Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israël, *bene congruit cum eventu. Levi enim hæreditatem propriam non accepit, sed inter alias Tribus, paucas urbes ad habitandum habuit. Simeon quoque, ut est in Libro Josuë, proprium funiculum non est consecutus, sed de Tribu Juda quiddam accepit: Et in 1. Paralipomenon Capite 9. scriptum est, Cùm multiplicata esset Tribus Simeonis, nec haberet possessionis locum, exisse in Desertum ad quærendum sibi locum.*

Paulò aliter hunc Geneseos locum 70. Interpretes verterunt: *Simeon & Levi fratres consummaverunt iniquitatem propositi sui. In consilium eorum non veniat anima mea, & in congregatione eorum non contendant viscera mea: Quia in furore suo interfecerunt homines, & in cupiditate suâ subnervaverunt Taurum.* Quo nomine *Sichemum* per metaphoram significant. *Maledictus furor eorum, quia pervicax; & ira eorum, quia indurata est.*

Targum Onkelos sic habet: *Simeon & Levi fratres: Viri fortissimi in terrâ peregrinationis suæ fecerunt fortitudinem. In secreto eorum non fuit anima mea, & in congregatione eorum non conveniat gloria mea: Quoniam in furore suo occiderunt occisionem, & in voluntate suâ suffoderunt murum inimicorum. Maledictus sit furor eorum, quoniam fortis; & ira eorum, quia dura.*

Versio Syriaca: *Simeon & Levi fratres, vasa furoris ex naturâ suâ. In arcanum eorum haud ingressa est anima mea, & in cœtu illorum non decidi ex gloriâ meâ; nam in furore suo peremerunt viros, & in irâ suâ convulserunt murum. Maledictus sit furor eorum, quoniam vehemens est, & ira eorum quia pessima est.*

Versio Arabica: *Et Simeon & Levi duo fratres, in instrumentis tyrannidis ruptura eorum. Et in conspirationem eorum non est ingressa anima mea, & in congregatione eorum non est conjuncta substantia mea: Quoniam in irâ suâ occiderunt gentem, & voluntate suâ convulserunt murum sui amborum. Culpabilis ira eorum quàm fortis est! & exardescentia eorum quàm difficilis est!*

Multiplex certè filiorum *Jacob* peccatum fuisse in Sichimitarum cæde, cunctæ illius Historiæ circumstantiæ liquidò probant. Primò namque in eo deliquerunt, quòd inconsulto patre, quem illata *Dinæ* injuria propius attingebat, proprio judicio & auctoritate, ac cæco animi furore facinus illud sint aggressi. Secundò, quòd mendacium perniciosissimum & perjurium commiserint, pactum cum Sichimitis ineuntes, quod violare decreverant. Tertiò, quòd Sacramento Circumcisionis ad dolum suum celandum, & exitium Sichimitis inferendum sacrilegè abusi sint. Quartò, quòd extremam crudelitatem in Sichimitas exercuerint, dum ipsos ex recenti Circumcisionis vulnere debilitatos & ægrotantes, ad bellum imparatos, inermes, ad resistendum invalidos contrucidarunt. Quintò, quòd vindictam longè graviorem de Sichimitis sumpserint, quàm eorum facinus mereretur: Si quidem *Sichem* Princeps *Dinam* ducere volebat uxorem; ideo se populumque suum Circumcisionis cultro subjecerat: Accipere paratus erat indotatam, immo & augere dotem ex propriis bonis, quantum *Jacob* & filii ejus postulassent. Quæ certè illatam injuriam maximâ ex parte compensabant. Sextò, quòd non solùm filium Regis stupri auctorem, non solùm ejus famulos, quippe suas illi operas ad *Dinæ* raptum contulerant; sed Sichimitas ad unum omnes, insontes licèt, hujusque flagitii minimè participes aut conscios occiderunt. Septimò, quòd eorum Urbem everterunt, agros depopulati sunt, armenta & greges deprædati sunt, parvulos & mulieres in servitutem abduxerunt.

Obji-

Objiciunt hæc verba ex Oratione *Juditha*, zelum *Simeonis* & *Levi* in ultione de Sichimitis repetendâ a Deo postulantis, Judith 9. *Domine Deus Patris mei Simeon*, inquit, *qui dedisti illi gladium in defensionem* * *alienigenarum*, *qui violatores extiterunt in coinquinatione suâ*, & *denudaverunt femur Virginis in confusionem ; & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captivitatem ; & omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum : Subveni, quæso te, Domine Deus, mihi Viduæ*. Facinus itaque filiorum *Jacob*, Sichimitas in ultionem stupri *Dinæ* sorori illati perimentium, laude dignum est; tantùm abest ut damnari debeat.

* *Id est in ultionem*.

Secundò, *Jacob* dedit Urbem *Sichem* filio *Joseph*, in hæreditatem, quam ait se tulisse de manu Amorrhæi, hoc est, de manu Sichimitarum, in arcu & gladio suo. Genesis 48. 22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Quem locum 70. Interpretes ita verterunt: *Do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos: Quam accepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo & sagittâ*. Quæ verba exponens *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis, ait: *Sichima juxta Græcam & Latinam consuetudinem declinata est: Alioquì Hebraicè Sichem dicitur, ut etiam Joannes Evangelista testatur; licèt ibi vitiosè, ut Sichar legatur, error inolevit. Sichem porrò est nunc Neapolis Urbs Samaritarum*. Existimavitque itaque *Jacob* bellum filiorum suorum adversùs Sichimitas justum fuisse: Alioquì & Sichimitarum bona, & Sichimiam ipsam, velut malè parta, legitimis dominis restitui jussisset.

Respondetur ad primum, *Juditham* quidem existimasse *Simeonem* & *Levi* Sichimitarum cædem ex zelo aggressos. Verùm non ita se res habet. Neque necesse est Sanctissimam Heroinam Sacræ Scripturæ sensum hac in re penitùs exploratum habuisse.

Respondetur secundò, Illam spectasse duntaxat primum *Simeonis* & *Levi* propositum, quo stuprum sororis, familiæque suæ dedecus ulcisci voluerunt: Primum enim illud justæ vindictæ propositum, honestum & laude dignum erat, nisi illud tot deinde criminibus corrupissent & contaminassent. Hanc responsionem ex *Richardo* suggerit *Thomas Anglicus* Commentario in Genesim. *Illud sanè dixerim*, inquit, *flagitium illud meritò displicuisse filiis Jacob, nec propter susceptam Circumcisionem placari potuisse ; ut quæ non propter Deum, sed propter Dinam facta fuisset. Culpabile tamen in illis fuit severitatis modum excessisse, & in ulciscendâ injuriâ æquitatis modum non servasse. Meritò igitur Jacob inconsultam eorum audaciam redarguit, severitatemque indiscretam reprehendit. Nec mirandum, idem opus aliquâ ex parte rectum & ex zelo procedens esse, aliâ verò ex parte esse temerarium, inordinatum, atque immoderatum: Cùm etiam dictum Caiphæ, quâ fuit ab occulto Dei instinctu, propheticum fuerit ; quâ verò a malo ejus animo & intentione processit, impium censeatur*. Nec verò quia Deus adjuvit illos in delendis Sichimitis, rectè colligitur eos non peccasse: Quia Deus multis de causis juvat temporaliter peccatores; & zelus ille quo primùm impulsi fuerant & incensi, multis vitiis deformatus & depravatus est, & in furorem pertinacem, & crudelitatem barbaram degeneravit.

Ad secundum respondetur, Partem illam, quam *Jacob* dedit *Joseph* extra fratres suos, non fuisse Urbem *Sichem*, sed partem agri, quem emerat a filiis *Hemor* centum agnis (*Genesis* 37.) Sed enim hunc agrum datum esse *Joseph* a *Jacobo* patre, testis est *S. Joannes* Evangelii cap. 4. his verbis: *Venit Jesus in Civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*. (S. Hieronymus legendum esse, *Sichem*, observat) *juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob*. Nomen certè *Sichem*, quod in Hebræo legitur in laudato Geneseos loco, & quod 70. Interpretes *Sichimam* transtulerunt, ambiguæ significationis est. Nam, ut est nomen proprium, significat Urbem *Sichem*, in Sacris Literis frequenter appellatam: Ut nomen appellativum est, significat *partem*. Atque ea est eò loci nominis hujus potestas, ut constat ex *S. Hieronymo*, & Latinâ Versione, nec non ex Syriacâ, Arabicâ, & ex Chaldaicâ Paraphrasi. Ait autem *Jacob*, Se partem illam tulisse de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo, quia etsi primò ipsam pretio redemerit ab *Hemoris* popularibus, deinde tamen ex vicino agro expulit Amorrhæos, qui illum non jure possidebant, sed armis eripuerant Sichimitis, cùm Jordanem populabundi transmisissent. Neque enim *Jacob* ait se ab *Hemor* eum agrum arcu & gladio quæsivisse, sed ab Amorrhæis. *Hemor* autem & *Sichem* Amorrhæos non fuisse, sed Hevæos, Scriptura docet; nisi fortè nomen Amorrhæorum Gentibus illis ob viciniam & fœdus commune fuisse dicatur, sicut nomen Belgarum vel Batavorum Provinciis Fœderatis commune est. Vel, nomine arcûs & gladii fortitudo intelligenda, quo nomine metaphoricè pecunia significatur, laboribus ac sudoribus parta, quâ *Jacob* agrum illum comparavit. Vel, in arcu & gladio eam agri Sichimici partem se tulisse ait, id est, merito suæ justitiæ & sanctitatis, quam intuitus Deus, Hevæos, Amorrhæosque coërcuit, ne ob Sichimitarum cædem in familiam ejus arma sumerent, ac vicem illi rependerent. Geminam hanc explicationem affert *S. Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis super Genesim. *Arcum hic & gladium*, inquit, *justitiam vocat, per quam meruit peregrinus & advena, interfecto Sichem & Emor, de periculo liberari. Timuit enim, ut suprà legimus, ne vicina oppida atque castella ob eversionem fœderatæ Urbis adversùs se consurgerent ; & Dominus non dedit eis ut nocerent illi. Vel certè sic intelligendum: Dabo Tibi Sichimam, quam emi in fortitudine meâ, hoc est, in pecuniâ quam multo labore & sudore acquisivi. Quod autem ait*, Super fratres tuos: *ostendit absque forte dedisse eam Tribui Joseph: Siquidem eodem loco sepultus est Joseph & Mausolæum ejus hodie ibi cernitur*. Denique nomine arcûs & gladii intelligi posse ferventissimas orationes, quibus *Jacob* divinam protectionem promeritus est, colligitur ex Paraphrasi Chaldaicâ, quæ sic habet: *Ego autem do tibi partem unam præcipuam super fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, oratione meâ & deprecatione meâ*.

Quòd verò pars illa non fuerit Urbs *Sichem*, multa probant. 1. Vox numeralis *una*, quæ nomini proprio non additur, sed appellativo. Neque etiam plures fuere Urbes hujus nominis. 2. Quòd *Jacob* facinus illud filiorum suorum in Sichimitas sibi quasi gloriabundus non tribueret, a quo se alienissimum fuisse, & penitus abhorruisse, Capite sequenti contestatus est, maledictione suâ eorum hoc in facto iniquitatem execratus. 3. Urbem *Sichem* jure belli a se partam non diceret propter ejus a filiis suis eversionem ac vastationem, qui ipsorum arma *Vasa iniquitatis bellantia* appellat. 4. Non est verisimile quòd eam potiùs Urbem *Josepho*, quàm *Simeoni* & *Levi* ejus expugnatoribus ac debellatoribus dedisset. Quintò verisimile non est, quòd *Jacob* Urbem retinuerit, ac servaverit, immo longè est verisimilius ipsum mulieres, parvulos, armenta & greges a filiis suis ex prædâ abductos restituisse, & in Urbem remisisse, ne crudele facinus appro-

ba-

bare videretur, & Chananæos atque Pheresæos, quorum ab armis sibi domuique suæ vehementer timebat, magis ac magis in se concitaret. Unde statim ex loco illo, Deo monente, discedens Bethelem ascendit, ibique habitavit. 6. Mirum in modum sententiam nostram confirmat *S. Augustinus quæstione 167. in Genesim* his verbis: *Quòd dicit Jacob, Sichimam se præcipuam dare filio suo Joseph, & addit quòd eam possederit in gladio suo & arcu, quæri potest, Quemadmodum valeat ad literam convenire? Emit enim centum agnis possessionem illam, non cepit jure victoriæ bellicæ. An quia Salem civitatem Sichimorum filii ejus expugnaverunt, & jure belli potuit ejus fieri, ut justum bellum cum eis gestum videatur, qui tantam priores injuriam fecerunt in filiâ ejus contaminandâ? Cur non ergo illis illam Terram dedit, qui hoc perpetraverunt, hoc est majoribus filiis suis? Deinde si modò ex illâ victoriâ glorians, dat eam Terram filio suo Joseph, cur ei displicuerunt tunc filii qui hoc commiserunt? Cur denique etiam nunc, cùm eos benediceret, exprobando id commemoravit in factis eorum? Procul dubio ergo aliquod hic latet Propheticum Sacramentum: Quia & Joseph quadam præcipuâ significatione Christum præfiguravit, & ei datur illa Terra, ubi disperdiderat obruendo Deos alienos Jacob, ut Christus intelligatur possessurus Gentes Diis Patrum suorum renunciantes, & credentes in eum.*

# DISSERTATIO XI.

## DE JUDÆ ET THAMARIS Historiâ.

Duplex difficultas discutienda impræsentiarum occurrit. Prima spectat tempus quo hæc Historia contigit, An scilicet ante vel post venditionem Joseph? Altera factum ipsum, Utrùm nempe *Judas* vel *Thamar* a peccato excusari possint? Quâ in Quæstione tertia implicita est, Utrùm scortatio ante Legem Mosaicam illicita fuerit, an verum sit, quod *Marshamus* asserit in Canone Chronico, pag. 173. *Ante Legem Hebræis innuptis licitam fuisse corporis copiam pro libitu facere?* Quia verò *Thamarem* primogenito suo *Her* uxorem dederat *Judas*, eoque a Domino percusso, eamdem conjunxerat alteri filio nomine *Onan*; ac eo pariter ob detestabile facinus a Deo vindice occisô, illam *Sela* tertio filio despondcrat; cujus dum adultior ac robustior expectabatur ætas, scortatio *Judæ* cum *Thamare* contigit: alterius Quæstionis discussio præmittenda est de Jure nimirum Levirationis; Utrùm ex Dei revelatione & Veterum Patriarcharum consuetudine, vel ex Ægyptiorum moribus ortum habeat?

---

### PROPOSITIO I.

*Jus Levirationis, quo frater defuncti fratris Viduam ducere tenebatur, & fratri semen excitare, ante Legem institutum erat & a Sanctis Patriarchis observabatur, Deo (ut credere par est) Auctore; non Ægyptiorum, Chananæorum, aut vicinarum Gentium exemplo.*

Probatur ex Cap. 38. *Genesis* ubi primum istius moris ac instituti exemplum legitur. Scilicet cum *Judas* trium filiorum pater, primogenito suo *Her* uxorem nomine *Thamarem* dedisset, *Her* verò a Deo occisus esset, quia erat *nequam in conspectu Domini*, & mollitiei peccato sese coinquinans uxoris fœcunditatem filiorumque generationem, quæ Matrimonii finis est, impediebat; ut tradunt Hebræi, quorum conjecturam vulgò sequuntur Scripturæ Sacræ interpretes: Cùm (inquam) *Her* a Deo interfectus esset, dixit *Judas* ad *Onam* filiorum suorum alterum: *Ingredere ad uxorem fratris tui & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui semen fundebat in terram ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus quòd rem detestabilem faceret. Quamobrem dixit Judas Thamar nurui suæ: Esto Vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus. Timebat enim ne & ipse moreretur sicut fratres ejus.* Mortuo *Her* primogenito, *Judas* Viduam ejus *Thamarem* copulat filio proximè sequenti, scilicet *Onan*, ut suscitet semen fratri suo: Hoc quoque defuncto despondet illam *Selæ* tertio filiorum: Jus itaque Levirationis tunc primum non est institutum, sed ab antiquo in Patriarcharum familiis usitatum erat. Id enim non *Judæ* solùm, sed & *Onano* notum fuit: Quippe qui sciret, non sibi sed fratri defuncto ex tali conjugio filios nascituros, ut Scriptura disertè testatur. Hunc autem Patriarcharum morem ex divinâ revelatione derivatum credere par est, ejusque duplicem rationem Viri Eruditi afferunt, Politicam unam, Typicam alteram. Politica erat, ut hæreditas paterna in eâdem familiâ conservaretur. Typica, ut jus primogenituræ, addictaque illi benedictio in familiâ continuaretur, ad Messiæ venturi significationem, qui est *Primogenitus in multis fratribus* (Roman. 8. 29.) & *Primogenitus ex mortuis. In omnibus primatum tenens.* (Coloss. 1. 18.) Rationem alteram *Pererius* affert, quòd nimirum voluerit Deus „ Patriarchas Populi Hebræi multa observare eo„ rum, quæ postea per Legem præscribenda eo„ rum posteris essent: Quo scilicet majorum suo„ rum exemplo, molliora ipsis & leviora Legis „ præcepta fierent. Enimverò distinctionem ani„ malium mundorum & immundorum ad usum „ sacrificandi observatam legimus *Genesis* 8. sta„ tim post diluvium: Erectionem item Altarium „ ex impolitis lapidibus, atque eorum unctio„ nem quasi consecrationem factam legimus a *Ja„ cob*, Genesis 28. & ab eodem votivam deci„ marum oblationem: Hæc autem omnia per Le„ gem *Mosis* multis post seculis sancita & con„ stituta sunt. Ita præceptum de ducendâ fratris sine prole defuncti Viduâ jam olim Patriarcharum consuetudine observatum, quæ ex divinâ inspiratione primam habuisse originem non temere existimatur, in Mosaicâ Lege traditum est, *Deuteronomii* Cap. 25. 5. *Quando habitaverint fratres simul*, inquit, *& unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui; primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël.* Legem illam Ceremonialem pluribus aliàs exponemus: Nunc de illius dumtaxat origine agere nobis propositum est.

*Philo Judæus* Libro *De Nobilitate*, Jus illud Levirationis, Lege Civili Chananæorum, in quorum regione *Judas* tunc versabatur, sancitum fuisse significat. Sic enim de *Thamare* loquitur. *Hæc duobus deinceps fratribus, ambobus scelestis nupserat, priori puella; posteriori verò ex Decreto Judicum, quia prior sine liberis decesserat.* Verùm dictum istud *Philonis* facilè refellitur. Mosaica enim narratio Cap. 38. *Geneseos* supra laudato liquidò probat *Thamarem*, defuncto *Here* primo marito, sine liberis, *Onani* secundo fratri collocatam & copulatam fuisse, auctoritate, sententiâ, & voluntate *Judæ*; non autem Decreto & præ-

cepto Judicum regionis illius. *Dixit ergo Judas ad Onam filium suum: Ingredere ad uxorem fratris tui & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo.* Præterea si jus istud civilibus Chananæorum Legibus sancitum fuisset, quarum executioni Judices invigilabant; verisimile est *Thamarem* Judices adituram, & coram ipsis de injuriâ expostulaturam cùm vidit *Sela*, cui desponsa fuerat, sibi datum non esse ab ipso *Judâ* Maritum; nec meretricem simulasset ut furtivo concubitu filios ex *Judâ* susciperet, quandoquidem ex *Selâ* non poterat.

Jus illud Levirationis, moremque ducendi uxorem fratris sine liberis defuncti, ex Ægypto *Marshamus* arcessit, his fretus argumentis. *Magistrorum aliqui*, inquit, *causam & Mysterium conjugii hujus fratriç & leviri ex Metempsychosis nescio quâ opinione petendam contendunt*, ut legere est apud *Seldenum in Uxore Hebraicâ*, Lib.1. cap.13. *Opinio autem ista in Ægypto nata est. Etiam apud Ægyptios, Leviri jus illud ex priscis eorum Legibus ad usque Zenonis Augusti tempora* derivatum esse probat ex ejus Lege quæ *Lib.5. Justinianæi Codicis Tit.6. L.8.* habetur. *Licèt*, inquit Zeno, *quidam Ægyptiorum ideircò mortuorum fratrum sibi conjuges Matrimonio copulaverint, quòd post illorum mortem mansisse Virgines dicebantur, arbitrati scilicet [ quod certis Legum Conditoribus placuit ] cùm corpore non convenerint, Nuptias non videri re esse confectas; & hujusmodi connubia tunc temporis celebrata firmata sunt: Tamen præsenti Lege sancimus, si quæ hujusmodi Nuptiæ contractæ fuerint, eas, earumque contractores, & ex his progenitos, antiquarum Legum tenori subjacere, nec ad exemplum Ægyptiorum ( de quibus supra dictum est ) eas videri fuisse firmas, vel esse firmandas.*

Verùm futilia sunt illa *Marshami* argumenta. Ineptum imprimis est, nec refutatione dignum, quod ex Rabbinorum quorumdam deliramentis sumitur, Legem de fratriarum connubio ex *Metempsychosis* errore ortam asserentibus. Quòd verò *Zenonis* Legem spectat, ex eâ perperam colligit *Marshamus* Jus Levirationis ex Ægyptiorum Legibus ac Institutis arcessendum. Primò, quia narrat quidem *Zeno Augustus* quid in Ægypto aliquando factitatum sit, non quid ex Jure patriove Instituto in certo quodam casu fieri debuerit. Secundò non ait, receptum hunc & communem apud Ægyptios fuisse morem ut defunctorum conjuges sibi copularent; sed privatorum quorumdam sub arbitrio agentium factum memorat, ut patet ex verbis Legis *Licèt quidam Ægyptiorum*, &c. Tertiò, ille Ægyptiorum quorumdam usus locum habebat eo dumtaxat casu, quo mortuus frater cum conjuge non convenisset, nec Matrimonium consummasset, adeò ut post ejus mortem virgo mansisse diceretur. At longè alia fuit Juris Leviratûs ratio apud Hebræos, sive a Lege *Moysi* datâ, sive ante Legem, ut ex *Thamaris* cum *Onane* conjugio constat. Hìc enim supponebatur conjuges convenisse, prius matrimonium fuisse consummatum; & frater fratris sine liberis defuncti uxorem ducebat ad suscitandum fratri demortuo semen, & ejus hæreditatem unà cum benedictione Primogeniti in familiâ conservandam. Quartò, quamvis illud in Ægypto invaluisset, non sequitur ibi obtinuisse ante *Judæ* Patriarchæ tempora: Nec id ex *Zenonis* receptiori Constitutione extundere *Marshamus* ullâ ratione potest. Quintò, nondum in Ægyptum profectus erat *Judas*, nulla ipsi cum Ægyptiis consuetudo & familiaritas intercesserat: Quam igitur causam habuisset œconomicum illud Ægyptiorum institutum in familiam suam recipiendi?

---

PROPOSITIO II.

*Incertum est an Judæ & Thamaris Historia ante vel post venditionem Josephi contigerit.*

Probatur primò ex Scripturâ Sacrâ, quæ illius epocham non ita certè ac præcisè designat vel definit. Memoratâ namque *Josephi* venditione cap. 37. *Geneseos*, statim Historiam *Judæ* subjungit *Moyses* Cap.38. his verbis: *Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem nomine Hiram. Viditque ibi filiam hominis Chananæi vocabulo Sue; & acceptâ uxore, ingressus est ad eam. Quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Her. Rursumque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan. Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela; quo nato, parere ultra cessavit. Dedit autem Judas uxorem Primogenito suo Her, nomine Thamar*, &c. Porrò hæc verba, *Eodem tempore*, significant quidem hanc Historiam contigisse circa tempus quo venditus est *Joseph*, quod paulò ante vel post venditionem fuisse necesse est; sed neutrum disertè determinant ac definiunt.

Secundò, utrinque non levia militant argumenta. Ordo enim Mosaicæ narrationis post venditionem *Josephi* hanc Historiam contigisse, multis persuadet. Si enim ante contigisset, ratio temporis, & rectus scribendi ordo postulabant, ut eam *Moses* priùs narraret; maximè cùm inchoatam *Josephi* Historiam interrumpendi nulla tunc fuisset necessitas; sed, quod præclarius & commodius videtur, universam ad finem usque continente serie pertexuisset. Aliunde verò ante venditionem *Josephi* contigisse, duo momenta probabiliter ostendunt: Primum, quòd intra viginti tres annos, quot a venditione *Joseph* ad ingressum usque *Jacob* in Ægyptum numerantur, omnia, quæ hoc in Capite Geneseos *Moyses* commemorat, facta esse vix credibile sit; nempe conjugium *Judæ*, trium filiorum ejus successivam generationem, adultam eorum ætatem, & maturam conjugio, quod alius post alium iniit, viduitatem *Thamar*, & diuturnam ejus mansionem in domo paternâ, donec *Sela* tertius Judæ filius in ætatem Matrimonio idoneam, firmamque adolesceret; demum *Thamaris* incestam cum *Judâ* scortationem, & duorum ex eo concubitu filiorum, scilicet *Phares* & *Zara* generationem. Hoc certè argumentum non leve *S. Augustino* visum est *Quæstione* 128. *in Genesim* scribenti: *Quæritur quandò ista fieri potuerunt? Si enim postea quàm Joseph devenit in Ægyptum, quomodo intra viginti fermè & duos annos ( nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eumdem Joseph fratrem suum in Ægyptum cum Patre suo ) fieri potuerit, ut Judæ filii ejus ætatis omnes possent ducere uxores? Nam Thamar Nurum suam mortuo Primogenito suo, alteri filio dedit: Quo etiam mortuo, expectavit, ut cresceret tertius; & cùm crevisset, nec illi eam dedit, timens ne & ipse moreretur: Unde factum est ut eidem Socero suo se illa supponeret. Quomodo ergo hæc omnia intra tam paucos annos fieri potuerint, meritò movet, nisi [ ut fortè solet ] Scriptura per recapitulationem aliquot annos ante venditum Joseph hoc fieri cœpisse intelligi velit; quoniam sic positum est ut diceretur*, Factum est autem in illo tempore: *Ubi tamen quæritur, si decem & septem annorum erat Joseph quando venditus est, quot annorum esse Judas potuerit quartus filius Jacob, quandoquidem ipse Primogenitus Ruben ut plurimùm fratrem suum Joseph quinque aut sex annos potuerit ætate* præ-

*praecedere? Evidenter autem Scriptura dicit triginta annorum fuisse Joseph, quando innotuit Pharaoni. Cùm ergo ipse anno decimo-septimo aetatis suae venditus fuisse credatur, tredecim annos peregerat in Ægypto ignotus Pharaoni: Ad hos autem tredecim annos accesserunt septem anni ubertatis, & facti sunt anni viginti: His adduntur duo, quia secundo anno famis intravit Jacob in Ægyptum cum filiis suis, & inveniuntur viginti duo anni, quibus abfuit Joseph a Patre & a fratribus suis: Quo medio tempore, quomodo fieri potuerint de uxore & filiis & Nuru Judae omnia quae narrantur, indagare difficile est: Nisi fortè ut credamus [ & hoc enim fieri potuit ) mox ut adolescere Judas coepit, eum incidisse in amorem ejus quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Ægyptum.*

Praeterea, *Genesis* 46. ubi ingressus *Jacob* in Ægyptum cum omni familiâ suâ memoratur, *Judam* simul in Ægyptum descendisse legimus cum filio suo *Phares*, & duobus filiis ejus *Hesron* & *Hamul*. Hos cùm genuit *Phares*, non potuit esse minor annis sexdecim. Sed ipse genitus fuerat anno circiter vigesimo-secundo post conjugium Patris sui *Judae* cum Muliere Chananaeâ, secundùm eorum hypothesim, qui hanc Historiam post venditionem *Josephi* contigisse contendunt. Supponunt enim eo ipso anno quo *Joseph* in Ægyptum venditus est, *Judam* duxisse uxorem Chananaeam, eoque anno vertente genuisse primum filium, cui nomen *Her*, & inde *Onan* & *Sela* successivè. *Heri* septemdecim annos natum duxisse *Thamarem* uxorem, id est, anno post conjugium Patris decimo-octavo: Sed quia nequam erat in conspectu Domini, extinctum fuisse, vindice Deo, sub finem ejusdem anni. Anno ineunte decimo-nono, in ejus conjugium successisse alterum filium *Judae* scilicet *Onan*, qui eodem anno a Deo interfectus est, quòd rem detestabilem faceret. Tunc coactam esse *Thamarem* expectare, donec *Sela* tertius *Judae* filius magis adolesceret: Id tempus annorum duorum vel trium fuisse ponunt, ut fuerit tunc *Sela* viginti circiter annorum, major nempe ac robustior prioribus fratribus suis. Expectasse igitur *Thamarem* usque ad vigesimum secundum annum a conjugio *Judae*. Tunc se frustrari cùm videret spe habendi *Selam* Maritum, quaesivisse per simulationem concubitum *Judae*, & inde duos filios gemellos peperisse anno vigesimo-secundo post conjugium *Judae* cum Muliere Chananaeâ. Anno sequenti, scilicet vigesimo-tertiò expleto, intrasse *Judam* cum duobus filiis in Ægyptum. Ita inter alios *Pererius in Cap.* 38. *Genesis*, *Disputat.* 1. In hac autem hypothesi, a conjugio *Judae* usque ad illius ingressum in Ægyptum, cum filiis & nepotibus suis, fluxissent anni triginta & octo, duo scilicet & viginti usque ad ortum *Phares*, & anni sexdecim usque ad generationem filiorum ejus. Haec igitur videntur pugnare, quòd *Judae* & *Thamaris* Historia post venditionem *Josephi* in Ægyptum contigerit, & quòd *Judas* cum filio *Phares* & duobus ejus filiis *Hesron* & *Hamul* in Ægyptum descenderit.

Partis tamen utriusque momenta solvere nituntur Interpretes, prout quisque in hanc vel illam inclinat. Qui ante venditionem *Josephi* hanc Historiam contigisse censent, ad fundamentum contrariae sententiae respondent cum *S. Augustino*, Mosem hìc recapitulatione usum, posteriùs narrasse, quae ante aliquot annos facta essent. Caussam interfertae hoc loco *Judae* & *Thamaris* Historiae reddit *Aben Ezra*. Id nempe a *Moyse* ex industriâ factum observat, ut magis inde elucesceret quàm longè aliter se *Josephus* gesserit cum uxore Heri sui, ad libidinem ipsum provocante, quàm frater ipsius *Judas* hic se gesserit cum Nuru meretricem simulante. Locutionem autem istam, *eodem tempore*, non dissimili sensu usurpari notat, *Deuteronomii* 10. 8. quomodo & ab aliis observatum est, *In die illo*, sine determinatâ aliquâ temporis notatione sexdecies in Vetere & Novo Testamento esse positum. Hocque ipso in loco, *Eodem tempore*, non ad illud quo in Ægyptum venditus est *Josephus*, sed quo ipse *Judas* in Chananaeam cum Patre advenit, referendum esse *Usserius* contendit *Chronologiae Sacrae Cap.* 10. Ponit nimirum, primi servitutis paternae septennii anno quarto natum *Judam*, aetatis decimum-octavum annum egisse, quo tempore in Chananaeam primùm est ingressus, sub finem videlicet aestatis, exeunte anno Mundi bis millesimo ducentesimo sexagesimoquinto. Mox ibi uxore ductâ Chananitide, anni bis millesimi ducentesimi sexagesimi-sexti aestate *Herem*: Anno bis millesimo ducentesimo sexagesimo-septimo sub veris exitum, *Onanem*, & anno consequenti *Selam*, suscipere ex eâ potuisse. Conspicuum inde *Jacobo* Deum, eandem foecunditatis benedictionem soboli ejus impertivisse, quâ filios *Noe* olim donaverat, Genesis 35. *Cresce*, inquit, *& multiplicare: Gentes & Populi Nationum ex te erunt, Reges de lumbis tuis egredientur*. Unde ut tunc apud primos Orbis restauratores, sic & nunc apud *Jacobi* posteros, ut statim ab ineunte pubertate liberis opera daretur, in usu esse coeptum, verisimile esse. Ita sub exitum Veris anni bis millesimi ducentesimi octogesimi, *Heri* annum aetatis decimum-quintum, & pubertatis primum ingresso, & anno sequenti *Onani*, uxorem *Thamarem* Patrem dare potuisse. Mox verò *Onane* ob scelus a Deo morte affecto, edixisse *Judam Thamari* Nurui suae, ut tantisper Vidua in domo Patris maneret, donec *Sela* tertius filius adolesceret. Quo paulò post initium Veris anni bis millesimi ducentesimi octogesimi-secundi pubertatem assecuto, *Judam* a morte uxoris solatium accepturum, Thimnam ad tondendum gregem suum sub aestatis sequentis initium abiisse. Ibi *Thamarem*, Soceri mente de filio *Selâ* ipsi non dando satis perspectâ, scortum simulantem, ex ipso *Judâ* duorum liberorum Matrem effectam. Hac ratione sub finem hyemis anni bis millesimi ducentesimi octogesimi-tertii gemellos illos *Pharen* & *Zaran* in lucem fuisse editos, annis quindecim cum quadrante priùs quàm *Jacob* cum familiâ in Ægyptum descenderet. Ita sub initium anni decimi-quinti *Phares* nasci potuisse *Hesron*, sub finem *Hamul*; vel si gemelli fuerunt, sub finem ambos, & infantes simul cum Patre in Ægyptum ingressos. Ita *Usserius*.

Qui verò post venditionem *Josephi* hanc Historiam contigisse volunt, facilè etiam se diluere confidunt adversae partis argumenta. Ad primum respondent, Omnia quae *Genesis* 38. Capite narrantur, intra viginti tres illos annos qui a venditione *Joseph* ad ingressum *Jacob* in Ægyptum numerantur, peragi facilè potuisse, ut exponit *Pererius*, cujus hypothesim secundum pro istâ sententiâ argumentum explicat. Ad illud verò respondent, Duos illos filios *Phares*, *Hesron*, & *Hamul* non fuisse natos ante ingressum *Jacob* in Ægyptum, sed aliquot post annis. Istos autem numerari inter eos qui Ægyptum ingressi sunt, quia etsi non per se, in suo tamen Patre, qui verè in Ægyptum descendit, ingressi censentur. Sicut *Moses* recensitis eo loco filiis & nepotibus *Liae*, subdit eos fuisse genitos in Mesopotamiâ: Quod tamen falsum est de filiis *Judae*, *Ruben*, *Simeonis*, & *Levi*, in Terrâ Chanaan genitis. Cùm enim *Jacob* ex Mesopotamiâ discessit, *Ruben* erat annorum tredecim, *Simeon* duodecim, *Levi* undecim, *Juda* decem, quâ aetate ipsos jam liberis

ris

ris operam dedisse, incredibile est. Quod itaque dicitur de filiis & nepotibus *Liæ* ab eâ genitis in Mesopotamiâ, interpretandum est de filiis quidem *Liæ* per se atque immediatè, de nepotibus autem ejus mediatè atque in eorum patribus, qui nati fuerant in Mesopotamiâ. Atque hoc modo difficultatem istam solvit *S. Augustinus Quæstione* 151. *in Genesim*. Quòd autem inter eos qui Ægyptum ingressi sunt, unà cum *Jacob*, & a *Mose Cap.*46. Genesis recensentur, aliqui nondum nati essent, probant ex commemoratione decem filiorum *Benjamini* secundùm Textum Hebraicum & Latinam Versionem; quos tamen omnes non fuisse a *Benjamino* proximè genitos, sed quosdam fuisse nepotes ac pronepotes ejus constat ex Versione 70. Interpretum. Et certè cùm *Benjamin* annos dumtaxat viginti-tres natus esset, cùm in Ægyptum descendit, fieri non potest ut tunc non solùm filium habuerit, sed nepotem ex filio, & pronepotem.

Respondent secundò cum *S. Augustino*, *Quæstione ultimâ in Genesim*, *& Libro* 16. *De Civitate Dei*, *Cap.* 40. per ingressum *Jacob* & filiorum ejus in Ægyptum omne tempus intelligi oportere, quo vixit *Joseph*, per quem factum est ut intrarent. Ita *Pererius* istius sententiæ vindex.

Verùm hę Responsiones aliis duriores videntur, & Scripturæ vim inferre, cum *Moses Cap.* 46. *Geneseos* disertè exprimat qui filii vel nepotes *Jacob* nati sint in Mesopotamiâ, in Terrâ Chanaan, & in Ægypto: Ac *Hesron* & *Hamul* filios *Pharez* in Terrâ Chanaan natos non obscurè significet, ubi *Her* & *Onan* perierunt. *Mortui sunt autem*, inquit, *Her*, *& Onan in Terrâ Chanaan. Natique sunt filii Phares: Hesron & Hamul.* Quòd verò *Pererius*, & alii præsidium arcessunt ex decem filiis Benjamini, *Usserius* evertit, ostendens *Benjaminum* eo tempore, quo Ægyptum cum *Jacob* ingressus est, fuisse viginti-septem annorum, quâ etate liberorum decem potuisse illum esse Patrem, nihil impedit. In textu certè Hebraico, in Chaldaicis Paraphrasibus *Onkelosi* & *Jonathanis*, in Versione Syriacâ, in Editione Vulgatâ Latinâ, & *Josepho Lib.*2. *Antiquitatum*, *Cap.*4. omnes isti decem ut immediati *Benjamini* filii recensentur. Quod tandem colligunt, etiam nepotes in filiorum numero promiscuè hic recenseri, ex *Numerorum* 26. 40. ubi *Ard* & *Naaman*, & 1. *Paralipomenon* 8. 3. 4. ubi *Gera* & *Naaman* filii *Bela* esse dicuntur, nullius esse momenti respondet *Usserius*. Nihil quippe obstare, quò minùs dici possit tres filios habuisse *Belam* Patruis suis cognomines. Observatque in loco Chronicorum Textum Hebræum duos ejusdem nominis habere *Geras*: Syriacam verò Versionem, duos *Geras* simul & *Naamanes*, alteros *Benjamini* filios, alteros ejusdem ex filio *Belâ* nepotes.

Hæc in utramque partem disceptata lectoris examini ac judicio permitto, ut eam amplectatur sententiam, cujus momenta ipsum magis afficient, ac movebunt.

---

## PROPOSITIO III.

*Thamaris cum Judâ concubitus a peccato excusari nullâ ratione potest.*

PRobatur: Quæ se meretricem simulavit & meretriciâ specie atque habitu *Judam* ad libidinem incitavit, seque Socero prostituit, a peccato excusari non potest. Id verò fecisse *Thamarem* Moyses testatur: Excusari itaque a peccato factum ejus non potest. Non enim fornicationis dumtaxat rea fuit, sed incestûs, & adulterii, ut *Lyranus*, *Tostatus*, *Thomas Anglicus* opinantur, utpote desponsata *Selæ* filio *Judæ* secundùm legem illam sive consuetudinem apud Patriarchas obtinentem, de suscitando semine fratri mortuo sine liberis.

Præterea, Sententia *Judæ*, qui eam, statim atque gravidam esse accepit, sive Mores & instituta Chananæorum eo in Judicio secutus, sive suo arbitrio ut familiæ caput, igne damnavit, peccati ipsius gravitatem probat. Quamquam acerbiorem & atrociorem fuisse delicto sententiam ac pœnam Viri Eruditi contendant, & in eo prorsus iniquam, quòd Mulierem prægnantem, non expectato ejus partu, capite damnaverit; quod naturali æquitati, & nobilissimarum gentium institutis ac legibus repugnat. Multò minùs *Judas* excusari a fornicatione potest, qui petulanti libidine impulsus, ad eam accessit, quam putabat meretricem, & illicitæ voluptatis fruitionem cum eâ pactus, nefarium desiderium explevit.

Scripturæ sacræ verba, quibus hæ probationes nituntur, subjicio. *Nunciatumque est Thamar, quòd Socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves. Quæ depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam: eò quòd crevisset Sela, & non eum accepisset maritum. Quam cùm vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum ne agnosceretur. Ingrediensque ad eam, ait: Dimitte me ut coëam tecum: Nesciebat enim quòd Nurus sua esset. Quâ respondente, Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo? Dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumque illâ dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. Ait Judas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit, & surgens abiit: Depositoque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Post tres autem menses nuntiaverunt Judæ, dicentes: Fornicata est Thamar Nurus tua, & videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas: Producite eam ut comburatur. Quæ cùm duceretur ad pœnam, misit ad Socerum suum, dicens: De viro, cujus hæc sunt, concepi: cognosce cujus sit annulus, & armilla, & baculus. Qui, agnitis muneribus ait: Justior me est, quia non tradidi eam Selæ filio meo. Attamen ultra non cognovit eam.*

Nec *Thamarem* a peccato absolvunt verba illa Judæ, *Justior me est*: Illam enim minùs ream fuisse quidem probant quàm ipsum *Judam*, non tamen insontem. Minùs autem rea censetur, quia Marito sibi promisso & jure debito fraudata, & flagrans desiderio suscipiendi prolem ex stirpe a Deo benedictâ, ad furandum Soceri sui concubitum impulsa est. At *Judas* improbus & perfidus in *Thamar* fuit, non dando ei *Selam* Maritum, ut promiserat, & ex more tenebatur: Nec ejus concubitum appetiit desiderio prolis, sed turpis ardore libidinis. Ita hunc locum explicat *S. Hieronymus* Libro Traditionum Hebraicarum in Genesim. *In Hebræo*, inquit, *habet*: Justificata est ex me: *Non quòd justa fuerit, sed quòd comparatione illius minus mali fecerit, nequaquam vaga ad turpitudinem, sed liberos requirendo.* Ita & *S. Augustinus Libro* 22. *contra Faustum*, Cap.62. *Consulta*, inquit, *æterna Lex illa, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, non nisi propagationis causâ statuit hominis concubitum fieri: & hoc nonnisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis; & ideo prostitutio feminarum, non ad substituendam prolem, sed ad satiandam libidinem propositarum, divinâ atque æternâ lege damnatur. Omnem quippe dehonestat emptorem turpitudo venalis:*

*At per hoc Judas, etsi graviùs peccasset, si Nurum sciens, cum eâ concumbere voluisset: (Si enim vir & uxor, sicut Dominus dicit, non jam duo, sed una caro est; non aliter Nurus est deputanda quàm filia:) Tamen eum, quantum in ipso erat, deformiter cum meretrice cubasse, non dubium est. At illa quæ socerum fefellit, non carnis ejus concupiscentiâ, nec meretriciæ mercedis cupiditate peccavit: Sed ex ipso sanguine prolem requirens, ex quo, duobus jam fratribus nupta, tertio quoque denegato, habere non potuit: Patri eorum Socero suo furandum corpus fraude subjecit, pignore mercedis accepto, quod non ad ornamentum, sed ad testimonium reservavit. Melius quidem sine filiis remaneret, quàm sine jure Matrimonii Mater fieret. Longè tamen aliâ intentione peccavit, quòd filiis suis patrem providit Socerum suum, quàm si eum sibi concupisset adulterum. Denique cùm jussu ejus perduceretur ad mortem, & virgam, monile atque annulum protulisset, dicens ab eo se gravidatam, cujus pignora illa essent: Ubi ea quæ dederat ille cognovit, Istam magis quàm se justificatum esse respondit, quòd ei filium suum Maritum conjungere noluisset: Quâ destitutione compulsâ, illo modo potiùs quàm nullo modo posteritatem non aliunde quàm ab eâdem stirpe conquireret. In quâ sententiâ non eam justificatam, sed eam magis quàm se justificatam dicens, nec ipsam laudavit, sed in sui comparatione præposuit: Desiderium scilicet habendæ prolis, quo ducta illa se Socero supposuerat, minùs culpans, quàm libidinosi concubitûs ardorem, quo ipse velut ad meretricem victus intraverat: Sicut*
Ezech. 16. 52. *quibusdam dicitur:* Justificastis Sodomam; *Id est, Tantùm peccastis, ut vobis Sodoma comparata justa videatur. Quamquam etiam si hæc Mulier non in pejoris facti comparatione minùs culpata, sed omnino a Socero laudata intelligatur: Quæ tamen consultâ illâ æternâ lege justitiæ, quæ naturalem ordinem perturbari vetat, non utique tantummodo corporum, sed maximè ac primitus animorum, quia in procreandis filiis ordinatam societatem non custodivit, meritò culpabilis invenitur: Quid mirum si peccatrix a peccatore laudatur? Quod ita nobis Faustus, vel ipsa Manichæa perversitas arbitratur adversum, quasi nobis in illius Scripturæ veneratione dignoque præconio, vita hominum, quæ illa commemorat, necesse sit approbare: Quin potiùs necesse est, ut quantò illam religiosiùs accipimus, tantò fidentiùs illa culpemus, quæ per ejus veritatem certiùs culpanda didicimus. Ibi enim fornicatio & omnis illicitus concubitus Divino Jure damnatur: Ac per hoc, cùm talia quorumdam facta commemorat, de quibus eo loco suam taceat sententiam, judicanda nobis permittit, non laudanda præscribit.*

Deinde quæ ad *Judæ* excusationem afferri possent, diluit. *Sed, inquiunt, Iste Judas, qui cum suâ Nuru concubuit, inter duodecim Patriarchas computatur. Quid enim & ille Judas, qui Dominum tradidit, nonne inter duodecim Apostolos numeratus est, & cum eis unus ex eis ad prædicandum Evangelium diabolus missus est? Sed adhuc respondent, & dicunt: ille post tale facinus laqueo suo peremptus, & Apostolorum numero exemptus est: Iste autem post hanc turpitudinem, inter fratres suos ab illo Patre, cui tam magnum testimonium Deus perhibet, præcipuè benedictus & super omnes laudatus est. Quinimò hinc expressiùs apparet, non ad ipsum, sed ad Christum, qui ex ejus Tribu prænuntiabatur in carne venturus, illam pertinere Prophetiam; & ideo magis flagitium ejus Divina Scriptura tacere non debuit, sicut non tacuit, ut in verbis Patris ejus, quibus post illud dedecus ita laudatur, quia ipse non agnoscitur, alius requiratur.*

At causam *Thamaris* agunt duo Ecclesiæ lumina *S. Joannes Chrysostomus & S. Ambrosius*, eamque a peccato excusant; tum quòd non libidine, sed honesto prolis amore incensa, corporis sui copiam *Judæ* fecerit; tum quòd divinæ dispensationi servierit, magnum quoddam bonum ex hoc facto elicere volenti, Christi scilicet generationem, cujus in Genealogiâ *Phares & Zara* ex *Judâ* & *Thamar* nati recensentur; & mysticam duorum Populorum Hebræi & Gentilis significationem. *S. Chrysostomi* verba subjicio Homiliâ 61. in Genesim. *Thamar*, inquit, *furari voluit Soceri concubitum, & ex illo filios procreare, non libidinem explere concupiscens (absit hoc) sed ne videretur esse sine Nomine. Alioquin & dispensatio erat quod fiebat, unde & opere completa sunt ea quæ illa deliberavit.* Et infrà: *Nullus hæc audiens condemnet Thamar: Nam, ut dixi, dispensationi ministravit, & propterea neque ullam inde reprehensionem meretur, neque Judas criminibus fuit obnoxius. Etenim hâc viâ procedens, invenies ex pueris inde natis Christum secundùm carnem ducere genus. Præterea, duo isti filii per eum nati, duorum Populorum figura fuerunt, & prædictio quædam vitæ Judaicæ & Spiritualis.*

Sanctus verò *Ambrosius Libro 3. Commentar. in Evangelium S. Lucæ* explicans illa verba cap. 3. *Qui fuit Phares, qui fuit Juda* collata cum his *S. Matth. 1.* Cap. *Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar;* hæc habet: *Non otiosè hujus Mulieris Evangelista nomen inseruit ..... Primùm enim si veris intendas animum, hæc Mulier non tam famosa quàm justa; non enim temporalis usum libidinis requisivit, sed successionis gratiam concupivit. Erat enim deforme liberos non habere: Quod etiam Legum Civilium fuit auctoritate mulctatum. Promiserat eam filio suo Judas, & diu pactarum fœdera distulerat Nuptiarum. Per moram promissi defunctus est Sponsus. * Nondum virginitatis, nondum viduitatis ante Christi adventum vernabat gratia. Dolens se sine filiis remansisse, dolum studio generationis commenta est, & Judam consilio prævertit, ut se eidem offerret ornatam, posteaquàm defunctam ejus cognovit uxorem. Vides utique Mulieris vitam probari, quòd non alienum præripuit thorum, non meretricio studio quasi meretrix adornata est; non enim vagam captavit libidinem, sed diu Soceri fundata promissis, ex eâ familiâ quam delegerat, converso dolo fructum voluit successionis adipisci. Quis igitur castior, illa quæ tamdiu expectavit promissum, an ille qui amorem ferre non potuit oblatum? Illa quæ Sponsi familiam non refugit, an iste qui meretricem putavit? Illa quæ horam sui corporis volentibus non permisit ad copulam, an iste qui quod studio cœpit erroris, ad successionis gratiam castitate mulieris consummavit? Illa quæ filios non habebat, & tempus conceptionis morâ conjugii timebat excludi: Illa quæ gravitatem maturioris elegit, an iste qui ætatem adolescentioris adamavit? Denique ipse con-*
„ *fessus est, dicens:* Justificata est Thamar magis
„ quàm ego; propter quod non dedi eam Selon
„ filio meo. *Itaque illa experiri exactorem ipsum suæ voluit castitatis. Denique nunquam postea virum experta est, amictum viduitatis sumpsit a coitu: Iste unius horæ impatiens, qui annos a puellâ exegerat castitatis, luctum expulit, vestem mutavit, comam totondit, rogum deseruit, thorum amator ascendit. Sed non ita illum defendimus, ut istum accusemus, immo utrumque excusemus; non autem nos, sed mysterium quod copula illius fructus expressit.*

* *Immò* Selam *defunctum non fuisse, cùm* Thamar *facinus illud commisit, invictè probatur* ex Cap. 38. Genes. *Vers. 14. & 26. ex Cap. 46. ubi quinque filii* Juda *numerantur, & duo tantùm scilicet* Her & Onan *mortui dicuntur in Terrâ Chanaan;* & Numer. *26. ubi inter filios* Juda *numeratur* Sela, a quo Familia Seleitarum.

His Adde *Theodoretum, Quæstione 95. in Genesim.*

Respondetur *S. Chrysostomum Thamar* aliquatenus excusare, non penitus absolvere; excusare, inquam, ejus intentionem & consilium, non fa-

ctum.

ctum. Amore quidem prolis Socerum pellexit, eique roganti furtivum concubitum concessit, non impulsu libidinis: Sed illa intentionis honestas in factum ipsum per se malum refundi non potuit; minuit peccatum, non purgavit; a tanto, non a toto excusavit (ut Theologi de Scholâ loquuntur). Unde idem Sanctus Doctor Homiliâ 1. in Matthæum, *Thamar* & *Bersabeo vocat Mulieres de vitio celebratas. Si qua*, inquit, *adultera, vel meretrix: Si qua etiam ex nuptiis non legitimè copulata, si qua alienigena aut barbara fuit*, in Genealogiâ Christi nominata est. *Siquidem non modò Uriæ uxorem, sed etiam Thamar & Ruth Evangelista commemorat: Quarum alia quidem erat alienigena, alia verò scortum non lege illi conjuncta conjugii, sed furata concubitum, & intra habitum meretricis abscondita, &c.* Et homiliâ 3. exponens illa verba: *Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar*; hæc habet: *Quid agis o homo? Quid nobis talis recordationem infers historia quâ adulterium turpe continetur? &c. Judam* verò ab incestu, quia nescivit Mulierem, ad quam accessit, Nurum suam esse, non a fornicatione excusat. Eamdemque esse S. *Ambrosii* mentem præsumimus. Si aliud senserint, ipsos deserimus, salvâ, quæ tantis Nominibus debetur reverentiâ. Eorum enim rationes quatenus ad *Thamaris* & *Judæ* absolutam defensionem adhiberentur, infirmæ essent ac leves. Recti siquidem finis intentio opus, quod ex genere suo malum est, moraliter bonum non efficit, cùm moralis bonitas non solùm ex finis, sed objecti, & circumstantiarum bonitate coalescat; & bonum ex integrâ causâ, malum ex quocunque defectu censeatur. Alioquì nullum esset flagitium, non furtum, non homicidium, non sacrilegium, quod propter bonum finem perpetrare non liceret, puta ad dandam eleemosynam, ad tuendum honorem, ad vitam servandam, ad bonum aliquod publicum consequendum, quod lex æterna vetat, docente Apostolo, (*Non esse facienda mala, ut eveniant bona.*) Esto igitur, fuerit honestum desiderium prolis, quo *Thamar* flagrabat; at eam ex Soceri concubitu expetere, turpe, nefarium, execrandum fuit. *Melius* enim *sine filiis remaneret, quàm sine jure Matrimonii mater fieret* [inquit S. *Augustinus*.]

Nec etiam *Judam* & *Thamarem* excusant Mysteria, quæ illo facto adumbrata sunt, ut demonstrat S. *Augustinus Libro 22. contra Faustum*, cap. 83. *Servat*, inquit, *ubique divina providentia virtutem bonitatis suæ: Ut quemadmodum ex adulterorum concubitu formatur & nascitur homo, de hominum opere malo bonum opus Dei; de fœcunditate feminum, non de turpitudine vitiorum: Ita in Scripturis Propheticis, non tantùm bona hominum, verùm etiam & malè facta narrantibus, quoniam prophetica est ipsa narratio, significetur aliquid de malis operibus hominum, etiam futurorum bonorum, non peccantis opere, sed scribentis. Neque enim Judas, cùm ad Thamar concupiscentiâ victus intraret, hanc suæ libidinis intentionem gerebat, ut inde aliquid significaretur, quod ad salutem hominum pertineret: Sicut nec Judas ille qui Dominum tradidit, hoc intendit ut aliquid inde gereretur, quod ad eamdem salutem hominum pertineret. Porrò si de tam malo opere Judæ illius tam bonum opus Dominus fecit, ut ejusdem suæ Passionis Sanguine nos redimeret: Quid mirum si Pro-*
*Joan.1.15.* *pheta ejus de quo ipse ait*: De me enim ille scripsit, *ex malo facto Judæ istius boni aliquid significavit, ut suo ministerio nos doceret? Ea quippe bominum facta Sancto Spiritu disponente atque inspirante, collegit Propheta narrator, quorum interpositio non vacaret a præsignatione rerum, quas intendebat prophetare: Ad significanda autem aliqua bona, nihil interest, facta illa quibus ea significantur, seu bona, seu mala sint. Quid enim mea interest, cùm volo aliquid legendo cognoscere, utrùm ex minio reperiam scriptos nigros Æthiopes, & ex atramento candidos Gallos? Verumtamen si non scripturam, sed picturam talem viderem, sine dubitatione reprehenderem; Ita in factis hominum, quæ ad imitandum vitandumve proponuntur, magni interest bona ne an mala sint. Quæ autem ad significandum scribuntur sive dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quam laudem reprehensionemve mereantur, si modò habent aliquam rei, de quâ agitur, necessariam præfigurandi congruentiam. Sicut enim Caiphæ in Evangelio, quantùm ad ejus noxium perniciosumque animum pertinebat, quantum denique ad ipsa verba, si in eis voluntatem dicentis attendas, quibus agebat ut Justus injustè necaretur, utique mala erant: Tamen magnum bonum illo nesciente significabant, quando ait*: Expedit ut unus moriatur homo, & non tota gens pereat. *Dictumque de illo est*, Hoc autem a se non dixit, sed cùm esset Pontifex, prophetavit, Quia oportebat Jesum mori pro gente: *Ita factum Judæ secundùm illius libidinem malum fuit, sed illo nesciente magnum bonum significavit. A seipso quippe malum fecit, sed non a se ipso bonum significavit.*

*Theodoretus* animum *Thamaris*, non factum ipsum, aliquâ excusatione dignum censuit, ut ex ejus verbis perspectum est. *Illustre nimirum*, inquit, *evaserat genus Abrahæ, propter eam quam colebat pietatem. Quod probè sciens Thamar, dabat operam, ut ex eâ progenie liberos procrearet. Cùm igitur Socer eam non desponsasset filio suo postremo, metuens ne decederet, quemadmodum & fratres ejus: coacta est illa furari procreandæ sobolis occasiones, eò quòd illas palam sumere probiberetur. Præterea, redarguit illa Socerum suum, qui cùm minimè temperans esset, eam tamen temperantiam servare cogeret, quod etiam ille judicans patefecit. Nam cùm illam gravidam deprehensam morti addixisset, postea quàm novit unde prægnans esset, illam innocentem declaravit, se ipsum verò condemnavit.* Justior enim est, *inquit*, Thamar, quàm ego: Propterea quòd non tradidi illam filio meo Selo. *Indicant autem quæ secuta sunt, sobolis causâ, non voluptatis, hoc commentam esse Thamar. Neque enim postea Judæ aut alicui alteri copulata est: Sed contenta fuit vocari mater eorum, qui ex illo semine nascerentur.*

De Mysticâ significatione hujus Historiæ, legi possunt S. *Irenæus, Lib. 4. Cap. 42. S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 62. *in Genesim. S. Augustinus Lib. 22. contra Faustum Cap. 84. 85. & 86. Theodoretus Quæstione 96. in Genesim S. Isidorus Hispalensis, & Rupertus Commentariorum in Genesim l. 8.*

---

## *PROPOSITIO IV.*

*Scortationem ante Legem prohibitam non fuisse, Maimonides, aliique Hebræorum Magistri, & post illos Marshamus, perperam asserunt.*

Eam esse recentiorum Hebræorum mentem, probat *Seldenus Libro 5. De Jure Naturæ & Gentium juxta Disciplinam Hebræorum*. Ea mens est, inter alios, *Maimonidis* in *More Nevochim*, Part. 3. Cap. 49. *Ex facto*, inquit, *Judæ præstantissimam de moribus virtutem, & justam in actionibus æquitatem observandam possumus addiscere. Dicit*, Accipiat sibi, ne fortè simus in contemptum. Ecce misi hœdum hunc, Genesis 38. 23. *Quorum verborum declaratio est, quòd coitus cum scorto ante Legem datam fuerit sicut coitus hominis cum uxo-*
re

*re suâ: Hoc est, quòd fuerit opus licitum, neque illud homo ullo pacto fugerit; & quòd merces quæ meretrici dabatur, fuerit sicut dos quæ hodie datur uxori, cùm dimittitur, ad cujus solutionem vir „ est obligatus. Quod autem ait.* Accipiat sibi, ne „ fortè simus in contemtum, *docet nos de actionibus vel negotiis copulationis carnalis, etiam licita, non posse nos loqui sine pudore, & conveniens esse ut illam, etiam cum facultatum nostrarum jacturâ reticeamus, & occultemus .... Hæc est virtus moralis, quam ex Historiâ illâ addiscere possumus.*

Hujus vestigia sequutus *Marshamus in Canone Chronico* pag.173. scribere non erubuit. *Ante Legem Hebrais innuptis licitum fuit corporis copiam pro libitu facere.*

Propudiosam adeò sententiam refellere facile est. Scortatio enim repugnat primævæ conjugii institutioni, Legique de Matrimonio a Deo latæ Genesis 2. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne unâ.* Ex quibus evidens est, Deum Matrimonii Auctorem unum virum uni mulieri junxisse, ut generis humani propagatio ritè fieret. Qui ergo pluribus sine discrimine copulantur, primordialem Dei de conjugio Legem violant, nec medio legitimo ad generis humani propagationem utuntur, nec quærunt *semen Dei*, ut Propheta *Malachias* loquitur, Cap.2. 15. *Nonne unus fecit, & residuum Spiritus ejus est? Et quid unus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.*

Præterea, hæc verba: *Erunt duo in carne unâ*, sive, ut Hebraici Textûs vis significat, *In carnem unam*, docent, virum & mulierem, qui eo junguntur actu, quem natura ad generis humani propagationem destinavit, ex Dei Lege unam carnem esse debere; id est ita sibi adhærere, ita se amare, ut tanquam unum corpus fieri videatur, & a diremptione æquè abhorrere, ac corpus a suorum sectione membrorum. Qui ergo se carnali copulâ jungunt, nec una caro esse volunt, id est, in perpetuo contubernio sine legitimo Conjugio manere, divinum institutum violant, primordialemque de Matrimonio Legem, non Mosaicam duntaxat.

Tertiò, Apostolus, cùm ad fugiendam fornicationem Christianos hortatur, 1. *ad Corinthios* 6. iis utitur argumentis, quæ ex ipsâ facinoris turpitudine, ex corporis abusu, ex templi Dei violatione, ex primævæ institutionis, legisque adeò naturalis transgressione, non ex temporariâ aliquâ & positivâ Dei Lege petuntur. *Corpus autem*, inquit, *non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in carne unâ. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Quartò, natura & recta ratio dictant, ut parentes filios agnoscant, ament, educent, instituant ad Dei gloriam, ut liberi vicissim parentes agnoscant, diligant, honorent, eisque obediant ac ministrent. At omnia hæc naturæ officia per scortationem evertuntur ac impediuntur. Nam & patres talium liberorum pudet, & matribus sunt dedecori. Neque ab utroque possunt educari, & institui, cùm non cohabitent. Ipsi etiam liberi parentes suos ignorare coguntur, nec eos honorare possunt ac diligere, quos non agnoscunt. Lege itaque naturæ prohibita fornicatio est, nec solùm mala est quia lege Dei positivâ prohibetur, sed ideo prohibetur quia per se mala, utpote contra bonum prolis. Hanc rationem adducit & exponit S. *Thomas* Secundâ Secundæ, Quæst.154. Art.2. *Absque omni dubio*, inquit, *tenendum est quòd fornicatio simplex sit peccatum mortale. Ad hujus autem evidentiam considerandum est, quòd peccatum mortale est omne peccatum quod committitur directè contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris & feminæ, quòd in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam feminam, unam vel plures: Sicut patet in omnibus avibus. Secùs autem est in animalibus, in quibus sola femina sufficit ad educationem fœtûs, in quibus est vagus concubitus: ut patet in canibus, & hujusmodi aliis animalibus. Manifestum est autem, quòd ad educationem hominis non solùm requiritur cura matris a quâ nutritur; sed multò magis cura patris, a quo est instruendus & defendendus, & in bonis tam interioribus quàm exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis est quòd utatur vago concubitu: Sed oportet quòd sit maris ad determinatam feminam, cum quâ permaneat, non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde est quòd naturaliter est maribus in specie humanâ sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ feminæ Matrimonium vocatur: & ideo dicitur esse de jure naturali. Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt sub determinatione legis; consequens est quòd ista conjunctio maris ad feminam, quæ Matrimonium dicitur, Lege aliquâ determinetur. Unde cùm fornicatio sit concubitus vagus, utpote præter Matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ, & ideo est peccatum mortale. Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione: Quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundùm id quod communiter accidit, & non secundùm id quod in aliquo casu potest accidere.*

Quintò, Israëlitæ longè ante Legem datam scortationem seu rem per se turpem, & nomen, scorti tanquam propudiosum abominati sunt, ut constat ex responso filiorum *Jacob*, qui cùm stuprum Sorori suę *Dinę* a *Sichemo* Principe illatum immani omnium Sichimitarum cæde ulti essent, suum illud facinus apud Patrem excusarunt his verbis: *Nunquid ut scorto abuti debuere sorore nostrâ?* (Genesis 34. 31.)

Sextò, Ipsa *Judæ* & *Thamaris* Historia probat scortationem ante Legem Mosaicam prohibitam fuisse. *Thamar* enim theristro seu peplo se obnupsit, dum meretricem simulabat, dictante scilicet naturæ Lege, quòd ars meretricia vel ipsas publicæ libidinis victimas rubore suffundere deberet. Agnovit etiam *Judas* turpe ac pudibundum se commisisse facinus, ideòque arrhas suas amittere maluit, quàm in meretricem inquirere, ne fabula vulgi fieret.

Septimò, rationes ob quas *Maimonides* ait scortationem Lege prohibitam, ostendunt eam ipso naturæ jure semper & ubique illicitam fuisse, ut quæ parentibus, proli, societati tam grave damnum inferret. *Hâc de causâ*, inquit, *prohibita sunt scorta, quia per illorum licentiam familiæ destruuntur & confunduntur, natique illorum pro alie-*

*nis*

*nis habentur omnibus hominibus, ita ut nullos ipsimet sibi cognatos sciant, neque ex propinquis eorum ullus ipsos velit agnoscere. Quid verò pejus tum ipsis, tum parentibus ipsorum possit accidere? Magnâ autem ex parte ob hanc quoque rationem scorta sunt prohibita, ut hoc pacto libido & lascivia cohibeatur: Nam per varietatem postribulorum illorum non parum accenditur libido. Numquam etenim tam vehementer homo accenditur circa corpus illud cui est assuetus, sicut accenditur erga corpora nova, formis & proprietatibus discrepantia.*

Octavò, sola recta ratio & Naturæ Lex plurimos ex Gentibus docuit scortationem ex se turpem & illicitam esse, ut probat *Grotius Annotat. in Cap. 5. S. Matthæi*. Neque sanè, inquit, debebant Judæi Lege adjuti nescire, quod multos in Gentibus sola ratio ac recta institutio docuerat. *Job* suam non a nuptis tantùm, sed & ab innuptis abstinentiam prædicat. *Epictetus* jubet *abstinere a Venere ante Nuptias*. Idemque aliquot argumentis probat *Dion Chrysostomus*. Sed imprimis præclara sunt ista Musonii: *Quicumque sunt, etiam citra adulterium, cum feminâ congressus, ideo quòd non secundùm legem fiunt, turpes sunt: fiunt enim ob intemperantiam. Nemo enim cum verecundiâ possit ad amicam accedere, sive ea libera innupta sit, sive ipsius ancilla. Quod enim in tali concubitu lege vacat, vacat etiam honestate: Ideoque dedecus & probrum affert se quærentibus.* Ejusdem præclarum hoc effatum est: *Oportet eos qui nec delicati sunt, nec mali, solùm justam conferre Venerem in Matrimonio.* Idem docet *Porphyrius, De non esu Animantium* Lib. 4. *Lex enim Civilis*, inquit, *ad amicas accedere non vetat; sed cùm tales prostare faciat, tamen honestis viris indignum judicat ex lupanari quæstum, & turpem talem concubitum.* Hęc naturalis suggestio obstitit, quò minùs vaga Venus uno impetu, aut etiam sine discrimine pudoris septa perrumperet. Est enim memoriâ non indignum, quod de eâ re *Chrysippus* prodidit. *Primùm meretrices extra urbes, & larvas sibi imponentes, volentibus sui faciebant copiam: Postea inverecundiores, abjecere larvas: Attamen legibus non sinentibus eas in Urbes ingredi, extra eas se tenebant.* Quæ verba eò se libentiùs referre *Grotius* ait, quia quod dicit *Chrysippus*, Meretrices antiquitùs non in urbibus, sed in agro (Moris cujus vestigia etiam apud ipsos Peruanos & Tartaros reperta sunt) neque aperto, sed obtecto vultu prostitisse, verissimum esse ex ipsius *Mosis* narratione apparet, *Genesis* 38. 14. Apud Romanos, qui Virginem ingenuam stuprâsset, pęnâ capitali afficiebatur. Neque meretricia vita permittebatur, nisi eam vitam professis, quas Leges existimabant, ut inquit *Tacitus*, satis ipso pudore cruciari, Lib. 2. Annalium. *Veteres satis pœnarum adversùs impudicas in ipsâ professione flagitii credebant.* Quare quod ad *Judæ* ac *Thamaris* Historiam Hebræi notant, scorti usum ante Legem permissum fuisse, concedi potest, si de impunitate sit quæstio, non item si de eo agitur, quod sine turpitudine fieri potuit.

Objiciet fortè quispiam: In Decreto Apostolici Concilii, *Actuum* 15. 29. Scortationem cum iis rebus recenseri, quæ non sunt per se malæ, nec ipso jure naturæ vetitæ. *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris quàm hæc necessaria: Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Inde autem colligi posse videtur, Lege Naturę vetitam non esse scortationem, adeòque licitam fuisse ante Legem datam.

Secundò, quod per se malum est, Deus præcipere non potest, uti nec facere: Fornicationem porrò Deus aliquando præcepit, *Oseæ* nimirum 1. 2. *Vade, & sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Fornicatio igitur non est per se mala, nec Lege Naturæ vetita. Semper itaque prohibita non fuit.

Respondetur ad primum, cum *S. Thomâ Secundâ Secundæ, Quæst. 154. Art. 2.* Hæc in Apostolico Decreto pariter contineri ac recenseri, non quòd eamdem culpæ rationem habeant, & eodem jure semper & ubique vetita sint; Sed quia dissidii Judæos inter & Gentiles occasionem pariter prębere, & eorum unanimem consensum impedire poterant: Quia apud Gentilium plerosque scortatio illicita non censebatur, *propter corruptionem naturalis rationis*. Judęi autem Lege divinâ edocti, eam illicitam censebant. Ab aliis verò, quæ in eodem Decreto recensentur, Judæi abhorrebant *propter consuetudinem legalis conversationis*. Unde Apostoli ea Gentilibus prohibuerunt, non quasi secundùm se illicita, sed quasi Judęis abominabilia. Cęterùm in Libro *Constitutionum* Apostolis falsò inscriptarum, Decretum illud Apostolicum refertur his verbis: *Mandare eis ut abstineant a Gentium inquinamentis, immolatitiis, & sanguine, & fornicatione: Quæ præcepta data fuerant etiam illis qui ante Legem, Natura Jure vixerunt, Enos, Enoch, Noë, Melchisedech, Job, & si qui alii tales.*

Ad secundum respondetur, Deum *Oseę* non jussisse ut scortaretur, sed ut scortum uxorem duceret, ex eoque filios susciperet, qui filii fornicationum dicuntur, quia ex muliere quæ antea fornicaria erat geniti sunt, non meretricio, sed conjugali concubitu. Ita docet *S. Augustinus Libro* 22. *contra Faustum*, Cap. 80. *Quid enim*, inquit, *adversum clementiæ veritatis, quid inimicum Fidei Christianæ, si meretrix relictâ fornicatione in castum conjugium commutetur? Et quid tam incongruum & alienum a fide Prophetæ, quàm si non crederet omnia peccata impudicæ dimissa esse in melius commutatę: Itaque cùm meretricem Propheta fecit uxorem, & ad vitam corrigendam mulieri consultum est, & figura sacramentum, de quo mox loquemur, expressum. Sed quis non videat in hoc facto quid potiùs Manichæorum offendat errorem? Scilicet, quia solent dare operam meretrices ne gravidæ fiant. Proinde istis fornicaria magis permanens placebat, ut Deum ipsorum non ligaret; quàm unius viri facta uxor, ut pareret.*

Ita & *Theodoretus* Commentario in Cap. 1. Oseæ: *Universorum*, inquit, *Dominus Beatum Osee impellit ad ducendam uxorem impudicam, ut hoc genere facti Populi impietatem coarguat, & suam tolerantiam incredibilem ostendat. Si verò universorum Deus libidine perditam & adulteram toleravit Synagogam, & non contaminatus est sanctitatis fons ex impurâ hac & execrabili: Neque Propheta ex illâ probri plenâ uxore maculam suscepit. Non enim appetitioni immoderatę inservienti, sed Dei imperiis obtemperanti, cum illâ consuetudo intercessit. Scopo autem & proposito bonum & malum indicari sciendum est: Hoc enim modo matrimonium ab adulterio sejunctum internoscitur, & cùm coitu nihil differant, proposito & lege discrimen demonstratur, atque hâc notâ illud legitimum, hoc illegitimum judicatur. Invenire quispiam possit hoc idem in cæde, si modò consideret. Interficit enim homicida, interficit & Judex: sed hic legitimè & justè, ille iniquè & illegitimè; & cùm sit unum & idem opus, solo tamen proposito differt & scopo. Ut verò apertiùs ex Sacrâ Scripturâ hoc cognoscamus, hanc considerationem suscipiamus. Cædem fecit Cain, sed ex invidentiâ laborans, & dolo malo, & fraude flagrans. Cædem fecit Phinees, sed zelo inflammatus, & pro pietate certamen suscipiens, atque ab impietate abhorrens. Itaque idem quidem est opus, scopus*

*jus verò & propositum ex diametro contrarium. Eodem modo tametsi furtum e genere eorum est, quæ per Legem improbantur, a Patre tamen benedictionem Jacob furatus est, & non modo furti actus non fuit, verùm etiam ab omnibus generationibus ex hac re magnam laudem est adeptus. Jejunavit Helias ille magnus, jejunaverunt & hi, qui Naboth lapidibus obruerunt: sed ille honestatis studio, hi verò calumniam aucupantes. Saül Misericors in Agag fuit, & spoliatus fuit Regno; iniqua enim erat hæc misericordia: Samuël interfecit Agag, & Legi divinæ satisfecit. Alia innumerabilia istiusmodi invenire facile est, neque id modò in Sacrâ Scripturâ, verùm etiam in nostris quotidianis factis. Itaque mirificus Osee non libidini serviens, sed nutui divino parere studens, accepit meretricem: Atque omnibus nuptiis castior & laudabilior hæc societas fuit: Neque ob id solùm quòd ex Dei nutu & arbitrio facta fuerit, sed quòd Deum expresserit figurâ quâdam, & quo pacto Sanctus ille & in Sanctis requiescens, sponsum se fecit contaminatæ multitudinis Israëlitarum.* Lege & *S. Thomam* Quæstione & Articulo laudatis in Responsione ad secundum. Addiderim, In Hebrço non haberi, *Et fac tibi filios fornicationum*: Sed, *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, & natos fornicationum*: Supple, simul accipe, in domum deduc cum matre spurios illos, quos in vitâ illâ meretriciâ genuit. Alii enim sunt filii quos *Osee* postea ex eâ genuit ad meliorem frugem receptâ, & legitimo Matrimonio copulatâ, & ad aliam significationem adhibiti sunt. Cum Hebrço consentiunt 70. Interpretes: *Vade, tolle tibi uxorem fornicationis.* Versio Syriaca: *Vade, sume tibi uxorem fornicariam, & liberos fornicarios.* Arabica: *Sume tibi uxorem fornicationis, & filios fornicationis.*

## SCHOLION.

*S. August. Lib. 22. contra Faustum, c. 86.* Nomen Thamar, *Amaritudinem*; Judas, *Confessionem* significat. *Confessioni ergo amaritudo misceatur, ut vera pœnitentia præsignetur. Hâc pœnitentiâ fœcundatur Ecclesia in omnibus Gentibus „ constituta.* OPORTEBAT enim Christum pati,
*Lucæ 24. 46.* „ & resurgere tertiâ die, & prædicari in nomi-
„ ne ejus pœnitentiam & remissionem peccato-
„ rum per omnes Gentes, incipientibus ab Jeru-
„ salem. *Nam & ipse habitus meretricius, confessio peccatorum est. Typum quippe jam Ecclesiæ gerit Thamar, ex Gentibus evocata, sedens cum hoc habitu ad portam Ænam vel Ænaim, quod interpretatur Fontes. Cucurrit enim velut cervus ad fontes aquarum, pervenire ad semen Abrahæ: illic a non agnoscente fœtatur, quia de illâ prædictum*
*Psal. 17. 45.* „ *est*, Populus quem non cognovi, servivit mihi. *Accepit in occulto annulum, monile, & virgam; vocatione signatur, justificatione decoratur, glorifi-*
*Rom. 8. 30.* „ *catione exaltatur.* Quos enim prædestinavit,
„ illos & vocavit: quos autem vocavit, illos &
„ justificavit; & quos judicavit, illos & glo-
„ rificavit. *Sed hæc adhuc in occulto, ubi fit & conceptio sanctæ ubertatis. Mittitur autem promissus hœdus tamquam meretrici, hœdus exprobratio peccati. Sed non eam invenit peccati exprobratio, quam mutavit confessionis amaritudo. Post verò jam publicatis signis, annuli, monilis, & virgæ, vicit temerè judicantes Judæos, quorum jam personam Judas ipse gestabat, qui hodièque dicunt, Non hunc esse populum Christi, nec habere nos semen Abrahæ; sed prolatis certissimis documentis nostræ vocationis, justificationis, glorificationis, sine dubio confunduntur, & nos magis quàm se justificatos esse fatebuntur.*

# DISSERTATIO XII.

## DE ORACULO QUOD JUDÆ filio moriens Jacob edidit.

*Genesis XXXIX. 10.*

ORaculum illud his verbis conceptum est: *Juda, te laudabunt fratres tui: Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii Patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti: Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna; quis suscitabit eum? Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus; donec veniat Qui mittendus est, & ipse erit Expectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Quo de Oraculo multa ex ordine quærenda sunt. Primum, Utrùm hoc oraculum ad Messiam pertineat, adventûsque illius in Mundum prædictionem contineat? Secundum, Utrùm hoc Oraculum in Jesu completum sit? Tertium, Utrùm ad solam Tribum *Judæ*, vel ad totam Gentem Judaicam sit referendum? Duæ priores Quæstiones contra Judæos: Posterior inter Christianos Interpretes disceptatur.

---

### PROPOSITIO I.

*Hoc Oraculum*, NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA, *&c. venturi Messiæ prædictionem continet.*

PRobatur primò ex communi Ecclesiæ consensu, cui Christus & Scripturas Sanctas, & earum intelligentiam, easque interpretandi auctoritatem concredidit. Ex Patribus, quorum etsi variæ sint ac discrepantes hujus Oraculi interpretationes, in eo tamen consentiunt, & venturi Messiæ prædictionem illud continere, & ad Christum Jesum referri, in eoque completum esse. Ita *Origenes* Homiliâ 17. in Genesim, *S. Justinus* in Dialogo cum Tryphone; *Eusebius Cæsareensis, Demonstrationis Evangelicæ* Lib. 8. Cap. 1. & Lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap. 6. *S. Athanasius* Lib. De incarnatione Verbi; *S. Ambrosius* Lib. 3. in Evangelium *S. Lucæ*, & in Libello De Benedictionibus Patriarcharum; *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 67. in Genesim, *S. Hieronymus* in Cap. 1. Sophoniæ. *S. Augustinus* Lib. 16. *De Civitate Dei*, Cap. 41. & *Lib. 12. contra Faustum*, Cap. 42. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 8. contra Julianum: *Theodoretus Quæstione 110. in Genesim, &c.*

Probatur secundò ex Hebræo Textu, cujus hæc ad literam versio est: *Non recedet Sceptrum a Judâ, & Legislator de inter pedes ejus, usque quo veniat Siloh; & erit ei obedientia populorum.* Voce autem *Siloh* Messiam significari, consentiunt Chaldæi Paraphrastæ, puta Thargum *Onkelosi*, Hierosolymitanum, & *Jonathanis*. Thargum *Onkelosi* sic habet: *Non auferetur habens Principatum a domo Judæ; neque Scriba a filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est Regnum; & ei obedient populi.* Thalmud Babylonicum, Tractatu *Sanhedrin*, Cap. 2. *Quodnam*, inquit, *nomen Messiæ? Qui de domo R. Schilæ dixerunt, Siloh nomen ejus, quia dicitur: Donec venerit Siloh.* Ita etiam *Beresith Rabba* & *Ketanna*, *R. David Kimchi*, R.

*R. Abraham Aben Ezra*, *R. Salomon Jarchi*, *& R. Joseph* in *Ikkarim* sive *Fundamentis Fidei*. Eadem est persuasio eorum, qui Babylonicæ Captivitatis Principem, quem Æchmalotarcham appellant, magnis Judæorum copiis Bagdadi præfectum fabulantur, & de Tribu *Juda* semper eligi asserunt, indeque Oraculi veritatem peti censent; quippe nondum ablatum esse Sceptrum de Tribu Juda, nec proinde Christum venisse, pertinaciter contendentes. Quâ de re pluribus disserunt *Benjamin Tudelensis in Itinere*, & *R. Abraham Zacbutus in Libro Juchasin*. Quidam verò Messiam geminum hoc Jacobi Oraculo promissum opinantur; primum *Moysem*, alterum Messiam propriè dictum, quem Judæi expectant. Ita *R. Bechai* in *Genesim*, & in Lib. quem *Mensam Quadratam* inscripsit.

Probatur tertiò ex 70. Interpretibus, quos illud Oraculum *Jacobi* de Messiâ intellexisse, eorum Versio manifestum facit: *Non deficiet Princeps ex Judâ, & Dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei. Et Ipse est expectatio Gentium.* Id est, donec impleantur Dei promissiones, quibus futurum spopondit, ut in *Abrahami*, *Isaaci*, *& Jacobi* semine *benedicerentur omnes cognationes terræ, & Reges de Lumbis Jacob egrederentur;* ut explicat *Eusebius*, *Lib.8. Demonstrationis Evangelicæ*, *Cap.1.* Syrus quoque & Arabs Interpretes de Messiæ Regno Vaticinium istud intellexerunt. Syrus: *Non deficiet Sceptrum de Judâ, & Expositor de inter pedes ejus, donec veniat is, cujus illud est, & ipsum expectabunt gentes.* Arabs verò: *Non præteribit virga de Judâ & Legislator de sub Imperio ejus, donec veniat is cujus ipse est, & ad quem congregabuntur Populi.* Sed manifestiùs adhuc Textus Samaritanus, ita redditus: *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de vexillis ejus, donec veniat Pacificus; & ad ipsum congregabuntur Populi.* Quàm rectè enim id Messiæ conveniat, constat ex *Davide*, qui de eo prædixit: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* (Psalmo 61.) & ex *Isaiâ*, qui hæc de eo vaticinatus est: *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis: Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis*, (Isaiæ 9.) De eo quoque præcipit Michæas: *Et erit iste pax*, [Michææ 5.] Et Zacharias: *Et loquetur pacem Gentibus.*

Confirmatur ex Latinâ Versione, quæ sic habet: *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est.* Quæ Versio apprimè respondet Hebræo Textui, *Siloh* enim *Mittendum* significat, seu *Missum*, quod ex nono Capite Evangelii *S. Joannis* etiam probatur: *Vade, lava in Natatoriâ Siloë (quod interpretatur Missus.)* Hæc porrò in Messiam quadrare manifestum est. Accedunt ad hujus argumenti robur testimonia Scripturæ Sacræ, in quibus nomen *Venturus*, quod eamdem vim habet ac *Mittendus*, Messiæ ceu proprium nomen tribuitur, Matthæi 2. 3. *Tu es qui Venturus es, an alium expectamus?* Joannis 4. 25. *Scio quia Messias venit, [qui dicitur Christu ] Cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Ad Hebræos 10. 7. *Adhuc enim modicum: Qui Venturus est veniet, & non tardabit*: Quod ex secundo Capite *Habacuch* deprompum est.

Quartò, facilè refelluntur Judæi recentiores, qui hoc Oraculum ad Messiam pertinere negant. Vel enim id referunt ad Urbem *Siloh* & ad *Davidem*, vel ad *Saülem*, vel ad *Jeroboamum*, vel ad *Nabuchodonosorem*. At quodvis horum commentorum absurdissimum est. Primi namque verba hæc, *Donec veniat Siloh*, interpretantur, *Donec desinat Siloh*: Ista autem, *Non auferetur Sceptrum de Judâ*, idem significare volunt, ac *Præstantia Judæ in Regium Dominatum mutabitur*. Atque hunc esse totius loci sensum: Dignitas Tribûs *Juda* & Præstantia in Regnum mutabitur, cùm *Siloh* Arcæ sedes esse desinet. Verùm istud commentum & cum historiæ veritate, & cum manifestâ ipsius Jacobæi Vaticinii sententiâ pugnat. Falsum enim est *Davidem* tunc Regem creatum fuisse, cùm Arca de *Siloh* sublata est: Tunc enim *Saül Davidis* Decessor nondum Rex fuerat constitutus. Præterea, prędicit *Jacob*, Non ablatum iri Sceptrum de *Judâ* donec venerit *Siloh*, quod significat *Siloh* antea non venisse. Rabbini verò tunc *Judam* capessiturum Sceptrum ajunt, cùm desinet *Siloh*, quod significat jam ante venisse *Siloh*.

Non minùs hallucinantur, qui ad *Saulem* referunt, qui in Urbe *Siloh* Rex a *Samüele* consecratus sit, ut hæc sit loci sententia: Non auferetur Sceptrum de Judâ, donec veniat tempus quo *Saül* in Siloh Rex inaugurabitur. Sed hæc explicatio cum historiæ veritate pariter pugnat. Non enim in Siloh, sed in Ramathain Sophim unctus est *Saul* a *Samuele*, in Masphâ verò Rex ab eo renuntiatus est, ut constat ex 1. *Regum Cap.9. & 10.* Deinde, Sceptrum non obtinuit *Juda* usque ad id tempus, sed tunc demum cùm *David* Rex creatus est. Inepta itaque est hæc expositio: Non auferetur Sceptrum de Judâ, donec *Saül* in Regem ungatur.

Certè Imperium ex Tribu Juda translatum ad *Saülem*, & tunc Sceptrum *Juda* defecisse insaniunt qui affirmant; cùm proximè ante *Saülem* Hebraici Populi Principatus fuerit penes *Samüelem*, & *Heli*, aliosque Judices, qui *Juda* tribules non fuerunt, & post *Saülem* Imperium in Tribu Juda fundatum sit per *Davidem*, in ejusque posteris per annos fermè quingentos manserit: Tantùm abest ut in *Saüle* defecerit.

Æquè absurda eorum expositio est, qui Jacobæum Vaticinium ad *Jeroboamum* referunt, quasi in Siloh Regem creatum; non enim in Siloh, sed in Sichem Rex creatus est, ut constat ex 3. *Regum Cap.12.* Deinde nec *Sauli*, nec *Jeroboamo* convenit character ille, quo *Jacob* eum designat qui Mittendus est: *Et ipse erit expectatio Gentium.*

Longè etiam a veritate aberrant, qui *Nabuchodonosorem* hoc *Jacobi* Oraculo prænuntiatum volunt, quem Missum esse a Deo ad punienda scelera Judæorum *Jeremias & Ezechiel* Propheta testantur, & qui Judaicum Imperium Tribui Juda eripuit, capto *Sedeciâ*, & Babylonem deportato. Quâ enim ratione Nabuchodonosorem *Expectationem Gentium* dictum esse ostendent, qui potiùs execratio gentium dicendus sit secundùm illud Isaiæ 14. *Sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices, Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem Populos in indignatione, subjicientem in furore Gentes, persequentem crudeliter. Conquievit & siluit omnis terra, gavisa est & exultavit; & abietes quoque lętatæ sunt super te, & cedri Libani: Ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. Infernus subter conturbatus est in occursum adventûs tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes Principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes Principes Nationum. Universi respondebunt, & dicent tibi. Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cęlum conscendam, super Astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in Monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, si-*

*milis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci: Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit Regna, qui posuit orbem desertum, & Urbes ejus destruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem? Omnes Reges Gentium universi dormierunt in gloriâ, vir in domo suâ. Tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum. Non habebis consortium, neque cum eis in sepulturâ: Tu enim Terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti: Non vocabitur in aeternum semen pessimorum. Praeparate filios ejus occisioni in iniquitate Patrum suorum: Non consurgent nec haereditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.*

Objicies: Si illud *Jacobi* Vaticinium ad Messiam pertineret, illud Christus, vel Apostoli & Evangelistae ad fidem sibi conciliandam adduxissent: At illud in testimonium non protulerunt; Ad Messiam igitur non pertinere judicarunt.

Respondetur: Falsam esse Majorem. Non enim omnia Prophetarum Vaticinia, quae Messiam spectant, Christus protulit, nec eorum omnium auctoritatem Evangelistae vel Apostoli in Libris Sacris usurparunt. Satis fuit Christo Judaeos ad *Moysem* & Prophetas remittere, quorum Oracula ad ipsum pertinentia in Synagogis legebantur. *Habent*, inquit, *Moysem, & Prophetas, audiant illos* [ Lucae 16. 29. ] *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, & illa sunt quae testimonium perhibent de me*, [ Joannis 5. ]..... *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit* [ Ibidem. ]

## PROPOSITIO II.

*Oraculum illud Jacobi morientis Judę editum, in Domino JESU completum est.*

PRobatur: Illud oraculum in Domino Jesu completum est, cujus partes omnes Domino Jesu conveniunt: Atqui Oraculi Jacobaei partes omnes Domino Jesu conveniunt: Illud ergo in Domino Jesu completum est.

Probatur Minor. Ista enim imprimis ad Jesum spectant: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii Patris tui.* Filium Judam, quatenus Messiae Pater est, *Jacobus* alloquitur; vel potiùs Messiam in Patre *Judâ*, ex cujus nimirum Tribu nasciturus erat... ( *Matthaei* 1. 3. 16. *Lucae* 3. 23. 34. *Hebr.* 7. 14. *Apocalypsis*, 5. 5. ) A fratribus suis laudatus & adoratus est Jesus, Christianis videlicet, quos fratrum loco habere se profitetur. Psalmo 21. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Matthaei 12. 50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, & Soror, & mater est.* Joannis 20. 17. *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Ab iis autem primùm laudatus est, cùm miracula patrantem viderunt: Deinde cùm a mortuis redivivum cognoverunt, tunc verè Deum esse professi sunt, ipsumque eo nomine adorarunt. Et divinos ipsi exhibent honores, quicumque Christianam Religionem sunt amplexi. Psalmo 71. 6. 9. *Coram illo procident Aethiopes, & inimici ejus terram lingent.... Et adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes servient ei.* Matthaei 28. 16. 17. *Undecim Discipuli abierunt in Galilaeam, in Montem, ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt.* Ad Philippenses 2. 10. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Apocalypsis 5. 11. 12. 13. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam quae in cęlo est, & super terram, & sub terrâ, & quae sunt in mari, & quae in eo; omnes audivi dicentes; Sedenti in throno, & agno, Benedictio, & honor, & gloria & potestas in secula seculorum.* Cervices verò inimicorum vel caedit, vel sub jugum mittit, prout de ipso vaticinatus est *Balaamus*, Numerorum 24. 17. *Et percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Item *David* Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.... Confregit in die irae suae Reges. Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terrâ multorum.* Joannis 12. 13. *Nunc Judicium est Mundi, nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras.* Ad Colossenses 2. 15. *Et exspolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Apocalypsis 19. 13. 15. 16. *Et vestitus erat veste aspersâ sanguine; & vocatur nomen ejus, Verbum Dei... Et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus; ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virgâ ferreâ..... Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Quae de Christi Jesu potentiâ *Jacob* praedixerat leonis comparatione illustrat. *Catulus*, inquit, *leonis Juda: Ad praedam fili mi ascendisti: Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leaena; quis suscitabit eam?* Christi fortitudinem & Regium genus hâc metaphorâ significat. Ascendit ad praedam, cùm ex orci faucibus, daemonisque tyrannide humanum genus eripuit. Admirabilem ejus praedationem vaticinatus est *Isaias*, Cap. 8. *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, citò prędare. Et adhibui mihi, testes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiae, & accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, accelera spolia detrahere, festina prędari: Quia antequàm sciat Puer vocare Patrem suum & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samarię coram Rege Assyriorum.* De quo & S. Joannes Apocalypsis 5. 5. *Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit Leo de Tribu Juda, Radix David....* Deinde victoriae ejus modum *Jacob* describit his verbis: *Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leaena; quis suscitabit eum?* Quę Christi mortem ac resurrectionem exprimunt; ac si dicat, In ipsâ morte fortitudinem suam ostendet, hostibusque terrorem incutiet, siquidem devictâ morte, redibit ad vitam propriâ virtute, Patrisque potentiâ. Psalmo 3. 6. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Osee 13. 14. *Ero mors tua o mors: Morsus tuus ero, inferne.* Joannis 2. 19. *Respondit Jesus, & dixit eis: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judaei: Quadraginta & sex annis ędificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de Templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt Discipuli ejus, quia* hoc

*hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem dixit Jesus*, Actuum 11. 24. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus Inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, & replebis me jucunditate cum facie tuâ. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarchâ David, Quoniam defunctus est & sepultus; & sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de Resurrectione Christi, Quia neque derelictus est in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.*

Pergit Jacob: *Non auferetur Sceptrum de Judâ & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est: ipse erit Expectatio Gentium.* Quibus verbis Principatus & Regnum, cujus finis in Messiæ adventu existet, prænuntiatur; futurumque ut Messias, ex Tribu Juda nasciturus, Regnum spirituale & æternum constituat, non solos Israëlitas regens, sed Gentes universas ditioni suæ subjiciens. Hæc autem in Christo completa esse facilè demonstratur. Sive enim ad solàm Tribum Juda promissionem illam temporarii Regni referre placeat cum *Origene & SS. Epiphanio, Cyrillo, Augustino*, aliisque: Sive ad totam Gentem Judaicam, in quâ præcellens semper fuit Tribûs *Juda* potestas, Messiam orbi daturæ, ut *S. Justino Martyri, Eusebio Cæsareensi, S. Athanasio, S. Ambrosio*, aliisque Patribus, & Eruditis Viris visum est; Sive *Sceptri & Ducis* nomine Regia Dignitas intelligatur: Sive auctoritas summa Senatûs Hebraici ex Septuaginta Viris conflati, quem *Synedrium Magnum*, sive *Domum Judicii Magni Hierosolymitani* appellabant: Hæc in Jesum convenire, & in illo adimpleta esse manifestum est, proindeque cæcos esse Judæos qui alium ab ipso Messiam expectent. Sub Christi ortum Regnum in Judaicâ gente defecerat, idque fiduciario jure a Romanis tenebat *Herodes*, quem alienigenam fuisse, utpote Idumæum genere, constat ex *Josepho Lib.14. Antiquitatum Judaicarum*, Capitibus secundo, vigesimo-septimo, & ultimo, & Lib.1. *De Bello Judaico*, Cap.5. *Julio Africano, & Eusebio* Lib.1. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap.6. *S. Epiphanio* Hæresi 20. *S. Hieronymo, S. Ambrosio Lib. De Benedictionibus Patriarcharum*, Capit.4. *S. Augustino Lib.18. De Civitate Dei, S. Cyrillo Alexandrino Lib.7. Commentariorum in Genesim*, quorum testimonia proferemus olim contra *Nicolaum Damascenum* ignavum *Herodis* assentatorem, *Scaligerum, Casaubonum*, & alios recentiores, si nobis Quæstionem de *Herodis* genere ac patriâ tractare Deus dederit sub finem hujus Operis. Quæ verò in *Herode* ante Christi ortum cœpta erat abrogatio Regiæ potestatis, non solùm a Tribu *Juda*, sed ab ipsâ Gente Judaicâ, cujus illa Tribus pars erat nobilior, in clade Hierosolymis a *Tito* illata consummata est. Synedrium Magnum Hierosolymis Jebanam captivum fuisse abductum quadraginta annis ante secundi Templi excidium, narratur in Thalmude, nempe circa tempora mortis Christi, ac penitus demum fuisse sublatum constat. Post cladem verò Hierosolymitanam quoquoversum dissipata est Gens infelix, alienis parere coacta legibus, nihil eorum habens, aut attentare ausa, quibus constat Regia potestas, putà Jus reos morte plectendi, Belli denuntiandi ac gerendi, Monetam cudendi, Leges ferendi: Imò verò ludibrio & contemptui ubique habita, velut in celeberrimo universi orbis Theatro mortis Jesu Christo illatæ pœnas luit, divinæ maledictionis manifestissimum signum ferens. Tandem quòd Jesus Christus pro caduco & temporario Regno Judaicæ Gentis, Regnum spiritale æternum instituerit, quo non Judæos modò, sed Gentes orbis universi regit, Scripturæ sacræ veteris & Novi Testamenti testantur. Psalmo 11. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion Montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virgâ ferreâ.* Isaiæ 9. 6. 7. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis: Super solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitiâ, a modò & usque in sempiternum.* Isaiæ 11. 14. 10. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Judicabit in justitiâ pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virgâ oris sui... In die illâ, Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* Micheæ 4. *Quia de Sion egredietur Lex, & verbum Domini de Jerusalem.... Et regnabit Dominus super eos in Monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum.* Micheæ 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, Parvulus es in millibus Juda: Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Lucæ 1. 32. 33. *Hic erit Magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum; & Regni ejus non erit finis.* Apocalypsis 11. 15. *Et septimus Angelus tubâ cecinit, & factæ sunt voces magnæ in Cælo dicentes: Factum est Regnum hujus Mundi Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in secula seculorum. Amen.*

Demum Christo Jesu conveniunt hæc verba, quibus celebre illud, de quo agimus, Jacobi Oraculum concluditur: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Hinc enim Vitis vera, ut ipse de se ait, Joannis 11. 1. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est...* Item, *Ego sum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Asina autem & pullus ejus, symbola sunt Judæorum & Gentilium: Quos cùm gratiæ suæ & charitatis vinculis ad se trahit, sibique per fidem devincit & conjungit, tum demum pullum, & asinam ad vitem ligat. *Lavit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, cùm suum Corpus in Passione pretioso Sanguine suo, pro omnium hominum suo salute, cruentavit, prout *Isaias* prædixerat, Cap.63. 1. 2. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ, iste formosus in stolâ suâ? .... Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Quamobrem in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Sanguinem suum ex vino fieri voluit; & cruentâ veste indutus *S. Joanni* visus est, *Apocalypsis* 19. 13. Quæ de oculorum pulchritudine & candore dentium sequuntur, Christi Jesu speciem ac decorem commendant; non enim

eum quidem, qui in externâ corporis formâ, sed qui in animi dotibus ac virtute positus est. De quo David Psalmo 44. 3. *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.*

Hoc *Jacobi* Oraculum ad Christum Jesum pertinere egregiè ostendunt, & ita ferè explicant *S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, Origenes, Eusebius Lib.8. Demonstrationis Evangelicæ, S. Joannes Chrysostomus Homiliâ 67. in Genesim, S. Augustinus Lib.12. contra Faustum, Cap.42. S. Ambrosius Lib. De Benedictionibus Patriarcharum, Cap.4. S. Cyrillus* Alexandrinus *Lib. Glaphyrorum in Genesim, Theodoretus Quæstione 110. in Genesim*, & alii. Unius *S. Augustini* verba hîc subjicio, qui recensito Oraculo Jacobi Patriarchæ, ait: *Falsa sint ista, obscura sint ista, si non in Christo evidentissimâ luce claruerunt: Si non eum laudant fratres ejus Apostoli, & omnes coheredes ejus, non suam gloriam quærentes, sed ipsius: Si non sunt manus ejus super dorsa inimicorum ejus. Si non deprimuntur atque curvantur ad terram crescentibus Populis Christianis, quicumque illi adhuc adversantur. Si non adoraverunt eum filii Jacob in reliquiis, quæ per electionem gratia salvæ factæ sunt. Si non ipse catulus est leonis, quoniam nascendo parvulus factus est: Propter hoc additum*, De germinatione filius meus. *Causa quippè reddita est, quare catulus, in cujus laude alibi scriptum est*, Catulus leonis fortior jumentis*: hoc est, etiam parvulus fortior majoribus: Si non ascendit in Cruce recumbens, cùm inclinato capite reddidit spiritum: Si non dormivit ut leo, quia & in ipsâ morte non est victus, sed vicit; & ut catulus leonis: inde enim mortuus est unde & natus: Si non ille eum suscitavit a mortuis, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Eo enim quod dictum est*, Quis suscitabit eum? *satis expressa est tanquam ignoti significatio. Si defuit Princeps de Judâ, & Dux de femoribus ejus, donec venirent opportuno tempore, quæ promissa tanquam reposita fuerant. Sunt enim literæ certissimæ Historiæ ipsorum quoque Judæorum, quibus ostenditur primum alienigenam Herodem Regem fuisse in Gente Judæorum, quo tempore natus Christus est. Ita non defuit Rex de semine Juda, donec venirent quæ reposita erant illi. Sed quia non solis Judæis fidelibus profuit quod promissum est, vide quid sequatur:* Et ipse erit expectatio Gentium. *Ipse alligavit ad vineam pullum suum, id est, Populum suum, in cilicio prædicans & clamans:* Agite pœnitentiam, appropinquavit enim Regnum cælorum. *Populum autem Gentium illi subditum cognoscimus pullo asinæ comparatum, in quo etiam sedit, ducens eum in Jerusalem, idest, in visionem pacis, docens mansuetos vias suas. Si non lavit in vino stolam suam: ipsa est enim gloriosa Ecclesia, quam sibi exhibet non habentem maculam aut rugam: Cui dicitur etiam per Isaiam:* Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tanquam nivem dealbabo. *Unde nisi de dimissis peccatis? In quo ergo vino nisi in illo de quo dicitur*, Quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum? *Ipse est enim botrus ille qui pependit in ligno. Propterea & hîc vide quid adjungat:* Et in sanguine uvæ amictum suum. *Jam verò fulgere oculos ejus a vino, illa in corpore ejus membra cognoscunt, quibus donatum est sanctâ quadam ebrietate alienatæ mentis ab infra labentibus temporalibus, æternam lucem Sapientiæ contueri; Unde quiddam paulò ante commemoravimus, dicente Paulo*, Sive enim mente excessimus Deo. *Hi sunt fulgentes oculi a vino. Sed tamen quia sequitur*, Sive temperantes sumus vobis: *Nec parvuli relinquuntur, adhuc lacte nutriendi, quia & hîc sequitur*, Et dentes ejus candidiores lacte. *Quid ad hæc respondetis insani? Nempe ista manifesta sunt, nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt.*

*Proverb. 30.* — *Isai.1.18.* — *II. Cor. 5.13.*

Objiciunt Judæorum nonnulli, Æchmalotarcham quemdam e Tribu Juda oriundum, quem Patriarcham appellant, Judaicum Imperium in Asiâ tenere, perpetuâque successione eam dignitatem ad Christum usque extituram, qui proinde nondum venerit. Sic illi in *Seder Olam Zutba*, & apud *Maimonidem in Jad Chazacab*. In eâque persuasione fuerunt jam inde ab *Origenis*, superioribusque temporibus. *Benjamin Tudelensis* in sui Itineris Historiâ, Æchmalotarcham illum Bagdadi sedem habere scribit: Infinitas Judæorum copias versùs Eurum statuit, sui juris, rerum omnium ubertate affluentes, amplissima & amœnissima, uberrimaque loca incolentes, & ab omni reliquorum hominum commercio & aditu seclusas, propter vastissimas solitudines interjectas. *Postellus Historiæ Orientalis*, p.1. Cap.5. & 6. tradit versùs Orientem Solem diu latitasse decem Tribus, Montium angustiis circumclusas, sed tandem prognatos ex his Tartaros & Turcas inde erupisse, vastissimasque regiones armis occupasse. Quod ex *Haythoni* Armeni Historiâ, Cap.17. probare conatur. Quin etiam a *Josepho Lib.11. Antiquitatum* Cap.5. memoriæ proditum est, Decem Tribus trans Euphratem deportatas, in immensam multitudinem suâ ætate excrevisse. Idemque testatur *Orosius Lib.2. Cap.7.* Denique *Libro 4. Esdræ* Cap.13. legimus, Decem Tribus in longinquas terras abiisse, ut Ritus suos sine impedimento observare possent, discessisse illis aquas Euphratis, & post anni unius iter in regionem imperviam *Arsareth* pervenisse, ibique summâ pace frui, donec Deus ipsas Hierosolimam reducat. *Hæ sunt*, inquit, *decem Tribus, quæ captivæ factæ sunt de Terrâ suâ in diebus Osee Regis, quem captivum duxit Salmanasar Rex Assyriorum, & transtulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam. Ipsi sibi dederunt consilium hoc, ut derelinquerent multitudinem Gentium, & proficiscerentur in ulteriorem regionem, ubi nunquam habitavit genus humanum: Vel ibi observare legitima sua, quæ non fuerant servantes in Regione suâ. Per introitus autem angustos fluminis Euphratem introjerunt. Fecit enim eis tunc Altissimus signa, & statuit venas fluminis usquequo transirent. Per eam enim Regionem erat via multa itineris, anni unius & dimidii: Nam regio illa vocatur Arsareth. Tunc inhabitaverunt ibi usque in novissimo tempore; & nunc iterum cùm cœperint venire, iterum Altissimus statuet venas fluminis, ut possint transire: Propter hæc vidisti multitudinem cum pace.*

Respondeo, Mera hæc esse Judæorum figmenta, fabulasque putidissimas. Judæos nusquam gentium jus sceptri, ditionemve ullam aut imperium obtinere. Frequentes, longinquas, ac celebres illustrium viatorum peregrinationes, quibus accurata satis terræ habitabilis notitia hac ætate percepta est, ipsorum mendacia refellere. Illos jus gladii, quod supremæ potestatis insigne est, nullibi habere. Quòd post Hierosolymitanum excidium in reos aliquando animadvertisse legantur ipsorum Æthnarchæ, ut se expertum affirmat *Origenes Epistolâ ad Julium Africanum*, id fecisse vel dissimulantibus Romanis, vel id juris ipsis permittentibus. Et id Palæstinis quidem Judæis in Palæstinâ dumtaxat concessum; non Babyloniis, aut Ægyptiis, ut testatur Maimonides. *Benjamin Tudelensis* de iis, quæ narrat, nihil prteter auditum habere se profitetur; & Æchmalotarcham ipsum a Muhammedanorum Caliphâ potestatem per sigilli traditionem accipere solitum: Quod fiduciarii tantùm, non supremi dominii argumentum est. Sed ne Synagogas quidem, Col-

le-

legia, aut Scholas, nisi de licentiâ Principum habuerunt. Regna illa ex decem Tribubus propagata, quamvis imaginaria non essent, eorum tamen Æchmalotarcham sive Patriarcham ex Tribu Juda oriundum, quis sibi præter insanos Judæos persuadeat? Quomodo Tribus illæ aliquem ex Tribu Juda apud se reperire semper potuerunt, quem sibi præficerent, ex quo Israël hujus Tribûs detrectavit imperium, seque ab illâ segregavit? cùm ex illo tempore *Non coütantur Judæi Samaritanis*, ut ait Christus Jesus Mulierem Samaritanam alloquens, *Joannis* 4. 9. Præterea celeberrimi Rabbini ingenuè fatentur Judæos Regiâ Potestate, Sceptro, ac Domino penitus excidisse secundùm illud *Osee* vaticinium Cap. 3. 4. *Dies Multos sedebunt Filii Israël sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.* Id agnoscunt R. *Isaac Abrabaniel Commentar. in Isaiam*, R. *David Kimchi in Osee*, R. *Bechai*, R. *David Ganz*, & R. *Manasse*. Disertissimè verò omnium R. *Isaac Akrieh* Narrationes hujusmodi de Asiatico Judęorum Imperio, & Æchmalotarchâ, fictitias esse declarat, & ad suorum solatium excogitatas. Denique *Origenes* Lib. 4. Περὶ Ἀρχῶν, Cap. 1. Judæorum vanitatem his verbis redarguit, de Christo Jesu loquens: *Quid verò inde dicendum est quod Prophetæ de ipso ante prædixerant, Non cessaturos Principes ex Judâ, neque Duces de femoribus ejus, usquequò veniat Ille cui repositum est, Regnum scilicet; & usquequo veniat exspectatio Gentium? Manifestissimè enim ex ipsâ Historiâ apparet, ex his quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Christi ultra Reges apud Judæos non extiterunt. Sed & illa omnes ambitiones Judaicæ, in quibus se jactabant quamplurimi, & in quibus exultabant, vel de Templi decore, vel de Altaris insignibus, atque omnibus illis Sacerdotalibus Infulis, Indumentisque Pontificum, simul destructa sunt. Completa est enim Prophetia quæ dixerat:* Per „ dies multos sedebunt Filii Israël sine Rege, sine „ Principe, non erit Hostia, nec Altare, nec „ Sacerdotium, nec Responsa. *His ergo testimoniis utimur adversùs eos, qui videntur asserere de his quæ in Genesi ab Jacob dicta sunt, quòd de Judâ dicta sint, & dicunt permanere adhuc Principem ex genere Juda, istum videlicet qui est Gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham; nec deficere posse de semine ejus qui permaneat usque ad adventum ejus „ Christi, quem sibi ipsi describunt. Sed si verum est „ quod ait Propheta*, Quia dies multos sedebunt Fi„lii Israël sine Principe, nec erit Hostia, nec „ Altare, nec Sacerdotium; & *utique ex quo subversum est Templum, nec hostiæ offeruntur, nec Altare invenitur, nec Sacerdotium; constat & certissimum est defecisse Principes ex Judâ, sicut scriptum est, & Ducem ex femoribus ejus, usquequò veniet Ille cui repositum est. Constat ergo quia venit Ille cui repositum est, in quo expectatio Gentium est. Quod manifestè videtur impletum de multitudine eorum, qui per Christum Deo ex diversis Gentibus crediderunt.* Quæ de decem Tribubus Scriptor libri quarti *Esdræ* Apocryphus habet, ceu mera figmenta rejicimus, sicut & Thalmudis Hierosolymitani narrationem, in quo scriptum est, Decem Tribus nubibus protectas, & a reliquis mortalibus hujusmodi sepimento separatas. Esto verò trans Euphratem deportatas in immensam multitudinem excrevisse, cum *Josepho* & *Orosio* concedamus, ipsas tamen Reges Judæos habuisse negamus, neque id *Josephus* vel *Orosius* asserunt. Imò illas Barbarorum Imperiis fuisse subjectas, *Sulpitius Severus* observat *Lib. 11. Historiæ Sacræ.*

Objiciunt alii: Vocem Hebræam *Sheveth*, quam Latinus Interpres vertit *Sceptrum* sive *Virgam*, non significare summum Imperium quod in Tribu Juda, vel in Judaicâ Gente ad Messiæ adventum permansurum sit, sed sævum & impotentem dominatum, quo misera ipsorum Gens ab alienis Principibus premitur & vexatur. Quæ calamitas finem accipiet, cùm Christus advenerit.

Respondetur, Vocem *Sheveth* solitariè sumptam significare dominationem generatim, tam æquam & legitimam, quàm tyrannicam. Hanc verò non designare, nisi adjuncto epitheto determinetur, ut Psalmo 11. *Reges eos in virgâ ferreâ*. Præterea, his verbis, *Et Dux de femore ejus*, non externos Principes, sed eorum gentiles ac tribules designari. Tertiò, falsum esse quòd duris semper Imperiis afflicti fuerint, cùm mitissimis & æquissimis Regibus sæpè paruerint. Quartò, Tribum Juda a *Davide* usque ad *Sedeciam* annorum ferè quingentorum spatio Regiam Potestatem habuisse, adeòque falsum esse quòd ad hæc usque tempora iniquum externorum Principum dominatum passa sit; post Sedeciam verò ac reditum ex Captivitate, Ducibus & Regibus ex propriâ Gente paruisse usque ad *Herodem*. Igitur si calamitas ipsorum, & dura servitus a *Jacobo*, ut volunt, prædicta, finem acceptura non erat, donec Messias veniret, Messiam jamdudum venisse contra ipsos conficitur: Siquidem ante Christi Jesu adventum tribulibus suis ac gentilibus paruerunt, & florentissimum potentissimumque Imperium sub *Davide* & *Salomone* habuerunt.

At, inquiunt, hæc verba, *Donec veniat Qui mittendus est*, non significant Principatum a Tribu *Judâ* non auferendum donec venerit Messias, sed post adventum Messiæ nusquam deinceps Sceptrum *Judæ* auferendum. Et sanè hæc dictio *Donec*, non semper finem ac cessationem notat ejus rei, de quâ sermo fit, sed ejus nonnunquam continuationem, cum interventu alterius, cui dictio *donec* adjungitur. Sic octavo Genesis de corvo dicitur: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram:* Quo non significatur corvum esse reversum postquam siccatæ sunt aquæ, sed nunquam reversum, ne post siccatas quidem aquas. Sic vigesimo octavo *Genesis* Deus ait Jacobo: *Nec dimittam te donec fecero quod locutus sum tibi*: Quo non significatur quòd *Jacobum* deserturus esset Deus postquàm ea complevisset quæ spoponderat; imò verò nusquam ipsum deserturum. Sic *Job* vicesimo septimo capite: *Donec deficiam*, inquit, *non recedam ab innocentiâ meâ*: Quo non significat *Jobus* se ab innocentiâ suâ recessurum cùm defecerit; imò verò se nusquam ab eâ discessurum. Sic *Libri 2. Regum Cap. sexto* legimus: *Igitur Michol filia Saül non est natus filius usque in diem mortis suæ*: Quibus verbis non significatur *Michol* die mortis suæ filium tandem parituram: Imò verò perpetuò sterilem fore. Sic de *Josepho* & *Mariâ* scripsit *Matthæus*, Cap. 1. 25. *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Quibus verbis non significatur quòd post *Mariæ* partum eam cognoverit *Josephus*, ut impiùs *Helvidius* asseruit; sed perpetuò Virginem fuisse cum interventu partûs quo Primogenitum suum edidit. Hujus itaque vocis, *Donec*, similis est significatio in Jacobæo Vaticinio, scilicet Sceptrum a *Judâ* nusquam ablatum iri, postquàm semel venerit Messias. Atque hanc Jacobæi Vaticinii interpretationem, non solùm Judæi plerique recentiores amplectuntur, sed etiam inter Christianos & Catholicos Theologos *Cajetanus Commentar. in Genesim*, cui ex parte suffragatur Doctissimus Præsul Daniel Huëtius *Demonstrationis Evangelicæ Propositione 9.*

Respondetur, Vocem *Donec*, designare finem Judaici Imperii quo tempore venturus erat Messias; alioquì nota & significatio temporis ipsius adventûs Jacobæo Vaticinio nulla inerit, nulla *Jacob* signa demonstraverit quibus agnosci possit.

Ad-

Adde, priscos Judæos vocem, *Donec* in vulgari significatione hîc intellexisse, quatenus cessationem importat ejus rei, de quâ fit sermo: Sic illam accepisse Chaldaicarum Paraphrasum Auctores, nec non *R. Salomonem*, & *R. Kimchi*. Sic intellexisse *Josephum*, cùm hujus Oraculi exitum *Vespasiano* adulatoriè adscripsit *Lib.3. De Bello Judaico Cap.28.* & *Libro 8. Cap.31. Quod autem*, inquit, *Judæos ad Bellum præcipuè incitabat, Vaticinium erat ambiguum similiter in sacris Codicibus repertum, futurum nempe ut hoc tempore ex Regione aliquis eorum toti orbi imperaret. Hoc nonnulli quidem tanquam sibi proprium accipiebant, & multi e Sapientibus in eo intelligendo hallucinati sunt.* Hîc a *Josepho* notari Oraculum illud Jacobæum, *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & Ipse erit expectatio Gentium*, Doctissimus *Huëtius* probat, *Demonstrationis Evangelicæ Propositione 7. Num. 32.* & ex hoc *Josephi* loco manasse censet quod *Suetonius in Vespasiano* Cap.4. & *Tacitus Historiæ Lib.5.* scripserunt. Sic enim Suetonius: *Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum Judæi ad se trahentes rebellarunt.* Tacitus verò: *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum Literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur. Quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur.* Eminentissimi *Cajetani*, & Illustris *Huëtii* opinionem nihil moror, satis est observare quàm immensum discrepet a Judæorum interpretatione. Judæi namque Regni sui tempus a Messiâ inchoant; at *Cajetanus* longè vetustiora Regni hujus statuit initia, de quo *Jacob* vaticinatus est. Judæi Regnum temporarium, & cum Mundo finem habiturum intelligunt: *Cajetanus* Regnum primò temporarium signatum esse censet, quod per Messiam spiritale fiat & æternum, ne ipso quidem Mundi occasu finiendum. Doctissimus verò *Huëtius* addens *Cajetani* opinioni & expositioni quod ipsi deesse putat, eamque majorem proferens in lucem, quatuor notari statuit his Jacobi verbis: *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & Ipse erit expectatio Gentium.* Primam hanc prædictionis partem, *Non auferetur Sceptrum de Judâ*, ait æternam Sceptri possessionem *Judæ* spondere. Alteram, *Et Dux de femore ejus*, temporarium & caducum *Judæ* præsignificare Principatum. Tertiam, *Donec veniat Qui mittendus est*, temporarii hujus Regni finem, & Messiæ adventum prædicere. Postremam, *Et Ipse erit expectatio Gentium*, Messiæ Regnum non Chananææ Terræ claudendum angustiis, sed quaquaversus per omnem orbem patens, & spiritale futurum nuntiare.

Objicies: Jacobæum istud Oraculum nihil contrà Judæos Messiam adhuc expectantes conficere, si Prophetiam hanc non simplicem & absolutam, sed hypotheticam esse respondeant: Eâ lege nimirum & omne Imperium usque ad Messiæ tempora *Judæ* esse promissum, si modò Legi Divinæ obsequatur. Sicut Deus Judæis æternam Terræ Chanaam possessionem & habitationem promiserat; neque tamen hæc promissio exitum habuit, quia hypothetica erat, eâ scilicet conditione adimplenda, si pietatem ac justitiam colerent, Deique Legem observarent: Quod cùm non præstiterint, non mirum est quòd promissionum divinarum fructum non fuerint consecuti. Similiter, inquiunt, Deus Principatum usque ad Messiæ tempora *Judæ* promiserat, non tamen absolutè, sed sub conditione, si a Dei cultu & observantiâ Divinæ Legis non deficeret: Quam quia non implevit, ideò Jacobæi illius Vaticinii eventus dilatus est.

Respondetur, Hanc expositionem jure optimo rejici, cùm nullo Scripturæ Sacræ testimonio fulciatur. Nullum enim est Prophetarum Vaticinium, quod simili exceptione eludi non posset. Certè Prophetiæ hypotheticæ vel expressam habent conditionem, cujus interventu exitum habituræ sunt, vel ex aliis Scripturæ Sacræ locis ea conditio disertè colligitur: At Jacobæum Vaticinium neque conditionem ullam exprimit, neque quod conditionis alicujus interventu exitum habiturum esset, ullibi in Sacris Literis significatur: Hæc itaque Judæorum expositio arbitraria & temeraria est. Præterea, quemadmodum Prophetiæ de Messiæ Adventu planæ, simplices, & absolutæ fuerunt; sic absoluta fuere Vaticinia, quæ varias ejusdem Adventûs circumstantias significabant, nimirum ex semine *Abrahæ*, ex Tribu Juda, ex Virgine Matre, in Bethlehem nasciturum. Sicut ergo hujusmodi Prophetiæ simplices & absolutæ fuerunt, non hypotheticæ; sic etiam illa quæ *Jacobi* verbis continetur, tempus adventûs Messiæ per defectum Principatûs Judaici significans.

---

### PROPOSITIO III.

„ *Jacobæum Oraculum:* Non auferetur Sceptrum „ de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & Ipse erit Expectatio Gentium, *non ad solam Tribum Juda, sed ad totam Gentem Judaicam pertinet.*

PRobatur invicto argumento ex Historiâ Sacrâ petito. A *Jacobi* morientis edito Vaticinio ad *Davidem* usque plures extiterunt Judaicæ Gentis Duces ac Principes ex Judâ minimè oriundi. *Moses* enim, & *Josuë*, qui post exitum ex Ægypto primo Populo Judaico imperarunt, tribules Juda non fuere, sed ille ex Tribu Levi, hic ex Tribu Ephraim ducebat originem. Inter Judices, quorum secuta est dominatio, duo tantùm fuere ex Tribu Juda prognati, *Othoniel*, & *Abesan*. Judicum Principatum excepit Regium Imperium, quorum primus *Saul* ex Tribu Benjamini extitit. Rursum decem Tribus a *Roboamo Salomonis* filio defecerunt, & Principum ex Tribu Juda excusso jugo, *Jeroboamo* ex Ephraimiticâ Tribu, aliisque Regibus neutiquam ex Tribu Juda ortis paruerunt. Tempore Captivitatis Babylonicæ, Sceptrum a Tribu Juda ablatum est in *Jechoniâ* & *Sedeciâ*. Post solutam Captivitatem Babylonicam, Aristocratiæ formam assumpsit Judæorum Respublica, summa rerum penes Sacerdotes fuit usque ad Natale Christi per quingentos & ampliùs annos. Quæ potestas per Assamonæos in eo ordine adeò firmata est, ut tandem *Aristobulus* Pontifex Maximus regimen illius Reipublicæ in formam Regni mutaverit. Fuit penes *Aristobuli* posteros Regia Potestas ad *Pompejum* usque plena & solida. Umbram & nomen Imperii ipsis reliquit *Pompejus*, re ademptâ, donec ab *Herode* Regnum Assamonæis ereptum, & genus extinctum est. Verba igitur illa Jacobæi Vaticinii, *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est*, ad solam Tribum Juda non pertinent, sed ad totam Gentem referenda sunt.

Respondent nonnulli, Sceptrum a Tribu Juda ablatum in *Sedeciâ* non fuisse, sed supremam potestatem in *Zorobabele* Tribûs illius Principe, so-

lutâ

lutâ Captivitate Babylonicâ fuisse suscitatam, ut observat *S. Cyrillus Libro 8. adversùs Julianum:* Deinde ad *Zorobabelis* posteros transmissam, in hac eâdem Tribu ad Christum usque per Assamonęos perseverasse, qui licèt ex Leviticâ Tribu prognati, maternum tamen genus ex Tribu Juda ducebant. Conjunctam quippe fuisse per Matrimonia Tribum utramque, ut probant exempla *Aaronis*, qui filiam *Aminadab*, & *Jojadæ* Pontificis, qui filiam *Jorami* Regis, uxores duxisse leguntur, *Exodi 6. 7.* & *2. Paralipomenon* Cap. 22. Hac ratione ex istâ difficultate se expediunt *Lyranus*, *Tostatus*, *Dionysius Carthusianus*, & alii.

Verùm nec Regia potestas in Zorobabele fuit; nec Assamonæos ex Tribu Juda maternum genus duxisse probari potest. Id enim unum aut alterum initi a Sacerdotibus cum Virginibus e Tribu Juda matrimonii exemplum non demonstrat. Neque credibile est Pontifices Maximos e Tribu suâ uxores nunquam duxisse, sed ex alienâ semper, & quidem semper ex eâdem, nempe Judæ. Id cùm nullo Scripturæ Sacræ, nullo Judaicæ Historiæ testimonio nitatur, ceu merum figmentum rejiciendum est. Secundò, Apostoli verbis id repugnat, disertè asserentis, Nullum unquam fuisse Sacerdotem ex Tribu Juda, ex quâ Jesus Christus natus est. Ad Hebræos 7. 13. 14. *In quo enim hæc dicuntur, de aliâ Tribu est, de quâ nullus Altari prastò fuit. Manifestum est enim quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster, in quâ Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Nullius porrò esset roboris argumentum Apostoli, si Sacerdotes inter tribules Judæ recenseri jure potuissent. Tertiò, Nulla maternę stirpis apud Judæos habita ratio est, secundùm Thalmudicum illud scitum: *Familia Matris non vocatur familia.* Nullum itaque jus ad Sceptrum Tribui Judæ proprium Leviticæ Tribui ex prætensâ illâ affinitate accessisset.

Longè magis improbabile est quod *Genebrardus* in Chronico, & *Baronius* in Apparatu, asserere non dubitarunt, Assamonæos paternum genus ad *Judam* referre. Eam enim assertionem erroris apertè convincunt tum laudatus Apostoli locus; tum insignis ille *Numerorum 16. 39. 40.* ubi legimus, *Eleazarum* Sacerdotem, Deo jubente, impiorum *Core*, *Dathanis*, & *Abironis* thuribula ænea produxisse in laminas, & affixisse Altari, *Ut haberent postea filii Israël quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen.* Eamdem jugulat illud *Jeremiæ* Oraculum de Jechoniâ, Cap. 22. 30. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Judâ.* Caduco verò fundamento nitebatur *Baronius*, hoc nimirum loco 1. Macchabæorum. v. 63. *Et Viri Juda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israël:* Quo Macchabæos, Macchabęorumque Patrem Judam significari censebat. Legitur enim in Græco Textu, καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν id est. *Et vir Judas, & fratres ejus glorificati sunt valde in conspectu omnis Israël.* Idem habet Versio Syriaca: *Ita Juda, & fratres ejus magis laudati fuerunt apud omnes Israëlitas.* Sanè Macchabæos ex Tribu Levi, non ex Tribu Juda prognatos, liquet ex Cap. 2. Lib. 1. *Macchabæorum* 5. 1. in quo *Mathathias* Macchabæorum parens dicitur *Filius Joannis, filii Simeonis, Sacerdos ex filiis Joarib:* Cujus sors prima exiit in descriptione stationum, quas ordine obire debebant Aaronitides familiæ, 1. Paralipomenon 24. 7. 19. *Exivit autem sors prima Joarib, secunda Jedei,* &c. *Hæ vices eorum secundùm Ministeria sua, ut ingrediantur Domum Domini, & juxta ritum suum sub manu Aaron Patris eorum.* Eodem *Lib. 1. Macchabæorum* Capite 5. 4. se Phinee oriundum prædicat Mathatias: *Phinees*, inquit, *Pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum Sacerdotii æterni.* Fuit autem *Phinees Eleazari* filius, *Aaronis* nepos. Adde, Macchabæos non hæreditario jure, sed electione Populi, Judaicæ Reipublicę clavum tenuisse, ut constat ex 1. Macchabęorum 9. 28. 29. 30. *Et congregati sunt omnes amici Judę, & dixerunt Jonathæ: Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum nostrum.* Et Cap. 14. 41. *de Simone Macchabæo* dicitur: *Judæi & Sacerdotes eorum consenserunt eum esse Ducem suum, & Summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis.* Ne verò Patrum suffragiis destituti videamur, *S. Cyrillo* opponimus *S. Ambrosium Lib. 3. in Evangelium S. Lucæ* disertè asserentem, Regnum Davidicum in *Jechoniâ* desiisse. *Jechoniâ regnante*, inquit, *Judæam Babylonii vastaverunt, neque postea unquam de semine ejus Regnum quisquam in Judæâ potuit obtinere. Postea enim populus de Captivitate dimissus sub Sacerdotibus & Tetrarchis fuit.*

Respondent alii: Ex tribu Juda extitisse Principes ad Christi usque tempora, quòd Supremus Hebręorum Senatus a *Mose* Dei jussu institutus, *Numerorum 11.* quem *Synedrium Magnum* vocabant, cui commissa erat Cabala, Legisque interpretandę Munus summâ cum auctoritate, totus Senatoribus Tribu Juda prognatis constaret. Ita *Paulus Burgensis in Cap. 49. Genesis*, *Galatinus Lib. 4. De Arcanis Catholicæ Veritatis*, *Joannes Annius in Breviario Temporum Pseudo-Philonis* sui, *Joannes Lucidus Lib. De Emendatione Temporum*, & *Joannes Mirandulanus.*

At inanis ea Responsio est, nullâque solidâ probatione fulta, Nec enim Regia fuit Auctoritas, aut summa Potestas in rebus politicis penes Synedrium: Neque verisimile est, unâ ex Tribu Juda selectos fuisse Senatores, quibus Consessus ille constabat: Cùm ea fuerit Judaici Populi consuetudo, ut quoties ad publicę rei negotia certus aliquis virorum prudentium & proborum numerus deligendus esset, ii ex omnibus Tribubus deligerentur; & *Moyses* auctore Jethro Socero suo Judices ex toto Israël, id est, ex omnibus Tribubus constituerit, Exodi 18. 25. *Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos Principes Populi, Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos. Qui judicabant plebem omni tempore.* Et Deuteronomii 1. 9. *Dixique vobis illo in tempore .... Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac jurgia. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in Tribubus vestris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. Tulique de Tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, ac Decanos, qui docerent vos singula. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod justum est, judicate.* Nec verisimilior est eorum assertio, qui non totum quidem Senatum, sed Principem tamen Senatûs, quem *Caput Scholæ* Judęi vocabant, dicunt ex Tribu Juda delectum fuisse. Nam summa rerum penes illum Senatûs Principem nusquam fuit, sed penes Reges ante captivitatem; post reditum verò ex captivitate, penes Pontifices. Sequeretur ergo, in illâ etiam hypothesi, Sceptrum de Judâ, & Ducem de femore ejus ablatum esse ante Christi tempora. Deinde Principem illum Synedrii de Tribu

Ju-

Juda semper delectum fuisse, vel ex eâ necessariò deligendum, nec ipsi Rabbini consentiunt; nullaque hujus rei probatio proferri potest.

Respondent alii. Jacobæi Oraculi hunc sensum esse, A Tribu Juda non ante ablatum iri Sceptrum, formam nempe Reipublicæ suis legibus utentis, seque ipsam regentis ac gubernantis, postquàm semel ad eam pervenerit, quàm Messias exoriatur; quo tempore solutum iri communitatem ac regimen Tribûs Juda; atque id rerum ipsarum eventum confirmare: Siquidem Tribubus decem in peregrinas ac dissitas regiones expulsis & dissipatis, sola Tribus Juda sedibus propriis ac pristinis restituta, Jurisdictionem suam, Imperium, civilis corporis formam servavit ad Christi usque Adventum. Responsionem suam ex eo confirmant, quòd vox *Sheveth*, quam Vulgatus Interpres vertit *Sceptrum*, alii *virgam*, interdum in Sacris Literis *Tribum* seu *familiam* significet, ut *Psal.77.67.68. Tribum Ephraim non elegit: Sed elegit Tribum Juda*. Ubi illi voci, *Tribum*, in Hebræo Textu respondet, *Sheveth*. Eâdem porro significatione vocem illam Hebraicam in Jacobæo Oraculo esse positam; ut sensus Prophetiæ sit: *Non auferetur Tribus Juda*, id est, ad Messiam usque permanebit. Ita *Oleaster*, & alii.

Sed hæc Responsio nullo negotio evertitur. Sceptrum enim, Jurisdictionem, Imperium, ad Messiam usque non servavit Tribus Juda, siquidem post Captivitatem Babylonicam fuit penes Assamonæos, aliosque Sacerdotes, tribules Levi. Præterea non minùs steterunt ad Messiam usque Benjamitica, & Levitica Tribus, quàm Tribus Juda: Nil ergo singulare & eximium Tribui Juda Jacobæum Oraculum prædixisse, quoad Regni perennitatem, fateri debent. Tertiò, etsi Sceptri nomine Tribum significatam daremus, his tamen verbis, *Et Dux de femore ejus*, Tribum notari nemo dixerit, sed singularium quarumdam personarum successionem, quarum interitus gignendo reparatur, quod de totâ Tribu dici non potest. Quartò, nulla Scripturæ Sacræ Versio vocem Sheveth hoc in loco Tribum reddidit, sed Sceptrum, Virgam, Imperium, Principatum; & vocem *De femore ejus*, sive, ut Textus Hebræus sonat, *De inter pedes ejus*, Onkelos & Hierosolymitanus Paraphrastes verterunt, *De filiis eorum*: Jonathan, *De semine ejus*: Quo nomine Tribum neutiquam significari, sed singulares de Tribu vel Gente personas, perspicuum est. Cùm itaque Regiâ Potestate in *Sedeciâ* & *Jechoniâ* extinctâ, ut prædixerat *Jeremias* Cap.22. 30. nemo homo ex Tribu Juda in eam successerit post Babylonicam Captivitatem, semper conficeretur contra hujus expositionis Vindices, Sceptrum de Judâ fuisse ablatum longè ante Christi tempora.

Respondent alii: Etsi usufructus Sceptri a Tribu Juda sit aliquando ablatus, ipsam tamen proprietatem, ipsum jus ademptum non fuisse, illiusque aliquando per Messiam de se nasciturum recuperandi spem in eâ superfuisse. Atqui jus ad Sceptrum, sive Sceptri proprietas, Sceptrum rectè appellari potest & solet. Sic dicimus Imperium tot annos penes Romanos fuisse, quamvis plurimi ex aliis Nationibus creati sint Imperatores; quia jus & proprietatem Imperii semper habuerunt, quamvis usumfructum in aliarum Gentium homines interdum transtulerint. Sic Poloniæ Sceptrum penes Polonos semper fuisse dicimus, ex quo Reges habere cœperunt: Quia jus & proprietatem Regni retinuerunt, quamvis interdum Reges ex aliis Gentibus sibi delegerint. Sic post Babylonicam Captivitatem jus & proprietatem Sceptri mansisse penes Tribum Juda, quamvis usufructus ad Assamonæos, aliosque Sacerdotes transmissus sit.

Verùm hæc Responsio non minùs nutat quàm superiores: Jus enim ad Sceptrum Judaicum Tribui Judæ ablatum est in *Jechoniâ*, Deo ita decernente, non usufructus Sceptri dumtaxat; ut apud *Jeremiam* legitur, Cap.22. 30. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super Solium David, & Potestatem habeat ultra in Judâ*. Præterea, Tribus Juda ita Sceptrum amisit, ut illius aliquando per Messiam ex se proditurum recuperandi spem nullam habuerit. Agitur enim hîc de Regno terreno & temporali, quod Christus nec sibi vendicavit, nec Tribui Judæ restituit; sed novum instituit, spirituale scilicet ac æternum, cujus in possessionem omnes Tribus & Nationes vocatæ sunt. Regnum enim Christi non fuit de hoc Mundo; & ex *Jechoniâ* prognatum esse Evangelistæ testantur, de quo futurum prædixit *Jeremias*, ut nepotum ipsius nullus Judaicum Imperium teneat. Denique hæc responsio totum infringit robur demonstrationis, quam ex hoc Jacobi morientis Oraculo Judæ edito Christiani contra Judæos conficiunt. Reponent enim, & pertinaciter contendent, solum usumfructum Sceptri, non jus & proprietatem, Tribui Juda ac Judaicæ Genti ademptam, spemque illud recuperandi superesse, quia restituet illud aliquando tandem Messias, quem expectant.

Aliorum Responsionibus elisis, nostram Propositionem Patrum testimonio & auctoritate confirmamus, qui Jacobæum Oraculum ad totam Gentem Judaicam, sive ad omnes Tribus in commune, non ad solam Tribum Juda referunt. Præit cœteris *S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo*, pag.271. *Per ipsum etiam Jacobum Patriarcham*, inquit, *prædictum est, duos Christi futuros adventus: Eumque in priore perpessionibus subditum fore: Atque ubi is venisset, in genere vestro neque Prophetam, neque Regem futurum*. Mox recensito *Jacobi* Oraculo, de quo agimus: *Porrò nunquam priùs in Gente vestrâ esse desiisse neque Prophetam, neque Principem, ex quo Imperium accepit, ne impudenter quidem vel dicere audetis, vel probare potestis. Nam Herodem Ascalonitem, sub quo passus est Christus, allegantes, nihilominus dicitis, in genere vestro fuisse Sacrorum Antistitem; adeò ut etiam tum vobis licuerit juxta Legem Moysi offerre oblationes, & legitima alia custodire: Tum autem Prophetas successione suâ usque ad Joannem extitisse: Quemadmodum tum quoque cùm Babylonem abductus est Populus vester, terrâ vastatâ & sacris vasis sublatis, non desiit esse ex vobis Propheta, qui Dominus & Dux, & Princeps Populi vestri fuerit. Spiritus enim qui erat in Prophetis, Reges vobis unxit & constituit. At post JESU CHRISTI nostri in genere vestro manifestationem & mortem, haudquaquam Propheta extitit, nec exstat. Sed & sub Rege proprio esse desiistis. Ad hæc & Terra vestra desolata est, & tanquam custodia pomorum derelicta. Quod autem Verbum per Jacobum dixit*, Et ipse erit Expectatio Gentium: *figuratè duos ejus denotavit adventus, & futurum esse ut Gentes ei crederent significavit: Quod serò tandem vobis cernere licet*. Memoriæ lapsu ἐφ' τῷ ἔπαθεν pro ἐφ' τῷ ἐγεννήθη. *Sub quo natus est*, quod omnino postulat Historia, *S. Justinum* scripsisse, Viri Eruditi observarunt.

Sequitur *S. Athanasius*, Lib. De Incarnatione Verbi Dei. *Præsente igitur Sancto Sanctorum*, inquit, *meritò obsignata est & Visio, & Prophetia, & Regnum Hierosolymitanum desiit. Tandiu enim ungebantur apud eos Reges, donec ungeretur Sanctus Sanctorum. Et Moses quoque eodem spatio Regnum Judæorum circumscripsit, idque hujusmodi Vaticinio:* Tom. I. pag. 3.
„Non deficiet Princeps ex Judâ, neque Dux de Genes. 49.
„femoribus ejus, donec venerint ea, quæ reposita

„ sita sunt ei; & Ipse est Expectatio Gentium. *Unde „ & ipse Salvator clamat dicens;* Lex & Prophetæ „ usque ad Joannem prophetaverunt. *Si igitur vel nunc ullus est apud Judæos aut Rex, aut Propheta, aut Visio; rectè inficiantur advenisse Christum: Sin autem neque Rex, neque ulla Prophetia superest, sed obsignata est in posterum & omnis Prophetia, & Civitas & Templum capta: Quorsum ista impietas & tergiversatio, ut cùm ista ipsa facta videant, Auctorem qui hæc fecit Christum negent?*

Idem confirmatur ex *Eusebio*, cùm *Libro* 8. *Demonstrationis Evangelicæ*, quem locum infra proferemus, tum *Libro* 1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. 6. *Per idem tempus*, inquit, *cùm Herodes primus ex alienigenis Judaicæ Gentis Regnum obtineret, completa esse videbatur Moysis prædictio, quæ sic habet:* Non deficiet Princeps ex Judâ, neque Dux de femore ejus, donec veniat cui repositum est. *Quem etiam expectationem Gentium fore confirmat. Quippe sine effectu semper pendebat prædictio, quamdiu sub domesticis Principibus Judæis agere licebat: Qui quidem a Mose initio ducto, ad usque Augusti tempora permanserunt. Cujus Principatu primus ex alienigenis Herodes Regnum Judææ a Romanis adeptus est; cùm, ut a Josepho quidem traditum est, paterno genere Idumæus, Arabs materno esset.* Et infrà: *Hyrcano, in quem ultimum Sacerdotum progenies erat devoluta, a Parthis intercepto, primus (ut dixi) ex alienigenis Herodes a Senatu & Augusto Judææ Regnum accepit. Quo tempore cùm Christi corporalis præsentia orbi illucesceret, expectata illa Gentium salus exitum sortita est; & Nationum vocatio, prout Prophetarum Oraculis prædictum fuerat, subsecuta. Ex quo etiam tempore cùm Principes & Duces ex Judâ, id est, ex Judæorum Gente defecissent, successio summi Sacerdotii, quod per generis continuam seriem proximo cuique hactenus constantissimè delatum fuerat, consequenter turbari cœpta est.*

Item ex *S. Joanne Chrysostomo* Homiliâ 67. in Genesim: *Postea*, inquit, *& tempus quoque manifestè declarat, quo adventurus sit Christus juxta „ dispensationis rationem.* Non deficiet, *inquit*, „ Princeps de Judâ, neque Dux de femore ejus „ donec veniat, cui repositum est: & Ipse erit Ex„ pectatio Gentium. *Tamdiu*, inquit, *durabunt Judaica, & Princeps Judæorum, quoad ille venerit. Et bene dixit, Quoad ille venerit, cui repositum est: Quasi dicat, Ille cui præparatum est Regnum: Propterea Ipse est Expectatio Gentium.*

Eodem modo hoc Vaticinium intellexit *S. Ambrosius* Libro *De Benedictionibus Patriarcharum*, Cap. 4. *Et ideo donec Ille veniat, non deficiet Dux ex Judâ; ut usque ad ejus ortum regalis successionis fides incorrupta servetur. Postea enim, ut docuimus Tractatu habito in Evangelium, per Herodem adulterata successio prærogativam dignitatis amisit. Etenim quia verum Regem negaverunt, falsos habere cœperunt. Ergo hoc quod dicit Patriarcha, servabitur in Judicibus vel Regibus Judæorum intemerata successionis hæreditas ducta per Reges:* Donec veniat cui repositum est: *Ut Ecclesiam Dei congreget ex conventu Nationum omnium, & Gentilium devotione Populorum, hoc est, ipsum manet, ipsi debitum reservatur, ipsi tanta gratia prærogativa defertur.*

Ita etiam intellexisse videtur *S. Augustinus Libro* 18. *De Civitate Dei*, Cap. 55. ubi cùm præmisisset, Judæos, ex quo de Captivitate Babyloniæ reversi sunt, non Reges sed Duces vel Principes habuisse ex Ordine Sacerdotali, donec *Aristobulus*, assumpto diademate, & Rex & Pontifex factus est; subdit: *Deinde post paucos annos etiam Herodem alienigenam Regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus. Jam enim venerat plenitudo temporis significata Prophetico Spiritu per os Patriarchæ Jacob, „ ubi ait:* Non deficiet Princeps ex Judâ, neque „ Dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum „ est, & Ipse Expectatio Gentium. *Non ergo defuit Judæorum Princeps ex Judæis, usque ad istum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam Regem. Tempus ergo jam erat, ut veniret Ille cui repositum erat, quod Novo promissum est Testamento, ut Ipse esset Expectatio Gentium.* Genes. 47.

Ita *Theodoretus* Quæstione 110. in Genesim. *Prænuntiat etiam*, inquit, *tempus adventûs Illius:* Christi. „ Non deficiet Princeps ex Judâ, & Dux de fe„ more ejus, donec veniat cui repositum est, & „ Ipse est Expectatio Gentium. *Hoc adventûs Domini indicium est clarissimum. Nam ut Prophetiæ finis ostenderetur, defecerunt non tantùm Judæorum Reges, sed Principes Sacerdotum, & Prophetæ. Si quidem cùm Salvator noster nasceretur, allophyli Reges imperabant, ut æternus Rex declararetur, qui erat Gentium Expectatio, secundùm promissionem ab omnium Deo Patriarchis factam.* Qui Sceptrum de Judâ usque ad Messiæ ortum propterea non defecisse asserunt, quòd Judæi usque ad *Herodem* Principes ex suâ Gente habuerint, Jacobæum Oraculum ad totam Gentem, non ad unam Tribum Juda referunt: Sed Patres suprà laudati Sceptrum de Judâ usque ad Messiæ ortum propterea non defecisse asserunt, quòd Judæi usque ad Herodem Principes ex suâ gente, ex suo genere habuerint: Jacobæum igitur Oraculum ad totam Gentem Judaicam, non ad unam Tribum Juda referendum censent.

Objiciunt contrariæ sententiæ Vindices, *Jacobum* morti proximum convocatis filiis suis singulis viritim, speciatim, & distinctè prædixisse, quæ ipsis, eorumque posteritati olim eventura erant, Genesis 49. 28. *Omnes hi in Tribubus Israël duodecim: Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis Benedictionibus propriis.* Porrò si ad totam Gentem Judaicam, seu ad omnes Tribus in commune, non ad unam Judæ Tribum Oraculum *Judæ* editum referatur, nulla Benedictio propria erit Tribui Juda; nulla ipsius singularis prærogativa aut dignitas.

Præterea: Ad eumdem referenda est pars illa Jacobæi Vaticinii, ad quem præcedentia, & sequentia verba referuntur; cùm nulla ratio proferri possit cur prima & postrema pars Prophetiæ ad Tribum Juda propriè spectet, media verò ad duodecim Tribus, sive ad Gentem totam detorqueatur. Nemo verò dixerit vel cogitaverit, primam Prophetiæ partem ad Tribum Juda propriè non pertinere: *Juda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui. Catulus Leonis Juda: Ad prædam, fili mi, ascendisti.* Et sequentia, quæ fertilitatem indicant regionis, quam insedit Tribus Juda: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum;* &c. Igitur & media illa pars Prophetiæ: *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est; & Ipse erit Expectatio Gentium;* ad unam Tribum Juda propriè pertinet.

Respondetur: Hanc Prophetiam ad Tribum Juda propriè referri secundùm priorem & posteriorem Oraculi partem: At secundùm mediam illam, *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est*, ad eamdem separatim & propriè non pertinere, neque ad eam referri, sed quatenus cum aliis Tribubus conjuncta est, ac præstantiâ nihilominus singulari, ac dignitate, nominisque celebritate præcellens. Multiplex enim verò ratio fuit cur ad *Judam* hæc etiam verba *Jacob* dirigeret, illaque ipsi potiùs quàm aliis Tribubus accommodaret. Prima, quòd Tribus esset Regno destinata, penes quam scilicet

cet Judaicum Imperium per annos amplius quingentos futurum esset, idque sub *Davide* & *Salomone* florentissimum. Secunda, quòd universus Populus Israëliticus a Tribu Juda nomen accepturus esset post Captivitatem Babylonicam. Tertia, quòd eo ipso tempore quo summa rerum futura erat penes Assamonæos, aliosve Sacerdotes, regio ipsa, quâ continebatur Imperium, tota aut maximâ ex parte ad sortem Tribûs Juda pertinere deberet, & subditi futuri essent de Tribu Juda. Quarta, quòd Tribus Juda cæteris præstantiâ quâdam & excellentiâ singulari præire semper deberet, cujus excellentiæ testimonia colligit *Eusebius Libro* 8. *Demonstrationis Evangelicæ*, *Cap.* 1. Ut cùm *Numerorum* 11. 3. & 10. 14. in Castris ponendis cæteris antefertur: Cùm *Cap.* 12. 17. in ordine offerentium reliquis anteit: Cùm *Josuë* 15. 1. in divisione Terræ Chanaam primam sortem tulit: cùm mortuo *Josuë* in Bellis adversùs Chananæos gerendis ducatum Belli Deo jubente accepit. *Judicum* 1. 2. cùm toto Judicum tempore singularem quamdam honoris prærogativam semper servavit: Unde & 1. *Paralipomenon* 2. Tribules Judæ inter Israëlitas primo loco recensentur: Quam Tribûs Juda præstantiam prænoscens *Jacob*, *Judæ* nomen toti Genti accommodavit, & partem Judaici Populi nobilissimam pro toto Populo posuit; quemadmodum Jerusalem & Sion pro Judæis, Samaria pro Regno decem Tribuum seu Israëlis, Babylon pro Chaldæis, frequenter in Sacris Literis posita sunt. Quinta ratio cur hoc Vaticinium Jacob ad Judam direxerit, est quòd natalium prærogativam prioribus Oraculi verbis Judæ attribuisset: *Juda, te laudabunt fratres tui: Adorabunt te filii Patris tui* ... Hæc scilicet prærogativa *Rubeno* ablata ob scelus illud commissum. *Ruben Primogenitus meus* ... *Prior in donis, major in Imperio. Effusus es sicut aqua, non erescas; qui ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum ejus.* Bona & facultates Primogenito destinatæ in *Josephum* translatæ sunt: Quicquid verò honoris erat & dignitatis attributum est *Judæ*, ut constat ex 1. *Paralipomenon* Cap. 5. 2. *Porrò Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus Principes germinati sunt: Primogenita autem reputata sunt Joseph.* Sexta, omniumque potissima ratio, cur hanc de Messiâ venturo, ejusque adventûs tempore Prophetiam *Jacob* ad *Judam* direxerit, quamvis illa verba, *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est*, ad totam Gentem sive ad omnes Tribus in commune pertinere probè nosset, ea est; quòd cæteræ Tribus, interventu Tribûs Juda id honoris & beneficii habituræ essent, ut Christus ex suâ Gente nasceretur: Ex Tribu quippe Juda proditurum *Jacob* prænoverat; quam felicitatem auguratus, Judæ benedicit his verbis: *Juda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui.*

Hanc Responsionem cùm *Eusebio* debeamus, insignis ejus eâ de re locus ex Libro 8. *Demonstrationis Evangelicæ* hic exhibendus est. *Cùm, inquit, tam multa de vocatione Gentium Oracula Jacob antea percepisset, & liberos mares duodecim numero genuisset, omnibus illis extremo suo tempore convocatis, circumspiciebat de cujus illorum propagatione divina Oracula finem suum essent acceptura. Deinde cùm tribus primis crimina propria objecisset, docuit deinceps quemadmodum propter scelera, quæ ipsi ausi fuerant, non in ipsis complenda essent, quæ in prioribus Oraculis eventa continebantur. Cùm autem venisset ad quartum qui Judas fuit, tum verò Oraculum quod ipsi olim responsum fuerat*, Reges de lumbis tuis egredientur, *ex hujus posteritate finem suum accepturum planissimè cecinit. Constat enim quemadmodum de Tribu Juda Regium genus extiterit, & simul Dei responsa, gentiumque promissa quibus instarent temporibus ostendit. Atque ex eo proditurum esse docuit eum, qui esset omnibus Gentibus cunctisque Tribubus terræ, similis ipsi Abraham benedictionis Auctor futurus. Hæc igitur universa fuerunt, quæ ipsi Judæ reposita erant, ea videlicet quæ de ipsis Gentibus olim responsa fuerant: & illud*, Reges de lumbis tuis egredientur: *Quare etiam reliquis fratribus antepositus, Regiam ipsam, cæterisque illustriorem Tribum sortitus est. Continuò enim in totius Populi ordinatione, ipsius Mosis temporibus, reliquis Tribubus hanc præesse imperat Deus. Scriptum est enim:* Et locutus est Do„ minus ad Mosem & Aaron dicens: Singuli per „ turmas, signa, atque vexilla, & domus co„ gnationum suarum, castrametentur filii Israël „ in conspectu Domini, per gyrum Tabernacu„ li testimonii, & castrametantes primi ad Orien„ tem, acies castrorum filiorum Juda cum copiis „ suis. *Ac deinceps in iis quæ ad innovationem „ Tabernaculi referuntur:* Dixit Dominus ad Mo„ sem: Princeps unus per singulos dies offeret „ munera sua, & fuit offerens primo die munus „ suum, Naasson filius Aminadab, Princeps Tri„ bûs Juda. *Et in Libro Jesu Nave, Cùm Terræ promissionis sorte cæteris Tribubus distributa esset, sine sorte, omniumque prima Tribus Juda propriam Terræ partem accepit. Sed etiam post mortem Jesu rogaverunt filii Israël in Domino „ dicentes:* Quis ascendet ante nos contra „ Chananæum, & erit Dux belli in eum? Et di„ xit Dominus, Judas ascendet: Ecce dedi Ter„ ram in manus ejus. *Planè igitur omni Israël præesse Tribum Juda, Deus his verbis jubet. Quo circa „ deinceps scriptum est.* Et ascendit Judas, & tra„ didit Dominus Chananæum & Pherezæum in „ manum ejus. *Et rursus:* Et bellaverunt filii Ju„ da in Hierusalem, & comprehenderunt eam & „ descenderunt filii Juda in Chananæum.... *Itaque cùm in Libro Judicum, diversis temporibus [ tametsi diversarum Tribuum esse videbantur ] Judices Populo præessent; Tribus tamen Juda in universum totius Gentis dux erat: Idipsum verò temporibus David, Successorumque ejus multò magis, quippe cùm planè de Tribu Juda illi existerent, & Regnum usque ad Babylonicam ipsorum cladem produxerint: Post quam cladem iis, qui de eâ servitute in patriam terram reversi sunt, rursus præfuit Zorobabel, Salathiel filius de Tribu Juda. Inde etiam Scriptura, quæ Paralipomenon dicitur, duodecim Tribuum Israël seriem generis enarrans, ab eâ, quæ est ipsius Juda, fecit initium. Ergo ipso ordine sequitur ut etiam posterioribus temporibus fateamur, eamdem Tribum reliquis præfuisse, quamvis in parte aliquâ varii diversique Populo præficerentur, quorum singillatim genus enarrare solitâ diligentiâ nequaquam nos possumus, propterea, quòd nullus ampliùs fertur divinus Liber, qui ex illo usque ad tempora Salvatoris nostri narrationem continuaverit. Verumtamen & fama, & ratio dictabit durasse tamdiu Tribum Juda, quandiu tota Gens libertate & suis legibus utens, sub domesticis Principibus Ducibusque vitam egerit. Porrò hoc illis contigit ab initio usque ad tempora Augusti, in quibus cùm Salvator noster Jesus hominibus se videndum præbuerit, tum verò in servitutem Romanis universa Gens cessit; & pro patriis ac legitimis Ducibus primus Herodes externus illis præfuit, & Rex Augustus. Quandiu igitur non defecit Princeps de Judâ, neque Dux de femore ejus, Prophetiarum tempora appositis Principum gentis nominibus notabantur.... Sed ubi defecit Princeps de Judâ, & Dux de femore ejus, cùm Expectatio Gentium, de quâ Propheta locuti fuerant jamjam per Christum vitam esset illustratura, non ampliùs Reges Judæ censeri, neque Duces Israël cæ-*

pe.

*pere, sed his ipsis, quemadmodum Prophetiæ significaverant, suo certo & finito tempore deficientibus, primus quidem Augustus, secundus autem Tiberius, & aliarum & Judaicæ Gentis nuncupati sunt Reges; nec non alii secundùm hos ipsos Judææ Procuratores atque Tetrarcha, quibus adnumeretur Herodes, a Judæorum genere, ut jam antea dixi, alienus, qui etiam ipse a Romanis Judæorum Principatum accepit.*

Subinde ostendit *Eusebius*, hanc Prophetiam, *Non auferetur Sceptrum de Judâ*, ad singularem Judæ Tribum referendam non esse. *Multis enim seculis*, inquit, *Principes ac Duces in Judaicâ Gente extiterunt, qui de illius Viri genere profecti non sunt. Primus namque ipse Moses Dux Populi fuit, qui non de Judâ, sed de Levi natus est: Deinde Jesu de Tribu Ephraim, Post quem præfuit Debbora de Tribu item Ephraim, deinde Samson de Tribu Dan; posteà cùm sine Principe essent, præfuit ipsis Heli Sacerdos de Tribu Levi. Hi cuncti Judices qui judicabant Israël, non de genere ipsius Juda, sed ex diversis Tribubus ex aliâ alius oriundi; & qui post hos primus apud eos Regiam Dignitatem accepit Saul, de Tribu fuit Benjamin. Quomodo igitur illud*, „Non deficiet Princeps de „Judâ, neque Dux de femoribus ejus, *(ut quispiam fortasse putaverit) ad Principes de Tribu Juda ac Duces referetur, quando videntur ex quo tempore mortuus est Jacob, totis propemodum mille annis, non ex unâ Tribu ipsius Juda profecti, sed ex aliâ alius usque ad tempora David? Quòd si post tam multos & David, & qui ipsi David in Regno apud Judaicam Gentem successerunt, de Tribu Juda nati sunt, sciendum tamen tibi est, quòd hi ipsi ne totos quidem quingentos annos totius Gentis Regnum obtinere potuerunt, sed trium dumtaxat Tribuum, ac ne harum quidem solidarum, quippe cùm iisdem temporibus alii quidam in parte Gentis ampliore, & in totis novem Tribubus regnaverint. Nam post mortem Salomonis, cùm tota Gens a Judâ divisa fuerit, ipsius David Successores trium, ut dicebam, Tribuum, ac ne harum quidem solidarum, in Jerusalem Reges fuerunt usque ad Babyloniam cladem. Iisdem verò temporibus in Civitate quæ vocatur Samaria novem Tribuum Duces non de Tribu Judâ, sed ex aliis alii extiterunt: Quorum primus Jeroboam fuit, de Tribu Ephraim, ac deinceps qui hunc secuti sunt, ut ne mediis quidem temporibus a David usque ad tempus quo in Babylonem captivi ducti sunt, ulli de Tribu Juda universæ Genti præfuerint. Porrò autem quid dicendum est, quemadmodum post reditum de Babylone rursus quingentis annis amplius usque ad Christi ortum vixerint, eo statu Civitatis utentes, in quo soli Optimates rem administraverint. Pontificibus utique toti Genti imperantibus, quorum nullus planè de Tribu Juda oriebatur? Ut jam ex his omnibus perspici possit non ad primum illum Judam, neque ad illius Successores referendum esse Oraculum illud „, dicens*: Non deficiet Princeps de Judâ, neque „, Dux de femoribus ejus; *Sed ea quæ ad hunc locum pertinent, uno dumtaxat modo constare posse, si secundùm ea quæ priùs a nobis de totâ Tribu exposita sunt, hæc ipsa intelligenda esse dixerimus. Hæc enim Tribus ab initio, & ab ipsius usque Mosis temporibus, universæ Gentis Dux fuit: Itaque secundùm hujus Principatum, utpote quam Deus cæteris ab initio præfecerit, & ipsa regio etiam nunc ab eâ ipsâ Tribu Judææ vocabulum obtinet, & omnis illorum conventus Judæorum appellatur. Sic igitur intelligamus quod dictum est, tanquam si manifestiùs dixisset, Non desinet toti Genti præesse Tribus Juda. Ex quo Symmachus*: Non auferetur, *inquit* Potestas de Judâ; *Sic utique juris cujusdam amplioris, & Principatûs auctoritatem ejus quæ posteà futura esset Tribus Juda, nobis intelligendam proponens. Hujus enim neque Sceptrum, ut Aquila, inquit, [ Regii porrò Principatûs signum hoc erat ] neque potestatem, ut Symmachus, sublatum iri vaticinatur, Donec veniat, inquit, cui repositum est, atque ipsum fore Expectationem Gentium....*

*Primum igitur admirari operæ pretium fuerit, quid ita cùm 12. Tribus essent, a nullâ aliâ nisi unâ ipsius Juda, Gentis etiamnunc appellatio usurpetur. Quod ego quidem non ob aliud contigisse arbitror, quàm ob ipsius Prophetiæ oraculum, quod uni Tribui Juda Principatûs dignitatem attribuit. Quin etiam patria ipsorum terra eâdem de causâ Judææ appellationem sortita est..... sic sanè istud:* Non deficiet Princeps de Judâ, *ad ipsam Tribum a nobis relatum est, & hoc uno dumtaxat modo Oraculi veritas locum habet. Namque a Mosis usque temporibus deinceps non defecerunt particulares quidem ipsorum Principes, qui ex diversis Tribubus Genti præfuerint; in universum autem Tribus Juda quæ totius Gentis Principatum tenuerit. Exemplo id tibi apertiùs liquebit. Ut enim in Romano Imperio singularum Gentium Procuratores, & Præsides, Prætoresque, & Castrorum Præfecti, & qui omnes dignitate antecunt, Reges, non omnino omnes de ipsâ Romanâ Urbe capiuntur, neque de Remi sive Romuli genere, sed ex innumerabilibus alius aliunde, Nationibus: Omnes tamen & Reges, & qui post ipsos secundo loco Principes, Præsidesque habentur, Romanorum appellatione notantur, & Romanorum denominatur Imperium, & camdem denominationem in universum omnes Magistratus attingunt: Sic etiam in rebus Hebræorum constituere intelligereque oportet, tamquam una quidem in universum Tribus Juda totam Gentem de suo nomine illustrem reddiderit, particulares verò Duces ac Reges ex diversis extiterint Tribubus, qui tamen communi illâ Juda appellatione honorem acceperint.*

# DISSERTATIO XIII.

## DE HISTORIA, ET Libro Job.

TRes Quæstiones hac in Dissertatione occurrunt dirimendæ. Prima de *Jobi* Historiâ, An vera, an fabulosa sit? Altera de *Jobi* Patriâ: Tertia de *Jobi* Libro, & ejus Auctore: Utrùm scilicet Liber Canonicus sit, & quis eum scripserit?

---

### PROPOSITIO I.

*Vera est Jobi Historia, non fabulosa vel Parabolica, ut Thalmudistæ, Maimonides, R. Schem Tob, Anabaptistæ, & Lutherus impiè delirarunt.*

*Maimon. in More Nevoch. R. Schem Tob. in Job. Luther. in Convivali Serm. de Patriarch. & Proph.*

JObum aliquando inter homines vixisse nec scenicam esse personam, & revera ipsi contigisse, quæ in Libro ejus nomine inscripto narrantur, multis ac luculentis evincitur argumentis. Primò ex Scripturâ Sacrâ, quæ *Jobi* meminit ceu hominis justi & sancti, qui reverâ extiterit, ejusque pietatem & patientiam commendat ac fidelibus in exemplum proponit. Ezechielis 14. 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job: Ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas ait Dominus exercituum. Quòd si & bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam; & fuerit inviâ*

*viâ, eò quòd non sit pertransiens propter bestias: Tres viri isti si fuerint in eâ, vivo ego dicit Dominus Deus, quia nec filios nec filias liberabunt: Sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio: Transi per terram; & interfecero de eâ hominem & jumentum; & tres viri isti fuerint in medio ejus, Vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios neque filias: Sed ipsi soli liberabuntur. Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex eâ hominem & jumentum; & Noë & Daniel, & Job fuerint in medio ejus: Vivo ego dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt: Sed ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas.* Ex quibus patet, tam verè extitisse *Jobum*, quàm *Danielem*, & *Noë*.

Item Tobiæ 11. 12. 15. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi* (Tobiæ) *ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus sicut & Sancti Job... Nam sicut Beato Job insultabant Reges, ita isti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus dicentes: Ubi est spes tua, pro quâ eleemosynas & sepulturas faciebas?*

Item Jacobi 5. 2. *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator.*

Præterea, Liber *Job* veræ Historiæ characteres habet, cùm & nomen proprium viri adscribatur; & terra cujus incola fuit nominetur, & liberorum ejus numerus ac bona singillatim recenseantur; designentur etiam nominatim Populi, qui bona ipsius deprædati sunt; Amicorum qui ad ipsum adierunt, ut eum in extremâ calamitate consolarentur, numerus, nomina, patria designentur; verba quæ simul habuerunt, referantur: Quę omnia vera Historiæ argumenta esse nemo sapiens negaverit.

Probatur secundò ex *Aristæâ*, in eo quem de Judæis edidit Commentario. Fuit autem id *Aristea* Opus *Alexandro Polyhistore* vetustius, qui insignem ex eo depromptam pericopen lucubrationibus suis intexuerat, quam habemus apud *Eusebium Libro* 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 25. *Aristæas* (inquit Polyhistor) *in suâ de Judæis Historiâ, Auctor est Esaum ex Bassarâ conjuge Jobum in Idumæâ filium genuisse, sedemque sibi in Ausitide regione ad ipsum Idumęæ & Arabiæ confinium delegisse. Eundem æquitate præstantem, ac pecore imprimis abundantem fuisse: Quippè ovium septem millia, camelorum tria millia, paria boum quingenta, gregalesque asinas totidem numerasse. Copiam agrorum non absimilem. Ac Jobum quidem Jobamum antea nominatum esse. Porrò Deum explorandæ hominis probandæque virtutis gratiâ, diuturnis eum gravibusque calamitatibus exercuisse. Primùm enim asinarum boumque armenta a latronibus per vim abacta esse; tum oves simul atque Pastores igne cœlitus immisso conflagrasse; mox & camelos a latronibus similiter abductos, filiosque omnes ædium ruinâ oppressos fuisse: Postremò illum etiam eo ipso die fœdissimo totius corporis ulcere laborasse. Quibus in angustiis positus cùm esset, ad eum invisendi causâ Eliphazam Themanitarum Regem, Baldadem Sauchæorum Tyrannum, Sopharem Mannæorum Regem, & Elium Barachielis filium Zobitem convenisse. Qui cùm eum alloquio solarentur, Ipsum, tametsi consolatione omni careret, futurum tamen respondisse, ut è pietatis suæ laudem hac in tantâ malorum acerbitate perpetuam retineret. Deum verò hâc ejus integritatis & constantiæ vi majorem in modum probatâ, non Ipsum tantùm morbo liberasse, verùm etiam ingentibus deinceps opibus ac fortunis cumulasse.* Hæc *Alexander Polyhistor* ex *Aristæâ*.

Probatur tertiò ex antiquis Patribus, qui eximium illum & Sanctissimum Heroëm celebrant, & Christianis ceu patientiæ exemplar in adversis imitandum proponunt. Ita *Origenes Homiliâ* 4. *in Ezechielem*, ubi exponens illum Prophetæ locum, *Et si fuerint isti tres viri in medio ejus*: ait: *Quomodo potest in terrâ peccatrice, trium istorum pariter numerus commorari? Quomodo tam diversis temporibus viventium potest inter se vita conjungi? In præsenti legimus, in peccatrice terrâ eos pariter consistere, id est, Noë qui in Diluvio fuit, & Danielem qui in Captivitate Babylonis commoratus est, & Job qui temporibus Patriarcharum, & Moysi vixisse perhibetur? Hoc enim tempus invenimus vitæ Job.* Ibidem ubi præmisit, *Noë*, *Job*, & *Danielem* ab *Ezechiele* fuisse præ cæteris eo loci commemoratos, ex Hebræorum sententiâ, quia tria tempora viderunt, lætum, triste, & rursum lætum, subdit: *Videamus an & Job tria tempora habuerit. Fuit quidem locuples: Erant quippe ei oves septem millia, cameli tria millia, juga boum quingenta, & supellex multa valde, filii septem, filiæ tres. Deinde accepit potestatem diabolus adversùs eum. Vide tempora commutata. Dives in liberis pater repente orbus efficitur: Dives in censu dominus ad ultimam deducitur egestatem. Ecce duo tempora. Post hæc, apparet ei Dominus, & loquitur ei de nube, & ipse Job ea quæ sunt in Libro ejus scripta respondit. Igitur in primo tempore Dei laudibus prædicatur: In secundo tentationi traditur, & sævissimo ulcere percussus a pedibus usque ad caput tristia & dura perpetitur. Ad extremum facta sunt ei oves quatuordecim millia, cameli sex millia, juga boum mille, asinæ pascentes mille, & nascuntur ei filii septem, & filiæ. Atque ita & in Job tria tempora deprehendimus, quæ in justis hominibus reperimus.*

Ita Auctor trium Librorum in *Job Origeni* falsò adscriptorum, Libro 1. *Similiter autem & in conventu Ecclesiæ in diebus sanctis legitur Passio Job, in diebus Jejunii, in diebus abstinentiæ, in diebus in quibus tamquam compatiuntur ii qui jejunant & abstinent, admirabili Job; in diebus in quibus in jejunio & abstinentiâ Sanctam Domini nostri Jesu Christi Passionem sectamur. Cujus Passionis atque Resurrectionis Domini formam atque exemplum Job Passio in multis gerebat, sicut ii, qui diligentiùs requisierunt, repererunt.* Item: *Alius fide fulget, ut Abraham: Alius castitate lucet, ut Joseph: Alius mansuetudine, ut homo Dei Moyses: Alius constantiâ atque tolerantiâ vehementium dolorum, sicut admirabilis Job.* Et cùm *quintum ab Abraham* fuisse asserit.

Ita *Tertullianus* Libro *De Patientiâ*, Cap. 14. *O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem adversùs omnem Diaboli vim expunxit? Quem non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in ulcere cruciatus, a patientiâ & fide Domino debitâ exclusit; quem Diabolus totis viribus frustra cecidit. Neque enim a respectu Dei tot doloribus avocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum & testimonium, tam spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore, patientiæ perpetrandæ: Ut neque damnis secularium, nec amissionibus carissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo viro feretrum Deus diabolo extruxit? Quale vexillum de Inimico gloriæ suæ extulit, cùm ille homo ad omnem acervum nuntiorum nihil ex ore promeret, nisi, Deo gratias; cùm uxorem jam malis delassatam, & prava remedia suadentem execraretur? Quid? Ridebat Deus: Quid? Dissecabatur Malus, cùm Job immundam ulceris sui redundantiam magnâ æquanimitate destringeret, cùm erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pastus reformosæ carnis ludendo revocaret.*

Ita-

*Itaque Operarius ille victoria Dei, vetustis omnibus jaculis tentationum loricâ clypeoque patientiæ, & integritatem mox corporis a Deo recuperavit, & quæ amiserat, conduplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi. Tantum gaudii, securus de Domino distulit. Sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliquâ patientiâ viveret.*

Ita *S. Cyprianus* Libro De Bono Patientiæ: *Sic Job examinatus est & probatus, & ad summum fastigium laudis patientiæ virtute provectus. Quanta adversus eum Diaboli jacula emissa? Quanta admota tormenta? Jactura rei familiaris infligitur, numerosæ sobolis orbitas irrogatur; Dives in censu dominus, & in liberis pater ditior; nec dominus repente, nec pater est: Accedit vulnerum vastitas, & tabescentes ac fluentes artus edax quoque vermium pœna consumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Job in suis tentationibus experiretur, armat diabolus & uxorem; illo antiquo nequitiæ suæ usus ingenio, quasi omnes per Mulierem decipere posset & fallere, quod fecit in Mundi origine: Tamen Job gravibus ac densis conflictationibus frangitur; quo minùs inter illas angustias & pressuras suas Dei beneficio victrice Patientiâ prædicetur.*

Tom. I. Ita *S. Basilius* Homiliâ 4. De Gratiarum Actione: *Nonne Job adamantino corde erat? Non impacta ipsi erant ex lapide viscera? Momento temporis unâ & eâdem plagâ obtriti liberi decem conciderunt in delectabili & per quàm amœnâ domo. Quo potissimùm tempore se mutuò oblectabant, hoc in istos geniale illud domicilium decussit Diabolus. Mensam liberorum madentem sanguine contemplatus est. Liberos vidit haud uno quidem prognatos tempore, at unum communemque sortitos vitæ exitum. Non ejulavit, non sibi divulsit comam, vocem ingenerosam nullam emisit, magis verò celebrem illam & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit:* Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita & factum est. Sit nomen Domini benedictum. *Nullone hîc utebatur sensu doloris? Id quinam potuit fieri? Nam & hîc de seipso dicit:* Ego flevi super omni afflicto. *Id de se proferens estne mentitus? Atqui Scriptura veritas hoc illi adstruit testimonium ab ipso stans, quia præter cæteras virtutes verax fuit. Ait enim:* Homo irreprehensibilis, justus, pius, verax. *Tu e diverso uteris cantilenis nescio quibus ad ciendum in auditorum animis lamentabilem mœrorem.*

Ita *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 5. ad Populum Antiochenum. *Ex throni,* inquit, *Regii aspectu nullum erit spectantibus lucrum, sed temporalis dumtaxat delectatio, nullam habens utilitatem: Ex fimo Job autem viso omnem quis capiet utilitatem, & disciplinam multam, & exhortationem ad patientiæ rationem. Itaque multi nunc longam & transmarinam peregrinationem a terræ finibus in Arabiam abeunt, ut fimum illum cernant, & conspicati terram deosculentur, quæ illius Victoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit. Neque enim tantùm radiaret prætexta, quantùm illud corpus tunc resplendebat, non alieno, sed proprio lotum sanguine. Ulcera verò illa gemmis omnibus erant cariora. Margaritarum enim natura nihil vitæ nostræ prodest, nec ullum usum habentibus necessarium explet: Ulcera verò illa sunt omnis tristitiæ consolatio. Et ut discas quòd hoc verum est, si quis filium legitimum unigenitum amittat, ostende infinitas ipsi gemmas, & non consolaberis dolorem: Commonefaciens autem ipsum vulnerum Job, facilè mederi poteris, sic dicens: Quid luges, homo? Tu quidem filium unum amisisti: Beatus autem ille, cùm omnis filiorum cœtus ablatus fuisset, in ipsâ quoque carne plagam accepit, & nudus in fimo sedebat, undique sanie diffluens, dum paulatim ipsius caro consumeretur; justus, verax, in Deum pius, omni malâ re abstinens, Deum virtutis testem habens. Si enim hæc verba dixeris, omnem lugentis tristitiam extinxeris, & omnem dolorem sustuleris; & sic Justi vulnera margaritis utiliora fiunt. Imaginamini igitur & vos Athletam illum, & existimate vos cernere fimum illum, & ipsum in medio stercoris sedentem: Statuam auream gemmatam, qualem dicere non novi: Neque enim tam pretiosam valeo materiam invenire, ut illi cruentato corpori comparari possit. Sic omni materiâ pretiosissimâ carnis illius natura erat multò venerabilior, & ulcera solaribus radiis splendidiora. Hi enim corporis oculos illuminant: Illa verò mentis nostræ lumina illustrant: Illa Diabolum penitus excæcaverunt. Propterea namque post illam plagam resilivit, nec deinceps apparuit. Tu verò dilecte: & hinc disce tribulationis lucrum quantum est: Etenim quando dives erat, & otio fruebatur Justus, unde accusaret ipsum habuit, mendaciter quidem: Verùm enimverò habuit unde diceret,* Num te gratis colit Job? *Postquàm verò ipsum spoliavit, & fecit pauperem, nec hiscere quidem ampliùs ausus est. Et cùm dives quidem esset, cum ipso pugnare parabat, & supplantare minabatur: Postquàm verò pauperem fecit, & omnia abstulit, & in extremum dolorem induxit, tunc repulsus est: Et quando sanum quidem erat ipsius corpus, manus apponebat: Ut verò ipsius carnem vulneribus implevit, tunc aufugit victus. Profanorum certaminum Pugiles cùm adversariorum capita contriverint, tunc victores sunt & coronantur: Hic verò cùm Justi corpus contrivisset, tunc victus est, & retrocessit: & postquàm ipsius latera undique confodit, ipse quidem nihil profecit: Repositum enim thesaurum non abstulit: Nobis autem ipsum clariorem reddidit.*

Et Sermone 1. *De Justo & Beato Job*, Tom. 6. *Annuus*, inquit, *ad nos hodie certator orbis advenit, venit ad nos mirabilis Pugil atque Angelis par; Qui permultum a diabolo pulsatus, & permultum a Deo testimoniis comprobatus: Qui permultùm a diabolo tritus, & multa bravia ab Angelis spectatoribus consecutus; Qui ab inimico mirum in modum cæsus, & magnus vir magnis dignus coronis in orbe a Deo ostensus.... Angelica lingua nobis necessariò accedat, quò summis, ut ita dicam, digitis unguenti alabastrum tangentes, Ecclesiam simul repleamus. Audiamus Historiam de ipso dicentem: In omnibus his quæ evenerunt ei, nihil peccavit Job labiis in conspectu Domini.* Lege & hunc, & tres alios ejusdem argumenti Sermones elegantissimos.

Ita *S. Hieronymus* Epistolâ 103. *Job exemplar Patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur?*

Ita *S. Augustinus* Sermone 81. De verbis Evangelii secundùm Matthæum. *Sedebat*, inquit, *sub magnâ pressurâ Job in stercore, inops sine ope, sine substantiâ, sine filiis; plenus sed vermibus, quod quidem ad hominem pertinet exteriorem. Sed quia & intus Deo plenus erat, laudabat Deum, & pressura illa non illi erat scandalum. Ubi ergo scandalum. Quando accessit ei uxor, & ait,* Dic aliquid in Deum, & morere. *Omnibus quippe ablatis a Diabolo, exercitato Eva servata est, non ad consolationem, sed ad tentationem viri. Ecce ubi scandalum. Exaggeravit miserias ejus, miserias etiam suas cum illius, & cœpit persuadere blasphemiam. Illi autem, qui erat mitis, quia Deus ex lege suâ docuerat eum, & mitigaverat a diebus malignis, pax multa erat in corde ejus diligentis Legem Dei, & non erat illi scandalum. Illa scandalum erat, sed illi non erat. Denique vide mi-*

*mitem in Lege Dei, Lege dico æternâ. Nam Lex illa in tabulis data Judæis nondum erat temporibus Job, sed manebat adhuc Lex æterna in cordibus piorum, unde illa descripta est, quæ populo data est. Quia ergo mitigatus erat Lege Dei a diebus malignis, & pax ei multa erat diligenti Legem Dei, vide quàm sit mitis, quid respondet. Hic disce quid proposui: Qui sint mites.* ,, *Locuta es, inquit, tanquam una ex insipientibus* ,, *mulieribus. Si bona percepimus de manu Domi-* ,, *ni, mala non sustinemus?*

Et Sermone 91. *Gratis ergo amandus est Deus. Nam diabolus hoc Sancto Job, nesciens quid in illo intus ageretur, magnum crimen objecit, dicens* Numquid gratis colit Job Deum? ....... *Sed talis erat vir Job, de quo nihil posset confingere: Nota enim erat, & nimis clara vita ejus. Sed quia multas habebat divitias, hoc objecit, quod etsi esset, in corde esse posset, in moribus apparere non posset. Colebat Deum, faciebat eleemosinas; & quo corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse Diabolus, sed Deus noverat. Perhibet Deus testimonium Servo suo: Diabolus calumniatur Servo Dei. Permittitur ille tentari, probatur Job, confunditur Diabolus. Invenitur Job gratis colere Deum, gratis diligere: Non quia aliquid dedit, sed quia sei-* ,, *psum non abstulit. Ait enim,* Dominus dedit, ,, Dominus abstulit; Sicut Domino placuit, ita ,, factum est: Sit nomen Domini benedictum. *Ignis tentationis accessit; sed aurum, non stipulam invenit: Abstulit sordes, non convertit in cinerem.*

*Tom. 5. inter Sermones de Diversis, p.1328.*

Et Sermone 343. postremæ Editionis Monachorum Congregationis Sancti Mauri, de spiritalibus divitiis loquens, hæc habet; *His divitiis plenus erat Sanctus Job: Omnia uno ictu perierant, nihil in domo ejus remanserat quibus paulò antè opulentus videbatur; subitò mendicus, in stercore a capite usque ad pedes vermibus scatens. Quid istâ miseriâ miserius? Quid interiore felicitate felicius? Perdiderat omnia illa quæ dederat Deus: Sed* ,, *habebat ipsum, qui dederat omnia, Deum.* Nu- ,, dus, *inquit*, exivi de utero matris meæ, nu- ,, dus revertar in terram: Dominus dedit, Do- ,, minus abstulit, Sicut Domino placuit, ita fa- ,, ctum est: Sit nomen Domini benedictum. *Certè pauper est? Certè nihil habet? Si nihil remanet, de quo thesauro gemmæ istæ laudis Dei proferebantur? Postea usque ad carnem Tentator accessit: Omnibus sublatis tentatricem Mulierem reliquit. Evam dimisit, sed Adam ille non fuit. Et ibi qualis inventus est? Quomodo respondit uxori blasphe-* ,, *miam suggerenti?* Locuta es, *inquit*, tanquam ,, una ex insipientibus mulieribus. Si bona susce- ,, pimus de manu Domini, mala cur non tole- ,, ramus? *O virum putrem & integrum! o fœdum & pulchrum! o vulneratum & sanum! o in stercore sedentem, & in cælo regnantem! Si amamus, imitemur.*

Ita *S. Ambrosius Libro de Paradiso*, Cap. 2. *Diaboli malitia*, inquit, *Job Sancti Viri fecit esse virtutem & patientiam clariorem. Hujus malitia justitiam ejus exercuit; ut certaret & vinceret, & victoriam corona sequeretur.*

Et Enarratione in Psalmum 37. *Cognoscamus igitur, quoniam & tibi Diabolus vulnerat, sagittæ Domini vulnerare dicantur. Nempe sic legimus, quòd cum in concilio Angelorum Sanctum Job servulum suum Dominus conversus ad Diabolum prædicaret; ut ureretur invidus, & humani generis adversarius (laus enim inferioris substantiæ viri, condemnatio ejus est qui de statu superiore dejectus est) responderit Diabolus, Quia non gratis Job Dominum veneraretur, qui nutu Dei omnibus abundaret.* Sed ,, mitte, *inquit*, manum tuam, & tange omnia ,, quæ habet: Videamus si non in faciem te bene- ,, dicat. *Et Deus potestatem dedit diabolo, ut mitteret manum suam in omnia quæ haberet Job. Quibus gestis, cùm Sanctus Job immobilis in suâ fortitudine permaneret, quia non est motus Job aut interitu filiorum, aut dispendio facultatum: Iterum Dominus ad Diabolum dixit, illudens ei, quòd dissipasset omnia quæ habuerat Job, filios ejus interemisset; ipsum tamen nequaquam movere de virtutis statione* ,, *potuisset. Et ille respondit:* Quæcunque habet ho- ,, mo, pro animâ suâ dabit. Sed mitte, *inquit*, ,, manum tuam, & tange carnem & ossa ejus. *Et accepit iterum potestatem ut mitteret manum suam in corpus ejus; tamen ut animam ipsius custodiret. Et perfudit ulceribus Sanctum Job, ubi est egressus a Domino. Advertimus ergo quòd manus Domini dicatur, ubi est hominis, Diabolo infestante, tentatio. Si quidem & Job manum Domini dixit esse quæ se tetigerit, sagittas Domini esse memoravit sagittas piratarum.*

Ita *S. Gregorius Magnus* Præfatione in Librum *Job* Cap. 2. *Ad confutandam impudentiam nostram, gentilis homo ad exemplum deducitur; ut quia obedire homo legi sub lege positus despicit, ejus saltem comparatione evigilet, qui sine lege legaliter vixit. Quâ verò auctoritate Liber iste sit præditus, ita Sacrarum Paginarum soliditas attestatur, dum per Prophetam Ezechielem dicitur: Quòd tres solummodo viri liberentur Noë scilicet, Daniel, & Job. Nec immeritò inter Hebræorum Vitas in auctoritatis reverentiam Vita Justi gentilis adducitur: Quia Redemptor noster sicut ad redemptionem Judæorum & Gentilium venit, ita utrorumque vocibus prophetari voluit.* Et Cap. 6. *Ad ostendendam innocentiam, venit Abel: Ad docendam actionis munditiam, venit Henoch: Ad insinuandam longanimitatem spei & operis, venit Noë: Ad manifestandam obedientiam, venit Abraham: Ad demonstrandam conjugalis vitæ castimoniam, venit Isaac: Ad insinuandam laboris tolerantiam, venit Jacob: Ad repetendam pro malo bona retributionis gratiam, venit Joseph: Ad ostendendam mansuetudinem venit Moyses. Ad informandam contra adversa fiduciam, venit Josuë. Ad ostendendam inter flagella patientiam, venit Job. Ecce quàm fulgentes Stellas in Cælo cernimus: Ut inoffenso pede operis, iter nostræ noctis ambulemus.*

Ita Ecclesia Græca pariter & Latina *B. Jobi* memoriam in sacris Fastis celebrans, hæc ad diem 10. Maji, illa ad diem 6. In Menologio *Basilii Porphyrogeniti* Imperatoris, ad dictam diem hæc leguntur: *Memoria Jobi Viri Justi, & multorum certaminum victoris. Prophetavit autem annos quinque & triginta, ac Christi incarnationem præcessit annis mille nongentis viginti & quinque. Hunc coram Deo Justum, ac diu multùmque probatum, expetivit a Deo diabolus, ut quàm diversimodè affligeret. Cùm autem Deus vellet eum magis illustrem ac gloriosum reddere, tradidit eum Diabolo: Qui non modò eum fortunæ bonis ac liberis spoliavit: Sed & ipsum morbis aggrediens, vulneribus ac plagis undique circumseptum, in sterquilinium dejecit. Verùm Sanctus Vir cùm omnes has ærumnas constanter pertulisset, & in omnibus Deo gratias egisset, Diabolum summo affecit dedecore. Denuo etiam duplò majores divitias super terram assecutus, & uxorem resumens, ac liberos suscipiens, cùm Deo de more se se summè gratum exhibuisset, in pace decessit.* His penè gemina sunt, quæ in MS. Synaxario Constantinopolitano, & in Menæis, ac Novo Anthologio habentur. In Menæis, totum officium Ecclesiasticum est de *S. Jobo*, & ejus virtutes, præsertim patientia, dignis laudibus celebrantur in Canone, cujus Acrostichis est.

*τὸν μυριαθλον ἄξιον μέλπειν Ἰώβ.*

*Job canere dignum est mille pugnarum Virum.*

Eodem die celebratur memoria *Jobi Justi* apud

Sy-

Syros in Typico *S. Sabæ*, & apud Arabes & Ægyptios in Martyrologio, quod ex Arabico *Gratia Simonius* Latinè edidit.

In antiquissimo Hieronymiani Martyrologii Apographo Epternacensi ad diem 10. Maji legitur: *Alibi Depositio Job Prophetæ*. At *Natalis Job Prophetæ* exprimitur in Ms. Serenissimæ Reginæ Sueciæ ab *Holstenio* laudato. *Depositio* apud *Notkerum*. Nudum nomen *Job Prophetæ* adscriptum est Martyrologiis *Usuardi* & *Adonis*. Uvandelbertus hoc eum versu celebrat ad eumdem diem:

*Has quoque Job patiendi exemplo Sanctus honorat.*

Sic denique Martyrologium Romanum: *In Terrâ Hus Sancti Job Prophetæ, admirandæ patientiæ Viri.*

Objiciunt Hæretici: Historiam *Jobi* fabulosam probari ex ipsius, Amicorumque nominibus, quę scenica sunt, & argumento quod tractatur, (ut in Tragœdiis fieri solet) scilicet suadendæ patientiæ, congruis significationibus accommodata. *Job* enim secundùm vim nominis idem est ac *Dolens*: *Hus* Consilium significat, ut palam fiat consilio ac prudentiâ gravissimas calamitates & ęrumnas superari. Suas etiam arcanas significationes habent Amicorum ipsius nomina. *Baldad* enim idem est ac *Vetusta secreta*: *Sophar* idem quod *Speculator*: *Eliphas* idem quod *Aurum Dei*. Quibus designatur, Virum *Hussitidem*, hoc est, consilio & prudentiâ præstantem, nec opum vi, nec potentiâ, nec sapientiâ hominum e statu virtutis suæ dejici posse.

Secundò, modus ac stylus quo hæc descripta est Historia, fabulosam esse arguit: Partim enim prosâ, partim carminibus hexametris & pentametris exarata est: Quod Tragœdiam sapit.

Tertiò, Concilium Angelorum Deo præside, colloquium Satanæ, Quæstiones a Deo factæ, responsiones Dæmonis, parabolicè intelligi debent: Idem esto igitur de reliquo argumento judicium.

Quartò, incredibile est, quòd vir inter omnes Orientales spectatissimus repentè ad tantam redactus sit egestatem, ut in sterquilinio sederit, rebus omnibus ita destitutus, ut saniem ex ulceribus suis fluentem testâ abstergere cogeretur.

Quintò, *Josephi* de *Jobo* silentium suadere videtur *Jobum* fictitiam esse personam, & quæ de ipso narrantur, meram fabulam esse, aut certè parabolam.

Respondetur ad primum, Futile esse id argumentum, cùm nominibus mysticam sæpè significationem, & rebus ipsis atque eventis congruentem inesse, providente Deo, aut parentibus, qui ipsa imponunt, quodam modo præsagientibus, probent *Abeli*, *Noë*, *Abrahami*, *Jacobi*, aliaque hujusmodi nomina, quorum arcanas significationes Scriptura sacra passim notat. Atque hinc summi exquisitæ Hebræorum sapientiæ firmum argumentum ostendit *Eusebius Libro* 11. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 6. *Mosem illum*, inquit, *qui longè antequàm vel ipsum Philosophiæ nomen auditum esset in Græciâ, de nominum impositione tam sæpè tamque diligenter suâ passim historiâ disputavit, quique partem eorum qui apud se se erant omnium, ut singulorum maximè natura postulabat, cognomenta statuit; partim eorum, ubi de viris sanctioribus ageretur, mutationem, divino totam arbitrio judicioque reservavit: Cùm abs naturâ potiùs, quàm ex impositione quâdam sua rebus singulis constare nomina intelligeret: Principem hoc in genere duecemque secutus Plato, eamdem prorsus insistit viam, nec aliorum quàm Barbarorum mentionem facit, apud quos eam nominis imponendi rationem servari testatur; Hebræos opinor significans; cùm apud alios sanè Barbaros hoc studii solertiaque genus haud facilè reperias. Enim verò docet in Cratylo, Nequaquam id nomen habendum esse, quod ex condicto mutuoque consensu, nonnulli unam aliquam linguæ suæ particulam effundentes indiderint: Sed potiùs quamdam nominum proprietatem rebus ipsis innatam esse, ejusdem omnino tam apud Græcos quàm apud Barbaros rationis*. Sanctus etiam *Chrysostomus* Homiliâ 31. in Epist. ad Romanos, arcanas nominum significationes in Scripturâ Sacrâ diligenter considerandas esse monet. *Est*, inquit, *& in nudis hisce nominibus magnum invenire thesaurum: Nam si didiceris quâ ratione Abraham ita vocatus sit, quâ ratione Sara, quâ ratione Israël, quâ Samuël, multarum rerum historias & hinc invenies. Poteris autem & a temporibus & a locis hoc ipsum congerere. Nam Adæ nomen non modicâ Philosophiâ nos imbuet: Idem faciet & filii ipsius, & uxoris, & aliorum plurium. Multarum siquidem rerum monumenta sunt nomina*. Sanè in nominibus vim quamdam arcanam & fatidicam esse, profanis Auctoribus visum est: Quâ de re eleganter *Ausonius*:

*Nam divinare est nomen componere, quod sit*
*Fortunæ, & morum, vel necis indicium.*
*Protesilaë tibi nomen sic fata dederunt,*
*Victima quòd Trojæ prima futurus eras.*
*Idmona quod Vatem, Medicum quòd Lapyga dicunt,*
*Discendas artes nomina præveniunt.*

Procul a Christianis auribus fati nomen: Sed divino consilio viris maximis, & a Deo speciatim electis nomina imposita nemo nescit. Quid ergo mirum, si *Job* tot calamitatibus & ærumnis affligendus, a Deoque electus ut heroicæ patientiæ exemplar fidelibus præberet; utque insignis Christi, *Viri dolorum*, typus esset, ipsâ vi nominis sui *dolorem* expressit? Quid mirum si ejus Amicis nomina imposita sunt, quorum ex significationibus allegoriæ quædam ejus Historiæ congruentes elici possent? Id certè *Jobum* scenicam esse ac fictitiam personam, & quæ de illâ narrantur, fabulæ aut parabolæ loco habenda minimè probat. Ut enim ait *S. Gregorius* Præfationis in Job Cap. 7. *Quia Beatus Job venturi Redemptoris speciem tenebat, etiam nomine demonstrat. Job quippe interpretatur, Dolens. Quo nimirum dolore vel Mediatoris Passio, vel Sanctæ Ecclesiæ labor exprimitur, quæ multiplici præsentis vitæ fatigatione cruciatur*. Et Lib. 1. Cap. 5. explicans illa verba: *Vir erat in Terrâ Hus nomine Job*, ita scribit: *Hæc per historiam facta credimus, sed per allegoriam jam qualiter sint impleta videamus. Job namque interpretatur dolens, Hus verò consiliator: Quem ergo alium B. Job suo nomine exprimit, nisi eum de quo Propheta loquitur, dicens: Dolores nostros ipse portavit? Qui Hus Terram inhabitat, quia in corde Populi consiliatoris regnat*. Arcana ergo nominum significatio Historiæ veritati non officit: Immò nominum commemoratio confirmat egregiè historiæ veritatem, narrationemque aliquam e parabolarum numero eximendam ostendit. Unde *S. Joannes Chrysostomus* Divitis Epulonis & Lazari Mendici veram esse historiam, non parabolam, ex adscriptis nominibus propriis approbat, Homiliâ De Divite & Lazaro. *Neque*, inquit, *in parabolâ dicenda nomina sunt. Parabolæ illæ sunt ubi ponuntur exempla, & tacentur nomina*. Et longè ante ipsum *Tertullianus* Libro de Resurrectione Carnis: *Quid illic Lazari nomen*, inquit, *Si non in veritate res est?* Adscripta igitur *Jobi*, & Amicorum ejus, & Terræ *Hus*, aliarumque Urbium nomina, etsi mysticis gravida significationibus, probant *Jobum* aliquando extitisse, & quæ de eo in Scripturâ Sacrâ narrantur, veram esse Historiam.

Respondetur ad secundum, Veras Historias non solùm solutâ oratione, sed & carmine conscribi ac enarrari posse, quod multis exemplis facilè proba-

baretur; & in Scripturâ Sacrâ multa hujusmodi occurrunt, ut Canticum Moysis, *Deuteronomii* 32. Canticum Debboræ & Barac, *Judicum* 5. Canticum David 2. *Regum* 22. & alia passim Cantica; totus Psalmorum Liber, in quo multa sunt historica, plurima prophetica; Jeremiæ Lamentationes, &c. Quamvis ergo Liber *Job* sit ex parte versibus conscriptus, perperam & inscitè omnino colligitur fabulosam Historiam in eo enarrari, & *Jobum* ipsum scenicam personam esse, nec usquam inter mortales vixisse: Maximè cùm ea quæ propriè historica sunt, & ad vitam, mores, calamitatem, ac prosperitatem *Jobi* pertinent, duobus primis Libri capitibus, & postremo, solutâ oratione narrentur: Verba verò *Job*, Amicorum interlocutiones, ejusdem responsiones, metricis numeris illigentur, eorumque delectu verborum exprimantur, non quæ prolata sunt, sed quæ proferri pro tempore potuerunt. Non enim verisimile est *Jobum* in summis animi & corporis doloribus carmina ad uxorem & amicos fudisse, aut ipsos vicissim virum tot malis oppressum versibus esse allocutos. Hæc Responsio sumpta est ex *S. Hieronymo* Præfatione in Job: *A principio itaque Voluminis*, inquit, *usque ad verba Job*, *apud Hebræos prosa oratio est*. *Porrò a verbis Job*, *in quibus ait*: „Pereat dies in quâ natus sum, & nox „in quâ dictum est, Conceptus est homo: *usque ad eum locum*, *ubi ante finem Voluminis scriptum est*: Idcirco me reprehendo, & ago pœ„nitentiam in favillâ & cinere: *Hexametri Versus sunt*, *dactylo spondeoque currentes*: *& propter linguæ idioma crebrò recipientes & alios pedes*, *non earumdem syllabarum*, *sed eorumdem temporum*. *Interdum quoque rythmus ipse dulcis & tinnulus fertur numeris pedum solutis*, *quod Metrici magis quàm simplex lector intelligunt*. *A supra dicto autem versu usque ad finem Libri*, *parvum comma quod remanet*, *prosâ oratione contexitur*. *Quod si cui videtur incredulum*, *metra scilicet esse apud Hebræos*, *& in morem nostri Flacci*, *Græcique Pindari*, *& Alcæi*, *& Sapphus*, *vel Psalterium*, *vel Lamentationes Jeremiæ*, *vel omnia fermè Scripturarum Cantica comprehendi*; *legat Philonem*, *Josephum*, *Origenem*, *Cæsareensem Eusebium*, *& eorum testimonio me verum dicere comprobabit*.

Respondetur ad tertium, Non elevari veritatem Historiæ, quòd aliqua figuratè dicta in eâ intelligantur. Quis enim dixerit *S. Augustinum* non credidisse creationem rerum, prout a Moyse narratur initio Geneseos, Historiam esse verissimam, quia sex dies figuratè intelligendos censuit? Præterea pro concesso sumi non debet, quòd concilium illud Angelorum, in coque acta, per metaphoram intelligenda sint, cùm celebres Interpretes rem verè ita gestam, & propriè accipiendam contendant, eo tamen, qui Spiritibus convenit, modo. Quamquam hæc imaginariâ visione Scriptori sacro repræsentata, non re ipsâ ita gesta, sit verisimilius: Quod tamen Historiæ veritati non officit, utì nec veritati Historiæ *Achab* non absimile *Michea* Prophetæ visum, 2. Regum 22. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium suum*, *& omnem Exercitum cæli assistentem ei a dextris & a sinistris*: *& ait Dominus*: *Quis decipiet Achab Regem Israël*, *ut ascendat*, *& cadat in Ramoth Galaad*? *Et dixit unus verba hujuscemodi*, *& alius aliter*. *Egressus est autem Spiritus*, *& stetit coram Domino*, *& ait*: *Ego decipiam illum*. *Cui locutus est Dominus*: *In quo*? *Et ille ait*: *Egrediar*, *& ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. *Et dixit Dominus*: *Decipies*, *& prævalebis*: *Egredere*, *& fac ita*.

Respondetur ad quartum, non esse supra fidem historiæ, quòd vir potentissimus & ditissimus ad extremam egestatem redactus sit, in sterquilinium dejectus, & a suis derelictus, si semel admittamus, quòd Dei auctoritas credere jubet, concessam diabolo in omnia ejus bona, & corpus potestatem, eâ solùm lege ne ipsum perimeret. Mirum non esse quòd hominum animi, etiam familiarium, & subditorum, ab eo penitus alienati sint, ad eum statum redacto, ut cadaver spirans videretur, totusque ex ulceribus & fœtore conflatus. *Davidem* Regem relictum & proditum a suis, & totius penè Regni conspiratione expetitum ad mortem, tempore conjurationis Absalomiticæ fidem conciliare statui *Jobi* in extremâ calamitate derelicti. Illam *Jobi* egestatem, calamitatem, dolores, derelictionem, eò minùs incredibiles videri, quòd in his typus Christi fuerit in Passione suâ a cognatis, a Discipulis, ab ipso Patre derelicti.

Respondetur ad quintum, ex *Josephi* silentio nihil confici, cùm multa ad Sacram Historiam pertinentia prætermiserit, multa interpolaverit. Adde quòd Judaicæ Gentis Historiam narrandam susceperat; quod ut exequeretur, necesse non fuit ut *Jobi* meminisset, nentiquam ex Hebræo, sed ex Gentili Populo oriundi. Denique *Jobi* meminit, ejusque Historiam notam habuit *Josepho* antiquior *Aristeus* ab *Alexandro Polyhistore* laudatus, apud *Eusebium* loco superiùs descripto.

---

### *PROPOSITIO II.*

*Jobum Idumæum fuisse, ex genere Esau ortum, longè probabilius est, quàm Chananæum extitisse.*

PRobatur primò ex Scripturâ Sacrâ, *Genesis* 36. & 1. *Paralipomenon* Cap. 1. ubi *Jobab* regnasse in Terrâ Edom, & fuisse Pronepotem *Esaü* traditur. *Jobab* autem eumdem esse cum *Jobo*, 70. Interpretes docent. Verba *Mosis* Cap. 36. Genesis Vers. 31. 32. 33. ita habent: *Reges autem qui regnaverunt in Terrâ Edom antequam haberent Regem filii Israël*, *fuerunt hi*: *Bela filius Beor*, *nomenque Urbis ejus Denaba*. *Mortuus est autem Bela*, *& regnavit pro eo JOBAB filius Zaræ de Bosrâ*. Quæ totidem verbis repetuntur 1. *Paralipomenon* 1. Vers. 43. & 44. Septuaginta verò Interpretes in clausulâ adtextâ Libro *Jobi*, quam suprâ descripsi in Synopsi Articulo 4. tradunt, *Jobab qui vocatur Job*, habitasse *in finibus Idumææ & Arabiæ*, & accepisse *uxorem Arabissam*. Quæ tametsi in Hebræo non legantur, satis habent ponderis ad Historiæ veritatem approbandam, in his quæ summam fidei non spectant, nec Hebraico Textui, aut Vulgatæ Editioni Latinæ repugnant: Maximè cùm antiqui Interpretes, & spectatissimi Patres clausulam illam ut genuinam admittant.

Nec ullius est momenti *Oleastri* objectio ex diversitate nominum *Job & Jobab* petitâ; quæ scilicet non solùm in contractione differunt, sed etiam in ipsâ radicali litera: Siquidem *Job* per *Aleph*, at verò *Jobab* per simplex *Jod* scribitur. Huic enim objectioni satisfaciunt eruditi Scripturæ Sacræ Commentatores, observando non semper idem nomen iisdem scribi characteribus, & nominum contractiones, variasque inflexiones tùm in Hebræâ, cùm in aliis linguis frequentes esse. Præterea, non esse mirum quòd litera *Aleph* aliquando deficiat ubi adesse deberet, cùm una sit ex literis quas Hebræi deficientes vocant: Atque in illo nomine, etiam cùm scribitur, sono tamen aut pronuntiatione non exprimatur, sed quiescat.

Præterea, *Jobum* in Terrâ *Hus* habitasse, ex Libri ejus initio constat: *Vir erat in Terrâ Hus*, *no-*

*nomine Job*. At Terram Hus in Idumæâ fuisse, testatur *Jeremias* Lamentationum 4. 21. *Gaude*, inquit, *& latare filia Edom, qua habitas in Terrâ Hus: Ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis*.

Accedit, quòd *Jobab* sive *Job* Hussitidis incola, ex Bosrâ oriundus erat, ut *Genesis* 36. legimus: *Regnavit Jobab filius Zara de Bosrâ*. Esse porrò triplicem Urbem ejus nominis, Viri Eruditi observant: Primam in regione Trachonitide, in sorte dimidiæ Tribûs Manasse, datam Sacerdotibus, unamque ex civitatibus confugii: (*Josuë* 21. 27.) Hæc in Hebræo dicitur *Beslbera*: Unde Latinum nomen mendosè legi in Editione Vulgatâ *Masius* existimat. Alteram in regione Moabitide cis Montes Abarim, ad Mare Mortuum, in sorte *Ruben*, non longè a Jordane: Urbem pariter confugii, Sacerdotibus datam, quæ in Vulgatâ Editione *Bosor*, in Hebræo *Beser* & *Bosra* etiam nominatur, variantibus lectionibus. (*Deuteronomii* 4. 43. *Josuë* 20. 8. & 21. 27.) Tertiam in Idumæâ, cum quâ semper in Scripturis conjungitur. Isaiæ 34. 5. & 6. *Inebriatus est in calo gladius meus. Ecce super Idumaam descendet .... Victima enim Domini in Bosrâ, & interfectio magna in Terrâ Edom*. Et 63. Vers. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ?* Item *Amos* 1. Vers. 2. 12. *Hac dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam eum: Eò quòd persecutus sit in gladio fratrem suum .... Mittam ignem in Theman, & devorabit ades Bosra.* Hanc *Jobab* seu *Jobi* patriam fuisse verisimillimum est, adeòque ipsum Idumæum extitisse, ex genere *Esau*.

Ad hæc, Amici Jobi *Eliphaz Themanites, Baldad Subites, & Sophar Naamathites*, vel Idumæi fuerunt, vel Idumçæ finitimi.

Probatur secundò ex antiquis Patribus & Auctoribus Ecclesiasticis *S. Irenao, S. Hippolyto, Eusebio Casareensi, & Emisseno, Apollinario* & *Eustathio*, quorum opinionem de *Melchisedeco* & *Jobo* recensens *S. Hieronymus* Epistolâ 126. ad *Evagrium*, scribit: *Ajunt ipsum quoque Job non fuisse de genere Levi, sed de stirpe Esaü, licèt aliud Hebrai autument*. S. Athanasius, seu alius apud ipsum Auctor Synopseos Scripturæ Sacræ, idem confirmat. *Vixit autem Job*, inquit, *ante tempora Mosis. Erat enim quintus ab Abraham, ex posteris Esaü*.

*S. Joannes Chrysostomus Sermone* 2. *De Justo & Beato Job* eidem Sententiæ subscribit. Explicans enim hæc verba: *Vir erat in Terrâ Ausitide*, ait: *Pradicat eum & a naturâ, & a Provinciâ, ut quemadmodum mireris hominem audiens, suprâque hominem viventem, & Provinciam ex quâ tantus fructus floruit verè mireris: Qualisque rosa in spinarum medio germinaverit, diligenter attende. Provincia namque Ausitis, Esaü Provincia erat. Nominat profani pravique Esaü sedem: Sicut inquit Apostolus: Ne quis fornicator, aut profanus ut Esaü. Quò discas, quibus ex malitia scholis quantus veritatis fructus eruperit. Sed hunc non modò Esau Provincia tulit, sed & radix ipsa prava: Pronepos enim accusati & reprehensi erat. Nam Scriptura quintum ab Abraham dicit esse Job. Quomodo autem quintus sit, audi: Abraham genuit Isaac, Isaac Esau: Esau Raguëlem: Raguël Zaram: Zara Job. Successionem ergo ab Abraham habuit per Esau. Ostendit igitur Scriptura radicem, quò fructum admireris*.

*S. Augustinus Libro* 18. *De Civitate Dei*, Cap. 47. idem asserit. *Nec ipsos*, inquit, *Judaos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum prater Israëlitas, ex quo propago Israël esse cœpit, reprobato ejus fratre majore. Populus enim reverâ, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit: Homines autem quosdam non terrenâ sed calesti societate ad veros Israëlitas superna cives Patria pertinentes etiam in aliis Gentibus fuisse, negare non possunt: Quia si negant, facillimè convincuntur de Sancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, id est, advena Populi Israël fuit; sed ex Gente Idumaâ genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: Qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coaquetur. Qua tempora ejus quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex Libro ejus, quem pro sui merito Israëlita in Auctoritatem Canonicam receperunt, tertiâ generatione posteriorem fuisse quàm Israël. Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias Gentes esse potuisse, qui secundùm Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad spiritalem Jerusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: Qui venturus in carne sic Antiquis Sanctis pranuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei Civitatem, Dei domum, Dei templum pradestinatos perducat ad Deum*.

Favet eidem sententiæ *Theodoretus* Quæstione
93. in Genesim, ubi hæc habet: *Unde Job originem traxit? Ab Esau. Hoc enim docet qua de eo* Job 1.
*scripta est Historia*. Vir enim erat, *inquit*, in re- Genes. 36.
gione Ausitide. *Hoc itidem demonstravit & Beatus Moses, qui describens successiones eorum qui re-*
„ *gnaverunt ab Esaü, sic ait*: Mortuus est Ba-
„ lac, & regnavit pro eo Jobab Filius Zaræ de
„ Bosora. *Qua omnia consentiunt cum Historiâ Job*.

Favet etiam *S. Gregorius Magnus, Prafatione in Librum Job*.

Favet Ecclesia Græca in Menologio *Basilii Porphyrogeniti* Imperatoris ad diem 6. Maji: *Beatus Job*, inquit, *erat ex Regione Æsitidis, qua sita est ad fines Judaa & Arabia, filius prognatus ex filiis Esau, ita ut sit quintus ab Abrahamo*.

Favet denique *Aristaas* apud *Eusebium Libro* 9. *Praparationis Evangelica*. Quem locum inter probationes prioris Propositionis legere est.

Objicies insignem *S. Hieronymi* locum Libro Quæstionum seu Traditionum Hebraicarum in Genesim. *Primogenitus Nachor fratris Abraham de Melchâ uxore ejus, filiâ Aran, natus est Hus, de cujus stirpe Job descendit, sicut scriptum est in exordio Voluminis ejus. Vir fuit in Terrâ Hus nomine Job. Malè igitur quidam existimant Job de genere esse Esaü: Siquidem illud quod in fine Libri ipsius habetur, eò quòd de Syro sermone translatus est, & quartus sit ab Esaü, & reliqua qua ibi continentur, in Hebrais Voluminibus non habentur*.

Respondetur *S. Hieronymi*, seu Hebræorum approbatam ab ipso sententiam, prævalere non debere Patrum reliquorum opinioni in Scripturâ sacrâ fundatæ, cùm nullo nitatur argumento. Quòd enim filius *Nachor* primogenitus *Hus* appellatus sit, non probat, ab ipsius nomine Terram quam *Job* incoluit fuisse nuncupatam, adeòque ipsum ex stirpe *Nachor* fuisse oriundum. Tres enim homines in Sacrâ Scripturâ legimus eodem nomine *Hus* appellatos, qui diversis temporibus vixerunt. Primus fuit filius *Aram* & *Semi* nepos: (*Genesis* 10. *Vers.* 23.) Alter primogenitus Nachor: [ *Genesis* 22. *Vers.* 21. ] Tertius inter Horræos, sive Corrhæos. (*Genesis* 36. *Vers.* 28.) Est autem verisimilius Terram Hus, cujus *Job* incola fuit, a Nepote *Semi* nomen sumpsisse, quàm a filio *Nachor*. Id enim asserunt 70. Interpretes, quorum sententiam suo suffragio Sanctus ipse *Hieronymus* comprobat in Traditionibus Hebraicis ad Cap. 10. Genesis. *HUS*, inquit, *Trachonitidis & Damasci conditor, inter Palastinam & Coelen-Syriam tenuit Principatum: A quo 70. Inter-*

pretes in Libro Job, ubi in Hebræo scribitur, Terra Hus, regionem Ausitidem, quasi Husitidem transtulerunt. Id confirmatur ex Christiano Adrichomio in Theatro Terræ Sanctæ, in dimidiâ Tribu Manasse, ultra Jordanem, habitationem Jobi his verbis describente, Cap. 95. Terra Hus regio, quæ Hebraicè voce Hus sive Huz. Us & Uz dicitur a 70. Interpretibus, Græcè Αυσιτις quasi Ουσιτιν, Husitis nominatur. Sita est autem ultra Jordanem, in Trachonitide regione, inter Palæstinam & Cœlesyriam mediâ. Juxta Josephum & Hieronymum, condita est & nomen accepit ab Hus filio Aram, filii Sem, filii Noë, qui & Trachonitidis, & Damasci conditor fuit; & in hac regione primus habitationem & Principatum tenuit. Ibidem postea, uti Sacra narrat Historia, etiam Beatus Propheta Job habitavit & Principatum habuit. Hujus autem sepulcralem Pyramidem apud Suëtam etiamnum ostendi, addit. Et Cap. 92. ait: Suëta, quæ & Suita, Suites, Subi & Suchi vocatur, inclita in Terrâ Hus Urbs est.... Ex hac originem simul & cognomen traxit Baldad Suites, seu Suithes unus ex tribus præcipuis Amicis qui Sanctum Job in tribulatione ejus inviserunt. Et Cap. 78. Pyramis sepulcri Beati Job, quæ etiam in planioribus locis Terræ Hus ad Orientem Suëtæ Civitatis monstratur a Græcis, aliisque Gentibus, quòd Propheta ibi sepultus sit, in honore habetur.

Præterea S. Hieronymus HELIU unum ex Amicis Jobi, cui nomen Buziti, ex stirpe Nachor pariter progenitum tradit, ex altero videlicet ejus filio, cui nomen Buz. (Genesis 22. 21.) At 70. Interpretes Cap. 32. Libri Job Vers. 2. Ausitidis regionis hominem appellant, adeòque Idumæum faciunt, & ex Esaü prognatum. Nec verò probabile videtur, quod S. Hieronymus addit, Istum Heliu amicum Job fuisse Balaam Ariolum, qui maledicere voluit Populo Hebræo, (Numerorum 23.) & gladio interemptus est ab Hebræis proximè ante mortem Mosis. [Numerorum 31. 8.] Enimverò cùm S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis ad Cap. 36. Genesis Eliphaz alterum ex tribus illis amicis Job, & socium Heliu, ex Esaü prognatum asserat, illa verba, Et peperit Ada Esaü Eliphaz, explicans: Iste est Eliphaz, inquit, cujus Scriptura in Job Volumine recordatur. Isti filii Esaü, & isti Principes eorum, ipse est Edom: Ipsum Heliu vixisse necesse est, priusquàm Jacob in Ægyptum descenderet. A descensu porrò Jacob in Ægyptum usque ad Exodum anni ducenti & quindecim fluxere; ad obitum autem Mosis quem Balaami cædes paululum antecessit anni ducenti quinquaginta quinque. Ex quo sequitur, si ille Heliu fuit Balaam Ariolus, ipsum ultra ducentos & quinquaginta quinque annos vitam produxisse, quod nemini homini eâ ætate contigit.

### PROPOSITIO III.

*Liber Jobi Sacer est & Canonicæ Auctoritatis.*

PRobant primò hanc Propositionem Sententiæ ex Libro Job delibatæ ab Hagiographis Scriptoribus, quas passim per totum Sacrorum Voluminum corpus sparsas Interpretes deprehenderunt. Scriptum est Job 3. 2. Pereat dies in quâ natus sum, & nox in quâ dictum est, Conceptus est homo. Scripsit Jeremias Cap. 22. Vers. 14. Maledicta dies in quâ natus sum: Dies in quâ peperit me mater, non sit benedicta. Scriptum est Job 15. Vers. 35. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos. Scripsit David Psalmo 7. Vers. 14. Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et Isaias Cap. 109. Vers. 4. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Scriptum est Job 19. Vers. 7. 8. Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: Vociferabor, & non est qui judicet. Semitam nostram circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit. Scripsit Jeremias Threnorum 3. 8. 9. Sed & cùm clamavero & rogavero, exclusit orationem meam: Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. Scriptum est Job 21. Vers. 7. 8. 9. Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Scripsit Jeremias Cap. 12. Vers. 1. 2. Quare via impiorum prosperatur: Bene est omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt; proficiunt & faciunt fructum: Prope es tu ori eorum, & longè a renibus eorum. Scriptum est de Sapientiâ Job 28. Vers. 12. & sequentibus: Sapientia verò ubi invenitur & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terrâ suaviter viventium. Abyssus dicit, Non est in me; & mare loquitur: Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro eâ, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonicho pretiosissimo, vel saphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro eâ vasa auri.... Non adæquabitur ei topazius de Æthiopiâ, nec tincturæ mundissimæ componetur. Scriptum est Sapientiæ 7. Vers. 8. 9. Præposui illam Regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Scriptum est Job 28. Vers. 28. Ecce timor Domini, ipsa est Sapientia. Scribit Salomon Proverbiorum 1. Vers. 7. Timor Domini Principium Sapientiæ. Scriptum est Job 34. Vers. 19. Qui non accipit personas Principum, nec cognovit Tyrannum, cùm disceptaret contra pauperem: Opus enim manuum ejus sunt universi. Legitur Sapientiæ 6. Vers. 8. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit. Job 34. Vers. 9. de Mari scriptum est: Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: Usque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. De eodem legitur Proverbiorum 8. Vers. 29. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Scriptum est Job 38. Vers. 41. Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eò quòd non habeant cibos: Legitur Psalmo 146. Vers. 9. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Adde quòd testimonium Libri Job tanquam Sacri & Canonici profert S. Paulus 1. ad Corinthios 3. Vers. 19. Sapientia enim hujus Mundi stultitia est apud Deum: Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutiâ eorum. Id autem scriptum est Job 5. Vers. 13. Qui apprehendit sapientes in astutiâ eorum.

Probatur secundò ex Hebræorum consensu, Librum Job in Sacrorum Voluminum Canonem referentium.

Probatur tertiò ex summâ Patrum, Conciliorum, & totius Ecclesiæ Græcæ & Latinæ consensione; scilicet ex Melitone in Epistolâ ad Onesimum, cujus fragmentum legitur apud Eusebium Libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 26. Editionis Valesii. 2. Ex Origene in Expositione Psalmi 1. ut refert Eusebius Libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 25. 3. Ex S. Athanasio seu alio Synopseos Scripturæ Sacræ secundo Operum ipsius Volumine

editæ

editæ Auctore. 4. Ex Concilio Laodiceno, Canone ultimo. 5. Ex *S. Gregorio Nazianzeno* Carmine 33. 6. Ex *S. Cyrillo Hierosolymitano Catechesi* 4. *Illuminatorum*. 7. Ex *S. Epiphanio Hæresi* 5. quæ est *Stoicorum*, N.6. & Libro *De Mensuris & Ponderibus*, Cap. 4. 8. Ex *S. Hilario* Præfatione in Psalmos. 9. Ex *S. Hieronymo qui Librum Job* primum inter *Hagiographa* recenset in Prologo Galeato; Et in Epistolâ ad *Paulinum* sic de eodem loquitur: *Job exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosâ incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur: Omnesque leges Dialecticæ propositione, assumptione, confirmatione, determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus. Et ut de cæteris sileam, Resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de eâ vel manifestiùs vel cautiùs scripserit. Scio, inquit, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* 10. Ex *S. Augustino Libro* 2. *De Doctrinâ Christianâ*, *Cap.* 8. 11. Ex Concilio Chartaginensi III. celebrato anno 397. Canone 47. 12. Ex *Innocentio I.* Pontifice Maximo Epistolâ ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum. 13. Ex *Gelasio* 1. in Synodo Romana 70. Episcoporum. 14. Ex quintâ Synodo Oecumenicâ in quâ damnatus est *Theodorus Mopsuestenus* inter alios errores. *Per omnia reprobans Scripturam Job, & Conscriptori maledicens,* (*Idem autem est dicere Sancto Spiritui.*) Effutiebat autem *Theodorus Mopsuestenus*, Hujus Libri Scriptorem ostentare voluisse fabularum Ethnicarum scientiam, cùm uni ex filiabus *Job* Nomen imposuit *Amalthea cornu*; secundùm Versionem 70. Interpretum, quæ *Cornu stibii*, secundùm Hebræum Textum & Vulgatam nostram vocatur, *Job* 42. 14. 15. Ex *S. Joanne Damasceno Libro* 4. *De Fide Orthodoxâ*, Cap. 18. 16. Ex *Nicephoro* Patriarchâ Constantinopolitano. 17. Ex *Eugenio IV.* Pontifice Maximo in Decreto pro Instructione Armenorum. 18. Ex Concilio Tridentino Sessione 4.

Objiciunt Hæretici nonulli, Eum Librum non esse Canonicæ Auctoritatis, in quo proponitur ceu patientiæ & moderationis exemplar seculis omnibus celebrandum, Vir qui in tantos impatientiæ motus erumpit, ut diei nativitatis suæ maledicat; ut adversùs Deum indignabundus obmurmuret, quòd eum in lucem ediderit; ut Deo Tyrannidem exprobret, & justitiam illius accuset, ut de suâ ipse justitiâ præsumat atque glorietur; ut denique animum despondeat in calamitate, ac laqueum optet præ diuturnis & acerbis doloribus: His porrò Characteribus describitur illo in Libro *Jobus*, & tamen proponitur ut patientiæ & moderationis exemplar seculis omnibus celebrandum: Ille itaque Liber non est Canonicæ Auctoritatis.

Probatur minor ex ipsiusmet Libri sententiis. Legimus enim Cap. 3. *Pereat dies in quâ natus sum, & nox in quâ dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.... Sit nox illa solitaria nec laude digna: Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. Obtenebrentur stellæ caligine ejus: Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ: Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulvâ mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?*

Job 6. V. 2. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas, quam patior, in staterâ. Quasi arena Maris hæc gravior appareret.*

Job 7. Vers. 15. 16. *Quamobrem suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam.*

Job 9. Vers. 22. 23. de Deo Dicitur: *Innocentem & impium ipse consumit. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis Innocentum rideat.*

Job 27. Vers. 6. *Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram: Neque enim reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ.*

Denique sic Deum alloquitur Cap. 30. Vers. 21. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritiâ manûs tuæ adversaris mihi.*

Respondetur, Cùm Beatus *Job* Propheta fuerit, pleraque ejus verba secundùm superficiem literæ accipienda non esse, sed altiorem in eis sensum considerandum, quem sub eis latere voluit Spiritus Sanctus. Non est ergo censendus diei suo maledixisse ex impatientis animi motu, sed ex pietatis affectu; Quia non spectabat diem primæ conditionis, in quâ homo in justitiâ & sanctitate creatus est, sed diem nativitatis, quâ homo in peccato conceptus, & miseriis obnoxius, editus in lucem est: Diem illum spectavit ut aditus est vitæ præsentis, calamitatibus, tentationibus, peccatis, morti demum subditæ, non quatenus aditus est ad vitam futuram. Diem illum spectavit secundùm judicium hominum qui res humanas & perituras magni faciunt, quorum vanam opinionem vult confundere, non secundùm ordinem divinæ Providentiæ. Sic maledixit diei suæ *Jeremias* Cap. 20. Vers. 14. & sequentibus: *Maledicta dies, in quâ natus sum. Dies in quâ peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens, Natus est tibi puer masculus: & quasi gaudio lætificavit eum. Sit homo ille ut sunt civitates, quas subvertit Dominus, & non pœnituit eum: Audiat clamorem manè, & ululatum in tempore meridiano: Qui non me interfecit a vulvâ, ut fieret mihi mater mea sepulcrum, & vulva ejus conceptus æternus. Quare de vulvâ egressus sum, ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei? Job* itaque ut scitè observat *S. Gregorius Magnus Libro* 4. *Moralium*, *Cap.* 5. *Nequaquam maledictum per impatientiam protulit, qui ad maledictionis vocem Amicis adhuc tacentibus erupit. Si enim irâ motus malediceret, audito damno substantiæ, cognitâ morte filiorum, eum procul dubio ad maledictionem dolor excitaret. Sed tunc quid dixerit, audivimus. Ait namque:* Dominus dedit, Dominus abstulit. *Rursum: Si irâ motus malediceret, saltem percussus in corpore, vel malè suasus a conjuge, maledictum inferre potuisset. Sed quid tunc respondit agnovimus. Ait namque:* Locuta es quasi una ex stultis mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? *Post hæc verò describitur, quia Amici veniunt, flent, consident, tacent: Moxque subjungitur hoc, Quòd diei suo maledixisse perhibetur. Nimis itaque congruum est ut suspicemur, cum nullo instigante, nullo pulsante, ex impatientiâ ad vocem maledictionis erumpere, quem nimirum novimus inter damna rerum mortemque filiorum, inter vulnera corporis, inter verba malè suadentis uxoris, magna Creatori præconia humili mente reddidisse. Patefecit ergo quâ mente hæc quietus dixerit, qui tot Dei laudes etiam percussus enarravit.*

Addit *S. Gregorius*, Maledictum duplex in Scripturâ Sacrâ distinguendum esse; *Aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe justitiæ judicio ipsi primo homini peccanti prolatum est, cùm audivit:* Maledicta terra in opere tuo. *Maledictum judicio justitiæ profertur, cùm ad Abraham dicitur:* *Cap.* 6.

Maledicam maledicentibus tibi. *Rursum quia maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ promitur, voce Pauli Apostoli prædicantis admone-*
Rom. 12. *mur, qui ait:* Benedicite, & nolite maledicere: *Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur; Quia quod homo agit malitiâ vindictæ, Deus non facit nisi examine & virtute justitiæ. Cùm ergo Sancti Viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiâ examinis erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, & mala foris exurgentia quia maledicto debeant ferire, cognoscunt: & eò in maledicto non peccant, quò ab interno judicio non discordant .... Igitur si subtiliter beati Job verba pensamus, non est ejus maledictio ex personâ delinquentis, sed ex rectitudine Judicis: non est ira commoti, sed doctrina tranquilli. Qui enim tam recta maledicens intulit, non perturbationis vitio succubuit, sed doctrinæ magisterium impedit. Vidit quippe Amicos cum clamore flere, vidit vestes scindere, vidit pulvere capita conspergere, vidit consideratione suæ percussionis obmutescere; & Vir Sanctus inspexit, quia hi qui prospera temporalia requirebant, ex comparatione mentis propriæ aut temporali fractum adversitate crediderant. Perspexit quòd transitoriâ afflictione percussum desperatè non flerent, nisi ipsi desperatam mentem ab spe incolumitatis internæ subtraherent: & dum erumpit foras in vocem doloris, vulneratis intus ostendit virtutem medicaminis, dicens:* Pereat dies in quâ natus sum. *Quid enim debet per diem nativitatis, nisi omne hoc tempus nostræ mortalitatis intelligi? Quod quamdiu nos in hac nostræ mutabilitatis corruptione retinent, æternitatis nobis incommutabilitas non apparet? Qui igitur diem jam æternitatis videt, ægrè diem suæ mortalitatis sustinet. Et notandum, quia non ait: Pereat dies in quâ conditus sum: Sed,* Pereat dies in quâ natus sum. *In die quippe justitiæ homo est conditus, sed jam in tempore culpæ natus. Adam enim conditus, sed Cain primus est natus. Quid est ergo diei nativitatis maledicere, nisi apertè dicere: Dies mutabilitatis pereat, & dies æternitatis erumpat?*

Pressiùs ac planiùs, magisque ad literam *S. Hieronymus Libro 4. in Jeremiam*, ad Caput 20. *Nos verò*, inquit, *legentes illud Beati Job*: Maledi-
,, cta dies in quâ natus sum: Et nox illa in quâ
,, dixerunt, Ecce masculus: Et, Maledictus ho-
,, mo qui annuntiavit Patri meo, dicens: Natus
,, est tibi puer: *Huic testimonio coaptamus, quòd scilicet melius sit non esse, quàm vivere in suppliciis:*
Job. 3. ,, *Juxta illud quod scriptum est:* Mors viro requies,
,, cui Deus clausit viam suam. *Et iterum:* Qua-
,, re data est misero lux, & vita his qui in ama-
,, ritudine sunt? *Et in Evangelio simpliciter dictum*
Matth. 26. *legimus:* Melius ei fuerat, si natus non fuisset: *Non quòd sit qui natus non fuerit; sed quòd melius sit non esse, quàm malè esse. Aliud est enim omnino non esse: aliud, cùm sit, absque ullâ intermissione cruciari: Quomodo mortem quietam vitæ miseræ præferimus. Unde & Amos* diem appellat
Amos. 5. ,, tenebrarum, & diem afflictionis. *Et Jacob, eò*
Genes. 47. ,, *quòd vixerit in dolore & angustiâ, dies vitæ suæ*
,, parvos & pessimos *vocat. Et Paulus Apostolus*
Galat. 1. ,, *dicit:* Ut eriperet nos de præsenti sæculo ne-
Ephes. 5. ,, quam. *Et iterum:* Redimentes tempus, quo-
,, niam dies mali sunt.

Ad secundum locum respondetur, Hæc verba: *Utinam appenderentur peccata mea, &c.* nullam omnino divinæ justitiæ accusationem continere, sed *Eliphaz* objurgationi respondere; Quasi dicat Sanctus Job: Utinam æquâ lance ponderarent Amici calamitatem quam patior, & peccata quæ commisi! Certè calamitas præponderaret, maximè si attendatur a Deo statuta lex, qui gravissimas & acerbissimas pœnas in leviorum peccatorum ultionem infligere non solet. Vel peccatorum nomine intelliguntur ibi querelæ & gemitus *Jobi*, quas ipsi vitio vertebant Amici, quòd ad maledictionem natalis diei suæ ipsum erupisse viderent: Quasi diceret: Utinam appenderetis dolorem ac gemitus meos, & querimonias, quas velut peccata gravissima mihi improperatis, cum calamitate quàm patior: Quasi arena Maris hæc gravior appareret. *Unde & verba mea dolore sunt plena: Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Atque postrema hæc explicatio ad Textum Hebræum, ad Versionem 70. Interpretum, & Chaldaicam Paraphrasim accommodata est. Sic enim redditur ad verbum Textus Hebræus: *Utinam appendendo appenderetur ira mea, & infortunium meum in bilancibus elevarent pariter. Quia nunc præ arenâ Marium gravesceret.* Sic Versio 70. Interpretum: *Si verò quis appendens, appenderet iram meam, & dolores meos tolleret in staterâ pariter: Et utique arenâ Maris gravior erit.* Sic Paraphrasis Chaldaica: *Utinam appendendo appenderetur ira mea, & conturbatio mea in staterâ levarentur simul. Quoniam nunc arenâ Maris gravior esset.* Ita Versio Arabica: *Utinam adesset qui iram meam, & quod evenit mihi, in staterâ simul appenderet.* Cæterùm divinæ Providentiæ ordinem in suâ illâ calamitate *Jobum* adorasse: Hæc verò eo dumtaxat fine dixisse ut iniquas Amicorum exprobrationes esse ostenderet, confirmant ejus verba in eodem capite. *Et hæc mihi sit consolatio*, inquit, *ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? Aut quis finis meus ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt a me. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.... Quare detraxistis sermonibus veritatis, cùm e vobis nullus sit qui possit arguere me? Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.*

Addi potest, *Jobum* hæc ut Christi Typum dixisse, cujus dolores in staterâ velut appensi, spectatâ innocentiâ patientis, & satisfacientis dignitate, peccatis hominum, quorum se vadem præbuit ac fidejussorem, præponderantur. Hinc *S. Gregorius Magnus* ait *Libro 7. Moralium*, Cap. 2. *Quis alius statera nomine, nisi Dei & hominum Mediator exprimitur? Qui ad pensandum vitæ nostræ meritum venit, ac secum justitiam simul & misericordiam detulit: Sed misericordiæ lance præponderans, culpas nostras parcendo levigavit. In manu etenim Patris, quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, & illinc peccata suspendit. Sed gravis ponderis calamitatem moriendo innotuit, & apud misericordiam suam Deus leve esse peccatum, quod relaxatur, monstravit. Vir igitur Sanctus colloquentis Amici sententiis a claustris silentii excussus, & Prophetici Spiritûs affluentiâ repletus, dicat suâ, di-*
,, *cat humani generis voce:* Utinam appenderentur
,, peccata mea, quibus iram merui, & calami-
,, tas, quam patior, in statera! Quasi arena ma-
,, ris hæc gravior appareret. *Ac si apertè diceret: Damnationis nostræ malum leve creditur, quia needum cognitâ Redemptoris æquitate pensatur. Sed utinam veniat, & ærumnam tanti exilii misericordiæ suæ lance suspendat, & quid post exilium requiramus, edoceat,*

Ad

**Ad** tertium respondetur, Naturæ sententiis, & acerbissimos dolores ferre non valentis, interpretem esse hunc *Jobi* sermonem, non superioris animæ partis. Se se itaque *Jobo* offerebant consilia desperationis, quæ Dæmones per somnia, visionesque terroris plenas suggerebant. Unde ait: *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* Sed longè aberat a consensu religiosus animus, spes suas omnes in Deo collocans, etiamsi ipsum occideret. *Etiamsi occiderit me*, inquit *in ipso sperabo*. [ Job 13. 15. ] Quòd si mystica placeat explicatio, suspendium animæ exaltationem ejus a terrenis ad cœlestia significat; & mors ossium, terrenæ fortitudinis mortificationem, secundùm *S. Gregorium Libro* 8. *Moralium*, Cap. 14. *Quid per animam*, inquit, *nisi mentis intentio; Quid per ossa, nisi carnis fortitudo designantur? Omne autem quod suspenditur, procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium eligit, ut ossa moriantur: Quia dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim Viri certissimè sciunt, quia habere in hac vitâ requiem nequaquam possunt; & idcirco suspendium eligunt, quia nimirum desideria terrena deserentes, ad animum tollunt. Suspensi autem, mortem suis ossibus inferunt: Quia amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti, hoc quod fortes priùs in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur.* Similiter desperationis nomine intelligit terrenæ spei abjectionem, & voluptatum temporalium abdicationem. *Justi quippe desperare*, inquit, *est præsentis vitæ bona æternitatis electione deserere, mansura quærere, & in rebus temporalibus ultra fiduciam non habere. Qui hæc agens, nequaquam se ultrà vivere asserit: Quia vivificatrice morte quotidie a vitâ passionis se occidit.*

Ad quartum respondetur, Verba illa: *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat:* Desiderium mortis re verâ innuere, sed conditionatum dumtaxat, & e divinæ voluntatis ac providentiæ arbitrio suspensum: Quasi dicat: Occidat, si ita decrevit, nec ita se gerat, ac si pœnis innocentum oblectaretur, eas perennes faciendo. *Ridere Dei*, ( inquit S. Gregorius Libro 9. Cap. 15. ) *est humanæ nolle afflictioni misereri.* Vel, cùm Deum de pœnis Innocentum ridere ait, secundùm externam rerum faciem loquitur, & secundùm judicium carnis; quomodo & multa in Libro *Ecclesiastis* intelligenda sunt. Hoc est, Deum ex æquo pios atque impios quoad res externas tractare significat, nec minùs ad piorum calamitates, quàm ad impiorum pœnas ridere: Quia justos quandoque omni prorsus ope destituere videtur. Hunc verò locum mysticum in sensum trahit *S. Gregorius*, Desiderium humanæ redemptionis per Christum consummandæ his Jobi verbis exprimi asserens. *Ante Redemptoris igitur Adventum*, inquit, *pœnam suam Electi omnes habuerunt: Quia æstuante desiderio Incarnationis ejus mysterium videre cupierunt .... Pœna itaque innocentum, sunt desideria Justorum. Quousque ergo Electorum suorum vota Dominus non compatiens distulit, quid aliud quàm Innocentum pœnas risit? Itaque Vir Sanctus venturi Redemptoris dona considerans, & votorum suorum dilationem graviter ,, tolerans, dicit.* Si flagellat, occidat semel, & ,, non de pœnis Innocentum rideat. *Ac si apertè exoret, dicens: Quia vita nostra quotidie flagello vindictæ pro culpâ atteritur, Ille jam veniat, qui pro nobis semel sine culpâ moriatur: Ut de Innocentum pœnis Deus ultrà non rideat, si ipse carne passibilis appareat, in cujus se desideriis mens nostra castigat. Vel certè, si risum Dei ejus lætitiam appellat, de Innocentum pœnis ridere Dominus dicitur, quia quò a nobis ardentiùs quæritur, eò de nobis suaviùs lætatur. Quasi quoddam quippe ei ex pœnâ gaudium facimus, cùm per sancta desideria pro ejus nos amore castigamus.*

Ad quintum respondetur, Sanctum *Job*, cùm ait: *Non reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ*; de gravioribus dumtaxat loqui peccatis, non de levioribus, sine quibus Justorum vita non agitur. Ita hunc locum exponit *S. Gregorius Libro* 18. *Moralium*, Cap. 5. *Quæri potest*, inquit, *quo pacto a corde suo reprehendi se denegat, qui se peccasse superiùs accusat, dicens:* Peccavi, quid faciam *Job* 7.
tibi, o Custos hominum? *Vel certè*: Si justificare *Job* 9.
me voluero, os meum condemnabit me. *Sed sciendum est, quòd sunt peccata quæ a justis vitari possunt; & sunt nonnulla quæ etiam a justis vitari non possunt. Cujus enim cor in hac corruptibili carne consistens, in sinistrâ cogitatione non labitur, vel si usque ad consensûs foveam non mergatur? Et tamen hæc ipsa prava cogitare, peccare est. Sed dum cogitationi resistitur, a confusione suâ animus liberatur. Mens ergo Justorum etsi libera est a perverso opere; aliquando tamen corruit in perversâ cogitatione. Et in peccatum ergo labitur, quia saltem in cogitatione declinatur; & tamen unde semetipsam postmodum flendo reprehendat, non habet: Quia antè se reparat, quàm per consensum cadat. Rectè ergo is, qui peccatorem se confessus est, nequaquam se a suo corde reprehendi confitetur. Quia etsi quâ illicita fortasse cogitando defuit unquam rectitudini, forti tamen mentis certamine restitit cogitationi.* Certè *Jobum* de justitiâ suâ insolenter gloriatum non fuisse, nec se Justum in conspectu Dei superbè existimasse, verba ipsius Cap. 9. exarata disertè probant. *Verè scio*, inquit, *quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo .... Quantus sum ego, ut respondeam Ei, & loquar verbis meis cum Eo? Qui etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum Judicem deprecabor. Et cùm invocantem exaudierit me, non credo quòd audierit vocem meam .... Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: Si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea .. .. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti .... Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: Tamen sordibus intinges me, & abominantur me vestimenta mea. Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo: Nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri. Non est qui utrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.*

Ad sextum Respondeo: *Jobum* humano more loqui, cùm Deum his verbis alloquitur: *Mutatus es mihi in crudelem*: & figuratâ locutione severitatem divinæ justitiæ significare. *Sicut* enim Deum *accipimus sine zelo zelantem, sine irâ irascentem; ita a Sancto Job etiam sine crudelitate dici potuit crudelis. Crudelis quippe dicitur, qui districtè feriendo non parcit, ut videlicet hoc loco crudelis districtè feriens possit intelligi, & ulciscenda culpæ non parcens. Unde Isaias quoque cùm videret ultimi judicii diem non jam cum veniâ, sed ,, cum districtione esse venturum, ait:* Ecce dies *Isai.* 13.
,, Domini veniet crudelis, & indignatione ple-
,, nus, & iræ furorisque ejus, ad ponendam ter-
,, ram in solitudine, & peccatores ejus conteren-
,, dos de eâ. *Sanctus igitur vir, ut hanc crudelitatem sibi potiùs assereret congruere posse quàm Deo, ait:* Mutatus es mihi in crudelem. *Ac si apertè dicat: Qui in te ipso crudelitatis nihil habens, mihi quem respirare a persecutione non sinis, crudelis videris. Ita enim Deus crudelis esse non potest, sicut nec mutari ullatenus potest. Sed quoniam in*

*Deo nec crudelitas, nec mutabilitas unquam venit, dum* Mihi, *dicit, quòd in semetipso Deum nec crudelem, nec mutabilem sentiat, ostendit. Nam dum circa nos quædam prospera & adversa variantur, in eo quòd nos mutamur, quasi ejus circa nos mutatum animum suspicamur. Ipse verò in se incommutabilis permanens, aliter atque aliter in cogitatione sentitur hominum, pro qualitate meritorum. Nam & lux Solis cùm nequam est sibimetipsi dissimilis, infirmis aspera, sanis autem oculis lenis videtur: Eorum videlicet immutatione, non suâ. Unde, ut prædiximus, dicens:* Mutatus es, *adjunxit*, Mihi: *Ut ipsa hæc crudelitas atque mutatio, non sit in qualitate Judicis, sed in mente patientis. Quod verbis quoque aliis retexit, dicens:* Et in duritiâ manûs tuæ adversaris mihi. *Manus etenim Dei dura creditur, cùm voluntati nostræ contraria, hoc quod ei in nobis displicet feriendo persequitur; & flagella ingeminat, cùm dolentis animæ clementiam expectat.*

---

## PROPOSITIO IV.

### *Quis sit Auctor Libri Job, incertum est.*

De hujus Libri Auctore variæ sunt ac multiplices Auctorum Ecclesiasticorum sententiæ, nullis tamen firmis argumentis, sed levioribus conjecturis fultæ. Quidam *Jobum*, aut ejus Amicos illius Auctores esse crediderunt, scilicet *Origenes Libro 6. contra Celsum, S. Gregorius Magnus Lib. 1. in Job Cap. 1. & Suidas* in Ἰώβ. Qui his Jobi verbis Cap. 19. 23. permoti videntur: *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in Libro, stylo ferreo, & plumbi laminâ, vel celte sculpantur in silice?* Et istis Cap. 31. Vers. 35. 36. *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens, librum scribat Ipse qui judicat: Ut in humero portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?* Verùm etsi colligi ex his possit, *Jobum* vehementer optasse ut Historia sua, sermonesque scriberentur, non tamen probant id a *Jobo* ipso vel Amicis illius præstitum. Auctor prioris Commentarii in Job, *Origeni* adscripti, censet hunc Librum a *Jobo*, ipsiusve Amicis Syriacè scriptum, a *Mose* Hebraicè redditum, & aliquot additamentis auctum. Ad hanc opinionem ipsum adduxit celebris illa Clausula, quæ in Versione 70. Interpretum finem imponit Libro, & e Syrorum linguâ ipsum conversum fuisse docet. Verùm non significat hæc clausula, Hebraicum quod habemus Libri Job Exemplar ex Syriaco, sive ut alii censent, ex Arabico fuisse translatum a *Mose*, sed Septuaginta Interpretes ex Hebraico Codice Versionem suam adornasse, ut *Olympiodorus*, & Scholiastes a *Nobilio* laudatus observarunt.

Plerique *Mosem* Libri Auctorem agnoscunt, scilicet Thalmudistæ in *Baba Batra* Cap. 1. *R. David Kimchi*, Auctor posterioris Commentarii in *Jobum* sub nomine *Origenis* editi, *Methodius* apud *Photium* Codice 235. *Polychronius*, & *Julianus Halicarnassæus* apud *Nicetam* in Catenâ in *Jobum*, Illustris *Huëtius* Demonstrationis Evangelicæ Propositione 4. aliique Recentiores; qui & *S. Hieronymum* in eam sententiam pertrahere conantur, quòd in Epistolâ ad *Paulinum* Libros sacros recensens, Pentateucho *Jobi* Librum subjiciat, posthabito etiam Libro *Josuë*, quò ejusdem esse utrumque & Auctoris & ætatis significet. Verùm id a *S. Hieronymo* ob eam dumtaxat rationem fortè factum est, quòd Historiam *Jobi* ante Judicum Historiam contigisse persuasum haberet, non quòd *Mosen* hujus Libri Auctorem censeret. Ex styli similitudine hunc Librum *Moysi* adscribit *Polychronius*. At alii styli dissensionem maximam animadvertunt ejus Libri, & Pentateuchi: & Arabismis præsertim, Syriasmis, Chaldaismis scatere, cum *S. Hieronymo*, Præfatione in *Job*, observant. Addunt *Origenis* suffragium, negantis *Mosem* plures quàm quinque Libros scripsisse, *Tom. 5. in Joannem*, & in *Philocaliâ Cap. 5.*

*S. Gregorius Nazianzenus* hunc Librum *Salomoni* adscribit, ut refert *Polychronius, Catenâ in Job.*

Idumæi cujusdam Prophetæ fœtum esse censet *Codureus* Præfatione in *Job*: Sed eò magis inclinat ut ab *Isaiâ* scriptum opinetur, quòd *Isaiæ* singularis eruditio, orationis majestas, character non dissimilis, locutiones multæ Isaiæ familiares in Libro *Job* legantur. Sed hanc conjecturam levissimam esse quis non videat, cùm ex Libro Jobi locutiones hujusmodi in Isaiam derivatas æquè dici possit? Quâ responsione *Grotii* conjectura pariter difflatur, Præfatione Commentariorum in Job asserentis, Libri Job Auctorem, quicumque tandem fuerit, *Davide* & *Salomone* recentiorem esse, quòd ex horum scriptionibus pleraque illuc translata agnosci possunt.

*Spanhemius* Historiæ *Job* Cap. 13. a *Jobo* aut ejus Amicis res in Adversaria primùm fuisse linguâ patriâ relatas opinatur, Arabicâ nimirum seu Syriacâ veteri, & ex iis demum circa *Davidis aut Salomonis* tempora ab homine Hebræo conflatam eam quam habemus Historiam. Opinionem istam tres conjecturæ probabilem facere videntur. Prima petitur ex Versu penultimo Libri Job, ubi hæc leguntur: *Deditque filiabus Pater suus hereditatem inter fratres earum*: Id enim ab Hebræo Scriptore consultò notatum ajunt, quòd Hebraico Jure in bonorum paternorum divisione feminæ a fratribus in partem non vocarentur. Unde colligunt, latis jam a Mose Legibus Librum *Job* esse conscriptum. Altera conjectura ex eo ducitur, quòd *Job* dictus est *Magnus inter omnes Orientales*: Quo nomine Arabes Hebræis Palæstinam incolentibus dici solebant. Ex quo colligunt, Auctorem Libri Job Palæstinæ incolam fuisse. Tertia conjectura sumitur ex illis *Jobi* verbis Cap. 21. Vers. 12. *In fortitudine illius repente Maria congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum*: Quæ ad Ægyptiorum & *Pharaonis* in Mari Rubro naufragium & interitum referunt *R. Selomoh & Grotius*. At conjecturarum istarum levitatem Doctissimus *Huëtius* ostendit. Ex primâ sequi negat Librum Job latis jam a Mose Legibus fuisse conscriptum. Rem enim, utì acta est, referre potuit Auctor, nullâ habitâ Hebraicæ Legis ratione. Etsi enim, inquit, Legem nondum tulerat *Moses* de filiabus a successione removendis, id fortasse jam Hebræorum, vel Arabum usus obtinebat. Alteram conjecturam nihilo firmiorem esse respondet, cùm non Palæstinæ solùm incolis, sed Gentibus universis familiare sit, alias Gentes ex situ appellare: & Madianitica Regio, in quâ Librum Job a *Mose* scriptum plures volunt, ad Arabiæ & Ausitidis occasum posita sit. Tertiam conjecturam explodit, negando quòd ad *Pharaonis* & Ægyptiorum interitum hæc verba referantur. Nam ad opus tertiæ diei hæc pertinere longè probabilius est. Id ostendunt antecedentia & sequentia. Præcedit enim hic Versus 10. *Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux & tenebræ.* Sequitur verò: *Spiritus ejus ornavit Cœlos*: Ex quibus manifestum est, hæc ad opera sex dierum pertinere, ex quibus Dei omnipotentiam & magnitudinem *Jobus* demonstrat. Nomine verò *superbi* a Deo percussi, Mare ipsum designatur, cui legem posuit ne fines suos transiret. Aquas enim tumentes figurato sermone superbas

in

in Scripturâ vocari, neminem latet. *Jerem.* 12. *Verſ.* 5. *Cùm autem in terrâ pacis ſecurus fuerit, quid facies in ſuperbiâ Jordanis?* Secundò id evidentiùs elucefcit collato hoc Verſu 12. vigeſimi ſexti Capitis Libri Job cum Verſu 9. Capitis primi Geneſeos. Tertiò id confirmat veterum & recentiorum Interpretum conſenſus.

In tantâ ergo opinionum de Auctore Libri *Job* varietate, conſultius eſt nihil aſſerere, niſi incertum eſſe a quo ſcriptus fuerit: Cùm neque ex Scripturâ, neque ex Traditione, nec firmis ullis rationibus probari poſſit quis ſit illius Auctor. Proinde concludamus cum *S. Gregorio Magno* Præfatione in *Job*, Cap. 1. *Quis hæc ſcripſerit, valde ſupervacuè quæritur: Cùm tamen Auctor Libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipſe igitur hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictavit. Ipſe ſcripſit, qui & illius Operis Inſpirator extitit, & per ſcribentis vocem imitanda ad nos ejus facta tranſmiſit. Si Magni cujuſdam Viri ſuſceptis Epiſtolis legeremus verba, eaque quo calamo fuiſſent ſcripta, quæreremus: Ridiculum profectò eſſet, ſi non Epiſtolarum Auctorem ſcire, ſenſumque cognoſcere, ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerint, indagare ſtuderemus. Cùm ergo rem cognoſcimus, ejuſque rei Spiritum Sanctum Auctorem tenemus, quia Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, niſi legentes literas de calamo perſcrutamur?*

### SCHOLION I.

*S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 104. Serm. 4.*

Sanctus Job *geſtabat perſonam magnam magnæ Prophetiæ.* Unde quæ in Libro eius *videntur quaſi aſpera & blaſphema, habent intellectus ſuos. Quod putaremus aliter eſſe, niſi Deus perhiberet teſtimonium, & antequàm loqueretur Job, & poſtea quàm totum locutus eſt. Perhibuit Deus primò teſtimonium, dicens:* Homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. *Dixit hoc Deus ante tentationem illius. Ne quis autem in illis verbis fortè malè intelligens ſcandalizaretur, & putaret juſtum quidem virum fuiſſe Job ante tentationem, in tentatione autem gravi defeciſſe, & lapſum eſſe in ſacrilegam blaſphemiam; finitis omnibus ſermonibus, & ipſius Job, & amicorum ejus, a quibus ei conſolatio reddebatur, dicit Dominus teſtimonium, illos non verum locutos, ſicut ſervum ejus Job.* Non eſtis locuti, *inquit*, coram me rectum, ſicut ſervus meus Job. *Deinde jubet ut ille pro eis offerat hoſtias, quibus eorum peccata ſolvantur.*

### SCHOLION II.

*S. Gregorius M. Præfat. in Librum Job, cap 6.*

„ Job non tantùm loquendo, ſed etiam patiendo, Chriſtum prophetavit; ſed quia Redemptor noſter unam ſe perſonam cum ſanctâ Eccleſiâ exhibuit, quiſquis eum in ſemetipſo ſignificat, modò hunc ex capite, modò ex corpore deſignat: ut non ſolùm vocem capitis, ſed etiam corporis teneat. Unde & Iſaias Propheta ejuſdem Domini verba exprimens, ait: *Quaſi ſponſo poſuit mihi mitram, & quaſi ſponſam ornavit me ornamento.* (*Iſaia* 65.) Quia igitur ipſe in capite ſponſus, ipſe eſt in corpore ſponſa, neceſſe eſt ut cùm nonnumquam aliquid de capite dicitur, ſenſim ac ſubitò etiam ad vocem corporis derivetur: & rurſum cùm de corpore aliquid dicitur, repente ad vocem capitis aſcendatur. *Beatus ergo Job venturi cum ſuo corpore typum Redemptoris inſinuat: uxor verò ejus, quæ eum ad maledicendum provocavit, vitam carnalium deſignat, qui intra ſanctam Eccleſiam incorrectis moribus poſiti, quò per fidem bonis juxta ſunt, eò per vitam duriùs premunt; quia dum quaſi infideles vitari non poſſunt, a Fidelibus tantò deteriùs, quantò & interiùs tolerantur. Amici verò ejus, qui dum conſulunt, invehuntur, Hæreticorum figuram exprimunt, qui ſub ſpecie conſulendi agunt negotium ſeducendi.*

# DISSERTATIO XIV.

## DE CÆDE ÆGYPTII Hebræum vexantis a Moſe perpetratâ.

Hujus rei hiſtoriam legimus *Exodi* Cap. 2. his verbis deſcriptam: *Poſtquàm creverat Moyſes egreſſus eſt ad fratres ſuos; viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus ſuis. Cùmque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo. Et egreſſus die altero, conſpexit duos Hebræos rixantes; Dixitque ei qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit: Quis te conſtituit Principem & Judicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium? Timuit Moyſes, & ait: Quomodo palam factum eſt verbum iſtud? Audivitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſen, Qui fugiens de conſpectu ejus, moratus eſt in Terrâ Madian.* Facinus illud contigit anno Mundi bis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo-tertio, ut ex Chronologiâ Sacrâ facilè probatur. *Moyſes* enim erat annorum octoginta cùm ſtetit coram *Pharaone*, & Populum Hebræum ex Ægypto eduxit [ *Exodi* 7. *Verſ.* 7. ] Exodus autem contigit anno Mundi bis milleſimo quingenteſimo decimo-tertio. Si hinc ſubduxeris annos octoginta, invenitur *Moſes* natus anno Mundi bis milleſimo quadrigenteſimo trigeſimo-tertio. Ipſum porrò natum annos quadraginta egreſſum eſſe ad fratres ſuos, occiſoque Ægyptio mox ad *Jetrho* fugiſſe, ſcriptum eſt *Actuum* 7. *verſ.* 23. Cùm igitur annos natus octoginta redierit, ſequitur eum ſerviiſſe annos quadraginta apud *Jetrho*. Fugit ergo anno Mundi bis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio: quandoquidem natus erat anno Mundi bis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio. De cædis illius æquitate ſacri differunt Interpretes. Quâ de re mentem noſtram ſequenti Propoſitione exponemus.

### PROPOSITIO UNICA.

*Moſes Ægyptium inſultantem Hebræo interficiens, homicidii reus non extitit.*

Probatur; Qui publicum hoſtem, vel quemlibet hominem infeſtum humanæ ſocietati aufert è medio juſſu Judicis vel Regis, homicidii reatum non incurrit: Sed Moyſes Ægyptium Hebræo inſultantem interficiens, è medio ſuſtulit ſuæ gentis hoſtem, hominemque ſuis fratribus infeſtum, inſtinctu Dei ſupremi omnium hominum Regis ac Judicis: Homicidii itaque reatum non incurrit.

Probatur Minor ex Scripturâ Sacrâ *Actuum* 7. *Verſ.* 23. 24. 25. ubi S. Protomartyr *Stephanus* loquens de *Moyſe* in oratione quam habuit ad Hebræos, ait: *Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor ejus ut viſitaret fratres ſuos filios Iſraël. Et cùm vidiſſet quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei qui injuriam ſuſtinebat, percuſſo Ægyptio. Exiſtimabat intelligere fratres; Quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: At illi non intellexerunt.* Ex quibus colligitur, *Moyſen* auctoritate jam tum a Deo acceptâ, & judiciariâ poteſtate, quâ velut Dux & Servator Iſraëlitici Populi præditus erat, Ægyptium illum interemiſſe.

Con-

Confirmatur SS. Patrum suffragiis, scilicet *S. Basilii Homiliâ 1. in Hexaëmeron*, ubi de *Mose* sic loquitur: *Idem sic erat naturâ suapte compositus, ut summo semper amore justi & aqui fuerit observàns ac tenax: Quando vel priusquam Principatus Populi esset ipsi concreditus, tam ad totius improbitatis odium naturâ propendebat, ut ad necem usque de iis ultionem expetiverit, qui injuriam proximo priores intulerant.*

*S. Ambrosii Librô 1. in Hexaëmeron*, Cap. 2. *Priusquam*, inquit *ad Populi liberandi munus vocaretur, naturali aquitatis studio provocatus, accipientem injuriam de popularibus suis ultus, invidia se dedit, voluptatique eripuit, atque omnes Regia Domûs declinans tumultus, in secretum Æthiopia se contulit.*

*S. Augustini, Quastione 2. in Exodum*, ubi prolatis *S. Stephani* verbis *Actuum* 7. ita concludit: *Videtur itaque per hoc testimonium Moses divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, justè facinus illud audere potuisse.*

Objicies; *Moyses* clam & sine arbitris facinus illud admisisse, metuentem ne deprehenderetur, ut facere solent qui crimen aliquod capitale perpetrant, *Cùmque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Cùm verò die altero cædem Ægyptii ab Hebræo, quem cum fratre rixantem objurgabat, sibi exprobrari audisset, timore correptum aufugisse in Terram Madian. *Timuit Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud?* Exodi 11. 12. 14. Non timuisset porrò, neque fugam captasset, nisi sceleris conscientiâ urgente.

Respondeo, *Moysen* prudenter cavisse ne cædes Ægyptii, etsi justè ab ipso perpetrata, vulgaretur, ne graviorem a Rege & Ægyptiis vexationem in Hebræos excitaret: Vulgato vero facinore, fugisse ut periculum vitaret imminens, sicut Apostoli, & Martyres in persecutione fugerunt. *Audivit* enim *Pharao sermonem hunc, & quarebat occidere Moysen.* Undè Apostolus fugam *Moysis* ex Ægypto fidei adscribit, non timori. ( Hebr. 11. 27. ) *Fide*, inquit, *reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis.* Non enim adeò timuit, ut suæ gentis defensionem desereret, nec opportunitate datâ ad eam liberandam in Ægyptum regrederetur *S. Joannem Chrysostomum* audiamus hunc locum egregiè explicantem Homiliâ 26. in Epistolam ad Hebræos: *Quid dicis? inquit, Non timuit. Atqui hoc dicit Scriptura, quòd cùm audivisset, timuit, & ideo fugâ sua saluti consuluit. Attende diligenter & accuratè quod dictum est. Illud,* Non veritus iram Regis, *dixit respiciens ad id quod postea astiterit. Timentis enim erat non attingere rursus defensionem & patrocinium, neque rem aggredi. Rursus autem attingere, erat ejus qui Deo omnia committebat. Non enim dixit: Quarit me anxiè, nec rursus fero ut eadem attingam. Erat itaque fidei fugere. Cur ergo non mansit? Ne improvisum se injicieret periculum. Hoc enim jam erat tentantis, in media prosilire pericula, & dicere: Videamus an me servet Deus. Hoc etiam Christo*

Matth. 4. *dixit Diabolus*: Mitte te deorsum. *Vides quòd hoc sit diabolicum temerè & inconsideratè se in pericula conjicere, tentare an Deus conservet. Eis enim praesse & eos ampliùs defendere non poterat, cùm tam ingrati essent animi qui afficiebantur beneficio. Fuisset ergo stultitia & mentis vecordia, illic manere:* Hanc Expositionem sequuntur *Theophylactus*, & *Oecumenius*.

Objicies secundò locum insignem *S. Augustini* asserentis, Injustam fuisse illius Ægyptii cædem, quòd nullam tunc haberet Moses legitimam potestatem, neque in Hebræos, neque in Ægyptios, vel a Deo ipsi proximè demandatam, vel humanâ delatam auctoritate. Sic eâ de re disserit *Libro 22. contra Faustum*, Cap. 80. *Consultâ illâ aternâ Lege, reperio non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum & improbum, occidi. Veruntamen anima virtutis capaces ac fertiles, pramittunt sapè vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accommodata, si fuerint praceptis exculta. Sicut enim & agricola, quam terram viderint, quamvis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronuntiant; & ubi felicem aspexerint, licèt eradicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt; & quem Montem oleastris sylvescere aspexerint, oleis esse utilem, culturâ accedente non dubitant: Sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem a cive improbo injuriam perpetientem, non observato ordine potestatis, inultum esse non pertulit: Non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magna fertilitatis signa fundebat. Ipse denique per Angelum suum divinis Moysen vocibus evocavit in Monte Sina, per quem liberaretur ex Ægypto Populus Israël: Eumque miraculo visionis in Rubo flammante, & non ardente, verbis Dominicis ad frugem obedientia praparavit: Qui etiam Saulum Ecclesiam persequentem dè cœlo vocavit, prostravit, erexit, implevit, tamquam percussit, amputavit, inseruit, facundavit. Illa namque Pauli savitia, cùm secundùm amulationem paternarum Traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium Deo se facere, tamquam silvestre erat vitium, sed magna feracitatis indicium. Hinc erat etiam illud Petri, cùm evaginato gladio volens ferire Dominum, aurem Persecutoris abscidit, quod factum Dominus satis minaciter cohibuit, dicens:* Reconde gladium; Qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet. *Ille autem utitur gladio, qui nullâ superiori ac legitimâ potestate vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur. Nam utique Dominus jusserat, ut ferrum Discipuli ejus ferrent, sed non jusserat ut ferirent. Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesia, sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est Rector illius Synagoga? Uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitia regulam excessit; uterque odio improbitatis aliena; sed ille fraterno, iste dominico, licèt adhuc carnali, tamen amore peccavit. Resecandum hoc vitium, vel eradicandum: Sed tamen tam magnum cor tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum.*

Respondeo: *S. Augustinum* hâc depositâ sententiâ, in eam demum descendisse quam propugnamus, & *Moysis* factum ab homicidii reatu vindicasse, *Quastione 2. in Exodum*, cujus hæc sunt verba: *De facto Moysi cùm occidit Ægyptium ad defendendos fratres suos, satis disputavimus in illo Opere, quod de Vitâ Patriarcharum adversùs Faustum scripsimus: Utrùm indoles in eo laudabilis fuerit, quâ hoc peccatum admiserit, sicut solet uber terra, etiam ante utilia semina, quâdam herbarum quamvis inutilium feracitate laudari; an omnino ipsum factum justificandum sit. Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humanâ societate ordinatam. Tamen, sicut Stephanus* Act. 7. 25.
*dicit in Actibus Apostolorum, Putabat intelligere fratres suos, quòd per eum daret illis salutem: Ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus* [ *quod Scriptura eo loco tacet* ) *hoc audere potuisse.*

Huic sententiæ magnum robur addit *S. Thoma* Auctoritas, *Secundâ Secunda*, *Quastione* 60. *Articulo 6.* in Responsione ad secundam objectionem: *Di-*

*Dicendum*, inquit, *quòd Moyses videtur Ægyptium occidisse, quasi ex inspiratione divinâ Auctoritatem adeptus: Ut videtur per hoc quod dicitur Actuum 7. Quòd percusso Ægyptio æstimabat Moyses intelligere fratres suos, quoniam Dominus per manum ipsius daret salutem Israël. Vel potest dici, Quòd Moyses occidit Ægyptium defendendo eum qui injuriam patiebatur, eum moderamine inculpatæ tutelæ. Unde Ambrosius dicit in Libro de Officiis, Quòd qui non repellit injuriam a socio, cùm potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Et inducit exemplum Moysi.*

Lib. 1. cap. 35.

Mitto Hebræorum figmenta, quorum alii tradunt *Moysen* non gladio hominem Ægyptium interemisse, sed prolato Nomine Dei *Tetragammaton*. Ita *R. Salomon*. Antiquum sanè illud commentum est, cujus meminit *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum. *Ajunt autem Mystæ*, inquit, *eum solo verbo Ægyptium occidisse: Sicut certè posteà Petrus in Actibus fertur eos, qui pretium agri sibi usurpaverant, & mentiti erant, verbo interfecisse*. Alii Rabbini tradunt, Ægyptium istum fuisse quemdam Præfectum operum, qui Maritum *Salomith* Aurorâ nondum illucescente vocasset ad opus, & ejus locum in thoro, non animadvertente fœminâ occupasset, ex eâque filium genuisset, qui postea blasphemus, lapidibus in deserto Dei jussu obrutus est. Mulierem autem agnitâ fraude, apud Maritum expostulasse, & hunc Ægyptium detestandi facinoris accusasse. Ægyptio autem nihilominus sæviente in hominem tantâ a se injuriâ affectum, fortè advenisse *Moysen*, & crudelem Adulterum interfecisse. Miror *Nicolaum Lyranum*, & *Tostatum* homines doctos fabulam istam credulis auribus excepisse.

## DISSERTATIO XV.

### DE APPARITIONE DEI MOYSI in Rubo factâ, ejusque in Ducem ac Liberatorem Israelitici Populi Electione.

Hujus Apparitionis, & Missionis Historiam Moyses ipse descripsit *Exodi* 3. Capite, his verbis: *Moyses autem pascebat oves Jetro Soceri sui Sacerdotis Madian: Cùmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad Montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio Rubi: & videbat quòd Rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur Rubus. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio Rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum. At ille: Ne appropies, inquit, huc; Solve calceamentum de pedibus tuis: Locus enim in quo stas, Terra Sancta est. Et ait: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: Non enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem Populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de Terrâ illâ in Terram bonam.... Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas Populum meum, filios Israël de Ægypto. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum; & hoc habebis signum quod miserim te: Cùm eduxeris Populum meum de Ægypto, immolabis Deo super Montem istum. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: EGO SUM QUI SUM. Ait; Sic dices filiis Israël: QUI EST, misit me ad vos.* Hæc Apparitio facta est *Moysi* jam octogenario, ut colligitur ex Cap. 7. Actuum Apostolorum, 23. 29. 30. *Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israël. Et cùm vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum, & fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio.... Fugit autem Moyses, & factus est advena in Terrâ Madian.... Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto Montis Sinâ Angelus in igne flammæ Rubi.* Confirmatur ex Cap. 7. *Exodi* Vers. 7. ubi *Moysis* ætas notatur, cùm *Pharaonem* adiit, quod statim post illam Apparitionem ac Missionem ejus contigit: *Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.* Locus Apparitionis fuit Mons *Horeb*, quem unum esse cum Monte *Sina S. Hieronymus* asserit *Libro de Locis Hebraicis*: & flamma ignis de medio Rubi erumpens. Miraculum Rubi ardentis & incombusti majora quædam significabat. Primò Populum Israëliticum injuriis, vexationibus, calamitatibus haud consumptum iri, sed juvante Deo adversariis superiorem futurum. Secundò, significabat perpetuam Deiparæ virginitatem cum fœcunditate conjunctam. Tertiò, Christum significabat, in quo Divinitas personaliter unita Naturæ nostræ, ejus substantiam non consumpsit. Quartò, Legis Mosaicæ proprietatem significabat, quæ peccata quidem ostendebat, sed peccatorum spinas non auferebat. Quintò, figura erat Ecclesiæ, quæ persecutionum flammis neutiquam erat consumenda, sed magis illustranda. SS. Patres eâ de re differentes Lector consulat: *S. Hieronymum* Epistolâ 127. ad *Fabiolam*, in Mansione 8. dicentem: *Postquàm venerimus ad eum locum, de quo sit nobis Dominus locuturus, tunc videbimus ardere Rubum, & non comburi; inflammari Ecclesiam persecutionibus, & eam, loquente in illâ Domino, non perire.*

Consulat *Theodoretum* Quæstione 6. in Exodum, dicentem: *Dei virtutem atque humanitatem prædicat, quòd ignis inextinguibilis Rubum aridum non consumebat. Ego verò arbitror etiam alia significari: Nempe Israëlem Ægyptiorum insidiis appetitum, non esse subjugandum, sed adversariis superiorem futurum. Item Unigenitum humanitatem assumentem, & virginalem uterum inhabitantem, immaculatam servaturum esse Virginitatem. Cæterùm nonnulli dicunt, Deum in Rubo, & non in aliâ plantâ apparuisse, quòd nemo posset ex Rubo Deum effingere. Erat enim verisimile, Judæos hoc ausuros esse, si in aliâ plantâ apparuisset.*

Consulat *S. Gregorium Magnum Libro* 28. *Moralium*, Cap. 2. *Per succensum Rubum*, inquit, *Moysen alloquens, quid aliud ostendit, nisi quòd ejus Populi Ductor fieret, qui & Legis flammam perciperet, & tamen peccati spinam nequaquam vitaret? Vel, quòd ex illo Populo exiret, Qui in igne Deitatis carnis nostræ dolores quasi Rubi spinas susciperet; & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam etiam in ipsâ Divinitatis flammâ servaret?*

Quæritur quis *Moysi* in Rubo apparuerit, an Angelus Dei legatione functus, ejusque nomine locutus, vel Filius ipse Dei.

## PROPOSITIO UNICA.

*Æquè probabilis est utraque Sententia, cùm asserentium ipsum Filium Dei Moysi in Rubo apparuisse, tum propugnantium Angelum fuisse, qui ipsi apparuit, legationem Dei obeuntem.*

PRimam Sententiam probabilem maximè facit Scriptura Sacra secundùm Vulgatam nostram Versionem *Genesis* 3. Qui enim *Moysi* apparuit, non semel *Dominus* vocatur; ter de se ipso ait: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Majestatem ejus reveritus *Moyses* faciem velat; & cur faciem velaverit, rationem reddit ipse: *Non enim audebat aspicere contra Deum. Ait Moyses*, non ad Angelum, sed *ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël; & dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos.* Cùm illius qui ipsum vocaverat, ipsumque mittebat, nomen quæsiisset, *Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël, Qui est, misit me ad vos.* Hæc certè indicare videntur, eum qui Mosi in Rubo ardente apparuit, Deum esse ipsumque Dei Filium, quem Hebraicus Textus, 70. Interpretes, hic, & Vulgata nostra in Actis Apostolorum, *Angelum* vocant. Filius quippe Dei *Angelus Testamenti* a Malachiâ Prophetâ, & ab Isaiâ *Magni consilii Angelus*, secundùm Versionem 70. Interpretum vocatur. Porrò nec Patri, qui nunquam mittitur, nomen istud convenit, nec Spiritui Sancto usquam attributum in Sacrâ Scripturâ legimus. Hanc Sententiam confirmare videntur verba Moysis *Deuteronomii* 33. Vers. 16. ubi Tribui *Joseph* bene precatur his verbis: *Benedictio Illius, qui apparuit in Rubo, veniat super caput Joseph.* Non Angeli porrò, sed Dei benedictionem Tribui Joseph apprecatum esse Moysen, verisimilius est: Cùm a Deo, non ab Angelo bona cuncta procedant.

Malach. 3.

Præterea, hanc Sententiam Antiqui Patres propugnarunt: *S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone*, pag. 282. ubi locum illum *Exodi*, quo de agimus, expendens, hæc habet, *Intelligitis, o Viri, quòd quem Moses affirmat Angelum in igne flamma secum collocutum esse, idem cùm ipse Deus sit, Moysi declaret se esse Deum Abraha, & Isaaci, & Jacobi. Et Trypho: Non hoc, inquit, ex verbis recitatis intelligimus: Verùm Angelum quidem in ignis flammâ apparuisse, Deum autem cum Mose collocutum esse; Ita ut & Angelus, & Deus, duo simul tum in visione exstiterint. Et ego contra respondi: Esto, tametsi hoc tum factum sit, o Amici, ut & Angelus & Deus simul in visione Moysi oblatâ fuerint, pro eo atque demonstratum vobis est per verba suprà scripta: Tamen non Conditor universitatis hujus is fuerit, qui Moysi dixit, se Deum esse Abraha, & Deum Isaaci, & Deum Jacobi, quique Factoris rerum omnium voluntati ministret; & in Judicio Sodomorum consilio & voluntati ejus itidem ministraverit: Adeò ut quamvis sic, uti affirmatis, res habeat, duos scilicet fuisse, Angelum & Deum: Nemo tamen cui vel minimum mentis sit, Auctorem & Parentem Universi supercælestia omnia reliquisse, & in pusillâ terra parte se se exhibuisse, dicere sit ausurus.* Et infra: *Jam o Trypho, demonstrabo, in Visione Moysi hunc ipsum solum, qui & Angelus seu Nuntius vocatur, & Deus est, apparuisse; & verba commutasse cum Moyse.* ,, *Sic enim Verbum ait:* Apparuit autem ei An- ,, gelus Domini in igne flammæ e Rubo, & vi- ,, dit Rubum ardere igni, Rubus verò non com- ,, burebatur. Moses ergo dixit: Vadens inspiciam ,, visionem hanc magnam, quòd non comburitur ,, Rubus. Postquàm autem vidit Dominus quòd ,, accederet videndi gratiâ, vocavit eum Domi- ,, nus e Rubo. *Itaque quemadmodum Verbum, eum qui in somnis apparuit Jacobo, Angelum appellat: Deinde eum ipsum, qui in somnis apparuit, Angelum ipsi dixisse ait:* Ego sum Deus a te conspectus, cùm a facie fratris tui Esau fugeres; *& sub Abraamo in Judicio Sodomorum*, Dominum a Domino in cælis *Judicium intulisse dixit: Ad eumdem modum & hic Verbum Angelum Domini Moysi apparuisse dicens, ac deinceps Dominum eum esse & Deum declarans, eumdem denotat, quem & pluribus, per ea quæ dicta sunt, Administrum esse Deo supermundano, suprà quem alius non est, significat.*

*S. Irenæus Libro* 4. *Adversùs Hæreses*, Cap. 26. *Finis*, inquit, *Legis Christus ad justitiam omni credenti. Et quomodo finis Legis Christus, si non & initium ejus esset? Qui enim finem intulit, hic & initium operatus est, Ipse est, qui dixit Moysi:* Videns ,, vidi vexationem Populi mei, qui est in Ægy- ,, pto, & descendi ut eruam eos. *Ab initio assuetus Verbum Dei ascendere & descendere propter salutem eorum qui malè haberent.* Exod. 3.

Quæstionem proponit *S. Augustinus Libro Quæstionum in Exodum*; nihil in alterutram partem decernit, utramque sententiam probabilem esse significans. *Clamavit ad illum Dominus de Rubo. Dominus in Angelo, an Dominus Angelus ille qui dictus est, Magni consilii Angelus, & intelligitur Christus? Suprà enim dixit:* Apparuit illi Angelus ,, Domini in flammâ ignis de Rubo. Qu. 3.

Ejusdem probabilitatem sententiæ confirmat *Libro* 2. *De Trinitate*, Cap. 13. *Moyses autem quando ad Populum Israël ex Ægypto educendum missus est, sic ei Dominum apparuisse scriptum est*, Pasce- ,, bat, *inquit*, oves Jetro soceri sui Sacerdotis ,, Madian, & egit oves in desertum, & venit in ,, Montem Dei Choreb. Apparuit autem illi Ange- ,, lus Domini in flammâ ignis de Rubo. Et vidit ,, quia in Rubo ignis arderet, Rubus verò non ,, comburebatur, & ait Moyses: Ibo, & videbo ,, visum istud, quod tam magnum vidi, quoniam ,, non comburitur Rubus. Cùm ergo vidit Dominus ,, quia venit videre, clamavit ad eum Dominus ,, de Rubo dicens: Ego sum Deus patris tui, Deus ,, Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. *Et hic primò Angelus Domini dictus est, deinde Deus. Numquid ergo Angelus est Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Potest ergo rectè intelligi ipse* ,, *Salvator, de quo dicit Apostolus:* Quorum Patres, ,, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est ,, super omnia Deus benedictus in secula; *Non absurdè etiam hic ipse intelligitur Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Sed cur priùs Angelus Domini dictus est, cùm de Rubo in flammâ ignis apparuit? Utrùm quia unus ex multis Angelis erat, sed per dispensationem personam Domini sui gerebat? An assumptum erat aliquid creatura, quod ad præsens negotium visibiliter appareret, & inde voces sensibiliter ederentur, quibus præsentia Domini per subjectam creaturam corporeis etiam sensibus hominis, sicut oportebat, exhiberetur? Si enim unus ex Angelis erat, quis facilè affirmare possit, utrùm ei Filii persona nuntianda imposita fuerit, an Spiritûs Sancti, an Dei Patris, an ipsius omnino Trinitatis, quæ est unus & solus Deus, ut diceret:* Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob? ..... *Si autem in usum rei præsentis assumpta creatura est, quæ in humanis oculis appareret, & auribus insonaret, & appellaretur Angelus Domini, & Dominus, & Deus, non potest hic Deus Pater intelligi, sed aut Filius, aut Spiritus Sanctus. Quamquam Spiritum Sanctum alicubi Angelum dictum non recolam, sed ex opere possit intelligi. Dictum enim de illo est:* Quæ ventura sunt annuntiabit vobis. *Et utique Angelus* Joan. 16.

Roman. 9.

Græcè

*Græcè, Latinè Nuntius interpretatur. De Domino autem Jesu Christo evidentissimè legimus apud Prophetam, quòd Magni Consilii Angelus dictus sit,* Isai. 9.
*cùm & Spiritus Sanctus, & Dei Filius, sit Deus & Dominus Angelorum.*

Sed manifestiùs Sermone 7. *De Scripturis Veteris & Novi Testamenti*, Editionis postremæ Parif. *De lectione Exodi, de Rubo in quo flamma erat, & Rubus non comburebatur*, utramque sententiam ut probabilem proponit. *Quòd autem*, inquit, *idem ipse, qui loquebatur Moysi, & Angelus Domini, & Dominus dicitur, Magna quæstio est, nec temerarium debet habere affirmatorem, sed tantùm inquisitorem. Duæ sunt autem sententiæ, quæ hinc proferri possunt, quarum qualibet vera sit, ambæ secundùm fidem sunt. Quod dixi, Quænam earum vera sit: Hoc dixi, quidnam eorum senserit qui scripsit. Nam quando nos inquirentes Scripturas sentimus aliquid, quod Scriptor fortè non sensit; non tamen hoc sentire debemus, quod abhorret a regulâ fidei, a regulâ veritatis. Ergo ambas sententias propono: Sit fortassis & tertia, quæ me latet. Ex his autem duabus propositis, eligatis quam volueritis. Aliqui dicunt, Ideo & Angelum Domini dictum, & Dominum, quia Christus erat, de quo apertè Propheta dicit, Quòd sit Magni*
Isai. 9. 6. *consilii Angelus. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Nam Angelus Græcè, qui Latinè Nuntius appellatur. Quis neget, Christum nuntiasse nobis Regnum cælorum?....... Qui verò existimant verè eum Angelum Domini fuisse, non Christum, sed Angelum missum; necesse est ut exigatur ab eis ratio quare dictus sit Dominus..... Respondent & ipsi: Sicut in Scripturis Propheta loquitur, & dicitur, Quia Dominus loquitur, non quia Dominus est Propheta, sed quia Dominus est in Prophetâ, sic & cùm per Angelum dignatur Dominus loqui, quomodo per Apostolum, quomodo per Prophetam, rectè dicitur Angelus propter seipsum, & Dominus propter habitantem Deum. Certè enim Paulus homo erat, & Christus Deus, & ait tamen ipse Paulus:* An vultis ex-
1. Cor. 13. 3. „ perimentum accipere ejus qui loquitur in me „ Christus? *Dixit & Propheta:* Audiam quid loque-
„ tur in me Dominus Deus. *Qui loquitur in homi-*
Psalm. 84. 9. *ne, loquitur in Angelo. Ideo apparuit Moysi Angelus Domini, & dixit:* Ego sum qui sum. *Habitatoris vox est, non Templi.*

Libro tamen 3. *De Trinitate*, in eam inclinat sententiam, quæ Apparitiones omnes Dei Patriarchis & Prophetis in Veteri Testamento factas, Angelorum interventu ac ministerio factas asserit. Sed aliud est Angelum dumtaxat *Moysi* apparuisse, aliud Deum Angeli ministerio in illâ Apparitione usum, ut subjectam creaturam ad effectum suæ voluntatis producendum disponeret, ac vocem ederet humanis auribus insonantem. Illud non asserit *S. Augustinus*, sed postremum istud dumtaxat. Id unum enimverò demonstrandum sibi sumit, Deum ut in se est Patriarchis & Prophetis in visione sensibili non visum. *Secundùm Spiritum Dei*, inquit, *missum nobis de altissimis, & impartitam ejus gratiam in mentibus nostris, au-*
Lib. 3. De Trinit. Cap. 10. & 11. *deo fiducialiter dicere, Nec Deum Patrem, nec Verbum ejus, nec Spiritum ejus, quòd Deus unus est, per id quod est atque idipsum est, ullo modo esse mutabilem ac per hoc multò minùs esse visibilem: Quoniam sunt quædam quamvis mutabilia, non tamen visibilia, sicut nostræ cogitationes & memoria, & voluntates, & omnis incorporea creatura. Visibile autem quicquam non est, quod non sit mutabile. Quapropter substantia, vel si meliùs dicitur, essentia Dei, ubi pro modulo nostro ex quantulâcumque particulâ intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quandoquidem nullo modo mutabilis est, nullo modo potest ipsa per semetipsam esse visibilis. Proinde illa omnia, quæ Patribus visa sunt, cùm Deus illis secundùm suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam videamur plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapiamus ad temperantiam, sicut Deus nobis partitus est mensuram fidei: Sed credimus propter quod & loquimur. Extat enim Auctoritas Divinarum Scripturarum, unde mens nostra deviare non debet, nec relicto solidamento Divini Eloquii, per suspicionum suarum abrupta præcipitari, ubi nec sensus corporis regit, nec perspicua ratio veritatis elucet. Apertissimè quippe scriptum est in Epistolâ ad Hebræos, cùm dispensatio Novi Testamenti secundùm congruentiam seculorum ac temporum distingueretur, non tantùm illa visibilia, sed ipsum etiam sermonem per Angelos fa-* Hebr. 1. 12.
„ *ctum. Sic enim dicit:* Ad quem autem Angelo-
„ rum dixit aliquando: Sede a dextris meis, do-
„ nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo-
„ rum? Nonne omnes sunt Ministri Spiritus ad
„ ministrationem missi, propter eos qui futuri
„ sunt hæreditate possidere salutem? *Hinc ostendit, illa omnia non solùm per Angelos facta, sed etiam propter nos facta: Id est, propter Populum Dei, cui promittitur hæreditas æternæ vitæ... Deinde quia* Hebr. 2.
*tunc per Angelos, tunc autem per Filium sermo fa-*
„ *ctus est consequenter apertèque demonstrans:* Pro-
„ pterea, *inquit*, abundantiùs oportet attendere
„ nos ea quæ audivimus, ne fortè defluamus: Si
„ enim qui per Angelos dictus est sermo, factus
„ est firmus, & omnis prævaricatio & inobedi-
„ entia justam accepit mercedis retributionem,
„ quomodo nos effugiemus, tantam negligentes
„ salutem? *Et quasi quæreres, quam salutem; ut ostenderet se de Novo Testamento jam dicere, id est sermone qui non per Angelos, sed per Dominum factus*
„ *est:* Quæ cùm initium accepisset, *inquit*, ut
„ enarraretur per Dominum, ab iis qui audierunt
„ in nos confirmata est, contestante Deo signis
„ & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs
„ Sancti divisionibus, secundùm suam voluntatem.

Mox objectionem occupat S. Augustinus. *Sed ait aliquis: Cur ergo scriptum est;* Dixit Dominus ad Moysen; *& non potiùs: Dixit Angelus ad Moysen:* Respondet: *Quia cùm verba Judicis Præco pronuntiat, non scribitur in Gestis, Ille Præco dixit, sed, Ille Judex. Sic etiam loquente Prophetâ Sancto, etsi dicamus, Dominus dixit, Prophetam non subtrahimus, sed quis per eum dixerit, admonemus. Et illa quidem Scriptura sæpè aperit Angelum esse Dominum, quo loquente identidem dicitur, Dominus dixit, sicut jam demonstravimus. Sed propter eos, qui, cùm Scriptura illic Angelum nominat, ipsum per se ipsum Filium Dei volunt intelligi, quia propter annuntiationem paternæ ac suæ voluntatis a Prophetâ dictus est Angelus: Propterea volui ex hac Epistolâ manifestius testimonium dare, ubi non dictum est, per Angelum, sed per Angelos.* Idem confirmat ex *S. Stephani* verbis *Actuum* 7. ubi Mosi Angelum in Rubo apparuisse ait, quem tamen *Dominum* dicit, *Eumdemque Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, sicut in Genesi.* Apparitiones illas omnes per Angelos factas confirmat ex Lege, quam Hebræos accepisse *S. Stephanus* ait, *In edictis* Angelorum, & quam Apostolus ad Galatas 3. *Dispositam* scribit *per Angelos, in manu Mediatoris.* Sed inquit *S. Augustinus*, Ipse Dominus noster Jesus Christus, cujus Adventus per legem disponebatur & prænuntiabatur: *Tanquam Verbum Dei miro & ineffabili modo erat in Angelis, in quorum edictis Lex ipsa dabatur. Unde*
„ *dicit in Evangelio*, Si crederetis Moysi, crede-
„ retis & mihi: De me enim ille scripsit. *Per An-* Joann. 5.
*gelos ergo tunc Dominus loquebatur, per Angelos Filius*

*Filius Dei, Mediator Dei & hominum futurus, suum disponebat adventum.* Denique ita hunc Librum concludit Sanctus Doctor: *Sed jam satis, quantùm existimo, pro captu nostro disputatum & demonstratum est, quod in hoc Libro susceperamus ostendere; constititque & probabilitate rationis, quantùm homo, vel potiùs quantùm ego potui; & firmitate Auctoritatis, quantùm de Scripturis Sanctis Divina Eloquia patuerunt. Quòd antiquis Patribus nostris ante Incarnationem Salvatoris, cùm Deus apparere dicebatur, voces illę ac species corporales per Angelos factæ sunt: Sive ipsis loquentibus vel agentibus aliquid ex personâ Dei, sicut etiam Prophetas solere ostendimus: Sive assumentibus ex creaturâ quod ipsi non essent, ubi Deus figuratè demonstraretur hominibus.*

*Theodoretus* ei sententiæ suffragatur, quæ Filium Dei Moysi in Rubo apparuisse propugnat. Sic enim habet Quæstione 5. in Exodum. *Hujus*
Exod. 3.2. ,, *loci lectio declarat quis sit qui visus est.* Apparuit
,, enim, *inquit*, ipsi Angelus Domini in flammâ
,, ignis Rubi. *Et paulò pòst*: Ut autem vidit Do-
,, minus quòd accederet ad videndum, vocavit
,, illum e medio Rubi. *Et rursum post pauca:* Et
,, dixit illi: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac,
,, & Deus Jacob. *Et mox addidit:* Avertit autem
,, Moses vultum suum: Metuebat enim intueri
,, coram Deo. *Et subjunxit*: Videns vidi afflictio-
,, nem Populi mei, qui est in Ægypto, & cla-
,, morem eorum audivi; *& reliqua. Et iterum:*
,, Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israël, QUI
,, EST misit me ad vos. *Universus ille locus demonstrat Deum esse, qui apparuit. Vocavit autem illum Angelum, ut cognoscamus quòd IS qui visus est, non est Deus Pater, (cujus enim Angelus esset Pater?) sed Unigenitus Filius, qui Magni consilii est Angelus: Qui sacris Discipulis dixit:* O-
,, mnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci
,, vobis. *Quemadmodum autem Angeli nomen posuit, non ministerium quodpiam innuens, sed personam Unigeniti demonstrans: Sic iterum ipsius tum naturam, tum potentiam prædicat, dum ait Ipsum*
,, *dixisse*, Ego sum qui sum, &, Ego Deus A-
,, braham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Hoc mi-
,, hi Nomen æternum, & monimentum genera-
,, tionum. *Hęc autem & substantiam divinam indicant, & æternitatem atque perpetuitatem demonstrant.*

Alteri opinioni favet *S. Hieronymus Lib. 1. in Epistolam ad Galatas*, ad caput 3. ubi hæc habet: *Quòd autem ait:* Lex ordinata per Angelos, *hoc vult intelligi: quòd in omni Veteri Testamento, ubi Angelus primùm visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelus quidem verè ex Ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo*
,, *Mediator loquatur, qui dicat:* Ego sum Deus
,, Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. *Nec mirum si Deus loquatur in Angelis, cùm etiam per Angelos, qui in hominibus sunt, loquatur Deus in*
Zachar. 1. ,, *Prophetis; dicente Zachariâ:* Et ait Angelus,
,, qui loquebatur in me; *ac deinceps inferente:*
,, Hæc dicit Dominus omnipotens. *Neque enim Angelus, qui esse dictus fuerat in Prophetâ, ex suâ*
,, *personâ audebat loqui*: Hæc dicit Dominus o-
,, mnipotens.

Pro eâdem parte suffragium dicit *S. Gregorius Magnus Præfatione in Librum Job*, Cap. 1. *Angelus*, inquit, *qui Moysi apparuisse describitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus videlicet, propter hoc quòd exteriùs loquendo serviebat: Dominus autem dicitur, quia interiùs præsidens, loquendi efficaciam ministrabat. Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur. Hinc Da-*
,, *vid ait:* Attendite Populę meus Legem meam;
,, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Non enim Lex David, aut Populus David erat, sed personam ejus, ex quo loquebatur, assumens, ipsius auctoritate loquitur, cujus inspiratione replebatur. Hoc quotidie fieri in Ecclesiâ cernimus, si vigilanter intuemur. Nam stans in medio Populi*
,, *Lector clamat:* Ego sum Deus Abraham, Deus
,, Isaac, & Deus Jacob. *Et quòd ipse Deus sit, verè profectò non dicit: Nec tamen per hoc, quod dicit, veritatis regulam deserit: Quia cui ministerium lectione exhibet, Dominium ejus voce prætendit.*

In priorem & antiquiorem sententiam, quæ Filium ipsum Dei Moysi in Rubo apparuisse asserit, magis inclinare videtur Ecclesia, quæ in unâ ex illis Antiphonis quæ ad *Magnificat* notantur pro septem diebus Festo Dominicæ Nativitatis proximioribus, & priscorum Justorum desideria serventissima de Christi Adventu exprimunt, ita canit: O *Adonai, & Dux domûs Israël, qui Moysi in igne flammæ Rubi apparuisti, & ei in Sinâ Legem dedisti: Veni ad redimendum nos in brachio extento.*

Sed tamen Angeli ministerio Deum Moysi fuisse locutum, Angelum Moysi visum, qui Dei legationem obiret, ejusque nomine loqueretur, S. Stephanus in Oratione ad Judæos paulò ante martyrium innuit. *Apparuit illi in deserto Montis Sinai Angelus in igne flammæ Rubi. Moyses autem videns, admiratus est visum, & accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini dicens: Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses non audebat considerare. Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum; Locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & descendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum. Hunc Moysen quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem & judicem? Hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu Angeli qui apparuit illi in Rubo.* Atque ad hunc sensum explicari potest Antiphona illa, quam Ecclesia paucis ante Natale Christi Domini diebus in Officio Vespertino canit. Act. 7.

# DISSERTATIO XVI.

## DE INSTITUTIONE, CELEBRATIONE, & Ritu Judaici Paschatis.

ANtequàm postremam plagam cædis omnium Primogenitorum *Pharaoni* & Ægyptiis Deus infligeret, Paschatis Celebritatem, Ritumque religiosum instituit, ante discessum ex Ægypto, & deinceps quotannis in perennem beneficiorum memoriam observandam. *Exodi* 12. De quo cùm Interpretes & Commentatores Scripturæ Sacræ, aliique Viri Eruditi pluribus Dissertationibus agant, nos qui Commentariorum prolixitatem vitare decrevimus, Quæstiones omnes quæ de Paschate fieri solent, in unam Dissertationem contrahemus, & paucis absolvemus. Id ut ordine fiat, primò explicandum est *Pascha* nomen, secundò tempus, tertiò locus, quartò Ministri, quintò Convivæ, sextò Ritus, postremò Mysterium.

## ARTICULUS I.

### DE PASCHÆ NOMINE.

Pascha nomen Chaldaicum est, ut observat *Philo Libro 3. de Vitâ Moysis:* Hebræis *Pesach* dicitur, a radice *Pasach*, quod Græcis διαβαινειν, *transgredi* significat, vel υπερβαινειν prætergredi. Unde *Josephus* hoc Festum υπερβασιν & *Philo* διαβατηρια vocat. Ita etiam *Origenes Libro 8. contra Celsum*. 70. Interpretes *Pascha* dixerunt. Theodotio *Pasech:* Quem secutus Latinus Interpres, *Phase* appellavit. *Pascha* seu *Pesach*, *transitum* significat, transitum, inquam, Angeli primogenita Ægyptiorum occidentis per domos Hebræorum ab illâ cæde servatas, cùm postes eorum Agni sanguine tinctos videret. Hanc nominis rationem confirmat Deus Genesis 7. Vers. 2. *Est enim Phase*, inquit, ( *id est transitus* ) *Domini. Et transibo per Terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne Primogenitum in Terrâ Ægypti ab homine usque ad pecus... Erit autem vobis sanguis in signum in ædibus in quibus eritis; & videbo sanguinem, & transibo vos: Nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero Terram Ægypti*. Et Vers. 26. *Cùm dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista Religio? Dicetis eis: Victima transitûs Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans*. Hunc transitum Paschatis nomine significari *S. Hieronymus* observat *Commentar. in Cap. 20. S. Matthæi*. Idem observat *S. Augustinus in Psalmum 68. Sermone 1.* Idque admonuisse etiam S. Joannem Evangelistam, *Qui imminente Passione cùm veniret Dominus ad Cœnam, quâ commendavit Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, ita loquitur:* Cùm autem venisset hora, quâ transiret Jesus de hoc Mundo ad Patrem. *Expressit ergo*, inquit, *transitum Pascha*. At a transitu Populi Hebræi ex Ægypto per Mare Rubrum in optatissimam libertatem, & in Terram promissam, huic Solemnitati factum nomen, *S. Gregorius Nazianzenus Oratione in Sanctum Pascha*, & *S. Augustinus Tractatu 55. in Evangelium S. Joannis*, tradunt. Et certè ad hujus etiam beneficii memoriam refricandam instituisse Deum ut Paschalia Sacra quotannis repeterentur, colligi potest ex Deuteronomii 16. 1. *Observa*, inquit, *Mensem novarum frugum, & verni primùm temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo, Quoniam in isto Mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.... Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto: Ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ*. Improbabilis ergo est eorum opinio, quibus vocis istius *Pascha* Græcam esse originem visum est, & ita appellari απο του πασχειν, quod est *pati*, quia Paschæ tempore Christus passus est. In hunc tamen errorem Magnos Viros traxit Hebraicæ linguæ ignorantia, nempe *S. Irenæum Libro 4. Adversùs Hæreses*, Cap. 23. scribentem: *Diem Passionis non ignoravit* ( Moyses ) *sed figuratim pronuntiavit, eum Pascha nominans*. S. Gregorium Nazianzenum *Oratione 42.* dicentem, Quosdam credidisse, *Hoc salutiferæ Passionis nomen esse*. Et e Latinis *Tertullianum Libro Adversùs Judæos*, Cap. 10. *Adjecit*, inquit, *Pascha esse Domini; id est Passionem Christi*. Falluntur etiam Syri, qui pro *Pascha*, scribunt *Patscha*, *Samech*, in *Tsade* mutato, quasi a lætitiâ id nomen derivatum sit, & Sacræ Solemnitati impositum, quâ reverâ nihil lætius.

Joann. 13. 1.

Quadruplex est in Sacris Literis hujus vocis, *Pascha*, significatio. Primò significat Angeli transitum, qui, Ægyptios percutiens, Israëlitarum domos intactas transiliit. Secundò, Agnum Paschalem, qui in hujus liberationis memoriam immolabatur. Exodi 12. 21. *Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase*. 2. Paralipomenon 35. 11. 13. *Et immolatum est Phase.... Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in Lege scriptum est*. Lucæ 22. 7. *Venit autem dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus*. 1. ad Chorinthios 5. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Tertiò, significat Sacrificia toto Paschalis Solemnitatis tempore, id est, per septem dies Azymorum imperata & offerri solita. Deuteronomii 16. 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Quartò, festos ipsos dies significat, quibus hæc celebrantur. Lucæ 22. 1. *Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha*.

## ARTICULUS II.

### DE TEMPORE PASCHATIS.

Tempus celebrandi Judaici Paschatis erat Primi Mensis dies decima-quarta, ad vesperam. Exodi 12. *Decimâ die Mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas... Et servabitis eum ad quartam-decimam diem Mensis hujus, Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam*. Et Levitici 23. 5. *Mense primo, quarta-decimâ die Mensis ad vesperum, Phase Domini est*. Mensis primus hìc appellatur, qui alibi Mensis *Abid* seu *Nisan*, a quo Veris initium, partim Martio, partim Aprili nostro respondens. Mensis *Abid* dicitur, id est, *Mensis Novarum frugum*, seu simpliciter *Mensis Novorum*, Exodi 13. 14. 22. 15. 34. 18. & Deuteronomii 16. 1. ubi legimus: *Observa Mensem novarum frugum, & verni primùm temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: Quoniam in isto Mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte*. Dum scilicet in Judæâ segetes maturescere incipiunt, teste Philone. A Chaldæis vocatur *Nisan*, [ *Nehem. 2. 1. Esther 3. 7.* ] Quæ vox non a verbo *Nus* derivatur, quod *fugere* significat, ut quidam volunt, sic appellatum conjicientes, quòd illo Mense Judæi ex Ægypto fugerint. Quid enim attinebat ad Chaldæos, a quibus hoc nomen impositum est, observare tempus quo Hebræi ex Ægypto excesserunt? Felicior est *Bocharti* conjectura, scribendum *Nissan* per duplex S. ut in *Josepho Libro 3. Antiquitatum Cap. 10.* & ita nominatum a *Bellicis signis*, seu *vexillis*, quæ illo Mense primùm explicantur. Unde hunc Mensem intelligunt Hebræi 2. Regum 11. 1. *Factum est autem vertente Anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere*. Porrò Mensis *Abid* seu *Nisan*, cùm antea septimus esset Hebræis, post exitum ex Ægypto pro primo haberi cœpit, Deo ita jubente, Exodi 12. 2. *Mensis iste*, inquit, *vobis principium Mensium: Primus erit in Mensibus anni*. Quod tamen non obtinuit nisi in Sacris. Annus enim civilis a Mense *Tisri*, circa Autumnum incipiebat.

Stata dies immolationis Agni Paschalis, decima quarta Mensis *Nisan*, ad vesperam, seu [ quæ vis est Hebraici Textûs ] *Inter duas vesperas:* sive, ut habet Chaldaica Paraphrasis, *Inter duos Soles*. Exodi 12. 6. Levitici 23. 5. Numeror. 9. 3. 5. Diem

5. Diem naturalem apud Judæos a vesperâ incepisse, & in sequentem vesperam duravisse, probat creationis Historia. Ideo jubentur servare Sabbathum, & Solemnitates quaslibet suas a vesperâ. Levitici 23. 32. *A vesperâ usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*. His porrò verbis, *Inter duas vesperas*, quidam significari volunt totum temporis inter vesperam decimæ quartæ, & decimæ-quintæ diei, seu inter priorem & posteriorem diei decimæ-quartæ vesperam incurrentis intervallum: Sed oppidò falluntur: Cùm enim illud spatium horis viginti-quatuor definitum sit, quâvis horâ immolare & comedere Agnum Paschalem licuisset, contra diserta Legis verba, Deuteronomii 16. 6. *Immolabis Phase vespere, ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto*. R. Salomon, R. Kimchi, R. Simeon, per *Duas vesperas* intelligunt totum pomeridianum tempus usque ad Solis occasum; ut licuerit Agnum Paschalem mactare a Meridie decimæ quartæ diei usque ad Solis occasum; postea verò id agere nefas fuerit. Tunc enim inchoato jam die 15. Festum celebrari incipiebat, Agnusque cum Azymis comedebatur. Huic sententiæ nihil habere se quod opponat, fatetur *Pererius*, nisi, quòd nimis durum atque insolens videtur totum pomeridianum tempus appellari vesperam. At id non ita durum & insolens ipsi visum esset, si Græcos ipsos duplicem distinxisse vesperam animadvertisset, *Vesperam maturam*, cujus initium statim a Meridie, & *Vesperam seram*, quæ circa Solis occasum. Ita *Hesychius*, & *Eustathius* in Librum 17. *Odyss.* & *Suidas*. Ita etiam e Latinis *Varro* in Satyrâ Menippeâ: *Nescis quid Vesper serus vehat*. Sic etiam Hebræis duplex fuit vespera, utraque ante Solis occasum; una Meridiei, altera Occasui propior. Intra duas illas Vesperas, præter Agnum Paschalem, offerebatur etiam juge Sacrificium, accendebantur lampades, & adolebatur thymiama, prout singulis diebus ex mandato Legis fieri consueverat. (*Exodi* 29. 39. & 30. 8.) De his *Maimonides Tractatu De Paschate, Cap.1. Sectione 4.*

*Disputat. 11. cap. 13. Exodi.*

*Aben-Esra* tempus *inter duas Vesperas* definit crepusculum vespertinum, inter Solis occasum, & initium noctis intercedens. Quam explicationem *Oleaster*, aliique Auctores amplexi sunt. Cui sententiæ probabilitas non minima accedit ex Capit. 12. *Exodi*, ubi agni Paschalis immolatio præscribitur decimâ-quartâ die *Ad Vesperam*, Vers.6. & similiter initium comedendi Azyma statuitur *Quartâ-decimâ die ejusdem Mensis, ad Vesperam*: At initium comedendi Azyma non fiebat nisi post occasum Solis diei decimæ-quartæ, incipiente scilicet die decimo-quinto: Cùm itaque eodem modo loquatur *Moyses* de tempore immolationis & comestionis Agni, sequi videtur nomine *Vespera* utrobique intelligi tempus proximè sequens occasum Solis. Itaque, secundùm hanc sententiam, τὸ *Inter duas Vesperas*, est ab occasu Solis usque ad nocturnum crepusculum seu noctis initium. Idque clarè expressum videtur Deuteron.16. 6. *Immolabis Phase vespere, ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto*.

Alii denique scilicet *Andreas Masius*, Cardinalis *Cajetanus*, *Jansenius*, & *Pererius*, Vesperam interpretantur extremam partem diei decimæ-quartæ, id est, tempus a Nonâ ad Solis usque occasum interjacens, duabus circiter horis definitum, ita ut Prior Vespera sit declinatio Solis. Duplex hæc Vespera non obscurè a *S. Matthæo* exprimitur Cap.14. ubi narrat miraculum multiplicationis quinque panum. Vers.15. *Vespere autem facto*, inquit, *accesserunt ad eum Discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, & hora jam præteriit: Dimitte turbas, ut euntes in Castella, emant sibi escas*. Mox narrato Miraculo, subdit Vers.23. *Et dimissâ turbâ, ascendit in Montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi*. Duplicem eodem die Vesperam distinguit S. Evangelista, priorem Sole ad occasum præcipitante, posteriorem post occasum Solis. Harum opinionum nulla non probabilis est. Quamobrem sequatur quisque quam voluerit.

Vespertinum illud tempus Paschæ celebrationi, seu Agni Paschalis immolationi ex Lege destinatum, non fuit prior Vespera quæ initium erat diei decimi-quarti, sed posterior, in quam idem dies desinebat. Enimvero Primi Paschatis celebrationi statim successit dies decimus-quintus, qui primus fuit Azymorum, & mane sequens, quo Israëlitæ ex Ægypto discedere sine morâ coacti sunt, non fuit pars diei decimi-quarti, sed decimi-quinti. Numerorum 33. 3. *Profecti igitur de Ramesse Mense primo, quinta-decimâ die Mensis primi, alterâ die Phase, filii Israël in manu excelsâ, videntibus cunctis Ægyptiis*. Præterea, septem dies Azymorum numerabantur a priori Vesperâ diei decimi-quinti, quo ineunte comedebatur Paschalis Agnus, ad finem usque diei vigesimi-primi. Exodi 12. 15. 17. 18. *Septem diebus Azyma comedetis ..... Et observabitis Azyma: In eâdem enim ipsâ die educam Exercitum vestrum de Terrâ Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo Mense, quarta-decimâ die Mensis ad Vesperam, comedetis Azyma usque ad diem vigesimam-primam ejusdem Mensis ad Vesperam*. Agnus igitur Paschalis non comedebatur, adeòque nec immolabatur in priori Vesperâ seu initio diei decimi-quarti, sed in posteriori vesperâ, seu in fine ejusdem diei: Alioqui non jam septem, sed octo dies Azymorum numerandi essent. Idem confirmatur ex Versu 8. ejusdem capitis: *Et edent*, inquit, *carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes*. Porrò Nox illa pertinebat ad diem decimum-quintum: Itaque præcedente Vesperâ, quæ finis erat diei decimi-quarti, immolabatur Agnus. Denique Christus ultimum Pascha suum celebravit die a Lege statutâ: At evidens est ex Evangelio Christum Agnum Paschalem comedisse, & Mysticam Cœnam cum Discipulis celebrasse ineunte die decimo-quinto, qui primus erat Azymorum, *Matthæi* 26. 17. *Marci* 14. 12. *Lucæ* 22. 7. Et dies sequens, quo Christus traditus & crucifixus est, festus fuit. Proinde *Barabbas* liberatus est, quia Festo illo solebat reus aliquis liber dimitti, *Matthæi* 27. 15. *Marci* 15. 6. *Lucæ* 23. 17. *Joannis* 18. 30. Hinc *Joannis* 13. 1. 2. solemnis illa Christi Cœna celebrata dicitur, *Ante diem Festum Paschæ*, id est, pridie Festi Paschatis: Christus itaque Agnum immolavit & legale Pascha celebravit posteriori Vesperâ diei decimi-quarti, seu eo die desinente.

Præter Pascha primi Mensis omni Populo Israëlitico solemne, aliud eodem ritu celebrabatur die decimo-quarto secundi Mensis, ex institutione divinâ, ab iis qui tempore primi Paschatis immundi erant, aut in loco remoto ex quo se ad congregationem Populi conferre maturè non possent. Numerorum 9. 9. 10. 11. 12. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël: Homo qui fuerit immundus super animâ, sive in viâ procul in Gente vestrâ, faciat Phase Domino in Mense secundo, quarta-decimâ die Mensis ad Vesperam: Cum Azymis & lactucis agrestibus comedent illud: Non relinquent ex eo quidpiam usque mane, & os ejus non confringent, omnem ritum Phase observabunt*. De secundo illo Paschate lege *Maimonidem* Libro *De Paschate*, Cap.6. & 7.

## ARTICULUS III.

### DE LOCO UBI CELEBRANDUM ERAT PASCHA.

PRimum Pascha in Ægypto celebratum est, ibique Paschalem Agnum in propriâ domo quisque Israëlitarum mactavit, quia non licebat alibi immolare, cùm in Ægypto nullum esset Altare vero Deo erectum, nec ullus locus sacer, ad quem convenire illi Populo liberum esset. Exodi 12. 21. *Vocavit autem Moyses omnes Seniores filiorum Israël, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase.* Alterum Pascha in Monte Sinai celebratum est, Numerorum 9. *Locutus est Dominus ad Moysen in Deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de Terrâ Ægypti, Mense primo, dicens: Faciant filii Israël Phase in tempore suo, quarta-decimâ die Mensis hujus ad Vesperam, juxta omnes ceremonias & justificationes ejus. Praecepitque Moyses filiis Israël ut facerent Phase. Qui fecerunt tempore suo, quarta-decimâ die Mensis ad Vesperam, in Monte Sinai.* Deinceps verò non potuit alibi immolari Paschalis Agnus, quàm in loco, quem Deus elegerat. Deuteronomii 16. 5. 6. *Non poteris immolare Phase in qualibet Urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet Nomen ejus ibi.* Id est, ante ostium Tabernaculi testimonii, & Hierosolymis in Templi atrio, ubi reliquas etiam victimas offerri, & Sacra quævis celebrari, moris erat, ex quo Templum a *Salomone* ædificatum est. Et certè si ubivis immolari & comedi Paschalis Agnus potuisset, frustra Deus omnibus & singulis Israëlitis jussisset, ut quotannis in locum a Deo electum se conferrent, Festum illud celebraturi, & se in loco illo coram Domino sisterent. *Exodi* 23. 17. & 34. 23. & *Deuteronomii* 16. 6. Nec fuisset opus, ut qui iter agebant tempore primi Paschatis, Hierosolymis se sisterent secundo Mense, & in eorum gratiam alterum Pascha celebraretur. Neque ut Deus illorum Urbes ab invasione continuo miraculo servaret, dum ad Festa celebranda in unum locum ab ipso designatum se conferrent, quod se facturum pollicetur *Exodi* 34. 24.

Temporis & loci angustias frustra quis objiceret, quasi inter duas Vesperas tot agnorum millia ad unum Altare mactari & offerri non potuerint. Templi enim atrium latissimè patuisse constat ex 3. *Regum* 8. 63. & 2. *Paralipomenon* 5. 6. ubi refertur, viginti duo millia boum, & ovium centum viginti millia in Templi Encæniis a *Salomone* ibi oblata esse, & a reliquo populo victimas absque numero. Non mediocris magnitudinis erat Altare, quod in secundo Templo describit *Josephus* tetragonum, tam latum quàm longum cubitis quinquaginta, id est, pedibus septuaginta-quinque. ( *Libro* 6. *De Bello Judaico*, Cap. 6. ) In illud autem Altare non Agni integri, sed extorum dumtaxat adipes imponebantur, & sanguis fundebatur ad basim. Cui Ministerio plurimi & expediti Sacerdotes per horas quatuor, si res ita postularet. Quin totâ nocte adoleri poterant adipes, donec ascenderet columna Aurore, ut tradit *Maimonides* Tractatu *De Paschate*. Ita hanc objectionem diluit *Bochartus Hierozoici* Lib. 2. Cap. 50.

## ARTICULUS IV.

### DE PASCHALIS SACRIFICII MINISTRIS.

ISTius Sacrificii, Sacrorumque reliquorum Ministri, cùm nondum legales Sacerdotes Deus instituisset, in Ægypto fuerunt, vel Patres familias, vel Primogeniti, qui Sacerdotio fungebantur; quos etiam Sacerdotum nomine significari plerique intelligunt. *Exodi* 19. 22. ubi legimus: *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Nondum quippe instituti erant legales & Aaronici Sacerdotes. De Primogenitis etiam explicant, quod *Exodi* 24. 5. legitur de Moyse: *Misitque juvenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos.* Pro *Juvenibus*, Chaldæi & Arabs vertunt *Primogenitos*, eosdemque intelligunt *R. Salomon & Aben-Esra*. Instituto verò Sacerdotio Levitico, cujuslibet Sacrificii, adeoque & Agni Paschalis oblatio, ad solos Sacerdotes pertinebat, ut constat ex toto Libro *Levitici*.

At, inquies, *Exodi* 12. 6. immolatio Agni Paschalis toti Populo in perpetuum videtur concessa his Dei verbis ad Moysen: *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Proinde in solemni Paschate sub *Ezechiâ*, præter consuetudinem factum videtur, ut Agni non a Populo, sed a Levitis mactarentur, propter immunditiam Populi 2. Paralipomenon 30. 17. *Eò quòd multa turba sanctificata non esset: & ideirco immolarent Levitæ Phase his qui non occurrerant sanctificari Domino.* Id *Philonis* auctoritate confirmatur Lib. 3. *De Vitâ Mosis*, ubi de Paschate sic loquitur: *Quo Festo, non plebeii homines victimas ad Altare adducunt a Sacerdote mactandas: Sed jubente Lege tota Gens sacrificat, dum pro se quisque hostiam offert, & propriis manibus immolat.* Et Libro *De Decalogo* ita scribit: *Quo Festo passim singuli sacrificant, non expectatis Sacerdotibus, Lege Sacerdotium quotannis universæ Genti unâ die eximiâ concedente, ut Sacrificia per se faciat.*

Respondetur, Multitudini filiorum Israël præceptam a Deo Paschalis Agni immolationem, sicut & aliarum victimarum legalium, quia sistere illum debebant coram Domino, ut a Sacerdotibus, cujuslibet familiæ nomine, offerretur. Secundò. quia præparatio victimæ, & ejus mactatio plebeiis hominibus, quorum offerebatur nomine, non solùm in Agni Paschalis, sed in alio quocumque Sacrificio permissa erat, modò ne immundi essent: Non verò sanguinis receptio, aspersio, oblatio super altare, actionesque omnes ad rationem Sacrificii propriùs spectantes. Hæ enim solis Sacerdotibus, secundùm Legem & morem Populi Dei, erant demandatæ. Id discertè tradit *Abarbanel*, *Commentario in Leviticum*, decem in quolibet Sacrificio numerans actiones, quarum quinque ad eos pertinent, quorum nomine victimæ offeruntur, quinque ad solum Sacerdotem. Ad eos quorum nomine, seu pro quibus offeruntur, pertinent 1. manuum impositio super caput victimæ, 2. mactatio, 3. excoriatio, 4. dissectio, 5. extorum ablutio. Ad solum Sacerdotem pertinent, 1. receptio sanguinis in pelvi, 2. ejusdem aspersio, 3. ignis accensio super Altare, 4. lignorum dispositio, 5. oblatio carnium & adipum in Altari. At excoriationem, & dissectionem Sacerdotibus Lex etiam tribuit, plebeiis hominibus solam manûs impositionem, &

& mactationem. Levitici 1. *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ovibus offerens victimas, si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum: Ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit atque in expiationem ejus proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per Altaris circuitum, quod est ante ostium Tabernaculi, detractâque pelle hostiæ, artus in frusta concident, & subjicient in Altari ignem, strue lignorum ante compositâ: & membra quæ sunt cæsa desuper ordinantes..... Adolebitque ea Sacerdos super Altare in holocaustum, & suavem odorem Domino.* Similiter de Sacrificio Pacifico legitur Levitici 3. 2. *Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu Tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron Sacerdotes sanguinem per Altaris Circuitum. Et offerent de hostiâ pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis est intrinsecùs.... Adolebuntque ea super Altare in holocaustum, lignis igne supposito: In oblationem suavissimi odoris Domino.* Similiter de Sacrificio pro peccato legitur Levitici 4. 27. *Quòd si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ...... Offeret capram immaculatam. Ponetque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti. Tolletque Sacerdos de sanguine in digito suo; & tanges cornua Altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis Pacificorum, adolebit super Altare in odorem suavitatis Domino; rogabitque pro eo & dimittetur ei.* Nihil ergo in Paschalis Agni immolatione plebeiis hominibus a Lege concessum est, [ Quicquid dixerit *Philo* Oratorum more rem exaggerans ] quòd in reliquis Sacrificiis concessum ipsis non esset; æquè enim in omnibus manum in caput victimæ imponebant, eamque suis manibus mactabant: Ut testantur etiam *Maimonides* Libro *De ingressu Sacerdotis in Sanctuarium*, Cap. 9. Sect. 6. & Talmudici in *Zebachin* Cap. 5.

## ARTICULUS V.

### *DE CONVIVIS AGNI PASCHALIS.*

AD Agni Paschalis esum nemo admitti potuit secundùm Legem, qui circumcisus non esset. Cùm enim Agni Paschalis esus esset unum e præcipuis Judaicæ Religionis Sacramentis, nemo poterat illius fieri particeps, nisi Religione illâ priùs initiatus: Cùm esset commemoratio insignis beneficii olim Hebræis in Ægypto collati tum in liberatione a cæde primogenitorum per Angelum exterminatorem, cùm in eductione ex Ægyptiacâ servitute; ad illos nequaquam pertinebat, qui Hebræi non essent, vel Hebræo Populo per Circumcisionem aggregati. Quicumque igitur seu alienigenæ seu servi emptitii, seu inquilini Terræ Chanaam, seu mercenarii, ad Pascha admitti volebant, eos circumcidi priùs oportuit, ut Lege sanctum est, Exodi 12. 43. *Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Hæc est Religio Phase. Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, & sic comedet. Advena & mercenarius non edent ex eo.... Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut Indigena Terræ: Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem Lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.* Quod Lex decernit de servorum emptitiorum Circumcisione, non ita intelligendum est quasi ad Circumcisionem cogendi fuerint, ut *Tostato* visum est: Sed ut ad Paschale convivium admitti non possent nisi circumcisi; & si circumcidi nollent, a Dominis abdicarentur, & alienigenis venundarentur, ut explicat *Maimonides* Lib. *De Circumcisione*, Cap. 1. Sectione 6. Vernæ tamen, seu infantes e servis domi nati etiam invitis parentibus, a dominis octavo die circumcidi poterant, quia liberi in servitute nati non tam erant patris, quàm heri. Unde servus Anno Sabatthico Legis beneficio a servitute vindicatus, liberos ex ancillâ genitos secum abducere non poterat, sed Domino relinquere cogebatur. ( Exodi 21. 4. ]

Quæres, Num Lex quæ Incircumcisos excludebat, feminas etiam excluderet? Id quidem videri non nemini posset, cùm in Lege soli masculi ad tria Festa se conferre, & coram Domino se sistere jubeantur. *Exodi* 23. 17. & 34. 23. & *Deuteronomii* 16. 16. Verum Exodi 12. 47. de Phase dicitur: *Omnis Cœtus filiorum Israël faciet illud*. Ad hunc autem Cœtum feminas etiam pertinuisse palam est. Præterea feminas, unà cùm viris, solemnia hæc festa celebrasse, probat exemplum *Elcanæ*, qui quotannis ambas uxores *Annam* & *Phenennam*, cum filiis & filiabus, statutis diebus ducebat in *Silo*, ut sacrificaret Domino, & *Phenennæ*, & cunctis ejus filiis & filiabus dabat sacrificii *partes*, quo die immolabat: *Annæ* autem quam diligebat dabat *partem unam* honorariam. [ 1. *Regum* 1. 3. 4. ] Deipara Virgo *Maria* singulis etiam annis Festo Paschatis Hierosolymam cum *Josepho* adibat, ut legimus Lucæ 2. 41. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ*. David quoque oblatis holocaustis & sacrificiis pacificis in gratiarum actionem, horum partem omnibus Israëlitis, tam viris quàm mulieribus impertiit. [ 2. Regum 6. 18. 19. ] *Cumque complesset, offerens holocausta, & pacifica, benedixit Populo in Nomine Domini Exercituum. Et partitus est universæ multitudini Israël, tam viro quàm mulieri, singulis collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo*. Et Sacerdotum Hebræorum filiæ sacris cibis vescebantur. [ Numer. 18. 2. 19. Verisimilius itaque est, mulieres etiam Agni Paschalis participes fuisse, quod Eucharistici Sacrificii genus erat, & Sacrosancti Sacramenti Eucharistiæ figura insignis, a cujus participatione fideles feminæ non excluduntur. Id confirmatur ex *Maimonide*, Lib. *De Paschate*, Cap. 2. §. 4. asserente Hebræos ad Paschale convivium non solùm mulieres admittere, sed & totum convivarum contubernium ex mulieribus nonnunquam facere. Neque verò mulieres excluduntur Lege in Incircumcisos latâ: Cùm enim ad eas non pertineat Lex Circumcisionis, incircumcisæ propriè dici non possunt. Adde quòd, [ ut scitè observat *Borbartus* ] vox Hebraica *Arel*, propriè *Incircumcisum* non significat, quomodo reddi solet, sed *Præputiatum*, ἀκρόβυστον ut vertit *Aquila*. Mulier autem præputiata dici non potest.

A Paschali convivio excludebantur præterea immundi, leprosi scilicet, viri qui feminis, mulieres quæ sanguinis fluxu laborabant, menstruatæ, & qui ad illas accesserant, & qui humani cadaveris contactu polluti erant. Hi omnes ad alterum Pascha, secundi Mensis decimâ quartâ die in eorum gratiam celebrandum remittebantur. ( *Numerorum* 9. 6. ) Sub *Ezechiâ* Rege multæ Tribus in eam Legem peccaverunt, quibus veniam impetravit pii Regis oratio 2. Paralipomenon 30. 18.

*Ma-*

*Magna etiam pars Populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est: & oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum: & non imputabit eis quòd minùs sanctificati sunt. Quem exaudivit Dominus, & placatus est Populo.*

Remotum iter excusabat Israëlitas a celebratione Paschatis; cùm scilicet in regione procul dissitâ versabantur, ita ut stato die venire Hierosolymam non possent. Horum Pascha in secundum Mensem differebatur, sicut immundorum. (*Numerorum* 9. 6.) Remotum iter *quindecim milliaria* interpretantur *Misna* in Tract. *Pesachim*, Cap. 9. & *Maimonides* Lib. *De Paschate*, Cap. 5. §. 8. 9. At longinqui itineris nomine aliud intellexit *Philo* Lib. 3. *De Vitâ Mosis*, scilicet peregrinationem in regionem a Judæâ procul dissitam. Et hanc fuisse Legis mentem probabilius est. Qui enim quindecim solùm milliaribus ab Urbe aberat, si non poterat ipsâ die decimâ quartâ Hierosolyma se conferre, facilè poterat pridie discedere, ut Festo interesset, reusque erat negligentiæ; si a tempore se intercipi pateretur.

Convivas per domos convenire Lex jubebat; Si autem minor esset numerus, quàm ut Agno comedendo par esset, vicinos advocari eo numero qui satis esset ad comedendum Agnum. Exodi 12. 13. 4. *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum Agni.* Convivarum numerum decem non minorem, nec majorem viginti esse debuisse, colligitur ex Paraphrasi Chaldaicâ *Jonathanis*, & ex *Josepho* Libro 7. *De Bello Judaico*, Cap. 16. ubi refert, *Cestium* vires Civitatis *Neroni* significare cupientem, a Pontificibus sciscitatum esse, de Populi numero. *Illi autem*, inquit, *cùm dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando a nonâ quidem horâ usque ad undecimam hostias cadunt; per singulas verò contubernia non pauciorum quàm decem virorum fiunt: (Solum enim epulari non licet:) Multi etiam viceni conveniunt: Hostiarum quidem ducenta & quinquaginta sex millia, & quingentas numeravere. Fiunt autem, ut denos epulatores per singulas imputemus, vicies centena ac septingenta millia.*

## ARTICULUS VI.

### DE RITIBUS SACRIFICII, ET CONVIVII PASCHALIS.

I. EX Ritibus Sacrificii, Conviviique Paschalis a Deo præscriptis quidam victimæ separationem spectant, alii mactationem, nonnulli assationem, cæteri manducationem. Separationem quod spectat, separi jubetur agnus vel hœdus. Exodi 12. 2. *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* Vers. 5. *Juxta quem ritum tolletis & hœdum.* Vox Hebraica *Seh* utrumque pecus significat. Nec tamen utrumque seponi oportuit & immolari, sed alterutrum, prout libebat; ita nihilominus ut agnum frequentiùs & libentiùs offerrent, non hœdum, nisi cùm agni decrânt, ut *Theodoretus* explicat Quæstione 24. in Exodum. *Mandat igitur illis ut accipiant non tantùm ex ovibus agnos, sed etiam ex capris hœdos: Non ut simul utrumque immolent; sed ut is qui ovem habet, agnum immolet: Qui ove caret, hœdum.* Ita ante *Theodoretum* explicat *S. Augustinus*, Quæstione 42. in *Exodum*, eâ re Christum significari observans, *cujus caro non solùm ex justis, verùm etiam ex peccatoribus propagata est. Quamquam*, inquit, *conentur Judæi etiam hœdum intelligere accipiendum ad celebrandum Pascha, & hoc esse dictum putant* ab agnis & hœdis accipere, *tanquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hœdis hœdum, si illud desit, sumi oportere: Apparet tamen in Christo rebus impletis quid illo præcepto fuerit figuratum.* Et hunc sensum reddit Hebraicus Textus sic ad verbum vertendus: *Ex ovibus, & ex capris accipietis.* Et 70. Interpretes: *Ab agnis, & hœdis accipietis.* Versio Syriaca: *Ex hœdis, & ex agnis accipietis.* Arabica: *Ex ovibus aut capris accipient illum.* Chaldaica Paraphrasis: *De agnis, & de filiis caprarum accipietis.* Ex quibus refellitur *Paulus Burgensis*, negans Paschalem victimam ex hœdis unquam secundùm Legem sumi potuisse. Die porrò decimo Deus agnum seponi jussit, die decimo quarto mactandum, Exodi 12. *Decimâ die Mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* Mirum est quòd *Josephus* Lib. 2. *Antiquitatum*, Cap. 5. pro decimo die decimum tertium præparationi victimæ a Deo destinatum scripserit. Cur autem tanto tempore antequàm mactaretur, agnum præparari voluerit Deus, quatuor causas Hebræi afferunt. 1. Ne in ipso discessu negotiorum turbâ obruti, id oblivioni traderent. 2. Ut accuratiùs observarent, an aliquis defectus in agno esset. 3. Ut ex agni aspectu occasionem haberent inter se colloquendi de suâ ex Ægypto redemptione. 4. Ut fiduciâ divinæ protectionis non formidarent Ægyptios, quibus videntibus, pecudes quas illi colebant, palam ad Sacrificium, & convivium seponebant. Hic autem ritus ad primum dumtaxat Pascha pertinet, quod in Ægypto celebratum est. Unde in nullo alio Scripturæ loco Præparationis victimæ die decimo faciendæ fit mentio.

In agno autem aut hœdo mactando tria Deus postulat, 1. Ut sit *sine maculâ*; 2. Ut sit *masculus*; 3. Ut *anniculus*. 1. Debuit esse sine maculâ, id est, omnis vitii & labis expers. Quod Agno Paschali cum omni alio victimæ genere commune erat. Levitici 22. *Homo de Domo Israël, & de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam .... Quicquid aliud obtulerit in holocaustum Domini, ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus & ovibus & capris: Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile ... Homo qui obtulerit victimam Pacificorum Domino, tam de bobus, quàm de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: Omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super Altare Domini .... Omne animal quod vel contritis, vel tusis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino.* Vitia quinquaginta, propter quæ nec offerre potuerit Sacerdos, nec offerri victima, recenset *Maimonides* Lib. *De Ingressu Sanctuarii*, Cap. 7. Secundò, agnus debuit esse *masculus*, quia præstantiora Deo immolanda sunt, mas autem præstat feminæ. Unde in holocaustis, quæ sacrificii species perfectissima fuit, soli Mares offerebantur. (*Levit.* 1. 3. 10.) Hinc *Malachiæ* 1. 14. dicitur: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino: Quia Rex Magnus ego, dicit Dominus Exercituum, & Nomen meum horribile in Gentibus.* At cur *agnus masculus* dicitur, quasi agnus posset esse non masculus? Respondet *S. Augustinus Quæstione* 42. *in Exodum*, Ovem transferri debuisse, quia Textus Græcus πρόβατον habet, quod cùm neutrius sit generis, potuerunt quæ sequuntur omnia convenire, tam-

tanquam si diceret: *Pecus perfectum, masculum, anniculum erit vobis*. At ex Hebræo meliùs alii Quęstiunculam hanc solvunt. Nomen enim Hebræum *Seh*, quo hìc pro agno *Moses* utitur, communis est generis, & feminini generis, adjectivo quandoque determinatur, scilicet *Jeremiæ* 50. 17. *Ezechielis* 34. 20. & 45. 15. Hìc itaque designandum fuit genus exprimendusque sexus victimæ, quod Latinus Interpres præstitit his verbis: *Agnus masculus*. Hanc autem conditionem Ethnicorum etiam superstitioni Deus opposuit, quorum plerique generis feminini victimas plus apud Deos valere credebant; easque, cùm sacra mascula parum prodeßent, tanquam hostias succidaneas immolabant. Id constat ex *Servio* in *Æneidos* Lib. 7. ad illud Virgilii: *Et cæsâ jungebant fœdera porcâ*, sic disserente: *In omnibus Sacris feminini generis plus valent victima. Denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina: Si autem per feminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat*. Tertia agni conditio fuit, ut esset *anniculus*. Quâ locutione non intelligitur agnus qui annum attigerit, sed qui nondum superaverit. Quod Agno Paschali peculiare non fuit, sed omnibus commune victimis ex Legis præscripto, Levitici 22. 27. *Bos, ovis, & capra, cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ; Die autem octavo, & deinceps, offerri poterint Domino*. Ritûs hujus rationem Interpretes assignant, quòd recèns natæ animantes, quia brevem lucis usuram habuere, & incertum adhuc est an vita illis vitalis sit, ante octavum diem vix in censu animantium æstimentur. Ad hæc, nondum spurcities defluxerit, quæ illis ex utero, & ex partu adhæsit. Ab octavo igitur die offerri potuit agnus usque ad annum primum impletum.

III. Ritus Agni mactationem spectantes hi sunt, Ut a quolibet cœtu filiorum Israël, id est per singulas domos mactetur. Exodi 12. 3. 6. 13. *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.... Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël... Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase*. 2. In Agni sanguine intingi jubetur fasciculus hyssopi, quâ aspergantur ædium postes & superliminaria. *Exodi* 12. 7. 13. Deus ad Moysen ait: *Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum ... Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis; & videbo sanguinem, & transibo vos: Nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero Terram Ægypti*. Ibidem vers. 22. *Moyses* ad Seniores filiorum Israël ait: *Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem. Nullus vestrûm egrediatur ostium domûs suæ usque mane. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: Cùmque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domûs, & non sinet Percussorem ingredi domos vestras & lædere*. Nec tamen eo signo Deus usus est, quòd in sanguine naturalis esset ulla vis, aut quòd externo signo indigeret ut suos dignosceret ab hostibus, & Israëlitas ab Ægyptiis, *Sed quia conveniebat ut per symbolum intelligerent providentiam divinam; & nos qui Agnum Immaculatum sacrificamus, cognosceremus typum ante descriptum*; [ inquit *Theodoretus Quæstione* 24. *in Exodum*.] Notum est quod de *Moyse* Apostolus ait ad Hebræos 9. 28. *Fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem: Ne qui vastabat primitiva, tangeret eos*.

Agni immolationem sequ tur assatio. Exodi 12. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni*. Versionem Vulgatam sollicitat *Oleaster*, quasi non sit verisimile, Deum Judæis crudæ carnis esum prohibuisse, quam, nullo etiam vetante, non comedissent. Vocem igitur Hebraicam נא, *fractum* & *dissectum* reddit, tanquam a verbo נו, quod significat *frangere* & *dissecare*. At *Oleastrum* refellunt non solùm 70. Interpretes & Vulgata nostra, sed etiam Hebræorum Doctores, *Aben-Esra*, *Maimonides*, *R. Selomo*, & *R. Kimchi*. Et certè absurdè fingitur Deum *Mosi* dixisse, *Non comedetis agnum dissectum*: Cùm non possit comedi nisi divisus aut dissectus, quamvis integer coqui possit. *Crudum* hìc opponi semicocto censet *Bochartus*. Coquorum enim, inquit, incuriâ sæpè accidit, ut non sit perfecta coctio. Quandoque etiam helluonum ingluvies, quæ nullas moras patitur, facit ut carnem semicoctam comedant. At *crudum* hìc longè consultiùs intelligitur & exponitur de carne planè crudâ, nec ignem omninò expertâ: Atque hunc sensum confirmant Versio 70. Interpretum, Chaldaica Paraphrasis, & Syriaca Versio. Ideo autem crudæ carnis esum a Paschatis ritibus speciali præcepto Deus removit, ut scitè *Spencerus* observat, quòd usus carnis discerptæ, & sanguine recenti horridæ in Dœmonis festis & ritibus fœderalibus plurimùm olim invaluerat. Id probat ex *Julio Firmico* Lib. *De Errore Profanarum Religionum*, qui pompam in *Bacchi* honorem celebratam sic describit: *Illic inter ebrias puellas, & vinolentos senes, cùm scelerum pompa præcederet, alter nigro amictu teter, alter ostenso angue terribilis, alter cruentus ore, dum viva pecoris membra discerpit, &c*. Ethnicos ritu illo immani festa sua solemniora non raro celebrasse, confirmat *Plutarchus* Lib. De Oraculorum Cessatione: *Festa verò*, inquit, *& sacrificia, seu dies nefastos & horribiles, quibus caro cruda comeditur, & distractiones corporum fiunt ... nulli Deorum consecrari dixerim, sed malis Dœmonibus avertendis peragi*. Ideo *Bacchus*, in cujus honorem sacra illa ferina peragebant, *Crudivorus* appellabatur. Hinc *Catullus* in Nuptiis *Pelli & Thetidis*:

*Pars e divulso jactabant membra juvenco,*
*Pars sese tortis serpentibus incingebant.*

Quâ de re *Clemens Alexandrinus* in Admon. ad Gentes: *Dionysium Mœnolem*, inquit, *Orgiis Baccha celebrant, crudarum carnium esu sacram agentes insaniam, & cæsarum carnium divulsionem peragunt coronati serpentibus*. In aliorum etiam Deorum festis ritum illum inhumanum Gentiles usurpabant. Hinc illud *Arnobii* Lib. 5. contra Gentes: *Caprarum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis*. Certè ritum illum barbarum in superstitiosis Orientalium cæremoniis locum habuisse longè ante Legem datam, inde verisimile fit, quòd Deus esu sanguinis, a quo tamen abhorret natura, Israëlitis sub capitis pœnâ interdiceret. Hunc enim a Deo vetitum ait *Maimonides* in *More Nevochim* p. 3. Cap. 48. *Quoniam ita olim Gentium Reges, etiam Idololatriæ causâ, de more faciebant; Nempe animali viventi abscindebant membrum aliquod, atque illud sanguine perfusum comedebant*. Cruenti hujusce ritûs vetustatem *Theodoretus* confirmat Sermone 10. De Oraculis: *Dœmones*, inquit, *qui olim ut scelestissimi, eade miserorum hominum gaudebant, postquàm senserunt homines hujusmodi eades abominari, quas illi appetebant, ab iisque abstinere; flagellationes, crudorum esus, aliosque hujusmodi ritus commenti sunt*. Ne itaque Sancta Solemnitas quicquam cum Bacchi orgiis, aut aliis Gentium festis, in falsorum Numinum honorem jam celebrari solitis, aut deinceps celebrandis commune haberet, Lege cautum est, ne Paschalis Agnus crudus comederetur. Coqui autem debebat Agnus assan-

assando, non elixando, contra morem reliquorum sacrificiorum, quorum carnes tam a Populo quàm Sacerdotibus comedendas elixare moris erat 2. Paralipom. 35. 13. *Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in Lege scriptum est: Pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & festinatò distribuerunt universæ plebi*. Cur verò Agnum assum igni, non coctum aquâ comedi Lex præceperit, varias causas afferunt Interpretes. 1. Quòd hic modus coquendi sit simplicissimus, cùm neque aquâ, neque ullo saporis alieni condimento ad carnem assandam sit opus, sed solo igne. Unde veteri voce *assa caro*, id est, *sola*, dicitur: ut, *assâ voce cantare*, id est, *solâ voce*, nullo organo adhibito. Ita ex *Varrone* & *Catone* *Nonius*. 2. Quòd assâ carne vescentes robustiora habeant corpora, cùm assa caro sit majoris succi quàm elixa; ideoque Israëlitis ad longum iter se comparantibus illâ potiùs quàm istâ vesci præceptum est. 3. Quòd ita ipsis significaretur quâ festinatione esset opus, quia celeriùs assatur caro, quàm elixatur. Sed Mysterii ratione id Israëlitis præceptum longè probabiliùs est.

Assationem excipit manducatio, cujus hi ritus præscribuntur. 1. Ut lumbis succinctis, calceatis pedibus, & cum baculo in manu, qui viatorum habitus est, Agnum Paschalem comedant, idque cum festinatione, quia res maximè urgebat. Erant enim in procinctu, & illâ ipsâ nocte ex Ægypto exituri. Exodi 12. 11. *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter*. Ritus ille primo Paschati, quod in Ægypto celebrarunt, peculiaris fuit. Deinceps enim non accincti, sed discincti; nec stantes, sed sedentes; nec raptim, sed lentè & pacatè Paschalem Agnum comederunt. Ita Christus cum Discipulis discumbens, ultimum Pascha celebravit. Contrarius videri potest *S. Joannes Chrysostomus Homiliâ 23. in Epistolam ad Ephesios*, ubi de Judæis ait: *Ideo nunc præcincti & calceati vescuntur, ut rogati dicant, Quoniam ad iter faciendum eramus parati*. Sed respondetur, Ipsum de primâ illâ actione ut de re præsenti loqui, cùm dicit: *Nunc præcincti & calceati*. Præterea nihil esse in Textu Græco, quòd voculæ *Nunc* respondeat. 2. Cum Agno Paschali azyma, & lactucas agrestes comedere jubentur. Exodi 12. 8. *Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus*. Præter mysticas Legis hujus rationes, jussi sunt azymis panibus vesci, ad festinationem significandam, quia citò & absque morâ accingere se debebant itineri, nec expectare donec panis esset fermentatus. In exitu ex Ægypto, Israëlitæ azymos panes per totum mensem comederunt, donec illis *Manna* Deus largitus est: Sed necessitate id factum, quia in Deserto nihil habuere unde se toto illo mense sustentarent, præter azyma. At Lex Azymorum usum per septiduum tantùm præscripsit, quotannis religiosè observandum, ut suæ ex Ægypto liberationis memoriam refricarent, ne tanti beneficii sensum ex eorum animis ulla deleret ætas. E septem autem azymorum diebus, primus & ultimus festi fuerunt ac solemnes; quia ut primo ex tam durâ captivitate liberati fuerant, ita septimo *Pharao* cum omnibus suis copiis Maris Rubri fluctibus absorptus fuerat. Per septem illos dies, non solùm fermentum comedere, sed & in domibus habere capitale fuit *Exodi 12. 15.* & sequentibus: *Septem diebus Azyma comedetis: In die primo non erit fermentum in domibus vestris: Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, a primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eâdem festivitate venerabilis: Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. Et observabitis azyma: in eâdem enim ipsâ die educam Exercitum vestrum de Terrâ Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo Mense, quartâ-decimâ die Mensis ad vesperam, comedetis azyma usque ad diem vigesimam-primam ejusdem Mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: Qui com derit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël, tam de advenis, quàm de indigenis Terræ. Omne fermentatum non comedetis: In cunctis habitaculis vestris edetis azyma*. Si tamen Judæis credimus, septem illis diebus fermentato pane vesci nefas fuit, sed azymum edere nonnisi primo fuit necessarium, sed reliquis liberum. Itaque pro azymis per sex illos dies oryzam edere licuit, aut panicum, aut fruges tostas, aut fructus, ut testatur *Maimonides* Tom. 1. *Jad.* Tractatu *De Fermentato & azymo*, Cap. 6. §. 1. *Verumtamen*, inquit, *in reliquo Celebritatis tempore Azymorum esus dumtaxat permittitur, ut qui velit Azymo vescatur: Qui malit, oryzam vel milium edat, aut polentam, aut fructus. At in nocte 15. dumtaxat Azymis uti oportet*. Quod de septimâ die Azymorum potissimùm observant, eo freti Scripturæ testimonio, quòd cùm *Exodi 12.* scriptum sit: *Primo mense, quartâ-decimâ die mensis, ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam-primam ejusdem mensis, ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris*: Idque *Deuteronomii 16.* repetatur; tamen ejusdem Capitis Vers. 8. sex tantùm diebus Azyma Lex comedi jubeat. *Sex diebus*, inquit, *comedes Azyma: & in septimâ, quia Collecta est Domini Dei tui, non facies opus*. Unde *R. Selomo* ad eum locum ita scribit: *Docet de manducatione Azymorum in die 7. Quemadmodum non debita ac necessaria sit. Inde igitur disce quòd ad sex dies attinet; quoniam ecce septimus dies cùm in summâ comprehenderetur, ab eâ exceptus est: Ut ostenderet Azymorum in illo die manducationem permissam dumtaxat fuisse. Neque verò ut de hoc solo die doceret istud, ideo exceptus est; sed ut idem de totâ dierum summâ intelligendum relinqueret: Nimirum uti septimo die permissum est solùm azymis vesci, ita reliquis omnibus permissum est* (non imperatum) *exceptâ nocte primâ, quam Scriptura Azymorum usu obligari voluit*. Quod ex eodem *R. Selomone* Glossa Capitis septimi Tractatûs *Kiddsuch Hachodech* evidentiùs his verbis affirmat: *Quoniam ecce a mediâ nocte primâ Paschali usque ad vigesimam-primam diem manducatio Azymorum permissa, eâ lege dumtaxat, ut fermentato non vescantur*. Lactucæ agrestes cum agno comedendæ, vitam amaram significabant, quam in Ægypto egerant Israëlitæ, unde quoties illas in Paschate comedebant, acerba illa tempora suę in Ægypto servitutis in animum revocabant, & his verbis exprimebant, ut refert *Maimonides* Lib. *De Paschate*, Cap. 8. Sect. 4. *Amarum istud comedimus, quia amaritudine affecerunt Ægyptii vitam Patrum nostrorum in Ægypto, prout dicitur Exodi 1. 14. Et amaritudine affecerunt vitam ipsorum*.

Lege præterea sancitum erat, Ne os ullum Agni Paschalis confringeretur, ne ex ejus carne quicquam relinqueretur; sed ut ejus reliquiæ igne consumerentur, ne scilicet corrumperentur, vel in profanos usus cederent. Exodi 12. *Caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis. Non remanebit quidquam ex eo usque mane, & quod residuum fuerit igne comburetis*. Ibidem Vers. 46. *Nec os illius confringetis*. Quod repetitur *Numerorum* 9. Vers. 12. *Et os ejus non confringent*. Præcepit insuper Deus

Deus, ut ædibus suis totâ nocte se continerent, veluti sub custodiâ sanguinis Agni, qui effusus fuerat, ne eorum sanguis ab Angelo Exterminatore effunderetur. Exodi 12. 22. *Nullus vestrûm egrediatur ostium domûs suæ usque mane.* Lex ista pertinet ad primum Pascha dumtaxat in Ægypto celebratum. Latam enim in perpetuum non fuisse, docet exemplum Christi & Apostolorum, qui illâ ipsâ nocte quâ Pascha celebraverant, in Montem Oliveti se contulerunt. *Matthæi* 26. 30. Jussit denique Deus ut in unâ domo Paschalis Agnus comederetur, nec de carne ejus quidquam ad aliam domum deferretur. Non potuit scilicet nisi integer domesticos in unaquaque domo, aut contubernio, imminenti cladi eripere. Exodi 12. *In unâ domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras.*

---

## ARTICULUS VII.

### *DE PASCHALIS AGNI MYSTERIO.*

CHristum sub Agni typo Prophetæ & Apostoli adumbrarunt, & revera mansuetudine, humilitate, patientiâ fuit Agno simillimus. Isaiæ 16. 1. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de Petrâ deserti ad Montem filiæ Sion.* Isaiæ 53. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Jeremiæ 11. 191. *Et ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Christi Præcursor digito in Christum intento dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi* [ Joannis 1. 29. ] *Philippus* Actuum 8. 27. & sequentibus, de Christo explicat quæcumque de Agno habet Isaias: *Et ecce vir Æthiops... legens Isaiam Prophetam... Locus autem Scripturæ quem legebat, erat hic: Tanquam ovis ad occisionem ductus, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum... Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scripturâ istâ, evangelizavit illi Jesum.* Agninâ carne alimur: suam carnem edere nos Christus jubet, *Joannis* 6. 54. Qui secùs faxit, vitam non habiturum pronuntiat: carnem quippe suam verè cibum esse. Agninâ lanâ induimur: Christum nos in Baptismo induere *S. Paulus* docet ad Galatas 3. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Roman. 13. 14. *Induimini Dominum Jesum Christum.* Sacrificium juge, quo ex Legis Mosaicæ præscripto Agni duo quotidie immolabantur, alter mane, alter vespere, non cruenti solùm Sacrificii typus fuit, quod Christus in Cruce offerens, *Unâ oblatione consummavit in sempiternum Sanctificatos*; Sed jugis etiam & incruenti Sacrificii, quo Christus Corpus & Sanguinem suum in supremâ Cœnâ sub panis & vini speciebus Patri obtulit, & quod ad placandum Deum Sacerdotes quotidie ad Altare offerunt. *S. Joannes* Apocalypsis 5. 6. & sequentibus, Christum ut Agnum sæpè proponit: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, Agnum stantem tanquam occisum... Et cùm aperuisset Librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno.* Verùm Agno præsertim Paschali Christus expressus est. Ut enim ait *S. Paulus* 1. Cor. 5. 17. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Agnus mactari debuit *sine maculâ*: Jesum *Agnum immaculatum* S. Petrus appellat Epistolæ 1. Cap. 1. Vers. 19. id est, a peccato immunem. *Quis* enim, ( inquit ipse Joannis 8. 46. ) *arguet me de peccato?* Quocirca *S. Paulus* ad Hebræos 7. 26. ait: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus... Qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*; ut idem Apostolus scribit Cap. 9. 14. Agnus debuit esse masculus: Christus etiam masculus dicitur, non tam sexûs quàm virtutis ratione. Proinde ad ipsum referuntur verba Legis, Lucæ 2. 23. *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur.* Et *Apocalypsis* 12. Vers. 5. de Muliere quam Sole amictam, & coronâ Stellarum duodecim ornatam *S. Joannes* vidit, dicitur: *Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virgâ ferreâ.* Paschalis Agnus immolabatur medio Mense Nisan, plenilunio, inter duas vesperas: Eo ipso tempore immolatus est Jesus. Agnum Paschalem Hierosolymis mactari oportuit, ex quo ibi a *Davide* constituta est Area. Hierosolymis passus est & Jesus, ut ipse prædixerat Lucæ 13. 32. 33. *Ite & dicite Vulpi illi* [ HERODI : ] *Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiâ die consummor. Verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare: Quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* De Agno Paschali dicitur Exod. 12. 6. *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israël*: Jesum morti addixerunt Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, universus Populus. Paschalem Agnum comedere festinanter, pedibus calceatis, baculos in manibus tenentes, & ad iter expediti jussi sunt Israëlitæ: Jesus intra paucas horas captus, damnatus, & morti traditus est. Ut Agni, ita & Christi Sanguis in morte effusus est, uterque pro populo. Sanguis Agni domorum foribus aspersus Hebræis salutis & libertatis signum fuit: Jesu Christi Sanguis pretium & causa salutis atque libertatis omnium hominum est. Unde *Isaiæ* 52. 15. de Christo dicitur: *Iste asperget Gentes multas.* Hinc & Apostolus ad Romanos 5. 9. *Christus pro nobis mortuus est: Multò igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum.* 1. ad Corinthios 7. 23. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* ad Hebræos 11. 14. & 15. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & Ipse similiter participavit eisdem: Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* ad Hebræos 12. 22. 24. *Accessistis ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem... & Testamenti Novi Mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel.* Hinc *S. Petrus* Epistolæ 1. Cap. 1. Vers. 1. *Petrus Apostolus electis... secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritûs, in obedientiam & aspersionem Sanguinis Jesu Christi.* Ibidem 5. 18. 19. *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis: Sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati...* Quâ nocte immolatus est Agnus Paschalis, Deus in Ægyptiorum Deos judicia exercuit, *Exodi* 12. 12. & *Numerorum* 33. 4. In morte Christi plurimæ Gentes ad veri Dei cognitionem vocatæ, Idola sua abjecerunt. Isaiæ 11. 20. *In die illâ projiciet homo Idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret talpas & vespertiliones.* Sophoniæ 11. 11. *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes Deos terræ & adorabunt eum viri de loco suo, omnes Insulæ gentium.* Agnus immolabatur Mense *Abid*, quem *Mensem novarum frugum*, aut simpliciter *Mensem novorum* appellabant: Christus Jesus morte suâ Mosaicam Legem abrogavit, Novam sanxit, firmavit. Isaiæ 43. 18. & 19. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique*

Hebr. 10. 14.

*gue cognoscetis ea*. Et Cap. 16. 18. *Ecce enim ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoriâ priora, & non ascendent super cor*. Jeremiæ 31. 31. & seq. *Ecce dies veniet, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum; non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum ut educerem eos de Terrâ Ægypti .... Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Joannis 3. 34. *Mandatum novum do vobis, &c.* Ad Romanos 7. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in quâ detinebamur, ita ut serviamus in novitate Spiritûs, & non in vetustate literæ*. 2. Ad Corinthios 5. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*. Ad Colossenses 3. 9. & seq. *Nolite mentiri invicem exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem; secundùm imaginem ejus qui creavit illum*. Apocalypsis 3. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, & Nomen meum novum*. Apocalypsis 21. 5. *Et dixit qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia*. Lege cautum erat ne Agni paschalis ossa confringerentur: De Jesu scribit *S. Joannes* Evangelii sui 19. Capite: *Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura .... Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo*. Reliqua Mysteria Christianam morum institutionem spectantia persequitur *Theodoretus* Quæstione 24. in Exodum: *Per Azyma*, inquit, *indicat non tantùm festinationem profectionis, & cibi tumultuarium apparatum, sed etiam quòd nullum Ægyptiacæ vitæ vestigium inferre conveniebat. Sic enim Dominus in Evangeliis interpretatus est*, Cavete, *inquiens*, a fermento Scribarum & Pharisæorum. *Præcepit quoque numero sufficientes ad esum agni simul immolare Pascha, docens eos fraternam caritatem, & erga pauperes misericordiam. Idcirco admonet, ut reliquiæ carnium comburantur, nec serventur in posterum diem: Hoc pacto compellens illos accersere egenos ad festum communiter celebrandum. Hæc autem universa Mysteriorum nostrorum sunt ænigmata. Nam & nos ungimus Agni nostri Sanguine non tantùm limen, sed utrumque postem, purgantes & sanctificantes exteriùs linguam & labra, interiùs autem & secundùm intellectum, pro limine, rationalem partem, & pro utroque poste, facultatem irascendi & concupiscendi. Decet autem nos etiam comedere non cruda, aut elixa, sed igne assata. Neque enim literam tantùm attendimus, sed sensum scrutamur: Neque divinis sermonibus humanam interpretationem superinducimus. (Nam hac de causâ Isaias quosdam notavit velut permiscentes aquam vino,) sed igne tantùm divino, hoc est, gratiâ Sanctissimi Spiritûs utimur. Quod autem vetat carnium quippiam relinqui in crastinum, sic intelligimus, quòd futura vita symbolis non indiget. Ipsas enim res tunc intuebimur. Ossa verò conterunt Agni, qui malè intelligunt Eloquia divina, & ad suam impietatem illa detorquere conantur. Quòd verò non tantùm ex ovibus, sed etiam ex hœdis sumere jubet, divinam rursus benevolentiam declarat. Nam non tantùm pro justis, sed etiam pro peccatoribus Christus Dominus salutarem pertulit Passionem. Et ita nos intelligere debere, Ipse docuit. Assimilavit enim congregationem Sanctorum agnis, peccatorum autem cœtum hœdis. Hœdum quippe Lex jussit offerri pro peccato. Ex his porrò qui divinorum Mysteriorum sunt participes, nonnulli tanquam ovem degustant, qui videlicet perfectam virtutem obtinent: Alii verò tanquam hœdum, qui per pœnitentiam peccatorum maculas delent ...... Nobis quoque Dominus præcepit habere lumbos præcinctos, & pedes calceatos, & lucernas ardentes, more servorum expectantium Dominum suum. Ac Hebræi quidem velut ab Ægyptiis liberati, & in Terram Chananæorum introducti, hunc habitum prætulere: Nos autem tamquam ex hac vitâ in alteram translati. Quapropter adhortatur nos divinus Paulus, clamans*, „Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. *Et subjunxit*: Etenim „Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. *Et addidit*: Itaque Festum celebremus, „non in fermento veteri, neque in fermento „malitiæ & nequitiæ: Sed in azymis sinceritatis & veritatis. *Quòd autem præcipitur, ut Agnus ille in unâ domo manducetur, observant Fideles, qui in solâ Ecclesiâ divina sumunt Mysteria, execrationi habentes Hæreticorum cœtus*. Eam felicitatem gratulamur octodecies centenis millibus & amplius Fratrum nostrorum e Calvinianâ Superstitione & Schismate ad Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, & Romanam incomparabili zelo, auctoritate, prudentiâ, pietate LUDOVICI MAGNI Regis Christianissimi revocatis: Qui in unâ illâ Dei vivi Domo, extra quam non est salus, sub Romani Pontificis, velut alterius Moysis, Summi Ducis Populi Dei, spiritali ductu, & moderamine Pascha legitimum nunc comedentes, Christique Corpori & Sanguini communicantes; ad veram Promissionis Terram, Dei gratiâ aspirante, aliquando pervenient, id est, ad cœlestem hæreditatem, modò nihil retineant fermenti veteris, sed in fide & charitate radicati, Deum, Christumque colant *corde puro, conscientiâ bonâ, & fide non fictâ*. Nobis omnibus, qui Christianam & Catholicam Fidem profitemur, in commune tribuat Agnus Immaculatus, cujus pretioso Sanguine sumus redempti, ut in hac unâ Domo, quæ est ejus Ecclesia, adunati, sub Canonicâ omnium Christianorum Patris, & Pastoris, Romani Pontificis obedientiâ, reliquos vitæ nostræ dies, breves quidem & malos, transigamus, juge Pascha celebremus, moriamurque tandem jubente Domino, ut decet *Domesticos Dei*.

*Matth. 16. Marc. 8. Luc. 12.*

*Finis tertiæ Mundi Ætatis.*

QUARTA

# QUARTA MUNDI ÆTAS, AB EGRESSU ISRAELITARUM EX EGYPTO AD ÆDIFICATIONEM TEMPLI, ANNIS QUADRINGENTIS OCTOGINTA DEFINITA.

## CAPUT PRIMUM

Quo hujus Ætatis exponitur Historia, ab Exodo usque ad mortem Moysis, ut in Sacris Literis traditur.

### ARTICULUS I.

*De Egressu Israëlitarum ex Ægypto, primisque quatuor eorum Mansionibus.*

*Tempus Exodi, & Israëlitarum ex Ægypto exeuntium numerus.*

I. ANNO Mundi bis millesimo quingentesimo decimotertio, annis quadringentis & triginta a vocatione Abrahami, ejusque in Chanaanitidem profectione expletis, primi Mensis die decimâ quintâ, cæsis ab Angelo Exterminatore Primogenitis Ægyptiorum, tam in hominibus quàm in jumentis, *Pharao* noctu surgens, *Moyse* & *Aarone* vocatis, ipsis, Populoque Hebræo fecit abeundi potestatem, ut Domino in solitudine liberè sacrificium offerrent. Urgebant Ægyptii tot cladibus attriti, ut profectionem maturarent, illis vasa argentea & aurea, variamque supellectilem lubentissimè commodantes. Ex quo rectè colligit *S. Augustinus*, *Quæstione* 39. in *Exodum*, Hebræos unà cum Ægyptiis in Terrâ Gessen habitasse. Primo diluculo sunt egressi, ut colligitur ex Numerorum 33. 3. *Profecti igitur de Ramesse Mense primo, quintâ decimâ die Mensis primi, alterâ die Phase, filii Israël in manu excelsâ, videntibus cunctis Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.* Neque repugnat Scripturæ locus alter Deuteronomii 16. Vers. 1. *Eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.* Et Vers. 6. *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* His enim verbis significatur solùm vespera præcedens diem decimum quintum, quo illucescente sunt egressi. Celebratio enim Paschatis tunc facta, præparatio quædam erat & prænuntiatio proximè futuri ipsorum discessûs, multisque ritibus imminentem & exeunte nocte maturandam eorum profectionem significabat. Prohibuerat quidem Moyses ne quisquam *egrederetur ostium domûs suæ usque mane:* (Exodi 12. 22.) Sed ubi ex communi Ægyptiorum comploratione intellexit Primogenitorum cædem factam esse, idque apud Hebræos statim vulgatum est, urgentibus Ægyptiis ipsis e domibus exierunt, & profectionem adornarunt. Profecti sunt autem *Ramesse*, Ægyptiorum spoliis onusti, ad sexcenta millia peditum, virorum scilicet bellatorum, præter senes, parvulos, mulieres, & promiscuum vulgus Ægyptiorum, qui Judaicâ Religione initiati, ipsos comitari voluerunt. Non repugnat huic numero locus alter *Numerorum* 11. 32. ubi factâ diligenti enumeratione bellatorum hominum per singulas Tribus, inventa sunt *sexcenta tria millia quingenti quinquaginta.* Cùm enim hæc recensio facta sit *primo die Mensis secundi, anno altero* egressionis eorum ex Ægypto (*Numerorum* 1. Vers. 1.) facilè fieri potuit ut tria millia quingenti quinquaginta adolescentes, qui tempore Exodi decimum nonum dumtaxat annum attigerant, tum vigesimum agentes (quæ bello idonea apud Hebræos habebatur ætas) inter viros bellatores recensiti sint. Ordine militari egressi sunt, *quini & quini*, sive in *quincunas* dispositi: quam Versionem secutus est *Theodoretus*, & post ipsum amplexi sunt *Cajetanus* & *Oleaster*, aliique Hebraizantes; vel *armati* ex Ægypto ascenderunt, ut reddit Vulgata nostra Latina, post *Aquilam* & *Simmachum*, quibuscum Paraphrasis Chaldaica convenit. Quâ de re legendus *S. Hieronymus Epistolâ* 125. *ad Damasum Papam*, in Responsione ad secundam Quæstionem. 70. Interpretes verterunt: *Quintâ autem generatione ascenderunt filii Israël de Terrâ Ægypti:* Quæ Translationis varietas ex Hebraicæ vocis variâ significatione ortum habuit. At quâ ratione 70. Interpretes hìc reduci possunt in concordiam cum verbis illis Promissionis divinæ Abrahamo factæ Genesis 15. Vers. 13. 14. 16.? *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in Terrâ non suâ, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen Gentem, cui servituri sunt,*

*sunt, ego judicabo; & post hæc egredientur cum magnâ substantiâ. Generatione autem quartâ revertentur huc.* Hæc duo loca *S. Hieronymus* loco laudato conciliat, respondens, Utrumque verum esse. Israëlitas quippe quartâ generatione ex Ægypto in Chananitidem reversos, si generationes istæ per Tribum Levi numerentur. Nam *Levi genuit Caath; Caath genuit Amram, Amram genuit Aaron; Aaron genuit Eleazar. Caath cum patre suo Levi ingressus est Ægyptum*, (Genesis 46.) *Eleazar egressus est Ægypto* (Exodi 6.) *& intravit Terram Promissionis, ut traditur in Libro Josue. Hic habes quatuor generationes, Caath, Amram, Aaron, Eleazar.* Si verò generationes per Tribum Juda recenseas, quinque rectè numerantur. *Nam Juda genuit Phares; Phares genuit Esrom; Esrom genuit Aram; Aram genuit Aminadab; Aminadab genuit Naason. Phares cum patre suo Judâ ingressus est Ægyptum* (Genesis 46.) *Naason verò Princeps Tribûs Judæ in deserto describitur* (Numerorum 7. *cujus filius Salmon Terram Promissionis intravit. Hic habes quinque generationes, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, & Naason.* Transtulerunt autem Israëlitæ ossa *Joseph* secum, ut fuerant adjurati, *Genesis* 50. 25. nec non cineres Patriarcharum reliquorum, ut suadet ratio, & Scriptura *Actuum* 7. 16. Duxit autem eos Deus itinere non compendioso Palæstinam versùs, sed deflexo ad Mare Rubrum & Arabiæ deserta. Si enim Populum imbellem & ignavum per Terram Philistæorum Ægypto viciniorem duxisset, metu ferocissimæ gentis in Ægyptum fortè reversus esset, ut *Moses* ipse significat Exodi 13. 17. *Igitur cùm emisisset Pharao Populum, non eos duxit Deus per viam Terræ Philistiim, quæ vicina est: Reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset adversùm se bella*

*Mansio* 1. *consurgere, & reverteretur in Ægyptum.*

II. Ex *Ramesse* profectos Israëlitas diximus: atque inde eorum stationes seu mansiones a *Moyse* describuntur *Numerorum* 33. quas ex Hebraicis nominum significationibus mysticè *S. Hieronymus* explicat *Epistolâ* 127. *ad Fabiolam De* 42. *Mansionibus*: A quo ne in numero Mansionum dissentiamus, *Ramessem* primam appellare libet, quamvis itineris statio nulla fuerit, sed terminus a quo profectionis. *Ramessem* quidam interpretati sunt *Commotionem turbulentam*, aut *Amaritudinem*; vel, *Commotionem tineæ*. S. Hieronymus *Tonitruum gaudii*. Ad hanc Urbem, quæ in exterminis Ægypti finibus posita erat, Populus congregatus est; Indeque egressus *cum argento & auro, & non erat in Tribubus eorum infirmus*: Quod Miraculum *Psalmo* 104. Vers. 37. celebratur.

2. *Mansio* III. Secunda *Mansio* est *Socoth*, ubi primùm tentoria fixerunt. Unde ex eventu locus nomen accepit. *Socoth* enim *Tabernacula* sive tentoria significat, interprete *S. Hieronymo*. Et ob hoc septimo Mense, quintâ decimâ die Mensis, Solemnitas Tabernaculorum instituta est. Ibi Moyses mandata Dei de Azymis septem diebus comedendis, de Solemnitate septimo die celebrandâ, & de Primogenitorum consecratione promulgavit. (Exodi 13.)

3. *Mansio* IV. Ex *Socoth* profecti, castrametati sunt in *Etham*, in extremis finibus solitudinis. *Etham Fortitudinem & Perfectionem* sonat, interprete *S. Hieronymo*. Grandis quippe *fortitudo est*, inquit, *Ægyptum dimittere, & in solitudine commorari*. Ibi primùm visus est Dominus antecedere Populum *ad ostendendam viam per diem in columnâ nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columnâ ignis per noctem, coram populo*. Unam omnino fuisse columnam nubis & ignis diversè affectam, & solo munere distinctam, colligitur ex Numerorum 9. 21. *Si fuisset nubes a vespere usque mane, & statim diluculò Tabernaculum reliquisset, proficiscebantur; & si post diem & noctem recessisset, dissipabant tentoria. Si verò biduò, aut uno Mense, vel longiori tempore fuisset super Tabernaculum, manebant filii Israël in eodem loco, & non proficiscebantur.* Nubem sive columnam nubis, non solùm die, sed etiam nocte manere solitam suprà Tabernaculum Domini, ex hoc loco manifestum est: At columna ignis noctu illuminabat castra Hebræorum: Una igitur eademque erat columna nubis & ignis. Idem colligitur ex 14. *Exodi* Vers. 19. ex quo etiam constat Angelum nubis hujus fuisse motorem a Deo constitutum. *Tollensque se*, inquit, *Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum, & castra Israël; & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Vers. 24. *Jamque advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit Exercitum eorum.* Cùm movebatur columna, castris Hebræorum præibat, ut dux esset itineris: Cùm autem quiescebat, ut Israëlitis consistendum esse indicaret, super Tabernaculum Domini suspensa, velut ipsi incubabat. (*Exodi* 40. 34. & *Numerorum* 9. 18. 19.) Columnam nubis Hebræorum castra obumbrasse, & a Solis ardoribus protexisse, tradunt *S. Justinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone, *S. Ambrosius*, in Psalmum 118. *Hugo Victorinus*, Hebræi; eorumque hac in re Sectatores *Nicolaus de Lyrâ*, & *Genebrardus*. Idque colligunt ex Numerorum 14. 14. *Et nubes tua protegat illos, & in columnâ nubis præcedas eos per diem.* Ex Psalmo 104. 34. *Expandit nubem in protectionem eorum; & ignem ut luceret eis per noctem.* Ex Sapientiæ 10. 17. *Deduxit illos in viâ mirabili; & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem*, Sapientiæ 18. 3. *Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & Solem sine læsurâ boni hospitii præstitisti.* Et Cap. 19. 7. *Nam nubes castra eorum obumbrabat.* Verùm columnam nubis id muneris non habuisse, ut Hebræorum castra obumbraret, illosque a Solis ardoribus protegeret, inde probari videtur, quòd præcederet castra, cùm movebantur: Super Tabernaculum verò Domini, in medio castrorum positum appensa erat, illudque protegebat, ubi tentoria fixerant. Alias rationes vide apud *Tostatum*, Quæstione 13. in Cap. 13. Exodi. Alii duas fuisse nubes verisimiliùs putant: Unam in similitudinem columnæ figuratam, quæ quotidie apparebat, & Exercitui Israëlitico præibat, cùm iter agendum erat: Fixis autem tentoriis, & Israëlitis quiescentibus, Tabernaculo Domini insidebat: Alteram Soli oppositam, castra obumbrantem, & ab ardore Solis defendentem; non omni tempore aspectabilem, sed tunc solùm cùm Solis ardoribus lædi poterant. Quâ de re *Pererius* legi potest Disputatione 5. in Cap. 12. *Exodi*.

*Una eademque columna fuit nubis & ignis.*

*Nubis hujus motor Angelus.*

*Utrùm Nubes Israëlitarum Castra obumbraret?*

V. Ex *Etham* reversi jubente Deo, castrametati sunt in *Phihahirot*, quam *S. Hieronymus* interpretatur, *Os Nobilium*, inter *Magdalum*, & Mare Rubrum, contra *Beelsephon*. Hac in statione, quæ quarta numeratur, *Pharao* cum Exercitu suo Hebræos assecutus est. Nubes inter Israëlitas & Ægyptios stetit, effectu utrisque contrario, illos illuminans, his caliginem offundens. *Moyse* virgam suam extendente super Mare, divisæ sunt aquæ, & murorum instar hinc inde constiterunt. Eurus opportunè a Deo excitatus siccum iter & tanquam in continenti prævium effecit, quo Israëlitæ per medium Maris Rubri in de-

*4. Mansio. Israëlitarum per Mare Rubrum transitus.*

desertum *Etham* pervenerunt. Quos *Pharao* & Ægyptii insecuti, primo diluculo, recurrentibus aquis, statim atque *Moyses* virgam porrexit, obruti sunt, ne nuntio quidem cladis superstite. Israëlitæ ex Ægyptiorum manu penitus eâ die liberati, quorum cadavera in litore Maris fluitantia viderunt, Canticum Deo in gratiarum actionem cecinere. ( *Exodi* 14. & 15.) Epinicion illud, quod *Apocalypsis* 15. Vers. 3. *Canticum Moysi servi Dei* appellatur, omniumque antiquissimum est, Hexametris Versibus Hebraicis editum, testis est *Josephus Lib. 2. Antiquitatum, Cap. 7.* Impiorum, qui transitum Hebræorum, & Ægyptiorum naufragium in fluxum & refluxum Maris, quem *Moyses* rerum naturalium peritissimus, opportunè observaverit, refundere non erubescunt, incredulitatem singulari Dissertatione refellemus.

## SCHOLION.

*2. Cor. 10. 6. S. August. Enarrat. in Psal. 72.*

Hæc omnia in figuram facta sunt nostri. *Populus Israël sub Pharaonis & Ægyptiorum dominatione. Populus Christianus ante fidem prædestinatus jam Deo, & adhuc serviens dæmonibus & diabolo Principi eorum: Ecce Populus subjugatus Ægyptiis, serviens peccatis suis. Non enim nisi per peccata nostra potest diabolus dominari. Liberatur populus ab Ægyptiis per Moysen: Liberatur populus à præteritâ vitâ peccatorum per Dominum nostrum Jesum Christum. Transit populus ille per Mare Rubrum: iste per Baptismum. Moriuntur in Mari Rubro omnes inimici populi illius: moriuntur in Baptismo omnia peccata nostra.... Post Mare illud Rubrum non continuò patria datur, nec tanquam jam hostes desint, securè triumphatur; sed restat eremi solitudo, restant hostes insidiantes in viâ, sic & post Baptismum restat vita Christiana in tentationibus. In illa eremo suspirabatur patria promissa: quid aliud Christiani suspirant jam abluti Baptismo? Numquid jam regnant cum Christo? Nondum ventum est ad terram promissionis nostram, sed non defecturam. Mortui sunt hostes in Baptismo, sed insequentes a tergo. Ante faciem futura habemus, a tergo præterita: omnia præterita peccata deleta sunt in Baptismo, quibus modò tentamur, non a tergo insequuntur, sed in viâ insidiantur... In eremo quicquid passus est ille populus, & quicquid eis Deus largitus est, quæcumque illa flagella fuerunt, quæcumque dona, significationes sunt rerum, quas in hac solitudine hujus vitæ ambulantes in Christo, quærentes patriam & accipimus ad consolationem, & patimur ad probationem.*

---

## ARTICULUS II.

### DE SECUTIS ISRAELITARUM MANSIONIBUS USQUE AD DESERTUM SINAI, ET MIRACULIS IN IIS PATRATIS.

Gratiis Deo peractis, Israëlitæ continuo tridui itinere per desertum *Sur* sive *Etham* processerunt, aquam non invenientes. *Exodi* 15. 22. & *Numerorum* 33. 8.] Castra in *Marâ* posuere. Quintæ hujus Mansionis nomen *Amaritudinem* sonat. Nihil enim aquas ibi reperisse juvit. Insita ipsis amarities ad potum ineptas efficiebat. Hinc iracunda & insolens Populi adversùs *Moysen* expostulatio. Qui fusis ad Deum precibus, ipso suggerente arboris lignum in aquas injiciens, amaritudinem sustulit. An medicinali virtute ligno insitâ? An miraculo, sicut *Elisæus* sale in Hiericunthinas aquas injecto, salubres reddidit? Medicam huic ligno virtutem *Siracides* tribuere videtur Ecclesiastici 38. 4. 5. *Altissimus*, inquit, *creavit de terrâ medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcata est aqua amara?* Utut est, typum Crucis Christi in eo ligno Sacri Interpretes agnoscunt, cujus recordatione & virtute tribulationes & quævis adversa Christianis Deum diligentibus dulcescunt. *S. Augustinum* Quæst. 57. in Exodum audire juvat: *Genus ligni erat*, inquit, *istam habens vim, an quolibet ligno id facere poterat Deus, qui tanta miracula faciebat? Hoc tamen videtur significare quod dictum est*, ostendit ei, *tanquam tale jam lignum esset, quo posset hoc fieri: Nisi fortè locus erat, ubi ligna omnino non inveniebantur, ut hoc ipsum esset divini adjutorii quòd ei Dominus lignum ostendit, ubi nullum erat, & per lignum aquas dulces fecit, præfigurans gloriam & gratiam Crucis: Sed in tali etiam naturâ ligni quis nisi Creator & Demonstrator laudandus est?* In Marâ Deum Israëlitis constituisse *Præcepta atque Judicia* Moyses testatur. Quæ? Incertum, Scripturâ silente. De Sabbathi otio, de Parentum honore hæc accipiunt Hebræi, ob verba illa, *Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*, Deuteronomii 15. Vers. 12. & 15. repetita.

*Edulcatio aquarum in Mara. An Ligni naturali virtute facta?*

II. Mansio sexta facta est in Elim, quam *Arietes fortesque* S. Hieronymus interpretatur. Ibi duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ commodam ac amœnam stationem exhibebant. [ *Exodi* 15. 27. *Numerorum* 33. 9. ] *Mansio 6.*

III. Hinc ad *Mare Rubrum* pervenere, septimam Stationem, quæ Hebraicè *Jam-Suph* dicitur. [ *Numerorum* 33. 10. ] Quæritur quomodo post transitum Maris Rubri, & fontis Mara, & Elim, rursum ad Mare Rubrum venerint. Fortè inquit *S. Hieronymus*, in itinere pergentibus Sinus quidam Maris occurrit, juxta quem castrametati sunt. Aliud est enim transire Mare, aliud in proximo figere tabernacula. Ad hæc, verbum *Jam-Suph* apud Hebræos, ex Mari & Rubro compositum est. *Suph* autem & *rubrum*, & *scirpum* sonat. Unde possumus suspicari quòd venerit ad paludem quamdam & lacum, qui & carecto & juncis plenus fuerit. Quòd autem omnes congregationes aquarum Scriptura Sacra Mare vocet, nulla dubitatio est. *Mansio 7.*

*Subministratio coturnicum, & Mannæ: circa quod plura observantur.*

IV. E Mari Rubro profecti, ad Desertum *Sin* pervenerunt, quod est inter Elim & Sinai, quintâ decimâ die mensis secundi postquam egressi sunt de Terrâ Ægypti. *Sin* odium vel *Rubum* S. Hieronymus interpretatur. Idem Doctor observat, omnem usque ad Montem Sinai Erēmum *Sin* vocari, & ex totâ Provinciâ etiam locum octavæ Mansionis nomen accepisse; sicut *Moab* tam Urbis quàm Provinciæ nomen est. Ibi Populi contra *Moysem* & *Aaronem*, immò contra Deum, ob penuriam victûs murmurantis questus impotentes Deus compescuit, ingenti coturni cum vi castris sub noctem immissâ. Proximâ luce Manna de cælo pluit, ita vocatum ab admiratione Populi, voce *Manhu?* expressâ, quæ significat, *Quid est hoc?* Manna in Arabiâ reperiri frequens, *Josephus* aliique Scriptores cùm veteres tum recentiores testantur. Id *Isidorus* vocat mel in Arabiâ coagulatum, ramis inhærens in similitudinem salis. At miraculum arguunt 1. circumstantiæ loci temporisque, quòd nimirum inventum sit eo in loco, ubi antea non inveniebatur, nimirum super terram, in circuitu castrorum, non alibi: Nec verno solùm tempore, ut Manna medicinale; sed qualibet Anni tempestate, etiam hyeme, circa Israëlitarum castra caderet; Numerorum 11. *Cùmque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Manna.* 2. Quòd quotidie tantâ copiâ deplueret, quæ tot hominum myriadibus alendis sufficeret, & quòd singuli domum venientes, cùm Manna collectum metirentur, omnes unum idemque gomor, quæ decima pars est ephi, quatuor circiter libras continens,

*Manna naturale non fuit.*

neas, viritim reperirent, sive plus, sive minus ipsos colligere contigisset. (*Exodi 16. 18. & 11. ad Corinthios 8. 15.*) 3. Quòd in sequentem diem asservatum corrumperetur, & scateret vermibus: Cùm tamen hæc illius natura non esset, siquidem Sabbatho incorruptum servabatur, quod pridie collectum fuerat. (*Exodi 16. 20. 24.*) 4. Quòd Manna in agro residuum liquefieret fervente Sole: Cùm tamen collectum & in castra delatum ita durum esset, ut molâ frangeretur, vel pilo tereretur, nec igne liquesceret, sed in tortulas conformaretur. (*Exodi 16. 21. Numerorum 11. 8. Sapientiæ 16. 27.*) 5. Quòd Feriâ sextâ duplum Manna deplueret, Sabbatho verò nullum in agro inveniretur. (*Exodi 16. 27.*) 6. Quòd præter naturalem saporem, alium haberet piorum desideriis attemperatum, quibus id sapiebat quod volebant. Sapientiæ 16. 20. *Angelorum escâ nutrivisti Populum tuum; & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat; & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Et vers. 25. *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum qui a te desiderabant, ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat.* At sapor naturalis Manna, erat panis melle vel oleo exquisitissimo perfusi. Exodi 16. 31. *Erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle.* Et Numerorum 11. 7. 8. *Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii. Circuibatque Populus, & colligens illud, frangebat molâ, sive terebat in mortario, coquens in ollâ, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* Certè si omnibus promiscuè, cùm justis tum improbis, qualem voluissent, Manna exhibuisset saporem, non tantopere fastidivissent, neque carnes, cucumeres & pepones Ægypti desiderassent; quæ omnia degustassent in Mannâ. Numerorum 11. 4. 5. *Vulgus promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio sedens & flens, junctis sibi pariter filiis Israël, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: In mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Quam sectamur opinionem, confirmat *S. Augustini* auctoritas Lib. 2. *Retractationum* Cap. 20. ubi Libros duos, *Ad Inquisitiones Januarii*, recensens ait: *In primo igitur quod de Mannâ dixi, Quia unicuique secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, non mihi occurrit unde possit probari, nisi ex Libro Sapientiæ, quem Judæi non recipiunt in auctoritatem canonicam: Quod tamen fidelibus potuit provenire, non illis adversùs Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet Manna quod vellent.* Idem docet *S. Gregorius* Libro 6. *Moralium* Cap. 9. *Manna quippe*, inquit, *omne delectamentum atque omnis saporis suavitatem in se habuit, quod videlicet in ore Spiritualium, juxta voluntatem edentium, saporem dedit.* Septima circumstantia miraculum probans, est illius panis cælestis per annos quadraginta, quibus Israëlitæ in deserto erraruut, quotidianus effluxus. Exodi 16. 35. *Filii autem Israël comederunt Manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: Hoc cibo aliti sunt, usquequò tangerent fines Terræ Chanaan.* Octavò, Manna illud vulgare & naturale non fuisse, sed præternaturale & miraculosum, probatur ex eo, quòd Deus urnam eo plenam conservari jusserit in intimo Sanctuario, in perpetuum monumentum. Id autem supervacaneum fuisset, si Manna fuisset naturale & vulgare. Exodi 16. 32. 33. *Dixit autem Moyses: Iste est sermo quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo & custodiatur in futuras retrò generationes: Ut noverint panem quo alui vos in solitudine, quando educti estis de Terrâ Ægypti. Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantùm potest capere gomor; & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.* Idem confirmatur ex eo quòd Manna quo Israëlitæ in Deserto pasti sunt, hominibus ignotum fuisse Deus asserat; adeòque vulgare & naturale non fuit. Deuteronomii 8. 3. *Dominus Deus tuus dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu, & Patres tui; Ut ostenderet tibi quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Legi potest *Buxtorfius, Exercitatione in Historiam Manna*, ubi ex Hebræorum Magistris plura profert hoc argumentum spectantia.

*Præcepta de Mannâ a Deo data.*

Quinque præcepta de Mannâ a Deo data sunt. 1. Ut ex eo singulis diebus mensuram gomor colligerent. (*Exodi 16. 16.*) 2. Ne in crastinum servarent. (*ibid. Vers. 19.*) 3. Ut mane colligerent. (Ibid. Vers. 21.) *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem Dei, & ad ortum lucis adorare*, (Sapientiæ 16. 28.) 4. Ut Feriâ sextâ duplam annonam, id est, duplex gomor, unum pro ipsâ die, alterum pro Sabbatho colligerent, ac pararent, ad quietem & religionem Sabbathi commendandam. *Exodi 16. 23. 24.* & seq.) 5. Ut Manna in vase ad mensuram unius gomor ab Aaron *coram Domino*, id est, in Tabernaculo, & Arcâ fœderis, cùm illa ædificata essent, reponeretur, & in perpetuum tanti Miraculi monumentum servaretur. *Exodi 16. 32. 33. 34.*

*Manna Christi, & Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti figura.*

In Mannâ Christi, & Corporis ejus in Eucharistiæ Sacramento ad Animarum nostrarum alimoniam, quamdiu in hujus Mundi deserto, peregrinamur, nobis dati, figuram insignem extitisse constat. Quocirca *Panis Cæli*, & *Panis Angelorum*, appellatur *Exodi 16. 4. Psalmo 77. 24.* & 25. & 104. 40. 41. Id docet Jesus, de se ipso dicens (Joannis 4.) *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est qui de cælo descendit, & dat vitam Mundo... Ego sum Panis vitæ. Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est Panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Verè enim hic cibus cœlestis est, Panis supersubstantialis, habens omnem dulcedinem, omnemque saporis suavitatem, quo animas nostras refici decet, spretis jam Ægypti carnibus, terrenarum videlicet rerum studiis, seculique voluptatibus. Istud *Manna absconditum*, quod *vincenti* daturum se pollicetur Spiritus in Apocalypsi: ei (inquam) qui Dœmonem, Mundum, seque ipsum vicerit. Tum addit Christus: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vitâ.* Noctu delabitur hic panis, id est in fidei statu, & in circuitu castrorum Populi Dei, id est, in Ecclesiâ. Sive parvum, sive multum colligatur, æqualis invenitur mensuræ: Integer scilicet Christus sub minimâ Eucharistiæ particulâ sumitur, & tantum est sub fragmento, quantum toto tegitur: Cum rore descendit, quia gratiam cœlestem, immò gratiarum omnium fontem advehit. Denique mirabilium Dei Memoriale est divina illa esca, quam dat Dominus timentibus se. *Apocal. 11. 17.*

*Mansiones 9. 10. 11.*

V. E deserto *Sin* profecti Israëlitæ, castrametati sunt in *Daphcâ*, nonâ Mansione, quam modò *Pulsationem*, modò *Adhæsionem retentionemque* S. Hieronymus interpretatur, pro variâ apud Hebræos scribendi nominis hujus ratione. (*Numerorum 33. 12.*

VI. E *Daphcâ* progressi, castrametati sunt in *Alus*. Decima hæc Mansio *fermentum* sonat, interprete S. Hieronymo. (*Numerorum* 33. 13.)

VII. Profecti ex *Alus*, tentoria fixerunt in *Raphidim*: Hæc Mansio undecima, quam *Dissolutionem fortium*, vel *Sanitatem fortium*, vel juxta proprietatem Linguæ Syriacæ, *Remissionem manuum*, S. Hieronymus interpretatur. Ibi Populo ob defectum aquæ murmuranti Moses, percussâ Dei jussu petrâ *Horeb*, sive rupe, aquas eduxit. A murmure Populi loco nomen inditum, *Tentatio*.

*Aquarum ex Petrâ a Moyse percussâ eductio.*

Petram illam Christi figuram fuisse docet Apostolus 1. ad Corinthios 10. 3. 4. *Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petrâ; Petra autem erat Christus*. Et certè sicut in desertis & arentibus locis sitienti Populo aquam percussa a Mose rupes emisit; ita in squallidâ Mundi hujus solitudine, hominibus cœlestem gratiam sitientibus, Jesus plagis ad mortem ictus largos de cœlo divinæ gratiæ fontes effudit. *Qui biberit*, inquit, *ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Nos autem consequitur petra illa spiritalis, cùm gratiæ suæ donis nos prosequitur Christus, & se nobiscum futurum pollicetur, *omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Theodoretum audiamus locum Apostoli cum Historiâ Exodi conferentem, Quæstione 27. in Exodum. *Vetera* inquit, *typum gerebant recentium, & umbra erat Lex Mosis, corpus verò gratia. Quoniam igitur Ægyptii persequebantur Hebræos, Mare autem Rubrum transeuntes Hebræi, ab Ægyptiorum permolesto dominio vindicati sunt, Mare præ se fert typum Lavacri, nubes autem Spiritûs. Moses autem Christi Salvatoris, Crucis autem virga, & Pharao diaboli typum gerit, Ægyptii dæmonum, Manna verò cibi cœlestis: Aqua autem, quæ de petrâ egressa est, Sanguinis salutaris. Quemadmodum enim illi, ubi Mare transierunt, cibo peregrino, & aquâ inopinatâ potiti sunt: Ita nos post salutarem Baptismum participes sumus Divinorum Mysteriorum*.

*Joan. 4. 13. & seq.*

*Pugna & victoria contra Amalecitas.*

In Mansione undecimâ Israëlitis bellum ab Amalecitis sustinendum fuit. Moses *Josuë* Nuni filium contra ipsos pugnare jussit. Interim ipse cum *Aarone* & *Hur* in verticem collis ascendens, Sacrato baculo velut signo Israëlitas confirmabat. Ubi prælium initum est, vincebant Hebræi, quamdiu *Moses* manus in cœlum supplices erigeret: Iis autem remissis, Amalecitæ prævalebant. Quocirca *Aaron* & *Hur*, Calebi filius, *Mariæ* sororis Moysis maritus, ut *Josephus* tradit Lib. 3. *Antiquitatum*, Cap. 2. apposito saxo, in quo sederet, manus ejus ex utrâque parte ad occasum usque Solis, sustentarunt. Sic in fugam acti, fusique sunt Amalecitæ. De Gentis illius excidio datum a Deo Israëlitis mandatum est, cum certâ spe victoriæ. Moyses Altare Deo in monumentum erexit, cum hoc titulo: *Dominus exaltatio mea*: Omnem victoriæ gloriam ad Deum referens. (*Exodi* 17. *Deuteronomii* 25. 17. 18. 19.) De hac Expeditione Eliachim Sacerdos Magnus *Judith* 4. 13. ait: *Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute suâ, & in potentiâ suâ, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit. Sic erunt universi hostes Israël, si perseveraveritis in hoc opere quod cœpistis*.

*Moses in Monte orans expansis manibus Christi typus in cruce.*

*Mosis* in Monte orantis habitus, dum contra Amalecitas pugnaretur, typus Christi fuit per crucem suam salutis nostræ hostes vincentis. Ita *S. Justinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone: *Si quidquam remittebatur de signo isto Crucem imitante, prout in Moysis literis est scriptum, Populus vincebatur: Sin in statu isto permanebat, Amalec superabatur. Et qui fortis erat, per crucem fortis, rem præclarè gerebat. Non enim propterea quòd Moses ita orabat, populus in prælio superior erat; sed quòd nomine Jesu in primâ acie versante, ipse crucis signum designabat*.

Ita *Tertullianus Lib. 3. Adversùs Marcionem*, Cap. 18. *Jam verò Moyses, quid utique tunc tantùm, cùm Jesus adversùs Amalech præliabatur, expansis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus depositis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutante, orationem commendare debuisset; nisi quia illic ubi Nomen Domini Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversùs diabolum, Crucis quoque erat habitus necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus*.

Ita *Theodoretus* Quæstione 34. in Genesim. *Dum extendebat manus*, inquit, *typum gerebat Ejus, qui crucifixus est pro nobis. Declarata est igitur sub illâ figurâ vis veritatis. Quemadmodum enim Servo manus extendente cecidit Amalec: Ita cùm Dominus manus extendit, dissoluta est acies diaboli. In illo verò bello Jesus Salvatori nostro cognominis trophæum erexit, hanc appellationem tum adeptus, ususque operâ delectorum virorum, sicuti Christus Dominus Sacrorum Apostolorum usus est ministerio*.

In hac eâdem undecimâ Statione, Jethro *Mosis* Socer, non idolorum, sed veri Dei Sacerdos, ex *Madian* filio *Abrahami* & *Cethuræ* prognatus, ut *S. Augustinus Quæstione 52. in Exodum*, censet, uxorem *Sephoram*, ac filios, qui *Moyse* in Ægyptum profecto domi remanserant, ad ipsum reduxit, rerum gestarum famâ permotus: Gratiisque Deo peractis, post holocaustorum oblationem, & Sacrum epulum, sanum Mosi suggerit consilium, negotiorum multitudine penè obruto. Auctor nempe ipsi est constituendi Tribunos, sive Chiliarchas, Centuriones, Decuriones, & viris quinquagenis Præfectos, *Viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, qui judicent Populum omni tempore: Quicquid autem majus fuerit, ad ipsum Moysen referant, & ipsi minora tantummodo judicent*. Ille verò quæ ad Deum spectant expediat, ipsum consulat, *Ostendat Populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant*. Placuit *Mosi* viri prudentissimi consilium, & *de cuncto Israël*, id est, ex omnibus Tribubus selectos viros Judiciis præfecit. (*Exodi* 18.) Constitutos Judices ad Munus sanctè gerendum his verbis hortatus est Moses: *Audite illos, & quod justum est judicate: Sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam*. Moysis humilitatem *S. Augustinus* admiratur, quòd tantus Propheta Soceri sui, hominis alienigenæ, consilium secutus sit. *Nonne* (inquit in Procemio Lib. De Doctrinâ Christianâ) *Moyses cum Deo loquebatur? Et tamen consilium regendi atque administrandi tam magni Populi, a Socero suo alienigenâ homine, & maximè providus, & minimè superbus accepit*. Et ut idem S. Doctor observat Quæstione 68. in Exodum, *Deus voluit ab alienigenâ admoneri Moysen, ubi & ipsum posset tentare superbia. Sedebat enim judiciariâ sublimitate solus, universo Populo stante*.

*Judices a Mose constituti.*

In iis quæ hac in Statione gesta sunt, Christi & Ecclesiæ typum *S. Hieronymus* agnoscit, Epistolâ ad Fabiolam. *Moyses*, inquit, *ascendit in Montem; Jesus contra Amalec militat: Ad Crucis signum superatur inimicus: Remissis orantis manibus hostis victor insequitur. Sedet Moyses super lapidem dictum a Zachariâ; qui septem habebat oculos, &* in

*Zachariæ 3. 1. Reg. 7.*

*in Samuëlis Volumine appellatur* Aben haaser, *id est, Lapis adjutorii: & utramque manum ejus Aaron & Hur, id est, montanus lucidusque sustentat. Devicto adversario, supervenit Jethro, adducit Sephoram & utrumque filium, dat Consilium Septuaginta Seniorum, & in typum Ecclesiæ de Gentibus congregatæ, Legis imminutio Evangelio suggerente completur.*

## ARTICULUS III.

*De Mansione duodecimâ, & rebus in ea gestis.*

MEnse tertio ab egressu ex Ægypto, *in die hac*, ut habet Vulgata nostra, id est, tertiâ die ejusdem Mensis, Israëlitæ in *Desertum Sinaï* pervenere, ibique castrametati sunt e regione Montis *Horeb*. Duodecima hæc Mansio, in quâ per annum ferè integrum commorati sunt, rerum quę in eâ contigerunt varietate & admirabilitate cæteras superat. Legis datæ miraculo imprimis insignis est, de quâ sequentibus Paragraphis agendum; ac de aliis eventis ad hanc Stationem referentis.

### §. I.

*De Legis Promulgatione.*

I. Circa Legis Promulgationem tria consideranda sunt: 1. *Antecedentia*, scilicet pręparatio Populi ad eam excipiendam, locus, tempus, Legislator, Administri. 2. *Lex ipsa* promulgata, & promulgationis modus. 3. *Consequentia*. Quod primum spectat, Deus Populum sanctificari jubet, Dei Legem accepturum, & vestimentis, corporibusque ablutis conjugali etiam congressu triduò abstinere, in Montem non ascendere, nec fines illius tangere, sub pœnâ capitis.

Data Lex est in Monte *Sina* vel *Sinaï*, in deserto Arabiæ, cujus jugum vel cacumen alterum *Horeb* appellatum, intermediâ valle, positis ad radices cancellis, sive terminis. Unde Lex modò in Monte *Sinai* promulgata dicitur, scilicet *Exodi* 19. 24. 31. 34. & ad *Galatas* 4. 24. modò in Monte Horeb, ut *Deuteronomii* 4. 15. v. 2. XVIII. 16. *Psalmo* 105. 19. II. *Paralipomenon* Cap. 5. 10. *Malachiæ* 4. Vers. 4. Siracides in Sinai & Horeb datam Legem scribit Ecclesiastici 48. 7. *Qui audis*, inquit, *in Sina judicium, & in Horeb judicia defensionis*.

Promulgata Lex est post annos quadringentos & triginta a promissione Abrahamo factâ. ( *Ad Galatas* 3. 17. ) Sextâ die tertii Mensis, ab Exitu ex Ægypto, & primo Paschate, quinquagesimo. Hinc Festum Pentecostes, quo die & Nova Lex promulgata. Ita *S. Hieronymus* Epistolâ ad Fabiolam de 42. Mansionibus. *Supputemus numerum*, inquit, *& inveniemus quinquagesimo die egressionis Israël ex Ægypto in vertice Montis Sinai Legem datam. Unde & Pentecostes celebratur Solemnitas, & postea Evangelii Sacramentum in Spiritûs Sancti descensione completur; ut sicut priori Populo quinquagesimo die vero Jubilæo, & vero anno remissionis, & veris quinquaginta & quingentis denariis, qui debitoribus dimittuntur, Lex data est, in Apostolos quoque & qui cum eis erant, in centesimo vigesimo Mosaicæ ætatis numero constitutis descenderit Spiritus Sanctus, & divisis Linguis credentium, totus Evangelicâ Prædicatione Mundus expletus sit.* Eamdem congruentiam observat *S. Augustinus* Lib. *De Spiritu & Literâ*, Cap. 16.

*Legislator* Deus, qui fœdus cum Israëlitis pangere dignatus, eosque sibi præ omnibus Populis adstringere, ac suum illis amorem ac defensionem polliceri. *Si ergo*, inquit, *audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi peculium de cunctis Populis: Mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & Gens Sancta*. [ Exodi 19. 5. 6. ]

*Administri*, Angeli; sequester Moyses. Actuum 7. 53. *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum, & non custodistis*, ad Galatas 3. 19. *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos, in manu Mediatoris*. Unde passim in Scripturâ vocatur Lex Moysi. *Malachiæ* 4. Vers. 4. *Mementote Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël, præcepta & judicia*. Joannis 1. 17. *Lex per Moysen data est*. Joannis 7. *Nonne Moyses dedit vobis Legem?* Ad Hebræos 2. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est*.

II. *Lex* ipsa promulgata, partim Moralis est, partim Cęremonialis, partim Politica. Præcepta scilicet Moralia, Ritualia, Judicialia complectitur. Moralia immutabilem rectè vivendi normam, veramque morum sanctitatem præscribunt. Ritualia, cultum Dei externum præcipiunt, qualem Deus in Ecclesiâ Veteris Testamenti observari voluit. Judicialia Politiam Israëlitici Populi spectant; ac de officiis & ordine Magistratuum, Judiciorum, pœnarum, contractuum, distinctione dominiorum, &c. statuunt; in eumque finem data sunt, ut justitia inter cives, & tranquillitas publica vigeret. Præcepta Moralia Decalogo continentur. [ *Exodi* 20. *Deuteronomii* 5. ] Alia quædam in Exodo, Levitico, Libro Numerorum, & Deuteronomio sparsa sunt, Religionem erga Deum, & Charitatem erga proximum spectantia, quæ ad Decalogum facilè revocantur. Ritualia, & Judicialia iisdem in Libris traduntur: De quibus in Dissertationibus agemus, quia Synopsis ratio non patitur ut hìc omnia percenseamus; & explicemus.

III. Quòd *Promulgationis modum* spectat, nube densissimâ Montem Sina operiente, mediâ inter fulgura, tonitrua, flammas, clangores tubarum, atque adeo terrifico apparatu Lex data est, cùm ut Legislatoris Majestas demonstraretur; cùm ut proprius Legis effectus, scilicet injustorum terror, declararetur; tum etiam ut reatus aggravaretur ( *Exodi* 19. ) Ore primùm promulgata est [ *Exodi* 20. ] deinde scripto, in duabus scilicet tabulis lapideis exarata digito Dei, a dextris & sinistris. [ *Exodi* 24. 12. & 31. 18. ] Legis Veteris ac Novæ discrimen cum *S. Augustino* hìc observa, Lib. *De Spiritu & Literâ*, Cap. 16. *Hic Spiritus Sanctus*, inquit, *per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo Legis est, etiam digitus Dei in Evangelio dicitur. Unde quia & illæ Tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, & digitus Dei est Spiritus Dei, per quem sanctificamur, ut ex fide viventes per dilectionem bene operemur, quem non moveat ista congruentia? Dies enim quinquaginta computantur a celebratione Paschæ, quæ occasione figurata ovis per Moysen fieri præcepta est, in significatione utique futuræ Dominicæ Passionis, usque ad diem quo Moyses Legem accepit in Tabulis digito Dei conscriptis: Similiter ab occisione & resurrectione illius, qui sicut ovis ad immolandum ductus est, quinquaginta diebus completis, congre-*

*gates in unum fideles digitus Dei, hoc est Spiritus Sanctus implevit. In hac mirabili congruentiâ illud certè plurimùm distat, quòd ibi Populus accedere ad locum ubi Lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: Hic autem in eos supervenit Spiritus Sanctus, qui eum promissum expectantes, in unum fuerant congregati. Ibi in Tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi ergo Lex extrinsecùs posita est, quâ injusti terrerentur; hîc intrinsecùs data est, quâ justificarentur.* Utriusque Legis discrimen egregiè *S. Paulus* exponit *ad Hebræos* 12. Vers.18. & sequentibus: *Non enim accessistis ad tractabilem Montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit Montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus. Sed accessistis ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & Judicem omnium Deum, & Spiritus Justorum perfectorum, & Testamenti Novi Mediatorem Jesum, & Sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel. Videte ne recusetis loquentem.*

Dei præcepta ubi *Moyses* ad Populum retulit, acclamantem respondentemque, omnia se prompto ac devoto animo impleturum, Aram sub Montis radicibus erexit, duodecim titulis seu columnis suffultam, Deum inter & duodecim Tribus fœdus sancitum esse significans. Misitque Juvenes Israëlitarum (Chaldæus Paraphrastes Primogenitos interpretatur) quos sibi Dominus consecraverat Sacrorum Administros ante Leviticum Sacerdotium institutum, qui holocausta primùm, deinde victimas pacificas Domino obtulerunt. Moyses Volumen Fœderis, id est, Leges Divinas a se descriptas, fuso super Altare victimarum sanguine, legit coram Populo. Israëlitæ quasi uno ore responderunt: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Ille verò sanguine victimarum Populum aspersit, dicens: *Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* (Exodi 24. Ad Hebræos 9. 26.)

His peractis, *Moses* cum *Aarone*, *Nadab*, *Abiu*, & septuaginta Senioribus Israëlitis, Montem ad certos gradus ascendit, quibus Dei gloriam in subjectâ creaturâ, & visibili specie, intueri datum. Mox altiùs provectum *Moysen* nubes excipit, in quâ dies & noctes quadraginta sine cibo ac potu moratus, mandata de structurâ Tabernaculi, Sacerdotum ornamentis, consecratione, sacrificiis, cæterisque divini cultûs Ritibus, a Deo accepit. (*Exodi 24. 25. 26. & sequentibus.*)

IV. Promulgationem Legis consecutæ sunt Aurei Vituli fabricatio, fractio Tabularum, ultio sumpta de Idololatris, Tabularum reparatio, iteratusque *Mosis* in Montem ascensus. Scilicet cùm *Mosen* longiores in Monte moras trahere viderent carnales Israëlitæ, *Aaronem* compulerunt ad conflandum Idolum, ceu Numen quod ipsos in Terram Chanaan citò duceret. (*Mosen* namque vel flammis consumptum, vel præcipitio absorptum, vel aliò translatum suspicabantur.) *Aaron* seditionem metuens, postulatis puellarum, ac puerorum inauribus, ad Ægyptiorum Deorum similitudinem aureum Vitulum conflavit, consecravit, Arâque positâ, insano Populo adorandum proposuit. *Aaronem* ab idololatriâ purgare frustra & infeliciter conatus est *Moncæus*, ut in Dissertationibus ostendam. Dum Israëlitæ Domini immemores, Vituli Encænia sacrificiis celebrant, epulis, cantibus, choræis, ludo, libidini intenti. [*Sedit* enim *Populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere:*] Moyses de illorum scelere a Deo monitus, imminentem Populo perniciem precibus avertit, in Castra citò revertitur, lapideas Tabulas digito Dei exaratas confringit, infractum a Populo Fœdus cum Deo initum arguens, indignumque esse contestatus, qui a Deo Legem accipiat, ab eoque protegatur: Aaronem objurgat, Vitulum deturbat, ac in pulverem comminutum Idololatris propinandum exhibet: Levitis demum imperat, ut in noxios districtis gladiis, strenuos Dei Milites & gloriæ ipsius vindices se præstent. *Si quis est Domini*, inquit, *jungatur mihi.* Illi mandato obsecuti, quasi *viginti tria millia hominum* illâ die ceciderunt, ut habet Vulgata nostra, *Exodi* 32. 28. utque legit *S. Gregorius Magnus* Lib.20. *Moralium* Cap.6. At mendum esse hoc loco in Vulgatâ, & legendum, tria millia, olim demonstravi ex Textu Hebraico, Versione 70. Interpretum, Pentateucho Samaritano, Versionibus Syriacâ & Arabicâ, Paraphrasi Chaldaicâ Onkelosi, *Philone Judæo* Lib.3. de Vitâ Mosis, pag. 525. *Tertulliano* Cap.3. Scorpiaci, *S. Joanne Chrysostomo* Lib.3. De Providentiâ, *S. Ambrosio* in Epistolâ ad Romulum, *S. Isidoro Hispalensi* Cap.37. Commentarii in Exodum, *Venerabili Bedâ* Cap.39. Quæstionum in Exodum, *Rabano Mauro* Lib.4. in Exodum Cap.18. *Sancto Pagnino*, *Malvendâ*, *Cajetano*, *Joanne Benedicti*, aliisque Interpretibus Eruditis. Lege Dissertationis nostræ Anticriticæ contra *P. Cladium Frassenum* Articulum 8. De Vitulo Aureo nonnullas in Dissertationibus Quæstiones expediemus. *Moyses* zelum Religionis Levitis gratulatus, ait: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Post hæc in Montem rursum ascendens, iteratis pro Populo jam pœnitentiæ sensu permoto precibus, impetrat ut non Angelus, sed Deus ipse sit viæ dux. *Loquebatur* Ille Moysi *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum:* Attamen rogat ut ei *gloriam* suam *ostendere* Deus dignetur. Eximiam illi visionem pollicetur Dominus: *Ego*, inquit, *ostendam omne bonum tibi:* Attamen gloriæ suæ ac majestatis visionem, faciemque corporis, in quo loquebatur, supra modum radiantis, cujus splendorem hominis mortalis oculi ferre non poterant, ipsi negat: Id unum ei promittit, se transeundo ita splendorem illum attemperaturum, ut non quidem faciem ipsam, sed tergum illius corporis, divinam majestatem & gloriam pro creaturæ modulo referentis, conspiciat. *Non poteris*, inquit, *videre faciem meam: Non enim videbit me homo & vivet... Ecce est locus apud me, & stabis supra petram. Cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine Petræ, & protegam dexterâ meâ, donec transeam: Tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: Faciem autem meam videre non poteris.* (Exodi 32. & 33.) *Moysi* cum novis Tabulis in Montem sequenti die ascendenti Deus, quasi per transitum, gloriæ suæ imaginem aliquam manifestat. Quadraginta dies sine cibo ac potu in Monte commoratus Vir Sanctus, cum Tabulis Decalogum digito Dei scriptum continentibus, *coruscâ facie*, seu *cornutâ* (ut habet Vulgata nostra) id est, radios in modum cornuum emittente, in castra revertitur, Populumque velamine faciei imposito alloquens, quòd splendorem vultûs ejus ferre non valeret, divi- *Exod. 34.*
norum mandatorum executionem urget. Observationem nostram in hæc verba: *Et ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini:* legere potes Articulo 9. Dissertationis Anticriticæ contra *P. Frassenum.*

§ II.

## §. II.

*De Rebus aliis ad Montem Sinai gestis.*

TAbernaculum, Arca fœderis, Altare, Mensa Propositionis, Vestes Sacerdotales, candelabrum, & reliqua instrumenta & vasa, quæ Sacrificia spectabant, in deserto ad Montem Sinai fabricata sunt. Contributionem ad opus Tabernaculi Deus indixit. Numerati omnes a natis viginti annos & deinceps, sexcenta tria millia quingenti & quinquaginta armatorum inventa sunt. Unoquoque juxta Dei mandatum, dimidium sicli pendente, summa ad centum talenta argenti, & mille septingentos septuaginta quinque siclos pervenit. Præter quam capitationem, ex spontaneis donariis conflata est summa viginti novem talentorum, & septingentorum triginta siclorum auri, æris talentorum septuaginta duorum millium, & quadringentorum siclorum. Ex aliâ verò materiâ ad opus Tabernaculi necessariâ oblatum est plus satis, cùm a viris, tum a mulieribus, quæ etiam armillas, & inaures, annulos, & dextralia, quin etiam specula, animo devotissimo obtulerunt: *Beseel* filius *Uri* filii *Hur*, de Tribu Juda; *Ooliab*, filius *Achisamech*, de Tribu Dan, Artifices Tabernaculi a Deo designati, impletique *Spiritu Dei*, *Sapientiâ*, *& intelligentiâ*, *& scientiâ*, ad excogitandum & exequendum opus. [ *Exodi* 35. & 38.)

In eâdem Statione Tabernaculum fœderis erectum est, ( *Exodi* 40.) ex quo Deus Ritus omnes sacrificiorum *Moysi* præscripsit, qui septem primis Levitici capitibus continentur. Ibidem, anno secundo ab egressu ex Ægypto, primâ die secundi mensis, Israëlitæ omnes a vigesimo anno & supra, jussu Dei numerati, exceptis Levitis. Inventa sunt virorum bello idoneorum sexcenta tria millia, quingenti quinquaginta. ( *Numerorum* 1. ) Levitæ seorsum numerati ab uno Mense & supra, quorum numerus fuit viginti duorum millium. Primogeniti masculini sexûs ex omnibus Tribubus pariter numerati, viginti duo millia, ducenti septuaginta tres: Levitisque loco Primogenitorum ex reliquis Tribubus ad Dei ministerium assumptis, quini in singulos redemptionis sicli statuti sunt. Inde collecta summa mille trecentorum sexaginta quinque siclorum, *Aaroni* & filiis ejus, Deo jubente data est. ( *Numerorum* 3. ) Aaron & filii ejus ad Munus Sacerdotale obeundum a *Moyse* consecrantur, præscriptis a Deo Ritibus & Sacrificiis. [ *Levitici* 8.] Necnon Levitę ab anno vigesimo quinto ad quinquagesimum in Tabernaculo ministraturi. ( *Numerorum* 8.) Duodecim Tribuum Principes, in Dedicatione Tabernaculi & Altaris, munera, & victimas per dies 12. obtulerunt. Omnibus prævivit *Nabasson*, filius *Aminadab*, Princeps Tribûs Juda, a quo *David*, & Dominus noster Jesus Christus secundùm carnem ortus est. ( *Numerorum* 7.)

VI. *Aarone* die a Congregatione suâ octavo Sacris operante, cùm Populo benedixisset, ignis e cœlo delapsus holocaustum, & adipes, qui erant super Altare, devoravit, Populo Dei potentiam laudante, & coram ejus Majestate prostrato. ( *Levitici* 9.) *Nadab* & *Abiu* filii Aaronis, cùm igne alieno in thuribulis accepto ad thus adolendum accessissent, statim igne cœlesti correpti, periere. Ne ab *Aarone* & duobus aliis ejus filiis plangerentur, Deus vetuit ( *Levitici* 10.) Alieno autem igne ad thus adolendum Domino uti *ideo non licebat*, *quia ex illo igne*, *qui divinitus in Altare venerat*, *deinceps custodito*, *omnia erant accendenda*, *quæ in Tabernaculo accendi oportebat* ( inquit S. *Augustinus Quæstione* 31. *in Leviticum*.)

## ARTICULUS IV.

*De Mansionibus XIII. & XIV. rebusque inibi gestis.*

I. NUbe, quæ Tabernaculo imminebat, illud destituente, anno secundo ab Exodo, vigesimâ die secundi Mensis, Israëlitæ per turmas distributi e deserto *Sinai*, continuo tridui itinere in desertum *Pharan* pervenerunt, & die vigesimâ-tertiâ in Mansione decima-tertiâ consederunt, quæ ab eventu appellata est, *Sepulera concupiscentiæ*. Ibi murmur Populi divinam iram provocavit, ultricesque flammas in extremam castrorum partem arcessivit, quæ mox tamen orante Moyse extinctæ sunt. Loco nomen ab *Incensione* primò inditum. Paulò post carnium desiderio, & fastidio Mannæ Dei bonitatem graviorem in modum offenderunt. Annuit insanis desideriis Dominus ut improbos plecteret: Vis ingens coturnicum in castra delata helluones ad satietatem pavit. Verùm Populus gravi plagâ percussus a Deo vindice, pravæ cupiditatis pœnas dedit. Mortes reorum secutæ, loco nomen, *Sepulera concupiscentiæ* dederunt [ *Numerorum* 11. & *Psalmo* 77. 30. 31.] Ibi *Moysi* querenti quòd regiminis onus sustinere solus non posset, Deus Synedrium 70. Seniorum adjunxit, qui in causis gravioribus, necnon in omnibus quæ ad Legem pertinebant, judicandis ipsi Coadjutores essent. Circa Tabernaculum cum Moyse congregatis, eumdem Spiritum communicavit, quo *Moysen* pridem afflaverat. Quo dono a Deo aucti, confestim prophetare cœperunt, nec tantùm ii qui tunc ad Tabernaculum aderant, sed etiam alii duo, qui, licèt descripti, in castris tamen remanserant, *Eldad* & *Medad*. Id cùm *Moysi* renuntiatum esset, eumque *Josue* imprudenter urgeret ut eos prohiberet, Sanctus Legislator ipsum increpuit, seque Dei Spiritu agi ostendit, qui Charitatem in cordibus diffundit, pravam æmulationem excludit. *Quid*, inquit, *æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis Populus prophetet*, *& det eis Dominus Spiritum suum?* ( Numerorum 9.) *Sepulcra concupiscentiæ.*

II. Ex *sepulcris concupiscentiæ* profecti, castrametati sunt in *Haseroth*. Id decimæ quartæ Mansioni nomen, quam S. Hieronymus *Aria* interpretatur. Ibi *Maria* & *Aaron* contra Moysen oblocuti, propter uxorem Æthiopissam, *Sephoram* scilicet Madianitidem, ex Æthiopiâ Orientali sive Arabiâ ab eo deductam. Deus *Aarone* & *Mariâ* ad Tabernaculum fœderis cum Moyse vocatis, illos objurgavit, istum commendavit: *Si quis* inquit, *fuerit inter vos Propheta Domini*, *in visione apparebo ei*, *vel per somnium loquar ad illum*. *At non talis servus meus Moyses*, *qui in omni domo meâ fidelissimus est*. *Ore enim ad os loquor ei*, *& palam*, *& non per ænigmata & figuras Dominum videt*. *Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* Maria leprâ percussa, extra Castra ejicitur, & post septem dies, Moyse orante, sanata, revocatur. ( *Numerorum* 12.) *14. Mansio*

AR-

## ARTICULUS V.

*De Mansione XV. & reliquis usque ad trigesimam secundam.*

I. EX *Haseroth* profecti, *Rethma* tentoria fixerunt, in deserto Pharan. [ *Numerorum* 13. 1. & 33. 18 ] Reliquas Mansiones decem & octo, a *Rethmâ* usque ad *Asiongaber*, id est, usque ad trigesimam-secundam Mansionem, sub *Pharan* solitudinis nomine contineri, *S. Hieronymus* observat. Earum Mansionum nomina & ordinem subjicere operæ pretium est. 15. *Rethma*. 16. *Remmonphares*. 17. *Lebna*. 18. *Ressa*. 19. *Ceelatha*, seu, ut legit S. Hieronymus, *Caaltha*. 20. *Mons Sepher*. 21. *Harada*. 22. *Macelotb*, seu *Makeloth*. 23. *Thahath*. 24. *Thare*. 25. *Methca*. 26. *Hesmona*. 27. *Moseroth*. 28. *Benejaacan*. 29. *Mons Fadgad*. 30. *Jetebatha*, seu *Jatbbatha*, ut *S. Hieronymus* legit. 31. *Hebrona*. 32. *Asiongaber*. [ Numer. 33. ] In his Mansionibus per temporum intervalla sequentes Historiæ contigerunt. A deserto Pharan missi sunt a Moyse jubente Deo, duodecim Exploratores, ex singulis Tribubus delecti, in Terram Chanaan, tempore primarum uvarum. Post quadraginta dies reversi omni circumquaque regione perlustratâ, ingentem palmitem cum botro uvarum, cum malogranatis, & ficubus terræ, in Israëlitarum Castra ad Desertum Pharan, quod est in Cades, detulerunt. Decem ex horum Exploratorum numero difficultates maximas & penè insuperabiles in debellandis regionis illius Populis, Terrâque obtinendâ occurere cùm exposuissent, fortissimos incolas, munitas urbes, oppida ingentibus muris cincta, Enacidas de genere Gygantum illic se vidisse, quibus comparati Hebræi quasi locustæ videbantur, murmur ingens in populo concitarunt, quod in seditionem erupit, eò progressam ut excusso *Mosis* imperio, reditum in Ægyptum moliti, de alio Duce deligendo cogitarent. *Josuë* & *Caleb*, qui & ipsi Terram lustraverant, seditionem sedare frustra conati, fertilitatem regionis, infirmas Gentium illam incolentium vires, auxilium Domini præsidiumque Israëlitis præsentissimum prædicantes. Perduellium ipsos lapidibus obruere volentium furorem non evasissent, nisi Deus exsertâ e Tabernaculo fœderis Majestate ab incredulo Populo pœnas exegisset, graviores inflicturus, ni *Moysis* precibus placatus fuisset. Omnibus tamen, præter *Josuë* & *Caleb* ab ingressu Terræ Promissæ exclusis, mortem in deserto decernit, a natis viginti annos & deinceps; eosque quadraginta annis in horridâ & incultâ solitudine erraturos denuntiat. Decem Exploratores, qui seditionem hanc excitaverant, a Deo subitâ morte sublati. [ *Numerorum* 14. ] Deus Israëlitas Castra movere jussit ex Deserto Pharan, & in desertum versùs Mare Rubrum retrocedere: Verùm contra Dei mandatum in Montem progressi, ab Amalecitis & Chananæis fusi sunt, qui ipsos Hormam usque sunt persecuti. Eâ occasione compositum a Mose Psalmum octogesimum nonum, *Domine refugium factus es nobis*, Viri Eruditi existimant. Homo colligens ligna die Sabbathi, a toto cœtu, jussu Dei, lapidibus obrutus est. [ Numerorum 15. 35. 36. ] *Core*, *Datam* & *Abiron*, seditionem contra *Moysen* & *Aaronem* moventes, hiatu terræ absorpti sunt. Numerorum 16. 31. 32. 33. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universâ substantiâ eorum: Descenderuntque vivi in infernum, operti humo.* Ducenti quinquaginta Schismaticæ Conjurationis socii, thus adolentes, igne divinitus immisso perierunt. Seditiosorum thuribula, in laminas ducta, ad tegendum Altare Deus adhiberi jussit, in monumentum filiis Israël. Pœnæ gravitas criminis gravitatem indicavit: Terra dirupta est, ut eos absorberet, qui Ecclesiæ ruperant unitatem. Schisma in naturâ factum est, ut Schisma in Religione plecteretur. Gens in tumultum prona *Moysen* & *Aaronem* conviciis insectatur, exprobratque quòd Populum Domini trucidaverint. Jam motus apertam in seditionem erumpebat, nisi Deus seditiosos percussisset. *Aaron* instructâ thure & igne sacro acerrâ, monente *Moyse*, stans inter mortuos & viventes, Deum pro Populo deprecatus est, & cladem avertit, quâ jam quatuordecim hominum millia, & septingenti perierant. [ *Numerorum* 16. ] Deus *Aaronis* Sacerdotium miraculo confirmavit. Cùm enim jussisset virgas singulas a 12. Tribuum Principibus, cum uniuscujusque inscriptione, coram se in Tabernaculum deferri, admonens eum Sacris Israëliticæ Gentis summâ cum Auctoritate præfuturum, cujus virga flores effunderet, *Aaronis* virga amigdalis onusta postridie visa est. Quam Deus in Tabernaculo servari ad perennem memoriam præcepit.

## ARTICULUS VI.

*De Mansione XXXIII. & reliquis usque ad XLII. & rebus per hæc temporum intervalla gestis.*

CUm Israëlitæ Montana *Seïris* & Idumæam per annos tringinta septem circumivissent, a *Deserto Pharanis* seu Cades Barnea usque *Asiongaber*, ab Aquilone ad Meridiem, & ipsum Maris Rubri litus regressi: Eos inde in Chananæam rectâ contendere Deus jussit; & quia per Idumææ fines transeundum erat, vetuit ne cum Idumæis fratribus suis bella gererent. ( *Deuteronomii* 2. 1. 7. ) Anno quadragesimo ab Exodo, Mense primo, Israëlitæ in desertum *Zin* pervenere, & tentoria fixerunt in *Cades* 33. Mansione. Ibi mortua & sepulta est *Maria*. Populus aquâ deficiente, in *Moysen* & *Aaronem* impotentiùs debacchatur. Jubet Deus ut petram tantùm allocuti, aquam inde eliciant. At *Moyses* quodam impatientiæ & diffidentiæ motu rupem *Aaronis* virgâ semel iterumque percussit, & aquas inde eduxit, satiandæ hominum jumentorumque siti sufficientes. *Moyses* & *Aaron*, ob diffidentiam in mandato Dei exequendo, ab ingressu in Terram promissam sunt exclusi. His *Aquis contradictionis* nomen inditum. [ *Numerorum* 20. *Psalmo* 105. 32. ]

*Aquæ contradictionis. Mors Mariæ*

II. Israëlitæ, negantibus transitum Idumæis, ex *Cades* castrametati sunt in *Montem Hor*, in finibus Idumææ. Ibi mortuus est *Aaron* anno ætatis centesimo vigesimo tertio, anno 40. egressionis Israëlitarum ex Ægypto, Mense quinto, primâ die Mensis. Ejus Elogium adornavit Siracides *Ecclesiastici* 45. 7. *seq.* Illi successit in Summi Sacerdotii dignitate *Eleazarus* eius filius, Sacris insignibus Dei jussu a *Moyse* indutus. ( *Numerorum* 20. & 33. ) Regem Arad, a meridionali Chananææ plagâ in ipsos erumpentem, Hebræi in discrimine positi, devotis Deo, si ipsis faveret, Hostium spoliis, & Urbium eversione, debellarunt.

*Mors Aaronis.*

III. Profecti ex *Monte Hor* per viam quæ ducit ad Mare Rubrum, ut circumirent Terram Edom, castrametati sunt in *Selmona* 35. Mansione. Inde pervenerunt in *Phunon* Stationem 36. His in Stationibus in Populum ob itineris tædium ac difficultates murmurantem igniti serpentes a Deo immissi,

missi, quorum morsibus Æneus Serpens in typum Christi erectus, remedium præsentissimum attulit. Numerorum 21. *Oravit Moyses pro Populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem aneum & pone eum pro signo: Qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses Serpentem Æneum, & posuit eum pro signo: Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Joannis 3. 14. *Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: Ut omnis, qui credit in Ipsum, non pereat, sed habeat vitam aternam.* S. Hieronymus *Selmonam* interpretatur *Imagunculam; Phunon, Os:* & de his duabus Mansionibus ait: *In his Aaron mortuo, murmurant contra Deum & Moysen, Manna fastidiunt, & Serpentibus vulnerantur; & in typum Salvatoris, qui verum antiquumque Serpentem in patibulo Crucis triumphavit, Diaboli venena superantur. Unde & imaguncula vera expressaque imaginis Filii Dei: Passionem ejus intuens, conservatur; & quod corde credit, ore pronuntiat, legens illud Apostoli: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Serpentes ignitos Hebraicus Textus *Saraphim* vocat, quia urunt halitu oris sui, ut observat R. *Kimchius* in Lexico. Quodnam autem Serpentis genus sit *Saraph*, Auctores non conveniunt. Quidam *presterem* & *causonem* interpretantur, quæ voces, Hebraicæ respondent ad amussim, si originem respexeris. At quod Serpentis genus sit *prester*, haud liquidò constat. *Presterem* alii confundunt cum *dipsade*, ut *Dioscorides* & *Ægyneta:* Alii diversum faciunt, ut *Lucanus* & *Solinus*. Et quid hic senserint *Ælianus* nemo facilè dixerit, cùm alibi *Dioscoridis*, alibi *Lucani* Sententiæ subscribere videatur. *Saraph* esse *hydrum* vel *chersydrum* verisimilius putat *Bochartus*, Hierozoici Lib. 3. Cap. 13. cujus inibi conjecturas non spernendis firmatas argumentis legere est. Sed gravior Quæstio de Serpente Æneo contra *Marshamum* disceptanda occurrit, An *Moyses* morem Ægyptiacum incantandi Serpentes imitatus, Serpentem Æneum erexerit? Quâ de re in Dissertationibus agemus.

*Marshamus p. 148. 149.*

IV. Israëlitæ de *Phunon* profecti, castrametati sunt in *Oboth* 36. Mansionem. Inde pervenerunt in *Jeabarim* Stationem 37. quæ est in finibus Moabitarum. (*Numerorum* 33. 43. & 44.) Inde discedentibus, ut transirent *Torrentem Zared*, vetuit Deus ne bellum Moabitis *filiis Loth* inferrent. (*Numerorum* 21. 12. *Deuteronomii* 11. 8.) Ulteriùs ergo progressi, tentoria fixere in *Dibongad*, 39. Mansione. (*Numerorum* 33. 45.) pro quâ 21. ejusdem Libri capite scriptum est, Ipsos *Ex Torrente Zared castrametatos esse contra Arnon, qua est in Deserto, & prominet in finibus Amorrhai. Et inde venisse ad Puteum, ubi cecinit Israël Carmen istud: Ascendat Puteus, quem foderunt Principes, & paraverunt Duces multitudinis in Datore Legis, & in baculis suis. Et de solitudine Marthana: De Marthanâ in Nabaliel: De Nabaliel in Bamoth: De Bamoth, ad Vallem qua est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra Desertum.* Hæc duo capita Interpretes conciliant, dicendo, *Hac loca in finibus Amorrhaorum*, Cap. 21. descripta, *non Mansiones esse, sed transitus, nec prajudicare debere Catalogo Mansionum extraordinariam expositionem.* Verba sunt *S. Hieronymi* Epistolâ ad *Fabiolam*. Ex *Dibongad*, miserunt Israëlitæ Oratores ad *Sebon* Regem Amorrhæorum, pacificum per regionem ipsius transitum postulaturos. Quo renuente, & prælium cum ipsis ad *Jasam* committente, ipso percusso, omnes civitates ejus occuparunt, regionemque totam suæ subjecerunt ditioni, intactis Ammonitarum & Moabitarum locis, (*Numerorum* 21. *Deuteronomii* 11.) Post hæc, per viam *Basan* ascendentibus occurrit *Og* Rex Basan valido cum Exercitu, prælioque cum eis congressus ad *Edrai*, cum omni Populo suo deletus est, Regio illius ab Israëlitis occupata, sexaginta nimirum civitates, cum toto tractu Argob. (*Numerorum* 21. 33. 34. *Deuteronomii* 3.) Totum verò tractum illum, usque ad terminos Gessuritarum & Machatitarum, obtinuit *Jair* filius *Manasse*, vocavitque ex nomine suo *Havoth Jair, Villas Jair*. (Deuteronomii 3. 14.)

*Difficultas circa Mansionum numerum solvitur.*

*Sebon Rex Amorrhaorum, & Og Rex Basan ab Israëlitis deleti.*

V. Israëlitæ ex *Dibongad* profecti, castra moverunt in *Helmondeblataim*, 40. Mansionem, in Deserto *Moab positam*. Inde ad *Montes Abarim* contra *Nabo* progressi, quæ Mansio fuit 41.

---

## ARTICULUS VII.

*De Mansione XLII. rebus in eâ gestis, & Mosis obitu.*

I. De Montibus *Abarim*, in *Campestria Moab* Israëlitæ perveniunt, ibique castra collocant a *Betsimoth* usque ad *Abelsatim*, in planioribus locis Moabitarum. Hæc Mansio quadragesima-secunda, omniumque postrema, in quâ substiterunt usque ad transitum Jordanis. Dum ibi versantur, *Balac* filius Sephor Rex Moabitarum consilio cum Madianitis communicato, Balaamum filium Beor, Ariolum, quem fuisse *Eliu* filium *Barachielis*, Buziten, qui in Libro *Job* disputans inducitur, Hebræi delirant, teste *S. Hieronymo* in *Traditionibus Hebraicis*: Hunc, inquam, ut Israëlitis malediceret, magnâ mercede propositâ ex Mesopotamiâ vocat, bello deinde ipsos lacessiturus. *Balaam* ire primùm recusat, Deo prohibente. Iterum vocatus, Deo permittente cum Ministris *Balac* proficiscitur, animo maledicendi Israëlitis. Iratus Deus, Asinæ primùm, cui insidebat, ruditu in humanum sermonem converso, tum Angeli, quem citiùs vidit stupidum animal quàm cæcus Vates, terribili aspectu & increpatione, *Balaami* dementiam cohibuit. (*Numerorum* 20. 2. *Petri* 2. 15. 16.) Balaamus præmissis Sacrificiis Israëlitis maledicere bis conatus, ut *Balaco* Regi morem gereret, Spiritu Dei impulsus ter ipsis benedixit, & prospera quæque ipsis auguratus, non solùm de temporali Israëlis felicitate, verùm etiam de Christo vaticinatus est, his verbis: *Videbo eum, sed non modò: Intuebor illum, sed non propè. Orietur Stella ex Jacob, & consurget virga de Israël: & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumaa possessio ejus: Hareditas Seir cedet inimicis suis: Israël verò fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis.* De quo *Balaami* oraculo pleniùs aliàs dicemus. De humani sermonis in ore Asinæ illius formati miraculo, suo etiam loco differam. *Balaamum* ad maledicendum Populo Dei pecuniâ corruptum, velut Hæreticorum typum, qui Ecclesiæ Christi maledicunt, *S. Petrus* proponit Epistolâ 2. Cap. 2. Vers. 14. *Pellicientes*, inquit, *animas instabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii, derelinquentes viam rectam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correctionem verò habuit sua vesania: Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Propheta insipientiam.* De iisdem *S. Judas* Apostolus: *Va illis*, inquit, *quia in viâ Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Balaamo suggerente, Moabiticæ & Madianiticæ feminæ Israëlitas ad Idololatriam & scortationem pelliciunt. [*Numerorum* 25. 1. 2. 3. 31. 16. *Psalmo* 106. 28.] Ita qui viros vicerunt, a mulieribus vincuntur. Qui ferro prælioque doma-

*Balaami Historia. Israëlitarum cum Madianitis feminis fornicatio & Idololatria.*

mari non potuerunt, femineis illecebris captivi fiunt; divinoque fœdere conculcato, *Baali* initiantur, qui & *Beelphegor*. Deus cunctos Principes Populi, criminis auctores, suspendi jubet in patibulis, reliquos a Judicibus occidi. Unâ die ceciderunt viginti tria millia, teste Apostolo 1. ad Corinthios 10. 8. *Neque fornicemur*, inquit, *sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt unâ die viginti tria millia*. Moyses *viginti quatuor millia* occisa refert *Numerorum* 25. 9. Sed hæc facilè conciliantur. *Moyses* enim eo numero complectitur tum Principes Dei jussu suspensos, tum initiatos Beelphegor ejusdem mandato cæsos, tum denique scortatores omnes lue a Deo immissâ unâ die extinctos. At *S. Paulus* de his tantùm postremis loquitur. Itaque ex *Mose* & *Paulo* inter se collatis colligitur, Mille circiter suspendio, & gladio, viginti tria millia peste interiisse: Quæ simul juncta, summam viginti-quatuor millium faciunt. *Moyse* & Israëlitis reliquis ante fores Tabernaculi lugentibus, *Zambri* filius *Salu*, Dux de cognatione & Tribu *Simeonis*, scortum Madianiticum, cui nomen *Cozbi*, filiam *Sur* Principis nobilissimi Madianitarum abduxit in castra, *Moyse* spectante, totoque Populi cœtu, libidinem saturaturus. *Phinees Eleazari* Pontificis filius, zelo Domini succensus, e mediâ turbâ erupit, & arrepto pugione hominem cum meretrice confodiens, Deum placavit ( *Numerorum* 25. 7. 8. & *Psalmo* 106. 30. ) Phineeso, ejusque generi, in zeli præmium, Sacerdotii dignitatem Deus in perpetuum confirmavit.

*Zelus Phinees.*

II. Post hæc *Moses* & *Eleazarus*, Deo jubente, Populum a nato viginti annos & deinceps numerantes, in Campestribus Moab contra Jordanem, in Jericho, sexcenta millia, & mille septingentos triginta inveniunt: Præter Levitas, quorum census a nato uno mense & supra, est viginti-trium millium. [ *Numerorum* 26. 5. ] Filiabus *Salphaad* paterna hereditas, masculâ prole deficiente, Judice Deo decernitur. ( *Numerorum* 26. 5. ) Moyses ascendere jubetur in Montem Abarimorum, indeque Terram promissam contemplari; Mors ipsi imminens denuntiatur: & Successor *Josuë* designatur a Domino: quem Moses ipse manuum impositione inaugurat, & mandatis a Deo traditis instruit coram *Eleazaro* Sacerdote, totiusque Populi cœtu. [ *Numerorum* 27. ] Mox bellum in Madianitas, Deo imperante geritur, Duce *Phinees*: Mares eorum universi occiduntur, cum quinque Principibus Gentis, & *Balaamo* Ariolo: Qui ex Patriâ suâ, id est, ex Mesopotamiâ Syriæ circa Euphratem; & ex domo suâ, ( Dicitur enim Numerorum 24. 25. *Surrexitque Balaam, & reversus est in locum suum* ) in Madianitidem redierat, consilii sui mercedem accepturus. Ex feminis solæ virgines servatæ ad triginta duo millia. Præda inter Milites Populumque divisa, portionibus Sacerdotum ac Levitarum delibatis. Duodecim Israëlitarum millia Gentem numerosissimam & bellicosissimam uno prælio profligarunt, exsciderunt, ne uno quidem Milite in victorum castris desiderato. ( *Numerorum* 31. *Josuè* 13. 21. 22. ) Tribus *Ruben*, & *Gad*, & dimidia Tribus *Manasse*, possessionem ultra Jordanem accipiunt, eisque Terra Galaad destinatur, eâ lege ut fratribus suis ad Terram promissionis obtinendam præsto sint. ( *Numerorum* 32. ) Monetur Populus ut in Terrâ Sanctâ Idola destruat, cunctosque incolas exterminet. [ *Numerorum* 33. ) Terræ promissæ limites describuntur, numerantur Tribuum Principes, quibus illam dividendi munus demandatum. [ *Numerorum* 34. ] Quadraginta duas Urbes cum suburbanis suis usque ad mille passus per circuitum Levitæ accipiunt: Adduntur sex Civitates Refugii pro homicidis fortuitis, tres trans Jordanem, & tres in Terrâ Chanaan. Qui fugitivorum suscipi, qui interfici debeant, qui usque ad mortem Pontificis Maximi reservari, decernitur. ( *Numerorum* 35. )

*Bellum contra Madianitas.*

III. Anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto, undecimo mense, primâ die mensis, Moses concionem habuit ad Israëlitas, quâ divinis beneficiis in eorum memoriam revocatis, ac Lege Dei repetitâ, multisque præceptis cùm ritualibus, tum forensibus, quæ toto passim Deuteronomio legere est, ipsos ad omnium observantiam adhortatur. Jubet ut rejecto Jordane lapides oblitos calce, informes & impolitos erigant, & ex iis Altare componant; atque in ipsis *omnia verba Legis hujus*, id est, integrum Decalogum, *planè & lucidè* inscribant. Ad hæc, ritum benedictionis in Monte Garizim, & maledictionis in Monte Hebal præscribit. Observantibus Legem fausta omnia & prospera adprecatur, illam violantibus nullum mali genus non imprecatur & auguratur. ( *Deuteronomii* 27. 28. ) Legem scripto mandatam Sacerdotibus filiis Levi, & omnibus Senioribus Israël tradit, eamque septimo quoque Anno in Festo Tabernaculorum publicè legi jubet. Scribit & egregium illud Canticum, *Audite Cœli, quæ loquor*, &c. idque docet filios Israël. Librum Legis in latere Arcæ fœderis poni ac servari jubet, in testimonium contra transgressores. ( *Deuteronomii* 31. ) Morti proximus, singulis Tribubus prophetice benedicit, Tribu *Simeonis* exceptâ. Cur autem illam Benedictione suâ non cohonestaverit, duplex ratio ab Eruditis Interpretibus affertur. Prima, quia *Zambri* Princeps Tribûs Simeonis cum Madianitide recens fornicatus erat, iramque Dei in totum Populum excitaverat. Altera, quia per Idololatriam & murmurationem nulla graviùs deliquisse videtur. Cujus rei hoc argumentum est, quòd in primâ recensione Populi numerati sunt *quinquaginta novem millia trecenti* Simeonis tribules: [ *Numerorum* 1. 22. ] postremâ verò post annos quadraginta, tantùm *viginti duo millia ducenti*. ( *Numerorum* 26. 14. ) Aliam causam affert *Theodoretus*, *Quæstione ultimâ in Deuteronomium*, quòd nimirum *Simeon* auctor fuisset insidiarum, quas fratres *Josepho* struxerunt. Sed hæc ratio infirma est. Nam alii fratres contra *Josephum* conjuraverant; & *Ruben* crimen aliud admiserat non minùs grave, scilicet incestum, propter quod fuerat etiam a *Jacobo* patre quodammodo maledictus *Genesis* 40. his verbis: *Effusus es sicut aqua, non crescas: Quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus*. In MS. quidem Alexandrino, & nonnullis ℞ 70. Editionibus legitur: *Vivat Ruben, & non moriatur, & Simeon sit multus in numero*: Sed nomen *Simeonis* hic intrusum fuisse ab aliquo Sciolo, probant Hebraicus Textus, MS. Vaticanum ℞ 70. & Romana eorumdem Editio, Chaldaica Paraphrasis, Versio Vulgata, *Theodoretus*, & alii Patres, qui 70. Seniores sequuntur. Addit Theodoretus, *Simeonem nihilominus benedictione suâ non caruisse; quia* Moyses *non solùm peculiarem cuique Tribui dedit benedictionem, sed omni etiam Populo communem*, „ Habitabit enim, *ait*, Israël confidenter solus „ super terram Jacob, in terrâ frumenti & vi- „ ni, & cælum tibi caligans rore. *Multaque alia benedictioni addidit*.

*Mosis extrema.*

*Cur Moses Tribui Simeonis non benedixerit.*

IV. Ascendens *Moses* a campestribus Moab in Montem Nebo, totam Terram promissam circumquaque prospexit, ibique mortuus est jubente Domino, anno quadragesimo ab egressu Israëlitarum ex Ægypto, duodecimo Mense ineunte, id

*Mors Moisis.*

id est, Mense *Adar*, qui Februario nostro magnâ ex parte respondet, anno ætatis centesimovigesimo, cujus temporis tertiam partem in Imperio eum exegisse, uno mense minùs, scripsit *Josephus*, in fine Libri 4. Antiquitatum. Martyrologium Romanum cum Chronologiâ sacrâ hic conciliare non possum. *Mosis* enim mortem quarto Septembris adscribit. At constat Israëlitas flevisse Moysen in campestribus Moab triginta diebus. [ *Deuteronomii* 34. 8. ] Quibus completis, *Josue* de Sethim ( qui locus erat in campestribus Moab ) misit duos Exploratores in urbem Jericho, qui triduo in Montibus se abscondentes, demum ad *Josue* reversi sunt. Post eorum reditum statim *Josue* castra movit ad Jordanem, ubi triduo mansere. Demum Jordanem cum Populo *Josuë* trajecit decimâ die Mensis primi, scilicet Nisan, partim Martio, partim Aprili nostro respondentis. ( *Josue* 4. 19. ] Quâ ratione igitur Mosis obitus Mense Septembri consignari potest. *Mosis* corpus sepelivit Deus in Valle Terræ Moab contra Phogor, neque novit quisquam sepulcrum ejus. *Michaël* Archangelus, ut in Epistolâ Canonicâ Judæ Apostoli legitur, adversùs Diabolum de *Mosis* corpore disceptavit; quod Judæis Diabolus patefacere voluit, ut illis occasionem Idololatriæ ministraret, ut censent *Theodoretus*, *Quæstione* 43. *in Deuteronomium*, & alii. Hoc ejus Elogio Deuteronomium concluditur: *Et non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moyses: quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in Terrâ Ægypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque Terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaque Mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israël.* Ejus laudes celebrat Siracides *Ecclesiastici* 45. his verbis: *Dilectus Deo & hominibus Moyses; cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloriâ Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu Regum, & jussit illi coram Populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, & Legem vitæ & disciplinæ, docere Jacob Testamentum suum, & Judicia sua Israël.* Moysis elogium adornat *S. Paulus* Epistolâ ad Hebræos, Cap. 11. 24. *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum Populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: Invisibilem enim tamquam videns sustinuit, fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva tangeret eos, &c.* Eumdem his verbis commendat S. *Stephanus* Actuum 7. 22. 30. *Erat potens in verbis & in operibus suis. Hunc Deus Principem & Redemptorem misit, cum manu Angeli, qui appparuit illi in rubo. Hic eduxit illos faciens prodigia & signa in Terrâ Ægypti, & in Rubro Mari, & in Deserto annis quadraginta. Hic est qui fuit in Ecclesiâ in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in Monte Sina, & cum Patribus nostris: Qui accepit verba vitæ dare nobis.* De ipso *S. Augustinus* Libro 22. contra Faustum, Cap. 69. *Mosen famulum Dei fidelissimum, humilem in recusando tam magnum ministerium, subditum in suscipiendo, fidelem in servando, strenuum in exequendo, in regendo Populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in sustinendo patientem, qui pro eis quibus præfuit, Deo se interposuit consulenti, opposuit irascenti: Hunc itaque talem ac tantum Virum absit ut ex maledico Fausti ore pensemus, sed ex ore planè veridici Dei.* Tres Libros *De Vitâ Mosis* scripsit *Philo* Judæus. *Moysen* Pentateuchi Auctorem esse in Dissertationibus probabimus contra impium Tractatûs *Theologo-Politici* Scriptorem. Quæ de ipso Ethnici scripserunt, inferiùs expendemus.

# CAPUT II.

## DE JOSUE, ET EJUS GESTIS ut in Sacris Literis narrantur.

### ARTICULUS I.

*De Transitu Jordanis Josuë Duce.*

I. MOYSI in Principatum Hebraicæ Gentis successit JOSUE filius *Nun*, ex Tribu Ephraim, Moysis Administer, JESUS NAVE Græcis nuncupatus, & Jesu Christi typus insignis, in vocatione suâ a Deo confirmatus. Præmissis Hiericumthem Exploratoribus, quos *Rahab* meretrix domo suâ misericorditer excepit, abscondit, & ab insidiis Hiericunthini Regis liberavit, Josuë Populum ad ripas Jordanis perductum triduò ad trajectionem fluminis, & ingressum in Terram promissam præparavit. ( *Josue* 1. & 2. *Cap.* ) De *Rahab*, quæ Hebræos Exploratores suscepit, quærunt Interpretes, an meretrix esset, an mulier hospita & tabernaria, ut Judæorum plerique, & Chaldæus Paraphrastes interpretantur. At Chaldæum nomen illud hospitæ usurpasse, ut pudicis parceret auribus, non ut rem ipsam dissimularet, rectè observat *Andreas Masius*: & plerisque aliis locis idem ab illo verecundiæ gratiâ factum. Cæterùm meretricem fuisse *Rahab*, non solùm ex Libro *Josuë* Cap. 2. 1. & Cap. 6. 17. 22. sed etiam ex Apostolo ad *Hebræos* 11. 31. certum est: Idque etiam inde confirmatur, quòd ipsa, dum suis omnibus necessariis atque familiaribus salutem paciscitur, mariti non meminit, Josuë 11. 12. *Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei: Detisque mihi verum signum, ut salvetis patrem meum & matrem, fratres ac sorores meas, & omnia quæ illorum sunt, & eruatis animas nostras a morte.* Ipsi etiam Talmudici, totis quadraginta annis, quibus Israëlitæ post relictam Ægyptum oberrarunt in deserto, corpus illam quæstui habuisse prodiderunt, & quidem ex quo annos nata fuerat decem. Jam verò quinquagenariam tandem meliora consilia cepisse. Verùm istud commentum inde refellitur, quòd *Salmoni* Davidis abavo nupserit postquàm Israëlitico Populo adjuncta est, & ex eo *Boos* pepererit, ut ex Christi Genealogiâ discimus: Adeoque multò natu minorem fuisse necesse est. *Rahabæ* fidem eximiam hæc illius verba ad Israëlitas Exploratores probant: *Novi quòd Dominus tradiderit vobis Terram: Etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores Terræ. Audivimus quòd siccaverit Dominus aquas Maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester ipse est Deus in Cælo sursum, & in terrâ deorsum.* De eâdem Apostolus ad Hebræos 11. 31. *Fide Rahab Me-*

*Utrùm Rahab fuerit meretrix.*

*Meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.*

*Miraculum in transitu Jordanis.*

II. Die decimâ Mensis primi, Israëlitæ Duce *Josuë*, typo Christi, ex Jordane ascenderunt in Terram promissam, cœlestis patriæ figuram, pedibus emensi fluvium, ejus undis, [ tempestate messis, quâ ripas superabant ] divisis ad præsentiam Arcæ in medio fluvio sustentatæ. In hujus Miraculi memoriam duodecim lapides a selectis ex singulis Tribubus Duodecimviris e medio Jordanis alveo sublatos, in proximâ Galgalis Statione, Deo jubente, *Josuë* erexit. ( *Josuë* 3. 4. *Psalmo* 103. 3. 5. ) Jordanis, ut *Masius* Interpres „ Eruditus observat, in Libani radicibus oritur, „ & quidem, ut plerisque Scriptoribus placet, „ fonte gemino, dextro *Dan*, sinistro *Jor*, ut „ itâ ex junctis istorum nominibus, sicut & con„ fluentibus aquis fiat Jordanis. Sed Talmudici „ aliam tradunt hujus appellationis rationem. „ Nomen enim Jordanis ita explicant, quasi si„ gnificet *Descendens e Dan*. Nam oppidum *Dan*, „ quod antiquitus *Lais* & *Lesem* dicebatur; apud „ *Panium* extabat, hoc est præcipuum Jorda„ nis fontem, ut *Plinius* est opinatus. Quan„ quam *Josephus Lib.* 3. *De Bello Judaico*, *Cap.* 18. „ ex ipsâ usque Trachonitide primam Jordanis „ originem repetat, e Lacu quodam rotundo, quem „ *Phialam* vocant a figurâ. Inde enim terrâ con„ ditas aquas ad Panium antrum prope *Dan*, hoc „ est, *Philippi Cæsaream*, ferri, atque illic de„ mum per scatebras erumpere in lucem. Cui „ certè rei argumento esse videtur ipsa etiam „ illius Lacûs appellatio, quam ab iis qui loca „ perlustrarunt, accepimus: Ajunt enim, vulgò „ vocari *Mijedan*; Hoc enim est ac si *Aquas* „ *Dan*, dicas.

*Gesta post transitum Jordanis.*

III. Postquàm Israëlitæ Jordanem trajecerunt, Amorrhæorum Transjordanensium & Chananæorum Regum, ac Populorum animos terror invasit. *Josuë* Circumcisionis usum per annos quadraginta peregrinationis in deserto necessariò interruptum, Deo jubente restituit: Secunda hæc Circumcisio respectu primæ *Abrahamo* imperatæ appellata. Pascha primum in Terrâ Chananæâ celebratum in campestribus Jericho quartâ decimâ die primi Mensis ad vesperam. Postridie de frugibus terræ azymos panes, & polentam ejusdem anni comederunt Israëlitæ. Die tandem sequenti *Manna* defecit. ( *Josue* 5. ) Secundam Circumcisionem appellari, quæ *Josuë* post Jordanis transitum imperata est, respectu Circumcisionis Abrahamo, in signum fœderis Deum inter & ipsum ejusque posteros sanciti, præceptæ, ab eoque usurpatæ, docet *Theodoretus* Quæstione 3. in Josuë. *Hæc verba*, inquit, *veritatem quàm maximè prænuntiant. Nam his qui Mosaicam Circumcisionem susceperant, spiritalem Circumcisionem attulerunt Præcones Evangeliorum. Hanc Circumcisionem non manufactam appellavit Apostolus*. Circumcisio cordis, *ait*, in Spiritu, non in literâ. *Qui igitur ex Judæis in Salvatorem crediderant, Mosaicam habentes Circumcisionem, spiritalem præterea suscipiebant; Itaque illud*, secundò, *veritatem præfigurat, cùm alioqui secundùm carnem bis circumcidi sit impossibile. Sententia autem ex superficie literæ sumpta, hoc innuit, quod quemadmodum Deus ab initio dederat hanc Legem Abrahæ, ita secundò præcepit Josuë, ut circumcideret eos qui non erant circumcisi.... Siquidem Dominus Deus cùm prædiceret Abrahæ tempus incolatûs ejus, jussit ut circumcideretur: Cùm vero liberati essent ab Ægyptiorum servitute, & degerent in deserto, non postulavit ut hæc Lex ab illis servaretur, neque pœnas transgressionis exegit. Quoniam apud se viventes, non permixti Nationibus alienis, non egebant signaculo Circumcisionis. At verò postea, cùm introduxit illos in Terram promissam, circumcidi præcepit, ne per conversationem cum extraneis pietas labefactaretur. Si enim contigerat quempiam decipi, facile erat perspectâ notâ in gregem recipi: Sicut oves aliquo signo notæ, si errent, facilè reperiuntur.*

*Circumcisio secunda.*

*Roman.* 2. 29.

*Visio Josuë. Num ipsi visus fuerit Archangelus Michaël, an Filius Dei.*

III. *Josuë* in agro Urbis Jerico apparuit vir humanâ specie major, stricto gladio, ad quem ille intrepidè accedens, his ipsum verbis interpellavit: *Noster es, an adversariorum?* Qui respondit: *Nequaquam; Sed sum Princeps Exercitûs Domini, & nunc venio.* Cecidit Josuë pronus in terram. *Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis? Locus enim in quo stas, Sanctus est. Fecitque Josuë ut sibi fuerat imperatum.* Virum illum, qui se dominici Exercitûs Principem dixit, quidam Filium Dei humanâ specie indutum fuisse censent, alii Archangelum *Michaëlem*, utrique probabiliter. Quâ de re *Theodoretus* Quæstione 5. in Josuë. *Ajunt quidam visum fuisse Deum Verbum: Ego autem arbitror esse Michaëlem Archangelum. Quando enim* „ *deliquerunt, dixit Deus universorum.* Non as„ cendam tecum, quia Populus sit duræ cervi„ cis: Sed mittam Angelum meum ante faciem „ tuam, qui præcedet te. *Hunc puto modò conspectum fuisse ab Jesu, bono illum animo esse jubentem, & certiorem facientem de suppetiis.*

---

## ARTICULUS II.

### *De Terra Chananæa occupatione.*

*Urbis Hierichò expugnatio.*

I. ISraëlitis ex Circumcisionis vulnere sanatis, post dierum Paschalium celebritatem, trajecto Jordane, *Josuë* copias ad Hierichuntem occupandam promovit, urbem munitissimam, expugnatione difficilem. Sed *Josue* a Deo edoctus, Milites circuire mœnia jubet, Arcæ Testimonii a Sacerdotibus circumgestatæ præeuntes, septem aliis Sacerdotibus ante Arcam buccinâ clangentibus, & reliquo Populo sequente. Id septiduo, semel diebus singulis factitatum. Septimo circuitu, clangore Sacerdotalium tubarum, toto simul Israële clamante, Mœnia sponte collapsa, Urbs expugnata, Deoque jubente internecioni devota est: Sola *Rahab* cum suis servata; Ædificia omnia cum incolis, & universâ supellectili, in cineres redacta, exceptis auro, argento, vasis æneis ac ferro, quæ in ærarium Domini illata sunt. Tunc *Josue* imprecatus est his verbis: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit civitatem Jerico.* ( Josuë Capit. 6. ) Israëlitas immanitatis immeritò quis insimularet, quippe qui in istis cædibus atque incendiis patrandis Dei jussa executi sunt, ejusque justitiæ administri fuerunt. Deum verò nemo præter Marciones, Manichæos, aliaque id genus impietatis monstra accusaverit injustitiæ, cùm Chananæorum scelera graviores pœnas mererentur. Quin immo Dei patientia hinc maximè commendanda est, qui jam supra quadringentos annos frustra distulerat hæc Chananæorum supplicia melioris vitæ expectatione, cùm illi interea majore in dies contumaciâ adversùs ipsius lenitatem decertarent. Est enim illud pervulgatum, quod ad *Abrahamum* de ejus posteris dicebat Dominus Genesis 15. 16. *Generatione autem quartâ revertentur huc: Necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.*

*Obsidio Urbis Hai. Furtum Achan, ejusque supplicium.*

II. Excisâ *Hierichunte*, ad expugnandam *Hai* se-

festinatum est, præmissis Exploratoribus. Tria millia virorum armatorum contra Urbem ascendere jussit Imperator, qui ab hostibus fusi, & in fugam compulsi. Terrore Israëlitarum animos dejiciente, *Josuë* Dominum consuluit, precibusque ferventissimis exorat. Respondit Dominus: *Anathema in medio tui est, Israël non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere*. Sors per tribus, familias, domos, virosque jussu Dei jacta, *Achan* filium *Charmi*, de Tribu Judâ, sacrilegi furti reum prodidit. Crimen, serò licèt, confessus est, pallium scilicet coccineum, ducentos argenti siclos, regulamque seu laminam auream quinquaginta siclorum, de prçda Urbis Hierichuntinæ, Deo devotâ, clam subduxisse; & in has voces prorupit pœnitentiæ testes: *Verè ego peccavi Domino Deo Israël*. Eductus ad vallem Achor lapidibus a Populo obrutus, & cum sacrorum spoliorum parte, liberis, pecudibus, supellectili prorsus omni ipsoque tentorio igne consumptus est, Deo jubente, & *Josue* divinam sententiam significante his verbis: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac* [Josuë 7.] Nomen scilicet *Achan* a verbo *Achar*, quod *conturbare* significat, formatum unius literæ commutatione, constat ex 1. *Paralipomenon* 11. 7. ubi *Achar* vocatur, sicut & a 70. hoc loco. Indeque Valli *Achor* nomen inditum. Hoc *Achanis* supplicium, ejusque liberorum, forsan innoxiorum, a Deo justo Judice decretum est, ut hoc exemplo sanciretur disciplina. Eademque ratio fuit cur ob unius gregarii, ut apparet, Militis crimen, Deus iram suam in totum Populum effunderet. Nam, (ut scitè ait *S. Augustinus* Quçstione 8. in Josuë) *Non aliquid dirum, quantùm attinet ad universi Mundi administrationem, contingit mortalibus, cùm moriuntur quandoque morituri; & tamen apud eos qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in Populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis, & unius hominis, alia pro aliis sint membra sollicita. Nec tamen credendum est, etiam pœnis quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari: Sed in his tantùm rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habitura, etiamsi non eo modo finirentur. Simul etiam ostenditur, quantum connexa sit in populi societate ipsa universitas, ut non in se ipsis singuli, sed & tanquam partes in toto existimentur. Per unius igitur peccatum, mortemque paucorum admonitus est Populus universus tamquam in Populo universo quærere quod admissum est. Simul etiam significatum est, quantum mali fieret, si universa illa congregatio peccasset, quando ne unus quidem ita potuit judicari, ut ab eo possent cæteri esse securi. At verò si Achar ab aliquo inventus atque comprehensus, & illius criminis reus ad Judicium Jesu fuisset adductus, nequaquam putandum est hominem Judicem vel pro illo, vel cum illo quemquam alium qui societate facti ejus minimè tenetur fuisse puniturum. Neque enim ei mandatum Legis licebat excedere, quod datum est hominibus ne judicio suo, quod in hominem homini jussum sive permissum est, alterum pro alterius peccato arbitretur esse plectendum. Longè autem secretiore justitiâ judicat Deus, qui potens est etiam post mortem, quod homo non potest, vel liberare, vel perdere. Visibiles igitur afflictiones hominum, sive mortes, quoniam his quibus ingeruntur & obesse, & prodesse possunt, novit Dominus in occulto providentia sua quemadmodum justè quibusque dispenset, etiam cùm aliorum peccata in aliis videtur ulcisci. Pœnas verò invisibiles, quæ nonnisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus Deo Judice pro alienis peccatis luit, sicut homine Judice luere nullus nisi pro suâ culpâ istas visibiles debet. Hoc enim præcepit homini Judici Deus, in his quæ ad humanum Judicium pertinent vindicanda, quod in suo judicio facit ipse, quò potestas non aspirat humana.*

*Hai expugnata.* Deus *Achanis* supplicio reconciliatus, Israëli in Hajensi expeditione præsto fuit. Memorabili stratagemate parta victoria. Captâ & incensâ civitate, cçsis hostibus, Rex *Hai* Deo jubente, e patibulo suspensus est. Secundùm hæc altare ex lapidibus impolitis in Monte *Hebal*, juxta Legis prçscriptum, Deo erigitur, holocausta & pacificç victimç super eo mactantur; *Deuteronomium Legis Moysi* lapidibus inscribitur; benedictiones & maledictiones in Montibus *Hebal* & *Garizim* recitantur; Liber Legis coram universo Populo legitur. (*Josuë* 7.) Deuteronomium integrum his lapidibus insculptum, verisimile non est, sed nomine *Deuteronomii Legis*, Decalogum dumtaxat intelligendum, longè est probabilius, aut certè formulam benedictionis atque maledictionis a *Mose* præscriptam *Deuteronomii* 27. & fortè omnia illa verba, quæ toto Capite 28. prolixè tum pollicentur fausta piis, tum dira minantur impiis. Hanc formulam *Legis* nomine a *Moyse* notari colligit *Andreas Masius* ex Capit. 28. *Deuteronomii*, ubi præscripta est, Versic. 8. *Et scribes super lapides omnia verba Legis hujus planè & lucidè*. Et rursus ex Vers. 26. ubi eam concludit: *Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis hujus, nec eos opere perficit*.

*Totum Deuteronomium lapidibus Altaris in Monte Hebal erecti inscriptum non fuit.*

*Gabaonitarum deditio, fraus, initumque cum ipsis fœdus.* III. Famâ victoriarum ab Israëlitis reportatarum commoti Chananæi Reges, adversus illos sancito fœdere conjurant. Verùm Gabaonitæ missis ad *Josuë* & Israëlitici Populi Principes Legatis qui longi itineris simulatione ipsis imponunt, & Chananæos se non esse persuadent; eo statu, ac spontaneâ deditione, pacem & securitatem obtinent juramento firmatam. Fœdus illud cum Gabaonitis sancitum inconsulto Domino. Receptis eorum Urbibus, ab eorum cçde temperatum, propter jurisjurandi religionem; Verumtamen, & in pœnam fraudis, perpetuæ servituti addicuntur, & ad ligna cçdenda, aquasque in domum Dei comportandas in perpetuum tempus damnantur. (*Josuë* 9.) Quæstio est utrùm Israëlitæ, quos interposito juramento per fraudem dato vitæ suç securos esse jusserant, armis invadere & occidere absque perjurio potuissent. Hanc quçstionem quç clarissima ingenia contrarias in sententias distraxit, in Dissertationibus discutiemus. Interea *Adonisedech* Rex Jerosolymorum, cum Regibus *Hebron*, *Jerimoth*, *Lachis*, & *Eglon*, auditâ Gabaonitarum defectione, Civitatem eorum conjunctis viribus oppugnarunt. *Josuë* solutâ obsidione hostes persecutus *Azecham*, & *Macedam* usque, magnam stragem edidit, Deo pro Israëlitis pugnante, & lapidum grandinem in Amorrhços immittente, quo multò plures perierunt, quàm Israëlitarum gladio. Sole ad occasum vergente, *Josuë* prospiciens noctem præsidio fore profugis, Solem supra Gabaonem, & Lunam supra Vallem Ajalon stare jussit. Sic die Syderum statione producto, protractum est victoriç tempus nullo superstite hostibus effugio. Nihil insueti passum esse solem, nec revera imperiali *Josuë* verbo, seu potiùs Dei potentiâ ejus preces exaudientis, stetisse & quievisse: sed æquabili, ut solet, motione cum diem absolvisse, Hebræi, & *Grotius* contendunt; & arbitrariis explicationibus tanti Miraculi veritatem, contra fidem sacri Textûs, elevare conantur. Quorum errorem in Dissertationibus refellemus. Quinque Reges abjectâ fugæ spe, speluncam quamdam *Maceda* subeunt; sed inde jussu *Josuë* edu-

*Sol a Josuë miraculo sistitur.*

educti, & a Ducibus Exercitûs calcati, ac deinum e furcâ suspensi, in eâdem speluncâ magnis lapidibus obstructâ sepeliuntur. (*Josue* 10.) Eâdem expeditione, & uno quasi impetu, victor Israëlitarum Exercitus, Duce Josuë, Urbes munitissimas *Lebnam*, *Laebim*, *Eglonem*, *Hebronem*, *Dabirem*, omnemque Terram Montanam, Australem & campestrem, a Cadesbarne usque Gazam, omnem Terram Gozen usque Gabaon, expugnavit, occupavit, cæsis Regibus, deletis indigenis. Eadem sors fuit *Jabini* Regis Asor, cum fœderatis Regibus ac Populis, Chananæis, Amorrhæis, Hethæis, Pheresæis, Jebusæis, Hevæis: Qui omnes ad *Aquas Merom* percussi sunt & internecione deleti, equis eorum (ut Deus jusserat) subnervatis, curribus igne consumptis. Quod ideo factum, ut discerent Israëlitæ *fallacem* esse *equum ad salutem*, nec *in curribus & equis*, sed *in nomine Domini* confiderent, eique uni armorum suorum prosperitatem ac victorias acceptas referrent, ut explicat R. *David Kimchi*. Unum supra triginta Reges, citra & trans Jordanem, cùm a Mose, tum a *Josuë* cæsos; omnesque eorum urbes ac ditiones ab Israëlitis expugnatas, Sacra prodit Historia. (*Josue* 12.) Nullam fuisse civitatem quæ se sponte dederet, exceptis Hevæis Gabaonis incolis. *Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi*. [Josuë 11. 20.)

*Annorum Sabbathicorum & Jubilæorum initium.*

IV. Ab anno primo quo in Terram Chanaam ingressi sunt Israëlitæ, eamque maximâ ex parte occupatam serere cœperunt, numerandi sunt anni Sabbathici, ita ut septimus abhinc annus fuerit primus Sabbathicus. Inde etiam deducenda annorum Jubilæorum Epocha, post septem Sabbathicos celebrandorum, anno scilicet quinquagesimo. (*Levitici* 25.) An autem a Vere vel Autumno annorum Sabbathicorum & Jubilæorum initium duceretur, Quæstio est in Dissertationibus expendenda.

---

## ARTICULUS III.

*De Terra Chananææ Distributione, & Josuë Obitu.*

*Quo tempore facta Terræ divisio?*

I. ANno septimo ab ingressu in Chananæam, magnâ adhuc Terræ parte subigendâ & occupandâ, *Josuë* Chanaanitidis universæ partitionem aggressus est. *Josephus* quidem anno quinto a transitu Jordanis Terræ distributionem factam describit *Lib. 5. Antiquitatum* Cap. 1. sed refellitur ex verbis *Calebi* (Josuë 15.) *Quadraginta annorum eram*, inquit, *quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem Terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor Populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Juravitque Moyses in die illo dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum; Quia secutus es Dominum Deum meum..... Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen.* Ex quibus colligitur, distributionem Terræ anno septimo a *Moysis* obitu, & transitu Jordanis factam esse, ut tradunt etiam Hebræi in suâ Chronologiâ Majore, quam *Seder olam* appellant. Nam *Caleb* quadragesimum agebat annum quando a *Mose* e Cadesbarneâ missus est ut Chananæam specularetur. Jam verò, ubi *Josuë* Terræ distributionem aggressus est, præterierant ex illo tempore anni quadraginta quinque. Ex quibus si demas annos triginta & octo, quos ab exploratorum reditu Israëlitæ in solitudine oberrarunt, cùm dignas contumaciâ suâ pœnas Deo darent, reliqui fuerunt anni septem. Caussa autem erroris *Josepho* fuit, quòd existimaverit post reversos *Mosis* speculatores erratum in solitudine totis annis quadraginta; in quâ etiam sententiâ fuere 70. Interpretes; adeòque non triginta & octo, sed quadraginta annos, ex illis quadraginta quinque quos numerat *Caleb*, esse subducendos. At non ita res habet. Constat enim ex Sacrâ Historiâ Moysen *Quadragesimo anno, undecimo Mense, primâ die Mensis*, concionem habuisse ad Populum in Campis Moabiticis, post devictos Reges *Sehonem* & *Og*, atque universam Dei Legem explanasse. (*Deuteronomii* 1. 3.) Et a Cadesbarneâ relictâ ad transmissum Torrentem Zared *triginta & octo anni* dumtaxat numerantur (*Deuteronomii* 11. 14.) Denique annos illos quadraginta non ab illâ seditione contra *Moysen* & *Aaronem*, quæ ad Cadesbarneam acciderat, sed ab exitu ex Ægypto esse numerandos, patet ex *Numerorum Cap.* 33. Vers. 38. ubi *Aaron* mortuus dicitur *Anno quadragesimo egressionis filiorum Israël ex Ægypto, Mense quinto, primâ die Mensis*.

*Terræ sortitio, & distributio.*

II. Tribubus *Ruben*, & *Gad* & dimidiæ Tribui *Manassis* portio ultra Jordanem obtigerat decernente *Moyse* Numerorum 32. 33. Novem itaque & dimidiæ dumtaxat Tribubus distributa fuit trans Jordanem Chananæa. In possessionem primæ missæ sunt tres Tribus Principes, Judæ, Ephraim, & Manassis. (*Josuë* 15. 16. 17.) Sex refugii Civitates secundùm Legem a communi sorte separatæ. (*Josuë* 15.) Levitis assignatæ Urbes quadraginta & octo cum suburbanis, alendo pecori, sex illis confugii, eo numero comprehensis. (*Josuë* 21.) Leviticæ Urbes in Tribuum reliquarum ditionibus dispersæ erant. Non una aliqua regio sacratæ illi Tribui in hæreditatem assignata, quia Deus oblationes, decimas, primitias sibi debitas illis ad victum concessit. Josuë 13. 14. *Tribui autem Levi non dedit possessionem: Sed Sacrificia & victimæ Domini Dei Israël ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi.* Et Vers. 33. *Tribui autem Levi non dedit possessionem: Quoniam Dominus Deus Israël ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.* Ideo autem inter cæteras Tribus dispersi sunt Levitæ, ut *Jacob* docere Legem Dei, & judicia ejus *Israëlem* faciliùs possent. Jactæ sunt sortes in Silo, ubi & Tabernaculum testimonii collocaverunt. (*Josuë* 18.)

*Bellum Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Tribui Manassæ, a Tribubus reliquis denuntiatum, ob suspicionem schismatis*

III. Sortibus distributis, auxiliares copias Tribuum Ruben, Gad, & dimidiæ Tribûs Manasse, *Josuë* ad possessiones suas trans Jordanem dimisit, prospera omnia ipsis a Deo precatus. Cùm verò illi in Galaaditidem ad suos reversi, ad transitum Jordanis in Chananææ finibus magnum Altare erexissent; reliquæ Tribus a veri Dei cultu & Mosaicæ Legis observantiâ, Ritibusque defecturos suspicatæ, de bello eis inferendo deliberabant. Verùm misso ad eos Phinees *Eleazari* Summi Sacerdotis filio, cum decem aliis Principibus de singulis Tribubus, ubi non ad Sacrificium, sed in Monumentum, & ad testandam suam cum reliquo Populo Israëlitico communionem, erectum fuisse Altare ab ipsis cognovissent, placati sunt, & eorum excusationem libentissimè susceperunt. Vocaverunt autem Rubenitæ & Gaditæ Altare quod extruxerant, *Testimonium nostrum quòd Dominus ipse sit Deus*.

*Israëlitici populi comitia a Josuë habita.*

IV. *Josuë* affectâ jam ætate, cùm se gloriosæ vitæ cursum jam penè complevisse cognosceret, Israëlitici Populi Comitia in Sichem convocavit, omnesque a Chananæorum, qui adhuc inter ipsos versabantur, superstitione, moribus, amicitiâ absterruit, & ad constantiam in veri Dei cultu, omniaque pietatis ac probitatis officia ipsos adhortatus, eorum fidem novo fœdere Deo obligavit.

vit. *Testes*, inquit, *vos estis*, *quia ipsi elegeritis vobis Dominum*, *ut serviatis ei*. *Responderuntque: Testes*. *Nunc ergo*, *ait*, *auferte Deos alienos de medio vestri*, *& inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël*. *Dixitque Populus ad Josuë: Domino Deo nostro serviemus*, *& obedientes erimus praeceptis ejus*. Verba fœderis in Volumine Legis Domini descripsit Sanctissimus Imperator, lapidemque prægrandem in Monumentum posuit subter quercum, quæ erat in *Sanctuario Domini* (Josuë 24.) Sanctuarium Domini eum dici locum, quem Abraham, positâ apud istam arborem Arâ, & factâ re divinâ, primùm in omni Chananæâ consecraverat, *Masius* auguratur. Dimisso conventu, naturæ debitum solvit *Josuë*, anno ætatis supra centesimum decimo. Quot annis definiendum sit ejus Imperium, in Dissertationibus dicemus. Sepultus est in finibus possessionis suæ in *Thamnathsare*, quæ Civitas est in Monte Ephraim sita. Haud diu superstes Imperatori sanctissimo fuit Summus Pontifex *Eleazarus*, in Gabaath sepultus; Ipsi in eam dignitatem ac munus successit *Phinees* ejus filius. *Josuë* magnificum Elogium scripsit Siracides Ecclesiastici 46. *Fortis in bello Jesu Nave successor Moysi in Prophetis*, *qui fuit magnus secundùm nomen suum*, *maximus in salutem electorum Dei*, *expugnare insurgentes hostes*, *ut consequeretur hereditatem Israël*. *Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas*, *& jactando contra civitates romphaeas*. *Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit*. *An non in iracundiâ ejus impeditus est Sol*, *& una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando Inimicos undique*, *& audivit illum Magnus & Sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis*, *&c*.

*Mors Josuë & Eleazari Pontificis.*

## SCHOLION.

*S. Heron. Epist. ad Paulin.* *Josuë typum Domini non solùm gestis*, *verùm etiam nomine praefert*. *Transit Jordanem*, *hostium regna subvertit*, *dividit terram victori populo*, *& per singulas urbes*, *vicules*, *montes*, *flumina*, *torrentes*, *atque confinia*, *Ecclesiae caelestisque Jerusalem spiritualia Regna describit*. Per Moysen Lex, per Josuë Salvator noster Jesus Christus est intelligendus. *Theodoret. Praefat. in Josue.* „ Quemadmodum igitur defuncto Moyse, „ Josuë populum introduxit in Terram promis„ sam; ita finitâ Lege Jesus noster apparens, „ populo pio Regnum cælorum aperuit. Quam „ itaque per Legem Mosis obtinere homo non po„ terat, Jesu Christi beneficio promissam Terram, „ cælestem nempe patriam assequitur. *Hebr. 17.* *Nihil enim ad perfectum adducit Lex*, *introductio verò melioris spei*, *per quam proximamus ad Deum*. Chananitidis terræ, Jordane trajecto, compotes Hebræos fecit Josuë; in patriam celestem ablutos nos Baptismi aquis inducit Jesus. Duodecim lapides de Jordanis alveo sublatos ad posteritatis memoriam in castris statui jussit Josuë, atque alios item duodecim in ipso Jordanis alveo: Jesus duodecim elegit Apostolos, quorum Principi derivatum à Petrâ nomen imposuit: ipsos verò fundamentum Ecclesiæ suæ esse jussit. *Ephes. 2.* *Sumus* namque *superaedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, *ipso summo angulari lapide Christo Jesu*, *in quo omnis aedificatio constructa crescit in Templum sanctum Domino*. Secundæ circumcisionis Hebræis administer fuit Josuë; in Jesu circumcisi sumus, *Coloss. 2. Rom. 2.* *circumcisione non manu factâ*, *in expoliatione corporis carnis*, sed *circumcisione cordis*, *in spiritu*, *non literâ*. Josuë Gentium impiarum debellator; Jesus triumphator Dœmonum.

# CAPUT III.

# DE REGIMINE JUDICUM.

## ARTICULUS I.

*De Interregno post mortem Josuë.*

I. Post obitum *Josuë* aliquot annorum Interregnum fuit, Optimatibus ac Senioribus Reipublicæ negotia administrantibus. Belli contra Chananæorum reliquias gerendi necessitas Israëlitas ad consulendum Deum inpulit, quem expeditionis Ducem sequerentur. Tribus Juda divino Oraculo rei gerendæ designata, Simeonitis suppetias ferentibus. Chananæi ac Pheresæi a Judæis profligati, cæsa in Bezec duodecim hostium millia; Rex Hierosolymorum *Adonibezec* plurium antehac gentium victor, captus, pollicibus manuum ac pedum resectis, quod alieno supplicio excogitaverat, expertus est suo; dixitque: *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensâ meâ ciborum reliquias: Sicut feci*, *ita reddidit mihi Deus*. Expugnata Jerusalem, vastata igne consumpta est. *Dabir*, quæ *Cariat-sepher* olim vocabatur, *Civitas Literarum*, ab *Othoniele* fratre *Calebi* minore occupata est, qui & *Azam* Calebi filiam, in victoriæ præmium, uxorem obtinuit. Beniaminitæ superiorem Hierosolymorum partem sorte adepti, Jebusæis pepercerunt indigenis, quos Deus extirpandos præceperat. Tribus quoque Manassis, Ephraim, Aser, Nephtali imposito Chananæis vectigali, ab impiâ Gente delendâ manus abstinuerunt. Hinc fidei morumque corruptio, ex Chananæorum, Jebusæorum ac Pheresæorum consuetudine, juncta cum infidelibus ac sacrilegis amicitia, mixtaque connubia, defectio ad idololatriam, cultumque *Baal* & *Astaroth*, post obitum Seniorum, virorum scilicet pietate & auctoritate illustrium, qui *Moysi* & *Josuë* semper adhæserant. [ *Judicum* 1. 2. ]

II. Corruptissimis hisce temporibus contigêre, quæ postremis quinque Capitibus Libri Judicum narrantur de *Micha* Ephraimitæ, & Danitarum idololatriâ. Bellum Benjaminiticum, id est, contra Tribum Benjamin a Tribubus reliquis confectum, ob violatam & inpotenti libidine extinctam juvenis Levitæ uxorem a Gabaonitis Tribûs illius hominibus, qui & Levitam ipsum nefariâ libidine violare conati fuerant. Quo bello Tribus Benjamin penè excisa est, exceptis viris circiter sexcentis, qui in solitudinem fugerant. Israëlitæ juramento constricti ne filias suas illis uxores darent, quadringentas Virgines, ex cæde habitatorum Jabes Galaad reservatas, ipsis, pœnitentiâ & commiseratione ducti, tradiderunt: Quin etiam consenserunt Optimates, quibus tunc Reipublicæ cura incumbebat, ut proximâ Solemnitate in Silo celebrandâ, ex Virginibus Israëliticis choros ducentibus raperent, quot ad copulanda matrimonia, & redintegrandam Tribum essent necessariæ. ( *Judicum* 17. 18. 19. 20. 21. )

*Quo tempore Michae idololatria, & bellum Madianiticum contigerint.*

III. Quòd autem ista Interregni tempore ante Judices contigerint, non post *Samsonis* Præfecturam, ut quidam Interpretes putant, multis probatur. Primò ex illis verbis Judicum 21. Vers. 24. *In diebus illis non erat Rex in Israël; sed unusquisque quod rectum videbatur, hoc faciebat*. Secundò, quia his temporibus *Tribus Dan quaerebat possessionem sibi*, *ut habitaret in eâ: Usque ad illum enim diem inter caeteras Tribus sortem non ac-*

ce-

*reperat*. [ Judicum 18. 1. ] At verisimile non est quòd Tribus Dan adeò numerosa tandin propriâ possessione caruerit. Si enim usque ad ætatem *Samsonis* nondum eam sibi vindicasset, certè sub *Samsone* illius Tribûs Judice, viro fortissimo, eam obtinuisset. Tertiò, quia Sacerdos Idoli *Micha* erat *Jonathan* filius Gersam, Moysis nepos. Hic autem *Samsoni* superstes esse non potuit, nisi annos quinquaginta supra ducentos natus esset, cùm tamen adolescens dicatur [ *Judicum* 18. ] Quartò, *Phinees* Summum gerebat Sacerdotium tempore belli Benjaminitici. ( *Judicum* 20. Vers. 28. ) Is autem ad *Samsonis* tempora non pervenit; alioqui annos quadringentos ætatis superasset. Quintò, *Castra Dan*, quæ a Danitarum expeditione Cap. 18. memoratâ nomen acceperunt, ( *Judicum* 18. 12. ) in *Samsonis* historiâ nominantur, ( *Judicum* 13. 25. ) Hæc itaque expeditio, & *Micha* idololatria, quę ipsam antecessit, ante tempora *Samsonis* contigit. Manifesta itaque in Historiarum istarum narratione ὑστερολογία agnoscenda est. Narrantur autem post mortem *Samsonis*, ne Judicum Gesta interrumperentur, Quæ Scriptor Sacer inprimis scribenda sibi sumpserat.

---

## ARTICULUS II.

*De Judicum munere, numero, annisque Principatûs.*

*Multiplex Hebræorum servitus.*

I. CUm Israëlitæ ad Idololatriam defecissent, mixtisque cum Chananæis, Hethęis, Amorrhæis, Pheresæis, Hevæis, Jebusæisque conjugiis, *Baalim* & *Astaroth* servirent, Deus ipsos hostibus plectendos tradidit, & durâ servitute opprimendos. Multiplex autem ipsorum servitus & oppressio fuit post obitum *Josuë* usque ad *Saülem* Regem. *Assyriaca* sub *Chusan Rasathaim* Rege Mesopotamiæ, sive Syriæ, quæ duravit octo annis, [ *Judicum* 3. 8. ] 2. *Moabitica* sub *Eglone* Rege Moab, quæ duravit decem & octo annis. ( *Judicum* 3. 14. ) 3. *Chananæa*, sub *Jabin* Rege Chanaan, qui regnavit in Asor; quæ duravit annos viginti. [ *Judicum* 4. 2. 3. ] 4. *Madianitica*, quę duravit septem annis. ( *Judicum* 6. 1. 2. ) 5. *Ammonitica*, quæ duravit annos decem & octo. ( *Judicum* 10. 8. ) 6. *Philistæa*, quæ duravit annos quadraginta. [ *Judicum* 13. 1. ] Suscitavit autem Dominus Judices, qui Populum suum a servitute & oppressione liberarent. Quam ob causam *Salvatores* appellantur. 2. Esdræ 9. 27. *Et tu de cælo audisti, & secundùm miserationes tuas multas dedisti eis Salvatores, qui salvarent eos de manu hostium.*

II. Judicum Principatus multis partibus a Regio distinctus erat. 1. Quòd Extraordinarius hic Magistratus esset, ut Romanorum Dictatores, cum hoc tamen discrimine, quòd Romanus ille Magistratus temporaneus esset, hic verò perpetuus. 2. Quòd afflatu immediato Spiritûs Sancti, moribusque heroicis ac divinis agerentur. Judicum 3. 9. 10. *Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem ejus minorem: fuitque in eo Spiritus Domini, & judicavit Israël.* 3. Quòd divino semper suffragio dati fuerint; humanis titulis, successione, electione, jure belli, &c. Judicum 2. 18. *Cumque Deus Judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordiâ, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium.* 4. Quòd successio in his non immediata, mediis sæpè Interregnis, servitutibus, oppressionibus. 5. Quòd Judæorum regimen sub Judicibus Theocraticum esset, magis quàm humanum, sicut & sub *Josuë* & *Moyse*. Deus enim Regium nomen & potestatem inter Israëlitas habebat, exercebatque; Duces autem, aut Judices, Magistratus erant a Deo instituti, & ejus nomine Rempublicam gerentes. Hine Gedeon se Dei Vicarium duntaxat & Administrum agnoscit. Judicum 7. 18. *Quando*, inquit, *personuerit tuba in manu meâ, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate: DOMINO & GEDEONI*. Et Cap. 8. 22. *Non dominabor vestri* ( inquit Gedeon ) *nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*. Hinc Deus ipse 1. *Regum* 8. 7. ait Samueli? *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Sed de Judæorum regimine, antequàm Regem haberent, plura in Dissertationibus.

*Judicum Principatus a Regio multiplici ratione distinctus.*

*Munus Judicum.*

III. Munus Judicum erat, 1. Populum a servitute & oppressione liberare 2. Bella gerere. 3. Jus Populo dicere, eorumque lites justâ sententiâ dirimere. Cæterùm nec novas Leges condere, nec tributa imponere, nec Regiis Insignibus uti poterant. Nec Reipublicæ erant Domini, sed Conservatores tantum & Custodes. Civilem & politicam potestatem a Deo secundam habebant non saeram, quæ penes Summos Sacerdotes erat. Potestas ipsorum quasi Monarchica erat, utpote penes unum, Aristocratiâ tamen temperata, qualis Ἄρχοντες apud Athenienses, & Ducum apud Venetos. In rebus etiam difficilioribus Seniorum Consilium a Deo *Numerorum* 11. 16. institutum exquirere tenebantur, cœteris Legem Dei sequi, & juxta eam Populum gubernare; ita ut non tam ipsi, quàm Deus, Deique Lex, Israëlitarum Rempublicam regere censeretur.

*Consilium Seniorum.*

IV. Ordinarius itaque sub Judicibus Magistratus erat penes Seniores Populi, aliàs *Sanhedrim*, quod *Josephus* Συνέδριον vocat. Hujus Consessûs membra Seniores Septuaginta, sub uno Supremo Præside. Auctoritas summa, quamdiu nulli Reges, in quibuscumque non civilibus modò, sed & Ecclesiasticis, quoties nimirum de Lege, de Pseudoprophetis, de Summo Pontifice quæstio verteretur. Iis non præerat necessariò Summus Hebræorum Pontifex, ut colligitur ex *Deuteronomii* 17. 12. ubi Summi Sacerdotis & Summi Judicis persona ac potestates distinguuntur. *Qui autem superbierit, nolens obedire SACERDOTIS IMPERIO, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & DECRETO JUDICIS, morietur homo ille*. Alia erant Consistoria seu Synedria subalterna, viginti triumviralia, & trium viralia, a quibus ad Synedrium Magnum appellabatur, illud in cœteris Urbibus, istud in oppidis & pagis, cùm Synedrium Magnum in eo duntaxat loco sederet, ubi erat Tabernaculum & Arca fœderis. De his legi potest *Seldenus*, Rabinicarum Traditionum, opinionumque, ac Hebræarum Antiquitatum diligens Scrutator, in Libris *De Synedriis Veterum Hebręorum*.

*Judicum numerus & tempus Principatûs.*

V. Quindecim Judices numerantur 1. *Othoniel*. 2. *Aod*. 3. *Samgar*. 4. *Barac* cum *Debborâ*. 5. *Gedeon*. 6. *Abimelech*. 7. *Thola*. 8. *Jair*. 9. *Jephte*. 10. *Abesan*. 11. *Abialon*. 12. *Abdon*. 13. *Samson*. 14. *Heli*. 15. *Samuel*. Annos Principatûs eorum quòd spectat, *Othoniel* Rempublicam gessit annis quadraginta. [ Judicum 3. 2. ] *Aod* annis octoginta. [ Judicum 3. 30. ] *Samgar* paucis mensibus. Neque enim tempus Magistratûs ipsius notatur. ( Judicum 3. 31. ) *Barac* & *Debbora* annis quadraginta. ( Judicum 8. 28. ) *Abimelech* annis tribus [ Judicum 9. 22. ] *Thola* annis viginti tribus. ( Judicum 10. 2. ) *Jair* annis viginti duobus. [ Judicum 10. 3. ] *Jephte* sex annis ( Judicum 12. 7. ) *Abesam* septem annis. [ Judicum 12. 9. ] *Abialon* annis decem. ( Judicum 12. 2. ) *Abdon* octo annis. [ Judicum 12. 14. ] *Samson* an-

annis viginti. [Judicum 15. 20.] *Heli* annis quadraginta. [1. Regum 4. 18.] *Samuel* annis viginti & uno, qui in annis quadraginta *Saülis* Regno attributis [*Actuum* 13. 21.] includuntur. Quæstio movetur inter Eruditos de annis Interregnorum, oppressionis, servitutis, & quietis, utrùm seorsim ab annis Judicum numerandi sint, an verò in iis includendi. Pro primâ Sententiâ pugnant *Vossius*, *Capellus*, *Petavius* Lib.9. *De Doctrinâ Temporum*, Cap.32. & 33. *Possinus Diallactici Genealogici*, Cap.19. *Nicolaus Abramus* in *Pharo Veteris Testamenti* Lib.10. Cap.5. *Codomanus Chronologiæ Lib.12. Quæstione 16.* & ante hos omnes *Melchior Canus* Lib.11. *De Locis Theologicis* Cap.5. Sententiam posteriorem defendunt *Torniellus*, *Salianus* ad annum Mundi 2640. *Ribera* Lib.1. *De Templo* Cap.1. *Cornelius a Lapide*, in Cap.3. Libri Judicum, aliique recentiores Scripturæ Sacræ Interpretes, *Usserius Chronologiæ Sacræ* Cap.12. & 13. *Eusebium* ducem secuti. Quam Sententiam probabiliorem arbitramur. Sed de hac Quæstione suo loco differemus, cùm non sit hujus Compendii.

## ARTICULUS III.

### *De Gestis Judicum.*

*Othoniel.* I. IN serie Judicum primus occurrit *Othoniel* filius *Cenez*, frater *Caleb* minor, idemque gener, ut constat ex *Josuë* 15. 17. & *Judicum* 1. 13. Unde vel uterinus duntaxat frater *Caleb* fuerit, ex eâdem matre a *Cenezo* genitus, ex quâ *Caleb* a *Jephone*; ut post *Theodoretum* censet *Andreas Masius*; vel mendum in Vulgatâ Versione sit oportet, *Josuë* 15. 17. & *Judicum* 3.9. & legendum *Othoniel filius Cenez, fratris Caleb minoris*, ut habent in utroque loco Versio 70. Interpretum, Chaldæa Paraphrasis, Versiones Syriaca, & Arabica. Erat autem *Othoniel* quem *Josephus* Lib.5. *Antiquitatum* Cap.4. *Cenizum* perperam appellat, e Tribu Juda oriundus. Hic *Chusane Rasathaim* Rege Mesopotamiæ seu Assyriorum debellato, populum Israëliticum in libertatem restituit. [*Judicum* 3.10.]

*Aod.* II. Post *Othonielem*, Israëlitici Populi Judex fuit *Aod* filius *Gera*, e Tribu Benjamin. Hic *Salvator*, id est, vindex Populi a Deo suscitatus, simulatâ legatione, *Eglonem* Moabitarum, Regem Israëlitas durâ servitute opprimentem, in cœnaculo interemit. Deinde prudenti fugâ elapsus, Israëlitarum copiis in Monte Ephraim collectis, decem millia fortissimorum Moabitarum internecione delevit. (*Judicum* 3.)

*Samgar.* III. Post *Aodum*, Judiciariam apud Israëlitas Præfecturam gessit *Samgar* filius *Anath*, qui sexcentos Philisthæos vomere percussit; Populumque Dei defendit. (*Judicum* 3. 31.)

*Debbora & Barac.* IV. *Samgarum* in Judicum serie sequuntur *Debbora* Prophetissa uxor *Lapidoth*, quam verè & propriè Judicem fuisse, in Dissertationibus ostendemus contra *Tostatum*, *Cajetanum*, *Serrarium*, & alios Recentiores: & *Barac* Abinoami filius, de Tribu Nephtali. Is decem millibus lectissimorum militum ex Tribubus *Nephtali* & *Zabulon* collectis contra *Sisaram* Principem Exercitûs *Jabin* Regis Chanaan, *Debborâ* comite, progressus est, eumque cum Exercitu profligavit juxta *Aquas Mageddo*. *Sisaram* fugâ elapsum *Jaël* uxor *Heberis* Cinæi in tentorium suum allexit, potuque lactis sopitum, adacto in tempora trabali clavo interemit. *Debbora* epinicio Carmine victoriam celebravit. [*Judicum* 4. & 5.]

V. Israëlitis sub Madianitarum servitute gementibus, *Gedeon* filius *Joas*, ex Tribu Manasse, vir fortissimus, cùm frumentum in torculari trituraret, ad liberandum Populum a Deo per Angelum vocatus est. Excusantem, quòd ex imbecilliori Tribu ortus, & *in domo patris* sui *minimus* esset, Angelus securum reddidit, auxilium cœleste pollicitus: Quin etiam ejus vocationem miraculo confirmavit. Cùm enim *Gedeon* coctum hœdum, & azymos panes Deo offerendos ipsi tradidisset, iis extremâ virgâ ab Angelo tactis, erupit ignis de petrâ, oblataque penitus assumpsit. Angeli visione perterritus, bono esse animo a Domino jussus est, dicente: *Pax tecum: Ne timeas, non morieris*. Quamobrem erexit illic Altare, eique nomen indidit: *Domini pax*. Inde jubente Deo, Aram *Baal* in Ephrâ oppido suo destruxit, lucumque succidit. Quamobrem in ipsum commoti Populares, a *Joas* ejus patre postularunt, ut eum ad mortem produceret. Quibus ille respondit: *Nunquid ultores estis Baal ut pugnetis pro eo? Si Deus est, vindicet se de eo qui suffodit Aram ejus*. Ex quo *Gedeon* vocatus est *Jerobaal*, quasi *Jarud Baal*, id est, *Litigans, certans cum Baal*. Eâ tempestate Madianitæ, Amalecitæ, finitimæque Gentes, trajecto Jordane, in Valle Jezraël castra posuerunt, junctis viribus in Israëlitas irrupturi. *Gedeon* Spiritu Domini confirmatus, coacto Exercitu ex Abiezeris domo, ex totâ Tribu Manassis, necnon ex Tribubus Aseris, Zabulonis, & Nephtali, novum a Deo signum, quasi victoriæ de hostibus reportandæ certissimum pignus, Rorem in vellere postulavit, impetravit; non quòd ipse dubitaret, *Spiritu* scilicet *Dei indutus* & *ob fidem* ab Apostolo commendatus; sed ut Commilitonum animos ad fidem spemque erigeret. [*Judicum* 6.]. *Signum Roris in vellere.*

Mysterii præterea significationem in signi istius postulatione *Theodoretus* agnoscit, Quæstione 15. in Judices. *Postulavit primò Gedeon*, inquit, *ut Rore perfunderetur vellus, tota verò terra sicca permaneret; Post hæc autem ut humectaretur terra, solum autem vellus rore careret. Quæ verba innuunt, Israëlitas olim quidem gratiâ potitos esse sicuti vellus rore: Postea verò universam hominum naturam adeptam esse spiritalia dona, quibus tanquam Rore vellus, Israël privatus est*. Filii Dei in Virginem illapsum, incarnationisque admirabile Mysterium hoc Roris in vellere signo expressum, Sanctos Patres, & Ecclesia ipsa in sacris Officiis docent. In hostes progressi, ad Fontem *Harad* castra posuerunt. Triginta & duorum millium Exercitus erat; sed Deus numerum imminui voluit, ne Israëlitæ viribus suis victoriam tribuerent. Deo itaque jubente, *Gedeon* per omnes ordines denuntiavit voce præconis, ut qui *formidolosus* & *timidus* esset, in domum reverteretur. Cùm duo & viginti millia sponte recessissent, reliquum decem millium virorum numerum adhuc imminui Deo placuit. *Gedeoni* ad vicinum Amnem copias ducere præcepit; Quotquot aquam concavâ manu haustam canum instar lingerent, hos pro electis haberi: pro ignavis autem & bello ineptis, qui proni flexis poplitibus biberent. Ita vulgò intelligunt Scripturæ Interpretes. At *Theodoretus Quæstione* 15. *in Judices*, trecentos illos, qui more canum lambuerunt aquas manu ori admotâ, *ignavos & socordes* fuisse ait, ideoque a *Gedeone* electos, *ut omnibus perspectum esset divinum auxilium*. Quo etiam modo Christus per 12. Piscatores Dœmonum exercitum fudit, & salutem hominum procuravit. Unde *Isaias* illa cum istis componens, ait: *Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian*. [Isaiæ 9.4.] Sicut enim hoc loco nudis usus est Militibus, sinistrâ quidem gestantibus lucernas in urnis latentes, dextrâ verò *Gedeonis admirabilis pugna contra Madianitas.*

rò tubas: *Ita sacros Apostolos misit nudos in universam terram, ferentes lucernam miraculorum, & prædicationum tubam.* Similiter *Josephus* eos, qui more canis aquam lambuerant, velut ignavos a Gedeone electos, cæteros velut fortes & bellicosos rejectos scribit, Lib.5. *Antiquitatum Cap.*8. Ut ut est, e decem millibus hac arte probatis trecenti dumtaxat Commilitones *Gedeoni* relicti sunt, quibus hostes numero infinitos erat profligaturus. In eorum castra Dei jussu descendens, quemdam Excubitorum audivit socio suo somnium narrantem, his ferè verbis: *Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, & in castra Madian descendere: Cùmque pervenisset ad Tabernaculum, percussit illud atque subvertit, & terra funditus coæquavit.* Is cui loquebatur, somnium superno quodam instinctu interpretatus: *Non est hoc aliud*, inquit, *nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israëlitæ: Tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia castra ejus.* Horum auditu *Gedeon* confirmatus, trecentos viros, in tres ordines distributos, tubis, lagenis vacuis, ac lampadibus in medio lagenarum accensis instructos, nocte concubiâ in castra hostilia produxit. Per gyrum castrorum dispositi, cùm buccinarum clangore, simul & collisarum hydriarum fragore, fulgoreque lampadum, quas manibus tenebant, necnon ingeminatis clamoribus: *Gladius Domini & Gedeonis*, hostes terruissent, eorum Exercitum novo bellandi genere fuderunt. Fugientes Madianitas insecuti Ephraimitæ, Principes eorum *Oreb* & *Zeb* interemerunt, eorumque capita ad Gedeonem trans Jordanem detulerunt. (*Judicum* 8.) *Gedeon* verò placatis Ephraimitis, ægrè ferentibus quòd ad Expeditionem primùm vocati non fuissent, Jordanem transiens, Madianitarum reliquias profligavit, eorumque Exercitum jam centum viginti millibus Bellatorum imminutum delevit; Soccothanos & Phanuëlitas, qui copiis Israëliticis commeatum denegaverant, castigavit, duosque Reges Madianiticos *Zebee* & *Salmana* interfecit. Partâ demum tam insigni victoriâ, Imperium sibi suisque posteris ultrò àb Israëlitis oblatum modestè recusavit, dicens: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* Inaures dumtaxat aureas, & torques aureas camelorum ex hostium manubiis postulavit, ex quibus *Ephod* conflavit, genus vestis Summo Sacerdoti proprium, seu superhumerale, quod velut æternum partæ victoriæ monumentum *Ophra* reliquit. Id autem postea Israëlitis idololatriç occasio extitit, ipsique *Gedeoni*, & omni domui ejus factum est in ruinam. [*Judicum* 8.] *Contra Legem* fuisse illud *Gedeonis* factum, cùm ad solum cultum Deo exhibendum in Tabernaculo fœderis, & ad solum Summi Sacerdotis usum, id genus sacræ vestis fieri liceret, *S. Augustinus Quæstione* 41. *in Judices*, & *Theodoretus Quæstione* 17. arbitrantur. *Gedeonis tamen intentionem* hìc excusat, *quæ minimè vergebat ad impietatem*. Imprudentiæ igitur, non idololatriæ reus fuerit; quamvis Populus eo monumento ad idololatriam postea sit abusus. Madianitis profligatis, *Gedeon* in domum suam reversus est, vixitque partâ immortali gloriâ, & numerosâ prole felix. Septuaginta namque filios habuit ex legitimis uxoribus, præter *Abimelechum* ex concubinâ genitum. Mortuus est in senectute bonâ, & in tumulo *Joas* patris sui, in *Ephrâ* sepultus. (*Judicum* 8.)

*Abimelechi Gedeonis filii tyrannis.*

VI. *Abimelech* Regnum, quod Pater recusaverat, affectans, septuaginta fratres suos super lapidem unum interfecit. *Abimelecho* Sichimitarum operâ Rege constituto, *Joathan* filiorum *Gedeonis* natu minimus, qui solus manus ipsius evaserat, e vertice Montis Garizim de injuriâ Domui paternæ illatâ cum Sichimitis expostulavit, propositoque insigni Apologo, seu Parabolâ, ruinam eorum prædixit: Tum fugâ se proripiens, *Bera* tutus habitavit. Cùm triennio super Israëlem tyrannidem exercuisset *Abimelech*, Gaal filius *Obed* cum Sichimitis conjurationem adversus eum iniit, quâ per *Zebulem* detectâ, *Sichem* diruta est, & sale seminata, incolis internecione deletis, & Fanum Dei ipsorum *Berith* igne succensum. Inde verò ad oppidum *Thebes* obsidendum progressus *Abimelech*, fragmento lapidis molaris a muliere projecto primùm vulneratus, Armigero suo jussit ut illum ferro confoderet: *Ne fortè dicatur*, inquit, *quòd a feminâ interfectus sim*. Ab ipso itaque mucrone confixus interiit. (*Judicum* 9.)

VII. Post *Abimelechi* mortem, Judex constitutus est *Tholâ* filius *Phua* Patrui *Abimelech*, de Tribu *Issachar*. Samire, ubi habitaverat, in Monte Ephraim sepultus est. [*Judicum* 10. 1. 2.] *Thola.*

VIII. *Thola* successit *Jair* Galaadites, e Tribu Manassis ultra Jordanem, qui triginta filios habuit totidem civitatum Principes, quæ ex ejus nomine appellatæ sunt *Havoth-Jair*, id est Oppida Jaïr. (*Judicum* 10. 3. 4.) Sepultus est Camone. *Jaïr.*

IX. Seniores Galaad Ammoniticâ servitute oppressi, *Jephte* Galaaditem, filium meretricis, e paternâ domo a fratribus, quos *Galaad* ex justâ uxore susceperat, ejectum, cæteroquin virum fortissimum & bellatorem, Populi, & Exercitûs Israëlitici Ducem ac Judicem, constituerunt. Is Ammonitas, rationibus priùs frustra tentatos, signis collatis debellavit. Antequàm prælium committeret, votum nuncupavit, se illud in holocaustum Deo oblaturum quod partâ victoriâ primùm occurreret. Rediens filiam unicam obviam habuit, quam Deo mactavit, temerarii voti religione se obstrictum arbitratus. Sed de voto *Jephte* suo loco differemus, expendemusque, An legitimum prudensque fuerit? An religiosè impletum? An virginis consecratione, ut quibusdam placuit, an mactatione cruentâ? Interim Ephraimitç irati quòd *Jephte* sine illis expeditionem in Ammonitas fecisset, in Galaaditidem armati irruperunt. *Jephte* coacto Exercitu cum illis congressus, hostium quadraginta duo millia cæcidit. Sermone proditi Ephraimitæ, in Jordanis transitu perierunt, cùm vocem *Schibboleth*, quæ *Spicam* sonat, pronuntiare non possent, sed vice illius *Sibboleth* efferrent. Post sex annos Principatûs defunctus *Jephte*, in Galaad civitate suâ sepultus est. (*Judicum* 11. 12.) *Jephte.*

X. Defuncto *Jephte*, *Abesan* Bethleemita, ex Tribu Juda, triginta filiis & filiabus totidem, generisque velut præsidio quodam munitus Israëlem tranquillis temporibus judicavit. (*Judicum* 12. 8. 9.) *Abesan.*

XII. Mortuo *Abesan*, & Bethleemi sepulto, successit *Abialon* ex tribu Zabulonis. Hunc *Elonem* & *Aodum* appellant alii, corruptis, ut fieri solet vocabulis. Hujus annos decem prætermisit *Eusebius*, tanquam in 70. Interpretum Editione non repertos. Sic enim ille in Chronico: *Post Esebon*, [ita *Abesanem* vocat] *in Libro Hebræorum fertur Judex Elon rexisse Populum annis decem, qui non habentur apud 70. Interpretes.* Et eum secutus *Beda* Libro *De Temporibus*, ait: *Hic eum annis decem suis in 70. Interpretibus non habetur.* Contra tamen, *Anianus* Alexandrinus Monachus *Eusebium* incusat, quòd *Aodum judicantem Israël annis decem non recensuerit, quem 70. Interpretes undecimo inter Judices loco posuerunt.* Ita refert *Georgius Syncellus in Chronologiâ*, p.36. Et sanè *Abialonem* nostri non solùm Codices omnes Græci habent, sed illi etiam quibus usi sunt *Theophilus Antiochenus Libr.*1. *ad Autolycum*, & *Eusebius ipse*, *Libr.*10. *De Præparatione Evangelicâ*, Cap.14. *Abialon.*

XIII.

*Abdon.*

XIII. *Abialoni* defuncto & in Terrâ Zabulonis sepulto successit *Abdon* filius *Illelis Pharatonitæ*, de Tribu Ephraïm, quadraginta filiis, & triginta nepotibus auctus. Qui cùm Israëlem pacificè rexisset, diem obiit, & Pharatone in monte Amalec sepultus est. (*Judicum* 12. 13. 14. 15.)

*Samson.*

XIV. *Samson* vindicandis a Philistæorum longâ servitute Israëlitis a Deo destinatus, patre *Manuë* ex Tribu Dan, sterili matre Angelo ortum ejus nunciante nascitur. Ab infantiâ Deo consecratus, comam nutrivit, vinum & siceram non bibit, Nazaræorum instar, ut Angelus edixerat. (*Judicum* 13.) Philistææ mulieris amore captus, eam in Thamnatâ duxit uxorem, interimque obvium leonem nudis manibus in frusta discerpsit, & post aliquot dies reversus examen apum, favumque mellis in ejus ore invenit. Id occasionem præbuit proponendi Ænigma triginta Sodalibus suis in nuptiali convivio: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Philistæis Juvenibus arcanum Ænigmatis sensum uxor prodidit, quod blanditiis ac lacrymis a viro extorserat. *Samson* perfidiam execratus, domo abscessit, relictâ apud patrem conjuge. Illa vicissim Maritum aversata, uni ex pronubis ejus & amicis copulata est. (*Judicum* 14.) Quod opprobrium ultus est Samson segetibus, vineis, & olivetis Philistæorum incensis consumptisque. Id mirâ trecentarum vulpium copulatione perfecit, quarum caudis cum faces nodo adstrinxisset, eas in hostium agros immisit. Ingentem præterea cladem intulit Philistæis. Mox ut ab ipsorum insidiis se tueretur, *Etam* Arcem Judææ munitissimam se recepit. Judæi Philistæis urgentibus vinctum *Samsonem* tradunt. Ille ruptis vinculis & arreptâ asini mandibulâ mille hostium cervices atterit. Siti, post victoriam, vexatus, Dei implorat opem. Mox e dente molari asini, cujus maxillam abjecerat, scaturiente fonte sitim sedat, viresque reficit. (*Judicum* 15.) Divinâ hæc virtute facta quidquid profani rideant, ex eo constat, quòd Spiritus Domini esset cum Samsone. (*Judicum* 13. 25. 14. 19. 15. 14.) & a *S. Paulo* inter eos celebretur, qui *Per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*. [ Ad *Hebræos* 11.] Si quæratur unde *Samson* tot numero vulpes nactus fuerit respondetur primò, Magnam in Palæstinâ fuisse vulpium copiam. Unde *David* de suis hostibus Psalmo 62. 2. *Partes vulpium erant*. Et Salomon Canticorum 11. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Et *Jeremias* Threnorum 5. 18. *Propter Montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.* Proinde multa Palæstinæ loca, aut finitima, nomen a vulpibus habuerunt, ut 1. *Regum* 13. 17. *Terra Saul*, id est, *Terra Vulpis*, & *Haserfual*, id est, *Castrum Vulpis*, Judæ Urbs, *Josuë* 15. 28. vel Simeonis, *Josuë* 19. 3. & 1. *Paralipomenon* 4. 28. & 11. *Esdræ* 11. 27. Secundò vulpium nomen potuit etiam complecti thoës, animal vulpi simillimum, & in Judæâ valde frequens, maximè in Palæstinâ, & circa Cæsaream, atque ita gregarium, ut quandoque ducentos thoas in unum gregem convenire testetur *Bellonius*, ita ut nullo negotio capi potuerint plurimi. Tertiò, non dicitur *Samson* numerosam hanc vulpium turmam unâ aut alterâ die cepisse. Potuit igitur tota hebdomas, aut mensis unus in eam venationem insumi. Quartò, licèt insignis venator potuerit esse *Samson*, non est necesse ut quis sibi persuadeat, eum trecentas illas vulpes solùm, & per se cepisse. Potuit id per amicos facere, aut suæ Tribûs vel Gentis hominibus publicam vulpium venationem indicere. Ita hanc Quæstiunculam solvit *Bochartus* Lib.3. *Hierozoici* Cap.13.

*Vulpes Samsonis. Unde tantus vulpium numerus?*

*Philistæi a Samsone Asini maxillâ cæsi.*

Quod spectat factum *Samsonis* alterum, cædem scilicet mille Philistæorum Asini maxillâ editam, minimè, etiam, incredibile est, cùm Domino Exercituum propugnante id præstiterit. Sic antea *Samgar* sexcentos hostes vomere percussit, *Judicum* 3. 31. sic postea *Jesbam* primus fortium Davidis, viros *octingentos interfecit impetu uno*. (11. Regum 23. 8.) Idque Deus in suo nomine contra hostes Populi sui pugnaturis pollicitus est, Josuë 23. 8. *Unus e vobis persequetur hostium mille viros; Quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est*. Hanc victoriam Propugnatori Populi sui Deo *Samson* acceptam tulit, ipsum invocans, ut jam accepto beneficio alterum adderet, ac siti laboranti subveniret, Judicum 15. 18. *Clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: Siti morior, incidamque in manus Incircumcisorum*. Samsonis precibus Deus annuens, fontem ex Asini maxillâ eduxit. Quòd certè eâdem virtute fieri potuisse, quâ ex rupe aquæ eruperunt, & farina crevit in hydriâ, & oleum in lecytho Viduæ Sareptanæ, nemo nisi impius negaverit. Hunc fontem etiamnum in Palæstinâ ostendi nonnulli scribunt. Ita *S. Hieronymus* in Epitaphio Paulæ Epistolâ 27. *Transibo*, inquit, *ad Ægyptum & in Sochot, atque ad fontem Samson, quem de molari maxillæ dente produxit, subsistam parumper, & arentia ora colluam*. Et *Michaël Glycas* scribit, *Hunc fontem in hodiernum usque diem in Eleutheropolis suburbano conspici, & Fontem Maxillæ nuncupari*. Sed fontem qui pro *Samsonis* fonte ostenditur, ab eo diversum esse, Viri Eruditi contendunt, quia fons *Samsonis* e maxillâ ortus est, & alter ille a terrâ oritur. Unius origo miraculosa fuit, altera est naturalis. Unus fluxit ad momentum, manat alter perenni fluxu. Cùm enim non soleat Deus miracula exhibere, nisi quantum necesse est, postquam *Samson* sedavit sitim, & abundè potus ex eo loco discessit; quorsum durasset miraculum, & in loco fortasse deserto, nullo inspectante, ex maxillâ exsudasset inutilis humor? Manna e cœlo pluere cessavisse quis nescit, cùm vesci terræ frugibus cœperunt Israëlitæ? (*Josuë* 5. 12.) Neque farinam ampliùs in hydriâ crevisse oleumque in lecytho, cùm Deus dedit pluviam super terram? (3. *Regum* 17. 14.) Nomen loci memoriam miraculi refricat. Ab eo enim eventu appellatus est *Fons invocantis de maxillâ*. [ Judicum 15. 19.]

*Fons ex Asini maxillâ scaturiens. An perennis?*

*Samson a Dalila proditus.*

Post aliquot annos *Samson* Gazan Urbem profectus, cùm ad Meretricem accessisset, mediâ nocte consurgens, structas a Philistæis insidias declinavit, portas Urbis, quas observaverant, ipsum ut exire volentem opprimerent, cum postibus avulsas in Montis proximi verticem humeris deferens. Paulò post *Dalilæ* Meretricis amore captus, ab ipsâ Philistæis proditus est, cùm ei Nazaræatûs capillitium, in quo robur ejus residere didicerat, super genua sua dormienti abrasisset. Philistæi inermem jam ac imbecillum hostem, effossis oculis, injectisque compedibus Gazam abduxerunt, & in pistrinum detruserunt. Sed postmodum crescentibus Capillis, viribusque recuperatis, *Dagonis* Templum in quod Philistæorum Primores omnes, & maxima populi turba convenerant, in pompam productus ut ipsi post epulas illuderent, columnis concussis dejecit, hostesque Ædificii ruinâ oppressit suo sepultus triumpho: *Multòque plures interfecit moriens, quàm vivus occiderat*. [ Judicum 16.] De *Samsonis* pœnitentiâ & morte sanctâ in Dissertationibus agemus. Ejus corpus e mediis ruinis erutum cognati ipsius in paternum sepulcrum inter

*Saraa* & *Esthaol* intulerunt. (*Judicum* 16.)

XV. Mortuo *Samsone*. Judex constitutus est *Heli* Summus Pontifex, non ex *Eleazaro* Primogenito *Aaron*, sed ex *Ithamare* genus ducens. Eo gubernante calamitosissimus fuit Ecclesiæ & Reipublicæ Israëliticæ status. Cùm enim senio gravior & penè oculis orbus Sacrorum Ministerium in filios suos *Ophnim* & *Phineem* transtulisset, illi partim Sacrilegio, partim effræni libidine, & promiscuis adulteriis cum Matronis ad ostium Tabernaculi excubantibus, contumaciâ denique in patrem ipsos leviùs increpantem, Numinis iram in suam domum, totamque Gentem Israëliticam concitarunt. Samuelem Patre *Elcanâ* de Tribu Levi genitum, *Anna* Matris sterilis precibus a Deo datum, & ab eâdem voto obstrictâ Deo redditum, ac Tabernaculi Ministerio a pueritiâ consecratum, Dominus secretorum suorum fide dignatus est, noctuque quater vocato jussit ut Sententiam in *Heli* domumque ejus latam ob crimina filiorum, nimiamque patris erga ipsos indulgentiam, illi suo nomine denuntiaret. His autem verbis concepta erat: *In die illâ suscitabo adversùm Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus: Incipiam & complebo. Prædixi enim ei quòd judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcireo juravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domûs ejus victimis & muneribus usque in æternum*. (1. Reg. 1. 2. 3.) *Heli* Puero jam Prophetæ non succensuit, sed Dei justitiam adorans, ait: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*. Terribilis Oraculi veritatem probavit eventus. Israëlitæ a Philistæis duplici prælio cæsi ad triginta quatuor millia virorum: Arca Sacrum Judaicæ Gentis Palladium e Tabernaculo in castra delata, ab hostibus capta est; *Ophni*, & *Phinees* Sacerdotes, filii Heli, occisi. Quarum rerum nuntio percussus *Heli*, de sede retrorsum lapsus, fractâ cervice mortuus est, anno ætatis nonagesimo octavo, Præfecturæ quadragesimo: Nurus quoque ejus, uxor *Phinees*, *Ichabodem* enixa, animam exhalavit. (1. *Regum* 4.)

*Heli*.

Philistæi, partâ victoriâ, Arcam Azotum primò delatam in Templo *Dagon*, juxta idolum collocarunt, velut spolium falso Numini sacrum. Sed simulacrum coram eâ semel iterumque concidit, capite, manibusque truncatum. Mox Deus Azotios fœdo ulcere in fœdissimâ corporis parte percussit, muresque vastatores in villas & agros finitimos immisit. Inde ad Gethæos & Accaronitas Arca translata, cùm similes plagas inferret, post septem tandem Mensium moram, de Sacerdotum suorum consilio, ipsam ad Israëlitas Bethsamem remiserunt, plaustro novo impositam, cui duæ vaccæ injuges, ac fœtæ, id est, quæ vitulos lactabant, adjunctæ, illam citra ducem, istud in oppidum rectâ traxerunt. Arcæ donaria appenderunt, aureas anorum & murium imagines, ut Deum Israëlis placarent. De Mariscarum plagâ Philistæis ob Arcam detentam illatâ, *David* Psalmo 78. 66. canit: *Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*. Betsamitæ Arcam magno plausu & gaudio incredibili exceperunt, quod mox in luctum conversum est. Cùm enim illam curiosiùs introspicerent, quod Deus non solùm plebeiis, sed & Levitis sub pœnâ mortis interdixerat, Numerorum 4. 20. *Septuaginta viros & quinquaginta millia plebis* Dominus percussit: [1. *Regum* 5. & 6.] Septuaginta dumtaxat Bethsamitas interfectos fuisse vindice Deo, *Bochartus* cum *Josepho* Libro 6. *Antiquitatum* Cap. 1. existimat, neque aliud sonare Hebræa verba 1. *Regum* 6. 19. illa enim sic esse vertenda censet: *Et percussit e Bethsamitis, quia Domini Arcam introspexerant, septuaginta homines, quinquaginta* scilicet *e mille hominibus*: ut sensus sit, Deum pro indulgentiâ suâ noluisse in reos omnes animadvertere, sed e reis multò pluribus solùm septuaginta morte mulctasse, hac proportione servatâ, ut pro mille reis nonnisi quinquaginta perirent, id est, pars vigesima. In hac ergo hypothesi Arcæ introspectæ reos fuisse mille quadringentos, quorum partem vigesimam, id est, septuaginta homines Deus percusserit. Itaque hæc verba, *quinquaginta ex mille hominibus*, nihil quidquam significare quàm proportionem a Deo observatam in pœnis exigendis. Quomodo, apud Romanos, Milites mortis reos decimare in more fuit. *Bocharto* præiverunt *Tostatus*, *Nicolaus de Lyrâ*, *Dionysius Carthusianus*, *Rupertus*, & *S. Hieronymus*, seu alius Auctor Quæstionum in Libros Regum Tom. 1. Operum ejus editarum. *Hos septuaginta viros*, inquit, *Judices 70. Hebræi intelligunt; Quorum merito & gloria quinquaginta millia viri comparabantur, sicut de David dicitur: Quia tu unus pro decem millibus computaris*. At alii Vulgatam Versionem constanter retinent, & septuaginta viros ex Primoribus, quinquaginta millia verò ex plebeiis occisa legunt & affirmant. Ita *S. Gregorius* seu alius Auctor Commentarii in Libros Regum, inter ejus Opera, *Beda*, *Eucherius*, *Angelomus*, & ante hos omnes *Theodoretus Quæstione 11. in 1. Regum*. Vulgatæ Versioni consonat Translatio 70. Interpretum: *Et percussit in eis septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum*. Idem Chaldaica Paraphrasis: *Et occidit in Senibus Populi septuaginta viros, & in universitate quinquaginta mille viros*. Syriaca Versio quinque millia dumtaxat habet pro quinquaginta millibus: *Percussit Dominus in Populo quinque millia, & septuaginta viros*. Arabica: *Percussit enim Dominus Populum, & mortui sunt ex eis quinquies mille & septuaginta viri*. Bethsamitæ eâ clade territi, Arcam in *Cariathiarim* miserunt, ubi posita est in domo *Abinadab* in Gabaâ, *Eleazaro* ejus filio ad Sanctuarii custodiam consecrato. (1. *Regum* 7. 1.)

*Varia Arcæ translationes, & miracula ad ejus præsentiam facta.*

*Difficultas circa numerum. Bethsamitarum ob Arcam introspectam a Deo percussorum.*

XVI. Annis viginti postquam Arca fœderis in *Cariathiarim* collocata est, Israëlitas a Philistæis oppressos SAMUEL Sacerdos & Propheta, Populique Judex constitutus, liberavit, cùm ipsos oblato Sacrificio expiasset ac Deo reconciliasset. Deus pro Populo suo pugnavit hostibus horribili tonitruum fragore territis. Ab Israëlitis itaque ipsos ex *Masphat* insecutis profligati, quas occupabant Urbes & Præsidia dimiserunt, nec ampliùs vicinorum fines infestare ausi sunt. Confecto bello, *Samuël* Judiciis administrandis & regendæ Reipublicæ totus incubuit. [1. *Regum* 7.] Principatus ejus annos cum *Saulis* Regis annis confundi *Actuum* 13. 21. jam observavimus.

*Samuël Judicum postremus.*

XVII. Historiam RUTH *sub uno Judicum* contigisse constat, (*Ruth* 1. *Vers*. 1.) sub quo, incertum. Chronicon Majus Hebræorum eam sub *Aode* contigisse statuit, Rabbini plures & *Genebrardus* sub Abesane; *Josephus* Lib. 5. *Antiquitatum* Cap. 11. sub Heli; *Abulensis* & *Torniellus* sub *Baraco*. Suas habent singulæ Sententiæ difficultates penè inexplicabiles. Nec tamen ad eas diluendas plures *Boozos* fingere est opus, ut in Dissertationibus ostendemus. Sic autem se habet *Ruthæ* Historia. Ortâ fame in Terrâ Israëlis, *Elimelech* Bethleemita de Tribu Juda, unà cum uxore suâ *Noëmi*, ac duobus filiis *Mahalone* & *Chelione*, in Moabitidem profectus est. Cùmque ibi defunctus esset, filii ejus uxores Moabitidas duxere, quarum una vocabatur *Orpha*, altera *Ruth*. Utroque absque liberis extincto, *Noëmi* rediit in patriam cum *Ruthâ* Nuru suâ Viduâ *Mahalonis*, quæ cultum veri Dei amplexa est, *Orpha* ad Deos suos re-

*Historia Ruth quo tempore contigerit?*

redeunte. *Rutha* porrò spicilegium in agris suis non solùm permisit, sed multis eam beneficiis affecit, ejus pudori parcens, *Booz* filius *Salmonis* ex *Rabab* Meretrice Jerichuntinâ, vir dives & potens: Qui ut erat *Elimelechi* consanguineus, cognitâ ipsius *Rutha* virtute & honestate, jure propinquitatis, alio propinquiore recusante, servatis Legis ac probatæ consuetudinis Ritibus, illam uxorem duxit, & ex eâ genuit *Obed*, ex quo natus est *Isai* sive *Jesse*, Pater *Davidis Regis*. [*Ruth* 1. 2. 3. & 4.]

# CAPUT IV.

## DE REGIBUS HEBRÆORUM, & eorum Gestis usque ad jacta Templi Fundamenta.

### ARTICULUS I.

*De Regia Dignitatis apud Hebræos Institutione, & de Saule Regum primo.*

I. CUm *Samuël* ingravescente ætate duos filios suos *Joëm* & *Abiam* in partem solicitudinis asciviffet, ut Populum in Bersabee judicarent; illique a paternâ pietate & integritate degeneres, avaritiæ studio Judicia perverterent, causarumque merita munerum magnitudine æstimarent, Populus Israëliticus occasionem inde accepit postulandi Regem a *Samuële*, qui aliarum Gentium instar ipsos belli pacisque temporibus regeret. Deus eâ de re a *Samuële* rogatus, Prophetæ jussit ut jus Regis seu potiùs Regii Juris abusum, ex potestate in licentiam, ex dominio in tyrannidem quandoque vertendi, ipsis prædiceret, si fortè hoc pacto ab insana petitione deterrerentur. Nec Prophetæ, nec Dei vocem audivere, sed dixerunt: *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes Gentes: & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis*. Samuëli responsum Populi referenti jussit Deus ut eorum desiderio annueret, Regemque illis crearet. [1. *Regum* 8.]

II. Primus Rex creatus est *Saül*, filius *Cis*, de Tribu *Benjamin*, formâ præstanti & imperio dignâ, modestus, & bellicosus, liberandoque ab hostium incursibus Israëli haud visus impar. Patris asinas quærentem *Samüel* convivo & hospitio excepit, in Regem unxit, osculo reveritus est. Sacro unguento perfusus, ita subitò immutatus est, ut animum novum, Regiasque virtutes indueret, Prophetiæ etiam dono raptim & ad horam illustratus. Hinc Proverbium: *Num & Saül inter Prophetas?* SAMUEL indicto Populi conventu in *Masphat*, missisque fortibus, *Saülem* a Deo Regem designatum declaravit, quem e latebris eductum susceperunt ac venerati sunt, unâ voce proclamantes: *VIVAT REX*. Jus Regium *Samüel* descripsit, regnandique præcepta, libro coram Arcâ reposito. [1. *Regum* 10.] Lex Regni, cujus ibi fit mentio, eadem, fortè magis explicata, quæ *Deuteronomii* 17. a Deo traditur: *Cùm ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illâ, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum Nationes: Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cùmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet Populum in Ægyptum equitatûs numero sublevatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam ampliùs per eamdem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus, neque argenti & auri immensa pondera. Postquàm autem sederit in Solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis hujus in Volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribûs, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israël.*

*Quid Lex Regni a Samuële descripta?*

III. Post Mensem a *Saülis* Inauguratione, *Jabes* Galaaditidis civitas a *Naas* Ammonitarum Rege obsessa. Cives pacem rogantes, utque pro fœderatis haberentur, superbum hoc & immane responsum acceperunt: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israël.* SAUL coacto exercitu Urbem liberavit, Ammonitas profligavit. *Saüle* victore Populus gaudio gestiens, *Samuëlem* adit, eos ad supplicium deposcit, qui Regem contemptui habitum sibi inutilem fore dixerant. *Saül* clementiâ & mansuetudine Principis Regnum ipsi confirmari, ac subditorum animos devinciri intelligens, respondit: *Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israël.* Mox in Galgala profecti, immolatis Deo victimis, Regnum *Saüli* confirmarunt. (1. *Regum* 11.) SAMUEL integritatem suam in Munere gerendo Populo probavit. Populum ob scelera increpuit, territumque pluviâ & tonitru Messis triticeæ tempore a Deo excitatis, & ad pœnitentiam inflexum, propositâ Dei misericordiâ, promissoque orationum suarum suffragio consolatus est. *Servite*, inquit, *Domino in omni corde vestro. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt, & non relinquet Dominus Populum suum, propter Nomen suum magnum: Quia juravit Dominus facere vos sibi Populum. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. Igitur timete Dominum, & servite ei in veritate, & ex toto corde vestro. Quòd si perseveraveritis in malitiâ, & vos & Rex vester pariter peribitis*. (1. Regum 12.) Amalecithas & Philistæos, Ammonitas, Idumæos Hebræis infestos *Saül* magnis cladibus affecit. *Jonathas Saülis* filius re adversùs Philistæos præclarè gestâ, mortis discrimen subiit, quòd Regii inscius Edicti paululum mellis, favo in nemore reperto, degustasset. Sed Populus egregium Principem liberavit, his verbis *Saülem* interpellans: *Ergòne Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? Hoc nefas est: Vivit Dominus si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie*. (1. Regum 13. 14.)

IV. A Deo reprobatus est *Saül*, & familia ejus a Regni successione exclusa, ob duplicem præsertim causam. Primò, quòd holocaustum Deo intempestivè & contra ipsius Dei mandata obtulisset, inconsulto nec expectato *Samuele*, cujus nutu & consilio illum dirigi Deus volebat. (1. *Regum* 13.) Secundò, quòd in expeditione contra Amalecithas, quos internecione deleri Deus præceperat, eorumque greges, ac bona omnia ferro & igne consumi, Regi eorum *Agag*, pepercisset, gregesque optimos in prædam abduxisset. SAUL a *Samuële* increpatus, pietatis obtentu inobedientiam excusat. *Samuël* peccati gravitatem ostendit, denuntiatque Dei vindicis irrevocabilem sententiam. *Nunquid*, inquit, *vult Dominus holocausta & victimas, non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi pec-*

*Causæ reprobationis Saülis.*

*peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis Rex.* Peccatum serò agnovit *Saul*, dixitque Samuëli: *Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens Populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & revertere mecum, ut adorem Dominum. Et ait Samuël ad Saül: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, & projecit te Dominus ne sis Rex super Israël.* Abeuntis *Samuëlis* pallium *Saül* apprehendit, quod cùm trahentis conatu scissum esset, dixit Propheta: *Scidit Dominus Regnum Israël a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porrò Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* SAUL peccatum fassus, a *Samuële* obtinuit ut eum coram Populo honore prosequeretur, & ad Deum adorandum pergentem comitaretur. Mox *Agag* Amalecitharum Regem adduci jussit *Samuël*, & velut victimam Deo mactatam in frusta discerpsit. ( 1. *Regum* 15. )

*Unctio Davidis in Regem. Priora ejus Gesta.*

V. Bello in Philistæos fervente, *David* filius *Isai*, de Tribu Juda, e pascuis vocatus, & inscio *Saule* in Regem a *Samuële* inunctus, Hebræorum Rempublicam sustentavit, defenditque, *Goliatho* gigante profligato, cæso; *Ceilâ* Urbe a Philistæis liberatâ. *Saul* filiam suam *Micholem* DAVIDI uxorem dedit. Sed mox livoris æstu Generum crudeliter persecutus est. De vitâ *Davidis* actum erat, nisi *Micholis* industrius amor; *Jonathæ* Principis, filii *Saülis*, fidelis & constans amicitia; *Achimelechi* Sacerdotis, qui fame laborantem sanctificatis panibus refecit, caritas: *Davidis* ipsius insaniam simulantis coram *Achis* Gethæorum Rege sapientia; *Abigailis* uxoris *Nabal*, mulieris prudentissimæ, beneficentia; Achis Gethæorum Regis, qui & Urbem *Siceleg* ipsi *David* incolendam dedit, hospitalitas, salutem illius in tuto collocassent. ( 1. *Regum* 17. 18. 19. 20. 21. 23. 25. 27. ) *Achimelechi* pietas ipsi, & octoginta quinque Sacerdotibus, omnique Populo Civitatis Sacerdotalis *Nobe*, exitium attulit. Ipsos enim a *Doëg* Idumæo, Aulicorum suorum uno, conjurationis accusatos, *Saül* ab eodem sacrilegi furoris sui Ministro interfici jussit. Unus evasit *Abiathar* filius *Achimelechi*, quem *David* paterni beneficii memor in amicitiam & tuitionem suscepit. ( 1. *Regum* 22.) Saulis sævitiam & ingrati animi vitium exaggerat *Davidis* mansuetudo ac moderatio, qui capitalem hostem cùm interimere facilè posset, tum in speluncâ *Engaddi*, tum in Deserto *Ziph*, servavit incolumem, orâ dumtaxat chlamidis ejus primâ vice abscisâ, hastâ & scypho alterâ vice ablatis. Nefas quippe esse noverat in Regem manus mittere. *Propitius*, inquit, *sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* [ 1. Regum 24. ] Et rursus ad Abisai: *Ne interficias eum: Quis enim extendit manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* ( 1. Regum 26. 9.).

VI. Rex *Achis* cum Philistæis suis contra Israëlitas bellaturus, Davidem cum copiis, quæ a *Saüle* ad ipsum defecerant, ad eam expeditionem adduxit. Philistæi castrametati sunt *Sunami*, Israëlitæ verò *Gelboë*. Cum Philistæis non dimicavit *David*, quia Philistæorum Principes inito consilio remiserunt eum, dicentes: *Periculo capitis nostri revertetur ad Dominum suum Saül.* [ 1. Regum 28. 1. Paralipom. 12. ] *David* Sicelegum reversus, Amalecithas qui Urbem incenderant, captivasque mulieres, & prædam ingentem abduxerant, persecutus, cæcidit, captivisque liberatis, & recuperatâ prædâ, ovans domum rediit. Hostium autem spolia æqualiter dividi voluit inter eos qui descenderant ad prælium, & qui remanserant ad sarcinas. ( 1. *Regum* 30. ) Mortuo interim *Samuele*, justisque ei ab universo Israële solutis, *Saül* Magos & Ariolos de Terrâ sustulerat, unâ Pythonissâ Muliere superstite quam in sui perniciem, a Deo desertus, consuleret. Conspecto scilicet Philistæorum Exercitu territus, Deum frustra consuluit, *Neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*, ipsi respondentem. Relicto igitur Deo, Endorem ad consulendam Pythonissam noctu concessit, ubi seu a *Samüele*, seu a *Samuelis* spectro evocato, tristem illam audivit sententiam: *Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu meâ, & scindet Regnum tuum de manu tuâ, & dabit illud proximo tuo David: Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalech. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philistiim: Cras autem tu & filii tui mecum eritis.* [ 1. Regum 28. ] Porrò an verus *Samuel*, an Dæmon *Samuelis* spectrum exhibens apparuerit *Sauli* Pythonissam Mulierem consulenti, in Dissertationibus expendemus. *Saule* ad castra reverso, prælium Philistæos inter & Israëlitas committitur. Israëlitæ fugantur, profligantur. *Jonathas*, *Abinadab*, & *Melchisua* filii *Saulis* hostili gladio cæduntur. Saul accepto vulnere, in desperationem actus, ne vivus in hostium potestatem veniret, proprio se gladio interimit. Philistæi capite *Saulis* amputato, arma ejùs in Templo *Astaroth*, corpus verò ejus in Muro *Bethsan* suspenderunt. Id cùm audissent cives *Jabes Galaad*, viros fortissimos *Bethsan* miserunt, qui *Saulis* & filiorum cadavera in Urbem suam illata combusserunt, ossaque in Nemore *Jabes* sepulcro condiderunt, septiduano jejunio luctum suum demonstrantes. ( 1. *Reg.* 31. )

*Extrema Saülis.*

*Quot annis Saül regnaverit.*

VII. De annis administrati a *Saule* Regni, plura Chronologi & Commentatores. Annos quadraginta ipsi tribuit S. Paulus Actorum 13. 21. *Et exinde*, inquit, *postularunt Regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de Tribu Benjamin, annis quadraginta.* Annis illis quadraginta, *Samuelis* etiam annos contineri ante *Saulis* Principatum, communis est opinio, *Josephi* Lib. 6. *Antiquitatum* Cap. ultimo, *Eusebii* Lib. 10. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 14. & aliorum calculis firmata. Quæ annorum summa inter *Samuelem* & *Saulem* variè dividitur ab Auctoribus. *Josephus* *Samuelem* solum præfuisse Reipublicæ Hebræorum asserit annis duodecim, deinde cum *Saule* annis octodecim; *Saulem* verò post mortem *Samuelis* annis viginti duobus, ut habet Græcus *Josephi* Textus Cap. ultimo Libri sexti, quamvis in Latinâ versione viginti dumtaxat numerentur. *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum *Sauli* cum *Samuele* tribuit annos viginti septem, deinde mortuo *Samuele*, soli *Sauli* alios viginti. Sed ita fieret summa quadraginta & septem annorum, contra Chronologiam Apostoli quadraginta dumtaxat numerantis. *Salianus* censet *Samuelem* solum Reipublicæ Hebræorum præfuisse annis viginti duobus, deinde creato Rege *Saule*, cum eo præfuisse annis sexdecim; mortuo verò *Samuele* solum *Saulem* regnasse annis tantùm duobus. *Usserius* annos viginti & unum tribuit Præfecturæ *Samuelis* a morte *Heli* ad *Saulis* Inaugurationem. Totam Regni *Saulis* durationem biennio perperam circumscribunt Hebræi in *Seder Olam*, *Arias Montanus*, *Adrichomius*, *Gerardus Mercator* in suâ *Chronologiâ*, loco 1. *Regum* Cap. 13. Vers. 1 malè intellecto decepti: *Filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israël.* Cujus loci sensus est, post Phili-

listæos a *Samuële* subactos, annum unum fluxisse donec *Saul* regnare inciperet; & duobus deinde annis regnavisse illum a Jugo Philistæorum liberum. Postea enim imperio suo penè a Philistæis exutus est, Populusque Israëliticus gravi servitute ab iis oppressus. Quâ tandem excussâ, *Saulis* Regnum super Israël confirmatum est: [ 1. *Regum* 14. 47.) Ita *Usserius*. Sed plânior adhuc & commodior sensus iste est: *Saul* partâ victoriâ de *Naas* Ammonitarum Rege, sicque sibi conciliatâ auctoritate apud Israëlitas, qui in Galgalâ frequentibus Comitiis congregati *Regnum* illi *innovarunt*, & *fecerunt ibi Regem coram Domino*, ( 1. Regum 11. 14. & 15. ) egisse, & fortè complevisse primum Regni sui annum, & alterum inchoasse, quo expleto, elegit tria millia Militum Præsidiariorum. Verba Scripturæ hunc sensum non solùm patiuntur, sed manifestè præ se ferunt: *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israël. Et elegit sibi Saul tria millia de Israël, &c.* Sic explicant R. *David*, *Vatablus*, & recentiores primæ notæ Interpretes.

Hunc sensum reddit Textus Hebræus sic e verbo ad verbum redditus: *Filius anni Saül in regnando ipsum*. Item Syriaca Versio: *Cùm autem anno uno vel duobus regnasset Saül in Regno suo super Israëlem, elegit sibi Saül tria millia virorum ex Israële*. Arabica: *Cùm autem regnasset Saul uno, duobus, vel tribus annis regno super filios Israël, delegit Saül ex Israëlitis tria millia virorum*. Non inanis fortè Virorum quorumdam Eruditorum suspicio, qui in Hebræis Codicibus, tenuem in numeris hiatum hîc esse putant, *Filius anni erat Saül*, ut numerus aliquis supplendus sit. *Melchior Canus* Lib. 11. *De Locis Theologicis* Cap. 5. legendum conjicit, *Filius viginti & unius Anni erat Saül cùm regnare cœpisset*. At repugnat ætas *Isboseth* filii *Saülis*, tunc viginti circiter annorum, ut ex Chronologiâ Scripturæ Sacræ 2. *Regum* 2. 10. facilè demonstratur. Scholiastes Græcus in Romanâ 70. Interpretum Editione, supplendum censet: *Filius triginta annorum erat Saul, cùm regnare cœpisset*. Sed hoc supplementum non patitur adhuc ætas *Isbosethi*, & *Jonatha* natu majoris: *Saül* enim decennis filium genuisset. Numerum aliquem supplendum facilè crederem, si id necesse videretur: ( Quamvis ipse supplere non auderem, ob reverentiam erga Vulgatam Versionem. ) Et eò quidem procliviùs in eam suspicionem ipse quoque adducerer, quòd plures optimæ notæ Codices Versionis 70. Interpretum, Vaticanus in primis, & Alexandrinus, & Romana Editio *Sixti V.* jussu & auctoritate adornata, atque Londinensis Bibliorum Polyglottorum, comma illud primum decimi tertii Capitis non habeant; Quod tamen extat in Editione Complutensi, & in Græcis Codicibus legebatur tempore *Theodoreti* Υἱος ἐνιαυτȣ Σαȣλ ἐν τω βασιλευειν αυτον, και δυο ἐτι ἐπι Ισραηλ ἐβασιλευσεν. *Filius anni erat Saül, cùm ipse regnaret, & duos annos regnavit super Israëlem*. Quam lectionem ex *Symmacho* Theodoretus confirmat. Nec spernenda illorum interpretatio, qui Vulgatam lectionem religiosè retinentes, hæc verba, *Filius unius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset*, non ad tempus ætatis, sed ad probitatem & morum integritatem referunt, in quâ duobus tantùm annis prioribus Regni permanserit. Ita Chaldaica Paraphrasis: *Sicut filius anni, in quo non sunt culpa, Saül quando regnavit, & duobus annis regnavit super Israël*. Hanc interpretationem tradit *Theodoretus Quæstione* 26. *in* 1. *Regum*, his verbis propositâ: *Quomodo est intelligendum illud, Filius anni erat Saül, cùm ipse regnaret?* Ad quam ita respondet: *Symmachus sic edidit*: Filius unius anni Saul, dum regnaret ipse. *Hoc autem significat animi simplicitatem, quâ præditus erat Saül, quando fuit Rex electus. Illâ autem non diu est usus. Unde subjunxit Historiographus*, Et duos annos regnavit super Israëlem, *Nempe eum eâ simplicitate regnavit duos annos: Deinde declinans ad vita improbitatem, nudatus fuit divinâ gratiâ. Unde reliquum tempus quo perrexit regnare, imputatum est Administrationi Samuëlis*. Eodem sensu hunc locum explicant Auctor Quæstionum in Libros Regum inter Opera *S. Hieronymi* editus, Auctor Commentarii in Librum 1. Regum, inter *S. Gregorii Magni* Opera, *S. Eucherius*, *Rupertus* Abbas, *Angelomus*. Certè in sacris Literis innocentia per pueritiam sæpè significatur: *Matthai* 18. 3. 1. *ad Corinthios* 14. 20. 1. *Petri* 2. 2. Innocentiam autem Saülis hoc loco expressam volunt pii & eruditi Interpretes: Ut ostenderet Deus, se optimi electoris officio functum esse, ut qui optimum virum ad maximam dignitatem elegerit. 2. Ut doceret se cum majori dignitate majorem etiam gratiam ac sanctitatem conferre solere, nisi obsit hominum iniquitas. 3. Ut mentione factâ innocentiæ *Saülis*, gravior ejus improbitas, postea subsecuta, videretur. 4. Ne quis sibi de suâ virtute blandiatur, aut de suâ justitiâ præsumat, ad casum & reprobationem *Saülis* attendens. Verùm tropologica magis est quàm literalis postrema illa explicatio, magnis licèt fulta Nominibus. *Rabano* visum est; in hoc Versu, *Filius unius anni erat Saül cùm regnare cœpisset*, in dativo casu *τῷ Saül* intelligendum, ut sit sensus, *Saüli, cum regnare cœpit*, filius erat unius anni, *scilicet Iphiboset*. Verùm ea interpretatio vulgò rejicitur, tum quòd *Iphiboset* non unum duntaxat, sed viginti annos natus esset, cùm *Saül* Rex inauguratus est: Tum quòd Regum exordia a filiorum ætate computari non soleant: Tum quòd nulla esset huius commatis cum antecedentibus & consequentibus connexio. Unde Auctor quæstionum in Libros Regum inter *S. Hieronymi* Opera editarum hunc Versum expendens, ait: *Non de Isboseth filio Saül: Sed de eodem Saule dictum est hoc*.

E *Saülis* Domo, præter *Isbosethum*, qui post ipsum Regnum Israëlis aliquamdiu tenuit, superstites fuere duo eius filii. *Armoni* & *Miphibosetb* ex *Respbâ* concubinâ suscepti, & quinque filii *Merob* filiæ *Saülis*, quos *Hadrieli* genuerat. Filios *Michol* vocat Vulgata nostra 2. *Regum* 21. 8. sed *Merob* legendum constat ex 1. *Regum* 18. 19. ubi *Merob filia Saül data* dicitur *Hadrieli Molathita uxor*. Nisi fingatur *Merob* fuisse binominem, & *Michol* etiam appellatam fuisse; aut *Micholem* sororis filios adoptasse, qui propterea ipsi tribuuntur: Quem sensum juvat Chaldaica Paraphrasis sic habens: *Et quinque filios Merab; quos educaverat Michal filia Saül*. Hos Gabaonitis tradidit *David* crucifigendos in Monte, ex Dei voluntate, Judicia sua in *Saülis* Domum exercentis. Oraculum enim Domini consulens de fame quæ toto triennio Palæstinam afflixerat, responsum accepit: *Propter Saül, & Domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas*. [ 2. Regum 21. ] Fidem enim a *Josuë* & Senioribus Populi Gabaonitis datam, maximè cùm servitutis jugum subiissent ac patienter ferrent, atque Judaicam Religionem profiterentur, violare scelus fuit. Superstes præterea fuit e *Saülis* familiâ *Miphiboseth*, alter filius *Jonatha*, a pueritiâ claudus, quem *David* Mensæ suæ assidere voluit, ac in agrorum omnium, bonorumque *Saülis* possessionem mitti; quorum tamen proscriptione postea multatus est, cùm *Siba* domûs ipsius Præpositus calumniam ipsi struxisset; quâ dissipatâ, dimidiam dumtaxat possessionum par-

*Filii Saülis, patri superstites.*

partem Rex ipsi hac in re minùs æquus restituit. [ *Regum* 9. 16. 19.] Miphibosethum incolumem servavit *David*, propter fidem & amicitiam quam Jonathæ ejus patri olim juraverat.

---

## ARTICULUS II.

### *De Davidis Regno ac Gestis.*

I. DAVID ab Amalecitharum cæde redux de infausto Prælii ad Montes *Gelboë* inter Philisthæos & Israëlitas commissi exitu, unà & de *Saülis* ac filiorum morte certior factus, *Amalecitham* qui id nuntiaverat, seque *Saülem* interfecisse professus fuerat, occidi jussit: *Saülis* & *Jonathæ* Populique Dei cladem planxit. Mox Deo consulto, cum suis Hebronem commigravit, ubi Rex super Tribum Juda constitutus est, anno ætatis trigesimo, ibique oleo illinitus regnavit septem annos & sex menses, donec totius Israëlis, id est duodecim Tribuum Rex inauguraretur. Ut primùm Rex proclamatus est, Nuntios misit ad cives Jabes Galaad, eorum fidem & pietatem erga defunctum *Saülem* collaudans, illisque fausta omnia adprecatus, gratiam suam ac opem promisit. Interim *Abner* Princeps Militiæ Saulis, *Isbosethum* solum ex filiis Domini sui superstitem, annos quadraginta natum, reliquo Israëli præfecit. Regnavisse dicitur *annis duobus*, pacificè scilicet, *Davide* bellum ipsi non inferente. Post biennium, *Isbosethum* inter & *Davidem* pugnatum est, illinc *Abnere*, hinc *Joabo* Militiæ Ducibus. *Abner* cum suis in fugam compulsus, *Azaëlem* Joabi fratrem, qui fugientem persequebatur, interemit. Trecenti & sexaginta viri ex *Abneris* copiis ceciderunt, viginti duntaxat in *Davidis* Exercitu desideratis. ( 2. *Regum* 1. 2.)

II. *Abner* ab *Isbosetho* contumeliâ affectus, ad *Davidem* defecit, de transferendo ad ipsum Regno Seniores Israëlis solicitans. Post fœdus cum *Davide* initum, ad quem & *Michölem* uxorem *Saülis* filiam, alteri a Patre collocatam, reduxerat, a *Joabo* invidiæ ac furoris æstu percito fratrisque *Azaëlis* mortem ulcisci volente, perfidè interfectus est. *David* sceleris horrore commotus, *Joabum* diris devovet; se ignavi crudelisque facinoris insontem coram Deo profitetur; solemnes exequias, publicumque luctum imperat; funebrem pompam prosequi Majestate suâ non ducit indignum; egregii Ducis laudes ipse canit. *Nequaquam*, inquit, *ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: Sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti*. Et quò dolorem suum impensiùs testaretur, eâ die ad Solis usque occasum cibo abstinuit. ( 2. *Regum* 3.) Israële ob cædem *Abneris* conturbato, *Baana* & *Rechab* Benjaminitæ *Isbosethum* Dominum suum obtruncarunt, ejusque caput ad *Davidem* detulerunt, quibus *David* vice præmii mortem retribuit tanto sceleri debitam. ( 2. *Regum* 4.)

III. Post hæc, universæ Tribus & Seniores Israël Hebronem ad *Davidem* venientes, factâ ipsi deditione, tertiò unctum, super totum Israël Regem constituunt. Mox relicto Hebrone, Hierosolymam armatâ manu contendit, Arcem *Sionis*, profligatis Jebusæis, occupat; Regni sedem ibi collocat, auctamque ædificiis *Civitatem David* appellat. Armis deinde in Philistæos conversis, illos in *Valle Raphaim* duplici prælio fudit. ( 2. *Regum* 5. 1. *Paralipomenon* 14.) *Davide* aquam e cisternâ Bethleemi, ubi Philistæorum statio erat, desiderante, tres ex ipsius Exercitu fortissimi Duces, perruptis hostium castris, optatum potum ad ipsum attulerunt; At ille bibere noluit, sed *libavit illam Domino*, dicens: *Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem istorum virorum bibam. Quia in periculo animarum attulerunt mihi aquam*. ( 1. Paralipomenon 11.) Israëlitici Imperii fines ad Euphratem usque propagavit; Philistæis, Idumæis, Amalecithis, Moabitis, Ammonitis, Syrisque domitis, Regibus eorum tributariis effectis, & inter eos *Adarezere* Rege Soba, *David* insignem victoriam reportavit, viginti duobus millibus Syrorum interemptis. [ 2. *Regum* 8. 1. *Paralipomenon* 18.) Bello Ammonitico occasionem dedit injuria ab *Hanone* Rege Ammonitarum facta Legatis, quos David ad ipsum miserat, ut eum de morte Patris *Naas* consolarentur. ( 2. *Regum* 11. 1. *Paralipomenon*.19.)

*Bella Davidis.*

IV. Varia eximiæ pietatis specimina dedit *David* Rex. Arcam imprimis e domo *Abinadab* Karathiarimis sita, accitis totius Regni Primoribus qui ipsam honorificè comitarentur, Hierosolymam reducere statuit. Plaustro novo impositam boves trahebant, Musicis instrumentis omnis generis personantibus. Cùm ad Aream Nachon pervenissent, bobus calcitrantibus *Oza* filius *Abinadab* Arcam vacillare cernens, manum admovit ut eam sublevaret, & continuò temeritatis pœnas dedit, subitâ morte extinctus. Loco nomen factum ab eo eventu, *Percussio Ozæ*. ( 11. Regum 6. 1. Paralipomenon 13. ) Temeritas *Ozæ* in eo fuit, quòd manum suam miserit ad Arcam, non quòd Levita non fuerit, ut quidam asserunt. Levitam enim fuisse multò credibilius est, cùm patrem habuerit *Abinadab*, & fratrem *Eleazarum* ad custodiam Arcæ consecratum. ( 1. *Regum* 7. 1.) Notum est autem tum temporis neminem ad hujusmodi Ministeria consecratum, qui Levita non esset. Unde *Josephus* Lib.6. *Antiquitatum* Cap.2. eum Levitam fuisse disertè asserit. Et Lib.2. Cap. 4. negat quidem *Ozam* fuisse Sacerdotem, non tamen negat fuisse Levitam, neque diversæ Tribui illum adscribit, quod *Josepho* perperam imputat *Theodoretus* Quæstione 19. in Librum 2. *Regum*. Levitam etiam fuisse docent S. *Hieronymus* Epistolâ 48. ad Sabinianum, *Theodoretus* ipse, & S. *Gregorius* Lib.5. *Moralium* Cap.10. Idque planè constat ex 1. *Paralipomenon* 26. ubi familia *Ozæ* inter Leviticas recensetur. Sed ut Levita fuerit *Oza*, non tamen Arcam fœderis tangere, immò nec videre debuit. Id enim Lege Dei vetitum erat, Numerorum 4. 15. *Cùmque involverint Aaron & filii ejus Sanctuarium, & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta; & non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur*. Et Vers.18. *Nolite perdere Populum Caath de medio Levitarum: Sed hoc facite eis ut vivant, & non moriantur, si tetigerint Sancta Sanctorum. Aaron & filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, & divident quid portare quis debeat. Alii nullâ curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priùs quàm involvantur, alioquin morientur*. Nec ob eam tamen dumtaxat causam morte multatum *Ozam* censet *Theodoretus*, quòd manum ad Arcam admovisset, verùm etiam quòd eam præter Legem plaustro vehendam imposuisset, cùm Deus jussisset ut Sacerdotes eam humeris gestarent. Hoc autem eos fefellit, quòd ea sic emissa ab alienigenis nemini nocuit. Sed oportebat considerare, quòd neque Legem noverant alienigenæ, neque aderant Sacerdotes, ut convenienter Legi eam portarent. Conjecturam suam *Theodoretus* firmat ex iis quæ sequuntur in translationis hujus historiâ. *Nam cùm cecidisset Oza, Rex veritus non tulit Arcam in*

*Davidis pietas. Arcæ translatio. Mors Ozæ, & ejus causa.*

*in Regiam, ubi divinum construxerat Tabernaculum, sed in domum* Obededom. *Postquam autem vidit domum illam tribus Mensibus repletam omne genus benedictione, statim eam transtulit in Regiam, non usus plaustro, sed Sacerdotibus, Legi convenienter.* Unde 1. *Paralipomenon* 15. legimus *Davidem* vocasse Sacerdotalium & Leviticarum familiarum Principes, hisque verbis eos compellasse: *Sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Aream Domini Dei Israël ad locum qui ei praeparatus est: Ne ut a principio, quia non eratis praesentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. Sanctificati sunt ergo Sacerdotes & Levitae, ut portarent Aream Domini, sicut praeceperat Moyses, juxta verbum Dei, humeris suis, in vectibus.* Arca itaque in Arcem Sion solemni ac religioso ritu illata, & in Tabernaculo novo, quod ei *David* paraverat, deposita est. Ad hanc translationem referenda sunt verba *Davidis* Psalmo 133. *Surge Domine in requiem tuam; tu & Area sanctificationis tuae.... Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis Sylvae*, id est, in colle Cariathiarim. (Illud enim nomen Urbem in confinio sylvarum positam significat) *Quoniam elegit Dominus Sion; elegit eam in habitationem sibi. Hae requies mea in seculum seculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Eòdem spectant Versus illi Psalmi 77. *Et repuli Tabernaculum Silo; Tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus... Et repulit Tribum Joseph; & Tribum Ephraim non elegit: Sed elegit Tribum Juda, Montem Sion quem dilexit.*

*Abeddara legit Theodoretus.*

Regem coram Arcâ tripudia agentem cùm *Michol* uxor conspexisset, ipsum despexit [*Nesciebat enim stimulos divini amoris*: ut Theodoreti verbis utar) eique peractis Sacrificiis & ceremoniis domum reverso exprobravit quòd se morionem insignem praestitisset, servis ancillisque illudendum. *David* pietatem contemptui haberi impatientiùs ferens, quàm se ipsum, superbae Mulieris levitatem coarguit, ostenditque se nullis convitiis a sincerae devotionis fervore posse dimoveri. *Ante Dominum*, ait, *qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & praecepit mihi ut essem Dux super Populum Domini in Israël, & ludam, & vilior fiam, plusquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Convitium non impunè tulit femina Princeps: Infoecunditatis enim probro in perpetuum damnata est. *Neque tamen propter eam tantùm causam mansit sterilis: Sed ut nullus regnaret ex eo semine* (scilicet Saulis.) *Erat enim verisimile, Populum fuisse praelaturum eum, qui utrinque fulgeret claritate generis.* Verba sunt *Theodoreti* Quaestione 10. in Lib. 11. Regum.

*Promissiones Davidi a Deo factae.*

Sacerdotibus & Levitis Ministeria sua coram Arcâ foederis, & coram Tabernaculo Domini, quod erat in Gabaon, *David* assignavit, ordine Ecclesiasticae Politiae constituto. (1. *Paralipomenon* 16. 23. 24. 25. 26.] Cùm altâ pace frueretur, consilium suum de Æde Deo construendâ *Nathani* Prophetę aperuit. Verùm responsum a Deo accepit, non ab ipso bellis jamdudum assueto & multi sanguinis effusore, sed a Filio Pacifico *Salomone* ipsi nascituro, sacrum illud opus profectum iri. Thronum autem illius se in perpetuum firmaturum pollicetur. (11. *Regum* 7. 1. *Paralipomenon* 17. 22.) De Christo & Ecclesiâ promissionem adjungens: *Ipse*, inquit, *erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: Firmaboque Solium Regni ejus super Israël in aeternum... Et statuam eum in Domo meâ, & in Regno meo usque in sempiternum: & thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.* Lege *Theodoretum* Quaestione 21. in Lib. 11. *Regum*.

*Davidis peccatum & poenitentia.*

V. Ut admiranda eximiae pietatis supra Reges omnes specimina dedit *David* Rex, ita miseranda humanae infirmitatis praebuit exempla. Cùm *Joab* Exercitum in regionem Ammonitarum duxisset, Rabbam Metropolim obsessurus, *David* Hierosolymis remanens, ibique in otium solutus, *Uriae* Hethaei Centurionis conjugem, insignis speciei foeminam, cui nomen *Betsabea*, cùm se lavantem conspexisset, ejus amore subitò correptus, accersitam adulterio polluit: Ipsumque Maritum *Uriam*, iniquo pugnae loco hostibus oppositum, Ammonitarum telis conficiendum curavit. Post natum filium in adulterio a *Nathane* Prophetâ correptus, peccatum suum cum gemitu confitetur. *Peccavi*, inquit, *Domino*. Vates poenitentem consolatur, remissum crimen denuntians, cujus tamen temporaneam poenam Deo vindici daret. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* (inquit) *non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur.* Non multò post extinctus est puer ex furtivo concubitu natus. (*Regum* 12.)

VI. Poenitentem Regem domesticae calamitates in expiationem duplicis peccati, fideique ac pietatis exercitationem affligunt. *Ammon* Primogenitus ejus filius *Thamari* sorori stuprum infert. *Absalom* temeratae sororis pudicitiae memor, *Ammonem* fratrem post biennium convivio exceptum, quo oves tondebantur tempore, a famulis suis interfici jubet. (11. Regum 13.) *Absalomum* apud *Tholomai* Regem Gessur exulem *Joab* Militiae Dux Mulieris Thecuitis solertiâ, Hierosolyma revocari curat. Aulae nihilominus aditu, & conspectu Regis ipsi per biennium interdictum, donec succensâ *Joabi* segete hordeaceâ, ejus operâ ad colloquium, & osculum Patris admissus est. (11. *Regum* 14.) Conciliato Patre, auram captare popularem, & civium animos a patre abalienare, sibi devincire coepit. Accito deinde in Consilium *Achitophele* astuti ingenii viro, a cujus ore velut ab Oraculo populus pendebat, Regnum paternum invasit, Hebrone a Foederatorum turbâ Rex consalutatus. Conjurationis nuntio Hierosolyma perlato, *David* territus, cum praetorianis cohortibus, & promiscuâ multitudine pedes fugit, decem duntaxat concubinis ad Regiae custodiam relictis. Fugientem sequebantur *Sadoc* Sacerdos, & Levitae Arcam foederis gestantes; quam Rex in Urbem reportari jussit. *Reporta*, inquit, *Aream Dei, in Urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & Tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi: Non Places: Praesto sum, faciat quod bonum est coram se.* Porrò David ascendebat clivum olivarum *flens, nudis pedibus incedens, & operto capite*, ipso habitu poenitentiam professus, cùm accepit *Achitophelem*, virum consilio metuendum, in *Absalomi* partes transisse. Deum orat ut vaferrimi hominis conatus irritos reddat. *Infatua quaeso*, inquit *Domine, consilium Achitophel.* Mox occurrentem sibi *Chusai* Arachitem, consilio optimum, probataeque fidei virum, scissis vestibus, & capite cineribus consperso, quò suum de Regis calamitate luctum testaretur, *David* in Urbem ablegat, ubi simulato partium studio, operam suam *Absalomo* promittat, sed perpetuò *Achitophelі* adversus, Consiliorum arcana ipsi *Davidi* per Sacerdotum filios prodat. (11. *Regum* 15.) Regi *Bahurim* usque progresso occurrit *Semei*, *Gerae* filius, *Sauli* cognatione conjunctus, ejusque Majestatem calumniis, maledictis, quin & lapidibus aggreditur. *Abisai* ulcisci injuriam parantem amputato nefarii hominis capite, *David* manum Dei agnoscens, ejusque justitiam adorans, prohibet ne vim ipsi inferat. *Dimitte eum*, inquit, *ut maledicat: Dominus enim praecepit ei ut maledice-ret*

*Domesticae Davidis calamitates.*

*Absalomitica conjuratio. Davidis moderatio & patientia.*

*Id est cor ejus malum dimitteret, ut Davidi maledieeret; ac Semei concertatio ad Davidis castigationem & exercitationem ordinavit.*

*ret David; & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: Quantò magis nunc filius Jemini? Dimitte eum ut maledicat juxta præceptum Domini; si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodiernâ.* (2. Regum 16.) *Absalom* Hierosolyma ingressus, ad patris concubinas populo spectante ingressus est, quas incestu polluit. Nefarii consilii auctor fuit *Achitophel*, sperans fore ut exacerbatis hac contumeliâ animis, filius patri nusquam reconciliaretur, hujusque rei certus populus perduelli Principi firmiùs adhæreret, armaque contra Regem intrepidè capesseret. (2. *Regum* 16.) Et hanc *Davidi* calamitatem, in pœnam adulterii & homicidii, *Nathan* prædixerat his verbis: *Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tuâ, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis, in oculis Solis hujus.* [2. Regum 12. 2.]

*Mors Absalomi.* Inito postmodum de belli ratione consilio, *Chusaï* sententiæ *Achitophelis* adversatus consilium ejus, & impias in *Davidem* molitiones dissipat, graveque periculum a Rege avertit. *Achitophel* consilium suum ab *Absalomo* propositum indignatus, laqueo vitam sibi adimit. (2. *Regum* 17.) Commisso inter *Davidis* Exercitum & *Absalomi* certamine, Davidici cæsis Absalomitarum viginti millibus, cæteros in fugam cogunt. *Absalom* perplexe quercui hærente cæsarie, inter cœlum & terram pendulus, tribus lanceis a *Joabo* confoditur, *Davidis* Regis mandata minimè curante, qui perduellem filium incolumem servari jusserat. Insignis victoria, recuperatum Regnum, Patrem de filii morte non solantur: In lachrymas & questus effunditur Majestate indignos, nisi pietas ipsos extorqueret. *Fili mi, Absalom*, inquit, *Absalom fili mi: Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?*

David a Tribulibus suis Hierosolyma reducitur, conjuratos sibi conciliat, *Semei* veniam petenti parcit, & *Abisaï* ab ejus cæde cohibet. *Quid mihi*, inquit, *& vobis filii Sarviæ? Cur efficimini mihi hodie in Satan? Ergone hodie interficietur vir in Israël? An ignoro hodie me factum Regem super Israël? Et ait Semei: Non morieris. Juravitque ei.* (2. Regum 19.) Tumultuantibus Israëlitis, quòd in rege reducendo priores non fuissent eorum partes, *Sebâ* filio *Bochri* seditionis auctore, *David* jussit *Amasa*, quem Ducem Exercitûs constituerat, ut perduellem persequeretur. Amasam *Joabus* invidiæ, & furoris æstu percitus, simulatâ amicitiâ, dato osculo, suavi sub nomine fratris perfidiam occultans, interfecit. Mox præfecturam Exercitûs usurpans, *Abelam* Urbem munitissimam, in quam se perduellis *Seba* receperat, obsidione cinxit. Comparatis ad mœnia diruenda bellicis instrumentis, Mulier sapiens de civitate cum *Joabo* collocuta civitatis libertatem *Seba* capite statim e muris projiciendo pacta est. Quod ubi eâ suadente ab obsessis præstitum est, *Joab* signo receptui dato, obsidionem solvit. (II. *Regum* 20.)

*Pestilentia ob censum Populi a Davide institutum* VII. Novum *Davidis* peccatum novam calamitatem, non domesticam modò sed publicam arcessivit. Cùm enim ambitione incitatus universi populi censum instituisset, famis vel gladii, vel pestis optio per *Gadem* Prophetam illi proposita est: Famis, inquam, triennis, belli trimestris, aut triduanæ pestilentiæ. Septem annorum fames 2. *Regum* Cap. ultimo, trium dumtaxat annorum 1. *Paralipomenon* 21. proponitur. Sed primo loco septem dicuntur, comprehensis annis famis, quâ Israëlitæ quarto jam anno premebantur ob injustam Gabaonitarum cædem a *Saule* Rege patratam .... In posteriori loco tres tantùm proponuntur, nullo ad præcedentes illos habito respectu. *Josephus*, *Origenes*, *S. Ambrosius*, *Theodoretus*, alii, tres tantùm annos famis *Davidi* propositos asserunt. Nec plures habet Versio 70. Interpretum *Lib.* 2. *Regum*. Pestem *David* elegit, malum Regibus æquè ac subditis imminens, præfatus, *Melius esse incidere in manus Dei, quàm in manus hominum.* Immisit ergo Dominus pestilentiam in Israël, *de mane usque ad tempus constitutum*, quâ perierunt *septuaginta millia virorum*. Angelus majorem stragem editurus, Deo miserente, *Davide* supplicante cohibetur. *Ego sum*, inquit, *qui peccavi, ego iniquè egi: Illi, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* Interim Propheta *Gad* ad Davidem iterum missus, eum monet ut in *Arauna Jebusæi* areâ Altare construat, & Sacrificia offerat, quibus Deus placetur. *Arauna area* fuit in Monte Moria, in eo ipso loco in quo *Isaac* olim oblatus, & Templum postea conditum est. (2. *Paralipomenon* 3. 1.) Proinde Deus per Prophetam Altare jussit ibi extrui a *Davide* & victimas mactari. *David* mandato statim obsecutus *Araunam* adiit, virum ditissimum, sibique amicissimum, qui non solùm aream, sed & boves in holocaustum & plaustra boum pro ligno, & triticum pro oblatione, Regi gratis obtulit. Sed *David* nonnisi de proprio holocausta Deo offerre voluit. Emit igitur aream & boves *quinquaginta siclis argenti*, ut legitur II. *Regum* postremo capite, vel *siclis auri justissimi ponderis sexcentis*, ut habetur 1. Paralipomenon 21. 25. *Davidis* Sacrificia sibi accepta esse Deus ostendit, holocaustis igne cælesti consumptis. [2. *Regum* 34.]

VIII. Quæritur primò, Quis sit istorum verborum sensus: *Immisit Dominus pestilentiam in Israël, de mane usque ad tempus constitutum?* *Nonnullæ difficultates solvuntur.*

Respondent nonnulli Commentatores, His verbis, *usque ad tempus constitutum*, intelligi tempus illud quod Deus ad pestem futuram condixerat, id est integrum triduum. Sed alii hanc interpretationem meritò rejiciunt. Nam statim Versu sequenti legitur: *Cùmque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti Populum, Sufficit. Nunc contine manum tuam.* At Deus non diceretur misertus Populi, & Angelum repressisse, si plagâ jam omnis quam Deus fuerat comminatus, ab Angelo fuisset illata. Præterea, quicquid matutino tempori opponitur, ejusdem diei pars esse debet, sive sit pars indefinita, ut *Ruth* 2. 7. *De Mane usque nunc stat in agro:* sive sit definita pars, puta Meridies ut 3. Regum 28. 26. *Invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem:* Aut vespere quòd multò est frequentiùs, puta mane & vespera sunt diei partes maximè oppositæ. Sic Exodi 18. 13. Job 14. 20. *De mane usque ad vesperam immutabitur tempus.* Actuum 28. de S. Paulo dicitur: *Exponebat testificans Regnum Dei, suadensque ei de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis a mane usque ad vesperam.* Itaque cùm legitur pestis immissa fuisse *a mane usque ad tempus constitutum*, haud dubiè tempus illud ad illum ipsum diem pertinet, cujus mane ipsi est oppositum. Sed quænam sit illa pars diei, inter omnes non convenit. Septuaginta Meridiem intellexerunt, verteruntque: *Usque ad prandii tempus.* Quos sequuntur *Josephus*, *Theodoretus*, & *Suidas*. Chaldæus reddit: *A tempore quo immolatur juge sacrificium usquequo adoleatur.* Syrus: *Usque ad horam sextam.* Arabs: *Ad horas sex diei*; id est, ad Meridiem

diem usque. *S. Hieronymus*, seu quisquis est Auctor *Traditionum Hebraicarum* in Lib. 2. Regum. *Tempus constitutum* interpretatur, *quando sacrificium vespertinum offerebatur*.

Quæritur secundò, quomodo conciliari possit locus 2. *Regum*, Cap. 19. ubi dicitur *Davidem* ab *Areunâ* emisse *aream & boves argenti siclis quinquaginta*, cum 1. *Paralipomenon* 21. 25. ubi dicitur emisse *Siclis auri justissimi ponderis sexcentis?*

Responsio triplex afferri potest. Primò, *Davidem* pro areâ Altaris & bobus, dedisse siclos argenteos quinquaginta: At verè postea pro totâ areâ *Areunæ*, ut in eâ a *Salomone* fabricaretur Templum, dedisse siclos aureos sexcentos. Altera responsio est S. Hieronymi, seu alterius potiùs Auctoris *Traditionum Hebraicarum in Libros Regum*, inter ejus Opera, *Davidem*, solos boves quinquaginta siclis, & aream sexcentis siclis comparasse. Illud in priore loco, hoc in posteriore haberi. At hæc Responsio cum Textu sacro non convenit. Priore enim loco non boum dumtaxat, sed & areæ pretium indicari manifestum est: *Emit ergo David aream & boves argenti siclis quinquaginta*. Tertia, eaque omnium optima Responsio est, hos quinquaginta siclos vocari *argenti*, id est pecuniæ: [ Hebræi enim æquè ac Galli pecuniam *argentum* vocant. ] Reverâ tamen fuisse aureos. Quinquaginta autem siclos aureos valere sexcentos siclos argenti. Una enim libra, drachma, vel uncia auri valet duodecim argenteas, teste *Platone* in *Hipparcho*, ubi *Socrates Hipparchum* sic interrogat: *Si qui dimidiam auri libram impendit, duplum argenti reportet, dic utrùm lucrum an jacturam fecerit?* Et respondet Hipparchus: *Jacturam sanè, o Socrates. Nam pro duodecuplo non nisi duplum auro ipsius rependitur*. Siclos itaque, quorum fit mentio in Paralipomenis, fuisse argenteos, qui tamen dicuntur auri, ratione materiæ, non ratione valoris. Quia in auro persoluti sunt: sed singuli aurei pretio duodecim argenteos æquabant: ac proinde quinquaginta illi sicli sexcentis argenteis æquivalebant. His observatis, Historiam Davidis persequamur.

*Adoniæ conjuratio. Inauguratio Salomonis.*

IX. *David* septuagenarius adeò effœto fuit corpore, ut pannorum adjectione calefieri non posset. Unde ad eum fovendum *Abisag* Sunamitis puella delecta est, quam Rex intactam reliquit. *Adonias* occasione ex Patris infirmitate captatâ, *Joabi* & *Abiatharis* consilio Regnum occupat. Quâ de re *David* per *Nathan* Prophetam & *Betsabee* certior factus, *Salomonem* a *Sadoc* Sacerdote, *Nathane* Prophetâ, & *Bananiâ* filio *Jojada* Gihonem perductum, Regem ungi jubet. Quod audiens *Adonias*, ad Aram pro salute confugit, promissoque obsequio, veniam a *Salomone* obtinet. [ 3. *Regum* 1. ]

*Extrema Davidis.*

*David* imminente morte præparat necessaria ad ædificationem Templi, ac *Salomonem* ad illud extruendum hortatur, nec non ad Deum religiosè colendum, ejusque Legem observandam. Mox recensitâ *Joabi* perfidiâ in *Abnerum* & *Amasam* Duces, nec non *Semei* virulenti conviciatoris scelere, jubet ut ipsos in sepulcrum impunè deferri non sinat. *Davidis* exemplo Principes ac Populus donaria plurima ad Templi structuram conferunt. Tum precibus a *Davide* fusis, laudibus Deo datis, oblatisque Sacrificiis, *Salomon* secundò in Regem unctus est. ( 3. *Regum* 3. 1. *Paralipomenon* 21. 28. 24. )

X. Obiit *David*, non Regiâ tantùm Dignitate, sed Prophetico etiam Munere insignis, ut ejus Psalmi probant, anno ætatis septuagesimo, regni quadragesimo. Regnavit enim Hebrone septem annis, & Hierosolymis annis triginta tribus ( 3. *Regum* 2. 1. *Paralipomenon* 29. ) Ipsius tumulo hoc inscribendum Elogium, quod *Ecclesiastici* 47. legitur: *Quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israël. Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium in juventute suâ. Numquid non occidit Gigantem, & abstulit opprobrium de gente? In tollendo manum, saxo funda dejecit exultationem Goliæ: Nam invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dexterâ ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu Gentis suæ. Sic in decem millibus glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ. Contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philisthiim contrarios usque in hodiernum diem.... In omni opere dedit confessionem Sancto, & Excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam. Et stare fecit Cantores contra Altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent Nomen Sanctum Domini, & amplificarent mane Dei Sanctitatem. Dominus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ejus: Et dedit illi testamentum Regni, & sedem gloriæ in Israël.*

---

## ARTICULUS III.

### *De Salomonici Regni initiis.*

*In Adoniam & conjurationis ejus conscios Salomon animadvertit.*

I. SAlomone Regnum ineunte, *Adonias* ejus frater, intercedente Betsabee, *Abisag* Davidis olim concubinam, quæ casta manserat, in uxorem ab ipso postulavit; quem propterea ut affectati Regni reum *Salomon* interfici jussit. *Abiatharem* Sacerdotem e posteris *Heli*, conjurationis reum, Sacerdotio exutum, in agrum suum relegavit, donatâ illi vitæ usurâ & membrorum incolumitate, quòd Arcam Domini coram *Davide* portasset, ejusque laborum fuisset particeps. In locum *Abiatharis* unctus est *Sadoc* ex posteris Phinees. *Joab* sibi metuens ad Tabernaculum Domini confugit, Aramque complexus, cùm inde amoveri non posset, a *Banajâ* filio *Jojada* jussu Regis interfectus est, qui & eumdem *Banajam* Exercitûs Ducem constituit. *Semei* quoque, qui *Davidem* conviciis lacessiverat, pœnas dedit. Hierosolymis enim egressus contra Regis mandata, fidemque juramento firmatam, capitis damnatus est. Sic conjurationis Auctoribus e medio sublatis, tranquillum Regnum *Salomon* obtinuit. [ 3. *Regum* 2. ]

*Sapientia divinitus infusa Salomoni.*

Pharaonis Ægypti Regis filiam uxorem duxit. Gabaone, ubi erat Tabernaculum fœderis, & Altare a *Moyse* constructum, mille holocausta obtulit. Ibi optione ei in somnis datâ petendi quod vellet, sapientiam elegit, & a Deo obtinuit his eum verbis compellante: *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi: Divitias scilicet & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in Regibus cunctis retro diebus.* Primum sapientiæ cœlitus concessæ specimen in Judicio duarum mulierum meretricum de infante recens nato litigantium dedit. Infantem vivum per medium gladio discindi jussit, earum affectum exploraturus, & utrique partem tribui. Germana parens, commotis visceribus, pueri necem deprecata est. *Obsecro*, in-

inquit, *Domine, date illi infantem vivum?* Altera e contrario: *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur*, Rex veram esse matrem ex affectu conjiciens, dari illi infantem vivum decrevit. Cujus fama Judicii magnam ipsi auctoritatem & reverentiam apud subditos conciliavit. (3. *Regum* 3.) Cœlestem illam sapientiam his verbis describit Spiritus Sanctus: *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in litore Maris. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus, & erat nominatus in universis gentibus per circuitum. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas; & fuerunt carmina ejus quinque & mille. Et disputavit super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete; & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et veniebant de cunctis Populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis Regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.* (3. Regum 4.) Porrecto a *Gazâ* Palæstinorum ad *Euphratem* usque ac Ægypti terminos Imperio, summâ pace fruebatur, opibus immensis, rerum omnium copiâ, vicinorum Regum amicitiâ securus, cùm de Templi fabricâ cogitavit. Inito cum *Hiramo* Rege Tyri fœdere, materias ad structuram certis conditionibus ab ipso obtinuit. [3. *Regum* 5.]

## CAPUT VI.

### DE HISTORIA QUARTÆ Ætatis, ut ab Hebræis confirmatâ vel interpolatâ.

#### ARTICULUS I.

*De Mosis Historiâ.*

I. ÆZECHIELUS Tragicus Hebræorum Poëta, Hebræorum Exitum ex Ægypto, duce *Moyse*, explicat in Dramate quod Ἐξαγωγὴ inscribitur, cujus fragmenta refert *Eusebius* Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ Cap.*29. *Hebræorum exitus ex Ægypto, ex Ezechielo Poëta.*

*Ut Pharao patriis extulit laribus gradum,*
*Rigido Phalanges ære metuendas agens,*
*Equitumque turmas, & graves currus trahens,*
*Tot illa ferro millium facies minax,*
*Alis, simulque Ducibus horrorem ciet.*
. . . . . . . . . . . . . . .
*Ut nudus acies vidit Hebræus novas,*
*Ferale subitò exclamat, ac cælo manus,*
*Oculosque tendens, patrium Numen vocat.*
*Circum tumultu cuncta malè sano fremunt.*
*At verò nostri gaudio ingenti natant.*
*Beelsephontis quà procul se se objicit,*
*Adversa castris castra terrorem movent.*
*Sed quando pronum Phœbus inclinat diem,*
*Conserere pugnam mane sub primum placet,*
*Armis & acri Militum fretis manu.*
*At ecce Pharios territat monstris Deus.*
*Ingens columna nubibus densis coit,*
*Fixoque Hebræos inter ac nostros pede*
*Sublimis hæret. Ductor hic Virgam arripit,*
*Quâ tot gementem mersit Ægyptum malis.*
*Nostrumque fregit mille portentis genus.*
*Arripit & alti verberat dorsum Maris.*
*Discedit ictu Pontus, & falsas gradu*
*Subit incitato Populus Isacidûm plagas.*
*At nos fugaces voce sublatâ sequi,*
*Mediâque nocte quam præit Moses viam,*
*Hanc ultrò premere. Gravior at subitò rota,*
*Vinctosque currus pondus insolitum tenet.*
*Ingens repente fulgore cælo micat,*
*Ardetque flamma similis. Auxilium Deus,*
*Deus ipse miseris dexter auxilium tulit.*
*Isacia ripis steterat adversis Phalanx.*
*Immane Pharios unda jam circùm latrat.*
*Fugiamus eheu, Miles exclamat, Deus*
*Suos potente dexterâ Hebræos tegit,*
*Ferale nobis ultor exitium creat.*
*Dum loquitur, alto clauditur fluctu via,*
*Totasque Rubrum copias haurit Mare.*

II. *Demetrius*, patriâ quoque Hebræus, de Israëlitarum exitu ex Ægypto, de Maris Rubri transitu, de ligno quodam in amariorem fontem immisso, qui subitò aquâ suaviore fluere cœperit, de duodecim aquæ fontibus cum septuaginta palmarum caudicibus ad Elymum inventis, &c. eadem commemorat, quæ ab ipso *Mose* in Sacris Literis traduntur, teste *Eusebio* Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ Cap.*29. *Demetrii Hebræi Scriptoris cum Mose consensus.*

III. *Josephus* Libro 2. *Antiquitatum Judaicarum* Cap. ultimo, transitûs Hebræorum per Mare Rubrum Historiam narrat. *Moysem* sumptâ virgâ Deo supplicasse ait eâ orationis formulâ, qualem usurpare potuit, quam pro more Historicorum ipsi tribuit, sed quam *Moses* ipse silentio præterit. Scribit Moysem *Mare virgâ percussisse, quo ictu repente scissum, & retrorsum se recipiens, nudum solum Hebræis ad fugam capessendam reliquit.* At Scriptura Sacra non ait *Moysen* Mare percussisse, sed elevasse dumtaxat manum super Mare, prout Deus jusserat. Exodi 14. 16. *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super Mare, & divide illud.* 21. *Cùmque extendisset Moyses manum super Mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi.* 27. *Cùmque extendisset Moyses manum contra Mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum.* *Josephi errores in Mosis Historia.*

*Josephus* Miraculum, quod in Transitu Maris Rubri contigit, quodammodo elevat, in dubium revocans an in Dei supra naturæ vires operantis voluntatem & omnipotentiam, an in causas naturales, recessus Maris Rubri, quo iter Hebræis in adversum litus pateret, sit refundendus; & simile quid *Alexandro Magno* contigisse asserit: Ac demum lectoris judicio totum id permittit. *Nemo autem*, inquit, *mirari debet tanquam incredibilia, si priscis hominibus, & ad militiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus via per Mare patuit, sive Dei voluntate, sive naturæ sponte: Quandoquidem heri & nudius tertius Alexandri ductu Macedonibus Pamphilium Mare cessit, & aliam viam non habentibus illac iter aperuit, cùm Deus ejus operâ ad destruendum Persarum Imperium uti decrevisset: Id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt. Sed de his, ut cuique libet, ita sentiat.* Nihilominus *Josephum* excusant Viri Eruditi, quibus videtur ad captum Ethnicorum, quibus scribebat, se attemperasse, ut probabilia quoquo modo redderet, quæ ipse sine dubitatione credebat: Atque illos tacitè accusare imprudentiæ, qui similia miraculis ex profanis Scriptoribus afferant, eisque non ægrè præbeant assensum, & Divinis tamen Literis fidem negent. Sed de hoc fusiùs in Dissertationibus.

IV. Fabulantur Hebræi, *Aminadab* Principem Tribûs Juda primum in viam divisi Maris se dedisse, reliquis hæsitantibus, ac propterea Tribum Juda Principatum super cæteras promeruisse. At *Josephus Moysi* hanc laudem defert Lib. 2. *Antiquitatum* Cap. ultimo. *Moses autem*, inquit, *vi-* *Hebræorum fabula.*

*videns adesse Deum, & mare de suo loco cessisse, primus progreditur, hortatus Hebraos ut alacriter sequantur per viam divinitus datam, & læti præterito periculo gratias agant ob tam incredibilem salutis rationem tam subitò exortam. Illi verò divinâ ope freti, impigrè subsequuntur.* Et S. Hieronymus hanc Hebræorum Traditionem fabulam appellat Commentario in Cap.11. Osee. *Tradunt*, inquit, *Hebræi hujusmodi fabulam: In exitu Israël ex Ægypto, quando ex aliâ parte Mons, ex aliâ Rubrum Mare, & ex aliâ Pharaonis cingebatur Exercitus, & inclusus Populus tenebatur, cæteris Tribubus desperantibus salutem, & aut reverti in Ægyptum, aut bellare cupientibus, solus Juda fideliter ingressus est Mare: Unde & Regnum meruit accipere; & hoc esse quod nunc dicatur; Judas testis sermonum Dei, & astipulator ac vindex, descendit cum Deo in Mare, & inter Sanctos fuit fidelissimus, ut verbis jubentis crederet Dei. Hoc illi dicunt.*

*Totum Mare Rubrum ab Hebræis transmissum.*

V. Rabbini quidam commenti sunt filios Israël non totum Mare Rubrum transmisisse, sed ductos intra illud longo circuitu seu semicirculo, demum ad litus, unde progressi fuerant, rediisse. Hoc figmentum, quod & *Tostatus* & *Petrus Burgensis* secuti sunt, hoc uno Scripturæ Sacræ testimonio satis refellitur, Numerorum 33. 8. *Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium Mare in solitudinem.* Sed ne ipsos inauditos damnare videamur, hanc Quæstionem in Dissertationibus discutiemus.

*Duodecim viæ in Mari Rubro apertæ non fuerunt.*

VI. R. *Aben-Ezra*, aliique Hebræi, quos *Origenes Homiliâ 5. in Exodum, S. Epiphanius Hæresi 64. Petrus Comestor, Tostatus*, & *Genebrardus* secuti sunt, asserunt non unicam in Mari viam patefactam, sed duodecim pro numero Tribuum. Quod illo versu Psalmi 135. confirmari putant. *Qui divisit Mare Rubrum in divisiones.* At fabulam illam satis refellit Scripturæ Sacræ silentium; unius viæ latitudo sufficiens ad transitum Populi; unicæ viæ mentio Sapientiæ 10. 17. 18. *Deduxit illos in viâ mirabili.... Transtulit illos per Mare Rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam.* Cap.19. Et 7. *Ex aquâ, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in Mari Rubro via sine impedimento.* Denique *Theodoretus* Quæstione 25. in *Exodum* commentum istud rejicit. *Quidam ferunt*, inquit, *divisum fuisse Mare Rubrum duodecim sectionibus, & unamquamque Tribum seorsim transiisse, idque putant Beatum David his verbis dixisse:* Qui divisit Mare Rubrum in divisiones. *Ego verò existimo bifariam tantùm Mare fuisse divisum, Quemadmodum Scriptura Divina docet, dicens:* Aqua autem erat illis murus a dextris, & murus a sinistris: *Latamque viam fuisse, & numero transeuntium convenientem.* Deduxit enim, *inquit*, eos in abysso, sicut in deserto. *Quod videtur indicare amplitudinem viæ patentis. Non tamen ille prior intellectus rationibus pietatis adversatur. Utrumque enim est opus divinum & admirandum. Sequi tamen debemus Sacræ Scripturæ veritatem:* Et in Psalmi 135. Vers.13. *Nonnulli*, inquit, *Judæorum fabulas secuti, dixerunt divisiones Mari Rubro æqualis numeri cum duodecim Tribubus factas esse, quoniam Propheta non divisionem, sed divisiones dixit. Oportebat autem scire ipsos Mare bifariam sectum, ac duo ex uno facta fuisse. Nam aqua ipsis murus erat a dextris, & murus a sinistris. Quapropter sectionem Maris in duas partes divisiones appellavit.*

*Exod. 14. Psalm. 105.*

*Exod. 16. 24.*

VII. Eorum quæ in quintâ mansione, scilicet in *Marâ* contigerunt, narratio multifariam a *Josepho* est interpolata Lib.3. *Antiquitatum*, Cap.1. *Recentem hanc lætitiam*, inquit, *ex insperato acceptæ salutis offuscavit nonnihil itineris molestia, quo per deserta in Sina Montem ducebantur: Quòd emetienda esset regio difficilis propter ciborum & aquarum extremam inopiam, & ne brutis quidem alendis, nedum hominibus idonea. Erat enim tota squallida, & nihil omnino humoris habens, unde fructus provenire solent. Talem autem viam necessariò sunt ingressi, cùm aliam non possent: Deferebantque secum aquam priusquàm Desertum intrarent haustam, Duce ita præmonente. Quâ absumptâ, puteos magno labore, propter duritiem terræ, fodientes aquabantur: Ac ne sic quidem vel satis bonam, vel quantùm sufficeret, inveniebant. In hunc modum iter facientes, perveniunt primâ vesperâ in locum quemdam, cui propter aquas vitiosas nomen fecerunt Mar, amarorem vocabulo significante? Ibique lassi de viâ, & commeatu quoque jam absumpto inopiam sentire incipientibus, divertere placuit. Invitabat ad manendum puteus fortè repertus, qui tametsi tantis copiis non posset sufficere, nonnihil tamen solatii propter naturam regionis præbebat. Audiebant enim nihil aquæ in progressu se inventuros. Hæc ipsa quoque amara fuit, & nulli potabilis, non homini solùm, sed ne jumento quidem... Ad preces igitur versus orat ut Deus mutatâ aquâ ex vitiosâ potabilem reddat: Quo annuente hanc gratiam, arripit frustum ligni fortè ibi jacens, & medium per longitudinem scissum in aquam mittens, docet Hebræos Deum exauditis precibus pollicitum daturum se aquam desiderantibus, si graviter jussa peragerent. Quibus rogantibus, quid facto opus sit ut aqua mutetur, jubet robustissimum quemque certatim puteum exhaurire, dicens majore parte evacuatâ, reliquum potabile fore, quo facto aqua agitatione continuatâ purior reddita, potum jam non aspernandum multitudini exhibuit.*

In multis peccat hæc *Josephi* narratio. Primò ait, Israëlitas talem viam necessariò ingressos esse, cùm aliam non possent. Id verò falsum est. Poterant enim ingredi Palæstinorum viam, etiam post transgressum Arabicum Sinum, itinere ad Occidentem reflexo: Sed columna ignis & nubis aliò ducebat. Secundò, puteos effossos indicat, præter Scripturæ Sacræ fidem, quæ putei non meminit, nisi *Numerorum* 21. 16. post quadraginta fermè annos. Tertiò ait, Hebræos *primâ vesperâ* pervenisse in *Marâ*, repugnante Scripturâ, quæ post triduum duntaxat ipsos illuc pervenisse testatur, Exodi 15. 22. *Tulit autem Moyses Israël de Mari Rubro, & egressi sunt in Desertum Sur: Ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara.* Et Numerorum 33. 8. *Et ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Marâ.* Quartò, commeatum tunc absumptum falsò scribit; cùm Manna pluere cœperit deficiente commeatu, quod ante decimumquintum diem secundi Mensis non contigit, ut Scriptura testatur *Exodi* 16. 1. cùm autem ad *Mara* perventum est, decimus ad summum dies ab exitu ex Ægypto numerabatur. Præterea, secum pugnat *Josephus*, qui Hebræos sufficientem ad triginta dies commeatum ex Ægypto extulisse asserit *Lib.2. Antiquitatum*, Cap.5. *Cùmque*, inquit, *nihil per viam invenirent propter solitudinem, maceratâ farinâ, & modico calore in speciem panis solidatâ se sustentabant: Quo victu per triginta dies sunt usi. Neque enim plus commeatûs Ægypto extulerant: Atque eum ipsum parcè dispensabant ad necessitatem magis quàm ad satietatem.* Quintò, scribit Hebræos audivisse, nihil aquæ in progressu se inventuros. Unde verò id audiverunt in deserto, ubi nemo homo occurrebat? Nonne in proximâ ad *Elim* Mansione duodecim fontes repererunt? Sextò, ait *Mosem* arripuis-

puisse frustum ligni fortè ibi jacens, quasi id casu factum sit; cùm Scriptura testetur Deum *ostendisse ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt*. Septimò, ait *Mosem* medium ligni per longitudinem scissum in aquam misisse. De quâ scissione Scriptura Sacra silet. Octavò, quasi sola ligni a Deo indicati virtus, ejusque in aquam injectio secundùm divinum mandatum, ad eam dulcem & potui aptam reddendam non suffecisset, comminiscitur aquam ex puteo illo suo evacuatione & continuâ agitatione dulcem factam esse. Quâ in re non solùm contra Scripturæ fidem, sed & contra Physicam peccat *Josephus*. Quis enim nescit agitationem quidem reddere aquam limpidiorem, non verò ejus naturalem qualitatem mutare, ut ex amarâ dulcis fiat? Alioquin maris aquæ post tempestatem potabiles essent: Nec unquam nautis deessent aquæ potabiles; Siquidem aquas maris multâ agitatione dulces & potui aptas efficere possent.

*Exod. 15. 25.*

VIII. Idem *Josephus* de sextâ Mansione in *Elim* verba faciens, historicam veritatem suis commentis inquinat. *Hinc*, inquit, *castris motis pervenerunt Elim, agrum, ut primo aspectu e longinquo videbatur, non malum. Ferebat enim palmas. Ut verò propriùs est ventum, fefellit omnem expectationem: Palmæ enim non plures erant quàm septuaginta, eæque non admodum proceræ propter loci ariditatem. Nam ne a fontibus quidem rigabantur, qui duodecim eo loco erant, sed non ita largi ut emissis rivulis humiditatem terræ subministrarent. Quare ad egerendam arenam versi, in nullas venas incidere poterant, & si quid modicum distillaret, fossione turbatum inutile ad potum reddebatur. Arbores quoque non multum fructum ferebant propter eamdem aquarum inopiam. Quamobrem exortum est murmur multitudinis contra Ductorem, omnem miseriæ suæ causam in illum unum conferentis. Triginta enim dierum itinere confecto, commeatum omnem, quem secum extulerant, jam absumptum desiderabant*. In duobus errat *Josephus*. Arbores non proceras, non rigatas aquis; fontes non copiosos & abundantes; arenosum locum, egestas fossione arenas, de suo prodit, Scripturâ Sacrâ nullatenus suffragante, *Philone* repugnante *Lib. de Vitâ Mosis*, nec non *Ezechielo* Poëtâ in suâ Eductione, ubi de palmis, fontibusque duodecim hæc habet, ab *Eusebio Lib. 9. Præparationis Evangelicæ* Cap. 29. descripta.

*Quàm latus illic, molle quà spirans nemus*
*Vallem coronat, obtulit se se locus,*
*Attende Moyses; nam vel hinc sedem quoque*
*Spectare possis. Inde se primùm extulit*
*Columna flammæ similis, ac signum dedit.*
*Mox viride opaco cernitur pratum solo,*
*Liquidique latices: Quippe luxurians humus*
*Petrâ ex eâdem fonte duodeno scatet.*
*Septena decies palma robustis viret*
*Subnixa truncis, atque fœcundos agens*
*Sublimè ramos tollit; atque undis ferax*
*Abundè pecori pabulum tellus creat.*

Secundò, in eo errat *Josephus*, quòd murmur Populi ad octavam Mansionem, scilicet, ad Desertum *Sin* excitatum, ad sextam intempestivè referat, Mansione septimâ prætermissâ.

*Ezechieli Poëtæ figmentum.*

IX. *Ezechielus* Avem quamdam Israëlitis in eâdem Mansione oblatam memorat, quam sic describit:

*Occurrit exin aliud animantis genus,*
*Monstrique simile, nemini visum antea.*
*Insuetatâ mole geminatam ferè*
*Adæquat Aquilam: Multiplex pennas color*
*Subinde mutat, purpurâ pectus rubet.*
*Miniata rutilant crura: Villosam aureo*
*Profunda vestit pluma cervicem croco.*
*Subflavus extat oculus; in medio teres*
*Pupilla cocco similis ardenti micat.*
*Vocem ore mittit omnium suavissimam.*
*Atque is volucrum facilè se Regem probat,*
*Sic omnis illum trepida subsequitur cohors,*
*Ipse velut altum Taurus attollens caput,*
*Princeps citato graditur exultans pedo.*

Quæ cùm in Scripturâ Sacrâ non referantur, figmenta Poëtica censenda sunt.

X. *Josephus* Lib. 3. Cap. 1. de Mannâ sic loquitur; *Dum Moyses precabundus palmas attollit, ros de cælo delabitur: Qui cùm manibus ejus hærens concrevisset, suspicatus ille hanc quoque alimoniam a Deo demitti, degustat: lætusque re compertâ, turbam ignaram & putantem hybernâ tempestate ningere, monet opinione falli, nec vulgarem rorem de cælo descendere, sed alimoniam, quæ ope aliâ destitutos periculo famis eximeret; Ac mox prægustatum offert, ut experto crederent*. 1. Precum *Moysis*, cùm primùm Manna decidit, nulla in Scriptura mentio. 2. Nec ros in Mannâ concrescebat, nec erat materia Mannæ, sed simul cum Mannâ depluebat. (Numerorum 11. 9.) *Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man*. 3. In manus Moysis non allabebatur ut concresceret, siquidem non intra castra, sed in circuitu castrorum cadebat. [Exodi 16. 13.] 4. Non solùm suspicatus est *Moyses* hanc alimoniam a Deo immitti, neque opus fuit ut illud gustu experiretur; siquidem divinâ revelatione & recenti promissione eâ de re certissimus erat. *Exodi 16. 4. 5.*

*Hebræorum fabulosa Traditio.*

XI. Tradunt Hebræi, Aquam quæ ex petrâ Montis *Horeb* a *Moyse* percussâ manavit, totis quadraginta annis, quibus peregrinati sunt in Deserto, tanquam fluvium per omnes Mansiones jugiter profluxisse. At hoc ipsorum figmentum refellit nova penuria aquæ in trigesimâ tertiâ Mansione Cades, & murmur gravissimum Populi inde excitatum. (*Numerorum* 20.)

*Error multiplex Josephi.*

XII. *Josephus* Lib. 3. *Antiquitatum* Cap. 3. & 4. de Lege *Moysi* a Deo datâ in Monte Sinai ita scribit; *Interea dum his locis Populus hæret, Moyses pro concione ait, Se ire in Montem Sina collocuturum cum Deo, & aliquid utile eis inde reportaturum: Jubetque ut ipsi interim in propinquo castrametentur, viciniores Deo futuri. His dictis, ascendit Sina Montem... Hebræi verò juxta mandatum Prophetæ motis castris, radices Montis occupant suspensis animis, quidnam boni, ita ut promiserat, esset a Deo reportaturus: Atque interim dum Doctorem suum expectant, festos dies agebant, castitatem servantes tum in cæteris, tum abstinendo a congressu mulierum per triduum, sicut jussi fuerant, & assiduis precibus Deum solicitantes, ut propitius Moysem excipiens, donum sibi per eum aliquod mitteret, quod ad vitam bene ac feliciter degendam conducibile foret. Interim & victu sumptuosiore utebantur, & ornatu splendidiore unà cum uxoribus ac liberis excolebantur; Atque in hunc modum duabus diebus inter epulas exactis, appetente jam tertiâ, nubes primùm præter solitum supra tota castra Hebræorum sublimis pependit, tentoria quàm latè patebant contegens, reliquum cœlum circumquaque clarâ serenitate obtinente: Procellæ deinde cum imbre vehementi ruebant, & fulgura simul crebrò micantia terrebant, fulminaque elisa significabant, Moysem ex sententiâ cum Deo propitio convenisse. Hæc lecturi, ut cuique placuerit, accipiant, mihi certè fas non fuit discedere ab illis, quæ in sacrâ Historiâ conscripta habentur. Cæterùm Hebræi visâ insolitâ tempestate, ejusque horrendo strepitu aures feriente, supra modum turbabantur. Nam & rei novitas terrebat, & rumor vulgatus de Monte quòd crebrò Deus eum inviseret. Quamobrem continebant se intra tabernacula mœsti, putantes actum de salute Moysis, & illo per iram Dei*

*sublato*

*sublato, se quoque simile exitium manere.*

Ab historicâ veritate, prout in Scripturâ Sacra narratur, multifariam discedit *Josephus*, in hoc uno capite, in quo se ab eâ non discessisse contestatur. Primò, *Moysem* triduò in Monte cum Deo colloquentem latuisse fingit, quem identidem a Deo ad Populum descendisse Scriptura testatur. *Exodi* 19. Secundò, cùm Deus jusserit sanctificari Populum in diem tertium, & ab uxoribus abstinere; ipse victum sumptuosiorem, epulasque quasi ad illum sactificationis apparatum conducentes, de suo addit. Tertiò, ait *Moysem* Populo spopondisse, se aliquid boni in ejus utilitatem reportaturum, Populumque Deum triduò exorasse, ut propitius *Moysem* excipiens, donum sibi per eum aliquod mitteret. Quâ de re nihil prorsus in Scripturâ Sacrâ legitur. Quartò, ait, appetente jam tertiâ die nubem præter solitum supra tota castra Hebræorum sublimem pependisse, tentoria quàm latè patebant contegentem. At Scriptura Sacra nubem operuisse Montem dumtaxat, non castra, testatur. Exodi 19. 16. *Jamque advenerat tertius dies, & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire Montem.* Et si nubes castra operuit, id insolitum non fuit... Quintò, omisit sonitum buccinæ, cujus *Moyses* ipse meminit ibidem; *Clangorque buccina vehementiùs perstrepebat.* Et Vers. 19. *Et sonitus buccinę paulatim crescebat in majus, & prolixiùs tendebatur.* Sextò, *elisa fulmina* substituit loco ignis & fumi quasi de fornace ascendentis. Exodi 19. 16. *Totus autem Mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis Mons terribilis.* Septimò, ait Israëlitas continuisse se intra tabernacula mœstos, putantes actum de salute *Moysis*. At Scriptura eos extra tabernacula ad radices Montis stetisse testatur, Exodi 19. 17. *Cùmque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices Montis.... Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.*

XIII. *Josephus* Vituli aurei fabricationem & adorationem dissimulat. *Philo Lib.3. De Vitâ Mosis*, culpam in paucos improbos rejicit. *Cùm*, inquit, *Moses ascendisset in Montem, ibique aliquot diebus sine arbitris colloqueretur cum Deo, quidam inconstantes tanquam orbati Principe, absentiam ejus verterunt in impietatis occasionem, oblitique Dei veri, cœperunt figmenta Ægyptiaca æmulari, facto juvenco aureo, ad imitationem animalis ejus regionis sacratissimi.* Rabbi *Selomo* culpam refert in Proselytos Ægyptios, cultui Apidis a teneris addictos. *Tanchuma* Ægyptios Magos duos *Janem* & *Jambrem* sceleris auctores facit. Quæ figmenta contra Historiæ Sacræ veritatem disertè pugnant, *Exodi* 32. ubi crimen adorati Vituli Israëlitico Populo, non paucis improbis, aut Proselytis tribuitur. Vers. 1. *Videns autem Populus quòd moram faceret descendendi de Monte Moyses, congregatus adversùs Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro qui nos eduxit de Terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque Populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis Vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt de Terrâ Ægypti. Quod cùm vidisset Aaron, ædificavit Altare coram eo; & Præconis voce clamavit dicens; Cras solemnitas Domini est. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit Populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Vade, descende: Peccavit Populus tuus, quem eduxisti de Terrâ Ægypti. Recesserunt citò de via quam ostendisti eis: Feceruntque sibi Vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias dixerunt. Isti sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt de Terrâ Ægypti. Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cerno quòd Populus iste duræ cervicis sit: Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra Populum tuum, quem eduxisti de Terrâ Ægypti, in fortitudine magnâ, & in manu robustâ? .... Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversùs Populum suum.* Denique cùm *Moyses* proclamavit, *Si quis est Domini, jungatur mihi;* Id est, si quis idololatriæ purus: Levitas dumtaxat ad eum accessisse Scriptura commemorat, cæteris peccati conscientiâ trepidantibus: *Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.*

*Philonis & Hebræorum errores circa adorationem Vituli aurei.*

XIV. Ut *Aaronem* a peccato excusent, fabulas ineptissimas confingunt. Ita nugantur in *Vajebra Rabba*, Cap. 10. *Dixit Aaron apud se, Quid faciam? Jam occiderunt Hurem, qui Propheta erat: Si me insuper occidant, qui sum Sacerdos, in eis implebitur quod scriptum est* Thren. 2. 20. *An non occisi sunt Sacerdos & Propheta in Sanctuario Domini? Et statim in captivitatem abducentur. Aliter.* Et vidit Aaron. *Quid vidit? Si hoc Altare ædificent Israëlitæ, unus calculum, alter lapidem afferet, & uno momento perficietur eorum opus. At ego, si illud ædificem, lentiùs in opere meo procedam, & descendet interim Magister noster Moses. Præterea illi Idolis; at ego illud consecrabo nomini Dei Sancti Benedicti, prout scriptum est Aaronem proclamasse:* Cras erit festum Domino. *Neque enim scriptum est:* Cras erit festum Vitulo, *sed* Cras erit festum Domino. *Aliter.* Et vidit Aaron. *Quid vidit? Dixit apud se; Si Altare hi ædificent, ipsis hoc peccatum imputabitur. At ego malo ut mihi imputetur peccatum, quàm Israëli.* Omnia hæc ineptissima. Fictitia cædes *Huris*. 2. Jeremiæ Threnos ab *Aarone* laudatos ajunt, quasi Aaronis ævo scripti essent. 3. *Aaronem* vero Deo Vitulum consecrasse fabulantur. 4. Quod ajunt, *Aaronem* in hoc negotio lentiùs processisse, ex Scripturâ Sacrâ non apparet. Illâ enim ipsâ die, quâ Populus novos Deos petiit, *Aaron* inaures jussit afferri, a Populo oblatas fudit, in Vitulum conflavit, hunc Populo exhibuit, Altare ei fabricavit, & solemne festum in crastinum indixit. 5. *Aaroni* novum charitatis genus tribuunt, peccare scilicet pro alio, & Idololatris malle obsequi, ne, si obsistat, & illum occidant, id crimen illis imputetur. Sed de *Aaronis* peccato sermo redibit in Dissertationibus.

*Quomodo Judæi Aaronem a peccato excusent?*

XV. In *Tanchuma* R. *Jeremias* fabulatur *Aaronem* aurum in ignem conjicientem, oculis in cœlum intentis, tali oratione apud Deum se excusasse; *Ad te oculos attollo, o qui in cælo habitas, Tu qui es καρδιογνώστης, scis hæc illos me invito facere. Tum verò*, inquit, *Magi accedentes, magicis artibus Vitulum formarunt.* Ibidem alii fabulantur *Micham*, quem in Ægypto sub ædificio attritum, e mediis lateribus eripuerat *Moyses*, tabulam sustulisse, in quâ *Moyses* scripserat, *Ascende Bos:* & hanc in catinum, in quo erant inaures, cùm conjecisset, statim exivisse Vitulum mugientem. Hunc verò *exilientem* Israëlitę cùm vidissent, statim exclamasse: *Hi sunt Dii tui, o Israël.* Hanc fabulam novâ fabulâ illustrat R. *Selomo*. Ait nempe *Mosem* ideo laminę inscripsisse; *Ascende Bos*; ut eâ in Nilum conjectâ, *Josephi* feretrum educeret, quod Nilus inundaverat. Et in Vitulo probat fuisse spiritum vitę ex his *Davidis* verbis: *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Tale est quod in Capitu-

*De morte Mosis in Monte, Hebræorum fabula.*

lis

*lir Eliezer R. Juda* ad eumdem bovem refert *Isaiæ* verba: *Novit bos possessorem suum*. Neque minùs insulsum est, quod apud *Aben-Esram* Judæi Astrologi nescio quam Astrorum conjunctionem comminiscuntur in signo Tauri ad hunc Vitulum efformandum. Sed hæc recitasse, refutasse est.

XV. Moram *Moysis* in Monte, unde non rediit nisi post quadraginta dies exactos, occasionem dedisse Populo Deos, qui ipsum præcederent, ab Aarone postulandi, constat ex Cap. 32. Exodi V. 1. *Videns autem Populus quòd moram faceret descendendi de Monte Moyses, congregatus adversùs Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant*. Quæ sic Thalmudici Tractatu de *Sabbatho*, Cap. 9. interpolarunt: *Ne legas*, Moram fecit, *Sed*, Venerunt sex (*supple* horæ) *Quippe cùm in altum ascendit Moses; dixerat Israëlitis: In fine quadraginta dierum, in principio sex horarum* (a quibus incipiet dies quadragesimus) *sum rediturus. Cùm igitur dies illi quadraginta complerentur, venit Satan ut turbaret Mundum, & dixit illis: Ubi est Moses Doctor vester? Responderunt, Illum in altum ascendisse. At, inquit, venerunt sex horæ*, (intra quas se rediturum promiserat) *quod cùm illi non curarent, Mosem occubuisse addidit. At cùm nihilo magis moverentur, ostendit eis speciem feretri ejus: Tum verò Aaroni dixerunt: Nescimus quid de Moyse factum sit*, &c. In *Bereschith Rabba*, Sectione 41. Diabolus ipsum *Moysen* ostendisse legitur *suspensum inter cælum & terram*.

*Cur Moses Vitulum aureum in pulverem redegerit? Hebræorum fabula.*

XVI. Quòd *Moyses contrivisse* dicitur *Vitulum usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israël*: Hebræorum plerique ideo factum a *Moyse* fabulantur; ut idololatriæ reos cognosceret. Quomodo Sacerdos adulteras mulieres aquæ amaræ potu dignoscebat, ut habetur *Numerorum* 5. 27. Ita *R. Jonathan* in Chaldaicâ Paraphrasi: *Et potavit filios Israëlis. Et quisquis ibi dederat vas aliquod aureum* (ad vituli confectionem) *in ejus ore signum apparebat*. Ita *R. Aben-Esra*, signum ex aquarum potu *impressum*, ait, *in faciebus eorum qui vitulum coluerant: Aut ventrem eorum intumuisse. Alioqui*, inquit, *quomodo Levitæ eos cognovissent, qui vitulo servierant?* Ad Hebræorum fabulas accedunt, qui fingunt omnes idololatriæ reos, postquàm aquas aureâ scobe aspersas hausissent, barbâ aureâ fuisse insignes. Ita *Petrus Comestor* in Historiâ Scholasticâ. *Videns*, inquit, *Moyses sibi indicatos a Deo scelerum Auctores per pulverem bibitum, qui in barbis eorum miraculosè apparuit*. Ita *Nauclerus in Chronico Generatione* 27. Ita *Petrus De Rigâ* in Aurorâ suâ:

*Hebræi tradunt Mosem fecisse quod audis,*
*Ut sciret solos hac ratione reos.*
*Nam rutilans auro monstrabat barba nocentes,*
*Dum patulo latices fluminis ore bibunt.*

At Scripturæ Sacræ silentium hæc otiosorum hominum figmenta vanitatis arguit. Nulla enim ratio afferri potest, cur miraculum de barbis in aureum colorem aquæ potu mutatis *Moyses* siluisset. Præterea, si necesse fuisset Vituli cultores speciali notâ dignosci; barba auro concolor non sufficeisset. Erant enim in Populo imberbes multi, juvenes, pueri, mulieres, eunuchi, ad quos hæc nota non pertineret. Tertiò, aliquâ notâ non fuit opus, quâ Vituli cultores a fidelibus dignoscerentur, cùm Populus universus reus fuerit, Levitis exceptis, & aliis fortè paucissimis, qui ipsis ac *Moysi* adjuncti sunt ut scelus idololatrarum cæde promiscuâ expiarent. Nec tamen omnes idololatræ cæsi sunt a Levitis. Nam post promiscuam illam cædem populus adhuc fuit reus, & pro illo *Moyses* apud Deum ferventissimis precibus intercessit, Exodi 32. 30. *Facto autem altero die, locutus est Moyses ad Populum: Peccastis peccatum maximum: Ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro. Reversusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccavit Populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*. Frustra autem idololatriæ veniam Populo concedi *Moses* a Deo rogasset, si jam omnes Idololatræ fuissent occisi.

*Judæorum fabula circa tabulas Legis.*

XVII. Tabulas Legis ab initio Mundi creatas in opere sex dierum, Judæi fabulantur. Ita Chaldæa *Jonathanis* Paraphrasis ad Cap. 22. Numerorum. *Decem res*, inquit, *creatæ sunt post perfectionem Mundi, in ascensu Sabbathi, inter duas vesperas* 1. *Manna*. 2. *Puteus*, (de quo *Numerorum* 21. 16.) 3. *Virga Mosis*. 4. *Schamir* (id est, vermiculus, cujus operâ Salomon sidit lapides ad ædificationem Templi.) 5. *Iris*. 6. *Nubes gloriæ*, (de quâ *Exodi* 40. 38.) 7. *Os terræ* (quo *Core* cum suis adsorptus est. (*Numerorum* 16. 30. 32.) 8. *Scriptura Tabularum fœderis*. 9. *Dæmones*. 10. *Os loquens asinæ, quod eo momento aperuit verbum Domini*. His gemina sunt quæ habent Talmudici in *Pirke Aboth*, & in Tractatu *Pesachim*.

*Hebræorum Traditio de Lege orali.*

Non solùm Legem scriptam, sed etiam Legem Oralem *Moysi* a Deo traditam volunt. Quâ de re *R. Moses Maimonides* in Præfatione Summæ Talmudicæ, quam *Jad Chazakah* incripsit, hæc habet: *Præcepta quæ Mosi tradita sunt in Sinai, ea omnia data sunt cum expositione suâ juxta illud Exodi* 24. 12. Et dabo tibi tabulas lapideas, & Legem, & Mandatum, &c. Legem, *scilicet Legem scriptam*: & Mandatum, *id est, Expositionem ejus. Injunxit autem nobis Deus Legem observandam secundùm Mandatum. Mandatum est Lex quæ dicitur Oralis. Totam verò Legem manu suâ descripsit Moses Magister noster priusquàm moreretur; & singulis Tribubus Librum commisit: Unum reposuit in Arcâ pro testimonio, juxta illud Deuteronomii* 31.
„ Vers. 26. Sumite Librum Legis istius, & poni-
„ te eum e latere Arcæ fœderis Domini Dei ve-
„ stri: & sit ibi contra te in testem. *Mandatum autem, sive Expositionem Legis non scripsit Moses, sed imperavit eam Senioribus, & Josuë, aliisque omnibus Israëlitis, juxta illud Deuteronomii* 12.
„ Vers. 32. Omne verbum quod ego præcipio vo-
„ bis, illud custodiètis ut faciatis. *Ideoque vocatur Lex Oralis. Eamque Legem Oralem, quamvis non fuerit scripta, totam in Consistorio suo docuit Moses Magister noster Septuaginta Seniores. Eleazar, Phinees, & Josue, tres illam acceperunt a Moyse. Josue itaque discipulo suo tradidit, mandavitque Legem Oralem Moses Magister noster. Sic Josue quamdiu vixit, ore docuit, multique Seniores acceperunt a Josue. Heli accepit a Senioribus, & a Phinea. Samuel accepit ab Heli, & Consistorio ejus. David accepit a Samuele, & Consistorio ejus*, &c. Cæteros Legis Oralis Propagatores ibidem recenset, usque ad R. *Jehuda*, quem Hebræi vocant *Hakadosch*, id est, *Magistrum nostrum Sanctum*, qui Traditiones seu Legem Oralem in unum Volumen digessit, quod inscripsit *Mischna*; id est δευτέρωσιν sive *Legem Secundam*. Quam post annum Christi quingentesimum scriptam probat *Morinus Lib.* 2. *Exercitationum Biblicarum* Cap. 2. Lege & *Josephum de Voisin, in Observationibus ad Proœmium Pugionis Fidei, Raymundi Martini*.

*Mischna, a quo & quando edita?*

*Josephi a Scripturâ Sacra dissensus.*

XVIII. De *Raguelis* sive *Jethronis* ad *Moysen* accessu, consilioque ab ipso dato *Moysi* de Judicibus deligendis, *Josephus* cum Scripturâ Sacrâ non convenit. Sic enim ille, *Lib.* 3. *Antiquitatum* Cap. 3. *Cùm autem rei feliciter gestæ fama ad Raguelem quoque pervenisset, gratulabundus occurrit*.

Moy-

*Moysen, & Sephoram, & eorum liberos salutaturus.* At Scriptura Sacra non ait *Jetbronem* venisse ut *Sephoram*, ejusque filios inviseret, sed ut ipsam cum filiis ad *Mosen* reduceret. Exodi 18. 1. 2. 5. *Cùmque audisset Jethro, Sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, & Israëli Populo suo, & quod eduxisset Dominus Israël de Ægypto, tulit Sephoram uxorem Moysi, quam remiserat, & duos filios ejus... Venit ergo Jethro cognatus Moysi, & filii ejus, & uxor ejus ad Moysen in Desertum.* Consilium verò *Moysi* a socero datum his verbis exprimit Josephus: *Quin & illud pro virili consuluerim, ut lustratis ac recensitis copiis, ea in dena millia distribuas, singulis hujusmodi legionibus suos Duces præficiendo: Easque rursum in cohortes millenarias, quingenarias, centenarias, & quinquagenarias partiaris. Itemque in manipulos triginta, & viginti, & decem Commilitonum: Tum deinde ita distinctis Præfectos imponas, singulis appellatione a numero subditorum Militum inditâ. Judices autem veros virtute ac justitiâ præstantes Populi suffragiis creabis.* Scripturæ Sacræ narrationem *Josephus* perturbavit ac interpolavit, Magistratuum numerum pro arbitrio suo multiplicans. Sic enim *Jethro* Exodi 18. 21. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam; & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent Populum omni tempore.*

*Nadab & Abiu ob alieni ignis oblationem pereunt.*

XIX. Conflagrationis *Nadab* & *Abiu* filiorum *Aaronis* caussam fuisse eorum ebrietatem, R. *Simeon*, aliique Hebræi asserunt, & inde probare sibi videntur, quòd statim post ipsorum mortem Deus prohibuerit sub pœnâ capitis, ne Pontifex aliive Sacerdotes Tabernaculum testimonii adituri, vinum, aut quemvis alium liquorem, qui inebriare posset, biberent. Verùm hæc filiorum Aaronis ebrietas fictitia est: Siquidem Moyses *Deuteronomii* 29. 6. Israëlitas totis quadraginta annis vinum & siceram non bibisse testatur, quamdiu peregrinati sunt in Deserto. *Adduxit vos quadraginta annis per Desertum: panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis.* Causam alteram hujus cladis comminiscitur *Josephus* Lib. 3. *Antiquitatum* Cap. 9. quòd nempe *In Aram intulissent victimas, non juxta præscriptum Moysi, sed quales antea solebant.* At contrarium Scriptura testatur Levitici 9. 5. *Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium Tabernaculi.* Nec antea victimas illegitimas intulerant, quia hæ fuerunt Sacerdotii ipsorum primitiæ. R. *Selomo* ait eos morte fuisse multatos, quòd vidissent Dominum in Monte cum 70. Senioribus. At cùm nihil tunc contra Dei mandata commisisse legantur, haud rectè hæc mortis eorum assignatur caussa. Denique non alia quærenda est ab illâ quam Scriptura Sacra tradit, ignis scilicet alieni oblatione. Levitici 10. 1. *Arreptisque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: Quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino.* Et Numerorum 3. 4. *Mortui sunt Nadab & Abiu cùm offerrent ignem alienum in conspectu Domini in Deserto Cinai.* Et Numerorum 26. 61. *Nadab & Abiu mortui sunt, cùm obtulissent ignem alienum coram Domino.*

*Josephi ab Historia Sacra multiplex aberratio.*

XX. *Josephus* de seditione populari contra *Moysen* ad *Sepulcra Concupiscentiæ* excitatâ verba faciens Lib. 3. *Antiquitatum* Cap. 12. Historiam Sacram multimodis adulterat. *Non multò post*, inquit, *a Sina Monte Castra moventur: & post aliquot Mansiones, de quibus dicemus, ventum est ad locum qui dicitur Iseremoth, ubi denuo Populus seditionibus agitari cœpit, & laboriosæ peregrinationis culpam in Moysen conferre. Illius suasu se reliquisse regionem fertilissimam, & nunc non solùm ejus ubertate carere, verùm etiam pro speratâ felicitate in extremis miseriis huc & illuc oberrare, aquarum inopiâ laborantes; & si Manna quoque aliquo casu deficiat, procul dubio fame interituros. His addebant multa convitia, quæ in Virum optimè meritum passim jactabantur. Exortus est interim unus e Populo, qui admonitos præteritorum Moysi beneficiorum, bonam spem habere hortabatur, ne tum quidem opem divinam frustra requisituros. Vulgus autem his verbis vehementiùs concitatum, magis ac magis contra Prophetam tumultuabatur. Qui videns ita desperatos, jubet æquo animo esse, pollicendo se, quamvis gravibus contumeliis immeritò petitum, copias tamen carnium eis exhibiturum, non in unum tantùm diem, sed in plures etiam. Illis verò credere nolentibus, quodam etiam rogante, unde tot hominum millibus providere possit: Deus, inquit, & Ego, quantumvis malè apud vos audientes, nunquam tamen desinemus vestri curam gerere; Idque brevì estis visuri. Vix hæc dixerat, cùm tota castra coturnicibus complentur, quas acervatim venabantur. Deus tamen non multò post in Hebræorum insolentiam ac maledicta animadvertit, non paucis e Populo desideratis. Nam & hodie locus ille nomen ex eo casu retinet, vocaturque Cabrothaba, quasi dicas Concupiscentiæ Monumenta.*

Hic in multis errat *Josephus*. Primò, hanc seditionem post aliquot Mansiones a Monte Sina contigisse perperam scribit, cùm prima & proxima hæc Mansio fuerit, ad quam e Monte Sina Israëlitæ castrametati sunt: Numerorum 33. 16. *De solitudine Sinai egressi, venerunt ad Sepulcra concupiscentiæ.* Secundò; hunc locum perperam vocat *Iseremoth* [vel potiùs *Hazeroth*, ut habent Hebræus & Chaldæus] & decimam-tertiam Mansionem cum decima-quartâ confundit. Tertiò, seditionis hujus causam falsò assignat aquarum inopiam, cùm Scriptura nullam aliam tradat præter desiderium carnium, *Exodi* 11. & *Psalmo* 77. Quartò, convitia a Populo in *Moysen* jactata scribit, quod etsi probabile sit, in Scripturâ tamen non habetur, quæ fletum dumtaxat & querelas commemorat, Exodi 11. 4. *Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens & flens, junctis sibi pariter filiis Israël, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Vers. 10. *Audivit ergo Moses flentem Populum per familias, singulos per ostia tentorii sui.* Et Vers. 13. *Moyses* ait: *Unde mihi carnes, ut dem tanta multitudini? Flent contra me dicentes: Da nobis carnes, ut comedamus.* Quintò, fingit *Moysen* copiam carnium in plures dies ipsis polliceri, quas illi (si qua ipsi fides) non petiverant: Aquæ oblitus, quam cum convitio postulatam dixerat. Sextò, *Moysis* dubitationem dissimulat, eamque Populo, & cuidam Anonymo tribuit: *Illis verò*, inquit, *credere nolentibus, quodam etiam rogante, unde tot hominum millibus providere posset, &c.* At Scriptura Sacra ipsum *Moysen* dubitasse testatur.... Exodi 11. *Populo quoque dices: Sanctificamini; cras comedetis carnem, [ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in Ægypto:] Ut det vobis Dominus carnes, & comedatis: non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto? Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum hujus Populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? Numquid ovium & boum multitu-*

do

*do cædetur, ut possit sufficere ad cibum? Vel omnes pisces Maris in unum congregabuntur, ut eos satient? Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrùm meus sermo opere compleatur*. Septimò, inducit *Moysen* Deo & sibi miraculum tribuentem, quod ipsi tamen penè incredibile erat. *Quodam etiam rogante, unde tot millibus providere possit: Deus, inquit, & ego, quantumvis apud vos malè audientes, numquam tamen desinemus vestri curam gerere*, &c. Quod sanè a *Moysis* modestiâ alienissimum esse nemo non videt. Octavò, statim a promissione carnium castra coturnicibus fuisse repleta scribit, cùm electio Septuaginta virorum, & deductio ad Tabernaculum fœderis, & Prophetia tam ad Tabernaculum, quàm in castris, æmulatio *Josue*, *Mosis* responsio, & illius ac Seniorum in castra reditus intercesserint, ut Scriptura testatur. Sed hæc omnia supprimit *Josephus* hìc & alibi χρονώσεως reus.

*Historia seditionis Core, Dathan, & Abiron, a Josepho interpolata.*

XXI. *Josephus* Seditionis a *Core*, *Dathane*, & *Abirone* adversùs *Mosem* & *Aaronem* excitatæ historiam narrans Lib.5. *Antiquitatum* Cap.2. & 3. in multis peccat contra veritatem ab ipso *Mose* literis mandatam *Numerorum* 16. Primò, inducit *Core* dicentem: Si alicui ex Leviticâ Tribu Sacerdotium deferendum esset, *Se meritò fuisse præferendum, genere Moysi parem, ætate, atque opibus potiorem*. Id nec in Scripturâ Sacrâ refertur: nec a *Core* dictum verisimile est. Erat enim *Moses* filius *Amrami*, primogeniti *Caathi*; *Core* autem filius *Isaaris*, alterius ejusdem *Caathi* filii; adeòque probabilius est ejusdem ætatis non fuisse. Unde verò divitiæ illæ, quas ipsum jactasse fingit *Josephus*? Addit, Populum ita concitatum fuisse, *ut ad lapides conclamaretur*. Concurrisse inconditam multitudinem in concionem, *Ubi stans ante Dei Tabernaculum vociferabatur, Tollendum Tyrannum, & populum e servitute eximendum, cui sub Religionis prætextu dura imperata imponerentur*. Nihil hujusmodi Scriptura innuit; sed refert dumtaxat *Core*, *Dathan*, & *Abiron*, & Schismatis eorum socios, contra *Moysen* & *Aaronem* stantes dixisse; *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur elevamini super Populum Domini? Quod cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem: Locutusque est ad Core, & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & Sanctos applicabit sibi; & quos elegerit, appropinquabunt ei. Hæc igitur facite: Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, & omne Concilium tuum: & hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino; & quemcumque elegerit, ipse erit Sanctus: Multùm erigimini filii Levi. Dixitque rursum ad Core: Audite filii Levi: Num parum vobis est quòd separavit vos Deus Israël ab omni Populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu Tabernaculi, & staretis coram frequentiâ Populi, & ministraretis ei? Ideirco ad se fecit accedere te & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam Sacerdotium vindicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum? Quid est enim Aaron, ut murmuretis contra eum?* Moysi certè orationem tam vehementem, sed tamen tranquillam ad *Core*, & ad omnem multitudinem habere non licuisset, si Populus ita fuisset concitatus, ut ad lapides conclamaretur, & incondita multitudo ante Tabernaculum vociferaretur, *Tollendum Tyrannum*, &c. Asperiora quidem, superba, & seditiosa verba *Dathan* & *Abiron* contra *Moysen* dixerunt, sed in tentoriis suis, cùm eos *Moyses* per nuntios vocaret, non in concione, & ante Tabernaculum, ut vult *Josephus*. Exodi 16. 12. *Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan & Abiron. Qui responderunt: Non venimus. Numquid parum est tibi quòd eduxisti nos de Terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis, & mellis, & dedisti nobis possessionem agrorum & vinearum: An & oculos nostros vis eruere? Non venimus*. Tertiò *Moysi* tribuit hæc verba *Josephus*, Viro Politico, quàm Prophetâ digniora, quibus *Core* blanditus sit: *Mihi, Core vel tu, vel unus quivis ex istis honore digni videmini*; id est Summo Sacerdotio. Ita locutum esse *Moysen*, qui ipsos ut ambitiosos, ut seditiosos, ut Schismaticos, hoc honore indignissimos noverat, haud verisimile est. Quartò, fingit *Josephus* Aaronem deposuisse Pontificatum, illumque Populi suffragiis permisisse, & id quidem inconsulto Domino, a quo fuerat vocatus. Sic enim loquentem *Mosem* inducit: *Attamen licèt non meo beneficio, sed divinâ electione hunc honorem adeptus, non dubitat in medium depositum vestris suffragiis committere, nullam prærogativam postulans ex eo quòd hactenus eo sit legitimè functus*. Quintò prolixam *Moysi* orationem tribuit ad Deum fusam, quâ *Dathanem* & *Abironem* execratus sit, illisque supplicium, quod a Deo inflictum est, fuerit imprecatus. *Quòd res Hebræorum cordi tibi sint, justâ in Dathanum & Abironem animadversione declara. Facies autem manifestam adversùs insanos gloriæ tuæ detractores vindictam, si non communi morte intereant, ne quis nihil nisi humanum passos existimet; sed terra, quam indigni calcant, dehiscens, cum familiis & facultatibus eos absorbeat... Hæc cum lacrymis effato, terra horrendum repente contremuit, & undante superficie, non secus quàm pelagus vento fluctuans, universum Populum terruit, immani sonitu mox eliso, quà seditiosi tendebant, solum subsidit, & eodem momento omnes ad unum absorbet*. Quòd *Moyses* ultionem a Deo postulaverit, Scriptura non testatur, sed quòd inferendum a Deo supplicium, eoque revelante sibi cognitum prænuntiaverit. Exodi 16. 28. *Et ait Moyses; In hoc scietis quòd Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si consuetâ hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, quâ & cæteri visitari solent, non misit me Dominus: Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universâ substantiâ eorum. Descenderuntque vivi in infernum operti humo*. Sextò, *Josephus* subdit: *Fuitque hic casus eò miserabilior, quòd adeò nemo ne propinquorum quidem aut cognatorum eos est miseratus, ut totus quantus erat Populus lætis acclamationibus Dei sententiam comprobaret, ac ne luctu quidem dignos, ut pestem ac perniciem Popularium existimaret*. At assertio ista *Josephi* ex Scripturâ Sacrâ disertè refellitur, Exodi 16. 41. *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis Populum Domini. Cùmque oriretur seditio, & tumultus increscerct, Moyses & Aaron fugerunt ad Tabernaculum fœderis*. Quin & ipse sibi *Josephus* contradicit Cap.4. scribens: *Cognati extinctorum agebant apud Populum, rogantes ut superbæ & nimiæ Moysis potestati modum aliquem statueret: Facile enim hoc illi esse. Tum ille maturè sentiens excitari turbas, veritus ne qui rursum res novas molirentur, unde magnum aliquod malum accidere posset, concionem advocari jubet*. Septimò scribit *Josephus*, Dathano cum suis extincto, *Moysen* Pontificatûs æmulos convocasse, Deo denuo commissurum

rum electionem, ut ei ratum esset Sacerdotium, cujus Sacrificium Deo gratum apparuisset. Itaque convenisse ducentos quinquaginta viros summo in pretio semper apud Populares habitos, tum quòd a Majoribus *omni virtute praeclaris* oriundi essent, tum *quòd ipsi nequaquam degenerarent:* cùmque his processisse *Aaronem & Core:* Deinde stantes ante Dei Tabernaculum, adplevisse acerris odoramenta, quae secum attulerant: cùm subitò tantus ignis effulsit, quantum nec homines ipsi unquam excitaverunt, nec in terris sponte ardentibus, nec in sylvis per aestum austri flatu collisis & attritis excitatum viderunt, sed qualis divinitus accendi poterat, fulgentissimus simul ac flagrantissimus: *Cujus vi ac impetu ducenti illi & quinquaginta unà cum Core sunt absumpti, ut ne cadaverum quidem reliquiae comparerent.* Invidos, ambitiosos, seditiosos, Schismaticos, a majorum virtute non degeneres quâ ratione asserere potuit *Josephus?* Quomodo dicere potuit ducentos illos & quinquaginta post *Dathanis* supplicium congregatos, quos *Ignis egressus a Domino interfecerat*, Scripturâ teste, *Numerorum* 16. 35. Octavò, *Core* flammis absumptum scribit, cùm ducentis illis & quinquaginta Synagogae Proceribus, quem Scriptura Sacra hiatu terrae absorptum, sicut *Dathanem & Abironem* docet, Numerorum 26. 10. *Et aperiens terra os suum, devoravit Core. Et factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii illius non perirent.* Et *Numerorum* 16. ubi legimus: *Et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, & universâ substantiâ eorum:* In Textu Hebraico, & Chaldaicâ Paraphrasi, distinctè & nominatim fit mentio *Core*. Et certè cùm Deus *Moysi* dixerit Vers. 24. *Praecipe universo Populo ut separetur a Tabernaculis Core, & Dathan, & Abiron:* Argumento est tres illos Schismatis Incentores terrae hiatu fuisse pariter absorptos.

*Hebraeorum fabula.* XXII. De pugnâ Israëlitarum cum Chananaeo Rege *Arad*, Numerorum 21. relatâ Hebraei in *Seder Olam* Cap. 9. ita fabulantur: *Aarone mortuo disparuerunt nubes gloriae; & Chananaei accurrunt ad pugnandum contra Israël; hinc illud: Et audivit Chananaeus Rex Arad venisse Israël, & pugnavit contra eum, & victor existens, duxit ex eo praedam. Quidnam, obsecro, audivit? Certè mortuum fuisse Aaronem, & obiisse praecipuum Israëlitarum Ducem, itemque desiisse columnam nubis, quae pro illis propugnabat. Irruit igitur, bellumque cum eis commisit, vertit, fugavitque, adeo ut retrocederent per septem Mansiones, & castra ponerent in Moserâ, &c.* Multa in paucis lineis errata. Primò, columnam nubis in Morte *Aaronis* defecisse asserunt, quam diu postea apparuisse, extremis scilicet diebus vitae *Moysis*, constat ex *Deuteronomii* 31. *Versic.* 15. Secundò, falsò asserunt mortem *Aaronis* animos addidisse Chananaeo, cùm *Aaron* non pugnaret, & tota Levitica Tribus a bello immunis esset. Tertiò falsò tradunt columnam nubis pro Israëlitis pugnasse, quae illos dumtaxat illuminabat ac ducebat. Quartò, falsò dicunt fugatos Israëlitas per septem Mansiones: *Moseroth* scilicet cum *Haseroth* imperitè confundunt.

*Jonathanis Chaldaei Paraphrastis nugatoria de Serpentibus ignitis narratio.* XXIII. De Serpentibus in Populum ob itineris taedium murmurantem immissis, de quibus *Numerorum* 21. Jonathan nugatoriè differit in Chaldaicâ Paraphrasi, hunc in modum: *Filia vocis exivit ex mediâ terrâ, & audita est vox in excelsis: Videte omnes filii hominum & auscultate; & audite, omnes filii carnis. Maledixi serpenti a fundatione Mundi, & ei dixi: Pulvis erit cibus tuus. Neque tamen is murmuravit propter cibum suum. At Populum meum* Israëlitas *liberos eduxi ex Aegypto, & ad eos demisi Mannam è coelis, & traduxi coturnices e Mari, & ipsis excitavi puteum ex Abysso. Tamen iterum obmurmurant adversùs me propter Mannam dicendo animam suam angustiari propter panem, cujus esus est levis. Proinde veniet serpens, qui non murmuravit propter cibum suum, & mordere faciam Populum eorum qui murmuraverunt propter cibum suum. Et excitavit verbum Domini in populum serpentes ardentes &c.* Quasi verò serpenti in laudem verti debeat, quòd non murmuret in Deum, quem non novit, tam incapax murmuris, quàm rationis.

*Josephus in Historiâ Zambri castigatur.* XXIV. De crimine *Zambri* & ejus punitione, de quâ Moyses *Numerorum* 25. ita *Josephus* Lib. 4. *Antiquitatum* Cap. 4. *Zambrias Simeonidis Tribûs Princeps, ductâ Cozbi Madianitide, Uri filiâ, gentis ejus Dynastae, jussus ab uxore, & contemptis in ejus gratiam Moysis placitis, alieno ritu sacrificabat, & alienigenâ conjuge non dissimulanter se oblectabat. In hoc rerum statu Moyses veritus ne gravius aliquid sequeretur, advocatâ concione, neminem quidem nominatim accusavit, nolens in desperationem adducere eos, qui tantisper dum latere se putant, ad sanitatem reduci poterant: sed dicebat rem indignam, nec ipsis, nec Majoribus eorum decoram, quòd voluptatem pluris quàm Deum & Religionem facerent. Expedire illis ut dum tempus est, resipiscant, & non legum contemptu, sed compescendis pravis cupiditatibus fortes viros declarent, &c. Tum Zambrias insurgens: Tu inquit, Moyses, tuis Legibus utere, quibus jam longo usu robur addidisti, quod ni fecisses, saepè jam poenas dedisses, & tuo malo non esse Hebraeis imponendum didicisses: Me certè nunquam ad tua tyrannica jussa obstrictum habebis, &c. Haec Zambrias pro se, & quibusdam sui similibus afferente, Populus quietus expectabat, quònam audacia haec esset evasura, maximè quòd videret Legislatorem ampliùs nolle contendere, ne hominem insolentem irritatiorem redderet. Verebatur enim ne plures talis in loquendo impudentiae imitatores facti, turbas in Populo excitarent. Atque ita tum Concio dissolvitur. Ac fortasse ulteriùs malum hoc serpsisset, ni Zambrias maturè sublatus esset talem ob causam. Phinees tum aliis rebus, tum patris dignitate Juventutis facilè Princeps, aegerrimè tulit Zambriae contumaciam: Cujus impunitate ne legum contemptus cresceret, vindicare in flagitiosos decrevit, non ignarus quòd exempla Primatum in utramvis partem plurimum valeant. Cùmque tanto esset animi & corporis robore, ut non temerè aliquid arduum aggrederetur, quod non etiam perficeret, ad Zambriae tentorium vadit, & eodem ictu ipsum unà cum Cozbi transfigit. Quo exemplo Juventus ad pulcherrimam virtutis aemulationem accensa, certatim in ejusdem criminis reos facit impetum, & bonam illorum partem ferro conficiunt: Reliquos insecuta pestis sustulit, per iram Numinis inflicta.* In hac *Josephi* narratione multa castigatione digna sunt. Primò, *Cozbi* Madianitidem uxorem *Zambri* fuisse ait, quam Scriptura Sacra scortum appellat Numerorum 25. 6. *Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem.* Vers. 7. *Phinees ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, &c.* & cohabitationem illam cum Madianitis mulieribus *fornicationem* vocat, ibid. Versic. 1. *Et fornicatus est Populus cum filiabus Moab.* Et 1. ad Corinthios 10. 8. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt unâ die viginti tria millia.* Secundò, *Josephus* Populum in Concionem a *Moyse* vocatum ait, in quâ neminem accusaverit, sed peccatores ad resipiscentiam hortatus sit, longamque & petulantem orationem affingit *Zambri*, de

quâ, non minùs quàm de concione altum est in Scripturâ silentium. Judices duntaxat a *Moyse* vocatos testatur, quibus jussit Dei nomine ut de reis extremum supplicium sumerent; Numerorum 25. 4. *Et iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos Principes Populi, & suspende eos contra Solem in patibulis; ut avertatur furor meus ab Israël. Dixitque Moyses ad Judices Israël; Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.* Tertiò, fingit *Josephus* Populum quietum expectasse quònam audacia *Zambri* esset evasura. At Scriptura testatur Populi partem maximam horrore facinoris turbatam & afflictam ante Tabernaculum fœderis flevisse; Exodi 25. 6. *Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad Scortum Madianitidem vidente Moyse, & omni turbâ filiorum Israël, qui flebant ante fores Tabernaculi.* Quartò, *Josephus* asserit Juventutem exemplo *Phinees*, facto certatim in ejusdem criminis reos impetu, magnam illorum partem ferro confecisse. At reorum cædes facta est non a Juventute eodem crimine maximam partem contaminatâ, sed a Deo immissâ plagâ, quâ viginti quatuor millia hominum perierunt; & quę tum demum cessavit, cùm *Phinees* zelo suo iram Dei placavit. Numerorum 25. 7. *Quod cùm vidisset Phinees, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus: cessavitque plaga a filiis Israël, & occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Quò spectat & illud Psalmi 105. 30. *Et stetit Phinees, & placavit; & cessavit quassatio.*

*Multiplex error Josephi in Legibus Mosaicis recensendis.*

XXV. Mosaicas Leges percensens *Josephus* Lib. 4. Cap. ultimo, quamvis sinceritatem suam profiteatur, in multis tamen *Moysen* interpolasse convincitur. Hanc Legem velut Mosaicam laudat: *Nemo diis maledicat, quos aliæ Urbes lege sanxerunt...* Sic depravat illud Exodi 22. 28. *Diis non detrahes: & Principi Populi tui non maledices.* Ubi Deorum nomine Judices intelligi ex parallelis Scripturæ locis perspicuum est. Falsissimum certè est quòd Mosaicâ Lege prohibitum sit falsis Diis maledicere, quos passim execratur, eorumque Sculptilia igne comburi jubet, ac *sordes*, *abominationes* & *anathema* vocat, *Deuteronomii* 7. 25. Atque de iis *David* & cæteri Prophetæ cum contemptu maximo, irrisione, & execratione loquuntur. Neque etiam Mosaica Lex est, quam ibidem subjicit; *Fana externa non sunt spolianda, neque sacra donaria tollenda.* Immò Aras falsorum Numinum everti, confringi statuas, succidi lucos, sculptilia comburi Lex jubet *Deuteronomii* 7. 5. Et *David* occupatâ *Rabbâ* Ammonitarum Metropoli, *Tulit coronam Melchom* (Idoli) *de capite ejus, & invenit in eâ auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema.* (1. Paralipomenon 20. 2.) Quod *Deuteron.* 16. 18. sancitum est: *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas Tribus tuas;* sic *Josephus* interpolavit: *Oppidatim præsint septem viri probatæ virtutis, & justitiæ cultores. Singulis Magistratibus attribuantur duo Ministri de Tribu Leviticâ.* Politiam suo fortè tempore vigentem ut Mosaicæ Legis decretum laudat, alienigenis harum rerum ut plurimum ignaris, fucum faciens. Quod *Deuteron.* 17. Vers. 8. & sequentibus habetur de causis ad Summum Sacerdotem & ejus Consilium deferendis, sic mutilatum & interpolatum reddit; *Quòd si Judices nesciant de negotio ad se delato pronuntiare, sicut interdum accidit, in Sanctam Urbem integram causam relegent: Tum verò Pontifex & Propheta, unâ cum Senatu, quod visum fuerit, decernant.* Ita verò Scriptura: *Si difficile & ambiguum apud te Judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & Judicum intra portas tuas videris verba variari: Surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore: Quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & Decreto Judicis, morietur homo ille.* In suo Mosaicarum Legum compendio hanc describit *Josephus*, quæ nullibi a *Moyse* tradita legitur in Pentatheuco: *Mulieribus testimonium deponere non liceat, propter levitatem ac temeritatem ejus generis. Neque servum hominem testem esse liceat, propter animos degeneres. Probabile enim est, aut lucri causâ, aut præ metu, testimonium verum non deposituros.* Legem de Regis eligendi conditionibus & officio, quæ *Deuteron.* 17. Vers. 14. & sequentibus descripta est, ibidem sic interpolatam *Josephus* exhibet: *Optimum quidem est Optimatum regimen, & in sic administratâ Republicâ vivere, nec est cur aliam ejus speciem concupiscatis: sed præstat ut hac contenti, in Legum & vestrâ ipsorum potestate sitis. Satis enim est Deum habere Præsidem. Attamen si Regis vos cupido ceperit, nemo sit nisi vestri generis & sanguinis, & cui justitia sit cordi cum cæteris virtutibus. Is quisquis fuerit, plus Legibus & Deo, quàm suæ sapientiæ tribuat, nihilque præter Pontificis ac Senatûs sententiam faciat: Nec multas alat uxores, aut pecuniis, equisve plurimis gaudeat; & si talibus studiis plus æquo fuerit deditus, obstandum est ne potentior fiat, quàm rebus vestris expedit.* Omittit quod præcipuum est, ut Rex ille constituatur, quem Dominus elegerit; item præceptum de non reducendo in Ægyptum Populo, de Deuteronomio Legis sibi describendo, accipiendoque ejus exemplari a Sacerdotibus, eoque legendo, & religiose observando. Addidit verò de suo *Josephus*, quæ ad Aristocratiam pertinent, Legem de sequendâ Pontificis & Senatûs sententiâ; præceptum Populo datum obsistendi Regi, ne potentior fiat. Hæc enim Mosaica non sunt, & a Deo tradita, maximè postremum illud, quod ad seditiones viam aperit.

Quæ de jure spicilegii & racemationis habentur *Deuteron.* 23. 24. & 25. & Cap. 24. 19. 20. 21. sic adulterat Josephus: *Nec a pomis maturis viatores sunt arcendi, sed sinendi, ut tanquam propriis se satient, & sive indigenæ sint, sive exteri, libenter illis ad esum exhibenda sunt, auferre verò secum non liceat. Neque vindemiantes vetent obvios degustare ex iis quæ ad torcular deferunt, & si quis præ pudore cunctetur attingere, ut sumant hortentur... Qui verò contra fecerit, plagas una minùs quadraginta publicâ scuticâ accipiens, illiberalem hanc pœnam sustineat.* De pomis nihil apud *Moysen*, neque de obviorum invitatione ad comedendum, neque de verberibus in illiberales & inurbanos, sive charitatem non exercentes. His enim verbis concepta Lex est: *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit: Foras autem non efferas tecum. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: Falce autem non metes... Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: Sed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges colligeris olivarum, quidquid remanserit*

*in arboribus, non reverteris ut colligas: Sed relinques advena, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ.*

In Lege Moysis non habetur, quod velut ex eâ excerptum proponit: *Ancillas ne ducant ingenui, ne adamatas quidem. Decet enim cupiditatibus imperare, & ad retinendam dignitatem id magnopere conducit.* Immo de ritu ducendi mulieres bello captas, quas in ancillarum forte fuisse nemo nescit, Lex extat *Deuteronomii* 21. 10. 11. De ancillarum emptarum conjugio cum liberis hominibus lex etiam extat *Exod.* 21. 8. 9. Legem istam pro Mosaicâ perperam quoque vendicat Josephus: *Neque meretrici sit jus nuptiarum, cujus, propter injuriam suo corpori factam, sacrificia nuptialia Deus non accipit.* Si enim Israëlitis omnibus prohibitum esset meretrices uxores ducere, frustra id Pontifici & Sacerdotibus nominatim prohiberetur, *Levitici* 21. 7. 14. Legem de virginitate dubiâ, quæ *Deuteronomii* 22. 14. & sequentibus habetur, fœdè interpolavit Josephus. *Si quis*, inquit, *aliquam pro Virgine desponsam, postea talem non invenerit, in jus vocatam accuset, afferatque argumenta quæ habet. Puellæ verò causam agat pater, aut frater, aut qui post hos genere videtur proximus. Et si quidem puella fuerit absoluta, degat in accusatoris conjugio, isque nullum posthac dimittendi eam jus habeat; nisi talem ipsi causam præbuerit, quæ contradictionem non recipiat. Cæterùm temeritatis & petulantiæ qui insontem detulit, pœnas luat, quadraginta unâ minùs plagis acceptis, & quinquaginta siclos puellæ patri mulctæ nomine numerare cogatur. Quòd si vitiata fuisse coarguatur, siquidem plebeja fuerit, lapidibus obruatur, si ex Sacerdotibus prognata fuerit, vivens exuratur.* Lex defensores puellæ patrem tantùm & matrem nominat, *Josephus* fratrem, aut genere proximum addit. Lex tollit omnem spem repudii calumnianti marito, ille exceptionem adhibet. Lex mulctam imponit centum siclorum; ille quinquaginta tantùm. Lex plagarum numerum non definit: Ille quadraginta unâ minùs determinat. Lex signa virginitatis proferri jubet: Ille generatim argumenta postulat. En Legis verba: *Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inveni virginem: Tollent eam pater & mater ejus, & ferent secum signa virginitatis ejus ad Seniores Urbis qui in portâ sunt, & dicet pater: Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem, & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ: Expandent vestimentum coram Senioribus civitatis: Apprehendentque Senes Urbis illius virum, & verberabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ: Quoniam diffamavit nomen pessimum super Virginem Israël: Habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. Quòd si verum est quod objicitur, & non est in puellâ inventa virginitas, ejicient eam extra fores domûs patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur: Quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui; & auferes malum de medio tui.* Quod autem subdit *Josephus* de filiâ Sacerdotis, aliâ Lex est, ad causas conjugales minimè pertinens, lata *Levitici* 21. Dies me deficeret, si reliqua *Josephi* errata in compendio illo suo Legum Mosaicarum scrupulosiùs expendere vellem.

XXV. Hebræi nonnulli mortuum esse *Moysen* negant, sed ex Scripturâ Sacrâ disertè refelluntur: *Deuteronomii* 32. 50. 34. 5. 6. 7. *Josuë* 1. Vers. 1. 2.

---

### ARTICULUS II.

*De Josuë Historiâ ut ab Hebræis interpolatâ, vel confirmatâ.*

I. Exploratores a *Josuë* missos Jerichuntem, fuisse *Phineem* filium *Eleazari* Pontificis, & *Calebum*, tradunt Hebrei in *Tanchuma*. Verum eorum nomina Scriptura silet, *Josuë* 11. Secundò, Editio 70. Interpretum eos vocat νεανίσκους *Juvenes*, sicut & Vulgata nostra Cap. 6. 23. quod nomen *Calebo* tunc octogenario convenire non potest. Tertiò, verisimilius est *Josuë* exercitatis atque intentissimis tum hostium animis, nonnisi vulgares aliquos viros summo periculo objecisse; sed quos tamen astu atque cautione versutos, animoque forti & impavido præstantes esse sciret. Jerichuntinos *nihil hostile suspicatos*, dum speculatores illi totam Urbem, ejusque munitiones per otium considerarent, scribit *Josephus Lib.* 5. *Antiquitatum Cap.* 1. quod Scripturæ Sacræ repugnat, quæ statim eos ad Regem delatos & quæsitos testatur, *Josuë* 2. Repugnat verbis *Rahab* ibidem Jerichuntinorum terrorem exponentis. *Novi*, inquit, *quòd Dominus tradiderit vobis Terram: Etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores Terræ. Audivimus quòd siccaverit Dominus aquas Maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto; & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon & Og quos interfecistis. Et hoc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester, & ipse est Deus in cælo sursum, & in terrâ deorsum.* Cùm mulierculæ id nosse non poterit nisi ex rumore publico, & Urbis facie, quâ fide *Josephus* scripsit Jerichuntinos *nihil hostile fuisse suspicatos?* Addit, *Rahab* Exploratores abscondisse *in mœnibus*, ubi fortè lini manipulos siccabat, quibus ipsos contexit. Contra verò Scriptura Josuë 2. *Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domûs suæ, operuitque eos stipulâ lini, quæ ibi erat.* Nolim tamen hîc importuniùs vellicare *Josephum*, cùm *Rahabæ* domus muro hæreret, ut constat ex Vers. 15. ideoque verè dici potuerit ipsam abscondisse Exploratores in mœnibus, quos in domo ascondit: Sed cum Scripturâ loquendum erat. Rabbini, quod est in Hebræo, *Abdidit illum*, in singulari, sic explicant, quòd *Rahab* unum dumtaxat Exploratorum absconderit, scilicet *Calebum*, non verò *Phineez*, utpote qui ipsi responderit: *Ego sum Sacerdos. Sacerdotes verò, quippe Angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt; si nolunt, cerni nequeunt.* Fabulas apage. RR. *Salomon* & *Kimchi*, & R. *Juda* in *Tanchuma* laudatus ait, ipsos habuisse fabrilia instrumenta in manibus, ut fabri putarentur. R. *Nehemias* ait: Simulabant se figulos esse; & fictilia per eam causam venalia proponebant, ne alicui essent suspecti. Hebræi Commentatores Historiæ *Ruth* & R. *Kimchi* in Radicibus, ajunt, *Josuë* suis Exploratoribus jussisse ut surditatem præ se ferrent, quò quæ vulgò dicerentur, possent, nihil suspecti, percipere omnia. Circa signum *Rahabæ* datum *Josephus* errat. *Illi*, inquit, *& in præsens ei gratias agunt, & in futurum abundè relaturos jurejurando confirmant, & hoc consilium dant, ut cùm præsenserit Urbem expugnandam, contractis facultatibus & propinquis intra diversorium, vestem coccineam pro foribus expandat.* At

*Quinam Exploratores a Josuë missi Jerichuntem.*

*Errata Josephi.*

*Hebræorum fabula.*

At Scriptura *funiculum coccineum appensum in fenestrâ*, per quam demissi fuerant Exploratores, pro signo datum testatur, *Josuë* 2. 18. 21. Hebræi in vetustis Commentariis in *Exodum*, quæ *Mechilta* vocant, scriptum reliquerunt, *Rahab* pietate suâ in Hebræos Exploratores promeritam esse, ut octo Prophetæ & Sacerdotes ex ejus stirpe procrearentur: *Jeremias*, *Helcias*, *Sarias*, *Maasias*, *Baruch filius Neriæ*, *Hanameel & Sellum*. Fuit autem iste *Hanameel* filius *Sellum*, patruelis *Jeremiæ* Prophetæ. Quin & *Ezechielem*, & *Huldam* in album posteritatis *Rahab* referunt. Eamque ajunt quinquagesimo demum vitæ suæ anno Judaismo nomen dedisse, abdicato turpi quæstu, quem a primis adolescentiæ annis corpore fecerat.

*Transitus Jordanis Historia a Josepho interpolata.*

II. Miraculum in *Jordanis* transitu in gratiam *Josuë* & Israëlitarum a Deo factum, *Josephus* elevat, aquas dumtaxat procurante Deo imminutas asserens; fluvium a Sacerdotibus & Populo vado transmissum, mulieribus & pueris in medio agmine collocatis, ut ab aquarum impetu tutiores essent. *Imperatore*, inquit, *solicito de trajectu: (Amnis enim auctus aquis fluebat, & cùm pontem non haberet, ne fabricari quidem hostis passurus videbatur, nec naves ullæ præsto aderant:) Deus se illis transitum procuraturum promisit, fluentis ejus imminutis. Itaque Jesus postquàm duos dies expectasset, copias omnes ad hunc modum in ulteriorem ripam traduxit. Sacerdotes cum Arcâ agmen præcedebant, post eos ibant Levitæ portantes Tabernaculum, & vasa Sacrificiis destinata. Sequebatur deinde totum agmen in suas Tribus distinctum, receptis in medium mulieribus ac pueris, quò tutiores essent ab impetu fluminis. Ut verò Sacerdotibus primis ingressis vadabile est visum, quòd & aqua decrevisset, & glarea non ampliùs vi undarum volveretur, sed stabile solum exciperet vestigia, omnes jam intrepidè vadum transibant, tale redditum cernentes, quale Deus promiserat. Steteruntque in alvei medio Sacerdotes, donec transiret multitudo, & in tuto consisteret. Quod ubi factum est, & ipsi egressi fluvium, liberum ei solitum cursum reliquerunt, qui confestim auctus, ad pristinam aquarum molem rediit.* Malæ fidei *Josephum* convincit sacer Textus, Josuë 3. *Dixitque Dominus ad Josuë: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israël: Ut sciant, quia sicut cum Moyse fui, ita & tecum sim. Tu autem præcipe Sacerdotibus qui portant Arcam fœderis, & dic eis: Cùm ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in eâ. Dixitque Josuë ad filios Israel. In hoc scietis quòd Dominus Deus vivens in medio vestri est.... Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem. Parate singulos viros de Tribubus Israël, singulos per singulas Tribus. Et cùm posuerint vestigia pedum suorum Sacerdotes qui portant Arcam Domini Dei universæ terræ in aquis Jordanis, aquæ, quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient: Quæ autem desuper veniunt, in unâ mole consistent. Igitur egressus est Populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem; & Sacerdotes, qui portabant Arcam fœderis, pergebant ante eum. Ingressisque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat) steterunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes apparebant procul ab Urbe, quæ vocatur Adom, usque ad locum Sarthan: Quæ autem inferiores erant, in Mare Solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) descenderunt, usquequò omnino deficerent. Populus autem incedebat contra Jericho; & Sacerdotes, qui portabant Arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque Populus per arentem alveum transibat.* Et Cap. 4. 20. & seq. *Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis, & dixit ad filios Israël: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, & dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti? Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israël Jordanem istum, siccante Domino aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis: Sicut fecerat priùs in Mari Rubro, quod siccavit donec transiremus: Ut discant omnes terrarum Populi fortissimam Domini manum.*

*Lapides 12 ex Jordane sublati, non ad Aram struendam, sed in Monumentum.*

III. Ex duodecim illis Lapidibus Aram a *Josue* excitatam, fingit *Josephus*, in quo Sacrum Deo fecerit in gratiarum actionem. Sed Aræ Scriptura non meminit, id utique non dissimulatura; & lapides in Monumentum positos significat ad perennem miraculi memoriam; Josuë 4. 6. 7. *Et quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides? Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante Arcam fœderis Domini, cùm transiret eum: Idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israël usque in æternum.* Lapides illos, non quidem in Arcâ (quod *Tertulliano* visum est *Lib.* 4. *contra Marcionem*) sed juxta Arcam asservatos censet *R. Levi F. Gersonis*, ut cùm ter, ut minimum Israëlitæ quotannis ad eam convenirent, memoriam rei gestæ Monimenti præsentia omnibus renovaret. Hos lapides calce fuisse oblitos, & supernè in eis inscriptam Legem septem linguis, alii Rabbini testantur in *Seder Olam:* hos nimirum lapides in *Galgalis* positos, cum iis qui in *Garizim* a *Moyse* sunt excitati, imperitè confundunt.

IV. Fingunt Talmudici, cùm jam universus Populus in Chananæam transivisset, Sacerdotes Arcam retulisse in eam ipsam ripam; e quâ primùm in aquas descenderant, cùm proximè ad eam institissent. Cùmque subitò diffusâ aquarum mole, quæ adhuc fuerat Arcæ præsentiâ cohibita, repletus fuisset alveus; tum demum tranavisse per interlabentes aquas Arcam in Chananæam, spectante ex adversâ ripâ Populo; atque suos bajulos secum transvexisse; ut jam ipsa portaret, a quibus fuisset nuper portata. Sed insulsum istud commentum ipse *R. Kimchi* exagitat; & ex Scripturâ Sacrâ refellitur *Josuë* 4. ubi Deus ad *Josuë* ait: *Præcipe Sacerdotibus, qui portant Arcam fœderis, ut ascendant de Jordane. Qui præcepit eis, dicens: Ascendite de Jordane. Cùmque ascendissent portantes Arcam fœderis Domini, & siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum & fluebant sicut ante consueverant.*

*Eorumdem de secunda Circumcisionis ratione error.*

V. Talmudici secundæ Circumcisionis, *Josuë* Cap. 5. a Deo imperatæ hanc afferunt rationem; Quòd illis temporibus fuerint multi, qui etsi a parentibus fuissent in tenellâ ætate ritè circumcisi; tamen iterum circumcidi debuere, si modò sacrorum communione consociari cæteris Judæis vellent. Nimirum, qui immanitate Ægyptiacæ servitutis pressi, arte quadam medicâ, subductâ atque distentâ pelliculâ, novum sibi præputium comparaverant, glandemque eo iterum contexerant: Similiter, inquiunt, atque cùm Romani rerum in Judæâ potiti, Templum funditus iterum evertissent, plurimi Hebræi hostium injuriis exagitati & vexati, eadem illâ ratione Religionis suæ professionem dissimularunt. Qui *Bar Chusiba* jussu postea denuo sunt circumcisi, cùm ille occupatâ Urbe *Bitter*, annis duobus & dimidio apud eam Gentem dominaretur, & maximâ libertatis spe omnium animos excitavisset. Erat autem id nomen impudentissimæ audaciæ nebuloni: Qui Messiæ sibi nomen assumebat atque arrogabat, cum suo appositissimo nomine *Bar Chuziba* mendacii filius diceretur. Sanctus etiam *Epiphanius* testatur, quisquis Judæorum ad Samaritanos, aut horum ad illos deficeret, eum novo

præ-

præputio comparato, novâ Circumcisione initiari solere. Idque *Symmacho* quoque, cujus inter Græcos Scripturæ Sacræ Interpretes celebre nomen est, inter alios accidisse, Imperatore *Severo*. Verùm illud Talmudicorum figmentum ex Scripturâ Sacrâ refellitur, quæ declarat hanc secundam Circumcisionem ad incircumcisos pertinere; *Josuë* 5. 2. & seq. *Eo tempore ait Dominus ad Josuë: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundò filios Israël. Fecit quod jusserat Dominus, & circumcidit filios Israël in colle præputiorum. Hæc autem causa est secundæ Circumcisionis: Omnis Populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit: Donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus ante juraverat ut non ostenderet eis Terram lacte & melle manantem. Horum filii in locum successerunt patrum, & circumcisi sunt a Josuë: Quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in viâ aliquis circumciderat.*

*Quo hebdomadæ die muri Jericho corruerint.*

VI. Septimum diem, quo muri Jericho corruerunt, septimâ Urbis circuitione, septimoque clangore, Sabbathum fuisse tradunt Hebræi in Thalmude Babilonico *Tractatu De Sabbatho*. Verùm cùm septimus ille dies dicatur ab expugnatione cœptâ insolito illo ritu, nec certum sit quotus esset hebdomadis dies, cùm circuire civitatem, Arcam circumferre, & buccinis clangere cœperunt, ut Deus jusserat, *Josuë* 6. nihil certi eâ de re definiri potest. Non magis certum quod scripsit *Josephus*, primum diem circuitionis Jerichuntis fuisse diem Paschatis sive 15. Nisan, aut quod in *Seder Olam* legitur, fuisse primum diem post Octavam Paschæ, qui erat vigesimus secundus Nisan.

*Thalmudicorum fabula de furto Achan.*

VII. Revelationem furti *Achan* hoc modo factam Thalmudici fabulantur. Omnes scilicet Israëlitas juxta Arcam transire jussos, & reliquis impunè ac liberè abeuntibus, solum criminis reum velut injectâ manu ab Arcâ ita retentum, ut ne pedem quidem ulteriùs movere potuerit. Eò Textum Sacrum detorquent. Ubi enim habet Vulgata nostra: *Et quicumque fuerit deprehensus*; Hebræus Textus habet, *Quem ceperit Dominus*. R. *Selomon* censet *Achan* fuisse deprehensum per Rationale Pontificis, in quo erant duodecim gemmæ inscriptæ nominibus duodecim Tribuum Israël: Ita ut Tribubus singulis ante Rationale transeuntibus, sistente se Tribu Juda, gemma quæ Judæ nomine inscripta erat, obscurata fuerit, suâque fuscedine Anathema esse in illâ Tribu indicaverit. Sed deinceps quæ cognatio, quæ domus, quæ persona in Tribu Juda rea fuerit, per sortes fuisse exploratum. Verùm missis illis Hebræorum figmentis, totam illam quæstionem per sortes habitam fuisse, ex Scripturâ Sacrâ certum est, Josuë 7. 14. *Accedetisque manè singuli per Tribus vestras, & quamcunque Tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domusque per viros. Et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantiâ suâ... Surgens itaque Josuë manè, applicuit Israël per Tribus suas, & inventa est Tribus Juda. Quæ cùm juxta familias esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: Cujus domum in singulos dividens viros invenit Achan.* Versio Arabica sortem per Tribus, per cognationes, per domos, per viros missam disertè ait. Denique *capi a Domino*, ut habet Hebræus Textus, vel *ostendi a Domino*, ut habent Septuaginta, idem est quod per sortem deprehendi, ut patet ex locis Scripturæ parallelis 1. *Regum* 10. 20. & 14. 41. & appositè quidem: nam *Sortes mittuntur in sinum, & a Domino temperantur*; (ut dicitur *Proverb.* 16. 33.) Vulgatæ Versionis hoc in loco sententiam confirmat *Josephus Lib.* 5. *Antiquitatum Cap* 1.

*Hebræorum fabula de sepultura Josuë.*

VIII. Tradunt Hebræi in *Seder Olam*, & in *Midras Ruth*, magno terræ motu concussum Montem Ephraim, cùm ibi *Josuë* sepeliretur, ex eoque partem illam Montis vocatam *Gaas*, quod *tremere*, & *commoveri* significat. Sed observationem illam vanissimam esse & anilem fabulam censet *Andreas Masius*. Credibilius illud existimat, quod iisdem Auctoribus proditum est, nomen *Thamnath Sara*, aut *Thamnath Hares* impositum Urbi *Josuë* fuisse a Solis simulacro, quod Israëlitæ super *Josuë* monumento collocaverant, ad conservandam miraculi, quo Sol jubente *Josuë* stetit, memoriam. *Hares* enim Solem significat, *Themuna* verò figuram. 70. Interpretes Cap. 21. gladiolos saxeos, quibus *Josuë* post transmissum Jordanem Populum circumciderat, unà cum ipso humatos asserunt.

---

## ARTICULUS III.

### *De Judicum Historiâ ab Hebræis interpolatâ.*

*Josephus castigatur.*

I. *Othonielem* primum Judicum *Josephus* malè *Cenizum* vocat, aitque eum profligato *Chusanis* (quem perperam *Chusarthen* nominat) exercitu, & vindicatâ Populi libertate, *egregiè navatæ operæ præmium principatum a populo accepisse nomine Judicis, in quo postquam annos quadraginta exegit, vitâ defunctus est*. 1. Othoniel quidem *Cenezi* filius fuit, non *Cenezus*: (Judicum 3. 9. 11.) 2. Principatum a Populo non accepit, sed a Deo, Judicum 3. 9. *Et clamaverunt ad Dominum: Qui suscitavit eis Salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez.* 3. Annos quadraginta in Principatu non exegit: Sed eo numero annorum quadraginta, comprehenduntur non octo solùm anni quibus Israëlitæ *Chusani* servierunt, sed etiam anni quibus Seniores superstites fuerunt *Josuë*. Unde Scriptura non ait, *Othonielem* judicasse annis quadraginta, sed *Quievisse terram quadraginta annis, & mortuum esse Othonielem*, id est, quiescere cœpisse terram anno quadragesimo postquam quies in eâ per *Josuë* constituta fuerat.

*Lib. 5. Antiq. Cap. 5.*

II. De Cantico gratiarum actionis *Debboræ* & *Barac* silet *Josephus*. Idem *Baracum* occiso *Jabino* Rege quadraginta annis Imperium Israëlitarum tenuisse ait: Quod Scriptura non dicit, sed *Quievisse Terram per quadraginta annos*, id est, quiescere cœpisse anno quadragesimo a quiete partâ per *Aodum*. Unde illo quadraginta annorum numero comprehenduntur viginti anni servitutis Chananææ, seu oppressionis Israëlitarum a *Jabino* Rege Chananitidis.

*Errata Josephi in Historia Gedeonis.*

III. *De Gedeone* sermonem faciens Cap. 8. idem *Josephus*, Spectrum ei adolescentis specie oblatum ait, qui felicem ac Deo charum appellaverit, & ad libertatem Israëlitici Populi vindicandam adhortatus sit. Hanc rem *Gedeonem* cum quibusdam Juvenibus communicasse, qui libenter credentes oraculo, sine morâ effecerunt ut præsto essent decem millia Militum, ad quidvis pro libertate audendum paratissima. Quem Scriptura quinquies *Angelum Domini* vocat, Josephus *Spectrum* appellat. Angelus *Gedeonem* Virorum fortissimum salutavit, Judic. 4. *Dominus tecum, Virorum fortissime.* Josephus mortalium felicissimum appellatum a Spectro illo suo *Gedeonem* memorat. Scriptura Sacra meminit Sacrificii a *Gedeone* per Angelum oblati, & igne cœlesti consumpti, ædificati Altaris, cui nomen inditum, *Domini pax*; Aræ *Baal*

dirutæ

dirutæ, nemorisque succisi, signi in vellere a Deo dati. Hæc gesta & miracula supprimit *Josephus*. Scriptura *Judicum* 6. 34. ait: *Spiritus Domini induit Gedeon, qui clangens buccinâ convocavit domum Abiezer ut sequeretur se:* Josephus ait, Ipsum rem hanc cum quibusdam Juvenibus communicasse. Addit *Josephus*: Deum *Gedeoni* in somnis apparuisse, *Jussisseque ut circa meridiem, cùm æstus fervet maximè, Exercitum duceret ad fluvium, & quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet: Quotquot autem trepidè ac tumultuariè potum sumerent, sic existimaret eos metu hostium hoc facere. Quod posteaquam, ita ut jussus est, fecit, trecenti inventi sunt cum perturbatione aquam sumere, cavis manibus ori admovendo. Imperavitque Deus ut his assumptis hostem invaderet.* Jussisse Deum *Gedeoni* ut eos fortes crederet, qui procumbentes biberent, in Scripturâ Sacrâ non legitur: & trecentos illos qui concavis manibus tumultuariè & raptim lambuerant aquas, viros fortissimos fuisse, colligitur ex eo, quòd Deus jam antea formidolosos & segnes remitti in domos suas jussisset, eoque mandato Præconis voce significato, viginti duo millia virorum reversa essent, *Judicum* 7. 3. Consequenter, qui postea segregati & electi sunt, postquàm reliqua decem millia ad aquas probata fuere, omnium erant fortissimi, & bello conficiendo maximè idonei. *Et ait Dominus ad Gedeonem: In trecentis viris qui lambuerunt aquas liberabo vos, & tradam in manu tuâ Madian: Omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.* (Judicum 7. 7.)

*Philo Byblius* sive *Annianus*, Angelum Gedeoni petenti signum respondisse fabulatur: *Curre, & accipe mihi aquam de lacu illo, & funde super terram istam, & dabo tibi signum. Et abiens accepit, sicut præceperat ei. Et dixit ad eum Angelus: Antequàm fundas supra petram aquam, pete quid velis fieri de eâ, sive sanguinem, sive ignem, sive ut nusquam compareat. Et dixit Gedeon: Fiat medium sanguis, & medium ignis. Et effudit Gedeon aquam super petram. Et factum est cùm effudisset, ut fieret media pars flamma, media autem pars sanguis, & commixta sunt utraque: & non extinxit ignem sanguis, nec sanguinem ignis excussit. Et hæc videns Gedeon petiit alia signa, & data sunt ei. Nonne hæc scripta sunt in Libro Judicum?* Sic Scripturæ Sacræ veritas atque integritas fabulosis nugacissimorum hominum narrationibus violatur.

*Gedeonis* historiam *Josephus* his verbis concludit: *Porrò Gedeon cùm vellet Imperium deponere, compulsus est id retinere per annos quadraginta, dicendo jus & litibus finiendis occupatus, Populo ratum habente quicquid ille in causis controversis judicaret.* Verùm *Gedeonem* voluisse Imperium deponere, Scriptura non testatur, sed Regnum sibi posterisque suis oblatum modestè recusasse; Judicum 8. 22. 23. *Dixeruntque omnes viri Israël ad Gedeon: Dominare nostri tu & filius tuus, & filius filii tui: Quia liberasti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.*

*Rabbinorum de filiâ Jephte sententia.* IV. Rabbini plerique recentiores asserunt *Jephte* filiam suam non mactasse, sed Deo devovisse ad custodiam virginitatis perpetuam, sicut nunc Sanctimoniales. Unde a patre licentiam petiit circumeundi Montes duobus mensibus, & plangendi *virginitatem* suam cum Sodalibus suis: Et quod Vulgata nostra habet, morem increbuisse in Israël, *Ut post anni circuitum conveniant in unum filiæ Israël, & plangant filiam Jephte:* Rabbini, quos sequuntur *Santes Pagninus*, & *Vatablus*, vertunt; *Ad alloquendum vel consolandum filiam Jephte:* Quòd scilicet ex voto patris maneret innupta. Indeque ansam sumpserunt fingendi, Puellis Hebræis quater in anno ad Virginem illam a patre devotam, & alicubi reclusam accessum patuisse, ut cum illâ colloquerentur, eamque consolarentur. Verùm figmenta ista in Dissertationibus refellemus, & filiam *Jephte* verè a patre mactatam probabimus.

*Josephi commentum de zelotypiâ Manuë Patris Samson.* V. *Josephus* in *Samsonis* historiâ quædam habet emendatione digna, *Lib.* 5. *Antiquitatum* Cap. 10. *Manue* seu *Manoehen*, (ut ipse vocat) *Samsonis* patrem zelotypiâ adversùs uxorem laborasse asserit, ideòque suspectam ipsi fuisse Angeli visionem, qui nasciturum ipsi filium nuntiaverat. *Manoehes*, inquit, *vir inter Danitas optimus, patriæ suæ sine controversiâ Princeps, uxorem habuit eximiâ pulchritudine suspiciendam supra omnes ejus ætatis fœminas: Ex quâ cùm nihil liberorum susciperet, ægrè ferens orbitatem, in suburbanum suum quod erat in campo magno, cum uxore ventitans, crebris precibus sollicitabat Deum, ut daret sibi liberos. Insaniebat autem in uxorem præ amore, eratque valde zelotypus. Cùmque aliquando sola ageret Mulier, se illius oculis obtulit Angelus Dei, specie Juvenis pulchri & magni, lætum nuncium afferens, fore ut favore Dei nascatur eis filius pulcher & insigni robore: Qui ubi ad virilem ætatem pervenerit, compescendam esse ab eo Palæstinorum insolentiam.... Illa Marito reverso Angeli verba indicat, mirè prædicans Juvenis staturam & pulchritudinem, ita ut vir tali laudatione motus ad zelotypiam, nonnihil de uxoris pudicitiâ malè suspicari inciperet. Quæ volens hunc Marito stultum mœrorem adimi, supplex Deum rogavit, ut iterum Angelum mittere dignaretur, quò ille a conjuge etiam posset conspici; & impetratâ hâc gratiâ, rursum in suburbano versantibus apparuit Angelus soli Mulieri.* Sterilem fuisse *Manue* uxorem Scriptura testatur; eleganti formâ supra omnes sui temporis feminas fuisse non ait. Neque etiam zelotypiam & insanum uxoris amorem tribuit pientissimo viro, quem uxoris sterilitas, pietas, fides, sinceritas his suspicionibus locum dare non sinebant. Juvenem ergo, quem sibi visum uxor dixerat, filiumque promisisse asseruerat, a Deo missum non dubitavit: tantùm abest, ut eâ occasione de pudicitiâ uxoris malè fuerit suspicatus; Sed Deum oravit ut iterum illum mitteret quò de filii promissi vocatione & Dei circa ejus institutionem voluntate, non ex viso dumtaxat muliebri, sed per ipsum Virum Dei certior fieret. Judicum 13. 8. *Oravit itaque Manuë Dominum, & ait: Obsecro, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, & doceat nos, quid debeamus facere de puero qui nasciturus est. Exaudivitque Dominus deprecantem Manuë & apparuit rursum Angelus Dei uxori ejus sedenti in agro. Manuë autem Maritus ejus non erat cum eâ. Quæ cùm vidisset Angelum, festinavit & cucurrit ad virum suum: Nunciavitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram. Qui surrexit, & secutus est uxorem suam. Veniensque ad virum dixit ei: Tu es qui locutus es Mulieri? Et ille respondit: Ego sum. Cui Manuë: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? Aut a quo se observare debebit?*

*Error Josephi in Samsonis Historiâ.* Idem *Josephus* ait *Samsonem* examen apum *in leonis pectore* mellificantium invenisse, *& sumptis inde tribus favis, eos cum aliis muneribus Adamatæ obtulisse.* Scriptura unicum favum mellis, non in pectore, sed in ore leonis a *Samsone* repertum testatur, nec Adamatæ, sed patri ac matri suæ partem ejus oblatam. Judicum 14. 8. 9. *Et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis. Quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat*

*in*

*in viâ; veniensque ad patrem suum & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt.*

Eodem in capite scribit *Josephus* de *Samsone*, ipsum arreptâ maxillâ asini, quæ fortè jacebat præ pedibus, in medios hostes irruisse: Quâ feriens quotquot assequi potuit, circiter mille interfectis, cæteros dare terga compulit. *Quâ victoriâ plus satis elatus, & opis divinæ immemor, cùm totum sibi tribueret, quòd maxillâ tantùm armatus fudisset ac fugasset hostiles copias, ingenti siti obortâ, confessus nihil esse quantaslibet humanas vires, Deo victoriam acceptam retulit, supplexque rogavit ut arrogantiæ datâ veniâ succurreret, & periculo se eximeret.* In *Samsonem* injuriosus est *Josephus*, quem cùm Apostolus in eorum censu numeret, qui *per fidem fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, existimandum non est hanc de Philistæis victoriam sibi totam tribuisse. Cùm itaque in Epinicio illo Carmine cecinit *In maxillâ asini, in mandibulâ pulli asinarum delevi eos, & percussi mille viros;* planè agnovit, & innuit, non factum id viribus humanis, sed illius virtute, in cujus manu telum debile nullum est. Deinde verò Deum orans ut siti laboranti subveniat, grato animo profitetur tantam illi victoriam se debere, rogatque ut concesso tam insigni beneficio, alterum addat probè sciens Deum non esse instar hominum, qui cùm dedere, manum occludunt: Quinimò illum ob id ipsum dare, quia jam dedit, & priora dona novis subinde cumulare. *Sitiensque valde clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: En siti morior, incidamque in manus Incircumcisorum.* (Judicum 15. 18.)

Quod de *Samsone* scriptum est, Judicum 16. 21. *Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt:* In obscœnum sensum trahunt Rabbini: Quasi idem esset quod *Job.* 31. 10. dicitur secundum Hebræum, *Molat alteri uxor mea;* ubi Vulgata nostra habet: *Scortum alterius sit uxor mea, & super eam incurventur alii.* Quo sensu *Horatius* Lib. 1. Satyrâ 2. ait:

. . . . . . . . . . *alienas*
*Permolere uxores.*

Et *Ausonius* Epigramm. 7.

. . . . . . . . *Molitur per utramque cavernam.*

Et *Theocritus* Idyll. 4.

. . . . . *Ille vetulus nunquid adhuc molit*
*Illam nigra supercilia habentem Amicam, quam olim deperibat?*

*S. Hieronymus* In illud Isaiæ 47. *Descende, sede in pulvere, Virgo filia Babylon, tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam,* &c. ait: *Præcipitur ei ut tollat molam, & molat farinam, quod est duræ captivitatis, & extremæ servitutis indicium: Ut quæ quondam Regina fuerat, postea molenda farina operi serviat. Sed quia sequitur:* Denuda turpitudinem tuam: *Etiam mola ab Hebræis figuraliter intelligitur: Quod scilicet in morem scorti victorum libidini pateat. Illudque quod in Judicum Libro de Samson scribitur, Ad molam eum a Philisthiim esse damnatum, hoc significare volunt, quòd pro sobole robustissimorum virorum, hoc in allophylas mulieres facere sit compulsus.*

Errata Josephi in Historia Heli.

VI. *Josephus* de *Heli* Pontifice, & *Samuële* agens, Deum ita cum *Samuële* puero, sed jam Prophetâ inaugurato colloquentem inducit, *Quando præsto es, audi imminere Israëlitis cladem majorem quàm credibile est, & filios Elis ambos unâ die perituros, & Sacerdotium meum migraturum in familiam Eleazari. Elis enim pluris fecit suos filios, quàm meum cultum.* Confundit ac permiscet *Josephus* alterius Prophetæ Anonymi, quem Deus ad *Heli* misit, Vaticinium cum revelatione factâ *Samuëli*. Nam *Samuel* perituros unâ die filios *Heli* non est vaticinatus, nec translationem Sacerdotii ab ejus domo, sed solùm imminentem ejus familiæ Dei vindictam generatim prædixit, ob nimiam ipsius in filios indulgentiam. Anonymus verò Propheta, & filiorum *Heli* proximam cladem mortemque denuntiavit, & Sacerdotii ab ejus familiâ translationem 1. Regum 2. 27. *Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus, &c. Quare calce abjecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in Templo; & magis honorasti filios tuos quàm me, ut comederetis primitias omnis Sacrificii Israël Populi mei? Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me: Sed quicumque glorificabit me, glorificabo eum: Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domûs patris tui, ut non sit Senex in domo tuâ. Et videbis æmulum tuum in Templo, in universis prosperis Israël; & non erit Senex in domo tuâ omnibus diebus. . . . . . Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni, & Phinees: In die uno morientur ambo. Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Ita verò Dominus ad *Samuëlem* Cap. 3. 12. *In die illâ suscitabo adversùm Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus: Incipiam, & complebo. Prædixi enim ei quòd judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eo quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas ejus victimis & muneribus usque in æternum.*

Scribit *Josephus Lib.* 5. *Antiquitatum*, Cap. 12. uxorem *Phinees* puerperam, cùm audivit mariti mortem, eâdem die obiisse, cùm peperisset filium *septimestrem quidem, vitalem tamen*. Quòd mense a conceptu septimo pepererit, nescio unde habuerit *Josephus*. Id certè Scriptura Sacra non dicit, imò repugnant, 1. Regum 4. 19. *Nurus autem ejus uxor Phinees prægnans erat, vicinaque partui; & audito nuncio quòd capta esset Arca Dei, & mortuus esset Socer suus, & Vir suus, incurvavit se & peperit: Irruerant enim in eam dolores subiti.* Sanè mulier septimo puerperii mense nondum *vicina partui* dicitur.

De Arcâ ab Azotiis in *Dagonis* Templo collocatâ ita scribit *Josephus* Lib. 6. Cap. 1. *Sequenti verò die manè venientes ut adorarent Deum suum, invenerunt eum e basi excidisse, & pronum prostratum ante Arcam: Quòd ægrè ferentes, in pristinum locum eum reponunt. Cùmque sæpiùs illuc accedentes, semper prostratum & adorabundum reperirent, stupor maximus & perturbatio totum Populum invasit.* At Scriptura Sacra Idolum *Dagonis* secundâ vice non solùm prostratum, sed capite & manibus mutilatum Azotios invenisse testatur 1. Regum V. 4. *Rursumque manè die alterâ consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terrâ coram Arcâ Domini: Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen: Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur Templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem.* Palæstinos *quinque statuas aureas pro quinque civitatibus dedicasse Deo*, scribit *Josephus*: Scriptura *quinque anos aureos pro delicto*, ut

*Errata Josephi in Historia Arcæ ab Azotiis in Dagonis Templo depositæ.*

ut habet Vulgata nostra 1. *Regum* 6. 17. Septuaginta, *Sedes aureas pro cruciatu Domino redditas*. Chaldæus, *Mariscas aureas*.

*Historia Ruth a Josepho & Rabbinis interpolata.*

VII. Historiam Ruth sub *Heli* Principatu contigisse scribit *Josephus Lib.* 5. *Antiquitatum* Cap. 11. Scriptura, *in diebus unius Judicis*, cujus nomen non indicat. *Ruth* 1. *Vers.* 1. Maritum *Noëmi* Josephus *Abimelecum*: Scriptura *Elimelechum* vocat. *Orpham* nurum alteram *Noëmi* matrem fuisse *Goliathi* Gigantis a *Davide* prostrati, Talmudici asserunt, quos sequitur *Philo Annianus*, imò & *Prudentius* in *Hamartigenei*. Verùm non mater, sed pater Goliathi *Rapha* nominatur 1. *Paralipomenon* 20. 6. Deinde *Goliathi* mater erat Philistæa, *Orpha* verò Moabitis. Talmudici tradunt *Ruth* fuisse filiam *Eglon* Regis Moabitarum, quem occidit *Aod*. Sed merum istud figmentum est, omnique veri specie caret, quòd Rex *Moab* filiam suam viro alienigenæ & pauperi collocaverit.

---

## ARTICULUS IV.

*De Regum Saülis & Davidis Historiâ ut ab Hebrais interpolatâ, vel confirmatâ.*

*Josephus notatur & refellitur.*

I. Josephus de *Saulis* inauguratione loquens Lib. 6. *Antiquitatum* Cap. 5. ait: *Propheta deductum eum ad convivium accumbere fecit, & famulum supra alios vocatos. (Erant hi septuaginta numero;) jussitque ministris ut Sauli portionem regiam apponerent.* Id Scripturæ Sacræ repugnat, quæ triginta duntaxat *Samuelis* convivas numerat; 1. Regum 9. 22. *Et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati: Erant enim quasi triginta viri.* De *Saulis* expeditione contra *Naas* Regem Ammonitarum ibidem sic loquitur: *Mense autem post acceptum Regnum elapso, exortum contra Naasen Ammonitarum Regem bellum apud omnes ex æquo auctoritatem illi paravit. Hic enim diu Judæis ultra Jordanem habitantibus infestus, postremò cum magno & forti Exercitu regionem ingressus, Urbes eorum subjugare cœpit: Nec contentus libertatem in præsens abstulisse, ut omnem rebellandi materiam in futurum adimeret, tam ultro deditis quàm vi subactis dextrum oculum eruebat: Ut quoniam scutum sinistro prospectum negat, omnino inutiles bello fierent. Hoc modo tractatis trans amnem incolentibus, in Galadenam Exercitum duxit, & castrametatus ad primariam regionis Urbem, cui nomen est Jabes, Oratores eò misit, qui conditiones offerrent, ut aut deditione factâ dextris oculis orbentur, ut alii, aut internecionem hominum, & oppidorum excidium expectent*, &c.

*Expeditio Saülis contra Naas Regem Ammonitarum.*

Plures Israëlitarum Urbes captas a *Naas* Ammonitarum Rege, omniumque, seu sponte deditorum, seu vi subactorum oculos dexteros ab ipso erutos, ante *Jabes* obsidionem, *Josephus* asserit; Scriptura tacet, suoque silentio *Josephum* erroris convincit. Belli namque initium ab obsidione *Jabes* repetit, & Jabeitis tam atroces minas primùm a Barbaro Rege intentatas innuit; 1. Regum 11. 1. 2. *Et factum est quasi post mensem, Ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit adversùm Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dexteros, ponamque vos opprobrium in universo Israël.* Pergit *Josephus* Cap. 6. *Volens autem* SAUL *pœna formidine Populum ad Ammoniticum bellum excitare, quò celeriùs conveniret, boum, qui fortè ab opere veniebant, nervos succidit, idem passuros minatus, qui postridie cum armis ad Jordanem non afforent, secuturi quòcumque ipse ac Propheta ducerent. Eo metu effectum est, ut cùm omnes ad præfinitum tempus præsto essent, recensitis apud Balam oppidum copiis, invenirentur septingenta millia confluxisse, absque Tribu Juda, quæ sola armavit septuaginta millia.* Addit, *Saulem* ingenti Ammonitarum strage editâ, *Naas* Regem *occidisse*. At non solùm boum nervos succidit Saul, ut *Josephus* memorat, sed *Assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israël per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saül & Samuel, sic fiet bobus ejus*: 2. Numerum multum *Josephus* amplificat. Scriptura enim Sacra *trecenta* duntaxat *millia filiorum Israël, virorum autem Juda triginta millia* recensita fuisse testatur, non ad *Balam* oppidum, sed ad *Bezech*. 1. Regum 11. 7. 8. 3. Falsum est, quod scribit Josephus, *Naas* Ammonitarum Regem a *Saule* fuisse occisum. Is enim ad *Davidis* usque tempora superstes fuit. Ad *Hanon* enim ejus filium multò post *Saulis* mortem *David* in Regno confirmatus Legatos misit, qui eum de recenti patris morte consolarentur. 2. Regum 10. *Factum est autem post hæc, ut moreretur Rex filiorum Ammon, & regnavit Hanon filius pro eo. Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David consolans eum per servos suos super patris interitu.*

*Jejunium a Saüle indictum.*

II. *Josephus* loquens de jejunio a *Saüle* indicto dum persequeretur Philistæos, hæc habet Lib. 6. *Antiquitatum* Cap. 7. *Rex sive nimio gaudio parum sui compos, quòd difficile sit eximiam felicitatem moderato animo ferre, sive per inscitiam, dignum quoddam reprehensione admisit. Volens enim meritas pœnas a Palæstinis ad satietatem repetere, diris devovit eum, quicumque intermissâ cæde ante noctem cibum caperet.* Reprehensione dignum *Saülem* ob indictum Jejunium asserit *Josephus*, quem Scriptura Sacra non reprehendit. Laudandus potius, qui ad promerendum Deum id fecerit. Insontem *Saulem* probat *Jonathæ* peccatum, qui contra patris interdictum favum mellis degustavit: Reum fuisse *Jonatham* probat Dei per Sacerdotem consulti silentium, Deique postea *Jonatham* per sortem convincentis judicium. 1. Regum 14. 41. *Et dixit Saül ad Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël, da Judicium: Quid est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonathâ filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: Aut si hæc iniquitas est in Populo tuo, da sanctitatem: Et deprehensus est Jonathas & Saül: Populus autem exivit. Et ait Saül: Mittite sortem inter me, & inter Jonathan filium meum. Et captus est Jonathas.* Est tamen quod *Josephum* excuset, Versio scilicet 70. Interpretum, quam secutus est. Sic autem habent illi: *Et Saül ignoravit ignorantiam magnam in die illâ, & maledicto Populum obstrinxit, &c.* At in Hebræo Textu, & in Vulgatâ nulla est *Saülis* reprehensio. *Josepho* favent *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 14. ad Populum Antiochenum, *Theodoretus* Quæstione 31. in Lib. 1. Regum, & *Procopius*. At *Josepho* refragantur, & *Saülem* ob indictum jejunium commendant *Tertullianus* Lib. *De Jejunio*, Cap. 10. *S. Ambrosius*, sive alius Auctor Sermonis inter Ambrosianos olim 35. *S. Hieronymus* Lib. 11. contra *Jovinianum*. Pergit *Josephus*, & *Jonathæ* constantiam commendat his verbis: *Ille ne præsenti quidem periculo territus, magno ac generoso animo se præbuit. Nihil, inquit, deprecor, pater: Libenter enim hanc mortem fero, quæ te religione solvat, dum priùs tam magnificam victoriam videre contigit.* At nihil hujusmodi Scriptura memorat. Id unum testatur, *Jonatham* facinus suum indicasse *Saüli*, & dixisse: *Gustans gustavi in summitate virga*

*virga, quæ erat in manu meâ, paululum mellis, & ecce ego morior.* [1. Reg. 14. 43.]

III. *Saülem* filiam suam *Micholem* eâ conditione *Davidi* despondisse *Josephus* scribit, ut *sexcenta Philistæorum capita* pro munere afferret: quod ubi præstitit, Regiam Virginem in Matrimonium obtinuit. (*Lib. 6. Antiquitatum Cap. 11.*) At Scriptura Sacra testatur Regem solùm postulasse a *Davide* centum Philistæorum præputia: *Davidem* verò percussisse *ducentos Philisthæos, & attulisse eorum præputia, & annumerasse ea Regi, ut esset gener ejus.* (1. Regum 18. 25. 27.)

*Ars Michol.*

*De Micholis* arte, quæ *Davidem* a *Saüle* ad mortem quæsitum periculo eripuit, verba faciens *Josephus* Lib. 6. *Antiquitatum* Cap. 14. ait: *Fune per fenestram demissum periculo exemit. Deinde parato lecto, tamquam ægrotanti stragulis jecur capræ recens exemptum subjecit: Diluculoque venientibus, quos Pater ad Davidem miserat, ostendit lectum opertum, & quòd palpitatione jecoris stragula moveri viderent, Maritum ægrum anhelare persuasit, &c.* Jecur illud capræ fictitium est; nec in Hebræo Textu, aut in Vulgatâ nostrâ uspiam comparet, in quâ sic legimus 1. Regum 19. 13. & sequentibus: *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis.* Hinc tamen error *Josepho* condonandus, in quem inductus est mendosâ 70. Interpretum Versione, apud quos legitur in Edit. Rom. Ald. & Basil. καὶ ἧπαρ ※ αἰγῶν ἔθετο πρὸς κεφαλῆς: *Et jecur caprarum posuit ad caput.* Quam Versionem etiam secuti sunt *Theodoretus* Quæstione 58. in Lib. 1. Regum, & *Procopius* in Commentariis. Quamvis Editio ※ Septuaginta Complutensis aut Regia nullam jecoris mentionem faciant, sed sic habeant: στρόγγυλωμα τριχῶν ※ αἰγῶν id est, *pilos caprarum in orbem convolutos.* De hoc loco *S. Hieronymus* Epist. 130. ad Marcellam. *In eo loco*, inquit, *quando Saül misit nuntios, ut acciperent David, & responderunt vexari illum graviter, misit rursum dicens*: Afferte illum in lecto ad me, ut occidam illum: & venerunt nuntii, & ecce κενοτάφια in lecto: *pro cenotaphiis, in Hebræo theraphim, id est,* μορφώματα *posita sunt; & non jecur caprarum, ut nostri Codices habent, sed pulvillus de caprarum pelle consutus, qui intonsis pilis, caput involuti in lectulo hominis mentiretur.* Variæ interpretationi occasionem dedit Hebræorum vocabulorum similitudo. Nam *Caved*, jecur significat; *Cevir* autem pannum crassum e pilis caprarum contextum.

*Davidis congressus cum Achimelecho Sacerdote.*

IV. *Josephus* Lib. 4. *Antiq.* Cap. 14. Loquens de *Davide*, cùm *Saülem* fugiens, *Nobem* ad *Achimelechum* Sacerdotem venit, ab ipso postulasse *viaticum refert.* Silentio verò præterit panes sanctificatos ipsi a Sacerdote datos, cùm priùs interrogasset an ipse & comites a mulieribus mundi essent. 1. Reg. 21. 4. 5. *Et respondens Sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: Si mundi sunt pueri maximè a mulieribus? Et respondit David Sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: Continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta.* Saulem omnes Sacerdotes Nobe per *Doëg* Idumæum interfici jussisse, Scriptura testatur 1. *Reg.* 22. & octoginta quinque trucidatos asserit Vers. 18. *Conversusque Doëg Idumæus, irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illâ octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* Josephus numerum auget: *Pontificem*, inquit, *cum totâ cognatione interfecit: Quorum numerus erat trecenti octoginta quinque.*

*De morte Saulis, errores Josephi & Rabbinorum.*

V. De *Saulis* morte ita scribit *Josephus Lib. 6. Antiq.* Cap. 15. *Ipse verò post multa fortia facinora edita, gravatus vulneribus, ut jam nec subsistere, nec sibi ipse manus inferre valeret, obsecravit Armigerum ut se ferro transfigeret, priusquàm vivus in hostium potestatem fieret. Quod cùm Armiger ob Majestatis reverentiam detrectaret, ipse admoto ad pectus proprii gladii mucrone, in eum incubuit. Et cùm deficientibus viribus trajicere se non posset, circumspiciens Juvenem proximum rogat, quisnam esset: Auditoque esse Amalecitam, orat ut se juvaret efficere, quod ipse suis manibus non quiret. Qui postquàm ejus optata exsecutus est, ademptis aureis armillis, & Coronâ Insigni Regio, festinus inde se proripuit.* At *Saulem* sibi ipsi violentas manus intulisse, Scriptura testatur 1. Reg. 31. 4. *Dixitque Saül ad Armigerum suum: Evagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant Incircumcisi, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit Armiger ejus, fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum. Quod cùm vidisset Armiger ejus, videlicet quòd mortuus esset Saül, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* Consona est Vulgata Hebraico Textui, Versioni Septuaginta Interpretum, & Chaldaïcæ Paraphrasi. Unde mentitus est Amalecithes, qui nuntium mortis *Saülis* ad *Davidem* afferens, a se interemptum dixit 2. *Regum* 1. Vers. 10. Mirum quòd *Saülis* sibi ipsi manus inferentis facinus laudent vel excusent Rabbini quidam: Quasi licitum esse possit aliquando & justum suicidium, & Decalogi præcepto, *Non occides*, non semper advertetur: quasi homo vitæ suæ, ut facultatum, sit dominus, & eam precariò a Deo non obtineat: Quasi sibi ipsi, non Reipublicæ, cujus membrum est, & natus sit, & vivat. Quasi non id ratio ipsa Ethnicis, qui ipsam consuluerunt, persuaserit *Ciceroni*, cujus ea verba sunt Tusculana 1. *Vetat dominans ille in nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare.* Platoni in Phædone dicenti: *Nefas esse hominem sibimet manus auferre, nec aliter irasci Deum, si id fiat, quàm dominum, si quod se mancipiorum occiderit.* Unde inconcussa est illa Morum Regula a *S. Augustino Lib. 1. De Civitate Dei*, Cap. 26. statuta: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hâc vitâ opus est, ut possint pœnitendo sanari: Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

*Josephus in laudibus Saulis nimius.*

In laudibus *Saülis* nimius est *Josephus*; quamvis non eum laudet quòd mortem sibi consciverit, aut inferre conatus fuerit, (ut ipse quidem scribit) sed quòd se, liberosque suos bellicis periculis objecerit, ut subditos ab hostibus tueretur. Id unum vult Josephus, quamvis nonnulli, qui ipsum perfunctoriè legerunt, aliud ipsi affingant. *Hic*, inquit, *mihi verè justus, & fortis ac prudens fuisse videtur: & si quis huic similis fuit, aut futurus est, huic virtutis testimonium ab omnibus reddi æquum censeo. Nam illos, qui cum certâ victoria incolumitatisque spe bellum aggrediuntur, posteaquam magnificum aliquid gesserint, non censeo merito fortitudinis titulis insigniri ab Historicis, aliisque Scriptoribus. Sed quamvis & illis sua laus debeatur, soli tamen generosi ac fortes periculorumque contemptores jure dici possunt, qui Saulem æmulantur. Quid enim magni est communem Martis aleam subire, & inter spem ac metum fluctuando, si fortuna affulserit, favore ejus uti? Contra nihil latum sperantem, & præscium quòd necesse sit in pugnâ cadere, & intrepidè tamen & imperculso animo*

*mo fato minati occurere*, *id verò generosi & fortis viri facinus ego censeo. Hæc est Saülis nostri laus, qui exemplo est omnibus veræ gloriæ amatoribus.* Neque tamen bellicæ fortitudinis laude clarum negaverim *Saülem* dum viveret, etsi laudem illam omnem ignavâ morte extinxerit. Hanc rerum bello præclarè fortiterque gestarum gloriam spectabat *David*, cùm illius, & charissimi *Jonathæ* funus hoc carmine prosecutus est, 2. Regum 1. *Sagitta Jonathę nunquam rediit retrorsum, & gladius Saül non est reversus inanis. Saül & Jonathas amabiles & decori in vitâ suâ, in morte quoque non sunt divisi; Aquilis velociores, leonibus fortiores, &c.*

*Hebræorum & Nicolai de Lyrâ opinio de salute Saülis rejicitur.*

VI. Æternam *Saülis* sortem quod spectat, Hebræi, & Lyranus eorum sententiam secutus, ejus pœnitentię ac saluti patrocinantur, nullo certè fundamento; immo Scripturâ Sacrâ repugnante 1. Paralipomenon 10. 13. *Mortuus est ergo Saul*, inquit, *propter iniquitates suas, eò quòd prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, & non custodierit illud: Sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino: Propter quod interfecit eum, & transtulit Regnum ejus ad David filium Isai.* Expressius Textus Hebræus: *Mortuus est Saül in prævaricatione suâ.* 70. Interpretes: *Mortuus est Saül in iniquitatibus suis.*

*Fabulæ a Rabbinis Historiæ Davidis admixtæ.*

VII. In *Davidis* Historiâ Scripturam Sacram satis fideliter sequitur *Josephus* Lib. 7. *Antiquitatum*. Rabbini hujusmodi Historię nonnullas fabulas pro more permiscent. De Hierosolymorum expugnatione a *Davide* agentes, ubi narrat Scriptura Jebusæos Urbis incolas dixisse Davidi: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur David huc:* Cæcos istos & claudos nihil aliud fuisse fabulantur, quam duas imagines duorum Patriarcharum, unam *Isaac* cœci, alteram *Jacob* claudi, in Mœnibus Arcis Sion positas, ut per eas admonerentur Israëlitę fœderis, quod cum *Isaac* & *Jacob* pepigerat olim *Abimelech* (Genesis 26.) ut proinde ab Arcis expugnatione abstinerent. Verùm hęc mera fabula est. Res verò gesta ita se habet. David Hierosolymis cum Exercitu imminens, Pręcones ad Jebusæos misit, qui eos ad deditionem æquis, ut fieri solet, conditionibus invitarent: Ipsi loci firmitate & munitionibus confisi, non solùm deditionem recusarunt, sed conditiones a *Davide* propositas contempserunt, dicentes: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos:* Quod scilicet milites cœci & claudi, belloque facti inutiles, ad defensionem Urbis & Arcis sufficerent. Sic intellexit *Josephus* Lib. 7. *Antiquitatum* Cap. 2. *Jebusæi*, inquit, *qui tum Urbem incolebant, Chananæorum & ipsi generis, clausis ad ejus adventum portis, & in mœnibus quotquot erant cæci vel claudi, aut aliqui mutili in contemptum Regis collocatis, dictitabant hos ad arcendum hostem sufficere, freti munitionum firmitate.* Ita etiam hunc locum explicat *Theodoretus* Quæstione 16. in Lib. 2. *Regum*.

*Idolum fletûs.*

VIII. Locum in quo prælium cum Philistæis a Davide commissum est, Scriptura Sacra 2. *Regum* 5. 23. a *Pyris* nomen habuisse notat. *Sylvam fletus* Josephus vocat *Lib. 7. Antiquitatum*, Cap. 4. Ab Idolo Philistæorum, qui lacrymis sacrificabant, loco nomen inditum, fabulantur Hebræi apud *S. Hieronymum*, seu Auctorem alterum *Traditionum Hebraicarum in Lib. 1. Paralipomenon*, Cap. 14.

*Benedictio Obededom propter Arcam Domini.*

IX. Testatur Scriptura Arcam Domini mansisse in domo *Obededom* Hethæi tribus mensibus, & *Benedixisse Dominum Obededom, & omnem domum ejus.* (Regum 6. 2.) Tradunt Hebræi Dominum domui ejus benedixisse, eò quòd omnes uxores ejus, & concubinę, & nurus, & ancillæ masculos pepererint filios; nec non & fęminæ quadrupedes geminos ei ediderint fœtus; & id confirmari putant ex 1. *Paralipomenon* 26. 4. 5. ubi octo filii ejus recensentur, & tam numerosæ soboli additur ratio; *Quia benedixit ei Dominus.* Ita refert Auctor *Traditionum Hebraicarum in Lib. Regum* apud *S. Hieronymum*; Hebræorum sententiam Tostatus improbat; Quia trium mensium spatio illâ ex fęcunditate felicitas apparere non potuit. Respondet *Salianus*; Non dicere Scripturam, innotuisse hominibus *Obededonis* felicitatem, sed Dominum ei benedixisse; sive hominibus id advertentibus, sive non advertentibus. At *Saliani* responsionem evertunt verba Scripturæ 2. Regum 6. 12. *Nuntiatumque est Regi David, quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus propter Arcam Dei.* Quomodo verò id nuntiari potuit *Davidi*, nisi hominibus nota fuisset *Obededonis* felicitas, & perspecta tantæ felicitatis causa?

*Sterilitas Michol.*

X. De *Michole* Saülis filiâ & *Davidis* uxore, quæ *Davidem* ipsum coram Arcâ Domini in solemni pompâ saltantem despexit, ait Scriptura 2. Regum 6. 23. *Igitur Michol filiæ Saül non est natus filius usque in diem mortis suæ.* Hebræi apud *S. Hieronymum* tradunt *Michol* ipsam esse *Eglam*, quę genuit *Davidi Jethraam*, cujus partu occubuit. Sed hęc Hebręorum Traditio inter fabulas explodenda est.

*Titulus Absalonis.*

XI. Tradunt Hebręi, quòd *Absalom* depositus de quercu petierit sibi inducias, antequam perimeretur, ut faceret sibi Titulum ad memoriam sui, eò quod non haberet filium talem, qui Regno dignus esset: Putabat enim filios suos non solùm Regno indignos, verùm etiam ob peccatum quod in patrem commiserat indignos vitâ. In quo Titulo manum dicitur defixisse, & figuram manus suę expressisse, ideòque Titulum *Manum Absalonis* vocari. Purum putum commentum est. Titulum enim ante hujusmodi cladem ab *Absalone* erectum Scriptura testatur 2. Regum 18. 18. *Porro Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viveret, Titulum, qui est in Valle Regis: Dixerat enim: Non habeo filium; & hoc erit Monimentum nominis mei. Vocavitque Titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalom usque ad hanc diem.*

*Eupolemi testimonium, Davidis Historiam confirmans.*

XII. De *Davide* scribit *Eupolemus*, quem Judæum fuisse innuit *S. Hieronymus* in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, in Clemente Alexandrino: *Saüli Davidem ipsius filium successisse, qui Syros ad Euphratem incolentes, & Commagenem oppidum, cum iis, qui Galadenem tenebant, Assyriis ac Phœnicibus debellarit. Eumdem adversùs Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Ituræos, Nabathæos, & Nabdæos, itemque contra Suronem Tyri Phœniciæque Regem movisse, quos ille omnes Judæis in posterum tributa pendere coëgerit. At cum Vaphre Ægyptiorum Rege fœdus percussisse. Porrò cùm Deo Templum excitare percuperet, vehementiùs a Deo contendisse, utì sibi eximium statuendo Altari locum indicaret: Simulque repente oblatum ei Angelum fuisse, qui supra locum eum, ubi Hierosolymæ Ara posita est, consisteret; a quo tamen ejusmodi Templum ædificari prohibitus fuerit, quòd se se humano sanguine proluisset, annosque plurimos bellis gerendis occupatus fuisset. Angeli nomen Dianathanum esse refert, jussumque ab eo Davidem relictâ Filio ædificationis moliendæ curâ, quæ futuri operis substructio postularet, aurum, argentum, æs, lapides, ligna, tam cupressina, quàm cedrina, diligenter ante comparare. Ergo Davidem his auditis, navibusque apud Anchana Arabiæ civitatem ædificatis, effodiendi metalli artifices Urphen Rubri Maris Insulam auri fodinis abundantem misisse, qui auri plurimum in Judæam inde retulerint. Davidem autem, post-*

*quàm annos quadraginta regnasset, Imperium Salomoni filio annos duodecim nato, coram Helio Sacerdotum Principe, ac Tribunis duodecim, cum auro, argento, ære, lapidibus, lignisque omnibus cupressinis ac cedrinis tradidisse*. Hoc fragmentum ex Libro *Eupolemi De Eliæ Prophetiâ* descripsit *Eusebius Libro* 9. *Præparationis Evangelicæ Cap*.30.

*Mors Davidis: Ejusque elogium ex Josepho.*

XIII. *De Davidis* morte & sepulturâ ita scribit *Josephus Lib*.7. *Antiquitatum* Cap.12. *His mandatis Filio de Republicâ, & amicis, & eis quos punitos volebat, expiravit, exactis septuaginta vitæ annis, vir optimus, & omnibus virtutibus præditus, quas Regem tot Gentium incolumitati prospicientem habere oportebat. Nam fortis erat, ut nemo alius, & in certaminibus pro subjectorum tutelâ susceptis primus se periculis objiciebat, exemplo suo militem ad præclara facinora excitans, & non tamquam dominus pro imperio ad officium cogens. Idem in consiliis prudentissimus, & egregiè callens quid in præsens, quidve in futurum conduceret. Ad hæc sobrius, mitis, benignus erga calamitosos, justus, humanus: Quæ quidem præcipuæ sunt Regum virtutes. Nec in tantâ potestate umquam ab æquitate deflexit, nisi quòd ad Uriæ uxorem attinet. Tantas præterea divitias Hæredi reliquit, quantas nullus alius Rex vel Hebræorum vel aliarum Gentium. Sepelivit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnificè, præter solemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit conjectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos mille treecentos Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto Exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, apertâ cellâ Monumenti Davidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numeratâ, oppugnationis periculo se exemit, sicut & alibi indicavimus. Ac rursum post multos annos elapsos, Herodes Rex aliâ cellâ apertâ, magnam pecuniam sustulit. Ad loculos tamen qui Regum cineres continent, neuter eorum pervenit. Singulari enim arte ita erant sub terrâ conditi, ut ab ingredientibus Monumentum inveniri nequiret*. Narrationem illam *Josephi* de pecuniâ in sepulcro *Davidis* conditâ aliàs ad examen revocabimus.

## CAPUT VII.

## DE HISTORIA QUARTÆ Ætatis, ut ab Ethnicis Scriptoribus confirmatâ vel interpolatâ.

### ARTICULUS I.

*De Moyse, & Rebus ab eo vel sub eo gestis.*

*Fabula Manethonis, Lysimachi, Charemonis, & Apionis, de Israëlitarum egressu ex Ægypto, quibus tamen Historiæ veritas confirmatur.*

I. MOSIS Historiam multis figmentis infuscarunt Scriptores Ethnici. *Manetho* in Ægyptiacis, *Charemon*, *Lysimachus*, & *Apion* Alexandrinus, commenti sunt Hebræos, qui ex Ægypto Duce *Mose* sunt egressi, fuisse agmen hominum impetigine ac leprâ affectorum, qui ex Ægypto pulsi, Syriam repetiverunt. Atque ut a *Manethone* incipiam, is Historiam ex sacris Ægyptiorum literis conscribens, ait *Themosin* Regem *Pastorum* gentem perduellem (quo nomine Judæos indigitat) Urbe cui nomen *Avaris* inclusam, expugnare conatum, ducto in ipsos quadringentorum octoginta millium hominum Exercitu. *Cùm verò obsidionem desperasset, pacta cum eis fecisse, ut Ægyptum relinquentes, quò vellent incolumes omnes abirent. Illos verò his promissionibus impetratis, cum omni domo & possessionibus, non minùs ducenta quadraginta millia numero, ex Ægypto per Desertum in Syriam iter egisse, & metuentes Assyriorum potentiam* [ *Tunc enim illi Asiam obtinebant* ] *in Terrâ, quæ nunc Judæa vocatur, civitatem ædificasse, quæ tot millibus hominum sufficere posset, eamque Hierosolymam vocitasse*. Deinde verò idem *Manetho* fingendi licentiam sibi usurpans ait, *Amenophim* Regem desiderio videndi Deos incensum, *Amenophi* Sacerdote ac Vate consulto id responsi ab ipso accepisse: Deorum visione dignum futurum, si Provinciam a Leprosis & aliis maculatis hominibus purgare contenderet. Regem hoc lætum oraculo omnes corpore debiles ex Ægypto congregasse, & collegisse octoginta millia; eosque ad sectionem lapidum in partem Nili Orientalem misisse, simul cum aliis Ægyptiis ad idem opus amandatis. Fuisse autem in eorum numero Sacerdotes quosdam eruditos, leprâ pariter infectos. *Amenophim* Vatem, qui vim apertam illis inferri suaserat, Deorum indignationem, cùm erga Regem, tum erga seipsum timuisse; & prædixisse quosdam immundis hominibus auxilium laturos, qui Ægyptum annis tredecim obtinerent. Et hæc quidem Regi dicere non ausum; sed oraculo in literas relato, mortem sibi conscivisse. Post hæc, Regem eis desertam Urbem, quæ Pastorum fuerat, concessisse, nomine *Avarim*. Quem in locum ad rebellandum opportunum cùm se recepissent, *Osarsiphum* Heliopolitanum Pontificem Ducem sibi constituisse, cui fidem obstrinxerunt. *At ille primùm quidem Legem eis posuit, ut neque Deos adorarent, neque ab animalibus, quæ præcipuè apud Ægyptios sacra erant, se penitùs abstinerent: Nullique copularentur, nisi cum quibus fœdus habere videbantur*. Hæc & alia Ægyptiorum contraria moribus cùm sanxisset, Urbe firmissimis propugnaculis munitâ, bellum *Amenophi* Regi intulit, vocatis in auxilium e Pastorum gente, olim a *Themosi* Rege Hierosolymam relegatâ ducentis hominum millibus. His occurens *Amenophis* cum trecentorum millium hominum Exercitu, congredi non est ausus, *putans se contra Deum pugnare*. *Memphim* itaque reversus, sumpto Api, & aliis Sacris, cum Ægyptiorum multitudine in Æthiopiam se recepit, ubi a Rege humanissimè receptus est. Interim, inquit, Solymitæ cum Leprosis Ægyptiis irruptione in Ægyptum factâ, civitates incenderunt, Deorum Simulacra everterunt, Sacra Animalia discerpserunt. *Dicitur itaque quòd Politiam & Leges eis composuit Sacerdos quidem genere Heliopolites, nomine Osarsiphus vocatus, ex nomine Osireos Heliopolitani Dei. Qui dum conversus fuisset ad hoc genus, mutavit Nomen, & vocatus est Moses*. Hæc *Manethonis* deliramenta multis refellit *Josephus Lib*.1. *contra Apionem*; tum maximè quæ de *Moyse* commentus est. *Superest*, inquit, *ut de Moyse illi contradicam. Hunc virum mirandum Ægyptii & divinum existimant, sed non sine blasphemiâ incredibili sibi vindicare conantur; dicentes, esse Heliopolitanum Sacerdotem, ob lepram cum aliis pulsum. Ostenditur autem in ratione temporum DXVIII. annis prior fuisse, & Patres nostros ex Ægypto in regionem quam nunc tenemus duxisse. Quòd verò hujusmodi calamitatis corpus expers habuit, ipsius dicta indicant. Leprosis enim & oppidis & vicis interdixit, ut seorsim in lacero vestitu agant; & eum qui eos attigisset, aut sub idem tectum successisset, pro impuro habet. Quia etiam si eo morbo liberari, & in pristinum statum restitui contingat, præscripsit certas purificationes, mundationes, & fontanarum aquarum lavacra, &* om-

*omnium pilorum abrasione: Multisque & variis sacrificiis peractis, tum demum Sanctam Urbem adeundam. Atqui contrà par erat, qui talem calamitatem expertus esset, providentiam aliquam ac humanitatem exhibere simili infortunio pressis. Non solùm autem de leprosis sic leges tulit, sed ne minimâ quidem corporis parte mutilatos ad Sacrorum curam admisit. Sed etiam si jam Sacerdoti aliquid tale accidisset, honore eum privavit. Quomodo igitur verisimile est illum has adversùs semetipsum cum opprobrio suo damnoque tulisse leges? Quin & nomen valde incredibiliter mutavit. Osarsiph enim (inquit) vocabatur. Hoc ad transmutationem nihil quadrat. Verum autem nomen significat, ex aquâ servatum Moysen, nam aquam Ægyptii Moy vocant.*

II. *Charemon* in Ægyptiacâ Historiâ eamdem fabulam alio modo adornat. Ait scilicet, *Isidem* in somnis *Amenophi* Regi apparuisse, incusantem quòd Templum suum bello dirutum esset. *Phritiphrantem* verò Sacrum Scribam dixisse; si a pollutis hominibus Ægyptum repurgaret, liberatum iri a nocturnis terroribus: Atque ita delectu vitiosorum & languentium hominum habito, ducenta quinquaginta millia e finibus ejecta. *Duces verò eorum fuisse Scribas Mosen & Josephum, Ægyptia verò eis nomina esse, Mosi Tisithen, Josepho Petesephi. Hos Pelusium venisse, ibique offendisse trecenta octoginta millia ab Amenophi relicta, quæ is in Ægyptum transferre noluerat. Cum his icto fœdere, contra Ægyptum Expeditionem habitam. Amenophim autem non expectato impetu eorum in Æthiopiam fugisse, relictâ uxore gravidâ quæ in speluncis quibusdam delitescens enixa est puerum nomine Messenem. Hunc, posteaquam ad virilem ætatem pervenisset, expulisse Judæos in Syriam numero circiter ducenta millia, & patrem Amenophim ex Æthiopiâ recepisse.*

Hujus fabulæ vanitatem ex *Manethonis* & *Charemonis* in eâ referendâ dissensione *Josephus* demonstrat. *Si quid enim*, inquit, *veritatis subesset, impossibile erat in tantum eos discrepare. At qui mendacia componunt, non aliorum scriptis consona scribunt; sed quæ ipsis libet, confingunt.* Itaque *Manetho* Regiam cupiditatem videndi Deos ejiciendis leprosis occasionem dedisse ait. *Charemon* autem suum de *Iside* somnium finxit. Ille octoginta millia numerat: *Amenophim* indixisse Regni purgationem scribit: Hic verò *Phritiphrantem*. Ille octoginta millia Leprosorum: ille ducenta quinquaginta millia numerat. *Manethon* primùm ad lapidicinas relegatos Leprosos, deinde ad *Avarim* habitandam traductos, ac reliquâ Ægypto bello vexatâ, tum demum auxiliares copias Hierosolymis accivisse: *Charemon* Ægypto decedentes circa Pelusium invenisse trecenta octoginta millia hominum ab *Amenophi* relicta, ac cum illis rursum Ægyptum invasisse, & *Amenophim* in Æthiopiam fugisse. Denique *Josephum* quasi eodem tempore expulsum *Charemon* adjunxit, annis ferè centum septuaginta ante *Moysen* defunctum.

III. *Lysimachus* novis figmentis Historiam Exitûs Israëlitarum ex Ægypto interpolavit, Ait enim: *Quâ tempestate Bocchoris in Ægypto regnabat, Populum Judæorum quòd essent leprâ, scabie, & aliis quibusdam morbis infecti, ad Templa confugisse ut mendicato alerentur.* Multis autem hominibus morbo correptis, sterilitatem in Ægypto accidisse. *Bocchorim* verò interrogato *Ammonis* Oraculo, responsum accepisse: *Repurganda esse Templa ab hominibus impuris & impiis, ejectis eis e Templis in loca deserta. Cæterùm Leprosos ac scabiosos mergendos, tanquam Sole horum vitam ægrè ferente, & Templa expianda, atque ita fore ut terra fructum ferat. Bocchorim autem accepto Oraculo, accersitisque Sacerdotibus, & Sacrificiis, jussisse collectis impuris, hos militibus tradi deportandos in desertum: Leprosos verò ac impetiginosos, plumbeis laminis involutos, in pelagus dejici. His submersis, reliquos congregatos, & in locis desertis expositos esse ut perirent. Nocte superveniente, eos habito consilio, ignibus ac lucernis accensis custodias agitasse. Sequenti nocte jejunatum ut Numen propitium eos servaret. Insequenti verò luce a Mose quodam consilium datum, irent conferti unâ viâ usque dum ad loca culta perveniretur. Tum præcepisse, Ne cui hominum in posterum benevoli essent, utque consilium malum potiùs quàm bonum darent, Deorumque Templa, & Altaria, quotquot invenirent, everterent. His comprobatis ac destinatis multitudinem iter fecisse per desertum, ac post multa incommoda, tandem ad loca culta perventum. Tum verò hominibus injuriosè tractatis, & fanis direptis ac incensis venisse in eam Provinciam, quæ nunc Judæa dicitur: Conditâque civitate hic habitare: Urbem verò* Ιερόσυλα *ex re nominatam. Aliquanto autem post jam auctos viribus mutasse nomen vitandi probri gratiâ, & urbem Hierosolyma, se ipsos Hierosolymos vocasse.* Hunc *Lysimachum* ex pluribus capitibus refellit *Josephus*. 1. Quòd de Rege sub quo ista contigisse scribit, cum *Manethone* & *Charemone* non conveniat. 2. Quòd pro somnio, ac Vate Ægyptio, *Ammonem* fingat de Leprosis ac impetiginosis interrogatum. 3. Quòd Judæorum multitudinem in Templa collectam dicat, nec exprimat an indigenæ, vel advenæ essent. *Cur igitur*, inquit, *eos cùm sint Ægyptii, Judæos vocas? Quòd si hospites sunt, cur undenam sint non dicis? Quomodo autem cùm Rex tam multos ex his mari mersisset, reliquos in loca deserta ejecisset, tanta multitudo superfuit? Aut quomodo pertransierunt desertum, & occupaverunt regionem quam nunc tenemus, & condiderunt urbem & extruxerunt Templum apud omnes celebre? Oportebat autem de Legislatore non solùm nomen dicere, sed & genus, quisnam, & ex quibus ortus. Quamobrem verò tales eis aggressus sit ferre Leges de Diis, etiam erga homines injustas. Sive enim Ægyptii erant genere, non tam facilè patrios mores mutare potuissent; sive aliunde erant, omninò aliquas habebant leges consuetudine observatas. Si igitur de expulsoribus suis jurassent, nunquam se illis fore benevolos, rationem non absurdam habuissent. Quòd si bellum internecinum adversùs universos mortales susceperunt, cùm essent, [ut ipse ait] miseri, & omnium opis egeni, maxima stultitia non illorum, sed hæc fingentis ostenditur. Iste namque etiam nomen impositum Civitati a Templorum spolatione præsumpsit dicere, & hoc postea fuisse mutatum. Mirum ni quia posteris quidem tale nomen turpe fuit & odiosum; Ipsi verò qui fundavere Urbem, ornare semetipsos etiam vocabulo credidere. Hic autem generosus vir præ nimiâ detrectationis impotentiâ non intellexit, Hierosolyma non idem voce Judaicâ quod Græca significare.*

IV. *Apion* Grammaticus Lib. 3. Rerum Ægyptiacarum, *Mosen* Heliopolitanum fuisse scribit, *Qui patriis institutus moribus, subdivales precationes ad septa, qualis Civitas habebat, reduxit. Ad subsolanum autem omnia convertebat. Ita enim Heliopolis sita est. Pro obeliscis verò statuit columnas, sub quibus seu pelvis forma exprimebatur: Umbra in eam insidens, utpote per sudum, eumdem semper cum Sole cursum circumvolvebat.* Mendacii *Apionem* convincit *Josephus* Lib. 1. quòd hanc Tabernaculo formam a *Mose* inditam non fuisse, ex Libris ipsis Mosaicis compertum sit. Eumdem Grammaticum temeritatis arguit, quòd *Mosen* Heliopolitanum asserat ex Seniorum relatione, cùm certò affirmare non possit quænam *Homeri* Poëtæ pa-

Patria fuerit. Ostendit demum pugnare rationem temporum, quibus *Mosen* ait eduxisse ex Ægypto leprosos, & cæcos, & claudos. *Manetho enim regnante Themosi Judaos dixit ex Ægypto discessisse annis treecentis nonaginta tribus antequam Danaiis apud Argos exularet. Lysimachus autem tempore Bocchoris Regis, hoc est, ante annos mille septingentos. Molon verò & alii quidam, ut cuique visum est. At verò Apion cateris fide dignior, exactè illum exitum definivit 7. Olympiade, & hujus anno primo, quo, [ut ait] Pœni Carthaginem condiderunt. Carthaginis autem mentionem adjecit, ratus argumentum id veritatis se habiturum evidentissimum: Nec animadvertit a semetipso adductum quo coargueretur. Si enim de hac Coloniâ Monumentis Phœnicum credendum est, in illis Hiram Rex traditur antiquior Carthagine, conditâ post annos plus quàm centum quinquaginta: Qui Salomoni Templi Hierosolymitani conditori amicus fuit, & multa ad Templi fabricam contulit. Salomon verò adificavit Templum post Judæorum discessum ex Ægypto annis sexcentis duodecim.*

*Apionis commentum De Sabbathi Judaici constitutione.*

V. Idem *Apion* de Sabbathi Judaici institutione sic fabulatur. *Exacto*, inquit, *sex dierum itinere, inguinum ulceribus affecti sunt; & hâc de causâ septimâ die quieverunt, incolumes constituti in regione, qua nunc Judæa vocatur; & appellaverunt eum diem Sabbathum, servatâ Ægyptiorum voce. Nam inguinis morbum Ægyptii vocant Sabbatosim.*

Commentum istud refellit *Josephus, Lib.2. Contra Apionem* his argumentis 1. Incredibile esse quòd centum & decem millia hominum, inguinibus laboraverint, & cœcitate, claudicatione, leprâ, aliis generis morborum languerint. Quomodo enim sex dies iter agere, & hostibus resistere potuissent? 2. Pugnantia scribit *Apion* scilicet sex diebus illos in Judæam pervenisse; & *Moysen* nihilominus conscenso Monte, qui Ægyptum inter & Arabiam situs est nomine *Sinæus*, quadraginta diebus delituisse, indeque Judæis Leges dedisse. At quomodo possibile est eosdem & quadraginta dies in deserto loco manere, & sex nihilominus diebus spatium hinc inde interjacens pertransire? 3. Sabbathi appellationis grammatica ratio ab *Apione* allata ejus impudentiam vel imperitiam arguit. Nam hæ voces, *Sabbo*, & *Sabbathum* inter se maximè differunt. *Sabbathum enim, secundùm Judæos, quies est ab omni opere: Sabbo verò (ut ille affirmat) Ægyptiis inguinum morbum significat.* Hæc *Josephus*?

*Ptolemæi Alexandrini,*

VI. *Ptolemæus* Alexandrinus, *Hephestionis* filius, cognomento *Chennus* Libris Historiarum, quos fabulis inspersos *Tertullæ* cuidam dicavit, commentum hoc inseruit: *Moysen Hebræorum Legislatorem* Αλφα *idcirco fuisse appellatum, quod* ἀλφῷ *hoc est vitiligine corpus infectum haberet.* Ita refert *Photius* ejus Libros recensens *Cod.190.* suæ *Bibliothecæ*.

*Et Trogi Pompeji de Moyse commenta.*

VII. *Trogus Pompejus*, & ex eo *Justinus* Libro 36. Cap.2. eamdem fabulam habet, multisque aliis commentis Mosaicam adulterat Historiam. Postquam enim de *Josepho Israëlis* filio sermonem fecit, continuò subdit: *Filius ejus Moses fuit, quem prter paterna scientia hareditatem, etiam forma pulchritudo commendabat. Sed Ægyptii, cùm scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti, cum eum agris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur Exulum factus, Sacra Ægyptiorum furto abstulit: Qua repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moses Damascenâ antiquâ patriâ repetitâ, Montem Synan occupat: Quò septem dierum jejunio, per deserta Arabia, cum Populo suo fatigatus, cùm tandem venisset, septimum diem more gentis Sabbatum appellatum, in omne ævum jejunio sacravit: Quoniam illa dies famem illis erroremque finierat. Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causâ invisi apud incolas forent, caverunt, ne cum peregrinis communicarent; Quod, ex causâ factum, paulatim in disciplinam religionemque convertit. Post Mosen etiam filius ejus Aruas, Sacerdos Sacris Ægyptiis, mox Rex creatur; semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem Reges & Sacerdotes haberent: Quorum Justitiâ Religione permixtâ, incredibile quantùm coaluere.* Multis scatet erroribus hæc *Trogi Pompeji* & *Justini* narratio. Imprimis falsum est, *Mosen* filium fuisse *Josephi*. 2. Ineptissima fabula est, quòd propter scabiem & vitiliginem ex Ægypto Judæi pulsi sint. 3. Falsum quòd Ægyptiorum Sacra furto *Moyses* abstulerit. 4. Falsum quòd ea repetentes Ægyptii domum redire tempestatibus compulsi sint: Imò Maris Rubri fluctibus absorti sunt & extincti ad unum omnes qui Israëlitas persequebantur. 5. Falsum quòd Mons Sinai itineris ipsorum terminus fuerit. 6. Falsum quòd septem dierum jejunium, quo per Arabiæ deserta vexatos fabulatur, institutioni Sabbathi occasionem dederit. 7. Falsum est quòd Judæi Sabbathum jejunio sacraverint. 8. Fictitius est *Aruas* Mosis filius, qui Sacrorum Ægyptiacorum Sacerdos, & deinde Rex Judæorum fuerit. Ex *Aarone* Mosis fratre, primo Synagogę Judaicę Sacerdote, non Rege, *Aruam Mosis* filium Ægyptiacæ Superstitionis Sacerdotem fecit. 9. Falsum est morem semper exinde apud Judæos fuisse ut iidem Reges Sacerdotes essent. Imò inter omnes Reges Israël & Juda; & ante Regum Principatum, inter Judices qui Rempublicam Israëliticam rexerunt, nullus extitit Sacerdos.

VIII. *Cornelius Tacitus, Historiarum Lib.5. Cap.3.* & 4. veram *Mosis* totiusque Judaicæ Gentis Historiam multis figmentis interpolavit, inter quæ tamen veritas haud penitus extincta multis ac illustribus se prodit indiciis. *Plurimi*, inquit, *Auctores consentiunt, ortâ per Ægyptum tabe, qua corpora fœdaret, Regem Ocehorim, adito Hammonis Oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum, ut invisum Deis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas torpentibus, Mosen unum Exulum monuisse, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet ut Duci cœlesti crederent, primo cujus auxilio credentes, præsentes miserias pepulisset. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aquè quàm inopia aqua fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: Cùm grex asinorum agrestium, e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, conjecturâ herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen: Et continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus, obtinuere terras, in quibus Urbs & Templum dicata sunt. Moses, quò sibi in postremum gentem firmaret, novos Ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, qua apud nos sacra. Rursum concessa apud illos qua nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere: Cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin colunt. Sue abstinent, memoriâ cladis, quòd ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis judaicus nullo fermento detinetur. Septimo die, otium placuisse ferunt: Quia is finem laborum tulerit. Dein blandiente inertiâ, septimum quoque annum ignavia datum. Alii honorem eum Saturno haberi: Seu*

*Mosis, & Judaica Gentis Historia a Cornelio Tacito interpolata.*

*Asini.*

*Taciti calumnia.*

*Seu principia Religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores Gentis accepimus: Seu quòd e septem sideribus, queis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipuâ potentiâ stella Saturni feratur: Ac pleraque cœlestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant. Hi Ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. Cetera instituta sinistra, fœda, pravitate valuere. Nam pessimus quisque, spretis Religionibus patriis, tributa & stipes illic congerebant. Unde aucta Judæorum res: & quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversùs omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem Gens, alienarum concubitu abstinent. Inter se nihil illicitum. Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum, idem usurpant: Nec quidquam priùs imbuuntur, quàm contemnere Deos, exuere patriam: parentes, liberos, fratres, vilia habere. Augendæ tamen multitudini consulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis *, nefas: Animasque prælio aut suppliciis peremptorum, æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Corpora condere, quàm cremare, e more Ægyptio. Eademque cura, & de infernis persuasio. Cœlestium contra. Ægyptii pleraque animalia effigiesque venerantur: Judæi mente solâ, unumque Numen intelligunt. Profanos qui Deûm imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra Urbibus suis, nedum Templis sunt. Non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Sed quia Sacerdotes eorum tibiâ tympanisque concinebant, hederâ vinciebantur, vitisque aurea Templo reperta: Liberum Patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. Quippe Liber festos lætosque ritus posuit: Judæorum mos absurdus sordidusque.*

**Fortè, Ex gnatis, ut conjicit Lipsius.*

*Calumnia de Asini capite a Judæis in Templi Adytis consecrato. Quæ Christianis quoque impacta.*

IX. Putidam illam calumniam de Asini capite a Judæis in Hierosolymitani Templi penetralibus consecrato *Tacitus*, *Plutarchus Symposiacon* Lib.4. Quæstione 5. *Democritus* Historicus Lib. *De Judæis*, ut refert *Suidas*, ex *Apione* Grammatico, qui sub *Tiberio*, *Cajo* & *Claudio* vixit, hauserunt. Inde factum ut in Christianos eadem calumnia ab Ethnicis spargeretur, de quâ *Tertullianus Apologetici* Cap.16. *Nam & quidam somniastis caput asininum esse Deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem ejusmodi inseruit. Is enim quintâ Historiarum suarum bellum Judaicum exorsus ab origine Gentis, etiam de ipsâ tam origine, quàm de nomine, & religione Gentis quæ voluit argumentatus, Judæos refert Ægypto expeditos, sive ut putavit, extorres, vastis Arabiæ in locis aquarum egentissimos, cùm siti macerarentur, onagris, qui fortè de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus, fontibus usos, ob eam gratiam consimilis superficiem consecrasse. Atque ita inde præsumptum, opinor, nos quoque, ut Judaicæ Religioni propinquos, eidem simulacro initiari.* Meminit ibidem *Tertullianus* picturæ a quodam propositæ eum hac inscriptione: *Deus Christianorum Ononychites*, qui erat, ut idem refert, *auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus*. Eamdem calumniam Christianis impingit *Cæcilius* Ethnicus in *Minucii Felicis Octavio*.

*Apionis calumnia refellitur.*

*Apion* primus calumniæ architectus aureum illud asini caput ab *Antiocho Epiphane*, cùm Templum expilavit, in ejus adytis repertum effutiebat. Utque fabulam novo fuco adornatam credulis auribus insinuaret, addebat: *Dum bellum olim Judæi contra Idumæos haberent, Zabidum ex Idumææ Urbe Dora multâ quiete ad Templum Hierosolymitanum venisse, & aureum detraxisse Asini caput, & rursus Doram velociter advenisse.* Fabulam calumniamque refellit *Josephus* Lib.2. contra *Apionem*. Maledico illi Grammatico opponit *Polybium*, *Strabonem*, *Nicolaum Damascenum*, *Timagenem*, *Castorem Chronographum*, *Apollodorum*, qui Templi Hierosolymitani ab Antiocho expilati scribentes historiam, de aureo capite Asini ibidem reperto omnino silent, id certè non dissimulaturi. Addit, non solùm *Epiphanem*, sed & *Antiochum* Θεὸν, & *Pompejum Magnum*, *Licinium Crassum*, & novissimè *Titum Cæsarem*, bello victores, vidisse Templi penetralia, nec simile quidpiam ibi invenisse, sed purissimam pietatem. Tertiò, rogat quomodo Zabidus Idumæus tempore belli Urbem custodibus destitutam invenerit. Quomodo in Templi Sacrarium irrepserit, cujus fores altæ septem cubitos, & viginti latæ, auro tam graves erant, ut iis claudendis & aperiendis ducentis hominibus esset opus, nec eas apertas relinquere fas esset. Quartò, rogat utrùm aureum illud Asini caput semel surreptum & in Idumæam delatum *Zabidus* in Templum Hierosolymitanum retulerit; an certè sumens *Apion* illud restituerit, ut ab *Antiocho Epiphane* reperiretur? Quintò, *Doram* Urbem, quò delatum a *Zabido* scripserat *Apion*, in Idumæâ esse negat *Josephus*; quem tamen ( ut Bochartus observat ) hac in re lapsum, vel hìc, vel Libro 13. *Antiq.* Cap. 11. oportet, ubi de *Demetrio* scribit: *Venit Doram Urbem Idumææ.* Ut *Apionem Josephus*, sic *Tacitum* refellit *Tertullianus*, & quidem ex iis quæ ipsemet de Judæis scribit loco laudato: *Judæi mente solâ, unumque Numen intelligunt, &c. Igitur nulla simulacra Urbibus suis, nedum Templis sunt.* Tum etiam ex iis quæ subdit Cap.9. *Romanorum primus Cnejus Pompejus domuit: Templumque jure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, nullâ intus Deûm effigie vacuam sedem, & inania arcana.* Idem ex *Strabone* Libro 16. cujus insignem de *Mose* locum infra describemus, & ex *Hecatæo Abderita* Lib. *De Judæis*, confirmatur, necnon ex *Juvenali* Poëtâ de iisdem canente, Satyrâ 14.

*Nil præter nubes, & cœli Numen adorant.*

*Origo fabulæ de Asino a Judæis culto.*

Unde verò orta sit hæc fabula de Asino a Judæis culto, quasi fontem in deserto sitientibus monstrasset, Viri Eruditi disquirunt. Quidam conjiciunt, Græcos, cùm legissent nihil a Judæis adorari præter οὐνον ( quomodo expeditè & abbreviatis characteribus οὐρανὸν scribi solet ) ex hac voce ὄνον, sive ex ignorantiâ, sive ex calumniandi libidine fecisse. Alii suspicantur occasionem huic fabulæ dedisse locum Heliopolitanæ in Ægypto Præfecturæ, in quo *Onias* Templum Judaici ritûs condidit. Hunc nempe locum vocatum fuisse Ὀνίου χώρα, & Templum ipsum Ὀνίου ἱερὸν, aut Ὀνεῖον. Quod cùm ad *Oniam* ejus conditorem pertineret, Alexandrinos genus hominum dicax sic accepisse, quasi derivaretur hæc appellatio ἀπὸ τοῦ ὄνου *ab asino* ibi, aut etiam Hierosolymis culto. *Bochartus* Hierozoici Lib.11. Cap.18. ejus originem arcessit ex Hebræis vocibus *Pi-Iao*, quæ in Scripturâ Sacrâ frequentes sunt, ubicumque *os Domini*, *verbum*, aut *mandatum Domini* in Latinâ Versione legitur. Unde & *Diodorus Siculus* Lib. 1. *Mosen* apud Judæos *Deum Jao nomine* Legibus suis Auctorem inscripsisse ait, & *Jao* nomen esse Dei apud Judæos consentiunt *Origenes Lib.6. contra Celsum*, *Cyrillus Alexandrinus* in Aggæi Cap. 1. *Theodoretus* in 1. *Paralipomenon*. Et Lib.5. *Hæreticarum Fabularum* Cap.3. Cùm itaque Ægyptii vel in Scripturis nostris legerent, vel a Judæis, qui in Ægypto frequentes erant, sæpè audirent, Sacerdotem in loco Sancto *Pi-Iao*, id est, *Os Domini* consuluisse, & aliquid evenisse prout prædixerat *Pi-Iao*, vocem *Pi-Iao* in *Pico*, quæ Ægyptia-

ptyacâ linguâ *Asinum* sonat, commutarunt, absurdèque ac impiè finxerunt *Pies*, id est, *Asinum* a Judæis coli, & pro Deo haberi.

*Polemonis testimonium de Israëlitarum exitu ex Ægypto & de Moyse.*

X. *Polemon* Libro Græcarum Historiarum 1. conceptis verbis habet, *Apidis Phoronei filii tempore, exercitûs Ægyptiaci partem se se ab Ægypto subduxisse, atque in Palastinâ, quam Syriam vocant, haud procul ab Arabiâ consedisse: Illos nimirum ipsos intelligens, qui Mose Duce profecti sunt.* Ita refert *Julius Africanus* Lib.3. *Chronologia*, & ex eo *Eusebius* Lib.10. *Praparationis Evangelica* Cap.10.

XI. *Eupolemus* Judæus ille quidem (si *S. Hieronymo* credimus) sed ab *Alexandro Polybistore* Ethnico Scriptore laudatus, *narrat Mosem primum Sapientem fuisse, Judaisque primum literas tradidisse, a quibus eas Phœnices, ut a Phœnicibus Graci, acceperint; eumdemque Judais Leges Principem condidisse.*

*Mosis Historia ab Artapano interpolata.*

XII. *Artapanus* in Commentario *De Judais*, scribit: Visum *Mosi* in Deserto ignem, & vocem auditam, quæ eum juberet ab Ægyptiacâ captivitate liberare Judæos, & in antiquam patriam reducere, id exequi parantem, ab Ægypti Rege fuisse in vincula conjectum, sed noctu demum patentibus sponte custodiæ foribus ad Regem ingressum, apertis vi divina Regiæ januis, Viso *Mose* attonitum Regem petiisse ab eo Dei Nomen, a quo missus esset: Quod ubi *Moyses* in aurem insinuasset, Regem illico mortuum concidisse, donec ab eo vitæ redderetur. Et illum quidem indicatum Nomen tabellis inscripsisse, quas postmodum obsignarit: Quemdam verò Sacerdotem, qui scripti Nominis majestatem elevaret, repentino spasmo correptum periisse. Tum Regem signa legationis a *Mose* postulasse: Illum verò edidisse propè eadem quæ in Exodo narrantur. *Regem* tot prodigiis territum, *tot malis, cladibusque fractum, Judaos, sero licet, aliquando tamen dimisisse. Qui multis ab Ægyptio cùm poculis, tum vestibus corrogatis, aliâque multiplici gazâ, trajectis Arabia fluminibus, magnoque confecto itinere, ad Mare Rubrum tertio demum die pervenerint. Atque a Memphitis quidem ita narrari, Moysum totius regionis scientissimum, observato reciprocantis æstûs tempore; sicco Mari universam multitudinem transmisisse: Ab Heliopolitanis vero secus; quippe Regem abeuntes Judaos, quaque ab Ægyptiis mutuò acceperant secum auferentes, ingenti Exercitu cum animantibus consecratis persequutum esse. At Moysum uti Mare virgâ percuteret, divinitùs admonitum, aquam virgâ tetigisse, ac discedentibus illico fluctibus, copias sicco tramite deduxisse. Eamdem porrò viam tentantibus, ac fugientium terga prementibus Ægyptiis, cùm adversum repente ignem coruscasse, tum ipsum quoque Mare patentem semitam refluentibus undis obruisse, itaque partim igni, partim æstu maritimo Ægyptios ad unum omnes periisse. Judaos verò ab imminenti periculo liberatos, per solitudinem annos triginta continenter vagatos esse, ac farinâ, quam calitus iis Deus plueret, panicum figurâ, candore nivem referente, vitam sustentasse. Caterùm idem Moysum staturâ proceriorem, colore subrufum, promissâ jam casarie canum, totoque corpore augustiorem fuisse, hacque omnia circa annum atatis nonum & octogesimum perfecisse* tradit. Hoc *Artabani* fragmentum legitur apud *Eusebium lib.9. Praparationis Evangelica*, Cap.27.

*Mosis Historia ex Hellanico confirmata.*

XIII. *Hellanicus* Judæos ex Ægypto secessisse *Mose* duce testatur, ut refert *S. Justinus Martyr* in Parænesi.

*Item ex Diodoro Siculo.*

XIV. *Diodorus Siculus* Bibliothecæ Historicæ Lib.1. agens de iis qui Deos Auctores suis Legibus inscripserunt, *Mosem* in exemplum affert. *Post antiquissimam*, inquit, *in Ægypto vita conditionem, Deorum imperio, Heroumque atati in fabulis assignatam, primus ajunt Mneves vir & magni animi, & inter hoc nomine celebratos de vitâ optimè meritus, Populum induxit, ut juxta Leges scriptas vitam instituerent.* Hunc *Diodori* locum referentes *S. Justinus Martyr* in Parænesi, & *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib.1. contra *Julianum*, pro *Mneve Mosem* legerunt. Subdit Diodorus: *Leges a Mercurio sibi traditas, unde ingentia vita bona promanarent, simulavit. Quod apud Gracos in Cretâ etiam Minos, apud Lacedemonios Lycurgus factitavit, quorum iste Jovi, hic Apollini suas vindicavit. Id commenti genus apud plures quoque alias gentes adhibitum, multorum causam bonorum persuasis extitisse ferunt. Nam apud Arimaspos Zathraustes bonum Genium; apud Getas Zamolxis communem Vestam, apud Judaos MOSES Deum, qui JAO dicitur, Legum Auctorem suarum finxisse, perhibetur. Sive quòd admirandum prorsus & divinum esse judicarent commentum illud, quòd in commodum societatis humana exiret: Sive quòd vulgus ad majestatem & potentiam illorum, qui Leges invenisse dicerentur, respectans, dicto magis audiens fore existimarent.* Insigne aliud *Diodori* de *Moyse* & Judæis testimonium ex Libro 40. descripsit *Photius* in *Bibliothecâ*, *Cod.*244. pag.1151. his conceptum verbis: *Cùm multi & varii peregrini Ægyptum incolerent, diversis sacrificandi utentes ritibus, factum est ut patrii erga Deos cultus deficerent, quòd incola, nisi alienigenas dimitterent, malorum indicium fore suspicati sunt. Statim itaque ex ejectis profugis prastantissimi efficacissimique, (ut quidam nugantur,) in Graciam, locaque vicina illapsi sunt, prastantes habentes Ductores, quorum Principes Danaus & Cadmus extiterunt. Reliqua verò turba eam Regionem, qua nunc Judaa dicitur, non procul ab Ægypto distantem, & in illa usque tempora penitus desertam, occupavit. Hanc porrò coloniam Moses prudentiâ & robore cateros excellens deduxit, qui hanc Regionem invadens, multas Urbes condidit, & unam, qua nunc celeberrima est, appellatam Hierosolyma: Maximè autem Religionem, cultum Dei, & Sacrificia eos edocuit; de eis qua ad Rempublicam pertinent, Leges tulit & Decreta. In duodecim Tribus Populum divisit, existimans hunc numerum esse perfectissimum, & anno duodecim Mensibus completo persimilem. Imagines Deorum omnino non sculpsit, quòd putavit humanâ Deum non videri formâ, sed calum, terram ambiens esse Deum, & omnia suo imperio gubernare. Sacrificia vitaque rationes diversas prorsus ab aliis Gentibus ordinavit. Nam quia externos Urbe suâ interdicerent, odiosam sanè vitam, & aliis invisam induxit. Jussit insuper, ut qui Genti praessent, grati essent Populo, & maximè auctoritate potentiores, quos Sacerdotes esse voluit, & eos pracepit circa Altaria, Deique cultum & Sacrificia exerceri, & ex his optimos judicio viros Judices constituit, quibus & Legum Institutique custodiam attribuit. Non ordinavit Judais Regem, sed Imperium Populi ei censuit committendum, qui prudentiâ & virtute inter Sacerdotes aliis prastare videretur. Hunc Summum Pontificem appellant, quem velut Nuntium sibi divinorum praceptorum esse ducunt. Hunc Edicta in Populi Congregationibus & Conciliis ait proferre, cui Judai ita obtemperant, ut statim Pontifice loquente, cadentes in terram adorent. Additum est in fine Legis: Hac Moses loquitur Judais, obediens Deo. Magnam etiam bellicarum institutionum curam adhibuit, Juvenesque ad tolerantiam & fortitudinem, & ad omnem malorum patientiam exerceri voluit. Multa quoque contra varios Populos bella gessit, magnamque subigens Regionem, sorte eam divisit: Æquales Populo portiones, Sacerdotibus majores assignavit, ut latiores terminos possidentes, con-*

tuen-

*tinenter sine ullâ molestiâ Dei Sacrificiis occuparentur. Nec etiam licitum erat pauperibus portiones proprias divendere, ne aliqui per avaritiam coëmentes, inopes excludant, & in causâ sint ut Populus minuatur. In Regione pueros ali voluit, qui exiguo sumptu alebantur, & ideo copiosa & fœcunda semper Judæorum natio extitit. Diversi quoque ab aliis in Nuptiis & Sepulturis fuerunt. Sed propter accessiones quæ postea e multis victoriis acciderunt, Monarchiâ quarta scilicet Persarum, & deinde Macedonum multa patriis institutis decesserunt.* Hæc *Diodorus Siculus*, quem *in multis mentitum, plurima etiam non attigisse*, & dictorum fidem ad *Hecatæum Milesium* retulisse, *Photius* observat.

*Ptolemæus Mendesius Exitûs Judæorum ex Ægypto, Duce Moyse, meminit.*

XV. *Ptolomæus Mendesius*, Rerum Ægyptiacarum Scriptor, Judæorum Exitum ex Ægypto Duce *Moyse* commemoravit, & ad *Amosis* Regis Ægypti tempus retulit. Verba ipsius ab *Apione* usurpata, & laudata exhibet *Clemens Alexandrinus Lib.* 1. *Stromatum*, pag. 320. Editionis Parif. 1641.

*Item Strabo, insigne Judaicę Religioni testimonium perhibens.*

XVI. *Strabo* Libro 16. *Mosi* & Judaicæ Religioni testimonium insigne perhibet, quamvis falsa quædam veris admisceat. *Fama*, inquit, *quæ plurimum obtinet de his, quæ de Templo Hierosolymitano jactata fidem inveniunt, perhibet ab Ægyptiis fuisse prognatos eos qui nunc Judæi appellantur. Nam Moses unus ex Ægyptiis Sacerdotibus, cùm partem quamdam regionis haberet, ac molestè ferret præsentem statum, inde huc commigravit, multis cum eo mitantibus, quibus divina curæ erant. Affirmabat enim docebatque Ægyptios non rectè sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent; itemque Afros & Græcos, qui Diis hominum figuram affingerent. Id verò solum esse Deum, quod nos, & terram, ac Mare continet, quod Cœlum, & Mundum, & rerum omnium naturam appellamus: Cujus profectò imaginem nemo sanæ mentis alicujus earum rerum, quæ penes nos sunt, similem audeat affingere. Proinde omni simulacrorum effictione repudiatâ, dignum ei Templum ac delubrum constituendum, ac sine aliquâ figurâ colendum. Qui castè ac justè vivunt, eis bona somnia offerri: Debere itaque & pro se, & pro aliis, eos dormire in Templo, & a Deo aliquid boni atque indicii expectare: Ceteris nihil sperandum. Talia Moses dicens, hominibus bonis fidem fecit, inque ea loca deduxit, ubi nunc condita sunt Hierosolyma; Quæ facilè obtinuit, cùm non essent amulationi obnoxia, neque digna de quibus contenderetur .... Interim loco armorum Sacra & Deum prætendebat, cui se dicebat sedem quærere, & ejusmodi cultum & Sacrificia traditurum pollicebatur, quæ nec impensâ, nec furoribus, neque re ullâ absurdâ cultores perturbarent. Hæc ille cùm suis probasset, non contemnendum est adeptus imperium: facilè enim Gentes omnes finitimæ tantâ propositâ spe, & hujusmodi consuetudine ductæ se adjunxerunt. Successores aliquamdiu in iisdem Institutis permansere, justi & verè religiosi. Post eùm Sacerdotium occupassent, primùm quidem superstitiosi homines, deinde etiam tyrannici: Superstitio invexit abstinentiam a carnibus, quam etiamnum retinent; & circumcisiones, & excisiones, & si quæ sunt hujusmodi alia: Tyrannis autem latrocinia. Qui enim deficiebant, simul & eam regionem, & vicinam vexabant: At qui Principum res agebant, aliena diripientes, Syriæ ac Phœniciæ non pauca subegerunt. Honor nihilominus Arci eorum habebatur, quam non ut sedem Tyrannorum aversarentur homines, sed venerarentur ut Templum.*

*Strabonis in Judæos calumnia.*

*Juvenalis de Lege Mosaicâ testimonium.*

XVII. Mosaicæ Legis a Judæis servatæ meminit *Juvenalis*, *Satyrarum* Lib. 5.

*Judaicum ediscunt & servant & metuunt Jus,*
*Tradidit arcano quodcunque Volumine Moses.*

## ARTICULUS II.

*Quòd Ethnicorum Theologia ex Historiâ Mosis derivata sit.*

XVIII. UNiversam propemodum Ethnicorum Theologiam, fabularesque Deos, ad *Mosis* Historiam ab Ethnicis interpolatam originem referre, a Viris Eruditis demonstratum est, *Vossio*, *Bochario*, & Doctissimo præsule *Daniele Huëtio*, qui hoc argumentum cæteris uberiùs ac feliciùs tractavit, ornavit, exhausit, *Demonstrationis Evangelicæ*, Propositione 4. a Cap. 3. ad 11. idque annuit Auctor Lib. 1. *Macchabæorum* Cap. 3. 48. dicens: *Expanderunt Libros Legis: De quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum.* Hujus rei fidem faciam duobus tribusve exemplis ex hac reconditioris eruditionis sylvâ selectis.

*Mercurius est Moses ab Ethnicis consecratus.*

XIX. *Mercurius*, quem Phœnices *Tautum*, Ægyptii *Theuth* vel *Toyth* appellarunt, *Moses* ipse est divinis honoribus ab iis consecratus. *Mercurius* Thebæus fuit, ut refert *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. Stromatum, *Moses* in Ægypto natus. *Mercurius* Nilo patre genitus, ut narrat *Cicero* Lib. 3. De Naturâ Deorum; *Moses* infans Nilis aquis expositus. *Mercurium* in Tricrenis lotum a Nymphis fabulati sunt, ut *Pausanias* in *Arcadicis* testatus: Moses a filiâ *Pharaonis* ejusque ancillis ex fluvio eductus. *Mercurii* recens nati venustatem Vulcanus in *Luciani* Dialogis prædicat: In *Mose* puero formæ elegantia commendatur *Exodi* 2. 2. & de eo *Trogus Pompejus* apud *Justinum* Lib. 36. Cap. 2. *Quem præter paterna scientia hæreditatem, etiam forma pulcritudo commendabat.* Sexum utrumque *Mercurio* tributum ab antiquis, cum utriusque insignibus, lanceâ & colo, *Albricus* observat Libro De Deorum Imaginibus: *Mosi* muliebrem sexum ab Ethnicis quibusdam affictum constat ex *Alexandrino Polyhistore*, qui scripsit, Judęos Legem accepisse a muliere, cui nomen *Moso*, ut refert Suidas. Lac *Junonis* suxisse *Mercurium* finxerunt: *Moses* a filiâ Regis educatus est. Pastorum Deum habitum esse *Mercurium* in Homeri Iliade probat *Pausanias* in *Corinthiacis*: Pavisse etiam oves dicitur, & boves ei ab *Apolline* datos quo tempore fistulam pastoralem compegit: *Moses* pastoralem vitam egit, *Jethro* soceri sui oves duxit, Israëlitis præfuit, qui se Pastores ovium a primâ origine fuisse profitebantur; Genesis 47. 3. *Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri.* Νόμιον *Mercurium* a latione Legum appellatum censet Phurnutus: *Moses* Legislator omnium antiquissimus & nobilissimus. *Mercurius* Deorum Minister: *Moses servus Domini* passim in Scripturâ nuncupatur. *Mercurius* prętigiator fingitur: Moses prodigiorum effector, Magorum Ægyptiorum præstigias incantamentis dissipasse ab Ethnicis creditus est. Caduceum *Mercurio* tribuitur, virga nimirum serpentibus intexta, portentorum effectrix: Virga mirifica *Moysi*, quæ in serpentem conversa, Magorum Ægyptiorum virgas devoravit, & multorum subinde prodigiorum instrumentum fuit. *Mercurium* jussu Jovis *Argum* occidisse, ob eamque causam in Ægyptum profugisse, fabulati sunt, ut refert post Ciceronem *Lactantius* Lib. 1. *Institutionum* Cap. 6. *Moses* ad vindicandam Israëlitarum libertatem a Deo excitatus, virum Ægyptium interfecit, & ex Ægypto profugit. Furum Deus habetur *Mercurius*: Quia *Moses* Israëlitis auctor fuit ut Ægyptiorum vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam auferrent. *Exodi* 11. 2. 35. Unde *Pompejus Trogus* de *Mose* apud

*Ju-*

*Justinum* Lib.36. Cap.2. *Dux exsulum factus, Sacra Ægyptiorum furto abstulit.* Statuæ *Mercurii* pro foribus domorum ponebantur ad arcendos fures, unde & σηκος, quasi σάοικο, *Domorum Servator*, ab Antiquis appellatus est, ut testatur *Hesychius*: Hebræi domorum suarum postes & superliminaria mactati Agni sanguine, jubente *Mose*, cùm aspersissent, domos suas a postremâ & luctuosissimâ Ægypti plagâ, cæde scilicet primogenitorum, servatas gavisi sunt. *Mercurius* itinerum Præses existimatus, ideoque *Semitalis*, & *Vius* appellatus: Moses per annos quadraginta in desertis & inviis locis viæ Ducem Israëlitis se præbuit. *Taautum* seu *Mercurium* omni genere doctrinæ instructissimum fuisse, & propter multiplicem rerum scientiam *Trismegistum* dictum, Veteres consentiunt: Eruditum fuisse *Mosem* omni Sapientiâ Ægyptiorum Scriptura Sacra testatur *Actuum* 7. 22. Sacrarum Literarum, & civilis disciplinæ, artiumque plurimarum inventionem *Mosi* Ægyptios debere scripsit *Artapanus* Libro *De Judæis*, cujus egregium fragmentum exhibet *Eusebius* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ* Cap.7. Unde scitè ait *Clemens Alexandrinus* Lib.1. Stromatum: *Est ergo nobis Moses præscius futurorum, Legum lator, Aciei instruendæ, Exercitûs ducendi, Reipublicæ administrandæ peritus, & Philosophus.* Deorum hominumque Nuntius ac Sequester dictus est *Mercurius*, & *Jovis* jussa deferre ad homines, hominum preces ad Deum allegare: *Moses* crebra cum Deo colloquia miscuit, ad eum in Montis Sinai vertice ascendit, ibi per duas quadragenas mansit, Dei mandata ad homines retulit. *Mediatoris* nomine ab Apostolo etiam insignitur, *ad Galatas* 3. 19. *Mercurium* Jovis fulmen surripere voluisse finxerunt, ut constat ex *Luciano in Dialogo*, propter fulgura & tonitrua in Sinai Monte edita cùm Deus *Mosem* alloqueretur. *Mercurio* Veteres vitulum sacrificasse refert *Ovidius* 4. *Metamorphoseon*. Quod originem duxit ex vitulo aureo ab *Aarone* conflato, quem igne combustum in pulverem redactum, & in aquam conjectum, *Moses* Judæis propinavit. Futurorum prænotionem & artem divinandi ab Apolline *Mercurium* accepisse ferunt: *Moses* Prophetiæ donum a Deo accepit. Symbolum *Mercurii* canem fuisse docet *Plutarchus* Lib. De Iside & Osiride: *Moses* socium habuit *Calebum*. Vox autem *Caleb*, Hebraicè *canem* significat. Denique *Mosem* ab Ægyptiis pro Deo habitum & cultum, & *Mercurium* appellatum fuisse; cùmque bellum gereret adversus Æthiopes, Urbem condidisse, & *Hermopolim*, quasi *Mercurii Civitatem* appellasse, scripsit *Artapanus* apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.27. cùm enim infantem Judææ mulieris a *Merrhi*, *Palmenothis* Regis Ægypti filiâ suppositum, quem *Moysum* ipsa primum, deinde Græci *Musæum* appellarunt, *Orphei Magistrum credi, ac per multa humano generi utilissima tradidisse* præmisisset; ipsiusque *Philosophiæ inventionem* illi *acceptam ferri*, & *literas sacras, putà felium, canum, ibium figuras, Sacerdotibus cum singulari ac propriâ regione ab eo attributas fuisse*; subdit: *Quibus ipse rebus non modò Populorum sibi amorem conciliarit, verùm etiam parem Superis honorem a Sacerdotibus qui Ἑρμῆν illum, hoc est Mercurium, sive Interpretem, ob sacrarum literarum ἑρμηνείαν, interpretationem, appellarunt, facilè impetrarit.* Deinde ubi de bello Æthiopico a *Mose* confecto sermonem fecit, addit: *Moysum copiarum magnitudine instructum, eodem in loco*, (scilicet in Præfecturâ, cui *Hermopolita* nomen) *Urbem condidisse, Hermopolim nomine.*

*Bacchi fabula ex Historiâ Mosis expressa.*

XX. *Bacchi* fabulam ex historiâ *Mosis* expressam *Vossius* ostendit. Uterque enim in Ægypto natus, in Arcam uterque inclusus, & aquis expositus. Hic *Moses*, ille *Misis* appellatus, ut testatur Auctor Orphicorum. Bimater *Bacchus* creditus: *Moses* Thermutidem Pharaonis filiam velut alteram matrem habuit, *Quem illa adoptavit in locum filii*. Exodi 2. 10. & bis etiam propriæ matri, primùm a naturâ, deinde a *Thermutide* traditus est alendus. Baculum hederaceum a *Bacchâ* quadam in terram projectum instar serpentis reptasse, & quercui se obvolvisse; Indos in tenebris fuisse dum *Bacchi* chorus luce fruebatur; *Bacchum* Orontem & Hydaspem fluvios thyrso tactos & arefactos trajecisse, testatur *Nonnus* in *Dionysiacis*. Quibus confingendis occasionem dedisse virgam *Mosis* in serpentem mutatam, Ægyptios tenebris obsitos dum Israëlitæ luce fruerentur, transmissum sicco pede a *Mose* & Hebræis Mare Rubrum, cum illud Virgâ divisisset, perspicuum est. *Baccas* aquam e petrâ thyrso percussâ educere, & terram quâcumque illis iter est, lacte, vino, & melle fluere, apud *Euripidem* legimus. Id verò ex *Mosis* historiâ qui mirificâ Virgâ aquas e rupe elicuit, & Judæos in Terram lacte & melle manantem, id est, in Chananæam introduxit, depromptum nemo non videt. *Bacchæ* se tortis serpentibus incingunt & coronant: *Moses* æneum serpentem erexit ut serpentum ignotorum morsibus mederetur. *Bacchum Legislatorem* vocat Orphicorum Auctor, eique duplices Legis Tabulas tribuit, quod *Mosi* convenit. Cornutum *Bacchum* fingunt: Idem de *Mose* creditum, ob radios in modum cornuum ex ejus facie coruscante: Unde & in Vulgatâ nostrâ legitur, Exodi 34. 29. *Cùmque descenderet Moyses de Monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Canem *Baccho* socium adjungunt: *Mosi* Scriptura *Calebum* socium tribuit, cujus nomen Hebraicè canem sonat. *Bacchus* vitibus & vino præest: Exploratores a *Mose* missi in Terram Chanaan, *Pergentes usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uvâ suâ, quem portaverunt in vecte duo viri.* (Numerorum 13. 24.) *Bacchus* a Nymphis educatus dicitur: *Moses* in Nilo expositus, & a filiâ *Pharaonis* susceptus. Fulminibus ambustam esse *Semelem*, & inter ignes natum *Bacchum* tradunt Mithologi: Quòd *Mosi* visus sit ignis in Rubo, & colloquia cum Deo inter ignes & fulgura habuerit. *Bacchum* patriam in libertatem vindicasse, & in rei monumentum Urbem condidisse, & *Eleutheras* appellasse testatur *Diodorus Siculus Lib.*4. Unde & *Liber* a Romanis vocatus est: *Moses* Hebræos populares suos ab Ægyptiacâ servitute liberavit. Terram *Bacchus* concutere dicitur, ejusque operâ flammæ e terrâ erumpunt, ut testatur vetus Orphicorum Auctor: *Core, Dathan, & Abiron*, cùm adversùs *Mosem* rebellassent, terræ hiatu sunt absorti; aliique ejusdem perduellionis rei erumpentibus ignibus consumpti sunt. Columnæ symbolo designabatur *Bacchus*, propter columnam illam nubis diurni Israëlitarum itineris ducem, igneam verò nocturni, ut innuit *Clemens Alexandrinus Lib.*1. *Stromatum*. Musicæ deditus fertur *Baccus*, & Cantores, Musasque ipsas circumduxisse, & tympanorum ac cymbalorum usus non modò in acie, sed in sacris etiam ritibus Indis tradidisse, teste *Arriano* in Indicis. *Moses* edidit Cantica; eoque cum filiis Israël post Maris Rubri transitum Carmen istud recitante; *Cantemus Domino: Gloriosè enim magnificatus est, &c. Sumpsit Maria Prophetissa Soror Aaron tympanum in manu suâ: Egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris.* Ex confusâ *Mosis* & *Bacchi* notitiâ Ethnicorum quidam credidere *Bacchum* a Judæis coli. Hinc *Tacitus* loco supra laudato: *Quia Sacerdotes Judæorum tibiâ tympanisque concinebant, hederâ vinciebantur, vitisque au-*

*rea in Templo reperta; Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati sunt, nequam congruentibus Institutis.* Hinc *Plutarchus* Lib.4. *Symposiacon* Quæstione 5. *Maxima*, inquit, *& perfectissima Judæorum Solemnitatis & tempus & modus cum Bacchi sacris congruit. Quod enim ipsi vocant Jejunium, id sic celebrant, ut maximè fervente vindemiâ proponant mensas, in quibus expositæ sint omnis generis fruges; & sub tabernaculis desident potissimùm e palmitibus & hederâ quæ contexuntur; & diem, quæ Festum antecedit, Tabernaculariam nominant. Paucis verò post diebus aliam Festivitatem non obscurè, sed omnino apertè Baccho nuncupatam celebrant. Est etiam solemne apud eos Festum Cradephoria a palmitibus gestandis; & Thyrsophoria, ubi thyrsos gestantes in Templum intrant. Quid intus faciant, ignoro: Credibile est Bacchi ab iis Sacra peragi. Nam & tubis exiguis, sicut Argivi Bacchanalibus utuntur ad evocationem Numinis, & alii progrediuntur cytharis ludentes, quos ipsi Levitas appellant, sive a Lysio, sive ab Evio, (utraque vox Baccho congruit) ita dictos. Opinor etiam Sabbathorum ferias non planè a Baccho esse alienas. Quod enim Sabbos etiamnum multi Bacchos appellent, eamque edant vocem, dum Orgia Bacchi celebrant, licet & e Demosthene ostendere, & e Menandro .... Ipsi autem huic sermoni testimonium dicunt. Sabbathum enim colentes, maximè ad bibendum & ebrietatem invicem sese invitant: Aut si qua gravior res obstet, omnino quidem gustare merum in more habent. Has fortasse aliquis conjecturas esse asserat. Sed alia sunt argumenta, quæ planè nostram demonstrent sententiam. Primum enim arguit hoc Pontifex Maximus, qui festis diebus mithratus ingreditur, hinnuli pellem auro contectam indutus, tunicamque ad talos pertinentem gestans, & cothurnos: Multa autem tintinnabula dependent de veste; quæ inter ambulandum strepitum edunt, ut & apud nos. Sonitibus autem nunc utuntur in sacrificiis, & æratas Dei Nutrices appellant, monstraturque in adversis sublimi thyrsus expressus & tympana; quæ sanè non alii Deo quàm Baccho conveniunt. Porrò autem mel Sacrificiis non adhibent; quòd ejus admixtione vinum corrumpi videatur, eoque libabatur, & ebrietas parabatur, antequam vitis extitisset; & hodieque Barbari, qui vino carent, mulsum bibunt, dulcedinem radicibus austeris, & vini saporem æmulantibus mendicantes. Ac Græci Nephalia, id est, sobria hæc & libationes melleas Diis offerunt: Quòd vino maximè adversam naturam mel habeat. Bacchum quoque a Judæis coli, id quoque argumento non levi est, quod inter multas pœnarum formas una maximè odiosa est, quâ vino interdicitur damnatus, ad certum tempus, quod a Judice præscribitur.*

*Festum Tabernaculorum.*

*Typhonis fabula ex Historiâ Mosis derivata.*

XXI. *Typhonis* Ægyptiaci fabulam ex historiâ *Mosis* expressam consentient, qui *Plutarchum* Lib. *De Iside & Osiride* legerint. Id a *Bocharto* fusè & eruditè demonstratum est Lib.2. *Hierozoici* Cap. 34. cujus observationes contraho. *Typhonem* Regis *Osiridis* fratrem, ex eâdem matre natum, quamvis ex diverso patre, in Regem conjurasse ajunt, ascitis in consiliorum societatem & exectionem septuaginta duobus viris, adjuvante Reginâ Æthiopiæ illi adstante; & post varia facinora, tandem *Typhonem* asino vectum per septem dies fugisse, elapsumque filios genuisse *Hierosolymum* & *Judæum*. E Regiâ stirpe prognatum ajunt, & ex eâdem cum Rege matre: Quia *Thermutis* Pharaonis filia *Mosem* adoptaverat, cujus potuit esse filius ille *Pharao*, sub quo *Moses* jam octogenarius tot miracula edidit. Viros septuaginta duos cum *Typhone* conjurasse ferunt, quia *Mosi* adjuncti sunt a Deo 70. Seniores, qui curas illius in Populi Hebræi regimine ac Judiciis sublevarent. Regina Æthiopiæ quæ *Typhoni* comes individua adhæsit, est uxor *Mosis Æthiopissa*. Fuga *Typhonis*, est *Mosis* excessus ex Ægypto. Asino vectum fuisse dicunt, quomodo describitur *Moses*, Exodi 4. 20. Fugisse ferunt per septem dies, ut *Tacitus* de Judæis ex Ægypto profugis scribit *Historia Lib.*5. & *Pompejus Trogus* de *Mose* apud *Justinum* Lib.36. errore inde nato, quòd septimus dies apud Judæos quieti sit Lege consecratus. *Typhoni* filios *Hierosolymum* & *Judæum* ineptè assignant: Quòd Judæi ex Ægypto in Chananæam a *Mose* ducti, tandem Hierosolymorum, totiusque Palæstinæ compotes facti sint, quæ ex eorum nomine Judæa appellata est. Scitè igitur *Plutarchus* Lib. *De Iside & Osiride* scribit: *Qui dicunt e prælio Typhonem asino vectum per septem dies fugisse, elapsumque filios genuisse Hierosolymum & Judæum; facilè patet eos Judaicas res in fabulam hanc adscisscere*. Eousque verò progressa est Mythologorum effrænis licentia, ut *Typhoni*, id est, personato *Mosi* scelera *Pharaonis* imputarint. *Pharao* edixerat ut omnes Hebræorum masculi in Nilum conjicerentur. Immani edicto mater *Mosis* coacta eum arcâ inclusum in ripâ amnis exposuit. Sed antiqui Fabulatores inversâ & interpolatâ Historiæ veritate, Regem *Osiridem* a *Typhone* arcâ inclusum, in Nilum conjectum commenti sunt. At fabulam penitiùs scrutantibus apparet hanc ex *Mosis* historiâ adornatam. Conjectus scilicet *Osiris* per *Taniticum Nili* ostium, atque inde *Byblum* delatus fingitur: Ibique ab *Iside* inventus. *Moses* prope *Tanim*, ubi tum erat Regia, ut colligitur ex *Psalmo* 88. 12. expositus creditur, ibique a Regiâ Puellâ repertus in *algâ Niloticâ*, in quâ ἡ βύβλος sive *papyrus* magnâ copiâ oritur, quin & in arcâ byblinâ sive papyraceâ expositus infans inventus est. *Typhonem* colore rufum fuisse tradunt: *Artapanus* apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ* Cap.27. *Mosem procerum & rufum* fuisse ait: Addit *Bochartus*, Fabulatores illos Hebræorum Duci fortè tribuisse, quòd Idumæorum Patri *Esau*, qui a colore rufo *Edom* dictus est, Scriptura Sacra tribuit. Idumæos enim & Judæos interdum promiscuè sumunt Auctores. *Typhon* Regem *Osiridem* in quatuordecim partes discerpsisse legitur: *Moses* tredecim Tribus Israëlitici Populi a Regni Ægyptiaci corpore velut totidem partes avulsit, quibus accessit decima quarta, scilicet *Vulgus promiscuum innumerabile, quod ascendit cum eis*; [Exod. 12.38.] Ad *Typhonem* referunt *Animalia mala & noxia*; quia *Moses* ranas, sciniphes, muscas gravissimas, locustas, in Ægyptiorum perniciem excitavit. *Nec desunt qui umbram terræ, in quam Lunam illapsam deficere existimant, Typhonis nomine indigitent*: Quòd *Moses* triduanas tenebras in Ægyptum induxerit. Ægyptii Sacerdotes *Mare execrantur*, & *salem Typhonis spumam vocant, ipsisque inter alia interdictum est, ne salem in mensâ apponant. Neque salutant navium gubernatores, quia Mari utuntur, & victum suum e Mari petunt: Piscemque eâdem de causâ non parum aversantur, & odium per piscem describunt*: Ut tradit *Plutarchus* Lib. De Iside & Osiride. Quæ Maris execratio inde apud ipsos nata est, quòd Mare ad *Mosis* nutum refluum, *Pharaonem* & Exercitum ejus ita obruerit, ut ne unus quidem cladis nuntius superstes fuerit. Non inanis itaque *Bocharti* conjectura est, *Typhonis* nomen ab Ægyptiis Mari inditum, quia ut Hebræis *tsuph*, ita *Syris tuph* inundare est, & *tuphana*, *inundatio*, quomodo *tuphan* Arabibus. Ægyptios igitur, qui ex Syris & Arabibus multas voces mutuati sunt, id ipsum vocabulum usurpasse, atque inde *Mosem* appellasse *Typhonem*, quia Rubri Maris exundatione Pharaonem & Exercitum ejus demerserat. *Typhonis*

me-

metu Deos in variis animalium formis aliquandiu latuisse fabulantur; ut constat ex *Apollodoro*, *Hygino*, *Plutarcho*, *Ovidio Lib.* 10. *Metamorphoseon*, &c. Quia discedentibus ex Ægypto Israëlitis, Dominus in omnes Ægyptiorum Deos *fecit Judicia*, & exercuit ultionem. (*Exodi* 12. 13. & *Numerorum* 33. 4.) Quale fuerit hoc Judicium, qualisve ultio, Scriptura non expressit. Verisimile est Idola corruisse, confracta, & in pulverem redacta fuisse. Ut ut est, Ægyptii a *Typhone* tot modis malè mulctati, tamen eum, compellente metu, ut Deum coluerunt, ut ipsius maximè respectu locum habuerit, quod a Poëtis decantatum est.

*Primus in orbe Deos fecit timor.....*

Unde & in ejus cultu varii admodum fuere, & inconstantes. Quandoque enim, ut refert *Plutarchus* Lib. De Iside & Osiride, *Typhonem eum Sacrificiis quibusdam demulcent & leniunt, tum contra in aliis festivitatibus deprimunt, contumeliisque afficiunt. In his ignominiosè tractant rufos, asinosque de præcipitio dejiciunt, ut Coptitæ solent: Propterea quòd & asinino colore fuerit Typho, & Busiritæ ac Lycopolitæ omnino usu tubarum abstinent, quòd harum sonus voci asininæ sit similis: Planèque animal illud non mundum, sed Genii peculiare putant ob similitudinem quâ ei cum Typhone convenit.*

---

## ARTICULUS III.

*De Ritibus, Legibus, Moribusque Gentium ex Lege, Librisque Mosis derivatis.*

I. EX Mosaicis Libris complures variarum Gentium Leges ac Ritus manasse, Viri Eruditi jampridem demonstrarunt, & inter alios Vir in hoc literarum genere Incomparabilis *D. Huëtius* modò Abrincensis Episcopus, *Demonstrationis Evangelicæ Propositione* 4. Cap. 11. Ex Mosaicis institutis derivata nemo dubitaverit, quæ de Gallis Hierapolitani Syriæ Deæ Templi Sacerdotibus narrat *Lucianus* Libro *De Deâ Syriâ*, ipsos cum aliquem e suorum numero sepeliverunt, retrò domum abire. *Observato autem septem dierum numero, exinde in Templum ingredi. Nam si antea ac citiùs ingrediuntur*, (inquit) *nefas faciunt. Legibus autem adhuc utentur talibus: Si quis ipsorum cadaver aliquod aspexerit, illo die ad Templum non accedit. Postero autem die, ubi se ipsum purgando lustravit, ingreditur.* Hi Ritus ex *Numerorum* 19. 13. & 16. desumpti: *Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet Tabernaculum Domini.... Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, sive sepulcrum, immundus erit septem diebus.* Subdit *Lucianus*, quod planè Mosaicum est: *Immolant autem boves, masculosque & feminas, præterea capras & oves. Sues autem solos pro sceleratis habentes, neque sacrificant, neque manducant.*

*Legales Hebræorum immunditias Deæ Syriæ Sacerdotes æmulati sunt.*

II. In Templo Gaditano, in quo *Hercules* Ritu Phœnicio colebatur, teste *Appiano* in *Ibereis*, multa Hebraicæ Religionis vestigia cernebantur. Non saxis, sed trabibus constabat, instar Tabernaculi Mosaici. Hoc sues arcebantur. Lineâ veste induebantur, qui Sacra Ministeria obibant. Pedibus erant nudis, ut *Moses* coram ardente Rubo, quem Ritum & Græci quandoque imitabantur, & Romani, cum Aquiliciâ Jovi immolaturi, ad impetrandos imbres, Nudipedalia Populo denuntiabant. Uxoribus abstinebant iidem Sacrificuli in ordine vicis suæ. Ignis illic perpetuus ardebat. Nulla Deorum simulacra visebantur; ut testatur *Silius Italicus* Lib. 3. Templum illud describens:

*Ritus Mosaici in Templum Gaditanum Herculis translati.*

*Vulgatum, nec cassa fides, ab origine Fani*
*Impositas durare trabes, solasque per ævum*
*Condentum novisse manus, hìc credere gaudent*
*Consedisse Deum, seniumque repellere Templis.*
*Tum queis fas & honos Adyti penetralia nosse,*
*Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant*
*Setigeros arcere sues; nec discolor ulli*
*Ante Aras cultus, velantur corpora lino,*
*Ex Pelusiaco præfulget stamine vertex.*
*Discinctis mos thura dare, atque e lege parentum*
*Sacrificam lato vestem distinguere clavo.*
*Pes nudus, tonsæque coma, castumque cubile.*
*Irrestincta focis servant Altaria flammæ,*
*Sed nulla effigies, simulacrave nota Deorum,*
*Majestate locum, & sacro implevere timore.*

III. Ægyptii *Isidis*, *Osiridis*, & *Ammonis* Sacerdotes lineis etiam vestibus induti Sacra faciebant, instar Mosaicorum Sacerdotum. Ipsos *Juvenalis* Satyr. 6. *Gregem linigerum*. *Martialis* Epigramm. Lib. 12. *Linigeros Calvos* appellat. *Apulejus* Lib. 11. *De Asino aureo* pompam Isiacam describens: *Tunc*, inquit, *influunt turbæ sacris divinis initiatæ, viri feminæque omnis dignitatis & omnis ætatis, lineæ vestis candore puro luminosi.* Templo *Ammonis* præfectus erat Pontifex, cujus vestimenta Summi Judæorum Sacerdotis vestimentis simillima describit *Athenagoras Lib.* 5. *Eroticorum*. Ægyptii Sacerdotes a vino & venere tempore vicis suæ abstinebant, perinde ut Hebræi, ut constat ex *Porphyrio Lib.* 4. *De Abstinentiâ*; ex *Apulejo lib.* 11. *De Asino Aureo*, & ex *Macrobio* Lib. 1. *Saturnalium*.

*Lineæ vestis usum, aliosque Ritus ex Mosaicâ Lege acceperunt profani Ægypti Sacerdotes.*

Lustrationes, & Purificationes ab Hebræis ad Ægyptios, Græcos & Romanos pervenerunt, quarum meminere *Euripides* in *Jone* Vers. 94. & in *Alceslide* Vers. 157. *Homerus Ilyad.* ξ. Vers. 166. *Persius* Satyr. 2. ita canens:

*Lustrationes, & Purificationes Gentium.*

—— *Hoc sanctè ut poscas, Tyberino in gurgite mergis*
*Manè caput, bis terque, & noctem flumine purgas.*

*Virgilius* 2. Æneid. *Æneam* sic loquentem inducit:

*Tu genitor, cape Sacra manu, patriosque Penates.*
*Me, bello a tanto digressum & cæde recenti,*
*Attrectare nefas, donec me flumine vivo*
*Abluero.*

*Apulejus Asin. Aur.* Lib. 11. *Me priùs sueto lavacro circum ror ans abluit Sacerdos, rursumque ad Templum reductum, ante ipsa Deæ vestigia constituit.*

*Ovidius* Lib. 1. *Metamorph.*

—————— *Ubi libatos irroravere liquore*
*Vestibus & capiti, flectunt vestigia sacra*
*Ad delubra Deæ.*

*Valentiniani Julianum Apostatam* ad quoddam Templum Idolorum sequentis historiam referens *Sozomenus*, Lib. 6. *Histor. Ecclesf. Cap.* 6. ait: *Cùmque limen Templi transgressurus esset, Sacerdos verbenas aquâ tinctas manu gestans, Gentilium more ingredientes conspersit. Et cùm gutta in vestem Valentiniani decidisset, ille, utpote Christianus, rem molestè tulit, & Sacerdoti, qui ipsum asperserat, conviciatus est. Ajunt etiam illum, Imperatore ipso spectante, eam vestis partem, quæ aspersa fuerat, abscidisse, ac simul eum ipsâ aspergine projecisse.* Meritò itaque *S. Justinus* Martyr *Apologiâ* 2. lustrationes illas, in Templorum Ethnicorum aditu frequentes Dæmonibus divini cultûs æmulis tribuendas asserit: Ubi enim illa *Isaiæ* verba recensuit

*Lavamini, mundi estote, &c.* statim subdit: *Porrò lavationem hanc cùm audissent Dæmones per Prophetam promulgatam, ut & ingressuri in delubra eorum, & accessuri ad illos, atque libationibus & adipis nidoribus offerendis operaturi, se ipsos aquæ aspersione lustrarent, effecerunt. Quin ut toto quoque corpore laventur prodeuntes, priusquam ad Templa, ubi illi collocati sunt, veniant, instinctu & operâ suâ curant.* Moris id fuisse Atheniensibus a *Solone* institutis *Aristophanes* testatur, ut cùm mortuum extulerant, purgandi causâ lavarent; Quod ex *Numer.* 19. 2. desumptum est. Sicut Judæis immundæ habebantur puerpuræ, & per quadraginta dies Templo arcebantur juxta Legem Mosaicam; ita moribus Atheniensium ad eas accedere nefas erat ut docent *Theophrastus* & *S. Chrysostomus Homiliâ* 13. in *Epistolam* ad *Ephesios*. Apud Romanos etiam quadraginta diebus a partu puerperæ abstinebant.

*Animalium mundorum & immundorum discrimen ab Hebræis ad Ægyptios transiit.*

IV. Animalium mundorum & immundorum discrimen ex ungularum fissione vel soliditate, ex spinis & squamis, earumque defectu petitum, ad Ægyptios ab Hebræis transit. De illo *Chæremon* apud *Porphyrium* Lib. 4. *De Abstinentiâ*, §. 7. sic habet: *Et iis quæ Ægyptus ipsa protulit, piscibus omnibus abstinebant, & quadrupedibus quotquot solidas aut multifidas haberent ungulas, aut cornutæ non essent, & volucribus omnibus quæ carnes devorarent: Multi autem universis animalibus abstinebant.* Victimas nævo aliquo aspersas & maculosas, vel mutilas Diis offerre nefas putabant Ægyptii, eodem *Porpyhrio* teste: Quod ex Levitico desumptum. *Solon* Atheniensium Legislator victimas *integras & perfectas* Diis offerri sanxit, & agnum anniculo minorem non mactari, quod plenè Mosaicum est. Victimarum sanguinem circa aram Græci & Romani fundebant, teste *Porphyrio* apud *Eusebium* Lib. 4. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 9. & *Luciano* Lib. *De Sacrificiis*. Id ex *Exodi* Cap. 29. Vers. 16. acceptum. Oraculum refert *Porphyrius*, quod cælestibus Diis supremas victimarum partes adoleri jubet, reliqua comedi: Quod ex præscriptâ a *Mose* victimarum partitione in Sacrificiis pro peccato & pacificis ortum habuit. Pecudum armos *Mercurio* consecratos Athenis fuisse, docet *Aristophanis* Scholiastes. Quod ex *Levitici* 7. Vers. 34. desumptum, ubi armum cum pectusculo de hostiis pacificorum cedere jussit Deus Sacerdoti, *Aaroni* scilicet fratri *Mosis*, quem Ethnici *Mercurio* adumbrarunt. In omni Sacrificio sal adhiberi sanxit *Moses* Levitici 11. 13. *In omni oblatione tuâ offeres sal.* Idem a Græcis usurpatum docet *Plinius* Lib. 31. Cap. 7. scribens: *Nulla Sacra conficiuntur sine molâ salsâ.* Varia placentarum genera in Sacris Ethnicis falsis Numinibus oblata docent *Homerus*, *Aristophanes*, & eorum Scholiastes. Quæ ex Cap. 2. *Levitici* sunt accepta, ubi de pane sacrificali, in clibano, sartagine, & craticulâ cocto; de pane azymo, de placentâ oleo temperatâ, de placentâ oleo non subactâ, sed litâ, mentio habetur. Mensæ hujus aureæ cui imponebantur panes propositionis, instar fuerunt Mensæ illæ sacræ Diis apponi solitæ; non apud Græcos solùm, sed apud Romanos etiam, & Babylonios & Persas, & Æthiopes. Hinc illud Isaiæ 65. *Et vos, dereliquistis Dominum, qui obliti estis Montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ Mensam, & libatis super eam.* Ægyptios *Serapidi* panificia obtulisse, discimus ex *Suetonio* in *Vespasiano*, Cap. 7. ad exemplum scilicet panum propositionis.

*Ritus Mosaicorum Sacrificiorum a Gentibus, usurpati.*

*Decimarum & Primitiarum Diis offerendarum Ritum alia Gentes ab Hebræis acceperunt.*

V. Primitiarum & decimarum Deo offerendarum Ritus ab Hebræis ad alias Gentes derivatus est. Carthaginenses frugum suarum primitias & decimas Tyrum ad *Herculem* mittebant. Arabes decimas thuris Sabotam mittebant ad Deum suum *Sabin*, id est, *Bacchum*. Græcis id solemne fuisse, constat ex *Porphyrio* Lib. 2. *De Abstinentiâ* §. 8. scribente: *A sacris alieni videntur nonnulli, facultatum suarum primitias Diis nunquam exhibentes.* Et ibid. §. 8. *Thoës, qui Thraciæ confinia incolebant, cùm neque rei cujusquam primitias solverent, neque sacrificarent, de medio hominum erepti sunt; & derepente nec incolas, nec Urbem, nec ædium fundamenta, quisquam invenire poterat.* Ægyptii, teste *Diodoro Siculo*, Lib. 1. *Messis tempore, oblatis spicarum primitiis, juxta manipulos Isidem invocare* solebant. Hinc apud Græcos *Thalysia Cereris* ab *Homero* decantata *Idyl.* 7. id est, *Primitiæ, quæ post collectionem frugum Deæ pendebantur, ut in posterum quoque arva florescerent*: ut explicat *Eustathius* Homeri Scholiastes. Hinc illud *Celsi* apud *Origenem* Lib. 8. *Gratiæ sunt agendæ Dæmonibus rerum terrenarum Præfecturas sortitis, eisque preces offerendæ, & primitiæ, quoad vivimus, ut ipsos habeamus præsentes ac propitios.* De Romanis veteribus *Plinius Historia Naturalis* Lib. 18. Cap. 20. scribit: *Ne gustabant quidem novas fruges aut vina, antequam Sacerdotes primitias libassent.* Celebris Templi *Dianæ* Sacri, ac Ephesini similitudinem referentis, meminit *Xenophon* Lib. 5. *De Expeditione Cyri*, in cujus viciniâ columnam his verbis inscriptam stetisse refert: *Fundus Dianæ Sacer. Eum qui possidet, & fructus ex eo percipit, quotannis consecrato decumam. De reliquo Fanum sartum tectum conservato.* Persas id moris habuisse, ex Historiâ *Herodoti* Libr. 1. Cap. 89. discimus. Refert enim *Crœsum*, captâ Sardi *Cyrum* his verbis admonuisse: *Siste ad singulas portas aliquot e satellitibus tuis custodes, qui vetent exportari Urbis opes, quod necesse sit eas Jovi decimare. Ita neque tu odium eorum contrahes, vi opes eripiendo: & ipsi agnoscentes se justa agere, non inviti facient.* De Siphniorum aurifodinis scribens *Pausanias* Lib. 10. ait: *De fructibus earum Apollo sibi Decimam offerri jussit.* Atheniensium Rector *Pisistratus*, in Literis ad *Solonem* datis, quas apud *Diogenem Laërtium* Lib. 1. legere est, inter alia Regiminis in melius mutati signa, accuratam decimarum solutionem refert, *Decumam*, inquit, *quisque de suo patrimonio detrahit, non in usum meum, sed ut sit unde in Sacrificia publica sumptus suppeditetur, aut quid aliud ad Rempublicam spectat, vel si fortè bellum nobis incidat.* Manubiorum aut prædę bello captæ decimas Diis suis offerre Græcos solitos constat ex *Pausaniâ* Libr. 5. ubi clypeum *Jovi* dicatum sic inscriptum memorat: *Donum ab Argivis, Atheniensibus, & Jonibus acceptum. Qui prædę bello captę Decimam, victoriæ monumentum dedicarunt.* Græcos hostibus bello Persico fugatis, e spoliis decimam partem detraxisse, ex eàque aureum Tripodem confecisse, & *Apollini* apud Delphos dedicasse, *Diodorus Siculus* Lib. 11. testatur. Decimas manubiarum *Marti* redditas refert *Lucianus Dialogo De Saltatione*. Decimas *Palladi* sacratas memorat *Herodotus* Lib. 5. Cap. 78. Prædę Jovi & Diis offerendæ morem apud Romanos obtinuisse testatur *Virgilius* Lib. 3. *Æneidos*:

*Irruimus ferro, & Divos, ipsumque vocamus*
*In partem, prædamque Jovem.*

Unde & Romę Templum fuit *Jovi Prædatori* sacrum. Denique *Festus* in *Decim.* asserit, *Veteres decima quæque Diis suis obtulisse.*

*Tabernaculi Mosaici & Arcæ imitatio apud Gentes.*

VI. Ethnicis in more fuisse, ut Numinum suorum parvula simulacra in tentoriis aut ædiculis, seu capsulis collocata circumferrent, vel ut eos honore singulari colerent, vel ut eos haberent in-

individuos viarum & periculorum comites constat ex *Apulejo* qui testatur Ægyptios peregrè profecturos *ferre secum Dei alicujus simulacrum, ipsique festis diebus, mero aliquo & victimis supplicare*. Eustathius ad 1. Iliadem *Homeri* memorat *Templa vehiculo portata*. Hunc morem spectat illud *Virgilii* Lib.6. *Æneidos*:

*Errantesque Deos, agitataque Numina Trojæ.*

Hinc argenteæ illæ Ædes *Dianæ* Ephesi venundatæ quibus parvula Deę simulacra, ad cultum & præsidium facta, ejus cultores circumgestabant, ut habetur in *Actis Apostolorum* Capit.19. 24. Hinc Tabernaculum *Moloch*, id est, Solis, de quo Amos 5. 26. *Et portastis Tabernaculum Moloch vestro, & Imaginem Idolorum vestrorum sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis*. Quæ ex pravâ Mosaici Tabernaculi æmulatione derivata certissimum est. Arca fœderis Gentilibus occasionem & exemplum dedit Arcas seu cistas sacras fabricandi, quas in Mysteriis & Pompis Deorum suorum habuerunt, & singulari religione tractarunt. Cistam sacram ab Ægyptiis circumlatam scribit *Apulejus* Lib.10. De Ano Aureo: *Ferebatur ab ab alio cista secretorum capax, penitus celans opera magnifica Religionis*. Plutarchus Lib. De Iside & Osiride: *Decimâ nonâ mensis die noctu ad Mare descenditur.... Et sacram Cistam Stolistæ unà cum Sacerdotibus offerunt in quâ est intus aurea Arcula, &c.* Sacras Ethnicorum cistas orgiis & mysteriis falsorum Numinum dicatas Poëtæ celebrant *Euripides Jon. Act.5.*

*Vides hanc cistam sub brachio manûs meæ?*

Jon. *Video Arcam antiquam sertis coronatam & floribus.*

*Oppianus* de *Bacchi* Ceremoniis loquens Lib. 4.

*Arcam porrò arcanam sacer chorus sublatam,*
*Coronantes, tergis imposuerunt asini.*

*Catullus* in Carmine De Pelei Nuptiis:

*Pars obscura cavis celebrant Orgia cistis:*
*Orgia quæ frustra capiunt audire profani.*

*Tibullus Lib.1.*

*Et levis occultis conscia cista sacris.*

*Seneca* De Sacris Thebanis:

*Nos Cadmais Orgia ferre*
*Tecum solita condita cistis.*

*Ovidius* Lib.2. *De Arte Amandi*:

*Condita si non sunt Veneris Mysteria cistis.*

*Clemens Alexandrinus* in Admonitione ad Gentes, Ethnicam cistam memorat, *In quâ repositum erat pudendum Dionysii*, id est, *Bacchi*, *quam Cabiri in Hetruriam vexerunt, pudenda & cistam colendam commendantes*. Ibidem de Eleusinis *Cereris* Mysteriis cùm pudenda quædam retulisset, subdit: *Eleusiniorum Mysteriorum signum est, Jejunavi, potum confectum bibi, ex cistâ accepi: Postquam feci, deposui in calathum, & ex calatho in cistam. Pulchra quidem hæc sunt spectacula, & Deæ convenientia. Digna quidem certè nocte mysteria, & igne*. Ibidem: *Quales autem sunt cistæ eorum mysticæ? Oportet enim Sancta eorum revelare, & arcana enuntiare. An non ea sunt sesamides, & pyramides, & lana bene laborata, libaque multis distincta umbilicis, salisque pugilli, & draco orgium Bacchi Bassari? An non mala punica, atque etiam corda, ferulæ, & hedera, & præterea placenta, & papavera? Hæc sunt eorum Sancta. Quin etiam Themidis arcana symbola, origanum, lucerna, ensis, pecten muliebris quem honestè & mysticè licet dicere, pudendum muliebre. O evidentem impudentiam!* Lege & *Eusebium Lib.2. Præparationis Evangelicæ* Cap.3.

*Ritus Gentium ex Paschalis Festi, Sabbathi, & Scenopegiæ æmulatione derivati.*

VII. Apud Romanos Herculi fiebat Sacrificium in culinâ ab iis qui ad iter se accingebant, quod *Propter Viam* dicebatur, in quo moris erat, ut si quid ex cibis Numini consecratis reliquum esset, igne consumeretur. Id ex Paschalis Sacrificii Mosaico Ritu derivatum, quod Israëlitæ ex Ægypto profecturi, *Propter Viam*, obtulerunt. Ex Azymis Festi ejusdem factum est, ut Flamines farinâ fermento mistâ abstinuerint. Septimam diem peculiari aliquo cultu & Græcis & Romanis observatam fuisse: constat ex *Homero*, *Hesiodo*, *Pseudo-Lino*, *Solone*, *Callimmacho*, ab *Aristobulo* & *Clemente Alexandrino* laudatis, apud *Eusebium* Libro 13. *Præparationis Evangelicæ* Cap.12. & 13. & *Ovidio* Lib.2. De Arte Amandi, *Senecâ* Epistolâ 95. *Dione* Lib.36. & Veteribus Romanorum Kalendariis. βαϰχεῖαι & θυεσσοεῖαι ex Mosaicâ Scenopegiâ ortę videntur; atque hoc potissimùm Festum quod Cereri post collectas æstivas fruges, & illud quod *Baccho* & *Minervę* post autumnales fructus conditos celebratur. Et in Carniis, festo Apollinis, apud Cyrenenses; & apud Lacedæmonios, cùm Copidem celebrarent, Tabernacula quædam erigebant, in iisque convivia agebant. Festo *Annæ Perennæ* die, & Neptunalibus Romani umbras, hoc est, frondeas casas pariter extruebant, Hebraicam *Scenopegiam* æmulati.

VIII. In more positum fuit apud Romanos, ut bove mactato in pulpito tabulis perforatis instrato, & profluente per rimas sanguine, Pontifex infulatus sub pulpito in scrobe abditus aspergeretur, quem morem irridet *Prudentius* Lib. *De Coronis*, agens de Martyrio *S. Romani*. Quæ consuetudo ortum habuit ex ritu Consecrationis Sacerdotum Hebræorum, quo dextræ eorum aures, & pollices, ac vestimenta, mactati arietis sanguine tingebantur.

*Ritus Romanorum ex Ritu Mosaico Consecrationis Pontificis derivatus.*

IX. Lex quæ filias hæredes tribulibus suis & agnatis nubere jubet, ne possessiones alienentur & commisceantur Tribus, *Numer.* ultimo, ad Athenienses per *Solonem* Atticarum Legum conditorem pervenit. De hac *Terentius* in *Phormione*, quæ *Apollodori* Comædia est Latinè reddita:

*Lex Attica de orbarum Matrimonio, Mosaicæ originis est.*

*Lex est, ut orbæ, qui sint genere proximi,*
*Iis nubant, & eos ducere eadem hæc Lex jubet.*

Ibidem *Donatus* ait: *Orba proximo nubat; Orbam proximus ducat, Lex Attica est*. Lex conceptis verbis apud *Sopatrum* exstat: *Filiam hæredem ex asse ducat proximus*. Sed & apud *Diodorum Siculum* Lib.12. illud *Adelphis* refertur.

*Ille meus amicus illi genere est proximus:*
*Huic Leges cogunt nubere hanc.*

Hujus Legis frequenter meminerunt *Demosthene*; aliique Oratores Græci, & *Aristophanes*.

X. Urbes illæ selectæ, in quas velut in Asyla *Moses* tutum perfugium esse voluit iis qui imprudentes homicidium admisissent, *Numer.*35. 6. exemplum Ethnicis præbuere sacrorum Asylorum instituendorum. Hinc *Ara Misericordiæ* a Nepotibus *Herculis* Athenis consecrata, ad quam quisquis confugisset, inde per vim abduci minimè posset. Hinc delubrum Athenis *Theseo* conditum, quod servis & tenuioris fortunæ hominibus perfugium esset. Hinc alterum in Calauriâ Insulâ eumdem in finem *Neptuno* dicatum. Hinc Asylum Romæ a *Romulo* institutum. Hinc Romanis ad mortem damnatis Neapolim, Præneste, & Tibur confugere licuit, ibique tutò & impunè degere, teste *Polybio Lib.6.* Quemadmodum autem hi, qui in Urbes Refugii Mosaicâ Lege designatas se receperant, jus ad suos redeundi, & securè apud illos degendi, morte Pontificis consequebantur: Ita profugi in Aricinum Templum morte Sacerdotis solvebantur. Quàm multas Leges ex *Mose Plato* exscripserit, ab *Eusebio* Lib.12. *Præparationis Evangelicæ* per multa capita demonstratum est, eritque in Dissertationibus hic de re dicendi locus, ubi argumentum istud retractabitur. Romanarum Legum cum Mosaicis affinitatem proba-

*Sacra Gentium Asyla instar Urbium Refugii apud Hebræos.*

bavit olim *Licinius Rufinus* Libello cui titulus est, *Collatio Legum Judaicarum & Romanarum:* Quem edidit *Petrus Pithœus*.

Post interfectum *Og* & *Sehon* Reges & transmissum Jordanem, duodecim lapides a viris duodecim, e duodecim Tribubus singillatim electis, ad perennem Miraculi memoriam, *Josuë* constitui jussit.

## ARTICULUS IV.

### *De Historiâ Josuë ab Ethnicis interpolatâ.*

*Herculis fabula ex Historiâ Josuë adornata.*

EX Historiâ *Josuë* adornatam fuisse ab Ethnicis *Herculis* fabulam demonstrarunt *Vossius* Lib. 1. *De Idololatriæ Origine* Cap. 26. & Doctissimus Presul *Daniel Huëtius*, *Demonstrationis Evangelicæ Propositione* 4. pag. 150. & sequentibus. Argumenta, quibus id persuadetur, strictim refero. *Hercules Ægyptius* fingitur, *Nilo* patre natus, & *Mosis* coœvus. *Josuë* in Ægypto natus est *Mosis* temporibus. Tyrius dictus est, quia Phœnices cum Judæis sæpè a Græcis confunduntur. Idæus quoque & Cretensis dictus est, quòd nonnunquam Idæi pro Judæis accipiantur. Trinoctio genitum *Herculem* ferunt Mithologi, & Solis radiis aliquando adustum, arcum in eum intendisse, & astrologiæ peritissimum extitisse: Quibus figmentis occasionem prœbuit Statio Solis ad *Josuë* imperium tempore prelii Gabaonitici. *Hercules* Diis adversùs *Tiphœum*, tricorporem Geryonem, aliosque Gigantes preliantibus opem tulit: *Josuë* adversùs Chananæos, aliosque Terræ promissæ incolas, viros giganteæ proceritatis, adversùs monstra filiorum *Enac* bella Domini gessit. *Herculem* cum filiis *Abrahami* adversùs *Antæum* gigantem esse profectum refert *Cleodemus* apud *Eusebium Lib.* 9. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 20. *Josuë*, *Og* Regem Basan, & Enacæos Gigantes cum Israëlitis *Abrahami* Nepotibus debellavit. *Herculem* adversus Gigantes pugnantem, ad ripam Rhodani, imbre lapideo a *Jove* adjutum ferunt: Cùm quinque Reges *Josuë* Israëlitici Exercitûs Imperatorem fugerent, *Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Azeca: & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filii Israël*. (Josuë 10. 2.) In Arimis *Tiphœus* ab *Hercule* profligatus jacuit: In Aramæis, hoc est Syriacis campis, *Og* Rex Basan, Philistæi, Chananæi, aliique Gigantes a *Josuë* prostrati sunt. Magum & prestigiatorem fuisse *Herculem* scribit *Diodorus Siculus* Lib. 3. & 5. *Josuë* scilicet victorias admirandis prodigiis Deus promovit. Miracula porrò Magicis Artibus tribuere solent Ethnici. Columnis *Herculis* columna illa adumbrata est, in quâ delitescens Dominus ducem itineris & propugnatorem Israëlitis se præbuit. *Herculem* σωτῆρα cognominatum ferunt in Nummis Thasiorum, qui fuerunt Phœnicum coloni, & sæpè in vetustis Inscriptionibus appellatur *Hercules Conservator*, *Hercules Defensor* (ut apud *Gruterum* videre est) eoque nomine, Templum ipsi Romæ est erectum: *Josuë* nomen *Servatorem* sonat. Serpentes dicitur infans *Hercules* in cunis elisisse: *Josuë* Hevæos Chananæam gentem debellavit; Idem autem nomen *Hevæum* & *Serpentem* Syriacâ linguâ significat. *Prometheum* ad Caucasi rupes expansis manibus religatum liberasse fingitur *Hercules*: Mosem in vertice collis lapidi insidentem, & manus ad cœlum attollentem, donec parta esset ab Amalecithis victoria, *Josuë* labore levavit. *Herculem* per Pheneatarum agrum excavasse alveum Olbio Fluvio narrat *Pausanias* in *Arcadicis*, Tempe quoque, & Stymphali paludes fertur exsiccasse, apertis Montibus aquarum cursum retinentibus: *Josuë* Jordanem arefecit, & Israëliticum Exercitum per ejus alveum transmisit. Post debellatos Gigantes, duodecim Diis Aras *Hercules* crexit:

## ARTICULUS V.

### *De Historiâ Judicum ab Ethnicis interpolatâ.*

*Gedeon est Jerombalus Sanchuniatonis.*

I. GEdeonis meminisse *Sanchuniatonem* vetustissimum Rerum Phœniciarum Scriptorem, qui ante Trojana tempora floruit, & cujus Opera *Philo Byblius*, in Græcam linguam versa vulgavit, Viri eruditi pridem observarunt. Id probant ex Lib. 4. *Porphyrii* cujus hæc sunt verba: *Rerum ad Judæos pertinentium Historiam Sanchuniatho Berytius summâ fide conscripsit, quippe quæ cum eorum locis atque nominibus apprimè consentiat, cùm præcipua rerum illarum capita ab Jerombalo quodam Sacerdote Dei Jevo accepisset*. Hunc *Porphyrii* locum refert *Eusebius* Lib. 1. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 9. *Philo* verò *Byblius*, qui *Sanchuniathonis* Opus universum in novem Libros distribuit, testatur in primi libri Proœmio, Eum, *cùm Gentium omnium Historiam jam usque a primâ Universi molitione nosse vehementer optaret, præcipuam quandam in investigandis Taauti rebus diligentiam adhibuisse, quòd satis intelligeret, omnium qui lucem hanc aspexerant, eum literas principem invenisse, ac scribendorum Commentariorum Auctorem fuisse: Ab illo autem auspicatum esse, quem ab Ægyptiis Thoyth, Ab Alexandrinis Thoth nominatum, Græci Ἑρμῆν, hoc est Mercurium reddidere*. JEROMBALUS ille Sanchuniatonis, est *Gedeon*, qui *Judicum* 6. 31. 7. 1. 8. 35. & 1. *Regum* 12. 2. & 2. *Regum* 21. *Jeroboal* appellatur. Hunc *Sacerdotem Dei Jevo* appellat, seu Dei *JAO*, de quo *Diodorus Siculus* Lib. 1. scribit: *Mosen apud Judæos finxisse Deum illum, qui JAO cognominatur, Leges ipsi tradidisse*. De quo & *Apolline Claris* Oraculum apud *Macrobium*, *Libro* 1. *Saturnalium* Cap. 18.

*Maximus ille Deûm tibi sit, cui nomen Jao.*

JAO ipse est *Jehova*, Deus Magnus. Mirum autem esse non debet, quòd *Jerombalum*, sive *Jerobaalum*, id est, *Gedeonem* Dei Sacerdotem appellaverit *Sanchuniato* Vir Ethnicus, nec rerum Judaicarum satis peritus, maximè cùm *Ephod* Sacerdotale indumentum in Ephrâ civitate suâ ex spoliis hostium confecerit in perenne victoriæ monumentum. Commentaria porrò ab *Jerombalo*, seu *Gedeone*, cui coævus erat, accepit *Sanchuniato*, id est, *Mosis* Libros, quos ipsum legisse, & pleraque ex ipsis accepisse, patet ex iis quæ supersunt apud *Eusebium* Sanchuniatonis fragmentis. Et certè *Taautum* illum, primum literarum repertorem, qui Ægyptiis *Thoth* sive *Thoyt*, Græcis *Mercurius*, ipsum esse *Mosem* superiùs probatum est. Commentaria itaque *Taauti*, Libri sunt *Mosaici*, ab *Jerombalo*, id est *Gedeone* Sanchuniathoni traditi. Ex *Gedeonis* Vellere fortè orta est Argonautarum fabula, qui circa tempora *Gedeonis*; aut certè non multò post, annis scilicet sexaginta quatuor post Ilium conditum, ut apud *Clementem Alexandrinum* vetustus Chronologus asserit, aut ipsis *Gedeonis* temporibus, ut docet *Eusebius* in Chronico, expeditionem in Colchidem *Jasone* Duce susceperunt.

*Vellus aureum Argonautarum ex Gedeonis vellere confictum.*

II. Ex historiâ *Jephte* filiam suam Deo sacrificantis, orta est *Iphigenia*, quasi *Jephtigenia*, fabula, quam *Agamemnon* pater *Dianæ* immolasse fertur. Inde etiam expressa est fabula *Idomenei*, qui tempestatibus jactatus, cùm *Neptuno* sacrifi-

*Iphigeniæ fabula ex Historiâ Jephte expressa.*

ca-

saturum se pollicitus esset quidquid sibi primùm ad litus appellenti obvium foret, navi egressus incidit in filium, quem ex voto mactavit.

*Hercules ex Historia Samsonis expressus.*

III. *Samsonis* historiam Ethnici interpolarunt, fabulosum *Herculem* suum ex hoc Archetypo effingentes. Cæsum a *Samsone* Thamnatam euntem leonem Nemæus leo ab *Hercule* interfectus refert. Samsonis in Gazeâ meretrice ac *Dalilâ* petulantiam indignamque Heroë servitutem exprimit *Herculis* apud *Omphalem* servitus & effœminatio. *Herculis* clava maxillam asini, qua *Samson* Philistæos percussit. Hydræ, Centauri, Stymphalides, aliaque id genus monstra commentitia, impetus Ascalonitarum, Gazeorum, Philistæorum adumbrant. *Herculis* post libidines homicidiaque iterata per *Thestium* & *Eumolphum* expiatio, *Samsonis* innuunt pœnitentiam. Columnæ Gaditanæ, quæ *Herculi* meta itinerum fuerunt, columnas duas Gazæi Dagonis Templi, quæ *Samsoni* vitæ terminus extiterunt. Mors spontanea *Herculis* in Oetâ Monte, voluntarium *Samsonis* interitum significat. *Hercules* Tyri pro Deo cultus: *Samson* in Judæâ Tyriis finitima floruit. *Hercules* Græcè Ἡρακλῆς symbolum fuit Solis; *Heracles enim*, (inquit *Macrobius* Lib.1. *Saturnalium* Cap.20.) *quid aliud est nisi heras, id est aëris cleos? Quæ porrò alia aëris gloria est, nisi Solis illuminatio, cujus recessu profunditate occulitur tenebrarum?* Et duodecim labores Herculis sunt duodecim signa Zodiaci, quæ Sol quotannis percurrit. *Samson* Hebraicè *Parvum Solem* sonat, ut observant Interpretes. Denique iisdem penè temporibus *Hercules* & *Samson* vixisse feruntur. Ita *Eusebius* in Chronici Præfatione, *Samson autem est*, *inquit*, *quem in corporis robore Herculi similem ferunt pollere Judæorum. Et mihi videntur non multùm inter se distare tempore: Siquidem ambo circa Trojæ captivitatem fuerunt*. Ita *S. Augustinus* Lib.18. *De Civitate Dei*, Cap.19. *Hebræorum Judex Samson, cùm mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules*. In anteriora nihilominus tempora, scilicet ante *Josuë* obitum *Herculem* conjicit Cap.12. *His temporibus*, inquit, *Hercules in Tyriâ clarus habebatur*. Ita *Philastrius* Lib. *De Heresibus* Cap.8. *Pagani fortes viros ex Samsonis figurâ usurpantes, Hercules nuncuparunt*. Ita *Otho Frisingensis* Lib.1. Cap.25. *Fortissimum Samsonem ob incredibilem fortitudinem Herculem putabant*.

*Samsonis Cæsaries fabulis de fatali Nisi & Pterelai comâ occasionem dedit.*

Mirabilis illa *Samsonis* cæsaries, quæ a *Dalilâ* Meretrice resecta, miserrimam *Samsoni* captivitatem peperit, ac sub inde mortem, occasionem dedit fabulæ de comâ fatali *Nisi* Megarensium Regis, *Samsonis* coævi, ex quâ Regni fortuna pendebat: Quam cùm *Scilla* ipsius *Nisi* filia, amore *Minois* Urbem obsidentis capta, dormienti patri demessuisset, patri, patriæ, sibique ipsi exitium intulit, ut *Pausanias*, *Apollodorus*, *Ovidius*, *Servius*, & alii testantur. Huic similis est fabula de *Pterelâ* sive *Pterelao* Taphiorum Rege, quem inexpugnabilem fuisse fabulantur, ob fatalem, quem *Neptuni* dono acceperat, capillum aureum. Verùm *Comathonem* filiam *Pterelai*, *Amphitrionis* amore captam, aureum patris capillum desecuisse, unde mors *Pterelai* secuta est, & *Amphitrio* Taphios & Teleboas subegit.

*Mos comam falsis Numinibus consecrandi apud Ethnicos, ex Nazaræatu Samsonis, & Mosaicâ Lege de Nazaræatu ortum habuit.*

IV. Ex Nazaræatu *Samsonis*, & Mosaicâ Lege de Nazaræatu & consecratione capillorum *Numer*.6. ortus est mos Ethnicorum, qui comam solemniter alebant, & falso alicui Numini consecrabant, ac demum certo tempore ad voti complementum & executionem radebant. *Achillem* Expeditionem Trojanam suscepturum comam Sperchio flumini vovisse, si victor domum rediret, testis est *Homerus Iliade* 23. De quo ritu *Eustathius* Homeri Scholiastes: *Feruntur quidem Græci*, inquit, *quovis alio tempore comati incedere, luctûs autem tempore tonderi, similiter & matura seu perfectæ ætatis aut staturæ tempore. Tunc enim capillos tondentes, eos Apollini Juvenum altori, & Fluminibus devovebant*. Testis ejusdem moris ac ritûs *Diodorus Siculus* Lib.1. *Osiris*, inquit, *post votum Diis nuncupatum alendi cæsariem, usque dum in Ægyptum reversus esset, per Æthiopiam iter fecit. Eam ob causam ad recentiora usque tempora religiosus apud Ægyptios mos invaluit, ut qui peregrinationes susciperent, ad reditum suum usque comas nutrirent*. Testis *Plutarchus* Lib. *De Templi Delphici Inscriptione*, Atheniensium Juvenes comam ad annos pubertatis alere, & deinde ad Templum Delphicum se conferentes, capitum suorum quasi primitias *Apollini Pythio* consecrare. Testis *Martialis Epigrammatum Lib*.9. Num.18. sic *Æsculapium* allocutus:

*Hos tibi laudatos dominorum voce capillos*
*Ille tuus Latiâ misit ab Urbe puer.*
*Tu juvenile decus serva, ne pulcrior ille*
*In longâ fuerit, quàm breviore comâ.*

Testis *Valerius Flaccus* Lib.1. *Argonauticon*:

*Tectus & Eurytion servato colla capillo,*
*Quem pater Aonias reducem tondebit ad Aras.*

Testis *Lucilius* in Anthologiâ, cujus Græcos Versus ita reddit Interpres nuperus:

*Glaucoque & Nereo, pariterque Ino & Melicerta,*
*Tu Pelagique Deo, & quos Samothraces habent.*
*Naufragio sospes Lucillus, hosce capillos*
*Dedico, nil aliud quod superesset habens.*

Hinc *Petronius* Cap.63. Rasuram *naufragiorum ultimum votum* vocat. Testis *Statius* Lib.3. *Sylvâ* 4.

*Accipe laudatos, Juvenis Phebeie crines,*
*Quos tibi Cæsareus donat puer.*

Testis *Virgilius* 7. *Æneidos*:

*Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.*

Testis *Juvenalis*, *Satyr*.3.

*Ille metit barbam, crimen hic deponit amati.*
*Plena domus libis venalibus.*

Testis *Hesychius* ad vocem Κυρεῶτις, Cureotis; *Mensis Pyanepsionis ille dies, quo capillos capitis puerorum detondentes, Dianæ sacrificant*. Capillos autem Diis sacros quandoque in arbore suspendebant, quam appellabant *Capillarem*, ut testatur *Festus*, quandoque in argenteo vel aureo loculo repositos, Templis consecrabant, ut de primâ *Neronis* barbâ *Suetonius* commemorat, hanc ipsum in aureâ pixide, & pretiosissimis margaritis adornatâ Capitolio consecrasse. De hoc Gentilium ritu *Tertullianus* Lib. *De Animâ*, Cap.39. *Cui enim hominum non adhærebit Spiritus nequam ab ipsâ etiam januâ nativitatis animas aucupabundus, vel quâ invitatus, totâ illi puerperii superstitione? Ita omnes Idololatriâ obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis apud Idola confectis redimit, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur: Dum in partu Lucina & Diana ejulatur: Dum per totam hebdomadam Junonis Mensa proponitur: Dum ultimâ die fata scribenda advocantur: Dum prima etiâ Infantis constitutio super terram, Statinæ Deæ sacrum est. Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut totâ novaculâ prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro genticâ, pro avitâ, pro publicâ, aut privatâ devotione?* De eodem more *Theodoretus* Quæstione 28. in Leviticum: *Moris est*, inquit, *apud Græcos capita puerorum non attondere, sed sinere capillos promitti, & hoc postea Dæmonibus dedicare*.

*Vulpinalia apud Romanos celebrata ortum habuere ex Vulpibus Samsonis.*

V. Ex trecentarum Vulpium historiâ, quas facibus ad caudas alligatis in Philistæorum agros *Samson* immisit, ortum habuit solemnis ille *Vulpinalium* ritus, quo Romæ medio Aprili, cùm mit-

Ludi Curules in Circo celebrarentur, vulpes emittebantur cum tædis ardentibus tergo affixis, cujus ritûs causam disquirit *Ovidius* Lib.4. *Fastorum:*

*Cur igitur missæ junctis ardentia tædis*
*Terga ferant Vulpes, causa docenda mihi est:*

Respondet, se Româ in Pelignos euntem, per Carseolos transiisse, ibique ab hospite suo jam sene didicisse id fieri in memoriam Carseolanæ vulpis, quam a se captam pauperis rustici filius fœno involvit & stipulis, tum in eas ignem immisit. Quibus accensis, tùm effugisset vulpes, quàcunque tortuoso & anfractuoso cùrsu fugiebat, fruges accendebat messi proximas.

*Is capit extremi vulpem convalle salicti,*
*Abstulerat multas illa cohortis aves.*
*Captivam stipulâ fœnoque involvit, & ignes*
*Admovet, urentes effugit illa manus.*
*Quà fugit, incendit vestitos messibus agros:*
*Damnosis vires ignibus aura dabat.*
*Factum abiit; monumenta manent: Nam dicere certam*
*Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.*
*Utque luat pœnas genus hoc Cerealibus ardet:*
*Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.*

Verum vix credibile est quòd ritus tam solemnis a tam obscuris initiis originem duxerit: & quòd Romæ certâ die quotannis vulpes plurimę cum tædis ardentibus caudæ alligatis emissæ sint, quia vulpes una Carseolis fœno ardente involuta, paucas segetes in fugâ exussit. Longè verisimilius est Vulpinalia illa primò a Phœnicibus celebrata in memoriam cladis per trecentas illas vulpes Philistæorum frugibus illatæ, deinde Phœnicum exemplo morem hunc ad alios manasse. Duabus id conjecturis haud sanè spernendis probat *Bochartus Hierozoici Lib.3. Cap.13.* Prima est, quòd Romæ vulpes fœno non involvebantur, quomodo vulpes Carseolana, sed tædas in caudâ gerebant, *Ovidio* teste:

——— *Junctis ardentia tędis*
*Terga ferant vulpes* ———

Quod ipsum de *Samsonis* vulpibus refert Scriptura Sacra Judicum 15. 4. *Perrexitque & cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio: Quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent.* Secunda conjectura est, quòd in Circo vulpes emittebantur, non quo tempore Romæ vel Carseolis, sed quo in Palæstinâ fit triticea messis, nempe circa medium Aprilem, ut Poëta supra laudatus testatur. Hoc ipso porrò tempore vulpes illas trecentas in Philistæorum agros *Samson* immisit, ut constat ex Judicum 15. 1. *Post aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ messis instarent, &c.* Et Vers.5. *Quibus succensis, & comportatæ jam fruges, & adhuc stantes in stipulâ concrematæ sunt.*

## ARTICULUS VI.

*De Historiâ 1. & 2. Libri Regum ab Ethnicis interpolatâ.*

*Bochartus Lib. 1. Chanaan. cap. 18. Huetius Demonst. Evang. Prop. 4. p. 261.*

I. EX his etiam Libris quidam Ethnicorum ritus & fabulæ manarunt, ut a Viris Eruditis pridem observatum est. Scribit *Pausanias* Lib.7. Græcos Trojæ reperisse Arcam Libro sacram, quam cùm aperuisset *Euryplius*, & in eâ reconditum *Bacchi* simulacrum intuitus esset; *statim a spectaculo, mentis impos factus est.* Id ex 1. *Regum* Cap.6. Vers.19. sumptum, ubi legimus, Deum Bethsamitas percussisse, quòd in Arcam fœderis curiosiùs inspexissent.

II. Azotiorum historias qui propter Arcam Dei inhonoratam, & in Templum *Dagon* temerè illatam, turpi plagâ in ano sunt afflicti, & tum demum sanati, cùm simulacra aurea partium ægrarum in capsulâ ad latus Arcæ deposuissent, occasionem dedit fabulæ, cujus meminit *Aristophanes Scol. Acharn. Act.2. Sc. 1.* Narrant scilicet Fabulatores, *Bacchum* Atheniensibus iratum, quòd ejus Sacra sprevissent, nec cum pompâ excepissent, cùm e Bœotiâ in Atticam a Pegaso primùm allata sunt, illos, in pudendis afflixisse gravi morbo; a quo sanati non fuerunt, donec ab Oraculo moniti, phallos, hoc est, pudendarum partium imagines, solemni ritu in honorem *Bacchi* gestassent & erexissent.

III. Fabulam de *Æaco* pluvias de cœlo precibus eliciente, cùm squallore & frugum penuriâ Græcia laboraret, prodiisse ex historiâ *Samuëlis*, ad fidem sibi inter Israëlitas conciliandam imbres & tonitrua sereno cœlo excitantis, docet *Clemens Alexandrinus* Lib.6. Stromatum p. 629. *Jam verò*, inquit, *non solùm convincuntur a Barbaris dogmata surripere sua, sed & imitari quæ apud nos divinâ virtute ab iis qui sanctè vixerunt, dum nostri curam gerunt, fiebant admirabiliter & præter opinionem, eaque tanquam Græcas fabulas prodigiosè narrantes..... Verùm enimverò cùm diuturna siccitas Græciam aliquando affligeret, & fructuum esset maxima sterilitas, qui remanserant, inquiunt, propter famem Delphos supplices venientes, rogarunt Pythiam, quomodo liberarentur a tam gravi calamitate. Ea respondit, Calamitatis unum esse remedium, si utentur precibus Æaci. Eis ergo morem gerens Æacus, cùm in Græcum Montem ascendisset, mundis in cœlum extensis manibus, communem Deum invocans precatus est, ut afflictæ misereretur Græciæ. Simul ac autem cœpit precari, felix statim tonitru insonuit, & totus aër circumcirca fuit obductus nubibus. Vehementes autem & continui imbres erumpentes, totam impleverunt regionem. Hinc efficitur abundans & copiosa fructuum feracitas, qui Æaci, tanquam agriculturę fuere impetrati precibus. Et invocavit,* 1. Reg. 12. 17 & 18.
*inquit Samuël Dominum: & dedit Dominus voces & pluviam in die messis.*

## CAPUT VIII.

## DE HISTORIA EXOTICA Quartę Mundi Ætatis.

I. IN Ægypto regnabat *Amenophis pater Sethosis* sive *Ramessis*, cùm Israëlitæ Duce *Mose* ex Ægypto sunt egressi. Hic ille *Pharao* est, quem in Mari Rubro submersum, cum Israëlitas insequeretur, Scriptura Sacra commemorat. Assyriis imperabat *Ascatades* Rex a *Nino* decimussextus. Argivis *Triopas* Rex septimus. Recèns institutum Atheniensium Regnum primus *Cecrops* moderabatur. Post *Amenophis* naufragium, Regnum Ægyptiacum administravit *Armais* ejus filius: Orientem verò invasit *Sethosis* filiorum alter. De *Res Ægyptiacæ.*
quibus in Ægyptiacis suis *Manetho a Josepho* Lib. 1 contra *Apionem* laudatus, ita scribit: *Sethosis Rex* *Amenophis.*
*equestres & navales copias habens, fratrem quidem* *Sethosis.*
*Armain Procuratorem Ægypti constituit, & omnem ei aliam Regalem contulit Potestatem: Tantummodo autem diademate uti prohibuit, & ne Reginam Matrem liberorum opprimeret, imperavit, & ut abstineret etiam a Regalibus Concubinis. Ipse verò ad Cyprum & Phœnicam, & rursus contra Assyrios atque Medos castrametatus, universos quidem alios ferro, alios sine bello virium sua-*

*fuarum terrore sibimet subjugavit: Eoque successu elatus confidentiùs incedebat, Orientales Provincias ac Urbes subvertendo. Aliquanto verò tempore procedente, Armais qui in Ægypto fuerat dereli-ctus, omnia contra quàm frater agere monuerat, sine timore faciebat. Nam & Reginam violenter tractavit, & aliis concubinis jugiter miscebatur: Persuasusque ab amicis, & diademate utebatur, & fratri rebellabat.* Addit Manetho: *Armain* quidem *Danaum* nuncupatum fuisse: *Sethosim* verò & *Ægyptum*, (unde regioni nomen datum fuisse ait, quæ priùs *Æria* dicebatur) & *Ramessem*, Avi nomine appellatum. Ex quâ nominum & rerum gestarum similitudine, eum Taciti *Ramsen* & Herodoti *Sesostrim* fuisse rectè colligit *Usserius*. Regem enim *Rhamsen Libyâ, Æthiopiâ, Medisque & Persis, & Bactriano, ac Scythiâ potitum, quasque terras Syri, Armeniique, & contigui Cappadoces colunt, Inde Bithynum, hinc Lycium ad Mare imperio tenuisse*, refert *Tacitus* Lib. 2. Annalium. Et de *Sesostri* scribit *Herodotus* Lib. 2. *Istum dicebant Sacerdotes primum omnium Regum longis navibus Arabicum Sinum prætervectum, & populos Rubri Maris accolas in potestatem suam redegisse; infesto exercitu obvias ubique gentes subegisse, deinde ex Asiâ in Europam transgressum, Scythas subjugasse & Thraces: Ad quos usque*, inquit, *& non ulteriùs mihi videtur Ægyptius Exercitus pervenisse; quoniam in istorum terrâ Tituli, non ultrò positi apparent.* Titulorum seu Columnarum inscriptiones sacris Ægyptiorum literis exaratæ, hisque verbis conceptæ: *Hanc regionem suis armis devicit Rex Regum & Dominus Dominorum Sesostris.* In Æthiopiam ipsum permeasse, illamque sibi vectigalem fecisse, præter Herodotum *Diodorus* Siculus Lib. 1. testatur. Ea fuit superbia *Sesostris*, ut debellatos Reges, equorum vice currui jungeret, ut testatur præter Diodorum Siculum *Plinius* Lib. 33. c. 3. & *Lucanus* Lib. 10. Vers. 276. Ejus Obelisci, aliaque incredibilis magnificentiæ opera celebrantur, in quibus Ægyptiorum neminem, sed Captivos solos laborare voluit. *Sesostri* filium cognominem successisse tradit *Diodorus Siculus*. Hunc cæcitate percussum, decimo post inflictam cæcitatem anno ab Oraculo monitum fabulantur, ut Deum Heliopolitanum veneraretur, & fœminæ alienum virum non expertæ lotio faciem ablueret. A suâ conjuge exorsum, cùm multas explorasset, nullam invenisse incorruptam, præter conjugem cujusdam Hortulani, quam recepto visu uxorem duxit: adulterasque vivas in vico quodam concremavit, quem ab hoc eventu *Glebam Sacram* nuncuparunt.

*Armais, qui & Danaus.* II. *Armais*, qui & *Danaus*, cùm Ægyptiaco Regno novem annis præfuisset, fratrem suum *Ægyptum* sive *Ramessem* fugiens, in Græciam pervenit, & Argos sibi vendicavit. Hic decimus Rex Argivorum ab *Eusebio* in Chronico numeratur. De *Danao*, & quâ ratione Argivorum Regnum, pulso *Gelanore* Rege obtinuit, legendus *Pausanias* in *Argolicis*. Argivos suo nomine *Danaos* dixit, ut testatur *Euripides* a *Strabone* laudatus Lib. 5. Urbem aquarum expertem aquis abundare fecit, filiarum quinquaginta, quas habuit, ministerio & inventione, ut testantur *Apollodorus* Lib. 2. & *Strabo* Lib. 8. Post *Danai* fugam, frater Ægyptus veritus ne *Danaus* de filiabus per nepotes & generos auxilia conquireret, quinquaginta filios suos in Argolidem misit ad *Danaum* bello petendum, datis mandatis ut vel ipsum interimerent, aut filias ejus in matrimonium ducerent.

*Fabula de Danai filiabus.* Obsidione itaque compulsus *Danaus*, filias illas despondit. At singulis filiabus mandavit, ut suum quæque sponsum primâ statim nocte interficeret. Cui mandato paruerunt omnes, exceptâ *Hypermnestrâ* quæ *Lynceo* patrueli ac sponso suo pepercit, quòd virginitate ejus abstinuisset. *Danaus* illam in judicium vocavit, quòd una ex omni filiarum numero patris mandata exequi neglexisset. Sed Argivorum illa sententiis absoluta, in ejus Judicii memoriam *Veneri Victrici* Aram dedicavit, ut testantur *Pausanias*, & *Apollodorus* Libro 2. Finxerunt fabulatores, *Danai* filias ob scelus perpetratum, apud inferos dolium pertusum semper aquâ implere, e quo tantumdem semper effluat, quantum infusum fuerat. Hinc *Tibullus*:

*Et Danai proles, Veneris quòd Numina læsit,*
*In cavâ Lethæas dolia portat aquas.*

Et *Ovidius* Lib. 9. *Metamorphoseon*:

*Molirique suis lethum patruelibus ausæ,*
*Assiduè repetunt, quas perdant, Belides undas.*

III. Post *Ægyptum* seu *Ramessem* regnasse dicitur *Busiris*, in Ægypto *Busiris*, filius *Neptuni*, & *Libyæ* filiæ *Epaphi*. Hospites Diis mactasse fertur. Unde illud *Ovidii* Lib. 3. *Tristium*: *Busiris.*

*Sævior es tristi Busiride.* ——————

Et *Virgilii* Lib. 3. *Georgicon*:

—————— *Quis aut Eurysthea durum:*
*Aut illaudati nescit Busiridis Aras?*

Hoc est indigni qui a quoquam laudaretur, ut ab *Isocrate* factum est, cujus adhuc superest *Busiridis Encomium*, in quo eum etiam (ut *Eusebius*) Neptuni filium facit. *Ramessem Miamum* Ægypti Regem, qui Hebræorum infantes aquis submergendos edixit, *Neptunum* a Mythologis dictum observat *Usserius*. Historiam de *Busiride* hospitum interfectore fabulosam censet *Diodorus Siculus* Lib. 1. *Homines quoque ajunt*, inquit, *ejusdem quem Typhon habuit coloris, antiquitus ad Osiridis monimentum a Regibus mactatos esse. Et pauci sanè Ægyptiorum rufi inveniuntur, sed peregrinorum complures. Proinde & fabula de Busiridis advenas obtruncantis sævitiâ apud Græcos invaluit: Non quòd Rex aliquis Busiris vocatus sit; sed tumulus Osiridis linguâ vernaculâ id nominis habuit.* Urbs Ægypti ad Nilum flumen a Busiride condita dicitur, in quâ fuit Templum magnum *Isidis*. Hinc Busiritica præfectura, apud *Strabonem* Lib. 18.

IV. Quo tempore per Desertum errabant Israëlitæ *Tat Mercurii Trismegisti filius* in Ægypto florebat, ut notat *Eusebius* in Chronico. Cùm autem plures *Mercurii* fuerint, omnium illustrissimus evasit ille, qui *Argum* interfecisse dicitur: Unde & Ἀργειφόντης *Homero* vocatur. Argum illum ajunt Pastorem fuisse, qui boves *Junonis Argivæ* in Nemeâ paverit. Hujus *Argi* occisor est *Mercurius* ille, qui *Ciceroni* quintus dicitur Lib. 3. De Naturâ Deorum. *Thoyth, sive Mercurius.* *Quintus*, inquit, *est quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis leges & literas tradidisse: Hunc Ægyptii Thoyth appellant: Eodemque nomine Anni primus Mensis apud eos vocatur.* Hunc *Ciceronis* locum laudat *Lactantius* Lib. 1. *De falsâ Religione*, Cap. 6. Et Lib. *De Irâ Dei*, Cap. 11. *Hermes*, inquit, *quem Cicero ait in numero Deorum apud Ægyptios haberi, ob virtutem, multarumque artium scientiam Trismegistus nominatus, erat non modò Platone, verùm etiam Pythagorâ, septemque illis Sapientibus longè antiquior.* At *Mercurium* personatum esse *Mosem* superiùs ostendimus, non *Argi*, sed rixosi Ægyptii interfectorem, plurimarum artium inventorem habitum, & ab Ethnicis pro Deo cultum. *Plato* in Phædro, se audivisse ait circa *Naucratim* Ægypti, priscorum quemdam indigetum Deorum, cui nomen *Theuth*, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, talorum & aleæ ludos, & literas invenisse, præclarumque inventum cum *Thamo* Ægypti Rege communicasse.

V. *Josuë* ac Judicum temporibus, plurimæ Phœ-

*Phœnicum navigationes & Coloniæ Josuanis temporibus.*

Phœnicum seu Chananæorum coloniæ in Asiam, Africam, Europam, etiam in Americam, navigationis, quâ primi excelluere, beneficio commigrarunt, seu terrore *Josuë*, seu regionis ab Israëlitis occupatæ angustiâ, seu mercaturæ studio. Unde tot Phœniciæ originis, linguæ, religionis antiquissima & certissima vestigia in quamplurimis Gentibus per omnes orbis plagas, de quibus prolixè & eruditè *Bochartus* Libro *De Phœnicum Coloniis*.

*Cadmus Phœnix, non Ægyptius.*

Inter Phœnicos exules celeberrimus fuit *Cadmus*, qui in Græciam, in Bœotiam, in Africam colonias duxit. *Apollodorus*, & alii Fabulatores, *Belum* patrem *Phœnicis*, ideoque *Phœnicem* ipsum, & *Cadmum Phœnicis* filium, ex Ægypto oriundos esse scripserunt. Hinc *Eusebius* in Chronico ait: *Phœnix & Cadmus, de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnaverunt*. Sed hanc fabulam refellunt *Beli*, *Phœnicis*, & *Cadmi* nomina, quæ Phœnicia sunt, non Ægyptia, & vetusti Phœnicum Annales a Sanchoniathone conscripti. In iis enim χνᾶ *Cbna*, qui Phœnicis cognomine primus insignitus legitur, ex Phœniciâ est oriundus. Atque illud ipsum nomen *Cbna*, vel ex *Chanaan*, vel ex *Chananæo* derivatum & contractum esse perspicuum est. Phœnicum denique sacra & ritus sunt ab Ægyptiacis diversissima, ut observat *S. Athanasius* Oratione contra Gentes: *Phœnices quidem*, inquit, *Ægyptios Deos non agnoscunt, nec Ægyptii vicissim eadem adorant Idola cum Phœnicibus*. Fuit *Cadmus* Sidonii Regis coquus, teste *Eubemero Coo* apud *Athenæum* Lib.14. & cum *Harmoniâ* tibicinâ fugit. Familiam quod attinet, *Cadmonæum* fuisse *Bochartus* conjicit, ex illis Cadmonæis, de quibus agit *Moses* Genes.15. 19. qui cum Hevæis iidem erant. Neque obscura ratio, inquit, cur Hevæi *Cadmonim* id est Orientales dicti sunt, cùm *Josuë* 11. 13. & *Judic*.3. 3. legamus eos occupasse Montem *Hermonem*, quæ pars erat Terræ Chanaan maximè Orientalis. Cadmonæus igitur idem qui Hermonæus. Atque hinc factum, ut *Cadmi* uxor vocata sit *Harmonia* vel *Hermione*, nempe a Monte *Hermone*, ex quo erant oriundi. Hinc etiam orta fabula quòd in serpentes mutati sint. Erant enim Hevæi, & *Hevæus* Syris est serpens. *Cadmo* Græci debent inventionem æris, & primum armorum usum, teste *Hygino* Cap.274. Hinc nata fabula, quòd e serpentis dentibus a *Cadmo* disseminatis orti sint Milites magno numero, quibus in mutuam perniciem ruentibus, quinque superstites universam Bœotiam imperio suo subjecerunt.

*Literæ a Cadmo, aliisque Phœnicibus Exulibus in Græciam invectæ.*

VI. *Phœnices qui cum Cadmo advenerunt, cùm alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tùm verò literas, quæ apud Græcos antea non fuerant:* [ inquit *Herodotus* Lib.5. Cap.58. ] Idem agnoscit *Philostratus* Lib.2. De Vitis Sophistarum, & in Epistolis, literasque e Phœniciâ in Græciam venisse ingenuè fatetur. Idem asserit *Zenodotus* de *Zenone*, in Epigrammate apud *Laërtium*:

*Si Patriâ et Phœnix, quid tum? Fuit hæc quoque Cadmo*
*Patria, qui Græcis prima elementa dedit.*

Inde Φοινίκια & Καδμεῖα γράμματα *Phœnicia & Cadmea literæ* dictæ, ut ibidem additur. Idem tradit *Plinius* Lib.5. Cap.12. *Ipsa gens Phœnicum*, inquit, *in gloriâ magnâ literarum inventionis*. Hinc *Plutarchus Lib. De Aquâ & Igne*, ait Mare advexisse *ex Phœnice literas adversùs oblivionem remedium*. Et *Lucanus* Lib.3.

*Phœnices primi, famæ si credimus, ausi*
*Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

*Quintus Curtius* Lib.4. De Tyriis scribit: *Si famæ libet credere, hæc gens literas prima aut docuit, aut didicit.*

*Tacitus* Lib.1. Annalium Cap.14. *Primi*, inquit, *per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant; & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur; & literarum semet inventores perhibent. Inde Phœniceas, quia Mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamque adeptos; tanquam reperint quæ acceperant. Quippe fama est, Cadmum classe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum Populis artis ejus Auctorem fuisse.*

Id confirmat *Clemens Alexandrinus* Lib.1. Stromatum: *Cadmus autem erat Phœnix, Græcis literarum Inventor, ut ait Euphorus*. Huic concinunt *S. Athanasius Oratione contra Gentes*, *S. Isidorus Hispalensis* Lib.1. *Originum*, Cap.3. & *Suidas*.

*An prima literarum inventio ad Phœnices, vel ad Hebræos referenda?*

Literas tamen in ipsâ Phœnice minimè natas, sed a Syris vel Assyris ad Phœnices pervenisse volunt *Diodorus Siculus* Lib.5. & *Plinius* Lib.7. Cap.56. Syrorum autem nomine Hebræos etiam significari, docet *Eusebius* Lib.10. *Præparationis Evangelicæ* Cap.5. cujus testimonium ad eruditionem præclarum subjicio, ex quo constabit Græcorum literas originem suam Græciæ non debere, sed ex Hebræis literis levi quâdam vocum mutatione traductas fuisse. *Cadmum illum*, ait, *qui communes literas, adeoque prima Grammatices elementa Græcis informavit, genere Phœnicem fuisse constat, ut easdem literas Veteres nonnulli propterea Phœnicias appellarint. Nec desunt qui a Syris excogitatas illas fuisse velint. Syri autem illi, Hebræi etiam utique fuerint, qui finitimam Phœniciæ regionem, quæque Phœnicia quondam ipsa quoque tum Judæa, hodie vero a nostris Palæstina dicitur, incolebant. Et verò proximè sanè ad Hebræorum nomina Græcarum literarum accedit appellatio. Cùm enim suum cuique apud Hebræos elemento nomen singulari quâdam & propriâ significatione attributum fuerit, quod apud Græcos locum profectò nullum habet, sequitur omnino ut minimè Græcorum propria esse fateamur. Sunt autem elementa Hebrais omnia duo ac viginti. Primum dicitur* Alph, *disciplina Græcè reddi possit. Secundum* Beth, *quasi domus. Tertium* Gimel, *hoc est plenitudo. Quartum* Delth, *quasi Librorum ipsa dicas. Quintum* He, *id est ipsa. Quæ omnia si conjunxeris, sententiam ejusmodi aliquam efficias: Disciplina Domus, plenitudo librorum ipsa. Jam sextum ab iis elementum* Vau *nuncupatur, hoc est, in ipsa. Septimum* Zai, *hoc est, vivit. Octavum* Heth, *quod significat, vivens. Ex quibus hic sensus colligitur: In ipsa vivit vivens. Nonum* Theth, *id est, bonum. Decimum* Joth, *quod redditur Principium. Quæ duo, bonum Principium efficiunt. Undecimum* Chaph, *hoc est, Veruntamen. Duodecimum* Labd, *hoc est, disce. Quod utrumque simul est: Veruntamen disce. Decimum-tertium* Mem, *quod significat, ex ipsis. Decimum-quartum* Nun, *id est, æternum. Decimum-quintum* Samch, *quod exponitur, auxilium, ut sensus hic existat: Ex ipsis æternum auxilium. Decimum-sextum* Ain: *quod fontem vel oculum significat. Decimum-septimum* Phe, *Os. Decimum-octavum* Sade, *hoc est Justitia: Unde hanc sententiam elicias, Fons vel oculus, & os Justitiæ. Decimum-nonum* Coph, *id est, appellatio. Vigesimum* Res, *quod est caput. Vigesimum-primum* Sen, *hoc est, dentes. Vigesimum-secundum, idemque postremum, vocatur ab illis* Thau, *quod signa interpretari queas: hoc sensu, Appellatio capitis, dentiumque signa. Hujusmodi ergo literarum apud Hebræos appellatio significationem habet, ex quâ quidem integra orationis existit ex sententia, quæ literarum istarum cognitioni, ac promissioni cuidam bellè admodum aptèque conveniat. Cui simile apud Græcos nihil usquam reperias, ut eas, quod paulò ante dicebam, fateri necesse sit Græcorum proprias non esse, sed palam ex barbarâ linguâ levi quadam vocis muta-*

*tatione traducta. Id quod ex Græcâ singulorum elementorum appellatione quivis intelligat. Quid enim Alph ab Alphâ magnopere differt? Quid autem vel Betha a Beth, vel a Gammâ Gimel, aut Delta a Delt, aut Epsilon ab He, aut a Zai Zeta, aut Theta a Theth, cæteraque deinceps? Maneat ergo voces illas non Græcorum, sed Hebræorum esse, apud quos sua cuique significatio tribuitur. Ibi verò nata cùm essent, tum ad alios deinde, tum ad ipsos quoque pervenere.*

Quod dixit *Eusebius*, Syrorum nomine Hebreos significari ab iis, qui literas a Syris excogitatas fuisse scripserunt, insigni *Themisthii Oratione* 5. testimonio confirmatur, qui sententiam asserentem, *Cor Regis in manu Dei custodiri*, ex Assyriorum literis laudat, id est, ex Hebræorum Scripturis *Proverbiorum* 21. An verò, quod ait *Eupolemus* apud *Eusebium* Lib.9. Præparationis Evangelicæ, *Moses Judæis primùm literas tradiderit, a quibus eas Phœnices, ut a Phœnicibus Græci acceperint*; non ita certum videtur quoad primam illius sententiæ partem. Nam ante *Mosem* Hebræos literas suas habuisse, probant Legis Tabulæ Hebraicâ linguâ scriptæ, & iis literis quæ ab Hebræis legi & intelligi possent, alioqui frustra futuræ. Tam brevi autem tempore & in motu penè continuo, literas Hebræis tradidisse *Mosem*, haud verisimile est. Phœnices igitur ab Hebræis literas per *Abrahamum* accepisse, potiùs quàm per *Mosem*, facilè crediderim: maximè cùm Josuë 15. *Dabir* celebretur, *Quæ priùs vocabatur Cariat-Sepher, id est, Civitas Literarum*: Quasi generale quoddam Phœnicum gymnasium. Tingitanarum præterea columnarum in Africâ Inscriptio a Phœnicibus, qui colonias illuc duxerunt, demonstrat Phœnices literas ab Hebræis per *Mosem* aut *Josuë* non accepisse. Denique *Mosem eruditum omni sapientiâ Ægyptiorum*, S. Stephanus *Actuum* 7. prædicat. *Neque quispiam dicere audebit, mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequàm literas nossent. Non itaque credendum est Hebræam tantùm linguam per illum qui vocabatur Heber, unde Hebræorum vocabulum est, fuisse servatam, atque inde pervenisse ad Abraham; Hebræas autem literas a Lege cœpisse, quæ data est per Mosen, sed potiùs per illam successionem Patrum, memoratam linguam cum suis literis custoditam.* Verba sunt *S. Augustini Lib.18. De Civitate Dei*, Cap.39.

*Moses literas Hebræis primus tradidisse non videtur.*

Ut ut est, literas e Phœniciâ in Græciam allatas, res ipsa docet. Id probat literarum affinitas, Græcæ enim literæ, maximè antiquiores illæ, quarum exempla in Eusebianis profert *Scaliger*, vetustis Phœnicum literis, quibus hodie utuntur Samaritani, in plerisque simillimæ sunt. Secundò, nomina pleraque barbaræ originis illas esse probant, & Græci fatentur apud *Varronem*. Cùm enim *Crates* Philosophus Quæstionem Grammaticam in Græciâ agitaret, cur non diceretur ἄλφα ἄλφατος ut γάμμα γάμματος: responderunt alii Greci: *Hæc non sunt vocabula nostra, sed barbara*, id est Phœnicia. Et *Plutarchus* in *Symposiacis*, Lib.9. Quæst.2. refert *Cadmum*, quia bos ei primus occurrit, dum Urbis ædificationem in Bœotiâ meditaretur, in literarum ordine *Alpha omnibus præposuisse, quia Phœnices bovem sic vocant*. Tertiò, id probatur ex eo quòd Græci in literis Phœnicum ordinem servant, ut ex Samaritani seu Phœnicii, Hebraici, & Græci Alphabeti collatione probat *Bochartus*, cujus eæ sunt rationes, *Lib.1. Chanaan, seu De Phœnicum Coloniis*, Cap.20. ubi multa habet plena reconditæ eruditionis. Vide & *Scaligerum*, ex quo ille plura mutuatus est, in Animadversionibus Eusebianis, ad illum Eusebiani Chronici locum Lib.2. Num. MDCVII. p. 109. & seq. *Athenienses* 24. *literis uti cœperunt*: Ubi tria demonstrat, primò, Jonicarum veterum literarum exemplum & formam: Deinde, earum originem ex Phœniciis characteribus. Tertiò, diversitatem figurarum, quibus Græci veteres in designandis literis usi sunt: Quartò, quot & quas Græci a Phœnicibus acceperint, quas reliquerint, quas ad numerum Phœniciarum adjecerint, & quas priùs usurparint antequàm illas adjicerent.

*Literas e Phœniciâ in Græciam allatas multa probant.*

*Josephus* Lib.1. contra *Apionem*, literarum usum apud Græcos *Cadmo* multò recentiorem asserit. *Antiquissimum*, inquit, *earum usum habuisse creduntur a Phœnicibus, & a Cadmo se didicisse gloriantur. Sed neque illo tempore poterit aliquis demonstrare servatam Inscriptionem, neque in Templis, neque in publicis Anathematibus: Quando etiam de Trojanis rebus, ubi tot annis militatum est, postea multa quæstio atque contentio facta est, utrùm literis usi sint: & magis veritas obtinuit, quòd usus modernarum literarum illis fuisset incognitus. Constat autem quòd apud Græcos nulla invenitur conscriptio Poëmate Homeri vetustior: & hunc etiam post bella Trojana fuisse manifestum est. Et ajunt, neque hunc literis suum Poëma reliquisse, sed cantantium memoriâ reservatum, postea fuisse compositum: & propterea multam in eo reperiri dissonantiam.*

*Josephus censet literarum usum apud Græcos Cadmo recentiorem fuisse. Refellitur.*

Verùm falli *Josephum* demonstrat *Bochartus* loco suprà laudato; Tum quòd in Græciâ Inscriptiones erant, non *Homero* solùm, sed Trojano Bello antiquiores: Tum quia multi Scriptores fuerunt ante *Homerum*. Primum probat ex illâ *Amphitryonis* Inscriptione, quam Thebis in *Ismenii Apollinis* Templo literis Cadmeis in Tripode incisam se legisse scribit *Herodotus* Lib.5. Cap.59.

*Obtulit Amphytrion me gentis Teleboarum.*

Hæc fuere circa ætatem *Laii*, qui fuit filius *Labdaci*, nepos *Polydori*, pronepos *Cadmi*. Item ex alterâ in alio Tripode exaratâ, quæ sic habet:

*Seaus in assueto pugilum certamine victor,*
*Me tibi sacravit speciosum munus Apollo.*

*Seaus* autem hic *Hippocoontis* filius fuerit: Siquidem hic est qui Tripodem dicavit, & non alius idem *Hippocoontis* filii nomen habens circa ætatem *Oedipodis*, *Lajo* geniti. Ejusdem generis est altera Inscriptio, quæ in tertio Tripode legebatur:

*Laodamas ipsum Tripodem suâ in Urbe Monarchus,*
*Hoc insigne decus tibi Magne dicavit Apollo.*

Sub hoc *Laodamante Eteoclis* filio, qui Monarcus fuit, id est, solus Principatu est potitus, ejecti sunt Cadmæi ab Argivis, & se ad Encheleas contulerunt, ut observat *Herodotus* Cap.61. His adde illud *Plinii* Lib.13. Cap.13. *Mutianus ter Consul prodidit nuper se legisse, cùm præsideret Lyciæ, Sarpedonis e Trojâ scriptam in quodam Templo Epistolæ chartam.* Denique circa Belli Trojani initia, cùm *Achilles Pedasum*, olim *Moneiam* Urbem munitissimam obsedisset, & re infectâ mox discessurus esset, Virgo quædam *Achillis* amore capta eum confirmasse legitur his ferè verbis pomo inscriptis: *Ne propera Achilles, antequam Moneiam ceperis; Aqua enim deest, miserè sitiunt.* Ita refert *Eustathius* in Lib.6. *Iliados Homeri*. Itaque Scriptura in usu erat apud Græcos ante *Homerum*.

Quòd Scriptores Græcos spectat, quamvis inter eos, quorum Opera supersunt, nullus sit *Homero* antiquior; multi tamen ante ipsum extiterunt, scilicet *Orpheus*, *Musæus*, *Amphion*, *Oroebantiuntus Trœzenius*, & Lyrici Carminis primus Auctor *Thaletas*; & *Melesander* de Lapitharum & Centaurorum pugnâ; & *Thamyris* vel *Tamyras* Thrax Poëta, qui γονογονίαν scripsit versuum quinque millibus, & Trojani Belli Scriptores *Syagrus*, *Sisyphus Cous*, *Dictys Cretensis*, & *Corinus Iliensis*;

*sis*, qui scripsit Iliadem Trojano Bello adhuc durante. Horum Scriptorum meminerunt *Tatianus Oratione contra Gentes*, *Clemens Alexandrinus Lib.6. Stromat*. *Eusebius* Lib.10. *Praparat. Evang. Eustathius Prafat. in Ilyadem*, *Suidas*, &c.

*Graci literas ante Cadmi tempora non habuerunt.*

In contrariam *Josepho* Sententiam *Tzetzes* abiit, Græcos scilicet habuisse literas ante *Cadmum*. Quam duobus probare nititur argumentis. Primum petitur ab Oraculo quod *Cadmo* redditum est. Alterum ex Tabulis, quas *Bellerophon* antiquior *Cadmo* scriptas de suâ cæde attulit. Verùm nulla horum argumentorum vis est, cùm ex figmentis Poëticis petantur. Præterea Græci, ut & aliæ Gentes, Vates suos ante literarum usum habere potuerunt. Denique falsum est *Bellerophontem* fuisse *Cadmo* antiquiorem. Imò *Bellerophontis* avus *Sisyphus* & *Cadmus* eodem tempore florebant. *Sisyphus* enim Corinthum condidit triennio solùm, antequàm *Cadmus* conderet Thebas. Et Rex Argorum *Prœtus*, qui hospiti suo *Bellerophonti* dedit *funestas literas* in Lyciam ferendas ad *Jobatem*, regnare cœpit Argis annis quadraginta quinque post Thebas a *Cadmo* conditas, ut colligitur ex Eusebii Chronico. Hæc de Græcarum & Phœniciarum literarum origine obiter dicta sunt, occasione Coloniarum a *Cadmo* in Græciam ductarum.

*Phœnicum Coloniæ in Africâ.*

VII. Celebres etiam fuerunt Phœnicum in Africâ Coloniæ, quarum illustria diu servata sunt monumenta. Pœnos Græcè dici Phœnices, & in viciniâ Carthaginis Libyphœnices esse mixtum Afris Punicum genus, notum est. Hinc Carthaginienses primitias quotannis Tyrum delectâ navi *Diis patriis* mittebant, ut testantur *Diodorus Siculus* Lib.20. & *Polybius in Excerptis Legationum*. Quin & Chananæorum nomen usque ad *S. Augustini* tempora, id est, annis ferè mille nongentis post primam Phœnicum in Libyam migrationem, ibi conservatum est. Si quis enim e vulgo rusticorum circa Hipponem aut Carthaginem interrogaretur quis esset, aut cujas esset, respondebat se esse *Chanani*, id est Chananæum, teste *S. Augustino* in Expositione inchoatâ Epistolæ ad Romanos: *Interrogati*, inquit, *Rustici nostri qui sint, Punicè respondentes, Chanani, corruptâ scilicet voce, sicut in talibus solet; quid aliud respondent quàm Chananæi?* Centum Urbes in Africâ condidisse *Cadmum*, asserit *Nonnus* Lib.13. *Dionysiacorum*. Harum una Carthago fuit, non a *Didone* condita, sed instaurata duntaxat, auctaque Arce, quam *Byrsam* vocarunt, ut suo loco confirmabimus. *Procopii Cæsareensis* ætate, qui sub *Justiniano* Imperatore scripsit circa annum Christi quingentesimum quadragesimum, in Africâ Urbe Tingitanâ stabant adhuc Columnæ duæ ab iis Chananæis erectæ, qui a facie *Josuë* fugerant, ut testabatur Inscriptio. Sed juvat integrum *Procopii* locum repræsentare ex Lib.2. *De Bello Vandalico* Cap. 10. *Cùm Hebræi ex Ægypto egressi, non longè a Palæstinæ finibus abessent. Dux viæ Moses, vir sapiens, e vitâ migravit. Ducatum suscepit Jesus Nave filius: qui gente hac in Palæstinam inductâ, regionem obtinuit, virtutem in bello promens humanâ majorem, ac debellatis indigenis omnibus, Urbium facilè potitus est, auditque planè invictus. Tunc temporis maritima omnis regio, à Sidone ad Ægypti fines, Phœnice dicebatur, nec nisi unum ibi quondam fuisse Regem, confessione omnium constat, qui de Phœnicum Antiquitatibus scripsere. Illic gentes numero abundantes degebant, Gersesæi, Jebusæi, aliæque aliis discretæ nominibus in Hebræorum Historiâ. At ubi Ducem advenam vinci non posse intellexerunt, relictâ patriâ in Ægyptum conterminam commigrarunt. Hic loco non invento, qui sedes ipsis satis laxas præberet, quòd jam ab ævo longinquò frequens Populi Ægyptus esset, in Africam concesserunt: quam totam usque ad Columnas Herculeas obtinuerunt, multisque Urbibus conditis frequentarunt. Phœnicum linguâ etiamnum utuntur incolæ. Castellum quoque struxerunt in Urbe Numidiâ, ubi est Urbs jam dicta Tigisis. Ibi ad fontem uberrimum Columnæ e lapide candido visuntur duæ, quæ incisam Phœnicum literis & verbis sententiam hanc servant:* NOS II SUMUS, QUI FUGIMUS A FACIE JESU LATRONIS, FILII NAVE.

*Tingitanæ Columnæ, a Phœnicibus tempore Josuë profugis inscriptæ.*

*Fabula de Europâ Cadmi sorore.*

VIII. *Cadmum Agenoris* Phœnicum Regis filium fuisse scribunt *Apollodorus* Lib.2. & *Diodorus Siculus* Lib.4. Quem tamen Sidonii Regis coquum alii dixere, ut supra observatum est. *Cadmi* soror *Europa*, quam a *Jove* Tauri formâ induto raptam, & in Cretam Insulam transvectam Fabulatores commenti sunt; & cum eâ commixtum, tres filios, *Minoem*, *Rhadamantum*, & *Sarpedonem* genuisse. Deinde *Asterium* Insulæ Regem *Europam* uxorem duxisse: & cùm liberis careret, adoptatos Jovis filios Regni successores reliquisse. Ita *Diodorus* Lib.4. *Eusebius* ipsum *Asterium* tres illos ex *Europâ* filios genuisse scripsit. *Jovem Asterium* appellat *Tzetzes Chiliade* 1. *Historia* 19. & propterea Jovem dictum esse vult, quòd olim Reges omnes Joves vocarentur. *Xanthum* nominat *S. Augustinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap.13. *Per eos annos*, inquit, *a Rege Xantho Cretensium, cujus apud alios aliud nomen invenimus, rapta perhibetur Europa, & inde geniti Rhadamantus, Sarpedon, & Minos, quos magis ex eâdem Muliere filios esse Jovis vulgatum est; sed talium Deorum cultores illud quod de Rege Cretensium diximus, historicæ veritati; hoc autem quod de Jove Poëtæ cantant, theatra concrepant, Populi celebrant, vanitati deputant fabularum, ut esset unde ludi fierent placandis Numinibus etiam falsis eorum criminibus*. At *Sarpedonem* non *Europâ*, sed *Laodamiâ Bellerophontis* filiâ natum asserunt *Homerus Iliade* 5. & *Apollodorus* Lib.3. Ex Sareptâ Phœniciæ Urbe raptam *Europam*, & in Navi Tauri insigne vel nomen habente avectam a Cretibus, ut uxor esset *Asterio* Cretensi Regulo, docet *Lycophron*. Hinc orta fabula de *Europa* raptu a *Jove* in Taurum converso; ut confirmat etiam *S. Isidorus* Lib.8. Originum. *Cadmum* a patre missum ad *Europam* investigandam, cum mandatis ut vel puellam reduceret, vel numquam in Phœniciam rediret, Græci scripserunt, *Diodorus* Lib.4. *Herodotus* Lib.4. Cap.145. & alii.

*Falsorum Numinum Sacra Moysis & Josuë temporibus instituta.*

IX. Sacra falsorum Numinum a Græcis eo intervallo temporis instituta, quod ab Exitu Israëlitarum ex Ægypto ad obitum *Josue* intercessit, *S. Augustinus* recenset Lib.18. *De Civitate Dei*, Cap.12. His temporibus *Lupercalia* Deo Pani instituta, *quæ memoriam diluvii, & ab eo liberationis hominum, vitaque tunc ærumnosæ modò ad alta, modò ad plana migrantium, solemni celebritate revocarunt. Nam & Lupercorum* Sacerdotum *per sacram viam ascensum atque descensum sic interpretantur, ut ab eis significari dicant homines, qui propter aquæ inundationem summa Montium petiverunt, & rursus eâdem residente ad ima redierunt*. Ad eadem tempora *Dionysium* refert, qui etiam *Liber Pater* dictus est, & *Bacchus*, ac vitium Deus habitus, quem vitem in Atticâ Terrâ hospiti suo ostendisse ferunt, seu ut Athenienses memorant apud *Achillem Tatium* Lib.2. *Bacchum* a Pastore quodam Tyrio lautè acceptum, illi propinasse vinum, quo hausto Pastorem rogasse: *Unde tam dulcem sanguinem reperisti?* Eique respondisse Bacchum: *Hic est uvarum sanguis* (Phrasi merè Phœniciâ, quâ utuntur Jacob, *Genesis* 49. 2. & Moses *Deuteronomii* 32.) & simul cum responso Pastorem edocuisse vitis & vini

*Lupercalia.*

*Bacchus.*

usum

usum. *Bacchi* cultum in Græciam invexit *Cadmus*, quem propterea Græci fabulatores fecere *Semeles* & *Bacchi* patrem. Sed antiquiorem *Cadmo* esse *Bacchum*, Græci ipsi aliàs docent. Apud *Phœnicem Colophonium*, referente Athenæo Lib.12. in Epitaphio Nini, qui *Cadmum* antecessit annis minimùm sexcentis, Baccharum fit mentio. Et in Bacchis *Euripidis* ipse *Cadmus* id apertè significat, cùm cultum illum Græcis ex antiquitate commendat, & ex Patrum Traditione. Ad idem ævum *S. Augustinus* refert Ludos *Apollini* Delphico institutos, ut placaretur ira ejus, quâ putabant afflictas esse sterilitate Græciæ regiones, quia non defenderant Templum ejus, quod Rex *Danaus* cum Græcis bella gerens incendit.

*Ludi Apollini Delphico dicati.*

Ad eamdem Epocham pertinet *Eristhonius* Rex Atheniensium, cujus novissimis annis obiit *Josue*. *Vulcanum* & *Minervam* parentes habuisse ferunt *Eristhonium*. Sed quoniam *Minervam* Virginem volunt, in amborum contentione *Vulcanum* commotum effudisse ajunt semen in terram, atque inde homini nato ob eam causam tale inditum nomen. Græca enim linguâ ἔρις *contentio*, & χθὼν terra est; ex quibus duobus compositum vocabulum est *Eristbonius*. Verùm, ut observat *S. Augustinus*, refellunt, & a suis Diis repellunt ista doctiores, qui hanc opinionem fabulosam hinc exortam ferunt, quia in Templo *Vulcani* & *Minervæ*, quod ambo unum habebant Athenis, expositus inventus est puer dracone involutus, qui eum significavit magnum futurum; & propter commune Templum, cùm essent parentes ejus ignoti, *Vulcani* & *Minervæ* dictum esse filium. Nominis tamen ejus originem fabula illa potiùs, quàm ista designat historia. *Sed quid ad nos?* (inquit S. Augustinus) *Hoc in veracibus libris homines instruat religiosos; illud in fallacibus ludis homines delectet impuros: Quos tamen illi religiosi tamquam Deos colunt; & cùm de illis hæc negant, ab omni eos crimine purgare non possunt, quoniam ludos eis poscentibus exhibent, ubi turpiter aguntur, quæ velut sapienter negantur, & his falsis ac turpibus Dii placantur, ubi etsi fabula cantat crimen Numinum falsum, delectari tamen falso crimine, crimen est verum.*

*Eristbonius Rex Atheniensium.*

X. Ad *Josuë* ætatem *Idæ* montis incendium refertur, quod annis septuaginta tribus post *Deucalionis* Diluvium contigisse, ex *Thrasyllo* Chronographo *Clemens Alexandrinus* observat *Lib.1. Stromatum*. Hujus incendii occasione Sapientes quidam, qui circa illum Phrygiæ Montem incolebant, artem excoquendi & elaborandi ferri invenisse dicuntur, quia metalla ferri, quæ in Montis visceribus latebant, vi ignis jam liquefacta eruperunt. Viros illos, quòd quinque essent præcipui, *Dactylos Idæos* a numero scilicet digitorum, Græci appellavere. De his *Diodorus* Lib.17. *Strabo* Lib.10. *Pausanias* Lib.5. Ex Dactylis illis Idæis unus fuit *Hercules* ille Ludorum Olympicorum institutor. Jovis Cretensis Sacerdotibus tributum postea Dactylorum Idæorum nomen, constat ex *Porphyrio* in Vitâ *Pythagoræ*. Cùm defunctus est *Josuë*, regnabat apud Assyros decimus-octavus *Amyntas*, apud Argivos decimus *Danaus*, apud Athenienses quartus *Eristhonius*.

*Idæ Montis Incendium.*

*Dactyli Idæi.*

XI. Judicum Hebræorum temporibus, regnaverunt apud Assyrios *Balatores* annis 30. *Lamprides* annis 30. *Sosares* annis 20. *Lampares* annis 30. *Panyas* annis 45. *Mithræus* annis 27. *Sosarmus* annis 42. *Teutamus* annis 32. *Teuteus* annis 44. *Thinæus* annis 30. *Eupales* annis 38. *Laosthenes* annis 45. secundùm calculos Eusebianos. Atheniensibus regnarunt *Pandion* annos 40. *Erecbteus Pandionis* filius annos 40. *Cecrops Erecbtei* frater annis 40. *Pandion Erecbtei* filius annis 25. *Ægeus Pandionis* filius. *Thesæus* annis 30. ante Trojanum Excidium annis 47. ut ait vetus Chronologus apud *Clementem Alexandrinum* lib. 1. Stromatum. *Demophoon Thesei* filius. *Oxynthes* annis 12. *Aphidas* anno 1. *Thimoëthes* annis 8. *Melanthus Andropompi* filius, genere Pylius, qui *Thimoëtem* per fraudem interfecit. *Erecthæo* Athenis regnante Mysteria *Cereris* instituta sunt ab *Eumolpo*, ut testatur *Eusebius*; sive ab ipso *Erecthæo*, qui ea ex Ægypto cum magnâ frumenti copiâ invexit, quo tempore Athenienses annonæ difficultatem patiebantur. Ægyptius erat *Erecthæus*, ut docet *Diodorus Siculus* Lib.1. Alios Eleusiniorum Mysteriorum Auctores celebrat *Homerus* Hymno in *Cererem* scilicet *Triptolemum*, *Dioclem*, *Eumolphum*, & *Celeum* Regem; *Dysaulem* addit *Pausanias* Lib. 2. *Eubuleum* Clemens Alexandrinus in Protreptico. Illa *Musæo* tribuit *Tertullianus* Apologetici 21. *Orphæus Pieriæ* (inquit) *Musæus Athenis*, *Melampus Argis*, *Trophonius Bœotiæ initiationibus homines obligaverunt*. De his *Eusebius* Lib. 3. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 7. & *S. Augustinus* Lib. 7. *De Civitate Dei*, Cap. 20. Per eamdem Epocham Argivis regnarunt *Lyceus* annis 40. *Abas* annis 23. *Proëtus Abantis* filius annis 17. *Acrisius Proëti* frater annis 31. *Perseus Acrisium* avum imprudens occidit. Ideo Mycenas se contulit, eòdemque transtulit Imperium, quod per *Sthenelum Persei* filium ad *Agamemnonem* usque propagatum est: *Talao* interim Argis regnante. De hac mutatione legendus *Apollodorus* Lib. 2. & *Pausanias* Libro etiam 2. *Aodi* Judicis Israëlitarum temporibus, *Ephira*, quæ & *Corinthus*, a *Sisypho* frequentari cœpta, de quo plura Fabulatores.

*Reges Assyriaci.*

*Reges Atheniensium.*

*Mysteria Cereris.*

*Reges Argivorum.*

XII. Eàdem tempestate *Minos* in Cretâ regnavit, quem indigenam fuisse indicat *Homerus* Iliade 13. advenam asserit *Diodorus Siculus* Lib. 4. *Jovis* ex *Europâ Cadmi* sorore filium finxere Mythologi, quòd Reges *Jovis* filios Antiquitas dixerit; *Ex Jove autem sunt Reges*, (inquit *Hesiodus* in *Theogoniâ*.) Primus Leges invenisse perhibetur *Minos*, easque Cretensibus proposuisse, non a se excogitatas, sed a *Jove* ipso traditas, cùm nono quolibet anno in Antrum *Jovi* sacrum secederet, illicque cum ipso colloqueretur, eoque tamquam Præceptore uteretur, ut tradunt *Homerus* Odyssâ, *T. Plato in Minoë*; *Ephorus* apud *Strabonem* Lib.10. *Clemens Alexandrinus*, cujus ea sunt verba Lib. 2. Stromatum: *Apud Græcos decantatur Minos nono quoque anno Rex eum Jove colloquens: cùm inaudiissent ipsi quemadmodum aliquando cum Mose collocutus sit Deus, ut si quis amicum suum affaretur.* Apud Inferos jus dixisse *Minoen*, & *Rhadamantum* ejus fratrem, Mythologi finxerunt, propter legum severitatem, & acerbitatem suppliciorum, quibus earum violatores castigabat. Instructâ Classe, Maris Græci imperio longè latèque potitus est, teste *Thucydide* Lib. 1. Insulas Cyclades sub ditione tenuit, & in plerasque primus Colonias deduxit. Labyrinthum in Cretâ jussu *Minois* extructum ajunt a *Dedalo*; cujus exemplar ex Ægyptio Labyrintho, quem describit *Herodotus* Lib.2. Cap. 148. illum sumpsisse volunt *Diodorus Siculus* Lib. 1. & *Plinius* Lib. 36. Cap. 13. Cæterùm falsum est Labyrinthum ullum in Cretâ fuisse ædificatum; sed fabulæ occasionem dederunt ingentes & tortuosæ secturæ, quæ ad radices Idæ Montis actæ sunt, cùm ad Cnosson, aliasque Urbes condendas lapides exciderentur. Visuntur etiamnum eæ lapidicinæ, ut testatur *Bellonius*, qui eas perlustravit, Lib.1. *Observationum* Cap.6. *Minoen* autem Cnosson ædificasse tradit *Strabo* Libro 10. ideo Labyrinthus ejus jussu conditus dicitur. Hæc ex vetere Etymologo ejus Græco, & ex *Cedreno* in Synopsi Historiæ p.122. confirmantur, qui

*Minos Cretæ Rex.*

qui hunc Labyrinthum Antrum fuisse scribunt; & ex *Eustathio* Scholiaste *Homeri* in *Odyssæâ*, asserente, nihil aliud fuisse quàm subterraneam speluncam contortuplicatam & sinuosam. Quin & *Philochorus*, teste *Plutarcho* in *Theseo*, scripsit, Negare Cretenses quæ de Labyrintho narrantur; nec aliud fuisse quàm publicam custodiam. Huic suffragantur *Tzetzes Chiliade* 11. Cap. 379. & *Nicetas* Lib. 1. *De imperio Andronici*. Atticam bello vastavit *Minos*, Athenasque expugnavit, & gravissimo tributo oppressit, unde factum est ut Tragici Athenienses ipsius famam proscinderent, ipsumque tyrannum, violentum, difficilem, imperitum, & injustum fuisse calumniarentur, ut censent *Plato* in *Minoë*, & *Plutarchus* in *Theseo*. Duos *Minoas* quidam distinxerunt; Avum, *Jovis* vel *Asterii* filium, *Lycasti* patrem; & Nepotem, *Lycasti* filium. Unum duntaxat agnovit *Apollodorus*. Quo tempore Israëlitas regebat *Aodus* Judex, in Dardaniâ *Tros* regnabat, a quo *Troës* nuncupati; (ex *Eusebio* in Chronico.) *Tantalus* Phrygibus imperabat, de quo plura Historia fabulosa.

*Perseus. Tros. Ludi Isthmii. Gorgonum & Amazonum bella.*

XII. Ad eadem tempora pertinet *Persei* in Africam Expeditio, & Isthmiorum Ludorum institutio in honorem *Melicertæ*, de quibus *Pausanias* in *Corinthiacis*. Eâdem ætate consignantur *Gorgonum* & *Amazonum* bella. De bellatricibus illis feminis prolixè agit *Diodorus Siculus* Lib. 3. Bibliothecæ Historicæ. De illis plura Fabulatores. Multos hac persuasione deceptos *Diodorus* observat, nullas quondam fuisse alias Amazonas, quàm *Thermodontis* ad pontum accolas, sed rem aliter se habere: Africanas enim & tempore & rerum gestarum magnitudine alias longè antecessisse. Inter *Gorgones* celeberrima fuit *Medusa*, *Phorci* filia, quæ patre mortuo, acceptum ab eo Regnum eorum Populorum, qui Tritonidem paludem accolunt, moderata est: Quæ in venationes & pugnas exire solita cum Afrorum, quibus imperabat, manu, cum *Persei* copiis, quas ille lectissimas ex *Peloponeso* adduxerat, acie occurisset, noctu per insidias oppressa est. Mortuæ pulchritudinem demiratus *Perseus*, præcisum caput, ut spectaculo esset, in Græciam reportavit. Ita *Pausanias* Lib. 2. Quæ historia multis de Gorgone *Medusa* Poëtarum figmentis fundamentum dedit.

Inter Amazones celeberrima fuit *Myrina* ipsarum Imperatrix, quæ Atlantidas debellavit, *Cercene* ipsorum Metropoli expugnatâ, Gorgonas domuit; maximâque Africæ parte lustratâ, bello Arabibus illato, multisque interemptis, subactâ Syriâ, Cilicibus in deditionem redactis, perdomitis ad Taurum Nationibus, per Phrygiam ad Magnum usque Mare descendit, regionem maritimam ad Caicum usque amnem Imperio subjecit, plurimas Urbes condidit, unamque inter cæteras nomine suo appellatam; Insulas etiam nonnullas occupavit, *Lesbum* imprimis, in quâ germanæ suæ commilitantis nomine *Mytilenem* condidit, & *Samothracem*, in quâ Mysteria *Cybeles* Matris Deûm instituit. De Amazonum Gentis moribus hæc habet *Diodorus Siculus*, ibidem: *In extremis Libyæ oris, ad habitabiles terræ fines, Natio quædam muliebris dominii patiens quondam habitavit. Hujus ita morem describunt. Feminæ res bellicas administrant, & statuto tempore Militiam, salvâ tamen virginitate, obeunt. Peractis autem Militiæ annis, ad viros quidem sobolis causâ se applicant: Sed Magistratus, & publica munera omnino sibi vendicant. Viri autem (perinde ut apud nos Matronæ) rei familiaris curam gerunt, ministeria sua uxorum negotiis submittentes: Nec ullam in partem vel Militiæ, vel Imperii, vel cujuscumque Auctoritatis publicæ, quâ contra muliebre jugum animos sumerent, admittuntur. Quamprimum soboles in lucem edita est, viris traditur, ut lacte, aliisque decoctis, quæ ætati illi conveniunt, nutriatur. Si femellam partus exhibuit, mammas illi adurunt, ne maturâ ætate protuberent. Non enim leve Militiæ impedimentum esse extantes mammillas arbitrantur. Et ab harum privatione Amazonibus Græci nomen indidere.* Fabulosam esse Amazonum Historiam judicat *Strabo* Libro 11. Geographiæ. *Peculiare aliquid*, inquit, *narrationi de Amazonibus accidit. Reliqua enim fabulas a verâ Historiâ separatas habent: Etenim antiqua, falsa, & portentosa, fabulæ vocantur: Historia veritatem requirit, sive prisca res, sive nova sit: Monstrosa aut nulla admittit, aut rarò. De Amazonibus verò eadem & nunc, & antiquitus traduntur, prodigiosa quidem, & a fide procul remota. Quis enim crediderit mulierum exercitum, aut civitatem, aut gentem constare absque viris posse? Ac non constare modò, sed expeditiones etiam fecisse in aliorum ditionem, ac non vicinam modò subegisse, & usque ad eam, quæ nunc est Jonia, progressum: Sed & trans Mare ad Atticam usque copias remisisse? Perinde enim hoc est ac si quis diceret, viros eâ tempestate mulieres, mulieres viros fuisse.*

*Quo tempore Troja condita?*

XIII. Quo tempore Israëlitæ durâ servitute a *Jabino* Chananæorum Rege premebantur, *Ilium* conditum est, Urbs Troadis nobilissima, aliàs *Troja* nuncupata, *Ilium* autem ex *Ili* conditoris nomine. Fuit is *Trois* filius, *Dardani* pronepos, teste *Strabone* Lib. 13. Hanc Urbem conditam annis triginta quatuor post *Persei* Expeditionem, asserit vetus Chronologus apud *Clementem Alexandr. Lib. 1. Stromatum*. De hujus situ legendus *Homerus* Iliade 20.

*Amphictyonicum Concilium.*

XIV. *Debboræ* temporibus Argivis imperabat *Acrisius*, qui *Amphictyonicum Concilium* Delphis instituit, quod & de publicis rebus consultaret, & communem Templi procurationem sustineret. Convenerunt primò duodecim Urbes, postmodum plures se adjunxerunt. Concilium vocabant *Pylæam*. Et vernum erat, & Autumnale: & *Cereri* sacrificabant *Pylagoræ*. Ita *Strabo* Lib. 9.

*Argonauticæ Expeditionis & Velleris aurei fabula.*

XV. Argonautarum Expeditio ad tempus *Gedeonis* referenda est. Annis sexaginta quatuor post Ilium conditum a vetusto Chronologo apud *Clementem Alexandrinum* consignatur, ante Trojanum Excidium annis septuaginta novem, ut habet *Eusebius* Edit. Scaligerianę. Hoc si verum est, tum aut falsum fuerit in eâ Expeditione *Castorem* & *Pollucem* fuisse, aut hos ipsos *Helenæ* fuisse fratres: Alioqui Trojani belli tempore anus hęc decrepita fuisset. Suscepta est hæc Expeditio ad aureum Vellus auferendum. Aries aureum vellus habens *Phrixum* *Athamantis* filium ante annos centum per Hellespontum in Colchidem avexerat, ut ajunt Fabulatores. Inde orta fabula, vel quòd navi, cujus insigne erat Aries, Colchidem *Phixus* devectus sit, ut *Diodorus Siculus* Lib. 4. & Interpres *Apollonii Rhodi* ad Lib. 1. censent, vel quod *Crios* (Quod nomen Græcis arietem significat) *Phrixi* Pædagogus, adolescentem ab *Inonis* novercæ insidiis ereptum in Colchidem deduxisset, ut tradit *Dionysius* vetustus Argonauticorum Scriptor. Aureum verò Vellus variè interpretantur Auctores. Quidam ingentem auri vim unà cum *Phrixo* in Colchidem avectam putant. Alii Vellus Aureum seu pellem inauratam arietis, Artem Chymicam fuisse volunt membranis inscriptam. Hujus opinionis Auctor *Charax Pergamenus* (qui post Augusti Cæsaris ævum vixit) laudatur ab *Eustathio* Commentar. in *Dionysii* Περιήγησιν eidemque adstipulatur *Suidas* in Δέρας. Alii per aurei velleris oves, intelligi putant summos reditus ex re pecuariâ prodeuntes. Sic Argis *Atreus* habuisse dicitur ἄρνα χρυσῆν *Agnam Auream*, quam sibi *Thyestem* subduxisse

queritur. Sic in Colchide *Ætâ*, ad cujus Arietis Vellus auferendum profecti dicuntur Argonautæ: Ut in Libyâ ad Hesperidas, unde aurea mala, id est, capras & oves, quas *Hercules* ex Africâ in Græciam abduxit. Ea enim Greci suâ voce appellarunt μῆλα. Hæc interpretatio *Varronis* est Lib.2. *De Re Rusticâ*, Cap.1. Alii fluvios Colchorum auriferos esse asserunt, & aureas arenas velleribus excipi & colligi; indeque opes Ætę immensas fuisse. Hinc natam de Vellere Aureo fabulam. Ita Strabo Lib.11. & *Appianus in Mithridaticis*. Dux Argonauticę Expeditionis *Jason* fuit; Socii quinquaginta tres, quos inter celeberrimus *Hercules* fuit. Argonautæ dicti sunt ab *Argo* Navi, cui nomen id inditum vel ab *Argo* fabro, vel a celeritate insigni. Tunc primum longâ navi Græcos usos esse *Plinius*, aliique Veteres testantur. Hujus Expeditionis fabulosam historiam habes apud *Apollonium Rhodium*, *&* *Diodorum Siculum* Lib.4. Eamdem Carmine celebrarunt Poëtæ, & inter alios omnium uberrimè *Valerius Flaccus in Argonauticis*.

*Orphei ætas.*

XVI. *Gedeonis* quoque temporibus floruit *Orpheus* ex Thraciâ oriundus, quem inter Argonautas numerant, & *Theodoretus* Therapeut. *Sermone* 2. generatione unâ bello Trojano antiquiorem facit. Plura de ipso Fabulatores. Feras cantu mansuefacere dictus est, quod sylvestres homines victu fœdo & cædibus deterruerit, ut ait *Horatius* in Arte Poëticâ.

*Sylvestres homines sacer, interpresque Deorum,*
*Cędibus & victu fœdo deterruit Orpheus;*
*Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.*

Poëtarum primus & antiquissimus vulgò censetur; attamen antiquiores duos Hymnorum Auctores celebrant *Pausanias & Herodotus*, scilicet *Olen Lycum*, & *Pamphon Athenienfem*; & *Phemonoem* Vatem *Apollinis*, quę prima Hexametrum cecinit, testibus *Pausaniâ in Phocicis*, *Plutarcho Lib. De Pythiæ Oraculis*, & *Proclo in Chrestomathiâ* apud *Photium*. Hanc centum & septem annis ante *Orpheum* floruisse memorat *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. Stromatum. *Thesmophoria Sacra* instituisse fertur *Orpheus*, in memoriam Legum a *Cerere* acceptarum; quæ nonnulli Veterum cum *Eleusiniis* incautè confuderunt. De his *Theodoretus* Sermone 1. De Fide: *Quòd autem Orpheus Odrysius patriâ, & Dionysia, & Panathenæa, & Thesmophoria, & Eleusinia Sacra Athenas detulerit, idemque in Ægyptum profectus, Isidis & Osiridis sacra in Cereris Liberique Patris Orgia converterit, testis est Plutarchus, testes item sunt & Siculus Diodorus, & Orator Demosthenes. Ajunt enim Orpheum sanctissimos illis ritus ac cæremonias tradidisse.* Primum invenisse *Orpheum* scribit *Pausanias*, quomodo Diis initia fierent, expiarentur scelera, curarentur morbi, & Deorum ira placaretur. Quæ *Orphei* nomen ferunt Carmina, & quæ *Aristobulus* Peripateticus apud *Eusebium* Lib.13. *Præparationis Evangelicæ*, *S. Justinus Martyr in Paranesi*, *Clemens Alexandrinus Lib.5. Stromatum*, *S. Cyrillus Alexandrinus Lib.1. contra Julianum*, & *Suidas* velut Orphica laudant, Viris Eruditis conficta videntur, & ex sacrorum Codicum segminibus a Veteribus Christianis consuta & interpolata. Argonautica *Orpheo* adscripta, sunt cujusdam *Crotoniatæ*, quem *Suidas* Pisistrati temporibus floruisse docet. Hymni, & Liber *De Lapidibus*, sunt *Onomacriti*, ut *Tatianus Oratione contra Gentes*, idemque *Suidas* observarunt. *Orpheum* fabulosum esse nomen, & reverâ numquam fuisse, scripsit *Aristoteles*, teste *Cicerone* Lib.1. De Naturâ Deorum: *Orpheum Poëtam*, inquit, *docet Aristoteles numquam fuisse, & hoc Orphicum Carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cereopis*. Cum *Aristotele sensit Dionysius* quidam a *Suidâ* laudatus. Sed & *Androtion* apud *Ælianum*, *Var. Histor.* Lib. 8. Cap.6. docet nullam literarum notitiam Thracas habuisse, imò verò literarum usum in rerum turpissimarum censu posuisse; unde colligit perperam inter Sapientes *Orpheum* recenseri, ipsique adscripta Carmina esse supposititia.

*Carmina Orpheo supposita.*

*Orphei nomen fabulosum.*

*Orpheus ad Mosis exemplar expressus.*

Ad *Mosis* exemplar expressum *Orpheum* Doctissimus *Huëtius* multis probare nititur in *Demonstratione Evangelicâ*, *Propositione* 4. Cap.8. §.19. quorum hæc speciosiora. Ægyptum se adiisse prædicat *Orpheus* in adscriptis illi Argonauticis, & reconditas hausit Ægyptiorum disciplinas. Ægyptius fuit *Moses* & *Eruditus omni sapientiâ Ægyptiorum*. Caput *Orphei* in Hebrum flumen projectum fuisse fertur: *Moses* infans profluenti Nili commissus est. *Orpheus* primò Agyrta fuit, ex *Eustathio* Homeri Scholiaste, & collectâ demum validâ hominum manu, magnam sibi potentiam comparavit: *Moses* locis plerisque peragratis rediit tandem ad suos, assumptoque Aarone, *Venerunt simul, & congregaverunt cunctos Seniores filiorum Israël*, (Exodi 4.29.) totique deinde Hebræorum genti summo jure præfuit. Summa *Orphei* in Musicis, ac lyræ cantu, hymnisque pangendis præstantia celebratur: *Moses* geminum Canticum edidit ac cecinit. Philosophus & Theologus celeberrimus apud Veteres audiit *Orpheus*: Philosophus fuit *Moses*, qui veras Mundi origines primus in literas retulit: Theologus, qui de Deo mortalium primus egregie scripsit, ejusque colendi ritus Sanctissimos Hebræis tradidit. Tabulas ab *Orpheo* descriptas commemorat *Euripides* in *Alcesti*: *Moses* Leges divinas in tabulis exaratas a Deo accepit, & Israëlitis promulgavit. Ephemerides & Dodecaëterides *Orpheo* adscribuntur a *Tzetze Chiliade* 12. *Historiæ* 399. eumque de bonis & malis diebus scripsisse tradunt *Moscopolus* & *Proclus* Commentatores *Hesiodi*: Festa solemnia suis temporibus *Moses* assignavit. Vaticinia in Ægypto a se edita profitetur *Orpheus* in supposititiis Argonauticis: Id verè præstitit *Moses*: Unde *Strabo* inter Vates futurorum præscios *Orpheum*, *Musæum*, & *Mosem* celebrat Lib. 16. *Orpheus* Magiæ peritissimus fuisse dicitur, & Idæorum Dactylorum occultis artibus institutus: *Mosem præstigiatorem* nonnulli calumniati sunt, teste *Josepho Lib.2. contra Apionem*, quòd Magorum Ægyptiorum præstigias eluserit, ingentiaque miracula divinâ virtute patraverit. Uxorem serpentis morsu interemptam ad vitam revocasse fingitur *Orpheus*: Israëlitis serpentium morsibus infestatis, excitato Serpente æneo incolumitatem *Moses* præstitit. Latet eadem ænei Serpentis Historia in fabulâ, quam *Lib.2. Metamorphoseon* narrat *Ovidius* de Serpente, qui caput *Orphei* dentibus invadens, ab *Apolline* in lapidem mutatus est. Ad inferos bis adiisse dicitur *Orpheus*: Infans in Nilum tamquam periturus abjectus est *Moses*, & propter diuturnam in Monte cum Deo moram periisse creditus est ab Israëlitis. Caput *Orphei* abscissum a cervice fuisse loquax, & consultum de futuris veridica responsa edidisse, ajunt Fabulatores: *Moses* post mortem in Libris suis locutus est, & futura prænuntiavit, ut Propheta Domini. *Orphei* mortem infinitis fletibus Bistonides feminæ prosecutæ sunt, ut scribit *Antipater* Anthologiæ Lib.3. Cap.25. Epigrammate 10. *Mosem fleverunt filii Israël in campestribus Moab triginta diebus* [Deuteronomii 34.8.] In Olympo Monte sepultus est *Orpheus*, teste *Pausaniâ* in *Bœoticis*, & *Antipatro* in Anthologiâ: *Moses* in Monte Nebo obiit.

*Lini fabulosum nomen.*

*Versus ipsi suppositi.*

XVII. *Orphei & Herculis* Præceptorem fuisse *Linum* censent Veteres. *Orphei* fratrem fuisse tradit *Apollodorus* Lib.1. Poëtam, Musicum, Citharœ-

rœdum fuisse ferunt. Primum ipsi locum inter Sapientes tribuit *Celsus* apud *Origenem Lib.1. contra Celsum*. Scripsisse de Mundi ortu, de plantarum, animaliumque generationibus, atque hoc Poëmatum suorum exordium fecisse, testatur *Laërtius* in Prooemio.

*Fuit aliquando tempus illud, cum omnia simul orta sunt.*

Quosdam *Lini*, ut & *Orphei*, Versus Mosaicâ doctrinâ imbutos refert *Aristobolus* apud *Eusebium Lib.13. Præparationis Evangelicæ* Cap.12. velut illos:

*Septima jamque dies, qua cuncta exacta, rubebat.*
*Omine læta dies est septima, septima rerum*
*Ortus, & eximias inter perfecta coruscat.*

At falsò ipsi adscriptos Versus Viri Eruditi censent. Nullos enim ipsum scripsisse; vel, si quos scripserit, ad posteros non pervenisse, censet *Pausanias* in *Bœoticis*, & *Arcadicis*. Doctissimus *Huëtius* nullum umquam fuisse *Linum* existimat, sed hunc ipsum esse *Mosem* personatum.

*Musæus nullus umquam fuisse videtur.* XVIII. *Musæum Orphei* discipulum fuisse plerique Veterum sentiunt. Ipsi Musices ac Lyricæ Poëseos studium tribuitur. Primus Theogoniam & Sphæram docuit, & ex uno omnia esse, inque idque resolvi dixit, ut refert *Diogenes Laërtius*, in Prooemio. Oracula sub *Musæi* nomine *Onomacritus* supposuit, teste *Herodoto* Lib.7. Cap.6. Nullum unquam *Musæum* fuisse, sed confictum a Fabulatoribus esse nomen, verisimillimum facit ipsorum de patriâ, parentibus, & ætate *Musæi* dissensus. Alii enim Eleusinium, alii Thracem, alii Thebanum faciunt. Alii *Orphei*, quidam *Antiphemi*, nonnulli Lunæ, aliqui *Eumolpi*, alii *Thamyræ* filium fuisse fingunt. Alii *Orpheo* coævum, alii antiquiorem, quidam recentiorem statuunt. Quidam *Orphei* discipulum, alii præceptorem, ut *Artapanus* apud *Eusebium Lib.9. Præparationis Evangelicæ*, qui & hunc ipsum *Mosem* esse affirmat, narrans *Merrhin* filiam Palmanothis Ægyptii Regis, *Chenephræ* Viro Principi collocatam, cùm sterilis esset, *Judææ Mulieris infantem supposuisse, quem Moysum ipsa primùm: deinde verò Græci, cùm ad virilem ætatem pervenisset, Musæum nominarint. Atque hunc Orphei Magistrum fuisse memorant, ac permulta humano generi utilissima tradidisse.*

*Quo tempore Tyrus condita.* XIX. *Gedeonis* tempore *Tyrus* a Phœnicibus condita est, annis ducentis quadraginta ante Templi Salomonici jacta fundamenta, secundùm *Josephi* calculos Lib.8. *Antiquitatum Cap.3.* & *Eusebii* in Chronico. Græci a Tyro Conditore appellatam censent, ut indicat *Stephanus Byzantius*. Quidam a Nymphâ *Tyros*, Herculis Amasiâ ita vocatam fabulantur, ut docet *Julius Pollux* Lib.1. Nomen a *Zur*, quod Chaldaicè *Tur* vel *Taur* effertur, Hebræisque ac Phœnicibus rupem propriè significat, derivatum probabilius est, quòd rupe olim Mari circumdatâ Urbs inædificata fuerit. Insulam olim fuisse, donec aggere facto eam ad continentem adnexuit *Alexander Magnus*, testantur *Pomponius Mela*, & *Strabo* Lib.16. *Tyro* longè antiquior *Sidon*. De *Sidone* enim fit mentio in Libris *Mosis*, & *Josuë*, & *Judicum*; & in Vaticinio *Jacobi* Patriarchæ, qui vixit diu ante *Mosem*: De *Tyro* verò nulla mentio in Scripturâ occurrit ante tempora *Davidis*. Et *Homerus* qui *Sidonis* & Sidoniorum passim meminit, Tyrum ne nominat quidem. Unde non erat cur Tyrii de antiquitate suâ adeo gloriarentur, Isaiæ 23. *Cùm auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cùm audierint de Tyro, Transite Maria, ululate qui habitatis in Insulâ: Nunquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate suâ?*

*Thesei ætas, & Gesta.* XX. *Gedeone* Israëlitas judicante, Athenis regnabat *Theseus*, annis quadraginta septem ante Trojanum Excidium, ut tradit vetus Chronologus apud *Clementem Alexandrinum Lib.1. Stromatum*. Heroica *Thesei* facinora Herculeis non absimilia recenset *Plutarchus* in *Theseo*. Athenarum gloriam auxit; sublatis enim aliarum Urbium Magistratibus & Conciliis, *omnes in unum Concilium & Prytaneum Athenis coëgit*, teste *Thucydide* Lib.2. Primusque Populum in ordines distinxit, rerum divinarum cognitione, juris dicundi auctoritate, Legesque ac Sacra interpretandi potestate Patriciis demandatâ. *Menestheus* captatâ aurâ populari, Athenienses contra *Theseum* concitavit: Qui cùm in *Scyron* Insulam se recepisset ibi de saxo præcipitatus interiit. Ita *Plutarchus*. Per hæc tempora *Heraclydæ* Lydorum Regnum obtinuerunt, quorum primus regnavit *Argon*, ut refert *Herodotus* Lib.1. Post aliquot annos Peloponesum occuparunt: De quorum multiplici Expeditione legi possunt *Diodorus* Lib.4. *Pausanias, in Corinthiacis, Apollodorus* Lib.2. *Eusebius* Lib.5. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.20. & e recentioribus *Petavius* Lib.9. *De Doctrinâ Temporum*, Cap.30. *Heraclidæ.*

XXI. Post *Gedeonis* mortem *Habimelecho* ejus filio Sichimis impiè & crudeliter regnante, *Carthago* condita est annis circiter quinquaginta ante Trojæ subversionem. Falsum proinde est eam a *Didone* conditam, quæ annis minimùm trecentis Trojano Excidio junior fuit, ut docent Phœnicum Historiæ apud *Josephum Lib. 1. contra Apionem*. Id *Appiani* testimonio confirmatur, qui *Didonem* ait venisse Carthaginem jam multò ante a Phœnicibus conditam, annis scilicet quinquaginta ante Trojam expugnatam: Hæc sunt ejus verba Lib.1. *Carthaginem in Africâ Phœnices condiderunt, annis quinquaginta ante captum Ilium. Conditores fuere Zorus & Carchedon: Ut autem Romani, ipsique Carthaginenses existimant, Dido, Mulier Tyria; cujus maritum Pygmalion Tyri Tyrannus clam interfecerat.* Itaque meritò asserit *Servius* in *Æneidos* Lib. 1. & 4. falsum esse, & contra Historiæ fidem confictum, quicquid de *Didone* & *Æneâ* narratur. *Constat enim*, inquit, *Æneam ter centum quadraginta annis ante ædificationem Romæ venisse ad Italiam, cùm Carthago nonnisi quadraginta annis ante ædificationem Romæ constructa sit*; id est, a *Didone* reparata, & aucta. A *Zoro* & *Carchedone* conditam scribunt, post *Philistum Naucratitam* & *Appianum*, *Eusebius*, *S. Hieronymus*, & *Stephanus Byzantius*. At id falsum esse contendunt *Salmasius in Solinum*, *Vossius*, & *Bochartus Lib. De Phœnicum Coloniis Cap.* 24. voluntque *Zoron* & *Carchedon* esse Urbium nomina, non Conditorum. Nempe *Zorus*, inquiunt, est idem quod *Thsor* Phœnicium Tyri nomen. Ita efferebant Veteres. Liber Nominum Hebraicorum apud S. Hieronymum: *Tyrus quippe linguâ Hebræâ Zor dicitur*. Et Καρχηδὼν *Carchedon* est *Carthago*. Verum nomen erat *Carthada*, id est, *Nova urbs*. Ex *Carthada* factum Χαρχηδὼν, Χ & Τ permutatis, quod Siculorum proprium est, qui pro ξυνθὴς dicunt ὄρνιχες, ut post *Salmasium* notat *Bochartus*.

*Quo tempore Carthago condita? Dido Carthaginem non condidit.*

XXII. *Jairis* Judicis Hebræorum temporibus, *Paris*, cui & *Alexandro* nomen, Priami Trojanorum Regis filius, Spartam venit, & hospitio a *Menelao* exceptus, *Helenam* uxorem ejus rapuit. Quâ ex causâ decennale bellum ad Trojam incensum est. Anno Expeditionis nono Troja expugnata. Græcorum Exercitûs Imperator *Agamemnon*, Trojanorum *Hector*. Legantur *Thucydides* Lib.1. *Pausanias*. Lib. 7. *Herodotus* initio Lib. 1. *Homerus* in Iliade, *Virgilius* in Æneide, & ipsorum Interpretes. Ilii casus, celeberrima est Græcorum epocha. Inde ad Olympiadem primam *Sosibius* vetus Chronologus annos numerat trecentos nonaginta quinque; *Eratosthenes* quadringentos septem; *Timæus* quadringentos septemdecim; *Aretes* quadringen- *Paridis ætas. Trojani Excidii Epocha.*

g...tos quatuordeci m; *Censorinus* Cap. 21. annos paulò plus quadringentos, quos *Mythici temporis postremos* esse ait, quod non planè quidem scitur. *Solinus* numerat annos quadringentos & octo. *Eusebius Lib.* 10. *De Præparatione Evangelicâ* Cap. 9. postremam hanc opinionem sequitur: *Qui ad superiora tempora recurrere voluerit, is*, inquit, *ab Olympiade primâ ad captam usque Trojam, annorum summam conficiet octo supra quadringentos, quem numerum Chronologici Græcorum Commentarii repræsentant.* Nec solùm de Anno, sed & de Mense & Die dissensio est inter Auctores, ut constat ex *Clemente Alexandrino* Lib. 1. *Octavo decimo autem anno Regni Agamemnonis*, inquit, *captum est Ilium, regnante Demophonte Thesei filio, anno primo, duodecimo Mensis Thargelionis, ut ait Dionysius Argivus. Ægias autem & Dercylus in tertio, octavo Mensis Panemi desinentis. Hellanicus enim dicit duodecimo Mensis Thargelionis; & nonnulli eorum qui Attica scripserunt, octavo desinentis, postremo anno regnante Menestheo in plenilunio. Noctis quidem erat medium, inquit, is qui parvam fecit Iliadem, & splendebat lucida Luna. Alii autem eodem die Scirophorionis.*

XXIII. Trojanum post Excidium *Æneas* in Traciam, inde in Siciliam navigavit, Thyrrenoque Mari superato, Laurentum appulit, ubi Lavinium condidit. Rutuli *Turno* Duce contra Latinum & Æneam bellum moverunt. Cæso *Latino* atque *Turno*, regnavit *Æneas* in Latio tribus annis: Cui in Regnum successit *Ascanius*, si *Dionysio Halicarnassensi* Lib. 1. aliisque Auctoribus Græcis & Latinis, & inter alios *Varroni*, & *Tito Livio* Lib. 1. ac Latinorum Poëtarum Principi hac in re credendum sit. Verùm longè probabilius est *Æneam* nusquam in Italiam venisse. Primò refragatur *Homerus*, apud quem *Neptunus* prędicit fore ut *Æneas* regnaturus sit super Trojanos, & post ipsum ejus posteri, extinctâ *Priami* posteritate. Id animadvertit *Strabo* Libro 13. p. 608. Eorum enim opinione recensitâ, qui *Æneam* venisse in Latium, ibique monitu Oraculi consedisse asserunt, ait: *Homerus neque his adstipulari videtur, neque his quæ de Scepsis Auctoribus dicta sunt. Innuit enim Æneam mansisse in Trojâ, inque Regnum successisse, & id per successionem ad filiorum filios propagasse: Cùm stirps Priami esset abolita.*

*Æneas nunquam in Italiam venit.*

*Nunc etenim Priami Stirpem Saturnius odit:*
*Fortis at Æneas in Troës Sceptra tenebit,*
*Et nati natorum & qui nascentur ab illis.*

*Hoc pacto ne Scamandrii quidem successio servabitur. Multò magis hæc discrepant ab iis; qui usque in Italiam vagatum eum dicunt, & ibi vitam cum morte commutasse.* Observat ibidem *Strabo*, quosdam Homericos Versus interpolasse, & pro his verbis Αἰνειαν βιν τρωεσσιν αναξει legere: Αἰνείαν γένος πάντεσσιν ἀνάξει.

*At genus Æneæ cunctis dominabitur oris,*
*Et nati natorum.*

Ut ad Romanos id referant. Secundò, *Agathocles Cyziensis*, a *Festo* laudatus in voce *Roma*, mentionem facit plurimorum Auctorum asserentium, *Æneam esse sepultum in Urbe Berecinîâ, proximè flumen Nolon* [ seu *Gallum*, ut alii legunt ] non longè a Trojâ. Tertiò plurima loca illius regionis ab *Ascanio* filio *Æneæ* nomen habent, velut *Lacus Ascanius*, & fluvius ejusdem nominis, & regio quædam parva, item Insula, quæ utraque dicta est *Ascania*. Item Urbs de quâ *Stephanus Geographus* post *Nicolaum Damascenum* scribit: *Ascania Urbs Troadis, condita per Ascanium Æneæ filium.* Et *Pomponius Mela* dicit, *Antandrem* vicinam ita nominatam fuisse, quòd *Ascanius*, qui ibi regnavit, captus a Pelasgis eam dederit in solutionem suæ captivitatis. Quartò, si quando venisset *Æneas* in Italiam, commendasset plurimùm cultum *Veneris*, quâ matre gloriabatur: Sed illius nullum est in Româ veteri vestigium, *ne sub Regibus quidem*, testibus *Cincio* & *Varrone* apud *Macrobium Lib.* 1. *Saturnalium*, Cap. 12. Post *Venerem* inter præcipuos Trojanorum Deos *Apollo* colebatur, de quo *Ovidius* Lib. 1. *Tristium*:

*Mulciber in Trojam, pro Trojâ stabat Apollo.*

Pergami habebat Templum, hoc est, in Arce Civitatis, ubi *Homerus* fingit quòd *Apollo* abscondcrit *Æneam*, curarique fecerit per *Latonam* Matrem suam, & *Dianam* sororem vulnera, quæ acceperat in certamine cum *Diomede*; improbabile itaque est quòd *Æneas* cultum *Apollinis* non instituisset, aut aliquod in eius honorem Monumentum in Italiâ non erexisset, si aliquando in eam regionem venisset. At Romanos nullam *Apollinis* habuisse notitiam *Numæ* temporibus, constat ex *Arnobio* Lib. 2. *Non doctorum literis continetur*, inquit, *Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire?* Inter Numina Trojana colebantur etiam *Rhea* sive *Cybele* Mater Deorum, quam *Teucrum* ex Insulâ Cretâ deportasse in Phrygiam ait *Anchises* apud *Virgilium* Lib. 3. *Æneidos*. Si ergo *Æneas* venerit in Italiam, cur ibi hujus Deæ cultum non instituit? Quomodo Roma nihil de eâ audivit usque ad annum quingentesimum quinquagesimum postquàm condita est? Tunc enim primùm Oraculi monitu ex Pessinunte Phrygiæ oppido Romam advecta est, permittente Rege *Attalo*, & in ejus honorem celebrata *Megalensia*, quia Dea ipsa Μεγάλη Θεὸς *Dea Magna* vocabatur, ut referunt *Titus Livius* Lib. 29. *Valerius Maximus* Lib. 8. Cap. 15. *Cornelius Nepos*, & *Solinus* Cap. 7. Quintò, Deos Penates Trojæ, id est, Numinum imagines, & *Palladium*, id est simulacrum Palladis, mediis ex ignibus rapuisse *Æneam*, & secum in Italiam advexisse canit *Virgilius*. At id falsum esse probat *Varronis* testimonium, asserentis, Romanos per annos centum septuaginta Deos adorasse absque ullâ Imagine. Locum *Varronis* profert *S. Augustinus Lib.* 4. *De Civitate Dei*, Cap. 31. Idem refert *Plutarchus in Vitâ Numæ*, ita scribens: *Prohibuit Romanis facere Imagines Deorum formâ humanâ vel bestiarum, priscisque temporibus apud eos nulla fuit imago Dei, neque ficta, neque picta. Sed primis centum septuaginta annis Templa ædificabant & Sacraria sine ullâ imagine in eis, ut qui putarent res meliores non esse repræsentandas per deteriores, neque posse Deum aliter quàm mente concipi.* Idem refert *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*. Denique lingua Latina plurima vocabula mutuata est ab omnibus Populis, quibuscum Latini habuere commercium, ut Græcis, Siculis, Tuscis, Sabinis, quin & ipsis Phœnicibus, Gallisque: At quòd acceperit aliqua a Phrygibus antiquis, non potest ostendi, ut prolixè probat *Bochartus* recensione eorum quę supersunt de linguâ Phrygiâ, Dissertatione singulari *De Adventu Æneæ in Italiam*. Hunc adventum secundùm Romanorum Historicorum & Poëtarum fidem verum credidit *S. Augustinus Lib.* 18. *De Civitate Dei* Cap. 19. & ad *Labdonis* Judicis tempora retulit.

XXIV. *Samsonis* temporibus Athenis regnabat *Melanthus*. Athenienses certabant cum Bœotis de *Celænis* in confinio. Convenit tandem inter eos, ut Athenienses duello rem transigerent. Bœotorum Dux erat *Xanthius*: Atheniensium Rex decimus-quintus *Thymætes*, qui duellum detrectans, Regno abdicatus est. Substitutus in ejus locum *Melanthus*, qui cùm descendisset ad pugnam, ut primùm cominus stetit: *Inique* [ inquit ] *Xanthe, & contra pactum facis: Adversùs solum enim eum altero processisti.* Cùmque admiratus ille, quisnam se comitaretur, respexisset, adversum uno ictu ...cit. Ita refert *Frontinus Lib.* 2. *Stratagematum*

*Melanthus Rex Atheniensium.*

*Festum Deceptionis.*

*tum*, Cap. 5. Athenienses deceptionis stratagemate victores Festum annum instituerunt, quod vocatur Απατήρια, *Festum deceptionis*, ut referunt *Polianus* Lib. 1. *Stratagematum*, *Herodotus* Lib. 1. Cap. 141. & *Suidas*.

*Codri Atheniensium Regis pro patriâ devotio.*

XXV. *Heli* Israëlitas judicante, antequàm Regem haberent, *Codrus* Atheniensium Rex pro patriâ se devovit. Rem ita narrat *Vellejus Paterculus* Lib. 1. *Cùm respondisset Pythius: Quorum Dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores: Codrus depositâ veste Regiâ pastoralem cultum induit; immixtusque castris hostium, de industriâ rixam ciens, imprudenter interemptus est. Codrum eum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. Quis cum non miretur, qui iis artibus mortem quæsierit, quibus ab ignavis vita quæri solet?* Hunc Athenienses tamquam Deum Sacrificiorum honore coluerunt, ut observat *S. Augustinus Lib.* 18. *De Civitate Dei*, Cap. 19. Regnante Atheniensibus *Aphidante*, editum erat hoc *Dodonæi Jovis* Oraculum:

*Ara tibi Eumenidum fumans, & Curia Martis*
*Sint cordi. Huc bello domiti, nam fortè Lacones*
*Suppliciter tristes venient. Ne confice ferro,*
*Nec viola. Supplex sacer est, & crimine purus.*

Oraculum prædixit Lacedæmonios fore supplices. Jussit ut supplices sacrosancti haberentur. Hæc Græcis in memoriam venerunt, cum Peloponnesii sub Codro Athenas adorti essent. Tunc quidem reliquæ Peloponnesiorum copiæ, auditâ *Codri* morte [ Neque enim juxta Oraculum Delphicum spes ulla victoriæ erat reliqua ] ex Atticâ retrocesserunt. Quidam verò Lacedæmoniorum, qui intra Mœnia eâ nocte delituerant, manè ubi se a suis destitutos, ab Atheniensibus impetitos intelligerent, in Areopagum se receperunt, ad Aras Dearum *Eumenidum*: & tunc quidem Athenienses, illis supplicibus impunè discedendi veniam concesserunt. Ita refert *Pausanias* Lib. 7. Apud Græcos vix occurrit vetustius Asylorum exemplum. Desitis in *Codro* Regibus, Archontes Perpetui Athenis creati sunt; quorum primus *Medon* annis viginti Rempublicam moderatus est, ut testatur *Eusebius* in Chronico. Legatur & *Pausanias* in *Achaicis*.

*Ara Dearum Eumenidum antiquissimum Græciæ Asylum.*

*Fabulæ Judicum Israëlitarum temporibus natæ.*

XXVI. Judicum Israëlitarum temporibus plurimæ fabulæ natæ sunt, de quibus *S. Augustinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 13. *His*, inquit, *temporibus fabulæ fictæ sunt, de Triptolemo, quòd jubente Cerere, anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit: De Minotauro, quòd bestia fuerit inclusa Labyrintho, quò cùm intrassent homines, inextricabili errore, inde exire non poterant: De Centauris, quòd equorum hominumque fuerit natura conjuncta: De Cerbero, quòd sit triceps inferorum canis: De Phrixo & Helle ejus Sorore, quòd vecti ariete volaverint: De Gorgone, quòd fuerit crinita serpentibus, & aspicientes convertebat in lapides: De Bellerophonte, quòd equo pennis volante sit vectus, qui equus Pegasus dictus est: De Amphione, quòd citharæ suavitate homines mulserit & attraxerit: De fabro Dædalo, & ejus filio Icaro, quod sibi coaptatis pennis volaverint: De Oedipo, quòd monstrum quoddam, quæ Sphinga dicebatur, humanâ facie quadrupedem, solutâ quæ ab illâ proponi solebat velut insolubili quæstione, suo præcipitio perire compulerit: De Antæo, quem necavit Hercules, quòd filius terræ fuerit, propter quod cadens in terram fortior soleret assurgere: & si qua fortè alia prætermisi. Hæ fabulæ ad Bellum usque Trojanum, ubi secundum Librum Marcus Varro de populi Romani gente finivit, ex occasione Historiarum, quæ res veraciter gestas continent, ita sunt ingeniis hominum fictæ, ut non sint opprobriis Numinum affixa. Porrò autem quicunque finxerunt a Jove ad stuprum raptum pulcherrimum puerum Ganymedem, quod nefas Rex Tantalus fecit, & Jovi fabula tribuit; vel Danaës per imbrem aureum appetisse concubitum, ubi intelligitur pudicitia muliebris auro fuisse corrupta; quæ illis temporibus vel facta vel ficta sunt, aut facta ab aliis, & ficta de Jove, dici non potest quantum mali de hominum præsumpserint cordibus, quòd possent ista patienter ferre mendacia, quæ tamen etiam libenter amplexi sunt: Qui utique quantò devotiùs Jovem colunt, tantò eos, qui hæc de illo dicere ausi sunt, severiùs punire debuerunt. Nunc verò, non solùm eis qui ista finxerunt, irati non sunt; sed ut talia figmenta etiam in Theatris agerent, ipsos Deos potiùs iratos habere timuerunt. His temporibus Latona peperit Apollinem, non illum cujus Oracula solere consuli loquebamur, sed illum, quem cum Hercule ferunt Admeti Regis armenta pavisse: Qui tamen sic est Deus creditus, ut plurimi ac penè omnes unum eumdemque Apollinem fuisse opinentur. Tunc & Liber Pater bellavit in Indiâ, qui multas habuit in Exercitu feminas, quæ Bacchæ appellatæ sunt, non tam virtute nobiles, quàm furore. Aliqui sanè & victum scribunt istum Liberum, & vinctum; nonnulli & occisum in pugnâ a Perseo, nec ubi fuerit sepultus tacent: & tamen ejus velut Dei nomine per immundos dæmones Bacchanalia sacra, vel potiùs sacrilegia sunt instituta: De quorum rabiosâ turpitudine post tam multos annos sic Senatus erubuit, ut in Urbe Româ esse prohiberet. Per ea tempora Perseus, & uxor ejus Andromeda, posteaquàm sunt mortui, sic eos in Cælum receptos esse crediderunt, ut Imagines eorum stellis designare, eorumque appellare nominibus non erubescerent, non timerent.*

Subjungit *S. Augustinus* Cap. 14. *Per idem temporis intervallum extiterunt Poëtæ, qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de Diis carmina faciebant: Sed talibus Diis, qui licèt magni homines, tamen homines fuerunt; aut Mundi hujus, quem verus Deus fecit, elementa sunt; aut in Principatibus & Potestatibus pro voluntate Creatoris, & suis meritis ordinati; & si quid de uno vero Deo inter multa vana & falsa cecinerunt, colendo cum illo alios, qui Dii non sunt, eisque exhibendo famulatum, qui uni tantùm debetur Deo, non ei utique ritè servierunt, nec a fabuloso Deorum suorum dedecore etiam ipsi se abstinere potuerunt, Orpheus, Museus, Linus. Verùm isti Theologi Deos coluerunt, non pro Diis culti sunt; Quamvis Orpheum nescio quomodo Infernis Sacris, vel potiùs sacrilegiis præficere soleat Civitas Impiorum. Uxor autem Regis Athamantis, quæ vocabatur Ino, & ejus filius Melicertes, præcipitio spontaneo in Mari perierunt, & opinione hominum in Deos relati sunt: Sicut alii homines eorum temporum Castor & Pollux. Illam sanè Melicertis Matrem Leucotheam Greci, Matutam Latini vocaverunt: Utrique tamen putantes Deam.*

Capite 15. Primum Laurentum in Italiâ Regem *Picum Saturni* filium *Debboræ* temporibus fuisse refert. *De hujus Pici patre Saturno*, inquit, *viderint quid sentiant talium Deorum Cultores, qui negant hominem fuisse: De quo & alii scripserunt; quòd ante Picum filium suum in Italiâ ipse regnaverit; & Virgilius notioribus literis Æneid. 8. dicit:*

*Is genus indocile, ac dispersum montibus altis*
*Composuit, Legesque dedit, Latiumque vocari*
*Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris.*
*Aureaque, ut perhibent, illo sub Rege fuere*
*Sæcula.*

*Sed hæc Poëtica opinentur esse figmenta, & Pici patrem Stercen potiùs fuisse asseverent, a quo peritissimo agricolâ inventum ferunt, ut fimo animalium agri fœcundarentur, quod ab ejus nomine stercus est dictum: Hunc quidam Stercutium vocatum ferunt*

*ferunt. Qualibet autem ex caussâ eum Saturnum appellare voluerint, certè tamen hunc Stercen sive Stercuitum merito Agricultura fecerunt Deum. Picum quoque similiter ejus filium in talium Deorum numerum receperunt, quem praelarum augurem & belligeratorem fuisse asserunt. Picus Faunum genuit, Laurentum Regem secundum: Etiam iste Deus illis vel est, vel fuit: Hos ante Trojanum Bellum divinos honores mortuis hominibus detulerunt.*

Cap.16. loquens de temporibus Trojanum Excidium proximè secutis, ait: Græcos victores Trojam derelinquentes, & ad propria remeantes, diversis & horrendis cladibus dilaceratos atque contritos esse; & tamen ex eis Deorum suorum numerum Gentiles auxisse. *Nam & Diomedem fecerunt Deum, quem pœnâ divinitùs irrogatâ perhibent ad suos non revertisse; ejusque Socios in volucres fuisse conversos, non fabuloso Poëticoque mendacio, sed historicâ adtestatione confirmant: Quibus nec Deus, ut putant, factus, humanam revocare naturam vel ipse potuit, vel certè a Jove suo Rege tamquam Cælicola novitius impetravit. Quin etiam Templum ejus esse ajunt in Insulâ Diomedeâ, non longè a Monte Gargano, qui est in Apuliâ; & hoc Templum circumvolare atque incolere has alites tam mirabili obsequio, ut rostrum aquâ impleant & adspergant: & eò si Græci venerint, vel Græcorum stirpe progeniti, non solùm quietas esse, verùm & insuper adulare; si autem alienigenas viderint, subvolare ad capita, tamque gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare.*

*Syriæ Reges. Adad Davidi coævus.* XXVII. *Davide* Judæis regnante, Damasci & Syriæ Regnum tenebat *Adadus*; teste *Nicolao Damasceno*; cujus præclarum de Regibus Syriæ fragmentum ex Libro 4. Historiarum, descripsit *Josephus Libro 7. Antiquitatum Cap.6.* Sic autem habet; *Longo deinde post tempore, indigenarum quidam nomine Adadus, cæteris potentior, Damasci, & reliquæ Syriæ præter Phœnicem Regnum obtinuit. Hic bello inter eum & Davidem Judæorum Regem exorto, crebris præliis cum eo conflictatus, in postremo, quo apud Euphratem victus est, multis editis facinoribus Regem se, & virium & animi robore præstantissimum declaravit.*

*Illo defuncto, posteri ejus ad decimam usque generationem Regnum obtinuerunt, quisque a suo patre cum Imperio nomen accipiens, quemadmodum apud Ægyptios Ptolemæi. Ex his potentissimus, ordine tertius, instaurato bello abolere volens ignominiam Avi temporibus acceptam, expeditione contra Judæos factâ Samariam vastavit.* Syriæ Reges nomen *Adad* a Sole mutuati sunt, *Macrobio* teste, *Lib.1. Saturnalium* Cap.23. *Assyrii*, inquit, *Deo Soli, (quem summum maximumque venerantur) Adad nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio significat, Unus.* Philoni Byblio ex Phœniciâ *Sanchuniatonis* Theologiâ *Adodus* dicitur *Rex Deorum*: Apud *Eusebium Lib. 1. Præparationis Evangelicæ.* Rex autem hic Damasci & reliquæ Syriæ, a *Davide* ad Euphratem victus, idem est qui in sacris literis cognominatus est *Adarezer filius Rohob Rex Soba.* (2. Regum 8. 3.)

*Jonica Migratio.* XXVIII. Ad extrema *Davidis* tempora, facta est *Jonica Migratio*, cùm magna vis Græcæ Juventutis in Asiam se effudit Duce *Jone*, & maritimæ regionis nobilissimam partem occupavit, quæ inde *Jonica* appellata est. Hac in regione duodecim condidere civitates. *Miletus* prima ipsorum civitas ad Meridiem vergens. Post hanc *Myus* & *Priene*: Hæ in Cariâ sitæ, eâdem linguâ utebantur. Illæ verò in Lydiâ, *Ephesus*, *Colophon*, *Lebedus*, *Teos*, *Clazomenæ*, *Phocæa*, quæ cum jam dictis civitatibus, quantùm ad linguam attinet, non conveniebant, inter se tamen eâdem sonabant linguâ. Reliquæ sunt tres Civitates Jonicæ, quarum duæ Insulas habitant, *Samum* videlicet & *Chium*; tertia in continenti sita, *Erythræ*. Ex his Chii & Erythræi eamdem sermonis proprietatem sibi vendicabant; Samii verò ab his discrepantes, propriam quamdam loquendi formam receperunt. Cæterùm duodecim istæ civitates nomine Jonum gloriabantur, & cùm semel nomen sibi *Panionis* indidissent, fanum quoque de suo nomine construxerunt *Panionium*. Cujus nullos participes facere, in animum sibi induxere: Nec erant qui magnopere postularent ejusdem participes fieri, exceptis tantùm Smyrnæis. Porrò *Panionium* locus erat Mycales sacer, ad Septemtrionem vergens, ab universis Jonibus *Neptuno Heliconio* dicatus. Mycale autem Promontorium est in continenti situm: Quod quà Zephyro vento expositum est, ad Samum pertinet. Ad hunc Montem collecti universi Jones Sacrificium celebrabant, quod *Panionia* vocarunt. Ita *Herodotus* Lib.1. Cap.142. & 148. Migrationis hujus Jonicæ meminerunt *Strabo* Lib. 14. *Ælianus* Lib.8. *Pausanias* in Achaicis, *Plutarchus* in Homero, *Vellejus Paterculus* Lib.1. *Eusebius* in Chronico, & *Clemens Alexandrinus* Lib.1. *Stromatum*.

XXIX. *Migratio Æolica* quatuor ætatibus Jonicam antecessit, teste *Strabone* Lib.13. *Penthilus* *Orestis* filius progressus est in Thraciam annis sexaginta post Excidium Trojæ, sub adventum Heraclidarum in Peloponnesum. Inde Lesbum occupavit. Eodem tempore quo *Pentilus*, etiam *Cleva* & *Malaus*, *Agamemnonis* stirpe progeniti, copias compararunt: & cùm multum temporis apud φρίκιον Locridis Montem traxissent, in Asiam trajecerunt, & Cumam condiderunt, quæ ab eo Monte φρικωνὶς nominatur. *Echelatus Penthili* filius coloniam duxit in Cyzicenam, circa Daschilium: *Grais* usque ad Granicum fluvium progressus est. *Graidi Echelati* filio, *Penthili* nepoti, *Orestis* pronepoti, coloniam ducenti, Lacedæmonii auxilio fuerunt, regnante *Agide*. Hic regionem inter Joniam & Mysos [quæ Æolis vocatur] occupavit; cùm ejus Avus *Penthilus* multò antè Lesbum Insulam cepisset. Ita referunt *Strabo* Libro 8. & *Pausanias* Lib.3. Migrationis hujus epocham ita statuit *Herodotus* in Vitâ Homeri: *Post Expeditionem contra Trojam, quam fecerunt Agamemnon & Menelaus, annis 130. Lesbus oppidatim habitari cœpit; antea Urbem non habuit. Post Lesbum habitatam, annis 20. Cuma, quæ Æolica & Phrycotis vocata, habitata fuit. Post Cumam annis 18. Smyrna a Cumanis condita est. Atque eo tempore natus est Homerus.* Quod *Homerum* spectat, longè recentior est quàm existimaverit *Herodotus*: Sed de hoc aliàs. Cæterùm Expeditio Æolica etsi longè ante Jonicam cœpta sit, post ipsam tamen omnino profecta est, ut ex *Vellejo Paterculo* colligitur. Æolicarum Civitatum præstantissima est Cuma. Cæteras recenset *Herodotus* Lib.1. Cap.149. 150. & 151. *Migratio Æolica.*

# IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM VETERIS TESTAMENTI, QUARTÆ MUNDI ÆTATIS, DISSERTATIONES SELECTÆ.

## DISSERTATIO I.

### De Exitu Israelitarum ex Ægypto.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Spoliis Ægyptiorum ab Israeliticâ Gente ex Ægypto migrante ablatis.*

#### PROPOSITIO UNICA.

*Hebræi spoliis Ægyptiorum absque furti crimine ditati, ex Ægypto egressi sunt.*

PRobatur: Qui Dei concessione Ægyptiorum opes abstulerunt, furti rei non fuere: cùm Deus sit supremus rerum omnium Dominus; nec furtum dici debeat ablatio rei alienæ Domino permittente ac donante. Atqui Israëlitæ spolia Ægyptiorum Deo concedente, imò & jubente abstulerunt; Itaque furti rei non fuere.

Probatur Minor ex Dei verbis ad *Moysen* Exodi 11. 2. *Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, mulier a vicinâ suâ vasa argentea & aurea. Dabit autem Dominus Populo suo gratiam coram Ægyptiis.* Et Cap. 12. 35. *Feceruntque filii Israël sicut præceperat Moyses & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam Populo coram Ægyptiis ut commodarent eis, & spoliaverunt Ægyptios.* Idem confirmatur ex Libro Sapientię Cap. 10. 17. 18. 10. *Et reddidit Justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in viâ mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem, & transtulit illos per Mare Rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demersit in Mare ... Ideo Justi tulerunt spolia impiorum.*

Probatur secundò ex S. Ireneo Lib. 4. *Adversùs Hæreses*, Cap. 40. *Qui verò*, inquit, *exprobant & imputant, quòd profecturus Populus jussu Dei vasculæ omnis generis & vestimenta acceperit ab Ægyptiis, & sic abierit, ex quibus Tabernaculum factum est in eremo, ignorantes justificationes Dei & dispositiones ejus, semetipsos arguunt, sicut & Presbyter dicebat:* Et infra: *Ægyptii Populi erant debitores non solùm rerum, sed & vita sua, propter Patriarcha Joseph præcedentem benignitatem .... Adhuc Populus pessimam servitutem serviebat Ægyptiis, quemadmodum Scriptura ait. Et vi potestatem exercebant Ægyptii in filios Israël, & in odium eis adducebant vitam in operibus duris luto & latere, & omnibus operibus quæ fiebant in campis per omnia opera quibus eos deprimebant cum vi. Et ædificaverunt eis civitates munitas, multùm laborantes, & augentes eorum substantias annis multis. & per omnem modum servitutis, cùm illi non solùm ingrati essent adversùs eos, verùm & universos eos perdere vellent. Quid igitur injustè* ge-

*gestum est, si ex multis pauca sumpserunt, & qui potuerunt multas substantias suas habere, si non servissent eis, & divites abire, paucissimam mercedem pro magnâ servitute accipientes, inopes abierunt? Quemadmodum si quis liber abductus ab aliquo per vim, & serviens ei annis multis, & augens substantiam ejus, post inde aliquod adminiculum consecutus, putetur quidem modica quadam ejus habere, revera autem ex multis laboribus suis, & ex acquisitione magnâ, pauca percipiens discedat, & ex hoc ab aliquo imputetur ei, quasi non rectè fecerit: Ipse magis injustus Judex apparebit ei, qui per vim in servitium fuerit deductus. Si ergo sunt hujusmodi qui imputant Populo pauca de multis laboribus accipienti sibi; & ipsis non imputant, qui nullam gratiam ex merito parentum debitam reddiderunt, imò & in gravissimam servitutem redigentes, maximam ab eis consecuti sunt utilitatem: & illos quidem non signatum aurum & argentum in paucis vasculis de suis laboribus accipientes, injustè fecisse dicunt: semetipsos autem ex alienis de suis laboribus insigne aurum, & argentum cum inscriptione & imagine Cæsaris in zonis suis ferentes, justè se facere dicunt.*

Probatur tertiò ex *Tertulliano Lib. 2. contra Marcionem, Cap. 20. Sed & per istas caligines*, inquit, *sequemur nequitiam & in lucem extrahemus ingenia tenebrarum, objicientia Creatori vel maximè fraudem illam & rapinam auri & argenti, mandatam ab illo Hebræis in Ægyptios. Age infelicissime Heratice, te ipsum expostulo arbitrum: Cognosce in utramque gentem priùs, & ita de Auctore præcepti judicabis. Reposcunt Ægypti, de Hebreis vasa aurea, & argentea. Contra Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes sibi quoque eorundem patrum nomine, ex eodem Scripturæ instrumento, mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus & villis ædificatis. Quid judicabis, optimi Dei elector? Hebræos fraudem agnoscere debere, an Ægyptios compensationem? Nam & ajunt ita actum per Legatos utrinque; Ægyptiorum quidem repetentium vasa: Judæorum verò reposcentium operas suas: & tandem visis istis renuntiaverunt sibi Ægyptii. Hodie adversùs Marcionitas amplius allegant Hebræi, negantes compensationi satis esse quamtumvis illud auri & argenti, si sexcentorum millium opera per tot annos vel singulis nummis diurnis æstimentur. Quæ autem pars major repetentium vasa, an incolentium villas & Urbes? Querela hæc major Ægyptiorum, an gratia Hebræorum? Ut solo injuriarum judicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergastulum subacti, ut solas scapulas suas Scribæ eorum apud subsellia sua ostenderent, flagellorum contumeliosâ atrocitate laceratas: Non paucis lancibus & scyphis, pauciorum utique divitum ubique, sed totis & ipsorum facultatibus satisfaciendum Hebræis pronuntiasses? Igitur si bona Hebræorum causa, bona jam, & causa, id est mandatum Creatoris, qui & Ægyptios gratos fecit nescientes, & suum Populum in tempore expeditionis angusto, aliquo solatio tacitæ compositionis expunxit. Planè minus exigi jussit: Hebræis enim etiam filios Ægyptii restituere debuerant.*

Probatur quartò ex *S. Augustino Quæstione 39. in Exodum*, ubi de hoc Hebræorum facto agens, ait: *Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret: Nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. Quemadmodum cùm minister Judicis occidit eum quem Judex jussit occidi, profectò si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit occidi à Judice debuisse.* Et Libro 22. contra *Faustum* Cap. 71. & sequentibus. *Quid ergo*, inquit, *jam de expoliatis Ægyptiis Faustus objicit, nesciens quid loquatur? Quod faciendo Moyses usque adeo non peccavit, ut non faciendo peccaret. Deus enim jusserat, qui utique novit non solùm secundùm facta, verùm etiam secundùm cor hominis, quid unusquisque vel per quem perpeti debeat. Carnalis itaque adhuc ille Populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus; Ægyptii verò sacrilegi & iniqui. Nam & auro illo, hoc est, Dei creaturâ malè utentes, ad Creatoris injuriam suis Idolis serviebant: & homines peregrinos labore gratuito injustè ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant & isti quibus talia juberentur, & illi qui talia paterentur; & fortè secundùm suas voluntates & cogitationes Hebræi magis permissi facere ista, quam jussi. Sed eis Deus permissionem suam per famulum suum Moysem innotescere voluit, quando mandavit ut diceret. Fieri autem potest ut sint aliæ causæ occultissimæ, cur hoc illi Populo divinitus dictum sit, sed divinis imperiis cedendum obtemperando, non resistendum est disputando. Apostolus dixit:* Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Rom. 11. 34. *Sive ergo ista sit causa quam dixi, sive alia qualibet in secretâ & abditâ dispositione Dei lateat, cur hoc per Moysen illi Populo dixerit, ut ab Ægyptiis sibi commodanda peterent, quæ auferrent: Hoc tamen confirmo, nec frustra, nec iniquè dictum esse, nec licuisse Moysen aliter quàm Deus dixerat, facere; ut penes Dominum esset consilium jubendi, penes famulum autem obsequium peragendi. Sed Deus (inquit) verus & bonus nullo modo talia jussisse credendus est: Imò verò talia rectè non jubet nisi Deus verus & bonus, qui & solus novit quid cuique jubendum sit, & solus neminem quidquam incongruum perpeti sinit. Cæterùm ista imperita & falsa bonitas cordis humani contradicit & Christo, ne Deo bono jubente impii mali aliquid patiantur, cùm dicturus est Angelis:* Colligite primùm zizania, & alligate fasciculos ad comburendum. *Qui tamen hoc ipsum importunè facere volentes servos prohibuit, dicens:* Ne fortè cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum: Matth. 13. 10. *Ita solus Deus verus & bonus novit, quid, quando, quibus, per quos fieri aliquid vel jubeat, vel permittat. Poterat etiam ista humana, non bonitas, sed planè vanitas eidem Domino contradicere, cùm desiderio noxio Dæmones in porcos ire volentes, petentesque permisit: Præsertim quia Manichæi non solùm porcos, verùm etiam minuta & abjecta animalia hominum animas habere crediderunt. Quâ vanitate improbatâ & abjectâ, illud tamen constat, Dominum nostrum Jesum Christum Dei unicum Filium, ac per hoc Deum verum & bonum, mortem pecorum alienorum, perniciem qualiumcumque animantium, & grave damnum hominum, desiderio Dæmonum concessisse. Quis autem dementissimus dixerit, quòd eos ab hominibus non potuisset excludere, etiamsi eorum noxiæ voluntati nec porcorum exitium præstare voluisset? Porrò si Spirituum damnatorum, & igni æterno jam destinatorum, quamvis sæva & iniqua cupiditas à Creatore atque Ordinatore omnium naturarum, occulto quidem, sed ubique justo moderamine, in id quod inclinaverat, relaxata est: Quid absurdum est, si Ægyptii ab Hebræis, homines iniquè dominantes ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris & injustis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu sacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privari meruerunt. Quod tamen si Moyses suâ sponte jussisset, aut hoc Hebræi suâ sponte fecissent, profectò peccassent. Quamquam illi, non quidem hoc faciendo, quod jusserat, vel permiserat Deus, sed tamen talia fortasse*

*tasse cupiendo peccaverunt*. *Quod autem hoc facere divinâ dispensatione permissi sunt, illius judicio justo bonoque permissi sunt, qui novit & pœnis vel coërcere improbos, vel erudire subjectos; & præcepta validiora dare sanioribus, & quosdam medicinales gradus infirmioribus ordinare. Moyses verò nec cupiditatis arguendus est in illis rebus desideratis, nec contumaciæ in divinis imperiis quibuscumque contemptis. Quædam enim facta Lex illa æterna, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, ita medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis meritò reprehendatur audacia, in exequendis autem obedientia jure laudetur. Tantùm interest in ordine naturali, quid a quo agatur, & sub quo quisque agat. Abraham si filium sponte immolaret, quid nisi horribili & insanus? Deo autem jubente, quid nisi fidelis & devotus apparuit? ...... Quapropter si in occidendo filio spontaneus motus execrabilis, Deo autem jubente obsecundans famulatus, non solùm inculpabilis, verùm etiam laudabilis invenitur, quid Moysen, Fauste, reprehendis, quòd exspoliarit Ægyptios? Si te irritat velut humana facientis improbitas, divina terreat jubentis auctoritas. An talia fieri volentem etiam ipsum Deum vituperare paratus es? .... Quamobrem si jam tandem intelligit humana duritia, atque in rebus rectis voluntas prava atque perversa, plurimùm interesse, utrùm aliquid humanâ cupiditate vel temeritate admittatur, an Dei pareatur imperio; qui novit, quid, quando, quibus permittat aut jubeat, quid cuique facere patique convenit.*

Probatur quintò ex *Avito Viennensi* Lib. 5. Poëmatum;

*Hebræi Vatum studio, monitisque supernis,*
*Optima quæque sacris fingunt, epulisque requirunt,*
*Vasaque solemnes quæ poscunt plurima cultus,*
*Ornamenta etiam; vestesque, monilia, gemmas,*
*Ut reddenda petunt, nec tardus commodat hospes.*
*Ditat & ignorans trepidam manus æmula plebem.*
*Quæ jam digna tuis pandantur laudibus ora,*
*Summe Pater, qui tam sævo sic uteris hoste?*
*Annuit adversus, largitur munera nolens,*
*Quæ secum dimissa ferant: Nec solvere tantùm*
*Sufficit oppressos, opibus ditantur euntes;*
*Thesaurosque novos libertas reddita sumit.*
*Inter ferventes inimicâ in sede furores*
*Prædatur Dominum fugiens, fallitque videntem;*
*Præsentem vacuat; ne tam disced re pulsos,*
*Quàm lætos migrasse putes. Portantur avari*
*Sic Pharaonis opes: Quem tunc mercede solutâ*
*Servitii credas longum taxasse laborem.*

Objicies: Aliena bona mutuò accipere, animo numquam restituendi, furtum est: Atqui Hebræi bona Ægyptiorum mutuati sunt animo numquam restituendi: Itaque a crimine furti purgari non possunt.

Respondeo, distinguendo Majorem: Si intentio non reddendi sit absoluta, esto; si sit hypothetica, nego. Namque si illi qui mutuò accipit, debita sint illa ipsa quæ mutuatur, aut longè plura mutuari potest cum proposito non reddendi, non quidem absolutè, sed ex hypothesi quòd sibi non fiat satis, vel quòd Judex mutuatitia bona sibi non adjudicet. Porrò Israëlitæ, quicumque justi erant, ita fuerunt affecti, ut reddidissent vasa & vestes Ægyptiorum, si labores illorum, & longam servitutem dignâ mercede compensassent.

Respondeo secundò, distinguendo aliter majorem: Si supremus bonorum hujusmodi Dominus illorum dominium ad eos, qui mutuantur, non transtulerit, concedo: Si transtulerit, nego. Tunc enim res aliena non aufertur invito Domino: Quia *Domini est terra & plenitudo ejus*. Confirmatur ista Responsio ex *S. Thomâ Secundâ Secundæ*, Quæstione 66. Articulo 5. ad 1. *Accipere*, inquit, *rem alienam vel occultè vel manifestè, auctoritate Judicis hoc decernentis, non est furtum: Quia jam fit sibi debitum per hoc quod sententialiter sibi est adjudicatum. Unde multò minùs furtum fuit, quòd filii Israël tulerunt spolia Ægyptiorum ex præcepto Domini hoc decernentis, pro afflictionibus quibus Ægyptii eos sine causâ afflixerant. Et ideo signanter dicitur Sap. 10. Justi tulerunt spolia impiorum.*

Hanc doctrinam ex *S. Augustino* hauserat *S. Thomas*: Qui non solùm locis supra laudatis, sed & Lib. 2. *De Doctrinâ Christianâ*, Cap. 50. docet Judæos Ægyptiorum spolia in usum sibi vindicasse, tamquam ab injustis possessoribus, non auctoritate quidem propriâ, sed præcepto Dei: & cujus rei figura fuerit hujusmodi spoliatio in Ecclesiâ Christi, disertè explicat. *Philosophi*, inquit, *si qua fortè vera & fidei nostræ accommodata dixerunt, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non solùm Idola habebant & onera gravia, quæ Populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille Populus exiens de Ægypto sibi potiùs tamquam ad usum meliorem clanculò vindicavit, non auctoritate propriâ, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur: Sic doctrinæ omnes Gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrûm duce Christo de societate Gentilium exiens, debet abominari atque evitare; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorùm tamquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, & quo perversè atque injuriosè ad obsequia Dæmonum abutuntur, cùm ab eorum miserâ societate se se animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, quâ in hac vitâ carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor suavissimus & Martyr beatissimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam; quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quòd Eruditus fuerat omni Sapientiâ Ægyptiorum. Quibus omnibus viris superstitiosa Gentium consuetudo, & maximè illis temporibus, cùm Christi recutiens jugum Christianos persequebatur, disciplinas quas utiles habebat numquam commodaret, si eas in usum colendi unius Dei, quo vanus Idolorum cultus exscinderetur, conversum iri suspicaretur: Sed dederunt aurum & argentum, & vestem suam exeunti Populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabant, in Christi obsequium cederent. Illud enim in Exodo factum sine dubio figuratum est ut hoc præsignaret. Quod sine præjudicio alterius, aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim.*

AR.

## ARTICULUS II.

### De Admirabili Transitu Maris Rubri.

HEbræi plerique, quibus suffragatur *Tostatus* Abulensis Episcopus, contendunt Israëlitas duce *Moyse* non totum Mare Rubrum transmisisse, sed ducto intra illud longo circuitu, seu semicirculo, demum ad litus, unde progressi fuerant, rediisse. Gentiles, aliique homines impii, transitum Maris Rubri miraculo tribuendum esse negant, sed Moysis providentiæ ac peritiæ, qui fluxûs & refluxûs tempus observaverit, illum adscribunt. Utrumque errorem sequentibus Propositionibus refellemus:

### PROPOSITIO I.

*Circuitum dumtaxat in Mari Rubro fecisse Hebræos, non ab uno litore ad oppositum litus transmisisse, improbabile recutitorum hominum figmentum est.*

PRobatur primò ex Scripturâ Sacrâ, Numerorum 33. 8. *Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium Mare in solitudinem.* Quæ verba directè petunt Hebræorum sententiam, qui nolunt eos transiisse Mare, imò ne adiisse quidem medium Mare, sed circuivisse nescio quam rupem per Mare aliquanto intervallo protensam, quod non est transire, sed circuire. Quòd si *Moyses* significare tantum voluisset, usus utique esset hoc loco nomine circuitûs, non minùs quàm Deuteronomii 2. 1. 2. *Venimus in solitudinem, quæ ducit ad Mare Rubrum; & circuivimus Montem Seir longo tempore. Dixitque Dominus ad me: Sufficit vobis circuire Montem istum.*

Confirmatur ex aliis Scripturæ locis, Sapientiæ 10. 18. *Transtulit illos per Mare Rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam.* Et Judith 5. 12. *Fugientibus his Deus cæli Mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum Maris perambulando transirent.*

Probatur secundò ex *Josepho* Lib. 2. *Antiquitatum* Cap. 8. *Jamque*, inquit, *in adversum litus evaserant Hebræi, hostibus a tergo relictis, &c.*

Probatur tertiò ex *Philone* Lib. 3. De Vitâ Moysis: *Tempestas procellosa*, inquit, *in litus adversum ejecit enectorum Ægyptiorum cumulos; quò magis servati Hebræi suam a Deo salutem agnoscerent, non solùm evadendo pericula, verùm etiam spectando hostes deletos ope divinâ sine humanis viribus.*

Probatur quartò ex *S. Gregorio Nysseno* Libro De Vitâ Moysis: *Tunc*, inquit, *res accidit, quæ præ cæteris omnibus fidem excedit; summus ille vir divinitus monitus ad litus descendit, Mareque Rubrum virgâ percussit, & subitò ut in vitro factâ scissurâ, facilè ex alterâ parte in alteram pervenit: Sic ictu Mosaica virga in oppositam usque ripam, hinc atque hinc cedentibus aquis scissura pervenit. Itaque facto per medium Pelagus itinere unà cum universo Populo siccis pedibus profundam Maris abyssum permensus est, nec extimuit repente structa illa ex fluctibus mœnia, cùm utrâque ex parte unda aquarum quasi muri consisterent.* Et paulò pòst: *Hebræi oppositum litus incolumes cùm pervenissent, a longo per medium Pelagus itinere quiescentes, cantum Deo, qui incruentum adversùs hostem sibi trophæum præbuerat, grato animo cecinerunt.*

Probatur quintò ex Sermone olim sub *S. Augustini* nomine edito 89. *De tempore*, in novissimâ verò Monachorum Benedictinorum Editione in Appendicem rejecto, in quâ 23. est. *Cùm statim divino jussu virgæ ictu rumpitur Mare, & divisis undis freti arcana & Maris secreta declarat unda. Erigitur in cumulum pelagus, & limite recto via porrigitur, ubi Populus Domini mirabiliter graderetur.*

Probatur sextò ex *S. Gregorio Turonensi* Lib. 1. Historiæ Cap. 10. *In litus illud*, inquit, *quod est contra Montem Sina, illæsi prorsus, demersis Ægyptiis, Mose duce transgrediuntur.*

Objicies: Hærebant Hebræi in Deserto *Etham* ante transitum Maris Rubri: Post transitum verò in eodem loco fuerunt, & in eâ solitudine per tres dies vagati, castra posuerunt in *Marâ*; ut constat ex cap. 13. *Exodi* Vers. 20. collato cum 33. *Numerorum* Vers. 6. & 8. priori namque loco legimus: *Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis.* Secundo verò loco; *Et de Socoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis. Inde egressi, venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt ante Magdalum. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium Mare in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Marâ.* Circuitum itaque fecerunt in Mari, non transmiserunt rectâ viâ in adversum litus.

Respondetur, Desertum *Etham* maximum atque vastissimum esse, ut ex loco mox laudato *Numerorum* perspicuum est, ubi dicitur Israëlitas per Desertum *Etham* tribus diebus ambulasse; quod alio nomine *Sur* vocatur, ut ait *S. Hieronymus* in Epistolâ ad Fabiolam: *Egressis*, inquit, *de Mari Rubro occurrit Eremus Sur, quæ & Solitudo Etham dicitur.* Unde non mirum si ante transitum, & post transitum in eodem Deserto fuerint, cùm illud ultra iter tridui longè latèque extendatur, & Sinus Arabicus in ejus initia, ubi fuit tertia Mansio, suum caput immittat.

Respondetur secundò, Falsum esse, quòd Hebræi immediatè ante transitum Maris fuerint in Deserto *Etham*, quod pertinet ad Arabiam: Sed erant in *Phihahiroth*, quæ est regio Ægypti. Nam *Exodi* 14. 2. dixit Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israël: *Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & Mare contra Beelsephon: in conspectu ejus castra ponetis super Mare.* Et Vers. 9. *Cùmque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super Mare; Omnis equitatus & currus Pharaonis & universus Exercitus, erant in Phihahiroth contra Beelsephon.* Hinc *Numerorum* 33. dicitur: *Inde egressi* (nimirum de *Etham*) *venerunt contra Phihahiroth... Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium Mare in solitudine.*

Objicies secundò; Incredibile videtur, quòd quatuor vel summùm quinque horis Israëlitæ Mare trajecerint, quod ex Topographorum commensuratione vix horis viginti-quinque trajici potest, si quis tantumdem itineris terrâ conficere velit. Quantum enimverò temporis tantæ turbæ puerorum, mulierum, senum trajectui necessarium fuisse existimandum est? Igitur totum non pertransierunt Mare Rubrum, sed circuitum dumtaxat in eo fecerunt.

Respondetur, Sinum Arabicum (ut observarunt Topographi) in summo suo capite esse perangustum, vix ut eo loco, quo a *Moyse* trajectus est, sex milliaribus pateat: Adeòque tanto temporis spatio ad ejus trajectionem opus non fuisse: Præsertim cùm Hebræorum vires Deus confirmaret, nullusque in eorum Tribubus esset infirmus: Ac hostium persequentium metus maturare gradum compelleret.

Ob-

Objicies tertiò; Hebræi Ægyptios insecuti, & Mare ingressi, obruti sunt aquis, & eorum cadavera ejecta sunt in litus haud dubiè propinquius, ut fieri assolet de iis qui naufragio pereunt. Sed Ægyptiis propinquius erat litus per quod ingressi sunt Mare, & ipsi, & Hebræi, quos insequebantur: In illud igitur litus, non in adversum, cadavera eorum jactata sunt. Ea porrò non potuissent ab Hebræis videri, si in litus oppositum transmisissent. Totam itaque Maris Rubri latitudinem non transmiserunt, sed circuitu facto ad idem litus sunt regressi.

Respondetur, Ægyptios ex medio Mari in litus Ægypto propinquum fugientes, aquarum ex eodem litore adversùs ipsos refluentium impetu interceptos fuisse, eorumque cadavera in adversum litus, quod jam attigerant Hebræi, eodem impetu fuisse propulsata. Nec divinæ tamen virtuti eâ in re nihil tribuendum est, cùm hominum submersorum cadavera usque ad certum dierum numerum aquis non supernatent. Id autem fecit Deus ut trepidos Israëlitarum animos confirmaret, ac justitiæ suę vindicis in Ægyptios monumentum ostenderet seculis omnibus prædicandum. Sanè si Hebręi ad eamdem ripam redeundo pręcessissent Ægyptios, non diceret Scriptura Ægyptios fugisse Israëlem, sed eum secutos esse. At Scriptura Sacra fugisse Ægyptios testatur, & reditum maturasse in litus ubi mare fuerant ingressi, dum filii Israël iter suum in adversum litus persequerentur. Exodi 14. 26. & seq. *Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super Mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & Equites eorum. Cùmque extendisset Moyses manum contra Mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum: Fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus & Equites cuncti Exercitûs Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant Mare: Nec unus quidem superfuit ex eis. Filii autem Israël perrexerunt per medium sicci Maris .... Et viderunt Ægyptios mortuos super litus Maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: Timuitque Populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.*

## PROPOSITIO II.

*Transitus Hebræorum non refluxui Maris, quem observaverit Moyses rerum naturalium peritissimus, alterive causæ naturali, sed Miraculo tribuendus est.*

PRobatur ex Cap. 14. *Exodi*, ubi Dominum *Moysi* dixisse narratur: *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super Mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio Mari per siccum ..... Cùmque extendisset Moyses manum super Mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & urente totâ nocte, & vertit in siccum: Divisaque est aqua. Et ingressi sunt Israël per medium sicci Maris: Erat enim aqua quasi murus a dextrâ eorum & lævâ .... Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super Mare, ut revertatur ad Ægyptios super currus & Equites eorum. Cùmque extendisset Moyses manum contra Mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum: Fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* Quibus quatuor indicantur; primò divisio Maris ad extensionem manûs *Mosis*, & mirificæ virgę elevationem, & divisio quidem talis, ut via pateret amplissima in medio Mari, quâ Populus Hebræus in adversum litus trajiceret incolumis. Secundò, aquarum ex utrâque parte, ad dextram scilicet ac sinistram, instar muri immobilium consistentia. Tertiò, venti ortus flatûsque vehementis, qui fundum Maris limosum, ac lutulentum ita brevissimo tempore siccaret, ut in eo tam facilè quàm in continenti Hebræi iter facerent. Quartò, aquarum ad nutum Moysis & manûs ipsius extensionem in priorem locum reditus, ut Ægyptii submergerentur. Hęc verò nec refluxus Maris, nec alia causa naturalis efficere potest; cùm refluxus Maris pervia quidem litora faciat, medium verò Mare pervium & siccum facere non possit. Hęc igitur miraculo tribuenda sunt, quidquid in contrarium dixerint Ethnici. *Nos enim in nostra Religionis historiâ, fulti auctoritate divinâ, quicquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet se se habeant cætera in secularibus literis, quæ seu vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt quò rectè beatèque vivamus.* Verba sunt S. *Augustini* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 40. Confirmatur ex aliis Scripturæ Sacræ locis; Psalmo 105. *Et increpuit Mare Rubrum, & exsiccatum est: & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.* Psalmo 135. Vers. 13. 14. 15. *Qui divisit Mare Rubrum in divisiones: Et eduxit Israël per medium ejus: Et excussit Pharaonem, & virtutem ejus in Mari Rubro: Quoniam in ęternum misericordia ejus.* Sapientiæ 10. *Transtulit illos per Mare Rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam: Inimicos autem illorum demersit in Mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos.* Judith 5. 12. *Fugientibus his Deus cœli Mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & illi pede sicco fundum Maris perambulando transirent. In quo loco dum innumerabilis Populus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus, qui factum posteris nuntiaret.* Epist. ad *Hebræos* Cap. 11. 19. *Fide transierunt Mare Rubrum tamquam per aridam terram: Quod experti Ægyptii devorati sunt.*

Probatur secundò ex *Philone* Hebræo, Lib. 3. De Vitâ Moysis. *Mare*, inquit, *diruptum est, aquæ secesserunt, constiteruntque in abrupto utrinque latere, tanquam muri firmissimi: In medio rectam viam, aperuit divina magnificentia, dividentem undas ad præbendum iter ceu congelatas: totâ gente securè pedibus trajiciente Mare, tamquam per siccam semitam, aut pavimentum constratum silice: Induruerat enim sabulum concretum e suis minutiis: Huc accessit impetus hostium sese invehentium, & in suam ruentium perniciem. Accessit nubis extremum agmen protegentis subsidium, emicante inde Numinis effigie. Accessit Maris paulò ante scissi refluxus, & via priùs siccatæ repentina inundatio, unde incredibilis extitit hostium internecio, & a parietibus illis marinis, qui ex aquis constiterant, oppressio, fluctibus in viam priùs factam, tamquam in vallem confluentibus.*

Probatur tertiò ex *Artapano* Ethnico Scriptore in Opere *De Judæis* scribente: Judæos *Multis ab Ægyptio cùm poculis, tum vestibus corrogatis, aliâque multiplici gazâ, trajectis Arabiæ fluminibus, magnoque confecto itinere, ad Mare Rubrum tertio demum die pervenisse. Atque a Memphitis quidem ita narrari, Moysum totius regionis scientissimum, observato reciprocantis æstûs tempore, sicco Mari universam multitudinem transmisisse: Ab Heliopolitanis verò secus; Quippe Regem abeuntes Judæos, quæque ab Ægyptiis mutuo acceperant, secum auferentes, ingenti Exercitu cum animantibus consecratis persecutum esse. At Moysum utì Mare Virgâ percuteret divinitus admonitum, Aquam Virgâ tetigisse, ac descendentibus illico fluctibus, copias sicco*

tra-

*tramite deduxisse. Eamdem porro viam tentantibus, ac fugientium terga prementibus Ægyptiis cùm adversum repente ignem coruscasse, tum ipsum quoque Mare patentem semitam refluentibus undis obruisse: Itaque partim igni, partim æstu maritimo Ægyptios ad unum omnes periisse. Judæos verò ab imminenti periculo liberatos, per solitudinem annos triginta continenter vagatos esse, &c.* Hunc *Artapani* locum describit *Eusebius* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ* Cap.27. Heli opolitanorum igitur Traditio Historiæ Sacræ consentanea est in admirabilis transitûs Maris Rubri ab Hebræo Populo narratione & Memphitarum aliorumve, qui refluxui maris a *Moyse* observato illum tribuunt, evertit mendacia.

Probatur quartò ex *Exechielo* Tragico Judæorum Poëta, apud *Eusebium*, Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.29.

——— *Ductor hic Virgam arripit,*
*Quâ tot gementem mersit Ægyptum malis,*
*Nostrumque fregit mille portentis genus,*
*Arripit, & alti verberat dorsum Maris.*
*Discedit ictu Pontus, & salsas gradu*
*Subit incitato Populus Isacidûm plagas.*
*At nos fugaces voce sublatâ sequi,*
*Mediâque nocte quam præit Moses viam,*
*Hanc ultro premere, gravior at subitò rota*
*Victosque currus pondus insolitum tenet.*
*Igneus repente fulgor e cœlo micat,*
*Ardetque flamma similis. Auxilium Deus,*
*Deus ipse miseris dexter auxilium tulit.*
*Isacia ripis steterat adversis Phalanx,*
*Immane Pharios unda jam circùm latrat,*
*Fugiamus eheu, Miles exclamat, Deus*
*Suos potente dexterâ Hebræos tegit,*
*Ferale nobis ultor exitium creat.*
*Dum loquitur, alto clauditur fluctu via,*
*Totasque Rubrum copias haurit Mare.*

Probatur quintò ex *Diodoro Tarsensi S. Joannis Chrysostomi* Præceptore, in Catenâ Patrum super Genesim a *Lipomano* editâ. *Propterea quòd*, inquit, *vestigia Miraculi illius in Rubro Mari facti adhuc ostenduntur, Mari sese reciprocante, ac littora destituente, idcirco nonnulli Gentilium id naturæ Maris illius, non divino Miraculo adscribendum esse affirmant, quod quidem illis dandum ac concedendum esset, si per reciprocationem fieri posset ut in medio Mari latissima via ac transitus, qualis datus est Israëlitis efficeretur. Itemque si Mare divisum a dextris & sinistris natum aptumque est ut solidus murus consistere. Ac licèt concedi potest Mare Rubrum alicubi ad litus undas impellere, alicubi verò reciprocando resilire: Verùm cùm Israëlitæ transirent, Mare illud reciprocando locum dedisse, nullâ ratione intelligi potest. Qui enim fieri potest, ut Mare Reciprocando in muri modum hinc atque hinc transeuntem Populum circumsteterit?*

Probatur sextò ex vestigiis illius Miraculi superstitibus; de quibus *Paulus Orosius* Lib. 1. Historiæ Cap. 10. *Extant*, inquit, *etiam nunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum, rotarumque orbita, non solùm in litore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, pervidentur: & si fortè ad tempus, vel casu, vel curiositate turbantur, continuò divinitùs in pristinam faciem ventis fluctibusque reparantur, ut quisquis non docetur timorem Dei propalatæ Religionis studio, ira ejus transactæ ultionis terreatur exemplo.*

Probatur septimò ex *Theodoreto*, qui & latentia in illo admirabili Hebræorum transitu, secutisque Miraculis Christianæ Legis Mysteria explicat Quæstione 27. in Exodum. *Vetera* [ inquit ] *typum gerebant recentium, & umbra erat Lex Mosis, corpus verò gratia. Quoniam igitur Ægyptii persequebantur Hebræos, Mare autem Rubrum transeuntes Hebræi, ab Ægyptiorum permolesto Dominio vindicati sunt, Mare præ se fert typum Lavacri, nubes autem Spiritûs. Moses item Christi Salvatoris, Crucis autem virga, & Pharao diaboli typum gerit, Ægyptii dæmonum, Manna verò cibi cœlestis: Aqua autem quæ de petrâ egressa est, sanguinis salutaris. Quemadmodum enim illi, ubi Mare transierunt, cibo peregrino, & aquâ potiti sunt: Ita nos post salutarem Baptismum participes sumus divinorum Mysteriorum.*

Probatur octavò. Incredibile est Moysem unum observatione merè naturali cognovisse Mare tunc recessurum, ut iter ipsi populoque præberet; reversurum statim post transitum populi, ut Pharaonem, Ægyptiosque submergeret. Incredibile quòd nemo ex Pharaonis aulâ & exercitu numerosissimo periculum ex causâ merè naturali & ordinariâ imminens, qualis erat refluxus Maris, prævidisset: quòd nemo saltem Ægyptiorum qui maritimas plagas incolebant, quibus adeò quotidianâ experientiâ perspectus & exploratus esse debebat æstus maritimus seu fluxus & refluxus [ si quis fuisset ] Maris Rubri, non minùs quàm Moysi, Regem & ejus Exercitum de imminente periculo non monuissent.

Objicies locum *Josephi* Libro 11. *Antiquitatum* Cap. 7. ubi incertum habet, illane divisio Maris naturæ sponte contigerit, an Dei supra naturæ fortè viribus contigisse adstruat, *Alexandri Magni* profert exemplum, qui cum Exercitu suo Mare Pamphylium transivit sicco itinere. *Nemo autem* ( inquit ) *mirari debet tamquam incredibilia, si priscis hominibus, & ad malitiam rudibus, de salute periclitantibus, via per Mare patuit, sive Dei voluntate, sive sponte naturæ: Quandoquidem heri & nudius tertius Alexandri ductu Macedonibus Pamphylium Mare cessit, & aliam viam non habentibus illac iter aperuit, cùm Deus ejus operâ ad destruendum Persarum Imperium uti decrevisset: Id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt.*

Respondetur, Nullius esse momenti *Josephi* dubitantis auctoritatem, contra Scripturæ Sacræ fidem ac divinam veritatem. Quamquam excusari fortè possit *Josephus*, qui se ad captum Ethnicorum, quibus scribebat, hic ( ut aliàs sæpè ) attemperaverit, ut probabilia quoquo modo esse persuaderet, quæ ipse sine dubitatione credebat. Itaque tacitè illos accusat imprudentiæ qui similia miraculis ex profanis Auctoribus afferant, eisque non ægrè præbeant assensum, & divinis Literis nihilominus fidem negent. Certè *Josephum* in Maris Rubri divisione, & Israëlitarum transitu miraculum agnovisse, colligitur ex ejus narratione ibidem. *Ut verò* ( inquit ) *ad extremum litus ventum est, tum Moyses sumptâ virgâ Deum in auxilium supplex invocat, dicens: Tu Domine, scis ipse quòd nec viribus nec artibus humanis ullum hinc patet effugium: Superest ut ipse salutem huic Populo expedias, qui Ægypto relictâ huc est delatus, tuam voluntatem, tuamque fidem secutus. Ad te solum, omni aliâ spe, omni consilio destituti confugimus; ad tuam tantùm providentiam respicimus, quæ sola nos iratis Ægyptiis eripere potest. Succurre igitur propere, & tuam potentiam exere; & Populum jam conclamatæ salutis ad fiduciam & spem excita. In difficultatibus constituti sumus, sed nostris, non tuis. Tuum est Domine hoc Mare, tuus & Mons qui nos claudit; & hic potest te jubente aperiri, & illud in terram verti.... Hæc precatus, Mare virgâ percutit: Quo ictu repente scissum, & retrorsum se recipiens, nudum solum Hebræis ad fugam capessendam relinquit. Moyses autem videns adesse Deum, & Mare de suo solo cessisse, primus progreditur; hortatur Hebræos ut ala-*

*eriter sequantur per viam divinitus datam, & læti præterito periculo gratias agant ob tam incredibilem salutis rationem tam subitò exortam. Illis verò impigrè subsequentibus, nimirum divinâ ope fretis, Ægyptii primùm insanire eos putabant, in manifestam perniciem ruentes. Postquàm verò viderunt eos longè processisse, & impunè absque omni impedimento iter facere, impetu facto persequi eos cœperunt, quasi & ipsi tutum per Mare iter habituri, & præmissis Equitibus a litore descendebant: Jamque in adversum litus evaserant Hebræi, hostibus a tergo relictis, quos armis graves ipsa etiam Miraculi novitas nonnihil est remorata: Sed eùm incolumes illos terram tenere viderent, sibi quoque eumdem eventum pollicebantur. Verùm fefellit eos hæc opinio, nescientes non quorumvis talem viam esse, sed Hebræorum tantùm .... Ergo cùm jam universus Exercitus ingressus esset, refunditur iterum Mare, & Ægyptios fluctibus involvit.* Subdit: Se hæc sigillatim conscripsisse, *ut in Sacris Codicibus invenit*. Moxque subjunctis quæ in Objectione allegata sunt, ita concludit: *Sed de his, ut cuique libet, ita sentiat*. Quod ad factum *Alexandri Magni* a profanis Auctoribus narratum, non ad Maris Rubri divisionem, & Hebræorum transitum referri debere, lector æquus *Josepho* judicabit.

Quod verò de *Alexandro* jactatur, admirabili Hebræorum per Mare Rubrum transitui nihil simile habet. Neque enim ille per medium Mare transivit, sed per Montem dumtaxat, qui affluente Mari coopertus aquis esse solebat, tranquillo autem Pelago discoopertus; & reciproco Maris æstu interceptus maximum ipse cum Exercitu subiit discrimen, adeò ut in aquâ umbilico tenus iter facere cogerentur, teste *Strabone* Lib.14. Geographiæ, pag.666. *Apud Phaselidem* (inquit) *sunt ad Mare angustia, per quas Exercitum traduxit Alexander. Est enim ibi Mons Climax, Pamphylio incumbens Mari, & propter litus arctum relinquens transitum: Qui tranquillo Mari nudatur & a viatoribus perambulari potest: Mari exundante, fluctibus admodum obtegitur. Alexander autem hybernam incidit in tempestatem, cùmque fortunæ maximam eventùs partem crederet, antequam defluerent undæ, profectus est. Itaque contigit, ut totum diem milites per aquam iter facerent usque ad umbilicum in eam demersi.* Hæc Strabo, accuratiùs exponens quod *Quintus Curtius* obscuriùs scripserat Libro 5. Historiæ, his verbis: *Invictus ante eam diem fuerat* (ALEXANDER) *nihil frustra ausus: Impunè Ciliciæ fauces intraverat; Mari novum iter in Pamphyliam aperuerat, &c.* Fabulosum illud esse, quod de Mari *Alexandro* cedente a quibusdam jactatum est, confirmat *Plutarchus* in ejus Vitâ. *Pamphyliæ percursus* (inquit,) *compluribus suppeditavit Historicis elegans ad miraculum excitandum, & pompam argumentum, quasi divinâ quadam sorte cederet Alexandro Mare, quod sævum aliàs ex alto litus verberaret, raro autem tenuia & resonantia sub abruptis & confragosis rupibus operiret saxa. Id quod Mœnander quoque indicat ad rei novitatem alludens.*

*Quantùm Alexandrina jam ista. Quæro quòd si fortè quem,*
*Ultrò currens aderit hic coram.*
*Sin meandum per Maris fluctus profundi,*
*Permeabilis mihi mox fit.*

*Alexander ipse in Epistolis suis nihil portenti ejuscemodi jactans, iter narrat fecisse se per Climacea appellatam, atque ex Phaselide progressum, eam peragrasse.*

*Arrianus* Lib.1. *De Expeditionibus Alexandri*, iter ejus in Pamphyliam narrans, Mare ipsi cessisse non scribit, sed per litus arduâ difficilique viâ Exercitum duxisse. *Alexander ex Phaselide movens* [inquit] *aliquam Exercitùs partem per Montana Pergas mittit, quà Thraces iter monstrarunt, arduum quidem, sed compendiosum. Ipse secus Mare per litus suos ducit. Via autem hæc aliter confici non potest nisi ventis a Septemtrione flantibus: Austro autem invalescente, ægrè per litus iter fit. Tum verò pro vehementibus Austris Boreales venti exorti, non absque divino quodam Numine (ut ipse Alexander, & qui cum eo erant, interpretabantur) facilem ac celerem transitum præbuerunt.*

## SCHOLION.

Israëlitæ Paschate primùm celebrato, ex Ægypto fugientes, Mare Rubrum transierunt. Figu- *S. Aug. Tract. 5. in Joannem.*
„ ra illa prophetica in veritate completa est, cum
„ sicut ovis ad immolandum ductus est Christus,
„ cujus Sanguine illitis postibus nostris, id est,
„ cujus signo Crucis signatis frontibus nostris,
„ a perditione hujus sæculi, tamquam a captivi-
„ tate vel interemptione Ægyptiâ, liberamur,
„ & agimus saluberrimum transitum, cùm a Dia-
„ bolo transimus ad Christum, & ab isto insta-
„ bili sæculo ad ejus fundatissimum Regnum. *Ideo quippe ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeunte transeamus.* Mare, figura hujus sæculi. Transierunt Israëlitæ per Mare Rubrum: transierunt & Ægyptii, sed quàm dispari exitu! Transeunt per hunc mundum boni & mali, sed quam dispari sorte! Transeunt illi de Mundo: Transeunt isti cum Mundo: Transeunt illi, ut Christus, ad Patrem; isti ad hostem. *Nam & Ægyptii transierunt, non tamen transierunt per Mare ad Regnum, sed in Mari ad interitum.*

# DISSERTATIO II.

## DE PRÆCEPTIS MORALIBUS Legis Mosaicæ; sive quæ Decalogo continentur, sive quę ad illum revocantur: & de pœnis in prævaricatores constitutis.

---

### ARTICULUS I.

#### De Extensione & Ordine Præceptorum Decalogi.

##### PROPOSITIO UNICA.

*Omnia præcepta Legis naturæ, necnon omnia præcepta Moralia Veteris Legis, in Decalogo continentur, vel ad illum revocantur. Sic autem ordinata sunt Decalogi præcepta, ut tria ad primam Tabulam, septem ad alteram pertineant.*

I. PRimam Propositionis hujus partem S. *Augustinus* attingit Quæstione 140. in Exodum. *Cùm tam multa*, inquit, *locutus sit Deus, duæ tantùm tabulæ dantur Moysi lapideæ quæ dicantur tabulæ testimonii futuræ in Arcâ. Nimirum omnia cætera quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur, & bene intelligantur: Quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei & proximi, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ.*

Ex Libro 19. contra Faustum, Cap.26. *Si Christus ubi quibusdam antiquis sententiis propositis,* ad-

*adjunxit: Ego autem dico vobis; neque primorum hominum Legem hoc verborum additamento adimplevit, neque illam quæ per Mosen data est, quasi contrariorum oppositione destruxit: sed potiùs omnia ex Hebræorum Lege commemorata ita commendavit, ut quidquid ex personâ suâ insuper loqueretur, vel ad expositionem requirendam valeret, si quid illa obscurè posuisset, vel ad tutiùs conservandum quod illa voluisset. Vides quàm sit aliter intelligendum quod ait. Non se venisse Legem solvere sed adimplere: Scilicet ut non quasi semiplena istis verbis integraretur, sed ut quòd literâ jubente propter superborum præsumptionem non poterat, suadente gratiâ propter humilium confessionem impleretur, opere factorum, non adjectione verborum. Fides enim, sicut Apostolus ait, per dilectionem o-*
Galat. 5. 6. *peratur. Unde idem dicit: Qui enim diligit alterum, Legem implevit. Istam charitatem quia ve-*
Roman. 13. 8. *niens Christus, per Spiritum Sanctum, quem promissum misit, in manifestatione donavit, quâ illâ charitate justitia Legis posset impleri: Propterea dixit:* Non veni solvere legem, sed adimplere. *Hoc est Novum Testamentum, quo huic dilectioni hæreditas Regni cælorum promittitur, quod in figuris Veteris Testamenti pro temporum distributione tegebatur. Unde idem dicit:* Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. *Itaque vel omnia, vel penè omnia, quæ monuit seu præcepit, ubi adjungebat,* Ego autem dico vobis, *inveniuntur & in illis veteribus Libris.*

II. Idem docet *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione centesimâ Articulo 1. *Cùm* [inquit] *moralia præcepta sint de his quæ pertinent ad bonos mores; hæc autem sunt quæ rationi conveniunt; omne autem rationis humanæ judicium aliqualiter a naturali ratione derivatur: Necesse est quod omnia præcepta Moralia pertineant ad Legem naturæ, sed diversimodè: Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda: Sicut,* Honora patrem tuum & matrem: *&*, Non occides; Non furtum facies; *& hujusmodi sunt absolutè de Lege naturæ. Quædam verò sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a Sapientibus judicantur esse observanda: & ista sic sunt de Lege naturæ, ut tamen indigeant disciplinâ, quâ minores a sapientioribus instruantur, sicut illud:* Coram cano capite consurge, & honora personam senis; *& alia hujusmodi. Quædam verò sunt ad quæ judicanda ratio humana indiget instructione divinâ, per quam eru-*
„ *dimur de divinis, sicut est illud:* Non facies
„ tibi sculptile, neque omnem similitudinem.
„ Non assumes nomen Dei tui in vanum.

III. Articulo verò 3. ejusdem Quæstionis ita differit. *Præcepta Decalogi ab aliis præceptis Legis differunt in hoc, quòd præcepta Decalogi per seipsum Deus dicitur Populo proposuisse: Alia verò præcepta proposuit Populo per Moysen. Illa ergo præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet per se ipsum a Deo: Hujusmodi verò sunt illa, quæ statim ex principiis communibus primis cognosci possunt modicâ consideratione, & iterum illa, quæ statim ex fide divinitus infusâ innotescunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum, illa scilicet quæ sunt prima & communia, quorum non oportet aliquam editionem esse, nisi quòd sunt scripta in ratione naturali, quasi per se nota; Sicut quòd homo nulli debet malefacere, & alia hujusmodi. Et iterum illa quæ per diligentem inquisitionem sapientum inveniuntur rationi convenire: Hæc enim proveniunt a Deo ad Populum mediante disciplinâ Sapientum. Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, sed diversimodè. Nam illa quæ sunt prima & communia, continentur in eis, sicut principia in conclusionibus proximis. Illa verò quæ per sapientes cognoscuntur, continentur in eis sicut conclusiones in principiis.* Evidentiùs autem innotescet prior illa pars Propositionis nostræ ex Decalogi explicatione mox subjungendâ.

IV. Alteram propositionis partem expendit *S. Augustinus* Quæstione 71. in Exodum. *Quæritur* (inquit) *decem præcepta Legis quemadmodum dividenda sint: Utrùm quatuor sint usque ad præceptum de Sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent; sex autem reliqua, quorum primum est,* Honora patrem & matrem, *quæ ad hominem pertinent: an potiùs illa tria sint, & ista septem. Qui enim dicunt, illa quatuor esse, separant quod dictum est,* Non erunt tibi Dii alii præter me: *Ut aliud præceptum sit,* Non facies tibi idolum, *&c. ubi figmenta colenda prohibentur. Unum autem volunt esse,* Non concupisces uxorem proximi tui: Non concupisces domum proximi tui, *& omnia usque in finem. Qui verò illa tria esse dicunt, & ista septem, unum volunt esse, quidquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur: Hæc autem extrema in duo dividunt; ut aliud sit,* Non concupisces uxorem proximi tui; *aliud,* Non concupisces domum proximi tui. *Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura testatur.* Priorem divisionis rationem Judæi sequuntur, *Josephus* Lib. 3. *Antiquit.* Cap. 4. *Philo* Lib. *De Decalogo*, & ex Christianis Interpretibus *Origenes* Homiliâ 8. in Exodum, Auctor Synopsis Scripturæ Sacræ apud *S. Athanasium*, Auctores Commentariorum in Epistolam ad Ephesios, sub venerandis *S. Ambrosii* & *S. Hieronymi* nominibus editorum, *Hesychius* in Leviticum. At hanc meritò improbat *S. Augustinus*, loco mox laudato. *Mihi tamen videtur* [inquit] *congruentiùs accipi tria illa, & ista septem, quia & Trinitatem videntur illa quæ ad Deum pertinent, insinuare diligentiùs intuentibus. Et reverâ quod dictum est,* Non erunt tibi Dii alii præter me, *hoc ipsum perfectiùs explicatur, cùm prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porrò uxoris alienæ, & concupiscentia domûs alienæ, tantùm in peccando differunt, ut illi quod dictum est,* Non concupisces domum proximi tui *adjuncta sint & alia, dicente*
„ *Scripturâ;* Neque agrum ejus, neque servum e-
„ jus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, ne-
„ que subjugale ejus, neque omne pecus ejus, neque
„ quæcumque proximi tui sunt. *Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ a concupiscentiâ cujuslibet rei alienæ, quando utrumque sic cœpit,* Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui; *& huic cœpit cætera adjungere. Non autem cùm dixisset,* Non concupisces uxorem proximi tui, *huic connexuit alia dicens, neque domum ejus, neque agrum ejus, neque servum ejus, & cætera: Sed omnino apparent hæc esse conjuncta, quæ uno præcepto videntur contineri, & discreta ab illo ubi uxor nominata est. Illud autem ubi dictum est,* Non erunt ibi Dii alii præter me, *apparet hujus rei diligentiorem executionem esse in iis quæ subjecta sunt. Quò e-*
„ *nim pertinet,* Non facies tibi idolum, neque ullum
„ simulacrum, quæcumque in cœlo sunt sursum,
„ & quæcumque in terrâ deorsum, & quæcum-
„ que in aquâ sub terrâ; non adorabis ea, neque
„ servies illis, *nisi ad id quod dictum est,* Non
„ erunt tibi Dii alii præter me?

Et Sermone 9. *De decem Chordis*, Cap. 5. 6. & 7. *Decalogus Legis* (inquit) *decem præcepta habet: Quæ decem præcepta sic sunt distributa, ut tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad homines. Tria ad Deum, quæ jam dixi; Unus est Deus noster, ei nullam similitudinem debemus facere, & non fornicari post Deum, qui unus est: Quia Deus & Christus Filius Dei unum est cum Patre. Et ideo non debet a nobis accipi in vanum, ut putemus eum sa-*

*factum, id est creaturam aliquam, per quem facta sunt omnia: Quia ipse unus Deus Pater est, & Filius, & Spiritus Sanctus. In Spiritu Sancto, hoc est, in dono Dei, requies nobis sempiterna promittitur. Inde modò pignus accepimus. Sic enim dicit Apostolus:* Qui dedit nobis pignus Spiritum. *Si pignus accepimus, ut incipiamus in Domino & in Deo nostro tranquilli esse, ut simus in Deo nostro mites, simus in Deo patientes, erimus etiam in illo unde pignus accipimus, in æternum quieti; quod erit Sabbatum Sabbatorum, propter ipsam requiem pertinentem ad donum Spiritûs Sancti. Tertium itaque præceptum de Sabbato, quod diximus, quod carnaliter Judæi celebrant, nos spiritaliter agnoscamus. Nam quia Spiritus Sanctus dicitur, propterea septimum diem sanctificavit Deus, quando fecit omnia opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus. Non ibi habes nominatam sanctificationem, nisi illo die ubi dicitur;* Requievit Deus ab operibus suis. *Non enim fatigatus erat Deus, ut diceretur;* Requievit Deus ab operibus suis: *Sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit, ut quia fecit omnia bona valde, & sic dicitur,* Requievit Deus, *intelligas etiam te post bona opera requieturum, & sine fine requieturum. Nam dies superiores habent vesperam: Septimus iste dies non habet vesperam: ubi Deus sanctificavit requiem. Dicitur ibi,* Factum est mane, *ut inciperet ipse dies: Non dictum est,* Factum est vespera, *ut finiretur dies: Sed dictum est:* Factum est mane, *ut fieret sine fine dies. Sic incipit ergo requies nostra quasi manè, sed non finitur, quia in æternum vivemus. Ad hanc spem quicquid facimus, si facimus, Sabbatum observamus. Ipsa est tertia chorda hujus Decalogi, id est, Psalterii decachordi: in tribus enim chordis ad Deum pertinent præcepta.*

1. Cor. 1. 22.

*Tota Lex in duobus præceptis est, in dilectione Dei, & dilectione proximi; Ad duo itaque præcepta, id est, ad dilectionem Dei & proximi pertinet Decalogus. Ad primum præceptum tres chordæ pertinent, quia Deus est Trinitas. Ad alterum verò præceptum, id est, ad dilectionem proximi, septem chordæ, quomodo vivatur inter homines. Nam ipse numerus septenarius, tamquam septem chordarum, incipit ab honore parentum:* Honora patrem tuum & matrem tuam. *Ad parentes enim suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitiâ sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parere poterit?* Honora patrem tuum, & matrem tuam. *Et dicit Apostolus:* Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum. *Quomodo primum, quando quartum est mandatum, nisi quia in septenario numero est primum? Ad dilectionem proximi primum est in alterâ tabulâ. Nam ideo duæ tabulæ Legis datæ sunt. Deus enim famulo suo Moysi in Monte duas tabulas dedit, in quibus duabus tabulis lapideis conscripta erant decem præcepta Legis, tria in unâ tabulâ, ad Deum pertinentia; septem in alterâ tabulâ, ad proximum.*
„ *In alterâ ergo tabulâ primum est,* Honora patrem
„ tuum & matrem tuam. *Secundum.* Non Mœcha-
„ beris. *Tertium,* Non occides. *Quartum,* Non
„ furaberis. *Quintum,* Non falsum testimonium di-
„ ces. *Sextum,* Non concupisces uxorem proximi
„ tui. *Septimum,* Non concupisces rem proximi
„ tui. *Hæc jungamus illis tribus ad dilectionem Dei pertinentibus, si in Psalterio decem chordarum volumus cantare canticum novum.* His gemina sunt quæ habet idem S. Doctor Enarratione 2. in Psalmum 32. ad illa verba: *Confitemini Domino in cytharâ, in Psalterio decem chordarum psallite illi.* Et Epistolâ 60. aliàs 119. Cap. 11.

Ephes. 6. 21.

V. *S. Augustini* sententiam approbat *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione centesimâ, Articulo 4. *Sed quia,* inquit, *facere sculptile, vel similitudinem non est prohibitum, nisi secundùm hoc, ut non colantur pro Diis (Nam in Tabernaculo Deus præcepit fieri imaginem Cherubim, ut dicitur Exod. 25.) convenientiùs Augustinus ponit sub uno præcepto,* Non habebis Deos alienos; *&,* Non facies sculptile. *Similiter etiam concupiscentia uxoris alienæ pertinent ad concupiscentiam carnis. Concupiscentia autem aliarum rerum, quæ desiderantur ad possidendum, pertinent ad concupiscentiam oculorum. Unde etiam Augustinus ponit duo præcepta, de non concupiscendo rem alienam, & uxorem alienam, & sic ponit tria præcepta in ordine ad Deum, & septem in ordine ad proximum: & hoc melius est.*

Idem Sanctus Doctor Articulo 5. præcepta Decalogi convenienter numerari ostendit hoc ratiocinio: *Sicut præcepta Legis humanæ ordinant hominem ad quamdam communitatem humanam; ita præcepta Legis divinæ ordinant hominem ad quamdam communitatem seu Rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem quod aliquis in aliquâ communitate bene commoretur, duo requiruntur, quorum primum est ut bene se habeat ad eum, qui præest communitati. Aliud autem est ut homo bene se habeat ad alios communitatis consocios & comparticipes. Oportet igitur quòd in Lege divinâ primò ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum; & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos simul convenientes sub Deo. Principi autem Communitatis tria debet homo: Primò fidelitatem, secundò reverentiam, tertiò famulatum. Fidelitas quidem ad Dominum in hoc consistit, ut honorem principatûs ad alium non deferat; & quantùm ad hoc accipitur primum præceptum, cùm dicitur.* Non habebis Deos alienos. *Reverentia autem ad Dominum requiritur, ut nihil injuriosum in eum committatur; & quantum ad hoc accipitur secundum præceptum, quod est:* Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Famulatus autem debetur Domino quantùm ad recompensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi; & ad hoc pertinet tertium præceptum de sanctificatione Sabbati in memoriam creationis rerum.*

*Ad proximos autem aliquis bene se habet & specialiter, & generaliter. Specialiter quidem quantùm ad illos quorum est debitor, ut ei debitum reddat; & quantùm ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum. Generaliter autem quantùm ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoque quidem in propriam personam, quantùm ad consistentiam personæ, & hoc prohibetur per hoc quod dicitur,* Non occides. *Quandoque autem in personam conjunctam, quantùm ad propagationem prolis, & hoc prohibetur, cùm dicitur:* Non mœchaberis. *Quandoque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque, & quantùm ad hoc dicitur:* Non furtum facies. *Nocumentum autem oris prohibetur, cùm dicitur:* Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium. *Nocumentum autem cordis prohibetur, cùm dicitur:* Non concupisces. *Et secundùm hanc etiam differentiam distingui possent tria præcepta ordinantia in Deum, quorum primum pertinet ad opus, unde ibi dicitur:* Non facies sculptile. *Secundum ad os; unde dicitur:* Non assumes nomen Dei tui in vanum. *Tertium pertinet ad cor: Quia in sanctificatione Sabbati, secundùm quod est morale præceptum, præcipitur quies cordis in Deum. Vel, secundùm Augustinum, per primum præceptum reveremur unitatem primi Principii: Per secundum, veritatem divinam: Per tertium, ejus bonitatem; quâ sanctificamur, & in quâ quiescimus sicut in fine.*

AR-

## ARTICULUS II.

### Explicatio Decalogi.

### §. I.

#### *Praeceptum I.*

I. Decalogus *Exodi* 20. legitur, *Deuteronomii* 5. repetitur, in Novo Testamento passim vel a Christo ipso vel ab Apostolis explicatur. His verbis incipit, quæ Legis rationem non habent, sed præfationis ad Legem, quæ Legislatoris majestatem, auctoritatem, beneficia in eos, quibus Lex fertur, collata ponit ob oculos: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de Domo servitutis.* Primum præceptum his verbis conceptum est: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles.* Hoc præcepto prohibetur ne falsis Diis, aut ulli omnino creaturæ, sive astris aut elementis, sive animalibus, sive hominibus, aut Angelis divinus honos habeatur, omnesque Idololatriæ ritus, omnia superstitionum genera vetantur. At religiosum Angelorum, vel sanctorum hominum Deo post mortem fruentium cultum hoc præcepto interdici perperam contendunt Protestantes, quos *Grotius* vir eruditus, nec ipsis invisus, refellit Commentario in *Exodum* Cap. 20. *De animalibus*, inquit, *multo magis dicendum, quod de stellis diximus, cùm ad preces surda sint, neque libertate eligendi sint prædita, falsò iis Deorum imponi nomen. Non potest idem dici de Angelis, qui & intelligere preces possunt, & beneficia ex animi quadam libertate præstare. Hos ergo qui honore prosequitur aliquo, qui etiam aliquid eorum beneficio se sperat posse consequi, non peccat in hanc Legem, sed is demum qui eis ea tribuit, quæ summo Deo sunt propria. Exempla rem illustrabunt. Non peccarunt, qui Angelos, quoties ipsi conspicui apparuere, venerati sunt procumbendo, ut Josuë 5. 14. Quippe cùm & Prophetis idem honos exhibitus sit sine peccato, ut ei qui putabatur Samuël, 1. Samuëlis 28. 15. Eliæ, 2. Regum 1. 13. Danielis 2. 46. Qui munus & libamina vetat, reverentiæ signum non vetat, ut ibi notatum a Josepho Jachiade. Nam quòd in Apocalypsi Angelus eum honorem a se amovet, non inde venit, quòd in eo esset quid illiciti; sed Apostolum sibi æquat Angelus, quod ambo Christi jam Angelorum Capitis Ministri essent; & Apostolica Legatio ad hominum salutem comparata nullâ parte Angelicâ esset inferior. Non solent autem pares inter se ista submissionis signa usurpare. Est autem hæc illius loci explicatio non nova, sed ab Ambrosio & Gregorio Magno tradita. Origines 8. adversùs Celsum concedit* θεραπεύειν veneratione honorari *posse Angelos, si modò repurgetur ejus vocis significatio; Neque peccaturum putem, si quis Angeli sibi apparentis commendationem apud Deum imploret, quò Maimonides trahit ea, quæ apud Jobum leguntur 33. 23. quicum consentit, quòd Philo sæpè* Angelos mediatores *vocat.* Addit *Grotius*: Aliis modis in Angelorum honore peccari posse. *Primùm si ea illis venerationis signa exhibeantur, quæ consensus gentium divini cultûs esse propria voluit, puta sacrificium, libamen, suffitus. Vide Judicum 13. 16. & confer eum quem modò dixi Danielis locum. Deinde si per eos vota aut juramenta faciamus; ab eis ea poscamus, quæ a Deo solo, aut in Novo Fœdere a Deo & Christo peti debent, qualia sunt remissio peccatorum, Spiritus Sanctus, vita æterna.* Pertinet huc *Origenis* locus adversùs *Celsum* Lib. 1. *Videamus autem quomodo calumnietur Judæos is qui omnia se nosse prædicat Celsus, dicens eos Angelorum esse cultores, & deditos præstigiis, quas a Mose didicerint. Ubi enim in Mosis Libris invenit, illum Legum Conditorem præcepisse Angelos coli? Hoc nobis dicat is qui jactat se cuncta nosse & Judæorum, & Christianorum.*

*Sacrarum Imaginum veneratio primo Decalogi præcepto non est probibita.*

II. Quod in eodem præcepto subjungitur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c.* Sola spectat Idola, seu falsorum Deorum imagines: Unde Græcus Textus habet, Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλα. Quam interpretationem Veteres Patres secuti sunt, ex eodem *Exodi* Capite Vers. 23. depromptam: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Et *Levitici* 19. Vers. 4. *Nolite converti ad Idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis.* Confer Psalmum 113. 4. & seq. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, &c. Similes fiant eis qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Sapientiæ 14. 1. *Alius navigare cogitans, ligno portante se fragilius lignum invocat.* 8. *Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: Quia ille quidem operatus est: Illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est.* 12. *Initium fornicationis est exquisitio Idolorum, & adinventio illorum corruptio vitæ est.* 15. *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniquâ consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta.* 21. *Et hæc fuit vita humanæ deceptio: Quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines, incommunicabile Nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* 1. ad Corinthios 8. 4. 5. 6. *De escis autem quæ Idolis immolantur, scimus quia nihil est Idolum in mundo, & quòd nullus est Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicuntur Dii, sive in cælo, sive in terrâ: (Siquidem sunt Dii multi, & Domini multi;) Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et Cap. 10. 14. & seq. *Propter quod, charissimi mihi, fugite ab Idolorum culturâ. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Israël secundùm carnem: Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Quid ergo? Dico quòd Idolis immolatum sit aliquid? Aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, Demoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum. Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Non igitur de quibusvis imaginibus loquitur Deus hanc Legem hominibus ferens: *Non facies tibi sculptile*: Nam in Templi ipso penetrali locari jussit Cherubinos, alatas humano vultu effigies: eo in loco quo solus Pontifex Maximus semel in anno intrabat, gnarus non inesse illis divini aliquid: Sed significari, aut celerrimas Dei actiones in beneficando bonis & in puniendo malos, ut *Philo* censet: Aut quòd Angelorum ad quæcumque vult paratissimo ministerio Deus utatur, ut *Moses Maimonides*, aliique censent. Sed imagines falsorum Numinum Deus zelo-

lotes prohibet, imagines ethnico ritu consecratas, in quas vim aliquam divinam deduci, & ipsâ consecratione includi existimabant. De quibus *Tertullianus* ait Lib. De Idololatriâ: *Rapere ad se Dæmonia & omnem Spiritum immundum per consecrationis obligamentum*. S. Cyprianus Lib. De Idolorum Vanitate: *Hi ergo Spiritus sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt: Hi afflatu suo Vatum pectora adspirant*. Arnobius Lib.6. *Quin imo Deos esse sigillaria ipsa censetis, nec præter hac quicquam vim creditis habere divinam*. Et post: *In simulacris præsto sunt atque habitant Dii sui*. Ab his quantùm distent Sanctorum Imagines, nemo non videt suis non præoccupatus præjudiciis: In iis enim virtutem aliquam divinam inesse Catholici non credunt, non spem in eis collocant, non ipsas honoribus uni Deo debitis prosequuntur, ut docet Tridentina Synodus.

III. At (inquies) non tantùm Hebræis vetitum est rerum quarumvis creatarum imaginibus summum cultum exhibere, his verbis: *Non adorabis ea, neque coles:* Sed ne facere quidem ulla simulacra permissum est. *Deuteronomii* 4. 16. Insuper aboleri jussa. *Exodi* 34. 13. *Numerorum* 33. 52. *Deuteronomii* 7. 5. Cùm *Pilatus* nocte intempestâ opertas Imagines Cæsaris Hierosolymam intulisset, res ingentem inter Judæos tumultum excitavit, *Quasi jam profanatas Leges suas viderent. Nullum enim fas esse collocari in Urbe simulacrum* conclamabant. Ad querelam autem eorum qui in Civitate erant, subitò etiam ex agris multitudo confluxit. Euntes autem illicò Cæsaream ad *Pilatum* supplices deprecabantur, *Ut ab Hierosolymis auferrentur Imagines, & eis Jura patria servarentur*. Plato autem supplicum preces repellente, circa domum ejus proni corruerunt, & immobiles quinque diebus continuis, noctibusque mansere. Cumque *Pilatus* armato Milite, Judæis triplici acie circumdatis denuntiaret, trucidaturum se omnes, nisi Imagines Cæsaris susciperent, illi quasi uno consilio omnes subitò corruerunt, & cervices nudatas excipiendis ictibus pararunt, vociferati, *Universos se interfici magis velle, quàm Legem profanari*. Tunc *Pilatus* studia Populi circa Religionem demiratus, statuas jussit auferri. Ita refert *Josephus* Lib.2. *De Bello Judaico*, Cap.8. Simile quid sub *Petronio* Præside contigisse refert Cap.9. & Judæos respondisse: *Ne Dei quidem simulacrum, nedum hominis, non solùm in Templo, sed neque in profano aliquo totius regionis loco, fas sibi esse locare: Pro Cæsare quidem & Populo Romano se per dies singulos offerre Sacrificia: Si autem in Templo imagines æstimet collocandas, debere eum totam Judæorum gentem priùs immolare: Præbere se quippè jugulos cum mulieribus & parvulis, ei qui interficere voluisset*. Atque hoc pacto perduratum est per quadraginta dies continuos, neglectis interim agriculturæ operibus, cùm sementis essent tempora: Certissimum quippe illis erat propositum mortem oppetendi, potiùs quàm *Caji Cæsaris* statuam admittendi. Legatur Cap. 11. Lib.18. *Antiquitatum*, ubi hanc historiam prolixè refert. Idem Auctor Cap.7. narrat, *Vitellio* ad Bellum Arabicum festinanti, & per Judæam Exercitum ducere volenti, occurrisse ejus regionis Principes deprecantes transitum. *Neque enim patrios Ritus permittere ut inferantur ullæ Imagines, quales Romana signa habebant pleraque*. Aliqua etiam aurea supra portam Templi ab *Herode* posita, tanquam Legi repugnans dejecta est, ut narrat idem Historicus Lib.17. *Antiq.* Cap.8. Judæos Imaginum usum respuisse, testantur etiam *Diodorus Siculus, Strabo, Dio Cassius, Cornelius Tacitus*.

IV. Verùm quæcumque fuerit Judæorum de hisce divini præcepti verbis, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c.* sententia: non concessero omnem qualiumcumque Imaginum usum notatis Scripturæ locis prohiberi, sed earum quæ ita dedicantur, ut ipsis, vel creaturis quas repræsentant, divinus tribuatur honos. Unde subjungitur: *Non adorabis ea, neque coles*. Hic sensus loci ex *Deuteronomii* Cap.4. laudati. *Non vidistis aliquam similitudinem, in die quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, atque reptilium, quæ moventur in terrâ, sive piscium, qui sub terrâ morantur in aquis: Ne fortè elevatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia Astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis Gentibus, quæ sub cælo sunt*. Idem est aliorum locorum sensus. Exodi 34. 12. 13. *Cave ne umquam cum habitatoribus Terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide; Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator*. Numerorum 33. 52. *Confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia Excelsa vastate, mundantes Terram, & habitantes in eâ*. Deuteronomii 7. 5. *Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite. Quia Populus Sanctus es Domino Deo tuo*. Et Cap. 12. 2. 3. *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: Disperdite nomina eorum de locis illis*. Non mirum autem quòd Judæi statuas Imperatorum recipere abnuerent, quæ ritu ethnico dedicabantur, & divinis honoribus colebantur. Unde *Josephus* Lib. 18. *Antiquitatum* Cap. 10. scribit: *Apion verò Alexandrinorum Legationis Princeps multa in Judæos jactavit crimina, interque cætera, quòd Cæsarem non prosequerentur debitis honoribus. Nam cùm, quà latè patet orbis Romanus, Cajo extruantur Templa & Altaria, & pari honore colatur cum cæteris Numinibus, solos istos turpe putare dedicare illi statuas, aut jurare per nomen Cæsaris*. Cap. 9. *Cajus porrò indignè ferens a solis Judæis ita se despici, Legatum in Syriam mittit Petronium successurum Vitellio, jubetque ut cum valido Exercitu invadat Judæam, & si sponte id admittant, statuam ejus in Templo Dei collocet. Quod si detrectent, bello devictos imperata facere adigat*. Et Lib. 2. *De Bello Judaico* Cap. 9. *Cajus verò Cæsar in tantum contumeliosè abusus est fortunâ, ut etiam & Deum se putaret, & vellet vocari... Petronium denique cum Exercitu Hierosolymam misit, præcipiens ut in Templo statuas ejus locaret*.

V. Quòd si quis pertinaciter contendat Imagines quascumque hoc præcepto Judæis prohibitas, etiamsi divinis honoribus non colerentur, suam illi permittimus opinionem, modò fateatur ceremoniale hoc præceptum fuisse, quatenus imaginum quarumvis usum vetat; morale quatenus idola, & idololatriam prohibet. Posteriori isto respectu omnes omnino homines, quovis tempore & loco obligare; priori respectu solos Judæos, sicut præceptum de observantiâ Sabbati. Doctrina est *S.Thomæ* Primâ Secundæ, Quæstione centesimâ, Articulo 7. in Responsione ad secundum. *Illa præcepta*, inquit, *quæ sunt purè moralia, habent manifestam rationem: Unde non oportuit quòd in eis aliqua ratio adderetur. Sed quibusdam præceptis additur ceremoniale determinati-*

*tivum præcepti moralis communis, sicut in primo præcepto*, Non facies sculptile; *& in tertio præcepto determinantur dies Sabbati. Et ideo utrobique oportuit rationem assignari.* Eadem mens fuit *Grotii*, viri inter Scriptores Heterodoxos eruditi, Commentario in 20. Cap. Exodi. *Ut ad Christianos veniam*, inquit, *illi nec aliis Hebræorum Legibus indeterminatè obligatos se credidere, nec illâ de non habendis formis sculptilibus animantium. Nam & Imperatorum, & virorum eruditorum tales Imagines passim extitere. Incisis verò aut pictis figuris, ut quæ nec Hebrais sine discrimine interdicta erant, usi sunt etiam liberiùs, ut nos docet memorata Tertulliano figura Pastoris in Calice. Imò ne Christi quidem figurâ abstentum, postquàm Imperatores Christiani fuere.*

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum, Clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.

*Ait Prudentius Lib. 1. contra Symmachum; Qui & in monumentis Martyrum expressam eorum quæ pertulerant Imaginem fuisse, in passione Cassiani nos docet. In Ecclesias tamen diu nec picturas admissas, ex Eliberino Canone, & decantato illo Epiphanii facto apparet. Imagines exstantes seriùs etiam in Ecclesias admissa, nec sine multorum renisu, non quasi Lege vetita, sed quia errori ansam dare existimabantur, quæ ratio manente adhuc Paganismo non levis momenti erat.* Et infra: *Præcepto*, inquit *de non flectendo apud Imagines corpore indistinctè se obligari non credidere Christiani veteres, sed tantùm quatenus in testimonio habiti honoris apud Imaginem inerat falsi Numinis veneratio, quæ per se & omni modo mala est. In precationum verò locis, an rectum esset in honorem aut Christi, aut Sanctorum, coram eorum Imaginibus flectere corpora, quod* χετικὴν προσκυνησιν, *id est signum amoris & reverentiæ erga viros sanctimoniâ eminentes Græci vocant, disputatum diu, nec sine seditionibus in Oriente. Germaniæ & Galliæ diu visum id malo aut mali specie non carere, ut ex Francofurtensi & Parisiensi Synodis, quæ Caroli Magni, liberorumque ejus temporibus habita sunt, apparet. Notandum tamen in illis Synodis tractatos inclementiùs Græcos, quod Occidentales Episcopi sententiam Græcorum expressam in Nicænâ Synodo II. in duriorem partem quàm ipsa per se erat interpretarentur, decepti scilicet Actis Nicænæ illius Synodi in Latinum sermonem adeò non fideliter versis, ut interdum sensum Græco contrarium exhiberent, quod cùm alibi observari potest, tum vel maximè in iis quæ de Imaginibus dixerat Constantius Constantiæ Cypri Episcopus.* Hæc *Grotius*. Quæ a *Spanhemio*, aliisque recentioribus *Iconomachis*, qui nobis velut Imaginariis Hominibus insultant, considerari velim.

*Cultus Moloch prohibitus* VI. Ad I. Præceptum Decalogi revocatur lex cultum *Molochi* prohibens, Levitici 18. 21. *De semine tuo non dabis ut consecretur Idolo Moloch, nec polluet nomen Dei tui.* 20. 2. *Homo de filiis Israël, & de advenis qui habitant in Israël, si quis dederit de semine suo Idolo Moloch, morte moriatur: Populus terræ lapidabit eum, &c.* Quisnam e falsis Diis fuerit *Moloch*, inter Eruditos non

*Moloch quis Deus apud Ethnicos?* convenit. Quidam *Saturnum* fuisse conjiciunt, ut *Seldenus Syntagmate* 1. *De Diis Syris*, Cap. 6. & *Grotius Annotationibus in Cap.* 18. *Deuteronomii.* Alii *Mortem*, ut *Kircherus Oedipi Ægyptiaci Syntagmate* 4. Cap. 15. Nonnulli *Mercurium*, ut *Arias Montanus* in *Amos* Cap. 1. Hi *Venerem*, sive *Luciferum*, quibus favere videtur *S. Cyrillus Alexandrinus*, Comment. in *Amos* Vers. 25. Illi peculiare aliquod Ammonitarum Numen aut Idolum, cujus nomen vetustas temporis abolevit. *Molochi* nomine intelligunt, ut *Sanctius* in *Actuum* 7. Alii aliquem inter Reges antiquos eximium, & qui antonomasticè Rex dici meruit (*Moloch* enim Regium quid Orientalium linguis plerisque sonat) hoc nomine denotari volunt. *Spencerus* Lib. 2. *De Legibus Ritualibus Hebræorum* Cap. 10. ubi aliorum conjecturas expendit, putat *Moloch* nomen Diis omnibus commune fuisse, sub quo Gentes quandoque Dæmonem aut Heroëm aliquem famosiorem, sæpiùs autem Solem in symbolo vel simulacro aliquo coluerunt. Id ex eo probat, quòd *Moloch* & *Baal*, nomen Diis omnibus commune, promiscuè usurpentur, *Jerem.* 19. 5. & 32. 35. Ut ut est, Idololatræ antiqui liberos suos in honorem *Molochi* velut holocausta igni consumendos tradebant, vel certè igne lustrandos & expiandos. Conferantur loca *Jeremiæ* 19. 5. & 32. 35. in quorum primo Deus ita loquitur: *Et ædificaverunt Excelsa Baalim, ad comburendum filios suos igni in holocaustum Baalim: Quæ non præcepi.* In posteriori verò: *Et ædificaverunt Excelsa Baal, quæ sunt in Valle filii Ennon, ut initiarent filios suos & filias suas Moloch, quod non mandavi eis.* Liberorum immolationem in falsorum Nu- *Liberorum*
minum honorem Dæmones ab Ethnicis exegisse, *immolatio,*
& in immane illud idololatriæ genus Judæos ali- *in honorem*
quando Gentilium exemplo pertraxisse, constat *Moloch.*
ex Psalmo 105. 37. 38. *Et immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Hujusmodi sacrificiis Deos suos maximè se demereri, placare, demulcere, cæca Gentilitas arbitrabatur. Id confirmat *Philo Byblius* ex *Sanchuniathone*, in Phœnicum Historiâ, apud *Eusebium Lib.* 4. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 16. *Apud Veteres*, inquit, *in more positum erat, ut summis Reipublicæ calamitatibus, penes quos aut civitatis, aut gentis imperium esset, ii liberorum suorum charissimi, ultoribus Dæmonibus jugulati, sanguine quasi pretio, publicum exitium interitumque redimerent. Qui verò tum ad Sacrificium devovebantur, eos mysticis quibusdam ceremoniis jugulabant, &c.* Idem confirmat *Porphyrius* Lib. 2. *De Abstinentiâ*, cujus insigne eam in rem fragmentum idem *Eusebius* ibidem describit. Idem *Clemens Alexandrinus in cohortatione ad Gentes*, cujus etiam verba idem Auctor exhibet. Idem probat *Eusebius* ex *Dionysio Halicarnassensi*, & *Diodoro Siculo* Lib. 20. Idem ex *Pescennio Festo* in Lib. Historiarum refert *Lactantius* Lib. 1. c. 31. Immanis illius superstitionis morem apud Afros invaluisse pariter testantur *Tertullianus in Scorpiaco*, *Minutius Felix in Octavio*, *S. Augustinus Lib.* 7. *De Civitate Dei*, Cap. 19. Idemque de Carthaginensibus commemorant *Plato in Minoë*, *Justinus* ex *Trogo Pompejo* Lib. 18. *Silius Italicus*, & alii Scriptores profani. De atrocibus illis sacrificiis *Plutarchus* Lib. *De Superstitione* ita scribit: *Nonne utilius erat Carthaginensibus jam inde ab initio, Critiâ vel Diagorâ ad condendas Leges adhibito, decernere nullum esse Deum, nullum Gentium, quàm talia sacra facere, quibus illi Saturno operabantur? Ubi non, ut Empedocles ait, reprehendens eos qui animalia sacrificant:*

*Mutatâ genitor jugulans sua Pignora formâ*
*Immolat, & vanis stultus ferit aëra votis.*

*Sed scientes prudentesque suos ipsi liberos sacrificabant: & quibus nulla erat proles, ii a pauperibus infantes tanquam agnos aut pullos avium ad eam rem emebant. Adstabatque mater sine luctu aut gemitu, quem si ederet aut fleret, pretio mulctabatur, & infans nihilominus mactabatur: & ante simulacrum omnia strepitu fistularum tympanorumque*

que

*que opplebantur, ne ejulatus mactati exaudiri posset.* Vallem *Tophet*, ubi Judæi filios immolabant, nomen a tympanis accepisse, viri docti censent; quòd immanis sacrificii tempore locus tympanis totus perstreperet, ut tristes ejulatus infantis supprimeretur. Feralia illa Sacrificia Deus prohibet his verbis: *De semine tuo non dabis ut consecretur Idolo Moloch.*

*Lustratio filiorum per ignem.*

VII. Prohibet etiam Lustrationem flammâ piaculari factam, quâ veteres Idololatræ liberos suos per ignem traducentes, *Molocho* initiabant, & ejus cultui solemniter consecrabant. Deuteronomii 18. 9. 10. *Quando ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum Gentium. Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem.* De *Achaz* Rege Juda scriptum est 4. Regum 16. 3. *Insuper & filium suum consecravit, transferens per ignem, secundùm Idola Gentium.* Quem locum expendens *Theodoretus Quæstione* 47. *in Lib.*4. *Regum*, hæc habet: *Josephus quidem dixit, ipsum unum ex filiis suis obtulisse holocaustum Baali. Ego autem existimo id quod dicitur, tacitè significare genus erroris, quod ad nos usque pervenit. Vidi enim in aliquibus civitatibus semel in anno accendi rogos in plateis, & trans eos saltare aliquos, non solùm pueros, sed etiam viros: Infantes autem per flammam ferri a matribus. Videbatur autem istud quadam esse expiatio & purgatio. Existimo autem hoc quoque fuisse Achaz peccatum.* Summum consensum inter verba *Theodoreti*, & Gentium omnium ritûs hujusce profani reliquias retinentium, mores, facilè percipiet, quisquis *Varronem* audiet ab *Homeri* Scholiaste laudatum: *Palilia* ( inquit ) *tam privata quàm publica sunt apud Rusticos, ut cum fœno conjectis stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus expiari se credentes.* Huc referenda illa *Ovidii* Lib.4. Fastorum.

*Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos,*
*Trajicias celeri strenua membra pede.*

Hinc orta Christianorum quorumdam, qui Gentilismum nondum penitus exuissent, antiqua superstitio, qui in Noviluniis ingentes rogos accendere, & flammam transilire solebant: Quem ritum damnat Trullana Synodus Canone 45. Superstitionis hujus apud Ethnicos originem indigitat *Maimonides* in *More Nevochim* P.3. Cap.37. *Notum est* ( inquit ) *in genere, ex naturâ hominum, quòd nihil æquè timeant & horreant, ac facultatum, & liberorum suorum amissionem. Ideo publicarunt & sparserunt cultores Ignis, omnes ejus liberos morituros, qui filium aut filiam suam per ignem non traduxerit.*

*Tonsio capitis in orbem, carnis incisio & stigmata, ex superstitiosis Ethnicorum Moribus, divinâ Lege prohibita.*

VIII. Ad primum Decalogi præceptum pariter revocatur Lex illa, quâ tonsio capitis in orbem, carnis incisio, & stigmata prohibentur, Levitici 19. 27. 28. *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus.* Ethnicis in more erat capillitium in orbem tondere, cincinno in occipitio aut vertice relicto, eoque Soli vel Saturno solemniter consecrato. Hanc tonsuræ formam apud Arabes antiquos obtinuisse Auctor est *Herodotus*. Nam de *Macis* Arabiæ Populo verba faciens Lib.4. Cap.175. ait: *Summum capitis verticem radunt, in medio capillos crescere sinentes, hinc atque hinc in orbem tondentes.* Hanc tonsuræ formam Arabes in *Dionysi* seu *Bacchi* honorem, & ad ejus imitationem præ se tulisse scribit Lib.3. Cap.8. *Et quemadmodùm Dionysum, ita puellarum capillum tondere ajunt. Tondentur autem in rotundum, tempora subradentes.* Superstitiosam itaque tonsuræ formam, in Solis, aut Saturni, aut *Bacchi* honorem ab Ethnicis usurpatam, Deum hac lege prohibuisse censent *Tirinus*, & *Bonfrerius* in Commentariis; *Heinsius*, *Aristarchi Sacri*, Cap.4. *Bochartus Geographia Sacra* P.1. Lib. 1. Cap.6. *Grotius Annotationibus in Leviticum.* Alii probabiliùs putant Deum hac lege, non simpliciter orbicularem, quam Judæis in moribus fuisse constat ex *Josepho* Lib.1. contra Apionem, *Chœrili* Poetæ perantiqui carmina in hujus rei fidem proferente, sed extraordinariam tonsuram, in mortuorum exequiis animo & ritu superstitioso usurpari solitam, ut scilicet capillis in defunctorum busta, loculos, aut sepulcra, vel cadavera injectis Deos manes propitiarent, prohibuisse. Superstitiosi istius ritûs meminit *Seneca* Tragœdus in *Phædro Act.*5. *Scen.*1.

*Placemus umbras, capitis exuvias cape,*
*Laceræque frontis accipe abscissam comam.*

*Statius*, *Thebaidos* 6. de patre *Archemori* mortuum filium lugente canit:

——— *Tergoque & pectore fusam*
*Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis*
*Obnubit tenuia ora comis.*

Hunc itaque Ritum Deum hac Lege prohibere, contendit *Spencerus* Lib.2. *De Legibus Ritualibus* Hebræorum, Cap.12. idque probat cùm ex versu proximè sequenti: *Et super mortuo non incidetis carnem vestram*, id est, *propter mortuum*, vel *pro mortuo*, quibus verbis patet ritus superstitiosos ab Ethnicis in suorum funeribus usurpatos Deum hîc prohibere: Tum ex locis parallelis, Deuteronomii 14. 1. *Filii estote Domini Dei vestri: Non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo.* Et Levitici 21. 1. 5. *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum*, &c. *Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.* Favet huic expositioni *Theodoretus* Quæstione 13. in Deuteronomium. *Per ista* ( inquit ) Non facietis calvitium in medio oculorum vestrorum super mortuo, *luctum immodicum prohibet. Quidam enim extranearum gentium pilos capitis abradebant, & eos offerebant mortuis, alii pilos barbæ, alii superciliorum. Lex divina prohibuit ista fieri.*

IX. Carnis etiam incisionem *super mortuo* Deus prohibuit, Ethnicam videlicet superstitionem, in funeribus frequentari solitam. Ethnicis enim in more erat juxta defuncti rogum, loculum, aut cadaver carnes incidere, genas ungue fœdare, quandoque membrum aliquod abscindere, quòd absurdè crederent cruentos illos ritus Diis Manibus acceptos, aut amicis defunctis aliquid solatii allaturos. Ethnicos ita censuisse testatur *Servius* in illud *Æneidos* 3.

——— *flavos Lavinia crines,*
*Et roseas laniata genas:*

Ubi ita commentatur: *Varro dicit Mulieres in exequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut ostenso sanguine Inferis satisfacerent.* Idem testatur *Plutarchus* Libr. *De Consolatione* ad *Apoll.* his verbis. *Quidam Barbarorum, etiam corpora sua, auribus, aliisve partibus amputandis, fœdant; se nonnibil gratificari defunctis credentes, cùm in hoc genere mediocritatem a naturâ constitutam excedunt.* Sed quid extranea testimonia congerere opus est, ubi domestica suppetunt ex Scripturis Sacris petita? Jeremiæ 16. 6. *Et morientur grandes & parvi in terrâ istâ: Non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque calvitium fiet pro eis.* In quæ verba *S. Hieronymus* hæc habet: *Mos fuit apud Veteres, & in quibusdam permanet Judæorum usque hodie, ut in luctibus incidant lacertos, & calvitium faciant.* Nec solùm in funeribus, sed & in Sacris splendidioribus.

car-

carnis incisione velut ritu religioso Gentiles plurimùm utebantur; quod de Sacerdotibus & Prophetis *Baal* testatur Auctor Sacer Libri 3. Regum Cap. 18. 28. *Clamabant ergo voce magnâ, & incidebant se juxta Ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Id confirmant *Osee* verba Cap. 7. 14. secundùm Versionem Græcam: *Ululabant in cubilibus suis, super tritico, & vino dissecabantur.* Quæ verba ita commentatur Theodoretus: *Reprehendit quæ Idolorum causâ agebantur. Nam cùm promissam Patribus suis terram suscepissent, hanc enim vocavit cubile, ut quæ eos a laboribus in deserto susceptis refecisset, gentilia sacra peregerunt, & bonorum meorum deliciis diffluentes, in Idolorum Templis, quas appellant* ἐντομίδας *γ, Incisuras, γ suis corporibus admoverunt.* De eodem Ritu *Minutius Felix* in Octavio: *Qui sanguine suo libat, & vulneribus suis supplicat, num prophanus meliùs esset, quàm sic religiosus?* Hanc superstitionem Deus lege latâ prohibuit.

X. Stigmata denique eâdem lege vetuit, seu ordinaria, quibus Ethnici falsis Numinibus & Dæmonibus solemniter se devovebant ac mancipabant, eorum nomen, insigne, vel notam hieroglyficam acubus ignitis, vel typis & characteribus candentibus, fronti, manui, vel alteri corporis parti inurentes; seu extraordinaria, quibus in suorum funeribus se compungebant, vel ut amorem suum erga defunctum planè singularem testarentur, vel ut Deos Inferos, & defuncti Manes placarent. De priori illo stigmatum genere *Philo Judæus* Lib. 1. *De Monarchiâ* hæc habet: *Non desunt quidam prolapsi eò insania, ut ne receptum quidem ad pœnitentiam sibi reliquum faciant, ad cultum simulacrorum præcipites, confirmantes eam servitutem literis, non in chartulâ scriptis, sicut mos est mancipiorum, sed inustis in corpus ferro ignito, ne deleri queant postea: Nam hæ non obscurantur ullo tempore.* De his *Lucianus* Lib. *De Deâ Syriâ*, sermonem faciens de Ministris Deæ consecratis: *Certis notis*, inquit, *compunguntur omnes: Alii quidem in volâ manûs, alii autem in cervice. Et inde est quòd omnes Assyrii notis inscripti prodeant.* De his *Theodoretus* Quæstione 28. in Leviticum: *Aliquas etiam corporis partes acubus compungebant, & atramentum immittebant in reverentiam Dæmonum. Hæc igitur divina Lex interdicit.* De his *Prudentius* Lib. Περὶ Στεφάνων, de execrabili Sacerdotum *Cybeles* Inauguratione agens:

> *Quid cùm sacrandus accipit sphragitidas?*
> *Acus minutas ingerunt fornacibus:*
> *His membra pergunt urere: Utque igniverint,*
> *Quamcumque partem corporis fervens nota*
> *Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.*

De his *Primasius Commentario in Epistolam ad Romanos* Cap. 1. ad Vers. 14. de contumeliis agens, quibus Idololatræ corpora sua afficiebant: *Sibi* [inquit,] *characteres & ultiones infligunt in consecrationibus Idolorum.* Auctor *Traditionum Hebraicarum in Paralipomena* S. Hieronymi nomine insignitus, Regem *Joachim* hac superstitione contaminatum fuisse, & in defuncti corpore notas Idolorum inventas asserit, ductâ ex his verbis Libro 2. Cap. 36. 8. conjecturâ: *Reliqua autem verborum Joachim, & abominationum ejus, quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro Regum Juda & Israël.* De hisce stigmatibus intelligendum est *S. Joannes* Apocalypsis 13. 16. *Et faciet omnes pusillos & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos, habere characterem in dexterâ manu suâ, aut in frontibus suis. Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ: aut numerum nominis ejus.* De altero stigmatum genere, extraordinario scilicet ac funebri *Aben-Ezra* in *Levitici* 19. 28. hæc habet: *Est aliquis qui signat corpus suum figurâ aliquâ certâ per ignem, & quidem ob mortuum.* Lege *Bonfrerium* aliosque Commentatores in eumdem locum, & *Joannem Spencerum* de his prolixè & eruditè disserentem Lib. 2. *De Legibus Hebræorum Ritualibus* Cap. 12. 13. 14.

*Superstitionum omne genus primo Decalogi præcepto prohibitum.*

XI. Prohibentur etiam primo Decalogi præcepto divinationes, auguria, incantationes, somniorum observationes, maleficia, Pythonum & Divinorum consultationes, Necromantia, superstitionum omne genus: De quibus expressa Lex Deuteronomii 18. 10. & seq. *Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: Aut qui Ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria, nec sit Maleficus, nec Incantator, nec qui Pythones consulat, nec Divinos, aut quærat a Mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Vide & *Levitici* 19. 26. 31.

*Pœna in Idololatras divinâ Lege statuta.*

XII. Idololatras lapidibus obrui Deus decrevit Lege latâ, Deuteronomii 17. 2. *Cùm reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius; ut vadant & serviant Diis alienis, & adorent eos, Solem & Lunam, & omnem Militiam cœli, quæ non præcepi: & hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israël: Educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur.* Eadem pœna adversùs eos constituta est, qui aliquem a veri Dei cultu ad Idololatriam abstrahere voluerint, Cap. 13. Deuteronomii Vers. 6. & seq. *Si tibi voluerint persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, & serviamus Diis alienis, quos ignoras tu & patres tui ... Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis & occultes eum, sed statim interficies: Sit primùm manus tua super eum, & postea omnis Populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo.*

*Si audieris in unâ urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filii Belial de medio tui, & averterunt habitatores Urbis suæ, atque dixerunt. Eamus, & serviamus Diis alienis, quos ignoratis: Quære sollicitè & diligenter, rei veritate perspectâ, si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores Urbis illius in ore gladii, & delebis eam, ac omnia quæ in illâ sunt, usque ad pecora. Quicquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipsâ civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus. Non ædificabitur ampliùs.*

*Pœna capitalis adversùs Pythones, Divinos, & maleficos omnes, Mosaicâ Lege constituta.*

Exodi 22. 20. *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli.*

Pœna etiam capitalis adversus Pythones & Divinos Mosaicâ Lege constituta est; Levitici 20. 27. *Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur. Lapidibus obruent eos: Sanguis eorum sit super illos.*

Idem in Maleficos omnes. Exodi 22. 18. *Maleficos non patieris vivere.*

*Amor Dei super omnia Judæis in Veteri Lege præceptus.*

XIII. Amor Dei super omnia Judæis non minùs præceptus erat in Lege Veteri quàm Christianis in Novâ; Neque ab antiquis, uti nec a no-

nobis coli poterat Deus, uti primo Decalogi præcepto mandatum est, nisi amando. [ Deuteronomii 6. 5. ] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ.* Matthæi 22. 35. & seq. Interrogavit Christum unus ex Pharisæis Legis Doctor, tentans eum: *Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Hoc est maximum & primum mandatum.* Lucæ 10. 25. *Et ecce quidam Legis Peritus surrexit tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quod scriptum est, quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ: & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi: Rectè respondisti: Hoc fac, & vives.* Confer cum *Marci* 12. 29. 30. Errant autem graviter, qui præceptum hoc satis impleri putant, si factis externis Lex non violetur. His enim verbis actus etiam internus præcipi certissimum est, conjunctim tamen cum externis.

---

## §. II.

*Praeceptum II. Decalogi.*

I. SEcundum præceptum Decalogi his verbis conceptum est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim insontem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui, frustra.* Exodi 20. 7. & Deuteronomii Vers. 10. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra. Quia non erit impunitus, qui super re vanâ nomen ejus assumpserit.* Assumere nomen Dei *in vanum* est illud usurpare ad confirmandum mendacium, temerè vel in re levi. Hoc præcepto præcipuè prohibetur perjurium, quod expressius vetitum est Levitici 19. 12. *Non perjurabis in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui, ego Dominus.*

Rarò jurandum, ne juramentis assuescendo, pejeres. Ecclesiastici 23. 9. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illâ: Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admisceaeris: Quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assiduè, a livore non minuitur: Sic omnis jurans & nominans in toto a peccato non purgabitur. Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulaverit, delinquit dupliciter: & si in vacuum juraverit, non justificabitur. Replebitur enim retributione domus illius.* Et Cap. 27. 15. *Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet: & irreverentia ipsius obturatio aurium.*

Nusquam falsò, leviter ac temerè, vel ad patrocinandum injustæ causæ, jurandum est. Jeremiæ 4. 2. *Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitiâ.* Formula Jurisjurandi hæc erit: *Vivit Dominus*: Non, vivit Baal, aut quodvis aliud falsum Numen. Exodi 23. 13. *Et per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Hac de causâ Judæi Alexandrini recusabant *Caji Cæsaris nomen jurando usurpare*, ut *Josephus* narrat, quia nomen suum ut Dei in jurejurando *Cajus* usurpari volebat. Ideo Christianos sui temporis reprehendit *Tertullianus*, qui aut ignorantiâ, aut consuetudinis vitio dicerent, *Mehercule*, *Medius-fidius*. Narrat *Tertullianus* in Apologetico, Christianos non jurasse ut cæteros *per Genium Principis*, quod jusjurandum *S. Polycarpo* delatum, & ab eo recusatum legimus; meritò, quia isti voci inerat falsi Numinis sensus. Sed Christianos jurasse *Per salutem Principis omnibus Geniis augustiorem*, testatur ibidem *Tertullianus*. Per *fortunam*, aut *Genium Imperatoris* jurare nefas etiam esse docet *Origenes Lib. 8. contra Celsum*. Per salutem Principis jurari posse docet exemplum *Josephi* Genesis 42. jurantis *Per salutem Pharaonis*. More quidem Ægyptiorum, sed quem imitaturus non fuisset vir eximiè pius, si quid in eo irreligiosi esse existimasset.

Nomen Domini in vanum ab eo assumitur, *Qui nomen Dei pronuntiat sine aliquâ ratione aut docendi, aut orandi, aut necessariâ cujuspiam occasionis. Solent enim nonnulli etiam ludentes & ridentes, ut inciderit, reverendum nomen Dei linguâ proferre. Hoc arbitror divinâ lege prohiberi. Si enim consueverunt, multò pretiosiorem vestem diebus festis reservare, multò magis divinum nomen precibus atque docendi officio æquum est conservare.* Verba sunt *Theodoreti Quæstione 41. in Exodum.*

Juramenta omninò implenda, ut & vota Deo nuncupata, cùm promissa juramento firmata facta sunt ab iis qui ad promittendum sunt idonei per ætatem & libertatem, & de rebus honestis in jure & potestate promittentium positis. Numerorum 30. 3. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento: Non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.*

*Judæorum errores circa Juramentum refelluntur.*

II. Judæorum Magistri ita absterrebant homines a facilitate jurandi, ut id tamen ad eas formulas restringerent, quibus directè Deus nominatur: At quominus in usu quotidiano per res minores juraretur, non intercedebant, verbi gratiâ per Parentes, Terram, Solem, Astra, Universum, teste *Philone* Lib. *de Specialibus Legibus*. Docebant præterea ex illis formulis minoribus jurandi pleraque vim obligandi non habere, adeoque non committi perjurium, si juramenta per creaturas facta minimè præstarentur: Ea solum excipiebant, quæ per aurum Templi, vel dona Deo oblata concipiebantur. Ipsorum scilicet avaritiæ & quæstûs intererat dona illa sanctissima haberi, etiam supra Templum ipsum & Altare. Duplicem hunc errorem, pravamque interpretationem Legis Christus in Evangelio refellit. Primum, Matthæi 5. 33. & seq. *Audistis quia dictum est Antiquis: Non perjurabis: Reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino, Neque per cœlum quia Dei thronus est: Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: Neque per Jerosolymam, quia Civitas est Magni Regis: Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non: Quod autem his abundantius est, a Malo est.*

*Juramentum non semper illicitum.*

III. Quod ait Christus: *Ego autem dico vobis non jurare omnino*: non ita intelligendum est, quasi nusquam jurare liceat. Quis enim credat *S. Paulum* præceptum Domini vel non intellexisse, vel temerè violasse? At jusjurandum adhibet suis in Epistolis ad Romanos 1. 9. *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus.* Ad Galatas 1. 20. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* 2. ad Corinthios 11. 31. *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior.* Sed cum aliquo temperamento & exceptione id accipiendum, ut Christianus non facilè juret, non pro re levi, non absque necessitate, sed juramentum caveat quantum potest. Quà etiam interpretatione lenienda sunt duriora in speciem Veterum quorumdam Patrum dicta, SS.

*Non facilè absque necessitate, nec pro re levi jurandum.*

præ-

præsertim *Chrysostomi*, *Ambrosii*, *Hieronymi*, qui juramentum omne a Christo prohibitum innuere videntur.

Viri inter Ethnicos sapientiæ laude celebres, vel omnino a juramento abstinendum, vel gravissimis dumtaxat causis, & urgente necessitate jurandum censuerunt. Epicteti Sententia est: *Declina jusjurandum omnino*. Platonis: *Juramentum de re quavis abesto*. Et, *Deorum nomina non facilè usurpanda*. Choerili:

*Injustè, justève nefas jurare putandum est.*

Menandri:

*Jusjurandum omne, quamvis sit justum, fuge.*

Isocratis: *Jusjurandum, si deferatur, accipe duabus de causis aut ut temet a turpi criminatione liberes, aut ut amicos ex magnis periculis eripias; ob pecunias verò neminem Deum jures, ne quidem si verum juraturus sis: Aliis enim putaberis pejerare, aliis avarus esse*. Hieroclis: *Servandus Jurisjurandi usus ad res necessarias & magni æstimandas, & tunc cùm talia aliter obtineri non possunt quàm per jurisjurandi veritatem*. Quintiliani: *In totum jurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit*.

*Clinias Pythagoricus* cùm trium talentorum mulctam jurejurando effugere posset, maluit tantæ pecuniæ damnum facere, quàm jurare: Quod exemplum sui seculi Christianis exprobrat *S. Basilius*. Præclara sunt quæ de juramento differit *Philo Judæus* Lib. De Decalogo. *Postquam* [ inquit ] *dixit de essentiâ honoreque ejus Qui semper est, præcipit de usu ejus Nominis. Semper enim nomen rem tanquam umbra corpus sequitur. Multis & variis modis in hac parte peccant homines: Proinde utilissimum fuerit, & rationali natura convenientissimum, omnino abstinere a jurejurando, & sic veritati assuescere, ut simplex sermo vim juramenti habeat. Secundaria verò, juxta proverbium, navigatio, est rectè jurare. Jam enim qui jurat, suspectus est de perfidiâ. Sit igitur cunctator & procrastinator, si fortè differendo possit evitare ne juret. Quod si qua incumbat necessitas, dispicienda sunt curiosè singula; de quibus sit controversia. Est enim jusjurandum non exiguum negotium, tametsi contemnitur propter consuetudinem videlicet testimonium Dei de rebus dubiis. Deum autem citare testem mendacii, scelus est nefarium.... Quâ fronte sobrius ab amico peteres; Commoda mihi maleficium; meâ causâ contra jus & fas age? Procul dubio his auditis valere jubebit talem amicitiam, resilietque abs te tamquam a rabidâ ferâque bestiâ. Et postea quod ab amico non audes postulare, ad id Deum vocas: Ita ne nulla est tibi reverentia Parentis omnipotentisque Domini? Scis, an nescis illum inspicere omnia, exaudireque? Si nescis, impius es: Fons autem est omnium iniquitatum impietas. Præterea, jurando prævaricaris, & dolo malo agis, dum juras per eum qui non animadvertit, quasi per prospicientem rebus hominum. Quòd si nosti ejus providentiam, nihil ad summam impietatem tibi facis reliquum, si non ore, linguâque, certè corde sic appellans Deum: Dic pro me falsum testimonium, esto mihi sceleris & maleficii socius. Una mihi spes superest tuenda existimationis apud homines, si celetur veritas. Esto aliena malitia vicarius, melior deteriori subserviens, Deus optimus scelesto homini. Et sunt qui etiam nullo lucro proposito subinde jurant temerè ob malam consuetudinem, de rebus nihili, contradicente nemine, jurejurando supplentes orationem, quasi non satius esset dimidiatam mutilamve relinquere, imò potiùs obmutescere, quandoquidem ex frequenti juramento nascitur perjurium & impietas. Quapropter juraturus debet omnes rei circumstantias diligenter perspicere, quanta sit, quàm vera, quàm benè a se percepta: Tum seipsum considerare num purus sit animâ, corpore, linguâ; illâ ab iniquitatibus, hoc a piaculis, hac a maledicentiâ. Nefas est enim per os quo profertur Nomen illud Sanctissimum, quicquam turpe progredi. Quæratur etiam tam loci quàm temporis opportunitas. Novi enim quosdam in profanis impurisque locis, ubi nec patris, nec matris, nec cujuslibet honestè viri mentionem deceret fieri, dejerare, & quasi conceptis verbis jusjurandum texere multis Dei cognominibus, præter omne decorum, cum impietate maximâ*. Lege eumdem *Philonem* Lib. I. *De Specialibus Legibus*.

Alterum Judæorum errorem circa juramentum refellit Christus Matthæi 23. 16. & seq. *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per Templum, nihil est: Qui autem juraverit in auro Templi, debet. Stulti & cæci, quid enim majus est aurum, an Templum, quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in Altari, nihil est: Quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci, quid enim majus est donum, an Altare, quod sanctificat donum? Qui ergo jurat in Altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Et quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum*.

IV. Juramenti sanctitate abutuntur, qui jurant sese facturos quæ Deus prohibuit, aut non facturos quæ præcepit, vel consuluit. *Philonis Judæi* verbis Lib. *De Specialibus Legibus*, id explico: *Qui malum propositum jurejurando sanciunt, quid sanctum sit ignorant. Jurant se commissuros furtum, sacrilegium, stuprum, adulterium, homicidium, aut aliud simile; Moxque, ne perjuri habeantur, committunt: Quasi non melius Deoque gratius sit tale perjurium, modò serventur Leges per manus accepta a Majoribus, de colendâ justitiâ, virtutibusque cæteris, sine quibus nec societas hominum, nec natura jura possunt in tuto consistere, sive sequatur perjurium, sive non. Proinde quisquis juratus jura violat, sciat se non pejerare quidem, attamen ea pessumdare, ad quæ constabilienda jusjurandum inventum est. Addit enim culpa culpam, dum sacramento abutitur, cùm debuisset potiùs abstinere a maleficiis. Abstineat igitur, & supplex Deum exoret, ut pro suâ clementiâ temeritati inconsultæ ignoscat, quâ ad jurandum præceps actus est. Nam duplicare noxam, cùm te possis exonerare dimidio, maxima est insania, vix umquam curabilis*. Plura eam in rem ex SS. Patribus & Conciliis congeri possent, quæ annotare non est ejus loci. *Juramenti abusus.*

V. Pœnis severissimis in perjuros Deus animadvertit. Fidem juramenti olim ab Israëlitis toti Gabaonitarum Nationi præstiti, cùm *Saul* Rex violasset, his pravo zelo, *quasi pro filiis Israël & Juda*, percussis, Deus triennii fame Israëlitas afflixit, nec flagellum quievit, donec septem *Saulis* filii velut piaculares victimæ Gabaonitis crucifigendi traderentur. [ II. *Reg*. 21. ] De *Sedeciâ* Rege perjuro, qui violato fœdere cum *Nabuchodonosore* inito, & juramenti religione confirmato, ad Regem Ægypti transfugit, Deus apud *Ezechielem* ait Cap. 17. 15. & seq. *Numquid prosperabitur vel consequetur salutem qui fecit hæc? Et qui dissolvit pactum, numquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus Deus; Quoniam in loco Regis, qui constituit eum Regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur, & non in Exercitu grandi, neque in Populo multo faciet contra eum Pharao prælium: In jactu aggeris, & in extructione vallorum, ut interficiat animas multas. Spreverat enim juramentum, ut solveret fœdus: & ecce dedit manum suam: & cùm omnia hæc fecerit, non effugiet* *Pœna perjuris a Deo inflicta.*

*giet. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Vivo ego, quoniam juramentum quod sprevit, & fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. Et expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagenâ meâ: & adducam eum in Babylonem, & judicabo eum ibi, in prævaricatione, quâ despexit me. Et omnes profugi ejus, cum universo agmine suo, gladio cadent: Residui autem in omnem ventum dispergentur: & scietis quia ego Dominus locutus sum.* De perjurii pœnâ aliud extat Zachariæ v. Oraculum. *Et conversus sum, & levavi oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans. Et dixit ad me: Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus Exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domûs ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.*

*Blasphemia & omnis in Deum irreverentia, secundo præcepto Decalogi prohibita.*

VI. Secundo præcepto Decalogi, non modò perjurium, sed quælibet in Deum irreverentia prohibetur, præsertim blasphemia quâ Dei Majestati, providentiæ, bonitati, justitiæ, aliisque attributis derogatur, & convitiis atque maledictis Deus ipse, vel Sancti ejus lacessuntur. Cujus criminis reos morte plectendos Deus edixit, Levitici 24. 14. 15. 16. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum Populus universus. Et ad filios Israël loqueris: Homo qui maledixerit Deo suo portabit peccatum suum: & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: Lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur .... Locutusque est Moyses ad filios Israël: & eduxerunt eum qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israël, sicut præceperat Dominus Moysi.* De Rege Assyrorum *Sennacherib*, qui blasphemiæ verba in Deum Israël protulerat, 4. *Regum* 10. 22. 23. dicitur: *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? Contra Sanctum Israël. Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino.* Propter hanc blasphemiam *Angelus Domini* nocte unâ *percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*: & ipse *Sennacherib* a filiis suis occisus est, cùm adoraret in Templo *Nesroch* Deum suum. *Benadad* Rege Syriæ contra *Achab* Regem Israël bellum gerente, cùm Syri in Deum blasphemassent, impietatis illi suæ pœnam a Deo vindice exceperunt. Accedens enim Propheta dixit ad Regem Israël: *Hæc dicit Dominus, quia dixerunt Syri: Deus Montium est Dominus, & non est Deus vallium; Dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tuâ, & scietis quia ego sum Dominus .... Percusseruntque filii Israël de Syris centum millia peditum in die unâ*; & cùm reliqui in civitatem fugissent, *cecidit murus super viginti septem millia hominum qui remanserant.* Hebræi blasphemiam plerumque non nominant, sed per antiphrasim significant: Ecclesiastici 23. 15. *Est & alia loquela contraria morti*: ( Græcè ἀντιπαραβεβλημένη, *respondens, opposita* morti, seu cui mors respondet ) *Non inveniatur in hæreditate Jacob.* Blasphemiam in Spiritum Sanctum & in hoc, & in futuro seculo irremissibilem. id est, difficillimè remittendam Christus pronuntiavit, Matthæi 12. 32. S. Paulus *Hymenæum* & *Alexandrum tradit Satanæ, ut discant non blasphemare*. ( 1. ad Timotheum 1. 20. )

*Pseudoprophetarum crimen, & eorum qui falsâ doctrinâ Populum seducunt.*

VII. Falsorum Prophetarum scelus, & eorum omnium qui se a Deo missos mentiuntur, & falsam doctrinam spargunt, populosque seducunt, secundo præcepto Decalogi pariter prohibitum atque damnatum censendum est. Hi enim Dei nomen in vanum assumunt. In Pseudoprophetas & Doctores erroris, qui alios a veri Dei cultu abducunt, pœna mortis a Deo constituta est, Deuteronomii 13. 1. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: Non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris: Quia tentat vos Dominus Deus vester ut palam fiat utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in totâ animâ vestrâ .... Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur: Quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro.* Et Deuteronomii 18. 20. *Propheta autem qui arroganter depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.*

*Infidelitas in votis.*

VIII. Eodem præcepto Decalogi prohibetur ac damnatur infidelitas in votis. Qui enim vovent quod reverâ implere nolunt, aut quod voverunt, postea non implent, nomen Dei in vanum assumunt. Deuteronomii 23. 21. 22. 23. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: Quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore tuo locutus es.* Psalmo 75. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Ecclesiastis 5. 3. 4. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: Displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcunque voveris, redde: Multòque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.*

*Voti conditiones.*

IX. Qui de melioribus bonis vota Deo non offert, redditque, contra reverentiam Divinæ Majestati debitam graviter peccat, Deique maledictionem in se arcessit. Malachiæ 1. 6. & seq. *Filius honorat patrem, & servus dominum suum: Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Dicit Dominus Exercituum. Ad vos, o Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offertis super Altare meum panem pollutum, & dicitis; In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? Offer illud Duci tuo, quod placuerit ei ... 14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: Quia Rex Magnus ego, dicit Dominus Exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.*

Qui non sunt sui juris, vovere non possunt absque eorum consensu, quorum subsunt potestati, ea in quibus non sunt omnino sui juris. Numerorum 30. 3. 4. & seq. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit.*

*Mulier si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & ætate adhuc puellari: Si cognoverit pater votum quod pollicita est, & juramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: Quidquid pollicita est, & juravit, opere complebit. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater; & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater.*

*Si Maritum habuerit, & voverit aliquid, & semel de ore ejus verbum egrediens, animam ejus obligaverit juramento: Quo die audierit vir, & non con-*

*contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam: Propitius erit ei Dominus.*

*Vidua & repudiata, quiequid voverint, reddent.*

*Uxor in domo viri cùm se voto constrinxerit & juramento, si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat. Sin autem extemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea: Quia Maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium vel caterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat. Quòd si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam; quiequid voverat, atque promiserat, reddet: Quia statim ut audivit, tacuit. Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus.*

---

## §. III.

*Tertium Decalogi Praceptum.*

I. Tertium Decalogi Præceptum his verbis conceptum est Exodi 20. 8. 9. 10. 11. *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus calum & terram, & mare, & omnia qua in eis sunt, & requievit in die septimo: Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum.* Confer cum *Deuteronomii* 5. 2. & seq. Præceptum istud partim morale est, partim cæremoniale. Morale est, & ad Naturæ Legem pertinet, quatenus certum aliquod tempus Dei cultui cùm interno, tum externo destinari edicit atque consecrari. Cæremoniale est, & ad Legem Mosaicam pertinet, quatenus diem septimum hujusmodi cultui addicit, in eoque otiari jubet. Morale est, quatenus Deo gratias agere præcipit ob collata hominum generi universo beneficia, præcipuè verò creationis, & in Deo quiescere præcipit: Ceremoniale est, quatenus ad recolendum singulare aliquod beneficium Judæorum Nationi collatum, otium Sabbathi institutum est. Deuteronomii 5. 15. *Memento quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco pracepit tibi ut observares diem Sabbati.* Quatenus morale est, Christianos etiam obligat; quatenus ceremoniale, Christi Passione & Resurrectione abrogatum est, & in Dominicam diem ab Apostolis commutatum, quæ non solùm creationis mundi, sed præcipuè Resurrectionis Christi memoriæ dicata est, qui nos a Dæmonis & peccati servitute redemit, cujus redemptionis illa ex Ægypto redemptio typus tantùm & umbra fuerat.

*Utrùm Sabbati cognitio & veneratio aliqua a Judæis ad alias Gentes derivata sit.*

II. Sabbathi cognitionem aliquam ac venerationem ad alias etiam Gentes pervenisse docent *Clemens Alexandrinus* Lib.5. *Stromatum*, *Theophilus Antiochenus Lib.2. ad Autolycum*, *Eusebius* Lib.13. *Praparationis Evangelica Cap.12. Josephus Lib.2. contra Apionem*, scribit nullam esse Urbem Græcam, nullam barbaram, quam non pervaserit mos septimæ diei, quâ Judæi feriantur. *Philo* Sabbathum festum esse diem non uni urbi, aut regioni, sed universo, asserit. Nihilominus Sabbathi cultum & observantiam Judæis peculiarem fuisse demonstrat *Seldenus*, & *Hesiodi*, *Lini*, *Homeri*, *Callimachi* loca ab *Aristobulo* Judæo apud *Eusebium* laudata contrariæ sententiæ minimè suffragari ostendit; sed diem septimam sacram illos appellasse non ratione solemnitatis aut religionis, sed ratione numeri, quem sacrum Veteres omnes existimarunt, qui mysticas numerorum significationes adstruxerunt. Legatur *Seldenus* Lib.3. *De Jure Natura & Gentium*, *Hebraorum*, Cap.15. 16. 17. Certè *Justinus* ex *Trogo Pompejo* Lib.36. Histor. diem septimum a *Moyse* sacratum scribit, ac velut Hebræis singularem memorat. *Moses*, inquit, *Damascenâ antiquâ patriâ repetitâ, Montem Sina occupat, quò septem dierum jejunio per deserta Arabia, cum Populo suo fatigatus, cùm tandem venisset, septimum diem more Gentis Sabbatum appellatum, in omne avum jejunio sacravit; Quoniam dies illa famem illis, erroremque finierat.* Quod de Jejunio scribit, falsissimum est; verùm diem Sabbati solis Judæis sacrum fuisse satis perspicuè significat. *Tacitus* Lib.5. Histor. de Judæis agens: *Septimo die*, inquit, *otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit. Dein blandiente inertiâ, septimum quoque annum ignavia datum.* Cùmque ibidem scribat: *Moses quò sibi in posterum Gentem firmaret, novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, qua apud nos Sacra:* Satis indicat Gentium ceterarum institutis ac moribus publicis hunc etiam ritum de septimæ diei cultu solemni & observantiâ contrarium fuisse. *Dio Cassius* Lib.37. Histor. Sabbati seu diei Saturni cultum Judæis proprium ac singularem fuisse notat. *Ovidius* Lib.1. *De Arte Amandi*, Sabbatha Romanis peregrina, Judæis solemnia canit:

*Dies Sabbati solis Judais sacer.*

> *Nec pluvias opta, nec te peregrina morentur*
> *Sabbata ——*
> *Nec te praterea Veneri, ploratus Adonis,*
> *Cultaque Judao Septima sacra viro.*

Et paulò post:

> *Culta Palastino Septima Festa viro.*

*Martialis Sabbatarios* Judæos appellat. Lib.4. Epigram.

> *Quod sicca redolet palus lacuna,*
> *Quod jejunia Sabbatariorum.*

*Persius* Satyr.5.

> ——— *recutitaque Sabbata palles.*

*Juvenalis* Satyr.14.

> *Quidam sortiti metuentem Sabbata Patrem,*
> *Nil prater nubes, & cœli Numen adorant.*
> *Sed Pater in causâ est, cui septima quaque fuit lux,*
> *Ignava, & partem vita non attigit ullam.*

Idem de Judæâ loquens:

> *Observant ubi Festa mero pede Sabbata Reges.*

Rutilius, *Itinerarii* Lib.1.

> *Reddimus obscœna convitia debita Genti,*
> *Qua genitale caput propudiosa metit.*
> *Radix stultitia, cui frigida Sabbata cordi,*
> *Sed cor frigidius Relligione suâ est.*
> *Septima quaque dies turpi damnata veterno,*
> *Tamquam lassati mollis imago Dei.*

Seneca Lib. *Contra Superstitiones*, quem laudat *S. Augustinus Lib.6. De Civitate Dei*, Cap.11. Sabbatorum cultum ut Judæorum proprium ac singularem agnoscit. *Hic* (inquit S. Augustinus) *inter alias civilis Theologia superstitiones reprehendit etiam sacramenta Judaorum, & maximè Sabbata, inutiliter eos facere affirmans, quòd per illos singulos septem interpositos dies, septimam ferè partem atatis sua perdant vacando, & multa in tempore urgentia non agendo ladantur. Illi tamen* (inquit Seneca) *caussas Ritûs sui noverunt, major pars Populi facit, quod cur faciat, ignorat.*

Græci dies suos habuerunt Mensis ineuntis, medii,

dii, inclinantis, ita dispositos, ut inde trifariam divideretur Mensis quilibet. Festa etiam eorum plurima cùm Veteres, tum Recentiores, qui de Festis Gentilium scripsere, commemorant: Qui tamen Sabbati, aut Festi alicujus hebdomadiei in dierum periodis recurrentis nusquam meminere. Quod ad Romanos attinet, *Ovidius*, *Macrobius*, alii, dies eorum fastos, nefastos, intercisos, feriatos, Kalendas, Nonas, Idus, recensent ac describunt: De diei verò septimi recurrentis cultu nulla apud eos mentio. Vetus Romanorum Kalendarium a *Josepho Scaligero* & *Seldeno* descriptum, Ogdoadem, non hebdomadem in tributione dierum ab iis observatam, fidem facit; nonam quamlibet diem nundinis seu urbano Rusticorum conventui designatam, de quâ & Ovidius:

*Est quoque qui nono semper ab orbe redit:*

Nullam diei septimæ recurrentis observantiam sive cultum apud eos fuisse. Sed & Festis Romanorum opera, quæ ad vitæ utilitatem pertinebant, haud pauca facere licuit, quod Judæorum Sabbatis nefas erat.

Virgilius, *Georgicon* 1.

*Quippe etiam festis quædam exercere diebus*
*Fas & jura sinunt; rivos deducere nulla*
*Relligio vetuit: Segeti prætendere sepem,*
*Insidias avibus moliri; incendere vepres;*
*Balantumque gregem fluvio mersare salubri.*

Legi potest eâ de re & *Columella* Lib. 2. *De Re Rusticâ*, Cap. 22. *Josephus* & *Philo* Sabbatum, quantùm ad usum Chronologicum, & consuetudinem hebdomadicæ dierum periodi eodem ipso die desinentis, non quantùm ad cultum religiosum & celebritatem, aliis Gentibus commune fuisse volunt: Certè *Josephus* loco non uno Sabbatum τον πατριον νομον *Morem patrium*, & Judæorum Genti peculiarem appellavit. Consule Lib. 14. *Antiquitatum Judaicarum* Cap. 18. & Lib. 2. *De Bello Judaico* Cap. 16. *Philo* Lib. De Decalogo: *Hanc diem*, inquit, *Civitates quædam singulis mensibus ut festam celebrant, incipiendo numerationem a Novilunio: Judæis verò sancta est septima quæque dies.* Verùm quid in his immorari opus est, cùm Scriptura Sacra Sabbatum a Deo Israëlitis datum doceat in signum, quo a profanis Gentibus ut Populus Dei peculiaris & electus discernerentur, & creationis fidem firmam apud ipsos obtinere, eosque unum verum Deum creationis Auctorem venerari indicaretur? Clarissimus est ad hujus veritatis probationem *Ezechielis* Prophetæ locus Cap. 20. 20. ubi Deus sic loquitur: *Sabbata mea sanctificate, ut sit signum inter me & vos, & sciatis quia ego sum Dominus Deus vester.* Ibidem Vers. 2. & 12. *Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Insuper & Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos; & scirent quia ego Dominus sanctificans eos.* 2. Esdræ seu Nehemiæ 9. 14. ubi collata Hebræorum Genti beneficia singularia recensentur, Sabbatum inter alia memoratur: *Et Sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata, & cæremonias, & Legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui.* Exodi 31. 13. & seq. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Videte ut Sabbatum meum custodiatis: Quia signum est inter me & vos in generationibus vestris; Ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos. Custodite Sabbatum meum. Sanctum est enim vobis. Qui polluerit illud, morte morietur: Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio Populi sui. Sex diebus facietis opus: Die septimo Sabbatum est, requies Sancta Domino: Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. Custodiant filii Israël Sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me & filios Israël, signumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in septimo ab opere cessavit.*

Suffragantur eidem veritati SS. Patres; *S. Cyrillus Alexandrinus* Homiliâ 6. De Festis Paschalibus. *Postquàm*, inquit, *egressi e patriâ tellure Israëlitæ in Ægypto constiterunt, decursu temporis, ex Hebræorum genere, atque ex Abrahami stirpe se se prognatos esse, ne memoriâ quidem, ut fieri solet, amplius usurpabant. Hinc obliti patrios mores, ac pietate, quam a majoribus acceperant, abdicatâ, ad idololatriam incolarum contagione convertebantur.... Itaque & Solem pro Deo esse colendum censebant, tum Cælo, Telluri, Lunæque & Sideribus, atque omnibus demum elementis venerationem Deo debitam tribui oportere arbitrabantur.... Cùm verò ipsos ab Ægyptiorum crudelitate, durâque illâ servitute vindicare Legis Auctori maximè cordi esset, eosque in Terram promissionis vocaret, susceptos in Ægypto errores deponere omni lenocinio verborum amoto jussit...* Vide, *inquiens*, ne elevatis
„ oculis in cælum, vidensque Solem, & Lunam, Deuteron.
„ & Astra, omnemque ornatum cæli, errore de- 4.
„ ceptus adores ea. Dominus enim Deus tuus,
„ Dominus unus est. *Sed cùm præterea certo aliquo ex ipsis rebus petito indicio opus esset, quo fateri quodammodo vel inviti cogerentur, & cælum a suo conditore factum, & ejusdem operâ, Solem, Lunam, Astra, Tellurem, aliasque res omnes ut essent accepisse, eos Opificem suum imitari jubet, vultque per Sabbatum quiescentes Festivitatis causam cognoscere.* Requievit enim, *inquit*, Deus die Genes. 2.
septimo ab omnibus operibus suis. *Qui verò student ut rerum Opifice quiescente conquiescant & ipsi, annon illi res omnes ab alio conditas atque effectas fuisse, unumque universorum molitorem & artificem esse, & quidem apertissimè confitentur? Factum est igitur dum Sabbato cessant, ut ex eo Divinitatis quoque rationem Israëlitæ intelligerent, atque unam, a quâ omnia condita & procreata sunt, agnoscerent Naturam; elementorum item oculis familiarium ultrò citròque famulatum non ignorarent. Atque una quidem hæc ratio est Sabbato indictæ requietis.* Addit, Vitam a laboribus immunem per Sabbatum agi solitam, futuram extremo tempore Sanctorum quietem significare, cùm a laboribus immunes, & sudore quem in stadiis contraxerant, deterso, in cœlesti Jerusalem quieti ac deliciis affluentes, ævum omne traducent.

*Theodoretus* Commentario in *Ezechielis* Cap. 20. hæc verba, *Sabbata mea dedi eis, &c.* paraphrasticè sic exponit: *Sabbatorum ipsis otium lege præscripsi, non ut quod ipsis sufficere vitam posset: Sed ut hac vitæ instituendæ ratio peculiaris a Gentium quidem eos distingueret Institutis, meorumque beneficiorum in memoriam adduceret. Otio enim & cessatione a carnis operibus, dum divino cultui continenter vacarent, & divina audirent Eloquia, lucrum percipiebant: Cùm discerent ex ipsis divinis Eloquiis, & factorem esse Deum, & de omnibus bene meritum.* Et infra: *In aliis igitur cum aliis communione juncti, in observatione Sabbati propriam quamdam videbantur obtinere vitæ rationem. Nulla enim alia Gens hoc otium observabat. Neque Circumcisio ita ipsos ab aliis distinguebat, ut Sabbatum. Quippe Circumcisionem Idumæi quoque habebant, qui ab Esau genus ducebant, & Ismaëlitæ similiter: Ægyptii item a Judæis hanc edocti, observare studebant, quod per Prophetam Jeremiam*
„ *Deus declaravit, cùm dixit:* Et visitabo super
„ omnes circumcisos præputium ipsorum, super Jerem. 9.
„ Ægyptum & super Edom, &c. *Sabbati verò* 25.
*observationem sola Judæorum Natio custodiebat. Idcirco dixit Deus, quia Sabbata mea dedi eis, ut sint in signum inter me & inter ipsos, ut co-*

guo-

*gnoscant quia ego Dominus sanctificens eos.*

*Sabbati cultus in remedium Idololatriæ institutus.*

III. Sabbati cultum ad præcavendam & eradicandam Idololatriam a Deo institutum, & Judæis præceptum, id maximè probat, quòd præcepta de fugiendis Idolis, & Sabbatis observandis: Item Idolorum cultus, & Sabbati violatio frequenter in Scripturâ Sacrâ conjungantur. Exodi 23. 12. 13. *Sex diebus operaberis: Septimo die cessabis .... Omnia quæ dixi vobis custodite. Et per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audiatur ex ore vestro.* Levitici 19. 3. 4. *Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester. Nolite converti ad Idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis.* Levitici 26. 1. 2. *Non facietis vobis Idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terrâ vestrâ, ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester. Custodite Sabbata mea.* Ezechielis 20. 16. *Quia judicia mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt, & Sabbata mea violaverunt: Post Idola enim cor eorum gradiebatur* 23. 24. *Iterum levavi manum meam in eos .... eò quòd judicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & Sabbata mea violassent, & post Idola patrum suorum fuissent oculi eorum.* Ezechielis 23. 37. 38. *Cum Idolis suis fornicatæ sunt: Insuper & filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum. Sed & hoc fecerunt mihi: Polluerunt Sanctuarium meum in die illâ, & Sabbata mea profanaverunt.*

*Sabbati cultus ante Legem Mosaicam institutus non erat.*

IV. Sabbati cultus ante *Mosen* præceptus non erat, ut manifestò colligitur ex 2. Esdræ 9. 14. *Et Sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata, & ceremonias, & Legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui.* Ezechielis 20. 10. 11. 12. *Ejeci eos de Terrâ Ægypti, & eduxi eos in desertum. Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Insuper & Sabbata mea dedi eis.* Qui loci clarè docent, Legem, Ceremonias ac Sabbata Judæis a Deo simul data fuisse, & primam in Deserto sanctionem & originem habuisse. Accedit, quòd Israëlitæ primum Sabbatum (cujus Scriptura meminit) in Deserto, die Mensis secundi vigesimo-secundo celebrarent, cùm tamen constet, eos diem decimum-quintum Mensis ejusdem murmurando & itinerando consumpsisse. [*Exod.* 16. 2. collato cum 22.] Unde colligitur, eos tunc temporis vel non omnino, vel non eodem die quo postea, Sabbatum observasse. Denique Sabbati ante *Mosis* ætatem observati nullam omnino mentionem facit *Moyses* ipse in Libris suis, & in totâ Patriarcharum Historiâ.

Suffragantur Patres antiqui; *S. Justinus Martyr Dialogo cum Tryphone Judæo*, pag. 236. *Nam sine observatione Sabbati, qui nominati modò sunt Justi omnes Deo complacuerunt: Et post illos Abraham, atque ejus liberi cuncti, ad Mosen usque: Sub quo injustus & erga Deum ingratus Populus vester apparuit Vitulo in solitudine fabrefacto. Unde Deus ad Populum illum se accommodans, hostias quoque offerri tamquam Nomini suo præcepit, ut ne simulacra coleretis. Quin & Sabbata peragere vos jussit, ut Dei recordaremini. Nam & Verbum ejus hoc significat, dicens: Ut cognoscatis me esse Deum Redemptorem vestrum.* P. 240. *Quòd si ista ad hunc modum non fuerimus professi, eveniet nobis ut in absurdas incidamus cogitationes, quòd non idem Deus temporibus Enochi & aliorum omnium fuerit; qui neque Circumcisionem, quam in carne non habebant, neque Sabbatum servaverunt, neque alia insuper, quæ Moses fieri mandavit.*

*S. Irenæus Lib.* 4. *Adversus Hæreses* Cap. 30. de Circumcisione & Sabbato loquens: *Quòd non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt Judæorum Populo, ostendit Scriptura, quòd Abraham ipse sine Circumcisione, & sine observatione Sabbatorum Deo credidit, & amicus Dei vocatus est.*

*Tertullianus Lib. adversus Judæos*, Cap. 2. *Igitur cùm neque circumcisum, neque sabbatizantem Deus Adam instituerit, consequenter quoque sobolem ejus Abel offerentem sibi sacrificia, incircumcisum, nec sabbatizantem laudavit ... Noë quoque incircumcisum Deus, sed & non sabbatizantem de diluvio liberavit. Nam & Enoch justissimum non circumcisum, nec sabbatizantem de hoc Mundo transtulit, qui necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus jam nobis ostenderet, nos quoque sine Legis Moysi onere Deo posse placere. Melchisedech quoque Summi Dei Sacerdos, incircumcisus, & non sabbatizans, ad Sacerdotium Dei allectus est. Abraham antè Deo placuit quàm circumcideretur, nec tamen sabbatizavit.* Et Cap. 4. *Denique doceant Adam sabbatizasse, aut Abel hostiam Deo sanctam offerentem Sabbati religione placuisse: Aut Enoch translatum Sabbati cultorem fuisse: Aut Noë Arcæ fabricatorem propter Diluvium immensum, Sabbatum observasse: Aut Abraham in observatione Sabbati Isaac filium suum obtulisse: Aut Melchisedec in suo Sacerdotio legem Sabbati accepisse. Sed dicturi sunt Judæi, Ex quo hoc præceptum datum est per Moysen, exinde observandum fuisse. Manifestum est itaque non æternum, nec spiritale, sed temporale fuisse præceptum, quod quandoque cessaret.*

*Eusebius Lib.* 7. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 6. *Divinis quoque Literis edocemur quod ad ipsum Religionis cultum attinet, Mosem primum Judæorum Legislatorem extitisse, a quo partim Sabbati diem acceperint singulari quadam observantiâ ad usurpandam ejus diei, quo verborum divinorum quies ac cessatio fuerat, memoriam; partim animantium quibus vescerentur, aut abstinerent, distinctionem, partim solemnia quædam, annuaque Festa, certosque corporis lustrandi purgandique Ritus, & ingentem reliquarum Ceremoniarum multitudinem, quæ divinioribus quibusdam symbolis ac figuris inclusa, atque in orbem celebrandæ recurrerent: Cùm Hebræi, qui longo ante Mosem tempore claruerunt, ferendæ per eum Legis ignari, expeditam quamdam ac liberam pietatis viam tenerent, moribus quidem ita naturæ ductum sequentibus præditi, nihil ut Legum moderatione propter summam animi ab omni perturbatione vacui æquitatem indigerent; eorum verò notitiam, quæ de Deo sentire oporteret, veram consecuti.*

Et Lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap. 4. de veteribus Patriarchis loquens, hæc habet: *Itaque nec Circumcisionem, nec Sabbatum observare, etiam illis fuit, sicut nec nobis; Neque a certis cibis abstinere, & alia quædam sollicitè observare, quæ primus omnium Moses typicè agenda & custodienda posteris tradidit: Sicut neque nunc apud Christianos quidquam horum geritur.*

*Theodoretus* Commentario in Cap. Ezechielis 20. *Sabbatorum* [inquit] *separatim mentionem fecit, neque ea cum aliis Justificatiónibus conjunxit; neque enim hæc, ut illæ vitam conciliant: Sed quamdam peculiarem vitæ instruendæ formam continent. Istud enim,* Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, *& alia cum his conjuncta, alios quoque homines natura lex edocuit. At Sabbati observandi non natura magistra, sed latio Legis.*

*Objectio diluitur.*

Frustra verò quispiam objiciat, 1. Deum tum primum diem septimum in Sabbatum consecrasse, cùm creationis opus perfecisset, Genesis 2. 2. 3. *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requievit die septimo ab omni opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.* Item, *Exodi* 16. 23. 25. Sabbati, tamquam instituti inter Israëlitas celebris & probè noti fieri mentionem; & ibi caveri ne Sabbatum Mannæ colle-

collectione violetur, quasi jam olim, cùm nempe rerum cœpit universitas, institutum fuerit. *Requies Sabbati sanctificata est Domino cras. Quodcumque operandum est, facite: & quæ coquenda sunt, coquite. 25. Dixitque Moyses; Comedite illud hodie, quia Sabbatum est Domini.* 3. Congruum fuisse ad conservandam creationis memoriam, ut Sabbatum a Patriarchis celebraretur. Frustra [ inquam ] hæc objicerentur. Quamvis enim Deus diei septimo benedixerit, ipsumque sanctificaverit, non sequitur, ipsum tunc septimi diei cultum & observationem præcepisse: Sed benedictione, & quiete suâ illum sanctificavit, ad cujus exemplar quietis, & in creationis memoriam, Sabbatum olim instituere decrevit congruo & a se prædefinito tempore. Locus Exodi de Sabbato die sequenti tunc primùm celebrando loquitur, quod Judæis ex hac dumtaxat *Mosis* prædictione notum esse potuit, cùm nullum celebritatis illius indicium in Sacris Literis antea reperiatur. Neque verò necesse fuit, ut veteres Patriarchæ ad conservandam creationis memoriam Sabbatum celebrarent, quod Deus non jusserat, cùm fidem creationis Mundi sincero unius veri Dei cultu, Sacrificiis, & certis ( ut verisimile est ) temporibus Dei cultui speciatim consecratis profiterentur.

*Quæ opera die Sabbati prohibita?*

V. Servile quodcumque opus Sabbato Lex prohibebat, etiam cibos parare, & magnum iter facere. Iter Sabbati Judæorum Magistri definiunt bis mille ulnis, id est, mille passibus; nam passus duplex ulna. Stadium Plinio octava pars mille passuum, Lib. 2. Cap. 23. Ergo iter Sabbati fuissent stadia octo. Syrus Interpres *Actuum* 1. 12. *Stadia septem* posuit, consentitque *Theophylactus*, testem appellans *Josephum*, cujus proinde suspecta lectio est *Antiquitatum* 20. Cap. 16. ubi *Stadia quinque* habentur. Lege *Seldenum* Lib. 3. *De Jure Naturæ & Gentium juxta disciplinam Hebræorum*, Cap. 9. At opera Dei, opera necessitatis, pietatis, caritatis, Lege prohibita non erant. Unde quæcumque opera ad cultum Dei & sacrificia pertinebant, Sabbato facere licebat, Regulaque erat Juris Judaici: *In templo non esse Sabbatum*: Machabaicis temporibus a Judæis contra hostes Sabbato pugnatum est. Non prohibebat Sabbati religio ne vitæ pecudis, multò minùs ne vitæ hominis consuleretur. Unde in *Misnaioth*, Hebræorum Libro, hæc Regula habetur: *Omne opus prohibetur in Sabbato, nisi sit pro animâ.* Atque adeò recepta erat apud Judæos ista exceptio, ut in multis Codicibus Legi vice explicationis adscribi cœperit, ut ex *Tertulliano* colligitur *Lib. Adversùs Judæos* ita Legem laudante: *Omne opus servile non facietis in eo, præterquàm quod ad animam pertinet.* Hinc apud Judæos vulgatum est, *Sabbatum traditum esse in manu hominum, & non homines in manum Sabbati.* Harum regularum a Judæis receptarum exceptione, violati Sabbati calumniam a Discipulis suis, atque etiam a se ipso, Christus depulit, *Matthæi* 12. Cùm enim per sata Sabbato ambularet. *Discipuli ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: Quando intravit in Domum Dei, & Panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? Aut non legistis, Quia Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia Templo major est hic. Si autem sciretis quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: Numquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati.* Quod magis explicatur Marci 2. 27. *Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbati.* Deinde cùm Jesus in Synagogam se contulisset, & ante eum stetisset homo manum habens aridam, interrogabant Dominum, dicentes: *Si licet Sabbato curare?* ut accusarent eum. Jesus autem dixit illis: *Quis erit ex vobis homo, qui habens ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbato in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quantò magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera.*

*Sabbati sanctificatio in pietatis exercitiis posita.*

VI. Non in cessatione tantùm ab operibus, sed in pietatis exercitiis posita erat Sabbati Sanctificatio. Id colligitur ex *Isaiæ* Prophetæ verbis qui abstinentiam a peccatis, & divinorum observationem mandatorum partem esse cultûs Sabbatici non obscurè significat Cap. 56. 2. 5. *Custodite judicium, & facite justitiam..... Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet istud: Custodiens Sabbatum, ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.... Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, &c.* Et Cap. 58. 13. 14. *Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaveris Sabbatum delicatum, & Sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem: Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui.* Idem probatur ex speciali Sacrificio die Sabbati instituto, præter juge Sacrificium, Numerorum 28. 9. 10. *Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in Sacrificio, & liba, quæ rite funduntur per singula Sabbata in holocaustum sempiternum...* Idem constat ex antiquorum Judæorum more, qui Sabbatis sacros conventus agere, precibus vacare, Scripturas legere, Prophetarum concionibus interesse solebant, & festæ lucis otium pietatis exercitiis dedicare, ut ex variis Scripturæ Sacræ locis intelligitur; 4. *Regum* 4. 23. *Marci* 1. 21. *Lucæ* 4. 16. *Actuum* 13. 14. XV. 21. XVI. 13. Ita Legem intellexit *Josephus Lib.* 1. *Contra Apionem* P. 1050. ubi hæc ex *Agatharcide* Ethnico Scriptore refert. *Qui vocantur Judæi habitant omnium munitissimam Civitatem, quam vocare Hierosolymam Provinciales solent. Hi vacare consueti sunt septimâ die, & neque arma portare in prædictis diebus, neque alterius cujuspiam curam habere patiuntur, sed in Templis extendentes manus, adorare usque ad vesperam soliti sunt.* Et Lib. 2. P. 1072. de *Mose* sic loquitur: *Quapropter non semel audire, nec secundò, vel sæpiùs, sed in unaquaque septimanâ, alia opera relinquentes, ad Legis auditionem congregari præcepit universos, eamque perfectè condiscere, quod scilicet omnes Legislatores reliquisse noscuntur.* Ita intellexit & *Philo Judæus*, Lib. 3. De Vitâ Mosis P. 528. *Mos erat* ( inquit ) *certis temporibus, præcipuè Sabbatis operam dare studio sapientiæ, Principe Doctoris vice fungente, præmonstranteque officio, subditis autem in honestate proficientibus, & mores vitamque corrigentibus. Quæ consuetudo a majoribus per manus accepta hodieque durat apud Judæos, tempore illo dicato eruditioni contemplationique rerum naturalium. Nam destinata oppidatim sacris precationibus loca, quæ Proseuchas vulgus nominat, quid aliud sunt quàm Scholæ, in quibus prudentia, fortitudo, temperantia, justitia, pietas, sanctitas, omnisque virtus discitur, quæcumque ad humana divinaque negotia requiritur?* Et Lib. De Decalogo:

*Quar-*

*Quartum præceptum commendat diem septimam, jubens eam piè sanctèque transigi .... Jussit igitur ut quicumque has Instituta recepissent, sicut in cæteris, ita in hoc quoque Deum sequerentur, operando per sex dies, septimâ verò interquiescendo, vacandoque contemplationi rerum & studio sapientiæ, retractando etiam cogitatione acta præterita, & rationem eorum a se reposcendo, sicubi a Legum præscripto aberratum fuerat, ut in posterum cautiores essent, prospicerentque ne iterum impingerent in eadem offendicula.* Et Lib. I. Hypothetico, cujus fragmentum habemus apud *Eusebium* Lib. 8. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 7. *Quid igitur* [ inquit ] *septimis illis diebus* Legislator *instituit? Eos nimirum eumdem in locum unà convenire voluit, ut silentio summâque cum modestiâ considentes, Legum recitationi aures accommodent, itaque nihil ipsos omnino fugiat. Atque hunc illi conveniendi simul considendique morem sic perpetuò retinent, ut multitudo quidem universa sileat, nisi cùm ea quæ leguntur, faustis ac lætis acclamationibus prosequitur: E Sacerdotibus aliquis sacras Leges palam recitans, omnes sigillatim exponat, donec altâ jam vesperâ discedant universi, tum divinorum mandatorum instructi cognitione, tum verò admodum pietate aucti.*

*Annua Sabbata.*

VII. Mandatum tertium non solùm ad hebdomadica, sed ad annua Sabbata celebranda Judæos obstringebat. *Sabbata* illa annua [ sic enim in Scripturis sacris appellantur ) Festa erant Azymorum, Pentecostes, Tubarum, Tabernaculorum, & Expiationis; de quibus Dissertatione sequenti dicemus. Pœna lapidationis in Sabbati violatores sancita. Numerorum 15. 32. & seq.

*Pœna violantium Sabbatum.*

*Factum est autem cùm essent filii Israël in Solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcere nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus est, sicut præceperat Dominus.*

*Quid Sabbatum Magnum.*

VIII. Quid sit *Sabbatum Magnum*, quid *Sabbatum Secundo-primum*, Sacri disputant Interpretes. In eo ferè conveniunt, Sabbatum Magnum, esse Sabbatum Paschale, sive illud quod Pascha proximè antecedit, aut in quod Paschatis dies incidit; de quo Joannis 19. 31. *Erat enim magnus dies ille Sabbati.* De Sabbato verò Secundo-primo, variæ sunt ac discrepantes Patrum, recentiorumque Scriptorum sententiæ.

*Quid Sabbatum Secundo-primum?*

*S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 40. in *Matthæum* Sabbatum Secundo-primum esse censet, quod Festum aliud antecedit. *Lucas verò dicit in Sabbato Secundo-primo. Quid autem est in Sabbato Secundo-primo? quando Festum duplex erat, tam Sabbati Domini, quàm Solemnitatis alterius succedentis. Sabbatum enim quamlibet quietem atque otium appellabant.* S. Epiphanius Hæresi 30. quæ est *Ebionitarum*, Num 32. Sabbatum illud, quod ab Azymorum primâ die proximum est, δευτερόπρωτον, *Secundo-primum Sabbatum* dici putat. Hæresi verò 51. Num. 31. duplex Sabbati genus esse ait, alterum hebdomadarium & antiquum, quod πρῶτον, *Primum* vocat: alterum legitimum sive festivum, quod δεύτερον *Secundum* esse censet, cujusmodi Azymorum dies fuit. Paulò post addit, δεύτερον illud in septem revolutum appellari πρῶτον. Quod sanè perobscurum est, cùm non liqueat utrùm Azymorum septimum diem Sabbatum δευτερόπρωτον esse definiat, an Festum ipsum Pentecostes. *S. Isidorus Pelusiota* Epistolâ 110. Libri 3. primam Azymorum diem Sabbatum ait esse δευτερόπρωτον; quod Sabbatum ideo vocatur, quia Judæi Festa omnia Sabbati nomine designare solent. Δευτερόπρωτον verò propterea dicitur, quòd secunda sit a Paschate, & Azymorum prima. Δευτερόπρωτον *dictum est* [ inquit ] *quia posterius quidem die Paschæ, primum autem Azymorum. Vespere enim Pascha immolantes, postridie Azymorum Festum celebrabant, quod quidem etiam* Δευτερόπρωτον *appellabant, propterea quòd ( ut dixi dies ille Paschæ posterior esset, Azymorum autem primus. Quòdque hoc verum sit; argumento illud est, quòd Apostoli hoc nomine accusati sunt, quia spicas vellerent ac manducarent. Hoc enim duntaxat tempore spicæ nutant, atque ob fructum ac messis tempus deorsum propendent, ac velut falcem ad se se vocant. Tertio quippe Azymorum die manipulus quoque Deo offerebatur. Ita & a tempore, & ab eo quod factum est, perspicuum existit, id quod quæris. Quod si, Sabbato, dictum est, ne tibi id mirum videatur. Sabbatum enim Festum omne nuncupant. Ac propterea dictum est Sabbata Sabbatorum: Quoniam interdum Festi principium aut finis in Hebdomadæ Sabbatum incidebat, quemadmodum etiam apud nos plerumque contigit. Nam cùm Epiphania aut carnalis Salvatoris Nativitas Dominico die occurrit, duplicem Solemnitatem efficit, ac velut Festum in Festo. Eodem quoque modo apud illos, si festum in Sabbati diem incidisset, Sabbata Sabbatorum vocabatur.* S. Gregorius Nazianzenus consulentem olim eâ de quæstione *S. Hieronymum* tacitè elusit, ut refert idem *S. Hieronymus* Epistolâ ad Nepotianum. *Præceptor quondam meus* ( inquit ) *Gregorius Nazianzenus, rogatus a me ut exponeret, quid sibi vellet in Lucâ, Sabbatum* δευτερόπρωτον, *eleganter lusit: Docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesiâ: In quâ, mihi omni Populo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis: Aut certè si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. Nihil enim tam facile quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.*

Josephus Scaliger Lib. 6. *De Emendatione Temporum*, in Diatribâ de tertio Domini Paschate; & *Isagogicorum Canonum* Lib. I. Cap. 6. & Lib. 3. in Commentario ejus capitis, *Secundo-primum Sabbatum* esse censet, quod a secundâ die Azymorum primum est. Nam secundâ die Azymorum novarum frugum manipulum offerebant. A quo die deinceps septem hebdomadas computare jussi sunt, quorum Sabbata a secundâ die Azymorum, id est, ab Omer cognominata sunt. Veluti primum Sabbatum, quod proximè secundam Azymorum sequitur, vocatur δευτερόπρωτον, *Secundo-primum*: Secundum δευτεροδεύτερον *Secundo-secundum*: Tertium δευτερότριτον, *Secundo-tertium*, atque ita deinceps. Hanc Interpretationem laudant & sequuntur *Casaubonus* Exercitatione 14. in *Baronium*, & *Petavius* Animadversionibus in *S. Epiphanium*, P. 64. *Capellus* & *Grotius* impugnant, iste sententiam hac de re suam sic proponit *Annotationibus ad Lucæ Cap. 6.* Judæi diem Sabbati, qui Pascha proximè antecedit, hodieque vocant *Sabbatum Magnum*. Sed etsi Paschatis dies in ipsum Sabbatum inciderit, appellabitur is dies eodem nomine, ut apparet Joannis 19. 31. *Erat enim magnus dies ille Sabbati.* Est & *Sabbati Magni* mentio in Historiâ de Martyrio *S. Polycarpi*, apud *Eusebium*. Alii pro *magno* dixerunt *primum Sabbatum*. Cùm verò præter Pascha duo sint præterea celeberrima Festa Judæorum, scilicet *Pentecoste*, & *Scenopegia*, seu *Tabernaculorum erectio*, etiam quæ hujusmodi Solemnitates proximè contingebant, *Sabbata Magna* sive *Prima* vocata sunt simili ratione. Nam & Sabbatum quod incidebat in Festum *Tabernaculorum* Josephus Lib. 2. *De Bello Judaico* Cap. 38. vocat *Sabbatum maximè honoratum*. Atque ita cùm essent tria Sabbata πρῶτα *Pri-*

*Prima*, id est, *Maxima*, distinctionis causâ Sabbatum Paschale, quod ordine antegreditur, dictum est πρωτόπρωτον, *Primorum primum*; Sabbatum Pentecostes δευτερόπρωτον, *Primorum Secundum*; Sabbatum Scenopegiæ seu Erectionis Tabernaculorum τριτόπρωτον, *Primorum tertium*. Sic in Municipiis ubi erant δεκάπρωτοι, *Decem-primi*, primus ordinis dici poterat πρωτόπρωτος; Primo primus, alter δευτερόπρωτος *Secundo-primus*, atque ita deinceps.

*Diei Dominicæ & Festorum sanctificatio.*

IX. Secundo Præcepto, quatenus morale est, ad Dominicæ diei, & Festorum quæ in honorem Christi, Deiparæ Virginis, & Sanctorum, ab Ecclesiâ instituta sunt, & ejusdem Ecclesiæ præcepto statuuntur observanda, sanctificationem & religiosam observantiam Christiani tenentur: Hisque diebus a servilibus omnibus operibus, ac præsertim a peccatis abstinere, sacros illos dies in pietatis operibus transigere, animæ suæ sanctificationi æternæque salutis negotio, unicè necessario, non profanis & secularibus negotiis, ludis, spectaculis, choræis & saltationibus intendere, Missæ Sacrosancto Sacrificio, attento, pœnitenti, pioque animo interesse, Officia divina frequentare, misericordiæ opera, in quibus vera & immaculata religio posita est, exercere.

---

## §. IV.

### IV. *Decalogi Præceptum.*

I. Proximi Deo sunt parentes, quorum ministerio Deus Optimus Maximus usus est ut nobis esse ac vitam daret. Meritò ergo honori Dei secundus est honos qui parentibus debetur, & cetera inter hominis officia antecedit. Quam ob rem post præcepta cultum Dei spectantia, quæ primâ tabulâ continentur, primum in secundâ tabulâ locum tenet præceptum de honorandis parentibus; Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Deuteron. 5. 16. *Honora patrem tuum, & matrem, sicut præcepit Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in Terrâ, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* S. Paulus ad Ephesios 6. 1. 3. notat hoc primum inveniri præceptum cum promisso. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione; Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* Lex verbis expressis temporalem dumtaxat felicitatem promittit, ut observant *S. Hieronymus Lib. 2. Commentariorum in Epistolam ad Galatas*, & *Dialogo contra Pelagianos; S. Augustinus Quæstione 92. in Exodum in Expositione Cap. 3. Epistolæ ad Galatas; Lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophetarum* Cap. 17. Lib. 10. *De Civitate Dei*, Cap. 15. & Lib. 18. Cap. 11. & Epistolâ olim 120. nunc 140. ad *Honoratum*, & alibi passim, ut & alii Patres. Felicitatis autem temporalis præcipuum, cui superstruuntur cetera, est longævitas. Et generaliter promittitur Legem servantibus, ut videre est *Levitici* 23. 5. 25. 28. *Deuteron.* 6. 17. 18. *Ezechielis* 20. 2. Atque in eo apparet hujus præcepti excellentia [inquit Vir Eruditus] quòd ei eximiè tribuitur, quod generaliter Legis præceptis competit. Neque hic solùm, sed & alibi in Scripturâ Sacrâ filiis honorantibus parentes benedictio promittitur, hoc verò præceptum violantibus maledictionem Deus interminatur, eosque morti addicit. *Proverbiorum* 1. 8. 9. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Ecclesiastici 3. 5. 6. 7. *Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis; & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiòre; & qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Exodi 21. 15. 17. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.... Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Proverbiorum 19. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.* Et Cap. 20. 20. *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Cap. 30. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Ezechielis 22. 7. 10. 21. *Patrem & matrem contumeliis affecerunt in te.... Verecundiora Patris discooperuerunt in te.... Et congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei.* Ad temporalem illam felicitatem obtinendam non leve momentum affert parentum benedictio, quod ex veterum Patriarcharum benedictionibus comprobatur: Contra verò quàm metuenda sit parentum imprecatio, *Chanaanis* ob *Chami* patris impii in *Noachum* irreverentiam maledictio demonstrat. *Genes. 9.* Ecclesiastici 3. 2. *Benedictio patris firmat domos filiorum: Maledictio autem matris eradicat fundamenta.* De vi paternæ benedictionis *S. Ambrosius* Libro *De Benedictionibus Patriarcharum*, Cap. 1. hæc habet: *Ideo hanc parentibus gratiam donavit Deus, ut filiorum pietas provocetur. Prærogativa igitur parentum, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, ut benedicat te. Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et si pauper est pater, & non habet divitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quâ sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multò plus est beatum quàm divitem fieri.* Terribile maternæ maledictionis exemplum in decem fratribus qui matrem viduam injuriâ affecerant, refert *S. Augustinus* Lib. 22. *De Civitate Dei*, Cap. 8. Hi nimirum *Maledicto matris recenti, tali pœnâ sunt divinitus coërciti, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum, in quâ fœdissimâ specie oculos suorum civium non ferentes, quaquaversum cuique ire visum est, toto penè vagabantur Orbe Romano.* Ex quibus duo frater & soror, *Paulus* & *Palladia* Hippone ad Memoriam *S. Stephani* Protomartyris miraculo sanati sunt.

*Officia filiorum in parentes.*

II. Quarto præcepto adstringuntur filii ad honorem, reverentiam, amorem, & gratiarum relationem, quantum fieri potest, atque necessaria vitæ præsidia parentibus indigentibus impendenda. De quibus officiis diserta sunt Spiritûs Sancti Oracula Ecclesiastici 27. 29. & seq. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitûs matris tuæ ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Ecclesiastici 3. 8. & seq. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his qui se genuerunt. In opere & sermone, & omni patientiâ, honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. Ne glorieris in contumeliâ patris tui: Non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore. Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vitâ illius; & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tuâ: Eleemosyna enim patris non erit in oblivione, Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum & in justitiâ ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui; & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem,*

*trem*. Pharisæorum Traditionem meritò damnat Christus, quâ filios voti & oblationum prætextu necessariis subsidiis parentibus præbendis excusabant; Matthæi 15. 3. 4. 5. 6. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter Traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram*. Confer *Marci* 7. 10. & seq. ubi loco horum verborum, *& non honorificabit patrem suum*, ait Sanctus Evangelista: *& ultra non dimittis eum quidquam facere* ( id est benefacere ) *patri suo, aut matri*. Qui parentum bona furantur, non solùm contra justitiam peccant, & sextum violant præceptum, verùm etiam contra pietatem, & officia quarto præcepto imperata. Quo de crimine Spiritus Sanctus Proverbiorum 28. 24. *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicida est*. Execranda est ingratorum filiorum impietas, qui jam divisâ hæreditate, parentes necessariis vitæ præsidiis aut commodis destitutos ingemiscere, & vitam ægrè tolerare patiuntur. Quod malum ut avertatur, hanc parentibus œconomicæ prudentiæ regulam tradit Spiritus Sanctus, Ecclesiastici 23. 19. 20. & seq. *Audite me, Magnates, & omnes Populi, & Rectores Ecclesię auribus percipite. Filio & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vitâ tuâ: & non dederis alii possessionem tuam: Ne fortè pœniteat te & depreceris pro illis. Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro. Melius est enim ut filii tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum. In omnibus operibus tuis præcellens esto. Ne dederis maculam in gloriâ tuâ. In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitûs tui, distribue hæreditatem tuam*. Obedientiam præstare parentibus filii debent, in iis in quibus sunt filiis superiores, & quæ divinæ legi non repugnant. Ephes. 6. 1. *Filii obedite parentibus vestris in Domino: Hoc enim justum est*. Si autem aliquid jubeant divinis præceptis, aut consiliis contrarium, Christi vox audienda est, *Lucæ* 14. 26. dicentis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. non potest meus esse discipulus*. Et *Matthæi* 10. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Obedientiæ parentibus debitæ pars est, ut eis inconsultis filius uxorem non ducat, exemplo Sanctorum Patriarcharum Isaac & Jacob. *Nam nec in terris sine consensu patrum filii ritè & jure nubent*; ( inquit *Tertullianus* Lib. 2. ad Uxorem. ) Lege & *S. Ambrosium* Epistolâ 64. Lib. 8. Idem dicendum de statûs cujusvis electione, & graviorum negotiorum aggressione, quæ ne parentibus inconsultis suscipiantur, reverentia postulat.

III. Reverentiam & pietatem erga parentes, ipsa naturæ lex docet. Quâ de re præclarum est illud *Menandri*:

*Qui patrem incilat, voce maledicit patri:*
*At in hoc se parat, ut ipsi maledicat Deo.*

Notandum & illud Hieroclis: *Parentes eximiè honorabimus, si & corporis ministerium, & pecuniæ adminiculum ipsi præstemus quàm promptissimè*. Sed luculentiora sunt quæ habet *Philo Judæus*, Libro De Decalogo. *Sequitur* inquit, *quintum præceptum de honorandis parentibus situm in duarum tabularum confinio. Cùm enim in primâ sit ultimum, conjungit ambas, priori secundum applicans, complexum jus quod nobis intercedit cum hominibus; Quod ideo factum arbitror, quia parentum natura videtur mortalis & immortalis essentiæ confinium: Mortalis propter cognationem cum hominibus, & cæteris animantibus, & propter corpus corruptibile: Immortalis verò, quia gignendo refert Deum genitorem omnium. Sunt igitur qui alteri parti addicti alteram videntur contemnere, pleni pietatis desiderio relictis aliis negotiis totam vitam dedicant divino cultui. Alii contrà dum nullum esse jus præter humanum existimant, solam curant societatem hominum, bona sua cum quibuslibet communicantes liberaliter, & mala illorum sublevantes pro viribus. Illos Dei amatores, hos hominum rectâ dixeris semiperfectæ virtutis homines. Cæterùm qui nec de hominibus bene merentur, nec pietatem sanctitatemque suspiciunt, possunt videri mutati in ferarum ingenium. Inter quos primas ferent, qui parentes suos negligunt, utriusque partis hostes, tum ejus quæ Deo, tum ejus quæ hominibus se approbare vult. Sciant igitur se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia: Impietatis apud divinum, quòd secundos post Deum Auctores vitæ suæ non tractant ex officio: Inhumanitatis verò apud humanum: Cui enim benefacient qui proximos & optimè de se meritos vilipendunt, quibus nulla potest referri gratia non inferior acceptis beneficiis? Quomodo enim natus genitorem suum poterit vicissim gignere*.

IV. Istud præceptum pariter nos adstringit ad amandos fratres, ad colendos avos proavosque, consanguineos, & totam illam necessitudinum seriem, quæ humanæ societatis veluti coagulum est. Proverbiorum 18. 19. *Frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma: & judicia, quasi vestes urbium*. Ecclesiastici 25. 1. 2. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè consentientes*. *Observantia in consanguineos.*

V. Vi ejusdem præcepti servi Dominos honorare, & eis obsequi tenentur sincerè, fideliter, impigrè. Ad Ephesios 6. 5. 6. 7. 8. *Servi obedite Dominis Carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus: Scientes quia unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sive liber*. & ad Titum 2. 9. 10. *Servos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*. De iisdem *S. Petrus* Ep. 1. Cap. 2. 18. *Servi subditi estote in omni timore Dominis non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*. *Servorum erga Dominos officia.*

VI. Regibus, & Magistratibus, qui tutores sunt civilis societatis, quibus & patrum nomen veteres indidere, suus etiam quarto præcepto sancitur honos ac reverentia, fides, obsequium: De quibus Apostolus ad Romanos 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas nisi a Deo: Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere Potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: Non enim sine causâ gladium portat. Dei enim Minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: Cui tributum, tributum: Cui vectigal*, *Officia subditorum erga Principes & Magistratus.*

*gal, vectigal: Cui honorem, honorem: Cui timorem, timorem.* 1. Petri 11. 13. 14. *Subjecti igitur estote omni humanę creaturę propter Deúm: Sive Regi quasi praecellenti: Sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei .... Regem honorificate.* Divinæ Legi magis quàm Legibus Principum obtemperandum est, si fortè colliderentur. *Reddite* (inquit Christus) *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et *Deo oportet obedire magis quàm hominibus.* In quartum præceptum gravissimè peccant, qui conviciis, calumniis, maledictis Principes aut Magistratus lacessunt, qui eorum Leges, Edicta, Judicia, Sententias iniquitatis accusant. Exodi 22. 28. *Diis non detrahes* (id est, Judicibus) *& Principi Populi tui non maledices.* Confer Actuum 23. 5. Ecclesiastici 8. 17. *Non judices contra Judicem: Quoniam secundùm quod justum est, judicat.* Et, *Non hominis exercent Judicium, sed Domini*, ut dicitur 2. *Paralipomenon* 19. 6. Pro Regibus, & omnibus in dignitate constitutis preces ad Deum fundere subditi debent. Baruch 1. 11. 12. *Orate pro vitâ Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vitâ Balthassar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cœli super terram; & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbrâ Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub umbrâ Balthassar filii ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum.* 1. ad Timotheum 2. 1. 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: Pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate.*

*Matth. 22. 21. Act. 5. 29.*

*Reverentia & obedientia Sacerdotibus præstanda.*

VII. Hoc Decalogi præcepto reverentia & obedientia præstanda Sacerdotibus, qui patres spirituales sunt, sancita est. De quâ *Deuteronomii* 12. Cap. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, .... Morietur homo ille.* Ecclesiastici 7. 31. *In totâ animâ tuâ time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tuâ dilige eum qui te fecit; & Ministros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex totâ animâ tuâ, & honorifica Sacerdotes. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum.* Matthæi 23. 1. 2. *Jesus locutus est ad turbas, & ad Discipulos suos, dicens: Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Lucæ 10. 16. *Qui vos audit* (inquit Christus) *me audit; & qui vos spernit, me spernit.* 1. ad Thessalonicenses 5. 12. 13. *Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino & monent vos, ut habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum: Pacem habete cum eis.* Ad Hebræos 13. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: Hoc enim non expedit vobis.* Necessaria vitæ subsidia Pastoribus debentur, cùm vi quarti præcepti de parentibus honorandis, tum ex Christi mandato rationibus Apostoli illustrato 1. ad Timotheum 5. 17. 18. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: Maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os Bovi trituranti. Et, Dignus est operarius mercede suâ.* 1. ad Corinthios 9. *Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundùm hominem hæc dico? An & Lex hoc non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe qui arat arare; & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita & Dominus ordinavit eis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

*Deuteron. 25. 4. Matt. 10. 10.*

*Reverentia erga Præceptores, & Seniores.*

VIII. Reverentia denique erga Præceptores, quibus optimam institutionem, ac doctrinam debemus, & erga Senes, quarto Decalogi præcepto imperatur, ad illudque revocatur istud Levitici 19. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam Senis; & time Dominum Deum tuum. Ego Dominus.* Ecclesiastici 8. 7. 9. & seq. *Ne spernas hominem in suâ senectute: Etenim ex nobis senescunt ..... Ne despicias narrationem Presbyterorum Sapientium, & in proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & servire Magnatis sine querelâ. Non te prætereat narratio Seniorum: Ipsi enim didicerunt a patribus suis: Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Et Cap. 32. 10. & seq. *Adolescens, loquere in tuâ causâ vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In medio Magnatorum non præsumas, & ubi sunt senes, non multùm loquaris.* 1. ad Timotheum 5. 1. 2. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem: Anus ut matres.* 1. Petri 5. 5. *Adolescentes, subditi estote Senioribus.*

---

## §. V.

### V. *Decalogi Præceptum.*

*Quâ ratione alterum pro vita defensione occidere liceat.*

I. QUintum Decalogi Præceptum homicidium vetat. Exodi 20. Deuteronomii 6. *Non occides.* Cædis genus omne, quocumque modo fiat, sive ferro, sive baculo, sive saxo, sive veneno; cujuscumque personæ, etiam vilissimæ, hoc præcepto interdictum est. Qui consilium, opem, auxilium, societatem, quâ aggressoris excitetur vel roboretur audacia, vel quippiam aliud, ad alterius cædem patrandam confert, homicidii reus est. Ne quidem pro vitæ defensione alterum occidere licet, nisi duæ conditiones concurrant. 1. Ut actus omnes, in quos prorumpit interfector, ad vitæ ipsius conservationem sint necessarii. 2. Ut absit ultionibus voluntas, & homicidii intentio, sive ut interfector se cum moderamine inculpatæ tutelæ defenderit, vim vi repellens. Legantur *Lactantius* Lib. 6. *Divinarum Institutionum*, Cap. 20. *S. Basilius Epistola Canonica* Cap. 55. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 11. in Cap. 12. S. Joannis, *S. Ambrosius* Lib. 3. *De Officiis*, Cap. 4. *S. Augustinus* Lib. 1. *De Libero Arbitrio*, Cap. 5. *Lib. 22. contra Faustum*, Cap. 70. & Epistolâ olim 154. nunc 57. ad *Publicolam*, &c. & *S. Thomas Secundâ Secundæ Quæstione* 64. *Articulo* 7. Leges quidem humanæ eos qui vitam defendendo suam, aut pudicitiam, alium occidunt, ab homicidii crimine absolvunt absque scrupulosâ conditionum mox præscriptarum discussione: Sed Lex divina non absolvit, ut censet *S. Augustinus* Lib. 1. *De Libero Arbitrio*, hanc *Exodi* sententiam demum approbans: *Sed illi homines*, inquit, *lege inculpatâ, quomodo inculpati queant esse, non video: Non enim Lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate. Liberum eis itaque est neminem necare*

*re pro his rebus, quas inviti possunt amittere, & ob hoc amare non debent. De vitâ enim fortassè cuipiam sit dubium, utrùm animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur: sed si auferri potest, contemnenda est; si non potest, nihil metuendum. De pudicitiâ verò quis dubitaverit quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? Unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quicquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in potestate nostrâ non est: Quare quemadmodum nostrum appellandum sit, non intelligo. Quapropter Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: Sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio.* Et infra: *Videtur, ergo mihi & Legem istam, quæ Populo regendo scribitur, rectè ista permittere, & divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi hæc Lex Populi assumit, quæ satis sint concilianda paci hominibus imperitis, & quanta possunt per hominem regi. Illa verò culpæ alias pœnas aptas habent, a quibus sola mihi videatur posse liberare Sapientia.* Hæc *Evodius*. Quæ S. *Augustinus* laudat, approbatque his verbis: *Laudo & probo istam, quamvis inchoatam minùsque perfectam, tamen fidentem, & sublimia quadam petentem distinctionem tuam. Videtur enim tibi Lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur, & rectè. Neque enim quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda sunt.* Epistolâ verò ad *Publicolam* idem confirmat, & exceptiones affert, quibus alium occidere fas est, publicâ scilicet auctoritate, vel in bello justo pugnando. *De occidendis hominibus*, inquit, *ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit Miles, aut publicâ functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, acceptâ legitimâ potestate, si ejus congruit personæ. Qui verò repelluntur aliquo terrore ne malè faciant, etiam ipsis aliquid fortassis præstatur. Hinc autem dictum est,* Non resistamus malo, *ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit; non ut correctionem hominum negligamus. Unde nec reus est mortis alienæ, qui suæ possessioni murum circumduxerit, si aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat. Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo aliquem occidat; aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis? Aut verò quoniam Apostolus Paulus satis egit ut in Tribuni notitiam perferretur, insidias sibi a quibusdam perditis præparari, & ob hoc deductores accepit armatos, si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? Absit ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domestica & agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se vel alterum interimat: Nec arbor aut restis, ne quis se inde suspendat: Nec fenestra facienda est, ne per hanc se quisque præcipitet.* Indicatum S. *Ambrosii* locum temperare mihi non possum quin pariter subjiciam. *Non videtur*, inquit, *quod vir Christianus, & justus, & sapiens quærere sibi vitam alienâ morte debeat: Utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet.* His omnibus antiquior S. *Cyprianus* Epistolâ 56. absolutè pronunciat: *Occidere non licet, sed occidi necesse est.* Et Epistolâ 56. *Occidere innocentibus nec nocentem liceat.*

*Ob honoris defensionem alterum occidere non licet.*

II. Multò minùs ob honoris defensionem licet alterum occidere, puta calumniatorem. Id enim Evangelicis Christi Domini de patientiâ mandatis refragatur, eaque violat. *Diligite inimicos vestros* (inquit Christus Matthæi v. 44. 45.) *benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est; qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Et V. 39. 40. *Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Quæ S. *Augustinus* explicans Epistolâ olim V. nunc centesimâ trigesimâ octavâ ad *Marcellinum*, ait: *Nunc verò cavendum est, ne vindicandi cupiditate amittatur* (*ut nihil aliud dicam*) *ipsa patientia, quæ pluris est habenda, quàm omne quod potest etiam invito inimicus auferre..... Paratus itaque debet esse homo justus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs crescat bonorum, non ut pari malitiâ se quoque numero addat malorum..... Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est.* Qui verò impactam alapam, vel calumniam, proximi cæde vindicare non dubitat, præcepta ista patientiæ in cordis præparatione non retinet, sed malum pro malo, & gravius quidem pro minùs gravi reddit. Ex his principiis sequitur 1. Singularia certamina hoc Præcepto; *Non occides* esse prohibita, etiamsi tuendi honoris specie committantur. 2. Sui ipsius occisionem, etiam eo fine attentatam ne quis infamiæ suæ sit superstes, nullatenus licere: Quâ de re egregiè disserit S. *Augustinus* Lib. 1. *De Civitate Dei*, Cap. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & seq. 3. Puellis, quæ ex crimine conceperunt, non licere, ad vitandam infamiam fœtum excutere, etsi inanimatus supponatur, & homicidii reas esse, quæ *parricidales succos* ad fœtum abigendum propinatos sumpserint, vel sponte biberint, aut aliis mediis abortum procuraverint. *Homicidii enim festinatio est, prohibere nasci: Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui futurus est, & fructus omnis jam in semine est* (inquit *Tertullianus* Apologetici Cap. 9.) Suffragatur & *Minutius Felix in Octavio*, Ethnicos ita compellans: *Vos video procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequàm pariant. Et hæc utique de Deorum vestrorum disciplinâ descendunt. Nobis homicidium nec videre fas est, nec audire.* Idem præceptum violant parentes, qui infantes abjiciunt & exponunt, etiamsi ab aliquâ prætereunte misericordiâ colligantur.

*Utrùm furem occidere liceat ad bonorum temporalium defensionem?*

III. Furem pecunias aut quælibet fortunæ bona rapientem, ad hujusmodi bonorum defensionem & conservationem occidere non licet, nisi sit fur nocturnus, de quo ignoratur an ad furandum tantùm, an etiam ad occidendum venerit, aut fur diurnus, qui se telo defendat. Propositionis veritas ex eo patet, quòd inculpatæ tutelæ moderamen non servatur, cùm pecuniam auferenti vita eripitur, quod longè excellentius ac pretiosius bonum est. *Qui negligit damnum propter amicum, justus est: Iter autem impiorum decipiet eos* [inquit Sapiens *Proverb.* 12. 26.] Quomodo verò negligit damnum propter proximum, qui ut amicus secundùm Deum diligi debet; si ipsi propter ereptionem bonorum mortem inferat? *Perde pecuniam propter fratrem*; (inquit Spiritus Sanctus *Ecclesiastici* 29. 13.) At si fur occidatur, pecuniam

niam fraternâ salute potiorem ducimus. Exceptio autem furis nocturni disertè habetur Exodi 22. 2. 3. *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.*

*Vis qualibet proximo illata Lege damnatur.*

IV. Non modò cædes, sed mutilatio, & vis quælibet proximo illata prohibetur quinto Decalogi Præcepto. Quò spectant varia Præcepta Judicialia *Exodi 21.* Ex quibus patet, ab homicidii quidem pœnâ liberos fuisse, qui proximum percussissent, sed mulctis obnoxios fuisse, vel pœnæ talionis. Morte porrò vindicabatur homicidium voluntarium, ex Legis præscripto. Homicidæ involuntarii, qui odii vel inimicitiarum adversùs hominem interfectum convicti legitimè non fuissent, jure Asyli fruebantur in aliquâ ex Urbibus Refugii, ubi se continere debebant exsules ad mortem usque Summi Sacerdotis, si vitæ suæ ac securitati consultum vellent. Exodi 21. 12. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus: Constituam tibi locum in quem fugere debeat. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: Ab Altari meo evelles eum ut moriatur.* Confer Numerorum 31. 15. 16. 17. 18. & seq.

Vers. 18. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo. Si surrexerit, & ambulaverit foris, super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus & impensas in Medicos restituat.* Si vulneratus aliquo tempore meliùs se habuerit, ut credi possit magis Medicorum incuriâ, aut negligentiâ suâ mortuus, quàm ex vulnere, percussor homicidii reus non habetur.

V. 20. *Qui percusserit servum suum vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis* homicidii *reus erit*: Adeòque pœnæ obnoxius capitali. *Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est.* Misera & dura servorum sub Veteri Lege conditio, non tamen coram Deo insontes Domini, qui modum in corrigendis & castigandis servis excedebant: Siquidem violabant præceptum de proximi dilectione, quæ modum in coercendis servis imperat, ut exponit Apostolus ad Ephesios 6. 9. *Et vos Domini* (inquit) *eadem facite illis*, [ id est, in eos vicissim benevolentiam ostendite ) *remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis.*

V. 22. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: Subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.*

V. 26. 27. *Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.*

V. 29. *Si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt Dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: Et bos lapidibus obruetur, & Dominum ejus occident.* Sed si heredes vellent, permittebatur redemptio. *Quòd si pretium fuerit ei impositum, dabit pro animâ suâ quicquid fuerit postulatus.*

*Odium, ira, vindicta, quinto Decalogi præcepto prohibita.*

V. Odium inimicorum, ira, & vindicta quævis, aut vindictæ sensus ac voluntas, quinto Decalogi præcepto pariter prohibentur, interpretibus Christo Domino, & S. Joanne. Matthæi 5. 21. *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* 1. Joannis 3. 15. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Nec solùm Evangelicâ, sed & Mosaicâ Lege inimicorum dilectio imperata est. Nam & ad ipsos proximorum nominis significatio extenditur, quos diligere sicut semetipsum homo jubetur, & odium fratrum disertè prohibetur. Levitici 19. 17. 18. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo ..... Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut te ipsum. Ego Dominus.* Et Exodi 23. 4. 5. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum eo.* Proverb. 24. 17. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruinâ ejus ne exultet cor tuum. Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei: & auferat ab eo iram suam.* Cap. 25. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: Si sitierit, da ei aquam bibere: Prunas enim congregabis super caput ejus, & dominus reddet tibi.* Ecclesiastici 8. 8. *Noli de mortuo inimico tuo gaudere: Sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire.* Ecclesiastici 28. 1. 2. & seq. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam; & peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecabitur? Ipse cùm caro sit, reservat iram, & propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum, & desine inimicari. Memorare timorem Dei, & non irasceris proximo. Memorare Testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi.*

*Naturale jus Talionis non est, nec privatis hominibus permissum.*

*Grotius refellitur.*

Lex Talionis *Genesis* 9. 6. & *Exod.* 21. 22. constituta, vindictam non permittit, imò potiùs appetitum vindictæ moderatur. Neque naturale jus Talionis est, & privatis hominibus permissum, sed solis Principibus & Judicibus, penes quos publica est auctoritas, quicquid in contrarium effutierit *Grotius Annotationibus in Genesim & Lib. 1. De Jure Belli & Pacis, Cap. 2.* Sibi namque vindictam Deus servavit, Deuteronomii 32. 35. *Mea est ultio & ego retribuam in tempore.* Epistolæ ad Romanos 12. 19. 20. 21. *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Scriptum est enim; Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: Si sitit, potum da illi: Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Jus itaque Dei quovis tempore usurpavit, quisquis vindictam exercuit, & mortem homicidæ, vel pœnam Talionis percutienti, & grave nocumentum inferenti, privatâ auctoritate inflixit. Quòd autem Lex Talionis vindictam non permiserit, sed violentiam paris pœnæ metu cohibuerit, docet *Tertullianus Lib. 2. contra Marcionem, Cap. 18. Non injuriæ* [ inquit ] *mutuò exercendæ licentiam sapit, sed in totum cohibendæ violentiæ prospicit, ut quia durissimo & in Deum infideli Populo longum vel etiam incredibile videretur a Deo expectare defensam, edocendam postea per Prophetam: Mihi defensam, & ego defendam, dicit Dominus: Interim commissio injuriæ metu vicis statim accursuræ repastinaretur: & licentia retributionis probibitio esset provocationis.* Et *S. Augustinus Lib. 19. contra Faustum, Cap. 25. Proinde,* ( inquit ) *Oculum pro oculo, dentem pro dente: Non fomes, sed li-*

*limes furoris est: Non ut id quod sopitum erat hinc accenderetur; sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur*, &c. Et *S. Isidorus Pelusiota*, Lib.2. Epistolâ 133. *Illud* [ inquit ] Oculum pro oculo, & dentem pro dente: *Judæis a mansuetissimâ illâ Naturâ idcirco præscriptum ac Lege sancitum esse opinor, non ut iis a quibus injuriam acceperant, veniam negarent, crudelesque se præberent, quemadmodum censent Manichæi, qui Vetus Testamentum infectantur; Sed ut eadem, quæ agunt, perpeti metuentes, ab injuriâ abstineant. Quod quamquam justum & rationi consentaneum est, tamen divina tranquillitas ad lenitatem & bonitatem spectans, hominesque ad eam acuens, per id quod eum, qui injuriam intulit, ulcisci sanxit, supplicii metu peccata repressit & coërcuit. Nisi enim sit qui lacessat, ne quidem erit qui ulciscatur. Quamobrem Sapientiæ Legislatoris altitudinem animadvertant, ut non promptè temerèque ipsum ut sævum & crudelem accusent. Nam quod in Evangelio dictum est:* ,, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, ,, obverte illi & alteram: *Non cum lege illâ pugnat, sed majus ac præstantius est, summaque Philosophiæ meta. Illa etenim ut ne quidem omnino quispiam faceret, Lege præscripta sunt: ( Nam ut æquo ac libenti animo paterentur, haudquaquam audire sustinuissent homines cruoris siti flagrantes: ) Hæc autem ut etiam prompto animo patiatur, tradita & promulgata sunt.*

---

## §. VI.

### *VI. Decalogi Præceptum.*

*Ordo præceptorum Decalogi non idem in Hebræo Textu, & Græcâ Versione.*

I. ORdo præceptorum Decalogi non idem est in Hebræo Textu, & Græcâ Versione 70. Interpretum. In Hebræo, Syriacâ Versione, Chaldaicâ Paraphrasi, & Vulgatâ nostrâ Latinâ, sextum Decalogi Præceptum est, *Non mœchaberis*, quod præcedit de non occidendo præceptum. In Græcâ verò Versione quintum præceptum est, *Non mœchaberis*. Hunc ordinem secutus est *Philo Judæus* Lib. De Decalogo. *Præceptum* ( inquit ) *de honorandis parentibus claudit priorem illum divinum quinarium. Alterum verò scripturus Legislator interdicta continentem, & spectantem ad homines, orditur ab adulterio ut peccato gravissimo.* Et rursum postea cùm mala ex adulterio sequentia exposuisset: *Non mirum* ( inquit ) *si adulterium res probrosa & invisa Deo primum locum inter peccata obtinet. Secundò verò interdicitur homicidium*, &c. Eumdem ordinem secuti sunt Veterum nonnulli, Græcis Codicibus inhærentes, ut *Tertullianus* Libro De Pudicitiâ: *Et ampliùs præmittens*, Non mœchaberis, *adjungit*, Non occides. *Oneravit utique mœchiam, quam homicidio anteponit. In primâ itaque fronte sanctissimæ Legis, in primis titulis cœlestis Edicti, principalium utique delictorum proscriptione signata, de loco modum, de ordine statum, de confinio meritum cujusque dignoscas. Est & mali dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur. Pompam quamdam atque suggestum adspicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii subsequentis. Inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digna consedit, & per medium eorum, quasi vacantem locum, pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus inclusam, talibus costis circumfultam, a cohærentium corpore divellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum scelerum complexu?* Et quoties Veteres, qui Versionem 70. Interpretum sequi soliti sunt, alio ordine adducunt hæc præcepta, ex *Deuteronomio* adducunt, non ex *Exodo*. Nam & Græci Codices in Deuteronomio eodem ordine Decalogi præcepta habent, quo Textus Hebræus, & Vulgata nostra in Exodo. Græcum Exodi sequuntur *S. Marcus* Cap.10. 19. & *S. Lucas* Cap.18. 20. in primitivo Textu, cujus ordinem Vulgatus Interpres non sequitur: τὰς ἐντολὰς οἶδας, Μὴ μοιχεύσης, Μὴ φονεύσης, Μὴ κλέψης. *Mandata nosti? Ne mœcheris, Ne occidas, Ne fureris.* Ordinem Deuteronomii sequitur Græca *S. Matthæi* Versio, & plerique Veterum.

*Adulterium sexto Decalogi præcepto præcipuè prohibitum: consequenter omnis extra legitimum Matrimonium Veneris usus.*

II. Mœchiæ nomine adulterium significatur, eoque præcepto, *Non mœchaberis*, præcipuè vetatur adulterinus concubitus; consequenter quilibet extra legitimum Matrimonium usus Veneris. Unde præcepta Moralia quibus prohibentur peccata contra naturam, Incestus, raptus, stuprum, fornicatio, tactus, aspectus impudici, verba obscœna, oscula libidinosa, &c. ad hoc præceptum revocantur. Audiendus eâ de re *S. Augustinus* Quæstione 71. in Exodum. *Omnis ergo Mœchia* [ inquit ] *etiam fornicatio in Scripturis dicitur. Sed utrùm etiam omnis fornicatio mœchia dici possit, in eisdem Scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri qui uxores non habent, cum feminis quæ maritos non habent, utrùm inveniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, [ Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed utique a parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur ] profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.* Hoc præceptum *Non mœchaberis*, utrique sexui æqualiter datum: Illudque violant & uxor quæ alteri quàm marito sui dat usuram, & qui alienam uxorem polluit, & mulier soluta quæ viro conjugato sui corporis copiam facit. Uterque mortis damnantur Levitici 20. 10. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus, & adultera.* Confer *Deuteronomii* 22. 22. Hanc pœnam in Romanum Imperium introduxerunt Christiani Principes *Constans* & *Constantinus*, ut ex Codice Theodosiano apparet. Neque gravior æquo hæc pœna putanda est, si quis consideret ex conjugiis nasci conservarique Civitates, earum fundamenta convelli adulterio, conjugalem amorem in odium verti, supponi hæredes, domos totas impleri probris atque inimicis, quæ sæpè & in perniciem publicam erumpant. Quæ mala *Philo Judæus* facundè exponit Lib. De Decalogo. *Adulterium* ( inquit ) *fontem habet amorem voluptatis, qua & corpus atterit, & robur animi resolvit, & rem familiarem absumit, quidquid attigerit more ignis adurens, & nihil salvum relinquens in vitâ hominum. Hæc adultero persuadet, ut non solùm ipse peccet, sed & alios adsciscat in culpæ societatem nefariam, & adversam societati legitimæ. Pereitur enim hoc oestro, non potest solus explere cupiditatem, sed opus est omnino, ut duo sint, alter quasi magister nequitiæ, alter discipulus rei turpissimæ. Nec enim solùm corpus mulieris impudicæ vitiatur; sed si vera fateamur, multò priùs animus assuefcit malis moribus, dicens modis omnibus aversari maritum, & odio prosequi: Quod tamen malum levius multò esset, si non dissimularetur. Nam quæ sunt in propatulo, caventur faciliùs. Nunc verò vix ullus suspicioni locus relinquitur, adeò se malis artibus celat & obumbrat, ne deprehendatur, plerumque præ se ferens affectum contrarium, & mirificis præstigiis opinionem amoris sibi concilians. Eâdem certè*

*Adulterii pœna.*

*operâ subvertuntur tres familiæ. In cujus conjugium violatur, nuptialia vota perdidit, & spem prolis legitimæ, nec minus incommodi accipiunt reliquæ duæ domus adulteri & adulteræ, quandoquidem ambæ replentur dedecore, contumeliâ, probrisque turpissimis. Quòd si numerosę fuerint istę familiæ, multis cognationibus affinitatibusque implicitę, totam Civitatem accendet hoc flagitium obambulans per ora civium. Permolestum est enim dubitare de liberis: Et quoties parum integrè servatur uxoris pudicitia, verus pater certò cognosci non potest: Itaque dum res in obscuro latet, adulterini subrepunt pro legitimis, alienarum familiarum sinceritatem depravant, hæreditatem paternam, alioqui nihil ad se pertinentem, usurpant. Et adulter, postquam illusâ muliere, dispumavit ferventem libidinem, & explevit nefariam cupidinem, abit ridens læsi mariti ignorantiam. At ille tamquam cæcus, nihil sciens de fraude domesticâ, ut propriam sobolem indulgenter habebit natos ex infensissimis hominibus. Quod si detegatur injuria, miserrimi erunt licèt insontes pueri, in neutro accensendi genere, nec mariti, nec adulteri.*

*Adulterii gravitas.* III. Verùm criminis istius gravitatem ipsis Scripturæ verbis describere juvat. Job.31. Vers.11. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Proverbiorum 6. 27. & seq. *Mulier pretiosam viri animam capit. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam. Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: Furatur enim ut esurientem impleat animam: Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domûs suæ tradet. Qui autem adulter est, propter inopiam perdet animam suam: Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Ecclesiastici 23. 25. & seq. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellet a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognovit quoniam oculi Domino multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.... Hic in plateis Civitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur: Et ubi non speravit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno Matrimonio: Primo enim in Lege Altissimi incredibilis fuit: Secundò in virum suum deliquit: Tertiò in adulterio fornicata est, & ex altero viro filios statuit sibi. Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.* Quàm execrandum sit hujusmodi crimen ex eo rursus probatur, quòd in Veteri Lege Deus ad patrandum veluti continuum miraculum se obstrinxerit, ut mulierum adulterarum flagitium per sacrificium zelotypiæ detegeretur, terribilique modo puniretur. Quâ de re Lex exstat

*Sacrificium Zelotypię.*

*Numerorum* 5. 12. & seq. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Loquere filiis Israël & dices ad eos: Vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro: Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsâ suspicione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illâ, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: Non fundet super eam oleum, nec imponet thus: Quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium. Offeret igitur eam Sacerdos, & statuet coram Domino. Assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento Tabernaculi mittet in eam. Cùmque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit. Adjurabitque eam, & dicet: Si non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es, deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in Populo suo: Putescere faciat femur tuum: & tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen. Scribetque Sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit, & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet Sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, & elevabit illud coram Domino, imponetque illud super Altare: Ita dumtaxat ut priùs pugillum Sacrificii tollat de eo, quod offertur, & incendat super Altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cùm biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: Eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni Populo. Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.* Adulteri publicæ Pœnitentiæ olim subjacebant, non minùs quàm Idololatræ & homicidæ. Quædam Ecclesiæ Africanæ adulteris etiam moribundis, quamvis pœnitentibus, Absolutionem negarunt, teste *S. Cypriano* Epistolâ 52. *Apud Antecessores nostros* [ inquit ] *quidam de Episcopis isthic in Provinciâ nostrâ dandam pacem Mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentię locum contra adulteria clauserunt, &c.* Quod ab iis factum, *non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ.* Hinc adulterii gravitatem enormemque malitiam ampliùs disce. Pares autem in luendis pœnis viros adulteros & mulieres adulteras esse debere, & viros injustè conqueri quòd pari severitate & ipsi puniantur, ostendit *S. Augustinus Lib. 2. De Adulterinis Conjugiis*, Cap. 8. *Quasi*, inquit, *non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt: Quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt. Quasi non propterea minùs debeant a libidine superari, quia viri sunt: quasi non propterea minùs debeant lascivienti carni servire, quia viri sunt: Et tamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas, cùm tantò graviùs eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt:* Caput mulieris vir: *Ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere: & ideo cavendum viro* *Ephes. 5. 32.*

li-

*illac ire vivendo, quia timet ne uxor sequatur imitanda. Sed isti quibus displicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma servetur, & potiùs eligunt, maximèque in hac caussâ, Mundi Legibus subditi esse quàm Christi, quoniam Jura forensia non eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere; legant quid Imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, qui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit.* Imperatorii verba Rescripti profert S. *Augustinus*, subditque: *Quæ cùm ita sint, numquid ideo minor est, ac non potiùs major & pejor virorum impudicitia, quia inest illis superba & licentiosa jactantia? Non igitur exhorreant viri, quòd Adulteræ Christus ignovit: Sed potiùs cognoscant etiam periculum suum, & simili morbo laborantes ad eumdem Salvatorem supplici pietate confugiant, & quod in illâ factum legunt, sibi etiam necessarium esse fateantur, adulteriorum suorum medicinam suscipiant, adulterare jam desinant, laudent in se Dei patientiam, agant pœnitentiam, sumant indulgentiam, mutent de pœnâ feminarum & de suâ impunitate sententiam.*

*Fornicatio simplex sexto Decalogi præcepto prohibita.*

V. Fornicatio, quam simplicem vocant, viri scilicet soluti cum solutâ muliere concubitus, sexto Decalogi præcepto pariter prohibetur, de quâ Tobiæ 4. 15. *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Proverbiorum 5. 2. & seq. *Ne attendas fallaciæ mulieris. Favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant ... Longè fac ab eâ viam tuam, & ne appropinques foribus domûs ejus. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo alienâ, & gemas in novissimis.* Et Cap. 6. 24. 25. 26. *Mandatum lucerna est, & Lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ: Ut custodiant te a muliere malâ, & a blandâ linguâ extraneæ. Non concupiscat pulcritudinem ejus cor tuum, nec capiaris in nutibus illius: Pretium enim scorti vix est unius panis: Mulier autem viri pretiosam animam capit.* 1. ad Corinthios 6. 9. *Nolite errare: Neque fornicarii, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores,* &c. *Regnum Dei possidebunt.* v. 3. & seq. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Deus autem & Dominum suscitavit: Et nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur? Erunt enim* (*inquit*) *duo in carne unâ. ... Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Ad Ephesios v. 3. & seq. *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hereditatem in Regno Christi & Dei.* Ad Galatas v. 19. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* &c. *Quæ prædico vobis, sicut prædixi: Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Apocalypsis 21. 8. *Fornicatoribus pars erit in stagno ardenti igne & sulphure: Quod est mors secunda.* Meretricius quæstus Lege prohibitus est Deuteronomii 23. 17. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël.* In versione 70. Interpretum additur: *Non erit initiatrix inter filias Israël, nec initiatus inter filios Israël.* Quod ex aliâ Versione irrepsisse eorum, qui hunc locum de initiatione idololatricâ, seu de scortis devotis & Numini alicui fœdo solemniter consecratis, observat *Grotius*. Ethnici scorta utriusque sexûs Diis suis sacrata, in eorum Templis pudorem suum prostituentia habuere, quæ hac turpitudine cultum & obsequium illis præstare credebantur. Testes sunt fœdi illius moris *Herodotus* Lib. 1. Historiæ Cap. 199. *Una Babyloniis lex est omnibus modis fœda. Nempe omnibus mulieribus indigenis commune est, semel in vitâ ad Veneris Templum desidentibus, cum externis viris consuetudinem habere. Caterùm cum pleræque sint divitiis tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis vectæ pro Templo consistunt; relictâ interim a tergo magnâ famulitii turbâ. Pleræque etiam hunc in modum faciunt: Ad Templum Veneris sedent nodis corollisque tempora revinctæ multæ Mulieres, e quibus aliæ accedunt, aliæ discedunt. Nam diverticula undecumque his funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas quam cuique libuerit deligendam. Porrò cùm semel illic consederint, non priùs domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum injecerit, & cum eâdem a fano seorsum abductâ rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet. Ego tibi Deam Mylittam imploro. Mylittam enim Assyrii Venerem appellant. Ac verò pecuniam illam quantulacumque sit, non fas est rejicere, siquidem in sacrum convertitur usum.* Ex hoc *Herodoti* loco lux affulget aliqua verbis illis Epistolæ *Jeremiæ* quæ habetur *Baruch* Cap. 6. Vers. 42. *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. Cùm autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit. Omnia autem quæ illis* ( Diis scilicet Gentium ) *fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum, aut dicendum est, illos esse Deos?* De scortis alicui Gentium Numini devotis loqui Prophetam, ex loci serie, & illius collatione cum loco *Herodoti*, evidens est. *Strabo* Lib. 12. *Geographiæ*, de Comanâ Cappadociæ, & Templo illic Deæ Lunæ sacro hæc refert: *Eò conveniunt homines, sub exitu Deæ, undique ex urbibus & agris ad festivitatem, & multi peregrini sacrificia Deæ exhibendi gratiâ ibi degunt. ... Multæ etiam mulieres corpore quæstum facientes, quarum pleræque sunt sacræ. Nam Urbs hæc quasi parva quædam est Corinthus, quòd hìc quoque propter multitudinem Meretricum Veneri sacrarum multi peregrè agant, & festos dies agitent.* His consentanea sunt quæ habet *Alexander ab Alexandro* Lib. 6. *Genialium dierum*, Cap. 26. *Corinthi supra mille Prostitutæ in Templo Veneris assiduè degere, & inflammatâ libidine quæstui meretricio operam dare, & velut Sacrorum Ministræ Deæ famulari solebant.* De scortis Corinthi Veneri sacris legi potest & *Athenæus*, *Deipnosophiæ* Lib. 13. Cap. 2. p. 573. *S. Athanasius* Oratione contra Gentes p. 27. *Propemodum omnes civitates omnibus libidinibus scatent ob immanitatem morum, quam in suis Diis conspiciunt. Neque est in hoc genere Deorum quem castum appelles, nisi illum fortasse, cujus*

*Scorta falsis Numinibus apud Ethnicos devota.*

*jus libidines testata & in confesso habentur.* *Olim certè Phœnissæ Mulieres ante Idola prostituebantur, dedicantes Numinibus suum quæstum, persuasæ meretricatu ea propitiari, ac prosperitatem rerum inde nasci. Viri quoque abdicato sexu, nec se amplius mares esse ferentes, mulierum naturam affectaverunt, tanquam ita honorifica grataque Matri Deorum facturi essent.* De hujusmodi scortis devotis, intelligendus est locus ille Oseæ 4. 13. 14. *Super capita Montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama, subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus: Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras cum adulteraverint: Quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, & cum effeminatis sacrificabant.* Quæ verba S. *Hieronymus* ita commentatur: *Nos effeminatos vertimus, ut sensum verbi nostrorum auribus panderemus. Hi sunt quos hodie Roma Matri non Deorum sed Dæmonum servientes, Gallos vocant; Eo quòd de hac Gente Romani truncatos libidine, in honorem Atys, quem Eunuchum Dea Meretrix fecerat, Sacerdotes illius manciparint. Propterea autem Gallorum Gentis homines effeminantur, ut qui Urbem Romam ceperant, hâc feriantur ignominiâ. Istiusmodi Idololatria erat in Israël: Colentibus maximè feminis Beelphegor ob obsceni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare. Unde & Asa Rex tulit Excelsa de Populo, & hujuscemodi Sacerdotes, & Matrem de augusto deposuit Imperio, sicut Scriptura testatur, dicens:* Et fecit

3. Reg. 15. „ *Asa* rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus, & abstulit effeminatos de terrâ, „ purgavitque omnes sordes Idolorum, quæ fecerant patres ejus. Insuper & *Maacham* matrem suam amovit, ne esset Princeps in Sacris „ *Priapi*, & in luco ejus quem consecraverat; „ subvertitque specum ejus, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in Torrente „ Cedron. *Sciendum autem quòd in præsenti Meretrices ἱερὰς, id est, Sacerdotes Priapo mancipatos vocet.* De his præsertim scortis falso alicui Numini devotis intelligendam hanc *Deuteronomii* legem, *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël*, Vir Eruditus contendit, & ex parallelo *Levitici* loco 19. Cap. Vers. 29. confirmat: *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.* Ex his enim verbis apparet, Legem de solemni aliquâ filiæ publicatione, Patre non annuente tantùm, sed & cogente, factâ intelligendam esse. At verisimile non est, patres ullos filiarum suarum pudori & honori malè adeò consulere voluisse, ut eas publicarent & scortari facerent; nisi ut eas Deæ *Mylittæ* initiarent, & ritu tam fœdo Numinis illius gratiam filiabus suis conciliarent. Ita disserit *Spencerus* Lib. 2. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Cap. 22. Observat idem Auctor, Hebræorum Reges Idololatriæ extirpandæ studiosos scorta fœdo alicui Numini mancipata de medio sustulisse, cùm e locis plurimis constet Hebræorum Magistratus vulgaria scorta impunè habuisse. Nam Lege cautum est, ne Sacerdotes *scortum & vile prostibulum ducant uxorem*, sed *puellam de Populo suo*, eamque *Virginem*. Ex Libro *Judicum*, Cap. 11. discimus *Jephte fuisse filium mulieris meretricis*. Duæ meretrices coram *Salomone* litigarunt. Loco laudato *Deuteronomii* post hæc verba, *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël;* subdit Moyses: *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui.* Hebræorum

Levit. 21. 7. rum itaque Magistratus hanc legem de scorto tantùm sacro, non de qualibet feminâ corpore quæstum faciente interpretatos esse. Verùm quamvis meretrices vulgares ex alienigenis tulerint, vel impunè dimiserint Hebræi, consequens minimè est meretricium quæstum divinâ Lege prohibitum non fuisse, & sexto Decalogi præcepto pariter interdictum; illâque Lege expressiùs vetitum: *Non erit meretrix de filiabus Israël*, quam non solùm de scortis sacris, sed vulgaribus intelligi, ex aliis Scripturæ Sacræ locis colligitur, & ex *Philone Judæo* Lib. De Specialibus Legibus. *Scortum*, inquit, *Lex ejicit e Republicâ, ut honestate, pudore, sobrietate, ac cæteris virtutibus vacuum, & replens viros feminasque impudicitiâ, deturpansque immortalem mentis pulchritudinem; solam verò corporis venustatem brevi perituram excolens, prostituens se prætereuntibus, & florem ætatis venditans, ad illectandos juvenes omnia tum dicens, tum faciens. Eadem committit amatores suos, in honestum præmium se ipsam proponens ei qui plura dederit. Ergo ut pestis labesque publica saxis obruetur.* Lege quæ Dissertatione de *Judæ* & *Thamaræ* Historiâ diximus.

Puella, quæ prostitutæ in domo paternâ virginitatis convicta erat, ejiciebatur extra fores domûs paternæ, & lapidibus obruebatur: *Quoniam* (inquit Lex Deuteronomii 22.) *fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de medio tui.*

VI. Stuprum, quo Virginis integritas violatur, simplici fornicatione gravius, sexto præcepto multò magis prohibitum est. Lex de stupris lata Deuteronomii 22. *Si seduxerit quis Virginem necdum desponsatam, dormieritque cum eâ, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater Virginis dare voluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam Virgines accipere consueverunt.* Et Deuteronomii 22. 28. *Si invenerit vir puellam Virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illâ, & res ad judicium venerit: Dabit qui dormivit cum eâ patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* In priori loco agitur de eo qui puellam pellexit; In posteriori de eo qui vim intulit. Hujus pœna gravior quàm alterius: Qui enim ipsam pellexit, si eam uxorem ducere permittitur, non dat dotem, nec illam dimittere vetatur: Posterior verò & mulctâ, & repudii prohibitione plectitur. Stuprum puellæ desponsatæ ante Nuptias illatum æquiparabatur adulterio, & eâdem pœnâ puniebatur, cùm in stupratore, tum in ipsâ puellâ, si in Urbe existens non clamasset, quia consensisse præsumebatur; secùs si in agro, quia clamasse supponebatur, & a nemine audita fuisse, aut existimasse, & quidem non temerè, clamorem in loco ab hominum frequentatione aut viciniâ remoto inutilem futurum. Deuteronomii 22. 23. *Si puellam Virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum eâ, educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: Puella, quia non clamavit, cùm esset in civitate: Vir quia humiliavit uxorem proximi sui; & auferes malum de medio tui. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum eâ, ipse morietur solus: Puella nihil patietur, nec est rea mortis, Quia sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam ejus, ita & puella perpessa est; Sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eam.* *Stuprum.*

VII. Eodem Decalogi præcepto prohibetur raptus, quo mulier quævis, contra suam voluntatem, ad concubitum opprimitur; quo modo *Dina* a *Sichem* filio Principis Sichimorum rapta est: Sive quo mulier invita abducitur, etiamsi postea in stuprum consentiat: Sive quo uxor invito marito, vel filia invito patre abducitur, etiam consen- *Raptus.*

ſentiens. Leges civiles pœnam capitis in raptores decreverunt L. *Raptores*. C. *De Epiſcopis & Clericis*. L. Un. Cod. *De Raptu Virginum*. & L.1. *Cod. Theodoſ.* eodem Tit. *Henrici* III. Chriſtianiſſimi Regis Edictum in Comitiis Bleſenſibus Art.42. & 43. Ipſos Aſyli ſacri jure privatos decrevit Synodus Aurelianenſis I. ut conſtat ex ejus ad *Clodoveum* Regem Reſcripto. Matrimonium raptoris cum muliere raptâ, quamdiu illa in poteſtate raptoris eſt, nullum declaravit Sacra Synodus Tridentina Seſſ.24. *De Reformatione Matrimonii*, Cap.6. & raptorem ipſum, omneſque illi conſilium, auxilium, & favorem impendentes, ipſo jure excommunicatos ac perpetuò infames denuntiat. Tenetur inſuper raptor mulierem raptam decenter dotare arbitrio Judicis, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit.

*Sacrilegium.* VIII. Sacrilegium, quo quis emiſſum a ſe votum caſtitatis opere violat, vel cum perſonâ Deo ad caſtitatem conſecratâ fœdè commiſcetur, ſtupro vulgari gravius eſt, quòd ſpecialis Deo fiat injuria. Apoſtolus 1. ad *Timotheum* 5. 2. 12. de junioribus Viduis, quæ continentiæ votum violarunt: *Cùm*, inquit, *luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

*Inceſtus.* IX. Inceſtus, quo quis effreni libidine cum conſanguineâ vel affini commiſcetur, etiam Matrimonii nomine, citra legitimam diſpenſationem ab Eccleſiâ datam in iis gradibus, in quibus diſpenſari poſſe Canones ſanxerunt, ſextum Decalogi præceptum propriâ deformitate ac malitiâ infringit. De inceſtis commixtionibus Lex habetur *Levitici* 18. 6. 7. & ſeq. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: Mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies: Turpitudo enim patris tui eſt. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſive ex matre, quæ domi, vel foris genita eſt, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filiâ, non revelabis, quia turpitudo tua eſt. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non revelabis: Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies: Quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro ſit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quę tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurûs tuæ non revelabis, quia uxor filii tui eſt, nec diſcooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: Quia turpitudo fratris tui eſt. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non ſumes; ut reveles ignominiam ejus: Quia caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illâ vivente.* Pœnæ capitis, aut certè divinæ maledictioni inceſtuoſos Lex addicit ac devovet Levitici 20. *Qui dormierit cum novercâ ſuâ, & revelaverit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo. Sanguis eorum ſit ſuper eos. Si quis dormierit cum nuru ſuâ, uterque moriatur, quia ſcelus operati ſunt; Sanguis eorum ſit ſuper eos. Qui ſupra uxorem filiam duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt: Vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio veſtri. Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ & viderit turpitudinem ejus, illaque aſpexerit fratris ignominiam: Nefariam rem operati ſunt: Occidentur in conſpectu Populi ſui. Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non diſcooperies: Qui hoc fecerit, ignominiam carnis ſuæ nudavit; Portabunt ambo iniquitatem ſuam. Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi ſui, & revelaverit ignominiam cognationis ſuæ, portabunt ambo peccatum ſuum: Abſque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris ſui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui revelavit; abſque liberis erunt.*

De inceſtis conjunctionibus Lege vetitis præclare differentem audire juvat *Philonem Judæum*, Lib. *De Specialibus Legibus*, p.600. *Eadem Lex*, inquit, *Perſicum quoque morem execratur ut inceſtiſſimum. Honoratiores enim Perſæ cum matribus contrahunt Matrimonia, & natos inde arbitrantur nobiliſſimos, Regioque (ut ferunt) dignantur ſolio, quo nihil excogitari poteſt magis impium, conſpurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri exhiberi nullam reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem viciſſim uxoris nomen aſſumere, communes liberos patris quidem fratres, matris vero nepotes cenſeri. Hanc prolis ſuæ matrem ſimul eſſe, ac aviam: Illum filiorum patrem & germanum uterinum...... At noſtra Lex tantam cautelam adhibuit in hoc negotio, ut ne a privigno quidem poſt patris obitum novercam duci permittat, tum ob patris reverentiam, tum quia noverca & mater cognatæ appellationes videntur: Tanto magis a matre oportet abſtinere injuriam probroſiſſimam. Si quidem qui propter patris memoriam reveretur mulierem, quæ quondam illius conjux fuerat, ſatis apparet quòd multò magis in honorem utriuſque parentis cum matre nihil tentabit novum & illicitum. Stultum enim fuerit rationem habere dimidiati generis, integrum verò prorſus contemnere. Deinceps præcipitur, ne ſororem quidem eſſe ducendam, honeſtum ſanè præceptum, & aptum continentiæ: Quamvis Athenienſis Solon hoc obſervat in uterinis tantùm germanis, eodem patre prognatis relinquit liberum. Contra Lacedæmoniorum Legiſlator uterinis non interdicit connubio, ſed ſolis eodem patre genitis. At Ægyptius ridens utriuſque ſimplicitatem & ſemiperfecta placita, laxavit libidinem, & auxit in corporibus animiſque inſanabile malum intemperantiæ, permiſsâ licentiâ ducendi ſorores, ſive per alterutrum parentem, ſive per utrumque cognatas, majores pariter & minores, æqualeſve, ne gemellis quidem exceptis, quas natura ipſo natali ſejunxit, intemperantia verò ſocietate copulavit inſociabili, & male comparatâ juncturâ. Quas Leges abominatus Moyſes ſanctiſſimus, ut attentiſſimas a bene conſtitutâ Republicâ, & incitantes ad omnem turpitudinem, modis omnibus prohibuit congreſſum cum ſororibus ſive utrumque, ſive alterum tantùm parentem communem habentibus. Quid enim opus eſt deturpare pudoris pulchritudinem, & Virgines ne erubeſcant aſſuefacere? Quorſum autem attinet obſtare quo minus affinitates jungantur cum aliis, & intra domeſticorum parietum anguſtias rem honeſtiſſimam includere: Cùm extendi ac diffundi poſſit per continentes terras & Inſulas; denique totius orbis habitati Provincias? Nam connubia cum exteris novas conjunctiones faciunt nihilo deteriores quàm conſanguinitas. Quapropter & aliarum multarum Nuptiæ vetitæ, neptium, conſobrinarum, niruum, privignarum, ſeu viduarum, ſeu virginum, ſive uxore vivâ, ſive poſt ejus obitum. Non fratris, patruive uxorem licet ducere, tantò minus privignam, cui vitricus parentis loco eſt, & ipſa viciſſim loco filiæ, nempe ex uxore hujus genita. Similiter duas ſorores uni marito nubere non permittitur, nec ſimul, nec ſucceſſivè, etiamſi prior repudiata fuerit.* Lege *S. Auguſtinum* Libro 15. *De Civitate Dei*, Cap.16.

X. Peccata contra naturam ſummum tenent in hiſce fœditatibus malitiæ & abominationis gradum, mollities, ſodomia, beſtialitas. De quibus *Peccata contra naturam.*

bus Levitici 18. 22. 23. *Cum masculo non commiscearis coïtu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coïbis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei: Quia scelus est.* Cap. 20. 13. 15. 16. *Qui dormierit cum masculo coïtu feminea, uterque operatus est nefas, morte moriantur: Sit sanguis eorum super eos. Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur: Pecus quoque occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo: Sanguis eorum sit super eos.* Apostolus Epistolæ ad Romanos Cap. 1. 5. 25. 26. 27. *Servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes* 1. ad Corinthios 6. 10. *Nolite errare: Neque fornicarii, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores .... Regnum Dei possidebunt.* Masculam Venerem *præter naturam esse, sceleſtam, nefariam*, Ethnici ipsi Sapientes solo rationis lumine conclamarunt. *Plato* Lib. 1. *De Legibus* (quem tamen infando amori patrocinatum fuisse in *Phædro*, censet *Eusebius* Libro 13. *Præparationis Evangelicæ*, prolatis ejus verbis; sed in ejus sententiam inpræsentiarum inquirere non vacat.) *Plutarchus* in Amatorio; *Maximus Tyrius* Dissertatione 10. *Seneca* Epistolâ 95. Quamquam alii pleríque falsorum Deorum cultores, etiam qui Sapientiæ laudem ambiebant, in nefariam illam & abominandam libidinem prolapsi sint, quod de *Solone* Plutarchus, de *Zenone* Diogenes Laërtius testantur. Quantùm Romæ cum idololatriâ invaluerit pæderastia, testes sunt Seneca, Martialis, Juvenalis, Horatius, Tacitus, Suetonius; & ex Patribus Justinus Martyr Apologiâ 2. Theophilus Antiochenus in libris ad Autolycum, Minucius Felix in Octavio &c. Lege *Philonem* Libr. *De Specialibus Legibus*, p. 604. & 605. Salvianum consule Lib. 7. *De Gubernatione Dei*, versùs finem, *Petrum Damiani* in *Libro Gomorrhiano*.

*Tactus, oscula, aspectus, colloquia impudica.*

XI. Aspectus, tactus, oscula, colloquia impudica sexto Decalogi præcepto prohibita censeri debent. Quæ Christus & Spiritus Sanctus in aliis Scripturæ locis reprehendunt, damnant, ab iisque cavere jubent. Matthæi 5. 27. 28. *Audistis, quia dictum est antiquis. Non mœchaberis: Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* S. Petrus Epistolæ 2. Capit. 2. 14. *Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti.* Job 31. 1. 2. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* Ecclesiastici 26. 12. *Fornicatio mulieris in extollentiâ oculorum, & in palpebris illius agnoscetur.* Isaiæ 3. 16. *Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant; Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit, &c.* Ecclesiastici 9. 3. 4. 5. 7. & seq. *Ne respicias mulierem multivolam: ne fortè incidas in laqueos illius. Cum saltatrice ne assiduus sis: Nec audias illam, ne fortè pereas in efficaciâ illius. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius .... Averte faciem tuam à muliere comptâ, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Cum alienâ muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum eâ super cubitum: Et non alterceris cum illâ in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.* Cap. 42. 12. 13. 14. *Omni homini noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari: De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier fundens in opprobrium.* Hunc Paragraphum absolvo *Tertulliani* verbis Apologetici 46. *Democritus excæcando semetipsum, quòd mulieres sine concupiscentiâ aspicere non posset, & doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. At Christianus salvis oculis feminas non videt, animo adversùs libidinem cæcus est.* Et Libro *De Velandis Virginibus*, Cap. 3. *Ejusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est suffundi, si Virginem viderit, quàm sanctæ Virginis, si a viro visa est.* Hæc a fœdâ illâ & execrandâ *Platonis* doctrinâ longè remota sunt, qui mulieres nudas cum viris in palestrâ exerceri statuit. Lege *Eusebium* ejus verba referentem Libro 13. *Præparationis Evangelicæ*. Cap. 19.

---

## §. VII.

*VII. Decalogi Præceptum.*

I. POssessiones proximi seu externa bona, quæ fortunæ vocantur, Deus hoc præcepto, *Non furtum facies*, in tuto collocavit. *Exod. 20.* Furti nomine alienæ rei subductio ac retentio, sive ea vi, sive dolo fiat, sive privatis hominibus, sive Reipublicæ intelligenda est. Furtum itaque, rapina, peculatus; monopolium, usura, fraudes quælibet in operis, emptionibus & venditionibus; mercedis operariorum, aut creditorum defraudatio, vel solutionis molesta dilatio; frumentorum absconsio tempore ingravescentis annonæ; plagium, seu hominum furtum, hoc præcepto prohibentur. Furtum inter gravissima crimina Oseæ 4. 2. 3. recensetur. *Audite verbum Domini, filii Israël, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ.... Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra.* Et Zachariæ 5. 3. ultio divina propter furta & perjuria imminere denuntiatur: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.* S. Paulus 1. ad Corinthios 6. 10. *Fures* inter eos recenset, qui Regnum Dei *non possidebunt*. Furtum naturali lege prohibitum docet *Paulus* Jurisconsultus 1. 1. *Dig. De furtis*, & *Ulpianus* 50. *Probrum*. D. *De Verborum significatione*, ait, *Furtum & adulterium naturâ turpe est*.

*Furti gravitas.*

II. Furti reus est, qui res inventas legitimo domino non restituit. De hujusmodi restitutione cavet Lex Deuteronomii 22. 1. 2. 3. *Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: Duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: Si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.* Quò spectat illa *S. Augustini* sententia Sermone olim 19. nunc 178. De Verbis Apostoli: *Quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti. Quantum potuisti, fecisti: Quia plus non potuisti, ideo non plus fecisti. Qui*

*Res inventa reticeri absque furti crimine non possunt.*

*alienum negat, si possit, & tollit. Quòd non tollis, timor probibet: non bonum facis, sed malum metuis.* Legatur Sermo integer, aut certè Caput 7. & 8. ubi eximium de restituendis rebus alienis inventis exemplum affertur.

*Iniqua exactiones.* III. Qui iniquas exactiones imponunt, suggerunt, vel justa vectigalia inæqualiter distribuunt, & qui exigunt *amplius quàm quod* ipsis a Principe *constitutum est*, (ut loquitur S. Joannes Baptista, Publicanorum interrogationi respondens, Lucæ 3. 12.) Peculatûs, adeòque furti rei sunt gravissimi. Eorum iniquitas hoc *Isaiæ* Prophetæ oraculo Cap. 10. 1. 2. 3. damnatur. *Væ qui condunt Leges iniquas: & scribentes, injustitiam scripserunt: ut opprimerent in judicio pauperes: & vim facerent causæ humilium Populi mei: Ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis, ad cujus confugietis auxilium?* Contra hoc scelus fervidè declamat *Salvianus* Massiliensis Presbyter Lib. 5. De Gubernatione Dei. *Illud* (inquit) *indignius ac pœnalius, quòd omnium onus non omnes sustinent: Imò quòd pauperculos homines tributa divitum premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortiorum: Nec alia causa est quòd sustinere non possunt, nisi quia major est miserorum sarcina, quàm facultas. Res diversissimas dissimillimasque patiuntur, invidiam & egestatem. Invidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias quod dependunt, abundare arbitreris: Si respicias quod habent, egere reperies. Quis æstimare rem hujus iniquitatis potest? Solutionem sustinent divitum, & indigentiam mendicorum. Plus multò est quod dicturus sum: Adjectiones tributarias ipsi interdum divites faciunt, pro quibus pauperes solvunt. .... Veniunt plerumque novi Nuntii, novi Epistolarii a summis Sublimitatibus missi, qui commendantur Illustribus paucis ad exitia plurimorum: Decernuntur his nova munera, decernuntur nova indictiones: Decernunt Potentes, quòd solvant pauperes: Decernit gratia divitum, quòd perdat turba miserorum. Ipsi enim in nullo sentiunt, quod decernunt .... O facinus indignum! Duo aut tres statuunt, quod multos necet: A paucis potentibus decernitur, quod a multis miseris dependatur ..... Sicut sunt in aggravatione pauperes primi, ita in relevatione postremi. Si quando enim defectis Urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones Potestates summæ existimaverint, illico remedium cunctis datum, soli inter se divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? Quis ad communionem beneficii humiles & egestuosos vocat? Quis eum qui primus est semper in sarcinâ, vel ultimo esse loco patitur in medelâ? Et quid plura? Tributarii omnino pauperes non putantur, nisi cùm his tributi cumulus imponitur. Extra numerum autem tributariorum sunt, cùm remedia dividuntur. Et putamus quòd pœnâ divinæ severitatis indigni sumus, cùm sic nos semel pauperes puniamus? Aut credimus, cùm iniqui nos jugiter simus, quòd Deus justus in nos omnino esse non debeat? ..... Illud quale, quàm non ferendum, atque monstrigerum, & quod non dicam pati humanæ mentes, sed quod audire vix possunt, quòd plerique pauperculorum atque miserorum spoliati reculis suis, & exterminati agellis suis, cùm rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa patiuntur: Cùm possessio ab his recesserit, capitatio non recedit. Proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur. Quis æstimare hoc malum possit? Rebus eorum incumbunt pervasores, & tributa miseri pro pervasoribus solvunt. Post mortem patris, nati obsequiis, juris sui agellos non habent, & agrorum munere enecantur. Ac per hoc nil aliud sceleribus tantis agitur, nisi ut qui privatâ pervasione nudati sunt, publicâ afflictione moriantur: & quibus rem prædatio tulit, vitam tollat exactio.* Ibidem invehitur *Salvianus* contra Nobiles & Potentes, qui patrocinium suum & clientelam pauperibus vendunt, & ipsorum agros aut domos vilissimo pretio emunt, quasi in patrocinii sui mercedem. *Nec tamen*, inquit, *grave hoc aut indignum arbitrarer, imò potiùs gratularer hanc Potentum magnitudinem, quibus se pauperes dedunt, si patrocinia ista non venderent: Si quod se dicunt humiles defensare, humanitati tribuerent, non cupiditati. Illud grave ac peracerbum est, quòd hac Lege tueri pauperes videntur, ut spolient: Hac Lege defendunt miseros, ut miseriores faciant defendendo. Omnes enim hi qui defendi videntur, defensoribus suis omnem ferè substantiam suam, priùs quàm defendantur, addicunt: At sic ut patres habeant defensionem, perdunt filii hæreditatem. Tuitio parentum, mendicitate pignorum comparatur ..... Novum hoc genus venditionis & emptionis est. Venditor nihil tradit, & totum accipit. Emptor nihil accipit, & totum penitus amittit. Cùmque omnis fermè contractus hoc in se habeat, ut invidia penes emptorem, inopia penes venditorem esse videatur: Quia emptor ad hoc emit ut substantiam suam augeat, venditor ad hoc vendit ut minuat: Inauditum hoc commercii genus est: venditoribus crescit facultas, emptoribus nihil remanet nisi sola mendicitas.* Non absimilis criminis rei sunt, qui indebitas operas & angarias a pauperibus vassallis & clientibus suis exigunt pagorum Domini, aliique Potentes Viri. Peculatûs etiam rei sunt Provinciarum, Urbiumque Gubernatores, Missi Dominici, Consules, Magistratus, publici Ærarii Administri, qui publica bona in suos usus convertunt, qui pecunias exigunt, emungunt, extorquent ab Ordinibus, a Communitatibus, a privatis, præter id quod ipsis constitutum est, nomine munerum gratuitorum, ob patrocinium & defensionem Provincialium, vel Civium, aut rei publicæ curam. Contra quos idem Salvianus: *Statuunt non furandum* [inquit] *& furantur: Quamvis penè non possim dicere quòd furentur: Non enim sunt quæ agunt furta, sed latrocinia. Punit enim Judex in alio peculatum, cùm sit ipse peculator: Punit rapinam, cùm sit ipse raptor: Punit effractores claustrorum & ostiorum, cùm ipse sit eversor Urbium: Punit expoliatores domorum, cùm sit expoliator Provinciarum. Atque hoc utinam illi tantùm qui in Potestate sunt positi, & quibus jus exercendorum latrociniorum honor ipse largitur. Illud gravius ac magis intolerabile, quòd hoc faciunt & privati, iisdem ante honoribus functi. Tantum eis indeptus semel honor dat beneficii, ut semper habeant jus latrocinandi: Adeò etiam cùm destiterint ad administrandum potestatem habere publicam, non desinunt tamen ad latrocinandum potestatem habere privatam: Ac sic levior est potestas illa, quam habuerunt Judices, quàm hæc quam privati habent. In illâ enim eis sæpè succeditur, in hac nunquam. Ecce quid valeant statuta Legum, ecce quid proficit definitio Sanctionum, quæ illi spernunt maximè qui ministrant.*

*Judicum rapacitas.* IV. Rapacem Judicum avaritiam, qui venalia judicia exercent, munera accipiunt ut lites in alterius partis favorem dirimant, aut prorogent, Spiritus Sanctus non uno Scripturæ sacræ loco perstringit & condemnat. Exodi 23. 8. *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba Justorum.* Deuteronomii 16. 19. *Non accipies personam, nec munera: Quia munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verba Justorum.* Proverbiorum 28. 21. *Qui cognoscit in judicio faciem, non benefacit: Iste enim pro buccellâ panis deserit veritatem.* Ecclesiastici 20. 31. *Xenia & dona excæcant oculos Judicum, & quasi mutus*

*ius in ore avertit correptiones eorum*. Isaiæ 1. 23. *Principes tui infideles, socii furum: Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant; & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum, fortis Israël: Heu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Hæc erat iniquitas filiorum *Samuëlis*, de quibus 1. Regum 8. 3. *Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: Sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt Judicium*.

*Defraudatio mercedis operariorum, vel solutionis dilatio.*

V. Furti & rapinæ rei sunt, qui defraudant operariorum mercedem, vel in longius quàm par est, tempus ejus solutionem magno eorum incommodo protrahunt. Quod crimen Scriptura Sacra passim prohibet, reprehendit, damnatque. Levitici 19. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*. Deuteronomii 24. 14. 15. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terrâ, & intra portas tuas est: sed eâdem die reddes ei pretium laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: Ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum*. Tobiæ 4. 15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue; & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat*. Ecclesiastici 35. 25. 26. 27. *Panis egentium, vita pauperum est: Qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*. Malachiæ 3. 5. *Et accedam ad vos in judicio & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum*. Jacobi 5. 1. 4. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.... Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*. Furti etiam rei sunt mercenarii, qui totam & integram mercedem ab iis exigunt, quibus integras operas non dederunt, seu quos fraudarunt, non bonâ fide laborantes.

*Fraus in venditionibus & emptionibus.*

VI. Contra septimum Decalogi præceptum gravissimè peccant, furtique rei sunt, qui fallaces corruptasve merces venditant pro veris & integris, sive defectus sit in rei substantiâ, sive in qualitate, sive in quantitate, id est, in numero, pondere, vel mensurâ: Vel qui merces pluris quàm par sit, & ultra justum pretium vendunt. Illorum iniquitatem qui pondere, numero, mensurâ, decipiunt emptores, Lex divina disertis verbis condemnat, Levitici 19. 35. 36. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in mensurâ. Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius*. Deuteronomii 25. 13. 14. 15. 16. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus; Nec erit in domo tuâ modius major & minor. Pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: Ut multo vivas tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus tuus eum qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam*. Proverbiorum 11. 1. *Statera dolosa, abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas ejus*. Et Cap. 20. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura utrumque est abominabile apud Deum*. Amos 8. 4. 5. 6. 7. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit messis, & venundabimus merces, & Sabbatum, & aperiemus frumentum. Ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus? Juravit Dominus in superbiam Jacob: Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. Numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus?* Furti demum rei sunt, qui in rebus vendendis fraudes & verborum vanitatem adhibent, ut fucum emptoribus faciant. Quæ cùm frequentia sint mercatorum peccata, plurimis conscientiæ periculis obnoxiam esse negotiationem Scriptura Sacra & SS. Patres docent. Ecclesiastici 26. 28. *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt: Difficilè exuitur negotians a negligentiâ* (sive quod Græca vox significat, *a deceptione*:) *& non justificabitur caupo a peccatis labiorum*. Et Cap. 27. 2. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum*: Id est, sicut palus firmiter in muro figitur, ut non moveatur, sic firmiter perseverabit apud mercatores vendentes & ementes peccatum. Propter quod in angustias detrudentur. Quocirca præclarè S. *Leo* Epistolâ olim 92. nunc 2. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, Cap. 11 *Qualitas lucri* [inquit] *negotiantem aut excusat, aut arguit: Quia est & honestus quæstus, & turpis. Verumtamen Pœnitenti utilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi: Quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum*.

*Usura septimo Decalogi præcepto prohibita.*

VII. Usura, quæ voluntas est percipiendi aliquod lucrum, seu aliquid pecuniâ æstimabile, supra sortem, seu summam principalem, vi & causâ mutui, septimo Decalogi præcepto prohibita est, adeòque fœneratores immanis furti rei sunt. Nam cùm sit de ratione mutui ut rei mutuò traditæ dominium in mutuatarium transferatur, & circa res illas versetur, quæ ipso consumuntur usu, & quarum proinde usus ab ipsâ re separari, & seorsim æstimari vendique non potest: Sequitur eum, qui res hujusmodi mutuò tradens aliquid exigit ultra sortem, bis ipsas vendere, aut certè usum seorsim a re ipsâ venundare; quod naturæ mutui, ac Legi naturali manifestè repugnat, & evidens est rei alienæ usurpatio. Unde & Lex & Evangelium usuras disertè prohibent ac damnant; Exodi 22. 25. *Si pecuniam mutuam dederis Populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes*. Levitici 25. 35. 36. 37. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec ampliùs quàm dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges*. Deuteronomii 23. 19. 20. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque usurâ id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo*. Ex duobus primis Scripturæ locis perperam nonnulli colligunt usuram respectu pauperum dumtaxat, non autem divitum esse prohibitam. Nam ista vox [*pauperi*] & illa [*infirmus manu*] non restrictionis, sed exempli gratiâ adhibitæ sunt: Quòd plerumque eveniat ut pauperes penuriæ suæ sublevandæ causâ ad fœneratores confugere cogantur, & faciliùs opprimantur quàm alii, utpote omni præsidio & patrocinio destituti. Atque hunc esse legitimum Scripturæ sensum, patet ex illis verbis, *qui habitat tecum*. Si enim vox illa (*pauperi*) Legem restringeret, sequeretur

retur a pauperibus qui eamdem Urbem non incolerent, in quâ creditor seu fœnerator degeret, usuras licitè exigi posse, & pauperes alienigenas jure opprimi, quod tam a Legis quàm ab humanitatis sensu alienum est. Præterea, Lex vetat ne usuræ a fratribus accipiantur, quo nomine non minùs divites quàm pauperes Israëlitæ significantur. Ex allato *Deuteronomii* loco perperam colligunt alii, usuram non adeò nefariam esse quin aliquando permitti, & impunè exerceri possit: Siquidem usuras ab alienis accipi Deus permisit. Rem autem intrinsecè malam, & naturæ Lege prohibitam non permitteret. Nam Deùs usuram erga alienigenas exerceri non permisit, quasi eam approbans, aut a crimine immunes declarans, qui illam exigerent, sed ut minus malum tolerans, ne Judæi, gens avaritiæ dedita, usuras a fratribus, id est a Judæis verum Deum pariter colentibus exigerent, & acciperent. Ad duritiem itaque cordis id permisit, seu potiùs toleravit Deus in Judæis, sicut & libellum repudii. Ita hunc locum vulgò explicant Theologi & Sacrarum Literarum Interpretes cum *S. Thomâ Secundâ Secunda*, *Quæst.* 78. *Art.* 1. in Resp. ad secundam Objectionem: & *Primâ Secunda*, *Quæst.* 108. *Art.* 3. in Res. ad 2. Vel certè usuras ab iis dumtaxat alienigenis exigere Judęis a Deo permissum ęst, cum quibus justum bellum ipsis erat, putâ cum Amalecitis, Amorrhæis, hostibus aliis a Deo denuntiatis, si aliter debellari non possent, ut explicat *S. Ambrosius* Lib. *De Tobiâ* Cap. 15. *Sed fortè dices quia scriptum est.* Alienigenæ fœnerabis: *& non consideras quid Evangelium dicat, quod est plenius. Sed hoc interim sequestremus, Legis ipsius verba considera:* Fratri tuo [ *inquit* ] non fœnerabis ad usuram; Sed alienigenam exiges. *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhaus, nisi hostes? Ibi inquit usuram exige. Cui meritò nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitima indicuntur usura. Quem bello non potes facilè vincere, de hoc citò potes centesimâ vindicare te. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat: Sine gladio de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usura. Frater autem tuus omnis, fidei* Psal. 21. 23. *primùm, deinde Romani juris est Populus: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesia laudabo te.* Quod & Christus docet in Evangelio. Matth. 23. 8. 9. *Omnes autem vos fratres estis, Et patrem nolite vocare vobis super terram: Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Tertullianus Apologetici Cap. 39. *Fratres sumus jure natura matris unius.... At quantò digniùs fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantia ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis? Sed eò fortasse minùs legitimi existimamur, quia nulla de nostrâ fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantiâ familiari fratres sumus, qua penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animâque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus.* Quæ cùm ita sint, eo ipso quo usuram a fratribus accipere Lex divina vetat, pecuniam aut quidvis aliud ad usuram dare nemini homini, & multò magis nemini Christiano, licitum est, maximè cùm Christus mutuum absque ullâ spe lucri dari jubeat, Lucæ 6. 34. 35. *Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere; qua gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant aqualia... Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi.* Quibus verbis non solùm consilium, sed præceptum contineri nihil accipiendi ultra sortem vi mutui, ex doctrinâ Traditionis certissimum est. Legantur *S. Basilius* Homiliâ in Psalmum 14. *S. Gregorius Nyssenus* Epistolâ ad *Letoiium*, & Oratione contra Usurarios; *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ 57. in Matthæum, *S. Ambrosius* Lib. *De Tobiâ*, a Cap. 3. ad finem Libri; *S. Hieronymus* Commentario in Cap. 18. Ezechielis, *S. Augustinus* Sermone 3. in Psalmum 128. *S. Leo* Sermone 16. qui sextus est de Jejunio decimi mensis & de Eleemosynis, & Epistolâ 3. aliàs 1. Cap. 3. Concilium Illiberitanum Canone 20. Lateranense III. Oecumenicum sub *Alexandro* III. Clemens V. in Concilio Viennensi, hanc Propositionem, *Usura non est peccatum*, hæreticam esse definiens, decernensque eum *velut hareticum puniendum*, qui pertinaciter affirmare pręsumpserit, *Exercere usuras non esse peccatum.* Ex quo apparet quid de *Caroli Molinai* in Tractatu *De Contractibus Usurarum, & Redditibus*, opinione censendum sit, qui moderatas usuras licitas esse propugnat; immoderatas dumtaxat Lege divinâ prohiberi, merumque consilium his Domini verbis contineri: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Eamdem hæresim propugnant *Calvinus*, *Amesius*, *Rivetus*, *Spanhemius Dubio Evangelico* 127. *Salmasius*, Lib. *De Usuris*, & Lib. *De Modo Usurarum*, & Dissertatione *De Trapezitico Fænore*; & *Grotius* Lib. 4. *De Jure Belli & Pacis*, Cap. 12. §. 20. Verùm genus usurarum omne Divinâ Lege prohiberi, ex ipsâ Scripturâ Sacrâ demonstratur; Psalmo 14. ubi ille in Tabernaculo Dei habitaturus, & in Monte Sancto ejus requieturus dicitur, id est, æternâ felicitate donandus, *Qui ingreditur sine maculâ, & operatur justitiam, &c. Qui jurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.* Quo loco *S. Leo* quamlibet usuram prohibitam intelligit Sermone 6. de Jejunio decimi mensis. *Qui ergo* ( inquit ) *pecunias amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potiùs sanctum fœnus exerceat, & hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia laqueos incidat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit:* Date & dabitur vobis.... *Sed injusta & impudens avaritia, qua beneficium se dicit præstare cùm decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciscenti: Dumque certiora existimat præsentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, ut ei cupiditas injusti lucri, non injusti caussa sit damni. Unde quilibet sequatur eventus, mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuisse, & auxisse peccatum est: Ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fœnoris: & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum est. Multiplicatur quidem facultas injustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: Quoniam fœnus pecunia funus est anima. Quid enim de hujusmodi hominibus sentiat Deus, sacratissimus Propheta David manifestat. Qui cùm di-*
„ *ceret*, Domine quis narrabit in tabernaculo tuo,
„ aut quis requiescet in Monte Sancto tuo? *Responso divina vocis instruitur, & eum ad æternam requiem pertinere cognoscit*, qui *inter alias pia con-*
„ *versationis regulas*, pecuniam suam non dedit
„ ad usuram: *& a tabernaculo Dei ostenditur alienus, & a Sancto Monte ejus extraneus, qui dolosum quæstum de pecunia sua captat usuris: & dum per aliena cupit damna ditari, æternâ dignus est egestate puniri.* Evidens est *S. Leonem* non modò fœnus illud insectari, quod cum pauperibus exercetur, sed omnem omnino usuram repro-

ba-

bare. Primò enim Davidis Oraculum adducit, quod omnem usuram damnat, nec de pauperibus quicquam habet peculiare. Secundò eum damnat, qui hominum laborantium captat necessitates, ut multiplicet opes suas immodicis augmentis, quod vix ex lucello a pauperibus accepto evenit, sed potiùs ex ingentibus lucris, quæ percipiuntur dum laborantium, id est negotiantium necessitates aliquis captat, & commodatam pecuniam fœnore plurimum auctam recipit. Tertiò, eorum cavillationem refellit, qui beneficium se præstare contendunt, cùm negotiantibus, aut aliis viris divitibus pecuniam suam dant ad usuram. Beneficium enim hujusmodi vocat *dolosa officia, dolosum quæstum, injustam & impudentem avaritiam, quæ beneficium, se dicit præstare, cum decipit, cupiditatem injusti lucri*, &c. Quartò generatim pronuntiat, *Fœnus pecuniæ funus esse animæ*; fugiendam prorsus esse iniquitatem fœnoris, & a Sancto Monte Dei esse extraneum qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ capiat usuris. Non distinguit inter modicam usuram quæ a divitibus accipitur, & mordentem, quæ cum pauperibus exercetur. Quintò, ait fœneratorem *aut miserum esse amittendo quod dedit, aut miseriorem accipiendo quod non dedit*. Quibus verbis ostendit in eo propriè usuræ iniquitatem censeri, quòd quis accipit quod non dedit, contra generalem Dei sententiam, *quæ omne fortis excludit augmentum*, ut loquitur *S. Ambrosius* Lib. *De Tobiâ*. Sextò etiamsi fœnus in commodum ejus, qui mutuò accepit, cedere videatur, semper & intrinsecè malum est. *Quilibet sequatur eventus* (inquit) *mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuisse, & auxisse, peccatum est*. Omnem omnino usuram pariter damnat Spiritus Sanctus Proverbiorum 28. 8. *Qui coacervat divitias usuris & fœnore liberali in pauperes congregat eas*. Et Ezechielis 18. *Et vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam .... ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, &c. *hic justus est, vitâ vivet, ait Dominus Deus. Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit unum de istis: & hæc quidem omnia non facientem.... ad usuram dantem, & amplius accipientem*: *Numquid vivet? Non vivet. Cùm universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis .... usuram & superabundantiam non acceperit, &c. hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vitâ vivet*. Et Cap. 22. 12. *Usuram & superabundantiam accepisti, avarè proximos tuos calumniabaris: Meique oblita es, ait Dominus Deus. Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam quam fecisti.... Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi? Ego Dominus locutus sum, & faciam*.

Ipsi Ethnici solo naturalis rationis lumine usuram ut Lege Naturali, quam Deus in omnium hominum cordibus inscripsit, contrariam reprobarunt ac damnarunt. *Aristoteles* 1. *Politicorum* Cap. 7. *In fœnore nummus nummum parit. Itaque præter naturam est hic acquirendi modus*. Seneca Libro 7. *De Beneficiis*, Cap. 10. *Video* (inquit) *istic diplomata, & syngraphas, & cautiones, vacua habendi simulacra, umbras quasdam avaritiæ laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem. Quid enim ista sunt? Quid fœnus, & Kalendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? ... Quid sunt istæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & sanguinolentæ centesimæ?* Celebris est *Catonis* sententia: *Quid est fœnerari? Hominem occidere*. Veteres Romani usuras latis Legibus & Plebiscitis prohibuere, teste *Cornelio Tacito* Lib. 6. Annalium: *Sanè* [ inquit ] *vetus Urbi fœnebre malum, & seditionum discordiarumque creberrima caussa: Eoque cohibebatur antiquis quoque & minùs corruptis moribus. Nam primò duodecim Tabulis sanctum, ne quis unciario fœnore ampliùs exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur. Dein rogatione Tribunitiâ, ad semuncias redacta. Postremò vetita versura: Multisque Plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ, miras per artes rursum oriebantur*. Varro Libro 1. De Re Rusticâ; *Majores nostri sic habuerunt, & ita Legibus posuerunt, furem non manifestum duplo condemnari, fœneratores quadruplo: Quantò pejorem fœneratorem existimaverint, quàm furem hinc licet existimare*. Quòd si usuras moderatas permisit *Justinianus* Imperator, non eas permisit ut licitas, sed ut minus malum toleravit ad creditorum immanitatem demulcendam, qui cum suis e pecuniis nullum lucrum sperarent, eas quamvis inutiles in arcis recondere, quàm ad sublevandam miserorum inopiam conferre malebant. *Leges humanæ* (inquit) *S. Thomas Secundâ Secundæ Quæst.* 78. *Art.* 1. ad 3. ] *dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, si peccata districtè prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideo usuras Lex humana concessit, non quasi æstimans eas esse secundùm justitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum. Unde in ipso Jure Civili, dicitur quòd res quæ usu consumuntur, neque ratione naturali, neque civili recipiunt usumfructum, & quòd Senatus non fecit earum rerum usumfructum; nec enim poterat: Sed quasi usumfructum constituit, concedens scilicet usuras*. Denique *Aliæ sunt Leges Cæsarum, aliæ Christi*, (inquit aliâ occasione *Sanctus Hieronymus*.) *Lib. 2. Institut. Tit. De Usufructu.*

VIII. Qui ab hominibus qui solvendo non sunt, commodatas pecunias, vel mutuò datas, exigunt acerbiùs, & pignora etiam auferunt, quæ ad corpus tuendum, vel ad lucrandum panem, sunt necessaria, rapinæ rei sunt. De his Exodi 22. 26. *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia ipse misericors sum*. Deuteronomii 24. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam: Quia animam suam opposuit tibi*. Pari ratione a Romanis vetitum pignoris caussâ abstrahere boves aratorios, vel instrumentum aratorium. Ibid. Vers. 10. & seq. *Cùm repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas: Sed stabis foris, & ille tibi proferret quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum: Ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas justitiam coram Domino Deo tuo*. *Creditorum immanitas damnata.*

IX. Immanis rapinæ rei sunt, qui frumenta coëmunt & recondunt, ut ingravescente annonâ ea majori quo poterunt pretio divendant. De his Spiritus Sanctus Proverbiorum 11. 26. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in Populis; Benedictio autem super caput vendentium*. Lege *S. Gregorium* Nazianzenum Oratione 15. in Plagam grandinis, ubi in eos declamat, qui frumenta emunt & recondunt, *ac temporum difficultates observant*, ut opes sibi comparent, ac *in alienis calamitatibus delicias capiunt*. Contra eosdem invehitur *S. Ambrosius* Lib. 3. *Officiorum*, Cap. 6. idque *Commentum nequitiæ, & latrocinium* vocat. *Captantur* (inquit) *tanquam latrocinii tempora, quibus in* *Rapinæ rei, qui frumenta recondunt ingravescente annonâ.*

vi-

*viscera hominum durus insidiator obrepas.... Rectè igitur Salomon: Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus: quoniam avaritia emolumentum ad successorum jura non pervenit: Quod non legitimè acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur. Vides ergo quòd largitorem frumenti esse deceat, non pretii captatorem. Non est igitur ista utilitas, in quâ plus honestati detrahitur, quàm utilitati adjungitur.*

Alienorum bonorum raptores quàm gravis pœna maneat, ex *Nabuthis* & *Achabi* historiâ liquet 3. *Regum* 21. & ex *Michea Propheta* Cap. 2. 2. 3. *Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos, & calumniabantur virum & domum ejus, virum, & hæreditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum: Unde non aufertis colla vestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.*

*Pœna in fures Mosaicâ Lege statuta.*

X. Plagium, quod rei omnium pretiosissimæ, scilicet hominis furtum est, & abductio, pœnâ capitis; furta reliqua mulctâ plectebantur: Damna restitutione farciebantur, secundùm Legem Mosaicam. Exodi 21. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxa morte moriatur.*

Cap. 22. 1. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro unâ ove* 3. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur.* 4. *Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive agnus, sive ovis, duplum restituet.*

5. *Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena: Quicquid optimum habuerit in agro suo, vel in vineâ, pro damni æstimatione restituet.*

6. *Si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.*

7. 8. *Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint: Si invenitur fur, duplum reddet: Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos,* (Id est, adducetur ad Judices) *& jurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem tam in bove quàm in asino, & ove, ac vestimento, quicquid damnum inferre potest: Ad Deos utriusque causa perveniat; & si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo.*

10. 11. 12. 13. *Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit: Jusjurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui: Suscipietque Dominus juramentum, & ille reddere non cogetur. Quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. Si comestum a bestiâ, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet.*

14. 15. *Qui a proximo suo quidquam horum mutuò postulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur. Quod si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximè si conductum venerat pro mercede operis sui.*

## §. VIII.

*VIII. Decalogi Praeceptum.*

*Peccata contra octavum Praeceptum.*

I. Octavum Decalogi Præceptum his verbis conceptum est, Exodi 20. 15. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Quo præcepto non solùm falsum testimonium quod adversùs proximum in Judicio profertur, sed omnis omnino Judicii perversio & corruptela, seu verbis, seu factis, sive instrumentis facta a testibus, accusatoribus & delatoribus, reis, Judicibus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis prohibetur. Item perniciosa quæque mendacia extra Judicium prolata, & ea maximè quibus doctrina fidei violatur. Item calumnia, detractio, susurratio, murmuratio, famosorum libellorum conscriptio aut divulgatio. Denique officiosa etiam & jocosa mendacia. Ad istud ergo Decalogi Præceptum revocantur illa Scripturæ divinæ oracula, Exodi 33. 1. *Non suscipies vocem mendacii: Nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium.* 2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum: Nec in Judicio plurimorum acquiesces sententia, ut a vero devies.*

3. *Pauperis quoque non misereberis in Judicio:* Ut scilicet falsâ misericordiâ motus Judicium pervertas.

6. *Non declinabis in Judicium pauperis.*

7. *Mendacium fugies.*

Levitici 19. 2. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.*

13. *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.*

15. *Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum Potentis. Justè judica proximo tuo.*

16. *Non eris criminator, nec susurro Populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus.*

Deuteronomii 28. 19. *Maledictus qui pervertit Judicium advena, pupilli, & vidua, & dicet omnis Populus, Amen.*

Psalmo 5. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem: Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Psalm. 100. 5. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.*

Proverbiorum 4. 24. *Remove a te os pravum, & detrahentia labia sint procul a te.* Cap. 6. 16. & seq. *Sex sunt, qua odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Cap. 10. 18. *Abscondunt odium labia mendacia: Qui profert contumeliam, insipiens est.* Cap. 12. 17. *Qui quod novit loquitur, index justitia est. Qui autem mentitur, testis est fraudulentus.* 19. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.* 22. *Abominatio est Domino labia mendacia. Qui autem fideliter agunt, placent ei.* Cap. 17. 4. *Malus obedit lingua iniqua, & fallax obtemperat labiis mendacibus.* Cap. 18. 5. *Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate Judicii.* Cap. 19. 5. *Falsus testis non erit impunitus; & qui loquitur mendacia, peribit.* Cap. 20. 17. *Suavis est homini panis mendacii; & postea implebitur os ejus calculo.*

Cap. 24. 9. *Cogitatio stulti peccatum est; & abominatio hominum detractor.* 21. 22. 28. *Time Dominum fili mi, & Regem; & cum detractoribus non* cons-

*commisceearis, Quoniam repente consurget perditio eorum; & ruinam utriusque quis novit?.... Ne sis testis frustra contra proximum tuum. Nec lactes quemquam labiis tuis.* Cap.25. 18. *Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum falsum testimonium.* 23. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Cap.26. 20. 22. 28. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; & susurrone subtracto jurgia conquiescent.... Verba susurronis quasi simplicia; & ipsa perveniunt ad intima ventris.... Lingua fallax non amat veritatem; & os lubricum operatur ruinas.* Cap.19. 12. *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes Ministros habet impios.* Cap.30. 8. *Vanitatem, & verba mendacia longè fac a me.*

Ecclesiastis 10. 2. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.*

Sapientiæ 1. 2. *Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam.*

Ecclesiastici 5. 16. 17. *Non appelleris susurro, & linguâ tuâ ne capiaris & confundaris. Denotatio pessima super bilinguem: Susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Cap.7. 13. 14. *Noli amare mendacium adversùs fratrem tuum: Neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium: Assiduitas enim illius non est bona.* Cap.10. 26. 27. 28. *Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis: Perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore: & confusio illorum cum ipsis sine intermissione.*

Cap.21. 31. *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo manserit, odiosus erit.* Cap.18. 13. 14. 15. & seq. *Lingua testificans adducit mortem. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si exspueris super illam, extinguetur: Utraque ex ore proficiscuntur. Susurro & bilinguis maledictus: Multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, & domos Magnatorum effodit. Virtutes Populorum concidit, & gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit: Plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.... Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in eos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras.... Attende ne fortè labaris in linguâ, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Matth.5. 37. *Sit sermo vester, Est, est, Non, non: Quod autem his abundantius est, a malo est.*

Matthæi 15. 18. 19. 20. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.*

Epistolæ ad Romanos 1. 28. seq. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles.* Ad Ephesios 4. 25. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: Quoniam sumus invicem membra.*

Ad Colossenses 3. 8. 9. *Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.*

Epistolæ *S. Jacobi* Cap.3. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* 6. *Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammatam a gehennâ. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt a naturâ humanâ: Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsâ benedicimus Deum & Patrem: & in ipsâ maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit maledictio, & benedictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.* 2. *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit Legi, & judicat Legem.*

Epistolæ 1. *S. Petri* Cap.2. 1. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationem, & invidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.*

*Multiplex mendaciorum genus.*

II. Octo Mendaciorum genera *S. Augustinus* distinguit Lib. *De Mendacio*, Cap.14. Primum quod fit in doctrinâ Religionis. Secundum, quod nulli prodest, & alicui obest. Tertium, quod ita prodest alicui, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam corporalem. Quartum, quod fit solâ mentiendi fallendique libidine. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaviloquio. Sextum, quod & nulli obest, & prodest alicui: Velut si quispiam pecuniam alicujus injustè tollendam, sciens ubi sit, nescire se mentiatur, quocumque interrogante. Septimum, quod & nulli obest, & prodest alicui, excepto si Judex interrogat: Velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur, non solùm justum atque innocentem, sed, & reum, quia Christianæ disciplinæ sit, ut neque de cujusquam correctione desperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. Octavum mendacii genus est, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, ut ab immunditiâ corporali aliquem tueatur. Nullum ex his mendaciorum generibus licet: Quodlibet octavo Decalogi præcepto prohibetur, ut *S. Augustinus* luculenter probat duobus Libris: quorum primum ita concludit: *Non est igitur mentiendum in doctrinâ pietatis: Magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis Mendacii. Non est mentiendum secundo genere: Quia nulli facienda est injuria. Non est mentiendum tertio genere; Quia nulli cum alterius injuriâ consulendum est. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per se ipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere; Quia nec ipsa veritas, sine placendi hominibus ennutianda est: Quantò minus mendacium, quod per se ipsum, quia mendacium est, utique turpe est. Non est mentiendum sexto genere: Neque enim rectè etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo ac salute corrumpitur. Ad sempiternam verò salutem nullus ducendus est opitulante mendacio: Non enim malis convertentium moribus ad bonos mores convertendus est: Quia si erga illum faciendum est, debet etiam ipse conversus facere erga alios: Atque ita non ad bonos, sed ad malos mores convertitur, cùm hoc ei præbetur imitandum converso, quod ei præstitum est convertendo. Neque septimo genere mentiendum est: Non enim cujusquam commoditas aut salus temporalis perficienda fidei præferenda est. Nec si* quis-

*quisquam in rectè factis nostris tam malè movetur, ut fiat etiam animo deterior longèque a pietate remotior, propterea rectè facta deferenda sunt; Cùm id nobis præcipuè tenendum sit, quò vocare atque invitare debemus, quos sicut nosmetipsos diligimus. Nec octavo genere mentiendum est; Quia & in bonis castitas animi pudicitiâ corporis; & in malis id quod ipsi facimus, eo quod fieri sinimus majus est. In his autem octo generibus tantò quisque minùs peccat cùm mentitur, quantò emergit ad octavum; tantò ampliùs, quanto devergit ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitratur aliorum.*

---

## §. IX.

### IX. & X. *Decalogi praeceptum.*

*Prava desideria, & nefariæ cogitationes prohibitæ.*

1. POstrema hæc duo Decalogi Præcepta his verbis proferuntur Exodi 20. 17. *Non concupisces domum proximi tui: Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Distinctiùs verò Deuteronomii 5. 21. *Non concupisces uxorem proximi tui: Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.* Nonum itaque præceptum uxoris alienæ concupiscentiam: Decimum alienarum rerum injustum desiderium prohibet. Quæ duo prava desideria singularibus Mandatis vetuit Omnipotens Legislator, quòd ea ceteris frequentiora & flagrantiora sint in statu naturæ corruptę. A verâ Legis intelligentiâ hìc, ut alibi sæpè, aberràverunt plerique Hebræi, qui solâ voluntate peccari negarunt, quòd pœna nulla cogitationi intervertendæ uxoris, reive alienæ apposita sit. Ita refert *Aben-Ezra* ad initium Decalogi. Hunc errorem sequitur *R. David Kimchi* in *Psalmum* 66. 18. At hanc Legem a pravâ interpretatione vindicat Christus Matthæi V. 27. 28. *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis; Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam, in corde suo.* Et Marci 4. 19. *Deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.* Et Apostolus ad Galatas 5. 24. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Et *S. Petrus* Epistolâ 1. Cap. 2. 2. *Charissimi, obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam.* Nullam itaque moram concedendam esse motibus animi ad illicita ducentibus; sed eos simul atque deprehendi possunt, vigili studio extinguendos Deus edixit. Sed & cogitationes ipsas adulterii, furti, &c. si in iis homo delectetur, esse peccata, quamvis ab operibus malis abstinere decreverit, Spiritus Sanctus disertè docet, Proverbiorum 15. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Sapientiæ 1. 3. *Perversæ cogitationes separant a Deo.* Adde præclarum *S. Augustini* locum Lib. 12. *De Trinitate*, Cap. 12. *Nec sanè*, inquit, *cùm solâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longè minùs quàm si & opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum atque dicendum:* Dimitte nobis debita nostra ... *Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, & ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur: Ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuò deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur; nec facienda decernantur mala, sed tantùm suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari: Absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est; totusque damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Longè ante *S. Augustinum* scripserat *Minutius Felix*, in *Octavio* Ethnicos compellans: *Vos scelera admissa punitis: Apud nos, & cogitare, peccare est.* Judæorum plerisque oculatiores hac in materiâ fuere Philosophi plerique Ethnici. Ælianus: *Non solùm* inquit, *malus est qui injuriam fecit, sed & qui facere voluit, me quidem judice.* Ovidius.

*Quæ quia non licuit, non facit, illa facit.*
*Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est.*

Seneca: *Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit, non sibi..... Omnia scelera, etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt...... Fecit quisque quantum voluit.* Tryphonius Jurisconsultus adulterum dici pronuntiat ex animi propositione solâ, etsi alienam uxorem numquam corruperit. *Aristides* interrogatus quid esset Justum, respondit: *Non concupiscere aliena.* Dion Prusæensis Oratione 67. ait: *Etiam ille rerum fur est, qui non odio furti, sed metu aliquo a furto abstinet.* Porphyrius Lib. 1. De Abstinentiâ: *Eximur malis aut conspicuis, aut inconspicuis. Non edere, non accipere oblatas pecunias, conspicuum est, & omnibus patet. At nec concupiscere, inconspicuum est. Postquam autem factis abstinueris, abstinendum & motibus, ac maximè ipsis animi morbis. Quid enim prodest factis absistere, si caussis unde ea procedunt adstrictus maneas?* Ceterùm si concupiscentiæ nomine primi illi motus intelligantur, qui ratione inconsultâ & nequaquam consentiente, sed penitus invitâ erumpunt, peccata illa non esse certum est. Non itaque concupiscentia habitualis, non motus planè indeliberati divinâ Lege prohibentur (nullos enim pati, immortalis vitæ fœlicitas est) sed consensus motibus illis præstandus; ut ipse Spiritus Sanctus explicat Ecclesiastici Cap. 18. 30. 31. *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Et Epistolæ ad Romanos Cap. 6. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.*

# DISSERTATIO III.

## DE CÆREMONIALIBUS LEGIS Mosaicæ Præceptis.

### ARTICULUS I.

De Rituum Mosaicorum Divisione, & Rationibus.

#### PROPOSITIO I.

*Veteris Legis Ceremoniæ convenienter dividuntur in Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Observantias.*

I. Constat hujus divisionis ratio ex eo quòd ceremoniarum nomen his quatuor commune sit. Sacrificia namque ceremoniæ dicuntur Numerorum 15. 24. *Offerret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & Sacrificium ejus ac liba, ut ceremoniæ postulant.* De Ordinatione Ministrorum, quod Veteris Legis Sacramentum erat, *Levitici* 7. 35. dicitur. *Hæc est unctio Aaron & filiorum ejus in ceremoniis Domini.* De Sacris, Exodi 38. 21. dicitur: *Hæc sunt instrumenta Tabernaculi Testimonii, quæ enumerata sunt juxta Præceptum Moysi in ceremoniis Levitarum.* Ad Observantias denique spectat quod ait Dominus *Salomoni* 3. Regum 9. 6. *Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas proposui vobis .... Auferam Israël de superficie Terræ quam dedi eis.*

II. Hanc divisionem præclarè explicat *S. Thomas Primâ Secundæ, Quæstione* 101. *Art.*4. hoc posito principio, quòd *Cæremonialia Præcepta ordinantur ad cultum Dei.* In quo quidem tria considerari possunt. 1. *Ipse cultus*; 2. *Cultores*; 3. *Instrumenta colendi*. Cultus ipse speciatim consistit in *Sacrificiis*, quæ in Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta cultûs pertinent ad *Sacra*, sicut Tabernaculum, Altare, Arca fœderis, Vasa, Vestes Sacerdotales, Solemnitates. In cultoribus verò duo spectari possunt, scilicet eorum Institutio ad cultum divinum, quod fit consecratione quadam vel Populi, vel Ministrorum: Id autem præstant *Sacramenta*. 2. Spectari potest singularis eorum conversatio, seu ratio vivendi & agendi, quâ distinguuntur ab his qui verum Deum non colunt: Ad quam pertinent *Observantiæ* in cibis, vestimentis, & aliis hujusmodi. Ad Sacrificia revocantur oblationes & munera, de quibus Apostolus ad Hebræos 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Sacrificia quidem & Sacramenta multò magis *Sacra* erant, quàm instrumenta divini cultûs, sed hæc ob relationem ad cultum religiosum, commune nomen sibi proprium fecerunt; cùm proprium, quo designarentur, non haberent. Tandem quæ spectabant conversationem Populi Deum colentis, communius *observantiarum* nomen retinebant, cùm *Sacra* dici convenienter non possent, quia relationem immediatam ad cultum Dei non habebant, sicut Tabernaculum, vasa, cæteraque divini cultûs instrumenta: Sed consectaria quædam erant Ceremoniarum, quatenus Populum cultui Dei magis idoneum præstabant.

#### PROPOSITIO II.

*Ceremonias Mosaicæ Legis ratione destitutas qui dixerit, se ipsum ratione destitutum probat.*

I. Propositionis hujus veritas elucescit ex testimonio, quo *David* præcepta Domini cohonestat, Psalmo 18. 9. 10. *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos ...... Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* Quod sanè dici non posset, nisi justitiæ & sapientiæ regulis omnino consentanea essent, & ob singulares quasdam rationes divino consilio dignas edita, Populoque Hebræo tradita.

II. Secundò, Deo, qui *Omnia in sapientiâ fecit*, ut dicitur *Psalmo* 104. 24. & de quo *Celsus* apud *Origenem* Lib. 5. solius Philosophiæ lumine illustratus ait: *Deus est omnium quæ in rerum naturâ sunt, Ratio; & proinde tam nihil potest sine ratione, quàm sine se ipso facere:* Deo [inquam] injuriam facit, qui aliquas ipsum Leges tulisse, aliqua præcepta condidisse asserit, quorum nullæ rationes extent. Quod enim ajunt nonnulli, Leges ceremoniales *αὐτοκρατορίας* ostendendæ gratiâ a Deo latas, sive ut summum imperium in servilem Hebræorum Gentem ostenderet, probari mihi non potest. Summum namque Dei imperium aliunde satis manifestum est, ut ad illud demonstrandum Legibus merè arbitrariis non fuerit opus. Accedit, quòd ejus bonitati & sapientiæ magis conveniat ut Leges dederit, quarum exquisitæ sint rationes. Ut enim eleganter ait nuperus Auctor: *Leges sine ratione non tam Principe justo, quàm Tyranno moroso dignæ sunt. Leges sine ratione, subditos pariunt sine honore, obsequium sine corde, culpam sine pudore. Neque sapientia divina sensus animæ naturaliter insitus opinari patitur Eum Leges ullas rationis expertes ferre voluisse. Nam Legis ratio est ipsa Legis anima, maximè fidelis Legis interpres, obedientiæ mensura & conciliatrix: Illius autem defectus Legem ducit in odium primò, deinde in contemptum etiam & desuetudinem.*

III. Tertiò, Rituum Ethnicorum a tenebrarum Principe inventorum proprium fuit ut ratione destituti essent: Contrarium itaque de Ritibus Mosaicæ Legis a Deo ipso præscriptis est asserendum. *Arnobii* testimonio Libro 7. adversùs Gentes ratiocinium istud nititur. *Si quæcumque (inquit) ab hominibus fiunt, maximèque in re sacrâ, debent habere suas causas, nec sine ratione est quidquam in negotiis omnibus & in omni administratione faciendum; edisserite nobis & dicite, quæ sit causa, quæ ratio, ut Ritibus hisce Deos propitietis.* Et infra: *Nisi ratio cur quid fiat in Sacris ostendatur, & expositam sui causam habeat; non jam illud errori objiciendum est ludicro, sed ut dicatur expressiùs, insaniæ, dementiæ, cæcitati.*

IV. Quartò, Idem probat Scholarum Christianarum Princeps *S. Thomas Primâ Secundæ Quæstione* 102. *Art.* 1. præclarâ hac ratione. *Cùm Sapientis sit ordinare; ea quæ ex Divinâ Sapientiâ procedunt, oportet esse ordinata, ut Apostolus dicit ad Romanos* 13. *Ad hoc autem quòd aliqua sint ordinata, duo requiruntur: Primò quòd ordinentur ad debitum finem, qui est principium totius ordinis in rebus agendis: Secundò, ut id quod est ad finem sit proportionatum fini; Ex quo sequitur, quòd ratio eorum, quæ sunt ad finem, sumitur ex fine. Manifestum est autem, quòd præcepta ceremonialia, sicut & omnia alia præcepta Legis, sunt ex divinâ Sapientiâ instituta. Unde dicitur Deuteronomii* 4. 6.

Hæc

Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis. *Unde necesse est dicere, quòd præcepta cęremonialia sint ordinata ad aliquem finem, ex quo eorum rationabiles causæ assignari possint.*

V. Objicies; Christianæ legis præceptis hunc honorem servatum, ut rationalia dicantur, Epistolæ ad Romanos 12. 1. *Rationabile obsequium vestrum.* Doctrinæ Evangelicæ proprium esse ut lac rationale nuncupetur; 1. Petri 2. 2. *Rationabile sine dolo lac concupiscite:* Quibus innuere per antithesim quamdam videntur Apostoli, Judæorum Ritus ratione destitutos fuisse, nec quicquam extra Dei voluntatem & summam auctoritatem habuisse, quo illorum obsequium, studiumque demereri possent. Idem innuit Glossa Interlinearis ex *Haymone* Halberstatensi desumpta, in illud Epistolæ ad Ephesios 2. *Legem mandatorum decretis evacuans:* Id est (inquit) *evacuans Legem Veterem quantùm ad carnales observantias, Decretis, id est, Præceptis Evangelicis, quæ ex ratione sunt.* At si observantiæ Veteris Legis ex ratione erant, frustra evacuarentur per rationalia Novę Legis Decreta. Præterea, discrimen esse fatendum est inter Moralia & Cęremonialia Præcepta; quòd illa summâ cum ratione condita sint: Actus enim humanos Morales dici a ratione, nemo nescit: Ista ergo ratione destituta esse, & ex mero Supremi Legislatoris arbitrio pendere consequens est.

Respondet *S. Thomas* Observantias Veteris Legis, omnesque ritus Mosaicos, sine ratione institutos dici posse, si absolutè spectentur. Sic rationem ex se nullam habuit prohibitio vestis ex lanâ & lino contextę. Præcepta namque & instituta cęremonialia bonitate nativâ non gaudebant. Unde *Ezechielis* 20. 25. Dominus ait: *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* Sed tamen relativè spectata bonitatem & rationem habebant a fine, cui inserviebant. At Decreta Novæ Legis quę præcipuè consistunt in fide & dilectione Dei, & omnia Præcepta Moralia, ex ipsâ naturâ suâ rationem habent: Hominum quippe naturæ & rationi per se consentanea sunt, eosque bonos efficiunt. Unde *Ezechielis* Cap. laudato Vers. 11. Deus ipsis ait: *Quæ cùm fecerit homo, vivet in eis.*

Objices secundò; Plurimas esse Mosaicæ Legis Cęremonias & Observantias, quarum hucusque ratio a viris perspicacissimis & sagacissimis assignari non potuit. Verisimile autem non est, si quæ sint hujusmodi Cęremoniarum & Observantiarum, seu præceptorum eas præscribentium causæ & rationes, eas ita obscuras esse, ut omnium oculos effugiant.

Confirmatur ex Auctore Hebræo Libri *Ikkarim* sive *De Fundamentis Legis*, qui Dei Legem in tres partes dividit. *Prima pars* (innuit) *continet præcepta ad Dei scientiam vel intellectum originem suam referentia. Secunda continet præcepta quæ Deus ex beneplacito suo instituit; eaque proveniunt ex Dei absolutâ voluntate, atque indicant Deum esse eum qui vult. Vocatur autem hæc, STATUTA, atque continet omnia præcepta, quorum ratio ignota est, exempli gratiâ, prohibitionem esus carnis suillæ, amictum heterogeneum, præceptum de non serendo diversa semina, de immolandâ vaccâ rufâ, & similia quæ omnia sunt ex decreto & arbitrio Legis Dei, & sunt mandata ex ipso beneplacito, &c.*

Respondetur: Non sequi quòd nullæ sint Legum Cęremonialium rationes, etsi pleręque sint, quarum assignare rationem hucusque nemo homo potuerit, sed solùm quod arcanæ sint, obscuræ, & apud ipsum Legum Conditorem Deum reconditæ, humanâque industriâ vix unquam eruendæ. Nihilominus Præceptorum omnium Cęremonialium ratio assignari potest, si generatim spectentur, imò etiam si singulatim Ritus quilibet ac Observantia consideretur: Quamvis singulæ Ritûs cujuslibet partes & circumstantiæ rationem ut plurimùm nullam habeant præter summam omnipotentis Legislatoris auctoritatem. Id *S. Thoma* verbis exprimere malim, quàm meis, *Primâ Secunda, Quæstione* 102. *Artic.* 2. ad 3. *Sicut* (inquit) *in Legibus humanis dictum est, quòd in universali habent rationem, non autem quantùm ad particulares conditiones, sed hæ sunt ex arbitrio instituentium: Ita etiam multę particulares determinationes in Cęremoniis Veteris Legis non habent aliquam causam literalem, sed solam figuralem: In communi verò habent etiam causam literalem:* Idem asserit *Maimonides* in *More Nevochim*, P. 3. (quem Librum edidit contra eos qui præcepta Legis Mosaicæ nullas certas ob causas & rationes a Deo data esse, suo tempore contendebant.) *Oblatio hostiæ*, (inquit) *magnam habet utilitatem: Sed quòd hostia una debeat esse agnus, alia aries, & quòd numerus ipsarum sit certus & definitus, ejus ratio nulla dari potest; & qui laborat alicujus similis circumstantiæ rationem reddere, is meo judicio est amentissimus, neque absurditates a se removet, sed potiùs sibi auget. Is enim aquè longè abest a veritate, qui credit istiusmodi particularia habere rationes, atque is qui credit totum præceptum nullam habere utilitatem. At scito, quòd sapientia requirat, vel si mavis quod necessitas postulet, ut talia in præceptis existant, quæ nullam rationem habent; & quòd res quasi impossibilis sit in Lege, ut hujus classis res aliqua in illâ non existat. Modi hujus impossibilitatis sunt isti. Si dicas, Quare illa oblatio debet esse agnus, & non aries? Eadem quæstio mansisset, si loco agni positus fuisset aries: Nam necessariò species aliqua esse debuit. Ita si quis dicat, Quare debent esse septem agni, & non octo? Idem quæri posset, si fuissent octo, vel decem, vel viginti.... Tu itaque hoc retine quòd cum Sapientes nostri passim dicunt, Omnia præcepta suas habere causas, intelligendum id sit, de usu sive fine præceptorum generaliter, non verò de singulis illorum partibus & circumstantiis.*

---

## PROPOSITIO III.

*Cęremonialia Præcepta ob eam præcipuè causam Hebræis Deus tradidit, ut eos ab Idololatriâ averteret. Eaque vel ipsorum Rituum ratio est, quos e Gentium Moribus in Legem transcriptos nonnulli perperam ac falsò asserunt.*

I. PRima pars istius Propositionis probatur ex *Ezechielis* Capit. 20. ubi Deus Populo in memoriam revocat Idololatriam, quâ, dum in Ægypto degerent, se ipsos contaminarunt: Deinde recenset Leges Morales, quas iis ex Ægypto recens egressis dederat: Postea Gentis illius contumaciam refert, quâ Leges illas divinas spernens, in Superstitiones Ægyptiacas relapsa est: Tum subdit, Se eis dedisse *statuta non bona*, per quæ non viverent, id est Leges Cęremoniales, per se vitam non afferentes, sed ad frangendam duræ cervicis Populi contumaciam aptissimas, omnemque tollendam occasionem ad impios Ægyptiorum, vel aliarum Gentium Ritus deflectendi. *Si judicas eos, si judicas fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: In die quâ elegi Israël, & levavi manum meam pro stir-*

re

*te domûs Jacob, & apparui eis in Terrâ Ægypti, & levavi manum meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester: In die illâ levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de Terrâ Ægypti, in Terram quam provideram eis, fluentem lacte & melle..... Et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, & in Idolis Ægypti nolite pollui: Ego Dominus Deus vester. Et irritaverunt me, nolueruntque me audire: Unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec Idola Ægypti reliquerunt: & dixi ut effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis, in medio Terræ Ægypti. Et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram Gentibus, in quarum medio erant inter quas apparui eis, ut educerem eos de Terrâ Ægypti. Ejeci ergo eos de Terrâ Ægypti, & eduxi eos in desertum. Et dedi eis Præcepta mea, & Judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.... Et irritaverunt me domus Israël in deserto, in Præceptis meis non ambulaverunt, & Judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis: & Sabbata mea violaverunt vehementer: Dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in conspectum earum..... Iterum levavi manum meam, in eos in solitudine ut dispergerem eos in Nationibus, & ventilarem in terras: Eò quòd Judicia mea non fecissent, & Præcepta mea reprobassent, & Sabbata mea violassent, & post Idola Patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo & ego dedi eis Præcepta non bona, & Judicia in quibus non vivent.* Pręcepta illa non bona, & Judicia vitam non afferentia, Deum Israëlitis dedisse manifestum est, ut eos ab Idololatriâ averteret. Illa porrò præcepta esse Leges cęremoniales, constat cum ex Antithesi quam inter ipsa & præcepta moralia, in quibus homo vivet, Deus instituit, tum ex interpretatione Patrum, qui locum illum sic explicant, & Propositionis nostræ veritatem approbant.

II. Ita *S. Justinus Martyr* in Dialogo cum *Tryphone* Judęo, P. 140. *Itaque Sacrificia a vobis, non recipit Deus, neque primitus tamquam penuriâ laborans, hæc præcepit vobis, sed propter delicta vestra. Nam & Templum quod vocatur Hierosolymitanum, non veluti indigus, vel domum, vel aulam suam fassus est: Verùm ut ibi quoque in illum intenti, simulacra ne coleretis..... Quod si ista ad hunc modum non fuerimus professi, eveniet nobis, ut in absurdas incidamus cogitationes, quòd non idem Deus temporibus Enochi, & aliarum omnium fuerit; qui neque Circumcisionem, quam in carne non habebant, neque Sabbatum servaverunt, neque alia insuper quæ Moses fieri mandavit: Aut quòd non eadem eorumdem jussa semper genus omne hominum exsequi voluerit. Quæ sanè ridicula & stulta ad profitendum esse apparent. Per causam verò & culpam hominum peccatorum, Deum qui idem semper est, ista & his similia sanxisse, si profiteamur, eum ipsum perhumanum, & futurorum præscium, & locupletem, & justum & bonum esse [ut est] decreverimus.* Idem P. 336. & 337. *Nam sine observatione Sabbati, qui nominati modò sunt justi omnes Deo complacuerunt: & post illos Abraham, atque ejus liberi cuncti, ad Mosen usque: Sub quo injustus & erga Deum ingratus Populus vester apparuit, vitulo in solitudine fabrefacto. Unde Deus ad populum illum se accommodans, hostias quoque offerre tamquam nomini suo præcepit, ut ne simulacra coleretis.... Quin & Sabbata peragere vos jussit, ut Dei recordaremini. Nam & verbum ejus hoc significat dicens;* Ut cognoscatis me esse Deum Redemptorem vestrum. *Jam & a cibis quibusdam ut vos abstineatis, vobis mandavit, ut etiam inter edendum & bibendum vobis versaretur Deus, promptis admodum & proclivibus ad deficiendum a notione ejus.* Idem P. 265. *Propter duritiam cordis Populi vestri cunctas hujusmodi Sanctiones Deum per Mosen vobis tulisse, intelligitis: Ut per complura ista Instituta, in actione omni ob oculos vobis esset Deus; ac neque injustè facere, neque impiè agere occiperetis.*

III. Ita *S. Hieronymus* Commentario in Ezechielis Cap. 20. *Potest* [ inquit ] *& hoc dici, quòd ante offensam Decalogum acceperint, post Idololatriam verò & blasphemiam multiplices Legis cęremonias, ut Deo potiùs offerrent victimas, quas Dæmonibus offerebant, & comparatione sacrilegii, levius fieret, quod non erat per se bonum, & nequaquam malum, quia Deo offerebatur.* Tum demum Deum Cęremonialia pręcepta Judæis tradidisse *S. Hieronymus* innuit, cùm fœdus de Deo vero colendo violassent, & Vitulum aureum adorassent; idque Legislatorem Optimum Maximum præstitisse ut eos ab Idololatriâ averteret. Id ex Apostoli verbis ad *Galatas* 3. 19. confirmatur. *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, &c.* quibus verbis indicat interprete Theophilacto, *Legem non esse præcipuè ac primo consilio datam, quemadmodum promissiones; sed veluti obiter additam, ob multas transgressiones, ut aliquot saltem cohiberet.*

IV. *S. Augustinus* Epistolâ 82. aliàs 19. Cap. 4. laudata Ezechielis verba de cęremonialibus Mosaicæ Legis præceptis exponit: *Cur autem non dicam, præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse, quia non in eis homines justificantur,* Ezech. 20.
*nec tamen mala, quia divinitus præcepta sunt* 25.
*tempori personisque congruentia, cùm me adjuvet etiam Prophetica sententia, quâ dicit Deus se illi Populo dedisse præcepta non bona? Fortè enim propterea non dixit mala, sed tantùm non bona, id est, non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant.*

V. *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 9. *Adversùs Julianum* P. 322. & 323. Ezechielis locum eodem modo explicat, & nostræ propositioni subscribit. *Cum Israëlitæ* ( inquit ) *nondum satis firmam in Dei cognitione mentem haberent, ab officio suo citò discedebant, & ad deficiendum a Deo valde proclives erant & instigare non cessabant: Vitulum quippe conflarunt, ac dicere ausi sunt.* Hi Dii tui, Israël, qui eduxerunt te de Terrâ Ægypti. *Proindeque iis, ceu levibus ac rudioribus, obscura Lex data est, quæ per typum vix ad rerum verarum intellectum eveheret, needum tamen sanctæ vitæ iter manifestè panderet. Quòd autem Deus Legem in literis & umbris positam Israëli desipienti & peccati reo, ac recti nescio ceu adhuc infantibus tulerit; accipiens ab ipso per Isaiæ vocem ita dicente:* Et levavi manum Ezech. 20.
meam super eos in deserto, *&c.* Et ego dedi eis præcepta non bona, & justificationes, in quibus non vivent in eis. *Decebat enim eos qui a benevolentiâ Dei resilierant, & conflati vituli rei tenebantur, Dei consortio prorsus excidere, & in Gentium regionibus vagari omni misericordiâ orbatos. Cùm autem bonus sit, & sapientissimi Mosis preces respiceret, Legitima quidem eis dedit ad eos erudiendos, sed non bona, sicut ipse ait, neque certè vitam eis qui illa impleverint præstare valentia. Non bona autem Præcepta quidem? Si veritatis nimirum decus respicias. Veritas enim figuris incomparabiliter præstat. Siquidem fictitium non est Israëlitas nullum planè cepisse fructum ex eo quòd panibus non fermentatis vescerentur: Deum tamen iis qui nequitiæ fermen-*

tum

*tum abjiciunt, & perpurgatum cor habent, nec impuri aut profani quicquam appetunt, tamquam singulare munus largiri, ut æternæ vitæ sint participes.* Isaiam pro Ezechiele laudat *S. Cyrillus* ex memoriæ lapsu viris maximis interdum contingente.

VI. *Theodoretus* Commentario in *Ezechielem*, hunc locum, *Dedi eis Præcepta non bona, & justificationes, in quibus non vivent in ipsis*, explicans, aliorum interpretatione rejectâ, suam adstruit proposito nostro congruentem. *Quidam igitur* (inquit) *hæc de Idolorum cultu dicta acceperunt*, dedi, *pro permisi, intelligentes: Sed perspicuum est, nequaquam eos eorum quæ dicta sunt sententiam percepisse: Impiam enim Idolorum religionem nemo rectè sentiens non bonam dixerit, sed admodum malam. Non ergo sapientiæ fons, pietatis Legislator, impietatis accusator, extremam impietatem non bonam appellavit, quam malitiæ terminum vocat. Alia igitur hæc innuit oratio. Cùm enim dederim* [*inquit*] *justificationes ipsis*, quas faciet homo & vivet in eis, [*& per hoc intelligit decem verba Legis, a quibus migrarunt ipsi, atque ea sine ullo metu aspernari perseveraverunt,*] *aliis eos præceptis obstrinxi, ac veluti affixi, quæ vitam nullam ipsis ministrare poterant, sed suâ observatione & in ipsis occupatione id efficiebant, ut necessarias Leges illas violare desisterent. Per hæc autem innuit Præcepta de leprâ, de ossibus cadaveris & morticinio, & de aliis hujusce modi, & crebras propter hæc expiationes, & Sacrificia quæ pro his offeruntur. In his enim observandis illi occupati, non amplius necessarias illas & utiles Leges poterant aspernari. Idcirco non dixit dedisse se illis mala Præcepta, sed* non bona. *Neque enim vitium edocebant, neque virtutis ipsa per se erant efficientia: Sed crebrò ad sacrum Dei Templum adventare, & Deo præsto esse cogebant. Qui enim se pollutum credebat, is ad expiationem accurrebat: Ad quam cùm pervenisset, in Dei memoriam redibat; atque hæc ipsa memoria impiam mentem exterminans, divinas Leges observandas persuadebat. Ipsa igitur per se non bona, quæ divino consilio haud consentiebant, sed eorum quibus Lex imponebatur, imbecillitati congruebant: Non tamen ipsa pulcra neque necessaria, ad bona & necessaria ducebant.*

VII. Secundò, eadem Veritas probatur aliorum Patrum, seu Scriptorum Ecclesiasticorum suffragiis, extra Oraculi *Ezechielis* commentationem ipsi subscribentibus; scilicet ex *Eusebio Cæsareensi* Libro 1. *Demonstrationis Evangelicæ*, Cap.4. ubi de Veteri Testamento sic loquitur: *Illud enim lapsis a majorum pietate Judæis, vitamque Ægyptiacam ac mores æmulantibus, & ad errorem colendi multos Deos, superstitionemque Gentium, quæ simulacra venerabantur, declinantibus, Legis loco impositum est, ut & eos qui ceciderant excitaret, & mutuis inter ipsos doctrinis confessos, atque prostratos erigeret.* Et Cap.6. *Mosis interea Lex ingressa quasi puerilium imperfectarumque animarum curatrix quædam, & gubernatrix, aut etiam Medici cujusdam instar, gravi Ægyptiacoque morbo laboranti universæ Judæorum Nationi tradita est. Nam quia cum Ægyptiis versantes post Sanctorum Patrum mortem, Ægyptiacorum morum similitudine allecti erant, & in multorum Deorum superstitionem deciderant, adeò quidem ut Ægyptiis amplius nihil habere, & illis in omnibus similes, tum in errore simulacrorum, tum in aliis quoque facinoribus evasisse viderentur: Meritò quasi ex profundo malorum ipsos hauriens Moyses, ab impiâ Deorum multitudine amovit, & ad Opificem Universi Deum reduxit, perfectiorum illorum vitam, quasi in ingressibus & vestibulis, pro primo gradu pietatis objiciens.... Deinde quasi imperfectis illis simulacrorum cultu interdicto, per quædam arcana seorsim signa, ut Religionem quam ipse probabat complecterentur, edicens, Sacrificiis & quibusdam corporalibus Cæremoniis, unum supra omnia Deum ut colerent, præcepit.*

VIII. Idem asserit *S. Joannes Chrysostomus* Enarratione in Cap.1. Isaiæ. *Ea victima* (inquit) *non sunt a principio instituta: Sed ita ut essent ratio quædam instituendi Judæos, & illinc avocandi ad aliam conversationem. Illi verò cùm se totos occuparent in istis Cæremonialibus, neglectis interim quæ urgebant necessariò, dixit Deus se deinceps ejusmodi, Cæremonias Legis non admittere.* Neque venèritis ut appareatis mihi: *Si accesseritis* [*inquit*] *ad Templum meum.* Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris? *Et quidem totus ille Libellus qui Leviticus dicitur, de iisdem hostiis conscriptus est, de his sedulò sanciens. Rursus in Deuteronomio, in aliis item plerisque locis multa de his interspersæ Leges sunt. Quo igitur sensu hic ait,* Quis quæsivit hæc de manibus vestris? *Ut discas, quòd illa voluntas Dei non fuerit principalis, aut prægrediens: Sed ab illorum infirmitate sumsit exordium, quæ de his est, Legislatio. Quemadmodum enim mulierem semel viro conjunctam nolebat ab ejus communione divelli, cupiens tamen graviora mala excidere; nimirum, ne dum cavet interdicto viris a se eam excludere, hoc necessitatis adigantur ut invisas ac domi existentes jugulent: Quod minus erat malum, ob hoc fieri permisit: Ita sanè & hic. Interdicto cavit, ne victimas immolarent Dæmonibus: Eas tamen passus est sibi offerri, ut quod cupiebat, rectâ proveheret ac perficeret.* Et infra, Cæremonialia Præcepta cum Moralibus comparans, hæc habet: *Mandatorum hæc quidem propter se fiebant, illa verò alias ob causas jubebantur, ut fierent: Sicut est hoc, Deum novisse, ne homicidium committerent, ne adulterarentur; & quæcumque talia per Legem sanciebantur propter utilitatem ex eorum observatione prodeuntem. Atqui immolatio, incensi oblatio, observatio Sabbati, & quæcumque ejusmodi e Religione sunt, non ut hæc ipsa simplici quadam ratione fierent: Quin potiùs ut per harum assiduam commentationem curamque abducerentur a cultu Dæmonum.*

IX. Suffragatur iterum *S. Cyrillus Alexandrinus* Epistolâ ad *Acacium*, de Capro Emissario scriptâ, disertè asserens, *Universorum Deum, ad evertendum Gentilium errores, qui multos Deos colebant, eorumque illuminationem qui in tenebris sedebant, Priscis illis Legem suam per Moysen tulisse.*

X. Illorum Patrum sententiæ subscribit *S. Thomas Primâ Secundæ, Quæstione* 102. *Art.*2. ubi inter rationes literales Præceptorum Cæremonialium hanc primo loco recenset, quòd data sint *ad vitandum Idololatriæ cultum.* Articulo verò 3. ait: *Secundùm quòd sacrificia ordinabantur ad cultum Dei, causa Sacrificiorum dupliciter accipi potest. Uno modo, secundùm quod per Sacrificia repræsentabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur Sacrificium offerens. Ad rectam autem ordinationem mentis in Deum pertinet, quòd omnia, quæ homo habet, recognoscat a Deo tamquam a primo principio, & ordinet in Deum tamquam in ultimum finem, & hoc repræsentabatur in oblationibus & sacrificiis: Secundùm quòd homo ex rebus suis quasi in recognitionem, quòd haberet ea a Deo, in honorem Dei ea offerebat: Secundùm quòd dixit David* 1. *Paralipomenon* 29. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.... *Alio modo, ex hoc quòd per hujusmodi, retrahebantur homines a Sacrificiis Idolorum. Unde etiam Præcepta de Sacrificiis non fuerunt data Populo Judæorum, nisi postquam declinavit ad Idololatriam, adorando Vitulum conflatilem: Quasi hujusmodi Sacrificia sint instituta, ut Populus ad sacrificandum*

prom-

*promptus, hujusmodi Sacrificia magis Deo quàm Idolis offerret. Unde dicitur Jeremiæ 7.* Non sum „ locutus cum Patribus vestris & non præcepi „ eis, in die, quâ eduxi eos de Terrâ Ægypti, „ de verbo holocautomatum & victimarum.

XI. Accedit ad nostræ Propositionis confirmationem *Maimonidis* inter Hebræorum Magistros doctissimi suffragium in *More Nevochim*, P.3. Cap. 29. *Nosti* [ inquit ] *ex pluribus Scripturæ locis, quòd prima Legis nostræ intentio sit idololatriam tollere, memoriam illius, & omnium quæ illi adhærent, aut hominibus ad illam vel minimam occasionem præbent, delere.*

XII. Probatur pars altera Propositionis, quòd scilicet illi ipsi Ritus, quos ex Gentium moribus in Legem transcriptos Viri quidam Eruditi contendunt, ob eam rationem, in eumque finem sint instituti, ut Judæos a peregrinis ad patrios mores, & ab Idolis ad veri Dei cultum sensumque revocarent: Primò ex ipsorummet hujus opinionis Auctorum confessione, qui fatentur Ethnicorum Ritus nonnisi emendatos, & Dei sapientissimi limam passos, Deum in Mosaicam Legem transtulisse, & per *συγκαταβάσιν* illam Israëlitas a Gentium Idolis & Cæremoniis sensim & suaviter avocare studuisse. Ita loquitur *Spencerus* in Præfationem Libri 3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum.*

XIII. Secundò, id omnino probant Patrum, seu aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia, quibus ceu Sententiæ suæ Patronis gloriantur; scilicet *S. Hieronymi*, Commentario in Cap. 5. *S. Matthæi*, dicentis: *Hoc quasi parvulis erat Lege concessum, ut, quemadmodum victimas immolabant Deo, ne eas Idolo immolarent: sic & jurare permitterentur in Deum: Non quòd rectè hoc facerent, sed quòd melius esset id honoris Deo exhibere, quàm Dæmonibus.* Et Commentario in Cap. 4. ad Galatas: *Arguit illos Apostolus*, inquit, *quia dies festos & tempora Judæorum observare vellent, sicut antea Idolis fecerant. Nam Judæis illi dies idcirco concessi sunt, ne eos, amore festivitatis Idolis exhiberent.*

XIV. *S. Joannis Chrysostomi* Homiliâ 6. in S. Matthæum: *Ne igitur opineris*, inquit, *Deo indignum, quòd Magi per stellam vocantur. Hoc enim modo omnes Judæorum Cæremonias omnesque Ritus, & Sacrificia, atque Purificationes, & Neomenias, & Arcam, Templumque ipsum reprobabis. Siquidem hæc omnia originem a Gentium ruditate traxerunt. Sed Deus ob deceptorum salutem, per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi Dæmones ante coluerant, aliquandiu illa in melius inflectens, ut eos paulatim & a consuetudine suâ reduceret, & ad Philosophiam perduceret altiorem.*

XV. Beati *Theodoreti* Sermone 7. *De Sacrificiis*, ubi cùm falsos Gentium Deos victimarum nidore velut coquos delectari præmisisset, subjungit: *Hæc autem & ipsi fortasse in verum ac sempiternum Deum retorquere audebunt: Quippe qui de Sacrificiis in divinâ Scripturâ latas leges audiunt, Legislatoris autem consilium prorsus ignorant. Israëlem enim longinquum tempus in Ægypto versatum, pravisque indigenarum moribus imbutum, & Idolis ac Dæmonibus immolare ab illis edoctum, & ludis, choreisque, ac musicis organis oblectari, harum rerum in habitu constitutum liberare volens, sacrificare quidem permisit, non tamen omnia sacrificare, neque falsis Ægyptiorum Diis, sed sibi soli Ægyptiorum Deo offerre. Deorum siquidem in numero bovem olim habebant Ægyptii, & ovem, & capram, & columbam, & turturem, & alia quædam ex iis quæ non esculenta erant, sed immunda vocabantur. Ne itaque indignarentur, tanquam a moribus illis penitus exclusi, falsis quidem Diis sacrificare vetuit, sibi autem ea immolare jussit, quæ ab eis dudum adorabantur... Haud itaque victimarum indigens Deus, nidorisque appetens, Sacrificia illa instituit, sed ut ægrorum affectibus mederetur. Ita & musica instrumenta passus est esse, non quòd illorum concentu oblectaretur, sed ut idolorum errorem paulatim aboleret. Nam si ut primùm ab Ægyptiorum potestate liberati sunt, perfectas eis Leges objecisset, resiliissent prorsus, frenumque respuentes, ad pristinam labem recurrissent.*

XVI. *S. Cyrilli Alexandrini*, quem ante *Theodoretum* laudare debueram, Libro 16. *De Adoratione*, ubi hæc habet; *Gentilium dementissima Natio, suas consuetudines secuti, & more mutarum peeudum viventes, promittebant comam, Dæmoniis eam nutrire professi. Atque alius quidem Nymphis, quas Oreadas appellabant, alius fluvio, cùm visum esset, offerebant; atque religionis loco ea res habebatur. Sapientissimus itaque Moses, imò per Mosem Deus cum intelligeret, non facilè Hebræos, quos in Ægypto mores imbibissent, deponere posse, similes Ritus instituere decrevit, sensim eos a priscis erroribus disjungens: Quibus Ritibus non Dæmones ultra, sed Deum Omnipotentem quasi sub umbrâ & figurâ colerent. Ob eam rationem Legem de Sacrificiis tulit, illasque cruentas victimas haud admodum libenter accipiebat.*

XVII. Probatur tertia pars Propositionis, Quòd scilicet Viri quidam Eruditi falsò ac perperam asserant, Deum plerosque Ritus Ethnicorum in Legem cultumque suum transtulisse: Primò ex ipsis Dei verbis, qui se Ritibus ab iis, quos Ethnici, & inter alios Ægyptii, in honorem Numinum suorum frequentabant, diversis coli velle, non semel significat Israëlitis, *Deuteronomii* Cap. 12. 30. 31. 32. 33. *Cave*, inquit, *ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, & requiras cæremonias earum, dicens: Sicut coluerunt Gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: Nec addas quicquam, nec minuas.* Et Levitici 18. 2. 3. 4. *Ego Dominus Deus vester: Juxta consuetudinem Terræ Ægypti, in quâ habitastis, non facietis: & juxta morem Regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec, in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea, & præcepta mea servabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester.* Præterea, Leges Cæremoniales eo consilio Deus Israëlitis dedit, ut earum observantiâ veluti pariete intergerino eos a Gentium communione ac moribus omnino separaret, ut docet Apostolus ad *Ephesios* 2. 14. 15. ubi de Christo sic loquitur. *Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ: Legem mandatorum Decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Hocne verò Dei consilio congruebat, ut Gentium Ritus non paucos, *quos ineptias norat esse tolerabiles*, (ut *Spencerus* loquitur) in sacrorum suorum numerum adoptaret? Tertiò, Deum Leges cæremoniales condidisse ad abolendam idololatriam, satis superque probavimus: An verò Gentium mores in Legem transferre ad eum finem consequendum conveniens fuisset? Certè Rituum similitudo tam facilè Judæos ad cultum Idolorum, quàm Gentes ad cultum veri Dei allicere potuisset. Tertiò, Legales Cæremonias Deus instituit, ut Christi & Mysteriorum ipsius figuræ essent, ut docet Apostolus Epistolæ ad Colossenses Cap. 2. 16. 17.

*Spencerus & Marshamus refelluntur.*

Ne-

*Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum: Corpus autem Christi*. Conveniens ne fuisset ut Deus ex Dæmonis officinâ, ex Ethnicorum superstitione lineamenta mutuaretur, quibus Christi Salvatoris, Mysteriorum ejus, atque rerum spiritualium ad Regnum & Fideles ejus pertinentium figuras & imagines adumbraret? Quartò, Ritus plerique omnes, quos a Gentibus ad Hebræos derivatos *Spencerus* asserit, vel e Patriarcharum moribus manasse manifestum est, ut Rituum primitiarum ac decimarum Deo offerendarum, de quo *Genesis* IV. 3. XIV. 20. XVIII. 22. Altarium ac Titulorum in Dei honorem erigendorum, eaque olei effusione dedicandorum, & sacrificiorum oblationem, de quibus *Genesis* VIII. 20. XII. 7. 8. XIII. 18. XV. 9. XXII. 3. XXVIII. 17. 18. 22. XXXI. 54. XXXV. 14. Vel Ritus hujuscemdi ab Hebræis traductos ad Gentes longè verisimilius videtur, Dæmone divini cultûs æmulo victimarum frequentium cæremonias, templorum religiones, lustrationum exercitia, festorum solemnitates, aliasque cæremonias Mosaicæ Legis contaminante, interpolante, & ad Idolorum cultum transferente. Sanè Auctores omnes, quorum testimoniis probare nititur *Spencerus* Ritus plerosque Mosaicæ Legis e moribus Gentium esse derivatos, longè recentiores sunt Mosis ætate. Cùm enim ad Ritus particulares descendit, ut hypothesim suam exemplis firmet, alios Auctores non laudat quàm Gentium Historicos, Poëtas, Philosophos, qui fidem licèt faciant Ritus illos ætate suâ inter Gentes usitatos fuisse, non tamen ante Mosis tempora. Argumentum a Mosis antiquitate petitum invicti esse roboris tam contra eos qui Ritus Legis Mosaicæ ex moribus Gentium derivatos contendunt, quàm contra eos qui plerasque Historias a *Moyse* in Genesi scriptas, ex fabulis Gentium ab ipso interpolatas impiè olim asseruerunt, patet ex loco illo *Origenis* Lib. 4. contra Celsum: *Et quoniam putat Mosem, quæ scribit de Turri, confusioneque linguarum, depravasse ex Aloidarum fabulâ, & ad Turrim suam transtulisse: Equidem dixerim, Aloai filiorum ante Homerum in literis meminisse neminem: At quæ de Turri Moses prodidit, antiquiora esse non tantùm Homero, verùm etiam primis Græcarum literarum Inventoribus. Uter igitur alterius scripta depravavit, Scriptorne Aloidarum fabulæ, historiam Turris; an is qui de Turri & linguarum confusione meminit, Aloidarum fabulam? Certè incorruptis auditoribus apparet, quòd Moses sit Homero antiquior. Sic & quæ de Sodomis & Gomorrhis propter peccatum igne deletis Moses narrat in Libro Geneseos, Celsus comparat eum Phaëtontis historiâ, in eumdem iterum impingens lapidem ob non servatam antiquitatem Mosis temporum. Nam hi qui de Phaëtonte fabulantur, videntur Homeri ætate posteriores, quo Moses fuit tantò antiquior*. Simili adversùs *Marshamum* & *Spencerum* utimur argumento. Auctores omnes, quorum testimoniis probare nituntur Legis Mosaicæ Ritus plerosque inter Gentes olim usitatus, & a Deo ex moribus Gentium in Legem cultumque suum translatos, longè remoti sunt a Mosaicorum temporum antiquitate. Ex ipsis itaque colligi non potest Ritus illos ante *Moysen* in usu fuisse Gentium illarum. Facessant itaque hoc in argumento *Herodotus*, *Pausanias*, *Diodorus Siculus*, *Lucianus*, *Plutarchus*, *Apulejus*, *Macrobius*, *Homerus*, *Martialis*, *Ovidius*, *Virgilius*, Poëtæ omnes, quorum nominibus ac sententiis Opus suum Eruditus *Spencerus* implevit. Hi enim de Ritibus (ut dixi) in Sacris Gentium, de quibus scribebant, suâ ætate frequentatis testes idonei esse possunt, non de Ritibus ante *Mosis* tempora usurpatis. Denique *Tacitus* Libro 5. Historiæ, *Marshami* & *Spenceri* opinionem jugulat his verbis: *Moses, quò sibi imposterum Gentem firmaret, novos Ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.... Hi Ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. Cætera Instituta sinistra, fœdâ pravitate valuere*.

*Argumenta Spenceri diluuntur.*

XVIII. Sed age, *Spenceri* argumenta expendamus. Primum petit ex illis *Sancti Pauli* verbis, *Actuum* 13. ubi de Israëlitis agens, *Deus* [inquit] *per quadraginta annos mores eorum toleravit in deserto*. Ibi verò per mores quos Deus tulit, intelligendæ videntur consuetudines aliquæ, pueriles magis quàm prophanæ, quarum nonnullas ad tempus sustinuit, alias autem in sacrorum suorum classem transtulit.

Respondetur, Arbitrariam prorsus esse *Spenceri* interpretationem. Mores Israëlitarum, quos Deus sustinuit in deserto, frequentes fuere defectiones ad cultum Idolorum, Legis Divinæ violationes, murmurationes in Deum & Moysen, infra meritum punitæ, ut docet Deus ipse apud *Ezechielem* Cap. 20. 13. & seq. *Et irritaverunt me domus Israël in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis: & Sabbata mea violaverunt vehementer: Dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram Gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum. Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, &c. Et pepercit oculus meus super eos, ut non interficerem eos: Nec consumpsi eos in Deserto*. De iis moribus loquitur *S. Paulus*, propter quos Deus se Judæorum Nationi quadraginta annis offensum fuisse ait per *Davidem*, Psalmo 94. 9. 10. 11. *Sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto: Ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas*. Sanè si quos Gentium mores pueriles magis quàm profanos Deus in Legem suam transcripsisset, hos approbasse potiùs, quàm tolerasse diceretur.

XIX. Secundum argumentum petit *Spencerus* ex iis locis, quibus olim Institutionum legalium observatio præcipuè nitebatur. Observat nimirum, in locis plerisque, quibus Deus de præcipuæ notæ Ritibus & Institutis agit, Eum vocibus *permittentem* & *dirigentem*, potiùs quàm *præcipientem* & *adhortantem* indicantibus uti. Exodi 20. 25. *Si altare lapideum facere velis mihi, non ædificabis e sectis lapidibus*. Levitici 1. 2. *Si quis e vobis obtulerit oblationem Domino offeretis de pecoribus, &c.* Numerorum 7. 61. *Si quispiam voverit votum ad separandum se Domino, se a vino &c.* Ex quibus colligit, Ritus illos permissos potiùs fuisse, quàm præceptos & a seculi consuetudine magis quàm Dei voluntate & intentione primariâ derivatos.

Respondetur Cæremonias omnes, quæ divinâ Lege continentur, a Deo præceptas, non permissas tantummodo fuisse, ut constat ex *Deuteronomii* 5. 31. 32. ubi Deus *Moysen* his verbis compellat: *Tu verò hîc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias atque judicia: Quæ docebis eos, ut faciant ea in Terrâ quam dabo illis in possessionem. Custodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram*. Cap. 6. 1. *Hæc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, & faciatis in Terrâ, ad quam transgrediamini possidendam*. Et ex postremis *Levitici* verbis:

bis: *Hæ sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israël in Monte Sinai.* Et ea ipsa loca quæ *Spencerus* profert, præceptum, non meram permissionem aut tolerantiam notant, quamvis præcepta illa hypothetica sint, non absoluta. Si quis Altare lapideum Deo erigeret, quòd liberum erat (poterat enim de terrâ facere) præcepto divino tenebatur ad illud extruendum ex impolitis lapidibus. Si quis Sacrificium offerret statis temporibus, vel pro suâ devotione, præcepto adstringebatur ad eas victimas offerendas, quas Deus Lege præscripserat. Si quis voto Nazaræatûs se obstrinxisset quod liberum erat, abstinere ex Dei præcepto tenebatur a vino, & omni potu quod inebriare potest.

XX. Tertium argumentum arcessit *Spencerus* ex Epistolâ ad Galatas 4. 3. *Cùm essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Elementa enim mundi, Ritus interpretatur Israëlitis cum mundo communes, videlicet templa, aras, victimas, aliosque mores, qui a Gentibus ad Judæos per demissionem quamdam Dei venerant.

Respondetur Mosaicæ Legis cæremonias & observantias, elementa mundi, ob eam rationem quam affert *Spencerus* ab Apostolo non appellari, sed *elementa* quidem vocari propter earum ruditatem & imperfectionem, metaphorâ sive a naturâ, sive ab arte petitâ: Mundi autem elementa, quia terrena erant, sensibilia, e mundo sumpta, & ex illis rebus, quas mundani homines cum iis quoque communes habebant, præsertim verò ex diebus, mensibus, annis & temporibus, quæ Solis, & Lunæ cursu perficiuntur: Vel quia Deus mundum, id est homines in mundo constitutos erudire volens, a tenuibus illis principiis exorsus est, pietatis scholâ ipsis veluti adhuc pueris pædagogi disciplinâ instituendis, in uno duntaxat mundi angulo apertâ. Addiderim, Hunc locum optimos Interpretes de Gentibus, non de Judæis interpretari, & *Mundi Elementa*, Cœlum, Terram, Solem, Sydera intelligere eos demum *qui naturâ non sunt Dii*, quibus gentes olim serviebant, antequam Evangelii lumine collustrarentur. In eorum itaque personâ loqui *S. Paulum*, quibus ad evangelizandum missus erat, cùm ait: *Sub elementis mundi eramus servientes.* Unde & postea subdit Versic. 8. 9. 10. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui naturâ non sunt Dii, serviebatis. Nunc autem cùm cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo: Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis, & menses, & tempora, & annos.* Hanc postremam interpretationem tradit *S. Augustinus* in Expositione Epistolæ ad Galatas; Priorem *S. Joannes Chrysostomus*, & *Theodoretus*: Utramque *S. Hieronymus* proponit: *Elementa mundi*, inquit, *cœlum & terram, & ea quæ intra hæc sunt, plerique appellata putant: Quod videlicet Solem, Lunam, Maria, Sylvarum, & Montium Deos, & Sapientes Græcia, & Barbara Nationes, Romanique omnium superstitionum sentina venerentur: A quibus, cùm Christus venerit, liberamur: Intelligentes ea creaturas esse, non Numina. Alii elementa mundi Legem interpretantur Moysi, & eloquia Prophetarum: Quod per hæc quasi initia & exordia literarum, Dei timorem, qui sapientiæ principium est, suscipiamus.... Ab his elementis postquam venerit temporis plenitudo, redimimur, ad majora gradientes, adoptionem recipimus filiorum.... Potest igitur (ut diximus) Mosi Lex & Prophetæ pro elementis accipi literarum, quòd per eas syllabæ jungantur & nomina, & non tam sui, quam alterius rei utilitate discantur, ut possimus orationem legere contextam; in quâ sensus magis & ordo verborum, quàm literarum principia considerantur. Quòd autem Legem & Prophetas, elementa mundi interpretati sumus, Mundus pro his qui in Mundo sunt accipi solet: Eodem Paulo dicente: Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi. Et in Evangelio: Et Mundus per eum factus est, & Mundus eum non recipit.* Hos Interpretum revera Coryphæos *Spencerus* consultiùs sequeretur, quàm *Grotium* ingenio suo in Scripturæ Sacræ interpretatione liberiùs indulgentem, quem tamen hoc nomine cohonestare ipsi placuit.

XXI. Quartum argumentum sumit *Spencerus* ex testimonio *Origenis Lib. 5. contra Celsum.* Cùm enim *Celsus* arrogantiæ maximæ Judæos argueret, quòd primas sibi sanctitatis & favoris apud Deum partes sumerent, ob Circumcisionem, abstinetiam a carne porcinâ, morem in Excelsis immolandi & hujusmodi alia, quæ tamen Ægyptii, Colchi, Persæ, aliique Priores usurpassent in hunc modum egregiè respondet *Origenes*: *Quòd si quis erectâ mente ad contemplandum Legislatoris consilium, examinet collata Instituta ejus Gentis cum reliquarum Moribus, quibus hodieque utuntur, nullum hominum genus magis admirabitur, ut quòd repudiatis omnibus rebus inutilibus, solas recipit utiles.* Quibus verbis fatetur *Origenes*, Deum mores sacros a Gentibus, sed cum delectu accepisse.

Respondetur, *Origenem* nihil minùs dicere quàm quòd ipsi *Spencerus* affingit. Id unum asserit, in Judaicæ Religionis Ritibus nihil inutile, nihil superstitiosum fuisse, nihil obscœnum. Subdit enim: *Ideo nulla fuerunt apud eos vel Scenicorum, vel Athletarum, vel Circensium certamina; non fœmina vendentes florem ætatis cuivis volenti seminare incassùm, & natura humana feminibus illudere.... Mihi certè persuasum est, eos dignè appellatos Dei peculium, qui contempserunt omnem divinationem vanâ spe lactantem homines, & malorum Dæmonum potiùs quàm melioris Naturæ inventum, quærendo veram futurorum præscientiam in Sanctis Animis propter insignem puritatem capacibus Divini Spiritûs.* Immò Judaicæ Religionis Sacra gentium sacris longè dissimilia fuisse docet. *Velit nolit Celsus* (inquit) *altiorem sapientiam tenent Judæi, non solùm quàm vulgus, verùm etiam quàm hi qui habentur pro Philosophis. Namque Philosophiæ studiosi post graves illas suas disputationes prolabuntur ad simulacra, & Dæmonas: Judæorum autem vel postremus ad solum Deum Optimum Maximum respicit: Et meritò hæc de causâ sibi placent, aliorum ut impurorum & impiorum devitantes consuetudinem. Atque utinam non contra Legem peccassent, occisis primùm Prophetis, dein Jesu per insidias sublato! Haberemus exemplum civitatis cœlestis, quam Plato conatus est quidem effingere, cæterùm non videtur hoc ita præstitisse ut Moses, cæterique Prophetæ post eum, formantes genus electum, gentem sanctam, Deo dicatam, puréque educatam procul omni superstitione. Quoniam autem Celso libuit Sacra Judæorum quibusdam Gentibus communia facere, agedum dispiciamus quid sit hoc quoque. Putat de Cœlo dogma nihil differre ab opinione de Deo: Aitque Judæorum more Persas Jovi Sacra facere in celsissimis Montium: Non videns quòd Judæi, quemadmodum unum Deum sciebant, ita unicam sanctam precationis Domum, unum Altare holocautomatum, & sacri suffitûs Aram unicam, unumque Dei summum Sacerdotem. Nihil igitur commune Judæis erat, altissimos Montes, eosque plures conscendentibus Sacrorum causâ longè dissimilium Sacrificiis Mosaicis, quæ ad quamdam similitudinem & umbram cœlestium*

*ctium peragebantur a Sacerdotibus Judæorum, in arcano intellectum legitimorum Sacrorum enarrantibus, & quidnam significaretur per ea.*

XXIII. Quintum argumentum *Spenceri* ex *Eusebii* testimonio sumptum *Lib.1. Demonstrationis Evangelicæ Cap.6.* causam ejus non promovet, cùm id unum afferat, Deum *congruentem Israëlitarum moribus Legem promulgasse:* Quam vocat imperfectam, *& quasi parvulis & infirmis accommodatam observantiam*; comparatè scilicet ad Religionem Christianam, & observantiam Legis Evangelicę.

XXIV. Sextum argumentum adornat *Spencerus* ex *S. Joanne Chrysostomo*, *Homiliâ 6. in Matthæum*, cujus testimonium supra Num.24. descriptum est. Sed nec ipse *Spencerus* eloquentissimo Patri in omnibus credendum putat; ægrequè fert, quòd de Rituum planè omnium antiquioribus temporibus apud Judæos obtinentium origine tam decretoriam sententiam tulerit. Nam ægrè creditur (inquit) Circumcisionem, Sabbatum, Festum Paschatis, & alia nonnulla Judeorum instituta, huic origini tribuenda esse. Sacrificia certè, quæ Gentium ruditati & mori inoleto *S. Chrysostomus* accepta refert, a Patriarchis, Deo procul dubio docente, oblata, Scriptura Sacra commemorat: Adeoque ex Gentium moribus in Mosaicam Legem translata dici verè non possunt. An verò Chrysostomus ipse id non agnoscit, divino scilicet afflatu homines, dum sola vigeret Lex naturæ, edoctos de sacrificiis Deo immolandis? Audiatur Homilia 17. in Genesim: *Iterum dico, & dicere non cessabo; non quia Deus sacrificiis indiget, sed vult & per hæc ostendi gratum nimi effectum..... Neque Cain doctorem habuit aliquem, neque Abel suggestorem & consiliarium: sed uterque conscientiæ suæ magisterio, & sapientiâ divinitus humano generi suppeditatâ, ad hanc oblationem incitatur.* Et Homilia 26. in Genesim. *Et ædificavit Noë Altare, & accepit de omnibus pecoribus mundis. Considera iterum diligenter ex præsentibus verbis, quomodo in naturâ nostrâ conditor omnium insevit certam virtutis scientiam. Unde enim justo venissent? Nullus erat alius quem videbat, & a quo discebat.*

*S. Hieronymus* sententiæ *Spenceri* nullatenus favet. Ejus loca ex Commentario in *S. Matthæi* Cap.5. & in Cap.4. ad Galatas excerpta, probant dumtaxat Deum Leges cęremoniales Judæis dedisse, ut eos a profanis Gentium ritibus ac moribus avocaret, ac idololatriam in populo illo peculiariter a Deo electo aboleret. Illa *S. Hieronymi* testimonia descripta superiùs habes Num.13. Aliud addit *Spencerus* ex Epistolâ ejusdem Sancti Doctoris ad *Evagrium*, ubi ait. *Ante Circumcisionem Sacerdotio functum Melchisedech: Ut non Gentes a Judæis, sed Judæi a Gentibus Sacerdotium acceperint.* Sed frustrà locum illum *S. Hieronymi* Vir Eruditus ostentat, cùm de Gentibus profanis ac Idololatriæ addictis S. Doctor non loquatur, sed de Gentibus verum Deum colentibus, nec tamen ex Abrahami genere ortis. Quamquam vix propugnari queat vel illo sensu *S. Hieronymi* Propositio, siquidem *Abraham*, Antequam *Melchisedeco* occurrisset, veteres Patriarchæ *Abrahami* Majores Sacerdotio functi sunt, & Sacrificia Deo obtulerunt.

XXV. A *Theodoreto* suppetias quærit *Spencerus* sed locus *Theodoreti* excerptus e Sermone 7. *De Sacrificiis*, & supra Num.15. descriptus, Sacrificia quidem ab Ethnicis frequentata probat, sed non ex lutulentis illis fontibus in Judaicam Religionem a Deo derivata, immò ab Eo præscripta & instituta ad Idololatriam abolendam. Ait autem cônveniens non fuisse, ut Deus ab Ægyptiorum servitute liberatis perfectas Leges statim traderet, quia nondum Evangelicæ Philosophiæ capaces erant. Hanc ob causam illum Sacrificia instituisse, quibus non indigebat, & quæ propter se ipsa non volebat. *Nam si* [ inquit ] *ut primùm ab Ægyptiorum Potestate liberati sunt, perfectas eis Legis objecisset, resiliissent prorsus, frenumque respuentes, ad pristinam labem recurrissent. Si enim rebus hoc modo dispositis, sæpè numero id facere conati sunt, quid non ausi fuissent, Deo illis statim ab initio Evangelicam Philosophiam imperante? Quòd verò Deus nec Sacrificiis egeat, nec musicis instrumentis ipsum audire per Prophetas loquentem:* Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos, &c. Ps. 49. *His enim verbis pariter omnia rejecit, quæ jussa fuerant offerri.... Eo ipso edocens Divinam Naturam re nullâ indigere.* Quod ubi multis confirmavit, ita concludit: *Quod igitur de his rebus in Lege præceperat, illorum infirmitatis fuit, non indigentiæ ipsius, aut voluntatis.*

XXVI. Fateor *S. Cyrillum Allexandrinum*, cujus locum supra Num. 16. descriptum habes, in eâ fuisse sententiâ, quam ejus verba præ se ferunt, & *Spencero* de Nazaræatûs origine suffragari. Verum cùm de re suâ ætate tot seculis antiquiore loquatur, ejusque opinioni nec scriptura Sacra, nec Traditio, nec humana Historia, nec ratio fidem adstruant, ab eo dissentire, salvâ nominis ejus reverentiâ, nobis liberum est. Ejus namque testimonio non obstante, semper incertum est, an mos ille Gentilium comam promittentium, eamque Dæmoniis nutrientium, aut Nymphis vel fluvio offerentium, tam antiquus fuerit, & apud eas Gentes quibuscum Israëlitis *Mosis* temporibus intercessit commercium, tunc receptus, ut Legis de Nazaræatu ferendæ occasionem dare Deo potuerit. Si quid in re tam obscurâ conjecturis tribui potest, fœlicius fortè conjicit, qui Deum sacram de Nazaræatu Legem opposuisse asserit Zabiorum, id est, Chaldæorum, finitimorumque Populorum Ethnicorum moribus, qui *Omnia quæ separantur a corpore, ut pili, ungues, sanguis, pro immundis habebant: Unde tonsores omnes iis immundi erant, quia sanguinem & pilos tangunt. Quicumque novaculam super carnem suam transire sinebat, lavare se cogebatur in aquâ fontanâ, clarâ, limpidâ.* Ita refert *Maimonides* in *More Nevochim* P. 3. Cap.47.

XXVII. Ritus Mosaicæ Legis plerosque a Gentibus ad Hebræos derivatos fuisse rationibus, verisimilibus probare *Spencerus* aggreditur. Primam petit a primariis Rituum Mosaicorum circumstantiis, scilicet ab eorum inutilitate & infirmitate, instituendi tempore, multitudine, pompâ & splendore, instituendi modo, & simplicitate. Eorum inutilitatem & infirmitatem probant Apostoli verba ad Hebræos 7. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* Et Cap.9. 9. *Juxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & in potibus, & in variis baptismatibus, & justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* Ratio autem ferre nequit Deum tot Ritibus, omni virtute vacuis, & hominem externum tantùm exercentibus, Ecclesiam cultumque suum onerare voluisse; nisi quòd Hebræorum Populus, immani veterum omnium zelo ductus, Dæmoni per eos cultum deferre voluerit, si minùs Deo licuisset. 2. Id confirmat institutionis tempus. Ritus enim illi plerique per annos bis mille veris

veris Dei cultoribus incogniti fuerunt, & sub mosis tempora primùm in leges abierunt. Quid itaque dicendum, nisi quòd novi Mores Leges & Ritus novos postularent. & Deus jam rem haberet cum pertinaci Gente ab antiquis moribus minimè dimovendâ. 3. Ipsa Rituum Mosaicorum multitudo argumento esse potest, eorum non paucos a seculi moribus ansam & originem accepisse. Quid enim Deus *elementa* tot *infirma & egena* in Legem cultumque suum accipere dignaretur, nisi quòd eorum plurimos, utpote more veteri confirmatos, Judæi moris antiqui tenaces arctiùs amplecterentur? 4. E Rituum eorum pompâ & splendore argumentum etiam non pœnitendum elicitur. Cur enim cultum tam splendidum & elegantem repente Deus instituit, nisi ut Religionem ad puerilis Populi gustum attemperaret, qui e longo cum Ægyptiis usu, cultum multo cum negotio & pompâ præstitum summo desiderio & admiratione prosequeretur? 5. Ipse Ritus Mosaicos instituendi modus huic sententiæ non parum præsidii præbet. Cur enim Deus horum Rituum minutias accuratè adeo præscripsit, iisque detrahi vel addi vetuit, nisi ut Hebræorum Ritus plerique cum Ritibus Gentium affines, circumstantiis quibusdam peculiaribus ab iis discernerentur? 6. Rituum aliquorum simplicitas probat ipsos non a Deo primùm, sed a Mundi nascentis ruditate, genus & originem derivasse, ut oblatio primitiarum in honoris divini testimonium, Dei Tabernaculum incolentis circumgestatio, pilorum consecratio in capitis Deo devoti testimonium, cultus Deo præstitus in Novilunio, epuli ex oblatis participatio ad communionem & familiaritatem cum Deo indicandam, &c.

XXVIII. Respondetur, His Viri Eruditi argumentis plus inesse fuci Rhetorici, quàm ponderis. Deum rationes suas habuisse, sapientiâ suâ dignas, quibus adductus est ut tot Ritus, quamvis ex se inutiles & infirmos, utiles tamen ad finem, propter quem illos instituebat, consequendum præscriberet, scilicet ad abolitionem Idololatriæ, ad conservandum divinorum beneficiorum memoriam, ad excellentię divinæ sensum hominum animis imprimendum, ad designandam dispositionem mentis Dei cultoribus necessariam: (Quæ rationes sunt literales.) Ad Christum, ejusque Mysteria delineanda & figuranda, ac Populi Christiani mores instituendos, ad statum futuræ gloriæ designandum: (Quæ rationes mysticæ sunt.) Ita *S. Thomas Primâ Secundæ, Quæst.* 102. *Art.* 2. Deum tot Ritus instituisse, ut superbi Populi ferociam jugo difficillimo subigeret, ut rudem ac lasciviente severi veluti Pædagogi disciplinæ subjiceret: Ut filium contumacem, sub *tutoribus ac curatoribus, usque ad tempus præfinitum* constituens, in officio contineret, (*Ad Galatas* 4. 1. 2. 3.) Ut paulatim ad Evangelicam perfectionem homines disponeret. *Propterea* (inquit *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 42.) *nobis adjumenti causâ Lex datur, velut maceria quadam inter Deum atque Idola interjecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem revocans. Ac paulum quiddam primò indulget, ut majus accipiat, sacrificia ad tempus concedit, ut Deum in nobis inferat: Ac postea, cùm commodum fuerit, ipsa quoque Sacrificia de medio tollat; mirâ sapientiâ per tacitas subtractiones animos nostros sensim immutans, atque ad Evangelium traducens, jam ad obediendum exercitos & assuefactos. Sic igitur atque his de causis Lex scripta introducta est, Christum nos colligens: Atque hæc Sacrificiorum est ratio. Et ut Sapientiæ Dei profunditatem, atque impervestigabilium ipsius judiciorum divitias intelligas, ne ea quidem mysterii prorsus expertia & inutilia, & in nudo ac simplici sanguine defixa reliquit. Verùm magna illa, & quantùm ad primam naturam immactabilis, (ut ita loquar) Victima Legalibus Sacrificiis immixta est; illa, inquam, non exigua cujusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius Mundi numquam intermoritura Expiatio.* *Christus* Rituum Mosaicorum splendorem & pompam quod spectat, ideo Deus cultum tam splendidum & elegantem instituit, ut Israëlitæ Majestatis divinæ sensu magis afficerentur, & ad reverentiam Deo præstandam excitarentur, ejus excellentiæ singulari convenientem. *Habet enim hoc humanus affectus* (inquit *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæst. 102. Art. 4.) *ut ea quæ communia sunt, & non distincta ab aliis, minùs revereatur: Ea verò quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur & revereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inolevit, ut Reges & Principes, quos oportet in reverentiâ haberi a subditis, & pretiosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes possideant. Et propter hoc, oportuit ut aliqua specialia tempora, & speciale Tabernaculum, & specialia Vasa, & speciales Ministri ad cultum Dei ordinarentur: Ut per hoc animi hominum ad specialem Dei reverentiam adducerentur.* Uno verbo, *Totus exterior Dei cultus ad hoc præcipuè ordinatur, ut homines Deum in reverentiâ habeant.* Rituum porrò sacrorum minutias Deus præscripsit, ne Judæi ad Idololatriam proclives Ritum aliquem superstitiosum in cultum divinum adsciscerent. Proinde Ritibus a se præscriptis aliquid addi vel detrahi severè prohibuit. Aliquorum denique Rituum simplicitas non probat illos a Gentium ruditate originem duxisse; cùm aliquos a priscis Patriarchis frequentatos ex Scripturâ Sacrâ certum sit, ut primitiarum oblationem, epuli ex oblatis Deo victimis participationem, &c. Alios verò Deus ob fines sapientiæ suæ propositos etiam instituerit, ac præceperit, ut Tabernaculi constructionem, de quâ Exodi 26. 30. *Et eriges Tabernaculum juxta exemplar quod tibi in Monte monstratum est*, &c.

XXIX. Argumentum alterum ad opinionem suam probandam ducit *Spencerus* ex affinitate, quæ inter Hebræorum & Ægyptiorum præcipuè Ritus intercessit. Unde factum est autem quòd Ægyptii & Hebræi cætera divisi maximè regionibus, linguis, studiis, Legibus, cultûs objectis, toto cælo ab invicem separati, Rituum tam similium usu conspirarent? Nulla ratio suppetit alia hujus convenientiæ, nisi quòd Deus Ritus Ægypti plurimos, splendore præsertim aliquo plebem fascinantes, Israëlitis, qui per multas annorum vices cum Ægyptiis vixerant, concessit & conservavit, ne Populus ille, moris antiqui tenax, Sacris novis aut rudibus offensus, a Legis institutis ad Ægypti Superstitionem resiliret. Ægyptios enim verò Ritus aliquos ab Hebræis accipere voluisse, probabile non videtur. Primò, quia Ægyptii diu ante *Mosis* tempora Cæremonias suas, quà sacras, quà civiles habuerunt, nec verisimile est ipsos Instituta patria rejicere voluisse, ut ad Gentis Israëliticæ, sanguine servili (ut ajebant) prognatæ, mores se conformarent: Præsertim cùm ipsam, præ cæteris orbis incolis, odio & contemptu maximè prosequerentur, teste *Josepho Lib.* 1. *contra Apionem*: & non apud Ægyptios tantùm, sed & alias e viciniâ Gentes, Judæi bipedum vilissimi ac despicatissimi haberentur. Accedit, quòd Ægyptii veteres Rituum suorum tenacissimi, aliarum Gentium Ritus aspernarentur, teste *Herodoto*, Cap. 78. Libri 2. *Contenti* (in-

(inquit) *moribus patriis, nullum alium asciscunt.* Et Cap.91. *Græcanicis Institutis uti recusant, nec aliorum hominum Legibus ullo pacto uti volunt. Et hoc Ægyptii quidem omnes observant.* Denique Philosophi antiqui ad Ægyptum tanquam celeberrimam scientiæ divinæ simul & humanæ Scholam se contulerunt, ut testantur *Herodotus* Lib.2. Cap.50. & 51. *Diodorus Siculus, Plutarchus, Diogenes Laërtius, Eusebius* Lib.2. & 10. *Præparationis Evangelicæ*, & *Josephus Lib.1. contra Apionem.* At Philosophi illi ad Judæos potiùs quàm ad Ægyptios se contulissent, si novissent Ægyptios Judæorum æmulos fuisse, & e Libris aut Sacris Judaicis Sacra pleraque sua derivasse.

Respondetur, Affinitatem tantillam Judaicorum & Ægyptiorum Rituum inde profectam, quòd Ægyptii Ritus aliquos Hebræorum in Sacra sua transtulerint. Id enim verò ut præstarent, effecere cùm illorum de *Abrahamo, Josepho, Mose* existimatio, tum Religionis Judaicæ tot miraculis confirmatæ fama, tum Rituum Judaicorum splendor, ac frequens Nationis utriusque commercium, *Salomonis* præsertim temporibus. Quàm venerandum Ægyptiis fuerit *Abrahami* nomen, testis est *Nicolaus Damascenus* apud *Eusebium* Lib.9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.16. *Cùm Ægyptiorum* (inquit) *eruditissimis familiariter uteretur, novum ipse non ad virtutem modò suam, verùm etiam ad nominis existimationem decus ac splendorem adjunxit. Nam quòd Ægyptii discrepantibus moribus delectati, suos ipsimet aliorum alii Ritus elevarent, mutuoque propterea odio tenerentur, ille cum singulis ita seorsim agebat, ut quicquid suis quique de rebus ac placitis disputarent, id totum ipse respueret, & ab omni veritate vacuum esse demonstraret. Quo factum est, ut in quotidianis eum mutuisque congressibus, tanquam Sapientissimum, nec singulari tantùm intelligendi vi præditum, sed etiam ad persuadendum aliis quicquid probandum suscepisset, potentissimum admirarentur.* Quanta verò fuerit Ægyptiorum erga *Josephum* veneratio, ejus in illos merita, cum Sacerdotibus affinitas, secundus a Rege dignitatis honorisque gradus, auctoritasque summa facilè persuadent. *Rex enim constituit eum Dominum domûs suæ, & Principem omnis possessionis suæ: Ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret.* An verò verisimile non est Ægyptios, quorum oculi in *Josephum* defixi erant, qui ipsum venerabundi audiebant, Ritus aliquos ex illius Religione accepisse, & Sacrorum suorum superstitioni addidisse? Quid dicam de *Moyse?* Quem Ægyptiis ita *Mirabilem ac divinum* visum esse *ut eum sibi vindicaverint, ac Heliopolitem unum Sacerdotum* fuisse finxerint, *Josephus* testatur *Lib.1. contra Apionem.* Quem præclaris in Rempublicam meritis *non modò Populorum amorem sibi conciliasse, verùm etiam parem Superis honorem a Sacerdotibus facilè impetrasse*, scripsit *Artapanus*, referente *Eusebio Lib.9. Præparationis Evangelicæ Cap.27.* Quid Legum Israëlitis a Deo per *Moysen* datarum famam longè latèque vulgatam prædicem? Quod *Moyses* ipse prædixerat Deuteronomii 4. 6. 7. 8. *Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram Populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En Populus sapiens & intelligens, Gens magna.... Quæ est enim alia Gens sic inclyta, ut habeat Cæremonias, justaque Judicia, & universam Legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Judæos bipedum vilissimos & despicatissimos habitos fuisse apud Ægyptios, vicinasque Gentes, *Josuë* temporibus quis dixerit, qui terrore nominis sui, & famâ miraculorum in eorum gratiam a Deo editorum Palæstinam finitimaque Regna impleverunt, Reges potentissimos debellarunt, veteribusque colonis e possessione suâ pulsis Rempublicam florentissimam constituerunt? De quibus, cùm nondum Jordanem trajecissent; *Rahab* Jerichuntina Mulier Exploratoribus dicebat, *Josuë* 2. 9. & seq. *Novi quod Dominus tradiderit vobis Terram: Etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores Terræ. Audivimus quòd siccaverit Dominus aquas Maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon & Og quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terrâ deorsum.* Jam verò quantùm sub *Davide* & *Salomone* floruerint res Hebræorum, nemo nescit Historiæ Sacræ haud prorsus imperitus, cum Sapientissimi Regis nomen longè latèque celebraretur, cùm *Regina Saba auditâ ejus famâ in nomine Domini*, ejus sapientiam demirata est, Deumque laudavit qui tantum Regem Israëlitis dedisset: *Sit* (inquit) *Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël, eò quod dilexerit Dominus Israël in sempiternum:* Cùm Templi ab eodem Rege conditi magnificentia novum Judaicis Sacris splendorem, novum Religioni apud vicinas Gentes decus ac auctoritatem conciliavit: Cùm ex parte impletum est quod idem *Salomon* prædixit, *Alienigenas de Terrâ longinquâ* Hierosolymam ad invocandum nomen Domini *venturos* 3. *Regum* 8. 41. His certè temporibus Ægyptios, quibus cum Israëlitis frequens fuit commercium, cùm *Salomon* Regis Ægypti filiam in matrimonium duxisset, aliquos Judaicæ Religionis Ritus ad sua Sacra transtulisse, haud incredibile est. Satis eorum in avitâ superstitione retinendâ obstinatio inde comprobatur, quòd immutatâ profanæ Religionis suæ substantiâ tenues dumtaxat fugientis veluti veritatis pietatisque umbras amplexi fuerint, ut eleganter ait nuperus Auctor. Nec solùm ex frequentibus congressibus cum Judæis, sed ex eorum etiam Libris Sacrorum Ritus aliquos, cùm Ægyptiacam, tum cæteras Gentes derivasse, inde fit verisimilius, quòd ex eis fabularem quoque Theologiam suam interpolarint. Eorum enim Numen supremum nomen Jovis a depravato *Jehova* nomine mutuatum creditur; Phœnicum *Taautum*, qui & *Thoth* Ægyptiis, ex Hebræorum *Tohu* formatum, non absimile vero est: *Bel* e *BelSamen*, id est, *Dominus*, factum videtur. *Mercurius, Typhon, Baccus, Osiris, Vulcanus*, alia Ægyptiorum aliarumque Gentium Numina, ex Historiâ Sacrâ ab ipsis, Dæmone suggerente, interpolatâ, ipsos hausisse Viri Eruditi demonstrarunt, & inter alios Eruditissimus Præsul *Daniel Huëtius* in Opere illo incomparabili *Demonstrationis Evangelicæ.* Eliæ quadrigas, quibus in cœlum raptus erat, fabulæ de Solis quadrigis; & ignis qui coram Domino jugiter ardebat, *Vestæ*, id est, *Divæ flammæ* Numini ortum dedisse creditur. Hinc Macchabæorum 1. Cap. 3. 48. de Judæis dicitur: *Et expanderunt Libros Legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum.* Hinc *Tertullianus* Apologetici Cap. 47. *Omnia adversùs veritatem de ipsâ veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam Spiritibus erroris. Ab iis adulteria hujusmodi salutaris disciplinæ subornata; Ab his quædam etiam fabulæ inmissa, quæ de similitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potiùs evincerent.* Quid plura? Gentes Legis Mosaicæ Ritus plerosque fuisse imitatas, testis est *Josephus* Lib. 11. contra Apionem. *Populi multi* (inquit) *a longo tempore cultum nostrum æmulantur.*

Ne-

*Neque est Civitas Græcorum usquam aut Barbarorum, nec ulla Gens, ad quam septimanæ, in quâ vacamus, consuetudo minimè pervenerit, & jejunia, lucernarum etiam accensiones, & multa circa cibos, quos nobis comedere nefas est, ab exteris observantur.... Unusquisque, si suam regionem domumque conspiciat, his quæ dicuntur a me, credere non recusabit.* Denique Gentium Philosophi Judæos adierunt, consuluerunt, ex eorum Theologiâ & Legibus plurima in Sectas suas Librosque traduxerunt, *Pythagoras* præsertim, *Plato*, *Aristoteles*, *Hecathæus Abderita*. De Pythagorâ & Platone ait Aristobulus Judæus apud *Clementem Alexandrinum* Libro 1. *Stromatum*, & *Eusebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 6. *Plato ipse quoque Reipublicæ nostræ Leges & Instituta sectatus est, a quo partes eorum singulas curiosè ac diligenter inspectas & excussas esse constat. Nam ab alio quodam ante Demetrium, adeòque ante Alexandri ac Persarum Imperium conversa Græcè fuerant, non ea modò, quæ dum ex Ægypto Hebræi cives nostri educerentur, sed etiam quæcumque illis singularem ad famam insignia contigerunt, tum quemadmodum eâ Regione potiti sint, adeòque Legis universæ complexio. Quare nemini dubium esse potest, quin multa inde laudatus Philosophus excerpserit: Plurimarum enim rerum scientiâ floruit, quemadmodum & Pythagoras, qui & ipse permulta nostris e Legibus in Sectæ suæ Præcepta traduxit.* Hermippus vetustissimus Vitæ Pythagoræ Scriptor a *Josepho Lib. 1. contra Apionem*, & *Origene Lib. 1. contra Celsum* laudatus, testatur Pythagoram multa eorum, quæ Judæis recepta sunt, in suam Philosophiam transfudisse. *Pythagoræ* Placita ac Præcepta, de Imagine Dei annulo non inscribendâ, de morticinis non comedendis, de sacris nudis pedibus faciendis, de frugiferis arboribus non succidendis, aliaque, quantam cum Mosaicis institutis affinitatem habeant, cuivis non planè imperito compertum est. Hunc circumcisum fuisse, *Clemens Alexandrinus* & *Theodoretus* referunt, quod incredibile non puto, siquidem ipsum, dum peregrinaretur, *cunctis tam Barbarorum, quàm Græcorum Mysteriis initiatum* asserit *Diogenes Laërtius*. Quod nonnullis ansam præbuit existimandi Pythagoram ex Judæis genus duxisse, *Ex quorum disciplinâ derivavit etiam Magisterii Præcepta*, (inquit *S. Ambrosius* Lib. 3. Epistolâ 20.) De *Platone* pervulgatum illud est *Numenii* Pythagorici a *Clemente Alexandrino* & *Eusebio* memoratum: *Quid enim aliud est Plato, quàm Moses Atticâ linguâ loquens?* Et *S. Ambrosius* in Psalmum 118. hæc habet: *Clamat per Esajam Dominus*: Consolamini Populum meum... Quia recepit de manu Domini duplicia peccata. *Discite unde Plato hæc sumpserit. Eruditionis gratiâ in Ægyptum profectus, ut Mosis gesta, Legis oracula, Prophetarum dicta cognosceret: audivit consolationem Populi, qui supra peccati modum videbatur fuisse punitus: & hunc locum quadam adopertum dote verborum in Dialogum transtulit, quem inscripsit De Virtute.* Clearchus Peripateticus *Judæum quemdam, qui cum Aristotele versatus est, abs se se visum esse commemorat?* Apud *Clementem Alexandrinum Lib. 1. Stromatum*, & *Eusebium Libro 9. Præparationis Evangelicæ* Cap. 5. & 6. De *Hecatæo* Abderitâ scribit *Origenes* Lib. 1. contra Celsum: *Extat & Hecatæi Historici de Judæis Liber, in quo adeò probat hujus Gentis sapientiam, ut Herennius Philo in suis de Judæis Commentariis primùm dubitet an hujus Historici id scriptum sit: Deinde addat; Siquidem ejus est, videri eum correptum Judæorum persuasionibus, probasseque eorum placita.* Sed etsi Judæam prisci illi Philosophi non adierint, consuetudinem habere cum Judæis, & Judæorum Proselytis per alias regiones diffusis potuerunt. *Mosis* enim Scripta [ inquit *Origenes* ibidem ] *multos etiam alienos a Judæorum Ritibus ad credendum moverunt; nimirum quia, sicut in ipsis continetur Literis, primus earum Legum lator fuit Deus hujus Mundi Conditor, qui eas Mosi tradidit. Par enim erat ut totius Mundi Opifex post Leges toti Mundo impositas vim eis adderet, quæ valeret ubivis Gentium.* Ex his omnibus fit verisimillimum, Ægyptios, aliasque Gentes ab Hebræis accepisse Ritus nonnullos, qui in ipsorum Religionibus inveniuntur affines Ritibus Mosaicæ Legis.

XXX. Objicit rursus *Spencerus*, Deum varia Privilegia Judæorum Genti ob seculi morem indulsisse, exempli gratiâ, Oracula & Prophetias, ne ad Oracula vel Ariolos Ethnicorum confugerent, & multò feliciùs cum Idololatris quàm se ipsis actum existimarent. Id probat primò ex *Philone* Lib. 1. *De Monarchiâ*, ex *Maimonide* Præfatione in *Seder Zer*, & *Origene Lib. 1. & 3. contra Celsum*: Indèque colligit, Deum, cùm Legem traderet, ad Israëlitarum ingenium & morem se attemperasse, & Ritus nonnullos, quibus e longo usu pertinaciter adhærebant, iis indulsisse.

Respondetur, Ut ut Deus se Israëlitarum infirmitati attemperaverit, Oracula & Prophetias ipsis concedendo, ut eos a Dæmonibus consulendis averteret, inde non sequi Deum Prophetias e Moribus Gentium in Religionem Judaicam traduxisse, quia nec tunc primùm cùm Lex data est, concessa est a Deo Prophetia, nec ob eum duntaxat concessa finem, quem assignat *Spencerus*; sed ad Populum Dei erudiendum, ad voluntatem Dei denuntiandam, ad confirmandam veritatem, & conservandam puritatem Religionis, variasque corruptelas exscindendas; ad Christi Mysteria, & Ecclesiæ fundationem & propagationem prædicendam: Ut illis tantò faciliùs homines fidem præberent, quantò certiùs ante prædicta, & secundùm quod prædicta erant evenisse nossent, [ ut frequenter inculcat *S. Augustinus*. ] Nec laudata a *Spencero* testimonia quicquam aliud probant, quàm Deum optimum Prophetas & Oracula Judæis concessisse ut eos in officio contineret, ne ad Ariolos & Oracula Ethnicorum confugerent: Quanquam hæc unica non fuerit & adæquata illius beneficii causa. *Quoniam* [ inquit Philo ] *a naturâ insitum sit hominibus prænoscendi futura desiderium, & ideo multi se ad Aruspicinam similesque divinandi artes applicant, earumque usus severè interdicitur. Promittit autem Lex, modò pietatem sincerè colant, exoriturum Prophetam aliquem, qui vaticinetur correptus Numine.* Ita verò Maimonides: *Deus Prophetas mittendo, fecit ne opus haberemus Astrologis, Divinis, & Ariolis, quoniam illos consulere possumus de rebus nostris, vel simul universis, vel divisim singulis. Hoc est quod dicit Scriptura: Quia Gentes istæ, quas tu expellis, præstigiatores & divinos audiunt, ac tu non sic: Dedit tibi Dominus Deus tuus Prophetam e medio tui.* Ita denuum *Origenes* Lib. 1. contra Celsum: *Admittendum necessariò* ( inquit ) *etiam Judæos habuisse suos Prophetas, siquidem continendi erant in datis sibi Legibus, & in acceptâ fide Creatoris, ne a fide deficerent ad Gentium Deos. Ergo Gentibus cognitionem futurorum petentibus ex oraculis, auspiciis, auguriis, ventriloquis, aruspicibus, Chaldæis Genethliacis, quæ artes omnes apud Judæos sunt vetitæ, si ipsi nullum solatium habuissent e futurorum præscientiâ, certè impulsi humanâ quadam futura cognoscendi libidine contempsissent res suas ut nihil divinum in se habentes, nec alium post Mosem Prophetam recepissent, nec sermones etiam mandassent literis, transfugissentque ad Oracula Gentium, aut ipsi conati fuissent apud se simile aliquod instituere. Quamobrem nihil absurdi est, etiam*

de

*de fortuitis quibusdam Prophetas e[illegible]ntis respondere solitos, quò satisfacerent talium rerum cognoscendarum cupidis; sicut Samuelem de asinis perditis, & de morbo Regii pueri illum [illegible] in 3. Libro Regnorum scriptum est: Alioqui quomodo potuissent ii qui Legi Judaicæ patrocinabantur increpare aliquem volentem Idolorum Oracula consulere, sicut legitur Elias Ochoziam increpans: An eo quod non sit Deus in Israël, vos itis in Baal ad consulendum Myicaum Deum Accaronitarum?* Itaque quamvis Deus Legem tradens, & Sacrificia, aliosque Ritus instituens, infirmitatis Israëlitarum rationem etiam habuerit, & legalium Cęremoniarum tam multiplicem apparatum ipsis præscripserit, ut eos in cultu suo jugiter occupatos, obsequiisque suis magis adstrictos contineret, ne ad Idolorum cultum deficerent; non inde sequitur Deum ex Gentium moribus & superstitione Sacrificia & alios Ritus in Legem cultumque suum transtulisse.

XXXI. Postremum argumentum ducit *Spencerus* ex eo quòd quælibet Mundi Reformatio morum quorumdam antiquorum toleratione perficiatur: Quòd Christus, Apostoli, & Ecclesiæ Primitivæ Præsides, Judæorum & Gentilium Ritus & instituta nonnulla retinuerunt, quæ suâ naturâ indifferentia fuerant, & diu longo invaluerant, ne rebus tantùm novis studere, & turbarum movendarum occasionem captare viderentur. Hac œconomiâ erga Anglos recens ad Christianam Fidem conversos usus est *S. Gregorius Magnus*, cujus extat de Fanis Idolorum apud ipsos destruendis, sed vero Deo consecrandis, & antiquis ipsorum moribus nonnullis tolerandis, Epistola 61. Libri 9. Quia *Duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est: & ei qui locum summum ascendere nititur, necesse est ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur. Sic Israëlitico Populo in Ægypto Dominus se quidem manifestavit: Sed Sacrificiorum usus, quæ Diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit, & eis in Sacrificio suo immolare præcepit: Quatenus cor mutantes, aliud de Sacrificio amitterent, aliud retinerent. Adeò ut etsi ipsa essent Sacrificia quæ immolare consueverant, Deo tamen & non Idolis immolantes, jam ipsa Sacrificia revera non essent.*

Addit *Spencerus*, Lenem hanc & quasi insidiosam mores novos inducendi methodum magnam sapientiæ speciem præferre: Siquidem a naturâ ita comparati sumus, ut blandè circumveniri malimus, quàm apertè cogi, & lenitatem quamvis fallacem, quàm vim manifestam libentius admittamus. Hanc methodum Politicos sçpè & centies exemplo suo comprobasse: Cum enim in Regno novis omnibus revera studeant, vetera solent Officiorum & Privilegiorum nomina inviolata relinquere. Hinc *Taciti* illud: *Arcanum novi Status, imago antiqui:* Sapientiæ itaque & pietati consentaneum est existimare, Deum Ritus aliquos antiquos tolerasse, & pertinacem Populum ad cultum novum, leniter, & sub externâ veteris specie perducere studuisse.

Respondetur, Argumentum illud *Spenceri* a morum quorumdam antiquorum toleratione in qualibet Ecclesiæ Reformatione, minimè probare quid præstiterit Deus, cùm Israëlitis Legem dedit, sed quid facere potuerit. Quin Gentium Ritus aliquos a superstitione repurgatos in cultum suum transferre potuerit, & quin id si fecisset, convenientissimum fuisset ejus sapientiæ, non inficiamur: sed negamus id fecisse, quia Ritus illos Judaicæ Religionis, a Deo in Lege Mosaicâ pręscriptos, a Gentibus ante Mosaica tempora frequentatos esse non constat, neque ex Scripturâ Sacrâ, ex Traditione, aut humanæ Historię monumentis, quę ante Mosis ævum nulla sunt, id probatur. Sacrificia quidem apud Gentes in usu fuisse ante *Mosen* certum est, Deum illa in cultu suo instituisse: At ex divinâ Religione moribusque Patriarcharum, non ex superstitione ac moribus Ethnicorum illa in suum cultum adoptavit. Diabolus Dei æmulus divinos honores suffuratus fuerat, cæcos homines ad Sacrificia sibi offerenda induxerat: Deus quod suum erat ab inimico vindicavit, Sacrificia sibi uni offerenda Populo suo imperavit.

Ex Politicorum verò artibus divinam Sapientiam metiri quàm indignum est! Iis non indiget qui omnia potest, & in manibus suis corda hominum habet, ea quorsum vult flectens omnipotentissimâ potestate: *Attingensque a fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.* Non enim consilia Dei consiliis hominum similia sunt, nec viæ ejus viis hominum affines. Ineptè quis sibi fingat illum ad *Taciti* Regulas attendisse, aut illis se conformasse, cùm Legem Populo suo dedit. Auctoritate suâ usus est, eamque Israëlitis frequenter proposuit, ut eos ad præceptorum suorum observantiam alliceret, his verbis identidem repetitis: *Ego Dominus Deus vester.* Novam denique Rempublicam, novam Religionis ac Sacrorum formam instituit ac excitavit, non ex Rituum Ethnicorum ruderibus, sed ad exemplar a sapientiâ suâ conceptum, & *Moysi* in Monte Sancto monstratum, ut secundum illud omnia componeret. Neque Israëlitæ fidem Deo obstringentes, ab ipso petierunt ut affectibus ipsorum indulgeret, ut Ritus Gentium aliquos illis permitteret; sed nullâ quæsitâ ratione præter adorandam Domini voluntatem, unâ voce responderunt: *Omnia verba* Exod. 19. 8. & 24. 3.
*Domini, quæ locutus est, faciemus.*

## ARTICULUS II.

### DE LEGIBUS CÆREMONIALIBUS Sacrificiorum.

---

### §. I.

*De Sacrificiorum Ratione.*

*PROPOSITIO UNICA.*

*Sacrificia Israëlitis non solùm permisit Deus, sed præcepit: Illa tamen non expetivit, tanquam iis indigens, aut quasi per se ei grata ac jucunda essent; sed aliarum rerum gratiâ, scilicet ad Idololatriam abolendam; ad Christi Sacrificium adumbrandum; ad spiritualia Sacrificia, quæ exigebat ab hominibus, significanda.*

I. Probatur prima pars [ contra *Spencerum*, Lib. 1. *De Legibus Hebræorum Ritualibus*, Dissert. 2. ] ex Libro *Levitici*, quo Sacrificiorum Leges continentur, & iis verbis conceptæ sunt, quæ meram concessionem non sonant, sed imperium. Unde hâc sententiâ Liber ille finitur: *Hæc sunt Præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israël in Monte Sinaï.* Cap. 9. Primitias Sacrificiorum pro se ipso ac Populo *Aaron* Deo jubetur offerre. *Tolle* [ inquit Moyses ] *vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, & offer illos coram Domino. Et ad filios Israël loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum anniculos, & sine maculâ in holocaustum, bovem, & arietem pro pacifi-* cis

*tis; & immolate eos coram Domino..... Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium Tabernaculi: Ubi cùm omnis multitudo astaret, ait Moyses: Iste est sermo quem præcepit Dominus: Facite, & apparebit vobis gloria ejus. Et dixit ad Aaron: Accede ad Altare, & immola pro peccato tuo: Offer holocaustum, & deprecare pro te & pro Populo, cùmque mactaveris hostiam Populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus.* Peractisque Sacrificiis, cùm *Moyses* & *Aaron* Populo benedixissent, *Apparuit gloria Domini omni multitudini; & egressus ignis a Domino devoravit holocaustum, & adipes qui erant super Altare.* Exodi 40. erecto Tabernaculo, & Altari holocausti, *Aaron obtulit in eo holocaustum & Sacrificia, ut Dominus imperaverat.* Tandem prospera quæque Deus promittit observantibus *Præcepta* sua, *Cęremonias*, atque *Judicia* omni tempore; non observantibus pœnas comminatur. Porrò in cęremoniarum numero primum locum obtinent Sacrificia.

Præterea, quæ ad supremum Dei dominium recognoscendum, profitendumque illum esse primum principium & ultimum finem hominis & creaturarum omnium, ordinata sunt, non solùm a Deo permissa, sed instituta & præcepta credere par est. Is autem primarius fuit Sacrificiorum finis, ut docet *S. Thomas* Primâ Secundæ Quæstione 102. Art.3. *Et quia pertinet ad rectam ordinationem mentis in Deum* quæ per Sacrificia repræsentabatur, & ad quam excitabantur offerentes, *ut mens humana non recognoscat alium primum Auctorem rerum, nisi solum Deum, neque in aliquo alio finem suum constituat: Propter hoc probibebatur in Lege alicui alteri Sacrificium offerri nisi Deo, secundùm illud Exodi 22. Qui immolat Diis, occidetur, nisi Domino soli.* Ob eum finem antiqui Patriarchæ a primâ Mundi origine Sacrificia Deo obtulerunt, in quibus *odoratus est odorem suavitatis*, id est, ea pergrata habuit, ut interioris, quod ipsi offerebant Sacrificii signa. Cùmque fide facerent, secundùm illud Apostoli ad *Hebræos* 11. Cap. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo;* Certum est nonnisi revelante & per interiorem afflatum præcipiente Numine, id præstitisse. Solus enim Deus docere potuit modum ritumque quo se vellet coli, ut in re simili *Tertullianus* ait, Lib. De Oratione: *Deus solus docere potuit ut se vellet orari.* Præterea, mundorum tantùm animalium ad Sacrificia præparatio a Noacho jussu Dei, *Genesis* 7. 2. & 8. 20. Ἐμπυρισμὸς sive inflammatio Sacrificii igne celitùs emisso frequenter facta, quæ honorificum erat Dei approbantis testimonium: præceptum *Abrahæ* datum a Deo de *Isaaci* oblatione in holocaustum, & arietis pro ipso immolatio, *Genesis* 22. Præscriptum ipsis a Domino Sacrificium vaccæ triennis, capræ trimæ, & arietis annorum trium, turturis quoque & columbæ; Sacrificii a Christo in Cruce offerendi adumbratio per vetera illa Sacrificia, de quibus S. *Augustinus Libro* 20. *contra Faustum* Cap.18. ait: *In victimis pecorum, quas offerebant Deo, sicut re tantâ dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit:* Hæc, inquam, omnia probant sacrificandi ritum non ex instituto & arbitrio humano, sed a præcepto divino, non quidem positivæ legis, sed naturalis, originem suam in Patriarcharum Religione derivasse.

Neque vult aliud *S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ* 12. *ad Populum Antiochenum*, dicens: *Quòd igitur homo peccatum esse malum jam sciret, demonstravit Adam: Quòd autem virtutem esse bonum etiam sciret, rursum Abel manifestavit. Non enim ab ullo discens, neque Legem de primitiis hoc disserentem audiens, sed a suâ conscientiâ doctus Sacrificium illud obtulit. Propterea non descendo ad posteros sermones, sed circa priores homines versor, quando nondum literæ, neque Lex, neque Propheta, neque Judices, sed solus Adam cum filiis erat: Ut discas quòd in naturâ bonorum & contrariorum scientia priùs erat reposita. Unde enim didicit Abel quòd bonum esset offerre, quòd bonum Deum venerari, & in omnibus gratias agere?*

Neque etiam alia mens est Auctoris Responsionum ad Orthodoxos inter *S. Justini Martyris* Opera editarum, cùm ad Quæstionem 83. respondet, *Nemo eorum qui irrationalia victimam Deo sacrificarunt ante Legem, divinâ id jussione fecit: Quamvis pateat Deum hanc recepisse; acceptione ejus Sacrificantem sibi placitum esse indicantem. Quod autem Abrahæ præcepit, ut animantia trima, item arietem acciperet, quem pro Isaaco offerret, non eo est factum quò oblatione ejus delectaretur, sed hoc tum usus tulit, futura præmonstrans. Porrò quòd Noë præceptum sit de irrationalibus Deo offerendis nullibi apparet.* Id unum vult Auctor ille, Nullâ tunc Lege positivâ præceptum hominibus fuisse, ut bruta animantia Deo in sacrificium offerrent, nec suapte naturâ victimas hujusmodi a Deo quæsitas fuisse; sed non negat quin interno Numinis *futura præmonstrantis*, id est, Christi Sacrificium jam illorum Sacrificiorum ruditate significantis ac delineantis afflatu, ac imperio in primorum hominum cordibus insonante, ac eorum doctrinâ & traditione ad posteros traducto sacrificandi Ritus institutus firmatusque fuerit.

Hæc denique mens fuit Auctoris Constitutionum Apostolicarum Lib.6. Cap.22. asserentis, *Abelem, Noë, & Abraham, atque alios deinceps, non jussos, sed naturali aliquo instinctu & lege motos, sponte suâ, e grato favoris divini sensu victimas Deo obtulisse.* Sacrificia enimverò ex rebus quibusdam sensibilibus offerre Deo Lex Naturæ jubet, quamvis determinatio Sacrificiorum ex institutione divinâ vel humanâ sit. *Naturalis* (inquam) *ratio dictat homini, quòd alicui superiori subdatur, propter defectus quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari & dirigi: & quicquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur: Ita etiam naturalis ratio dictat homini secundùm naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, subjectionem & honorem exhibeat secundùm suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad alia exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quòd homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis & honoris, secundùm similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem Sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad Jus naturale.* Sic ratiocinatur *S. Thomas* Secundâ Secundæ, *Quæst.* 85. *Art.*1.

II. Probatur altera pars Propositionis, scilicet Deum sacrificia non expetivisse aut præcepisse ut iis indigentem, aut quasi ipsi per se grata ac jucunda essent, vel primariâ voluntate ea vellet, sed voluntate duntaxat consequenti, & propter aliud, scilicet propter fines in ipsâ Propositione explicatos. Hanc autem probat primò *Davidis* Oraculum Psalmo 39. 7. *Sacrificium & oblationem noluisti: Aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti: Tunc dixi: Ecce venio.* Quem locum sic reddit Apostolus Septuaginta Interpretes secutus, ad Hebr. 10. 5. *Ideo ingrediens Mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: Corpus autem aptasti mihi:*

He-

*Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio.* Hujus Loci sensus non est, Deum sacrificandi Ritum nullo modo voluisse aut præcepisse Israëlitis, ut *Spencerus* contendit, sed solùm ipsum Sacrificia vetera non instituisse velut propter se expetenda, sed rei alterius gratiâ; maximè verò ad significandum Christi Sacrificium, ut explicat *S. Augustinus* Enarratione in hunc Psalmum: *Antiqui enim*, inquit, *quando adhuc Sacrificium verum, quod Fideles norunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras futuræ rei: Multi scientes, sed plures ignorantes. Nam Propheta & Sancti Patriarcha noverant quod celebrabant: Cetera autem multitudo iniqua, carnalis sic erat, ut fieret de illâ quod significaret posteriora ventura: & venit sublato illo sacrificio primo, sublatis holocaustis arietum, hircorum, vitulorum, ceterarumque victimarum; noluit illa Deus. Quare illa noluit? Quare primò voluit? Quia illa omnia quasi verba erant promittentis; & verba promissiva, cùm venerit quod promittunt, non jam enunciantur. Tam diu quisque promissor est, donec det: Cùm dederit, mutat verba. Non dicit, adhuc, Dabo quod se daturum dicebat, sed dicit Dedi: Mutavit verbum. Quare illi primò placuit hoc verbum, & quare illud mutavit? Quia temporis sui verbum fuit, & pro tempore suo placuit. Quando promittebatur, tunc dicebatur: Cùm autem datum est quod promissum est, ablata sunt verba promissiva, data sunt completiva. Sacrificia ergo illa, tamquam verba promissiva, ablata sunt. Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis, quod utinam qui nostis, omnes non ad judicium noveritis. Videte quando dictum est, Christus enim ille est Dominus noster, modò loquens ex membris suis, loquens ex personâ suâ.* Sacrificium, *inquit*, & oblationem noluisti. *Quid ergo? Nos jam hoc tempore sine Sacrificio dimissi sumus? Absit.* Corpus autem perfecisti mihi. *Ideo ille noluisti, ut hoc perficeres: Illa voluisti antequam hoc perficeres. Perfectio promissorum abstulit verba promittentia. Nam si adhuc sunt promittentia, nondum impletum est quod promissum est. Hoc promittebatur quibusdam signis; Ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa.*

Adde ejusdem Regis Prophetæ Oraculum Psal. 49. Deum ita Judæos alloquentem inducentis: *Deus, Deus tuus ego sum. Non in Sacrificiis tuis arguam te. Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, & boves, &c. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.... Sacrificium laudis honorificabit me.*

III. Confirmatur ex Cap. 1. *Isaiæ* Vers. 2. 2. ubi Deus his verbis Judæos alloquitur: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? Dicit Dominus: Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in Atriis meis?* Quæ verba *S. Joannes Chrysostomus* in Expositione Psalmi 49. contra Judæos, *Qui potiore virtutis parte contemptâ, salutis spem in eis reponebant*, dicta interpretatur, ea cum Versibus 8. 9. & 10. ejusdem Psalmi conferens. *Atqui* inquit, *permulta dicta sunt de Sacrificiis: Sed non hæc decernit, tamquam hæc velit principaliter: Sed ad infirmitatem eorum se dimittit. Jeremias quoque dicit:* Cur mihi fers thus ex Sabâ, & cinnamomum ex terrâ longinquâ? *Omnes denique Prophetæ hoc nihil magni esse dicunt. Quocirca ipse quoque incipiens sic dicit:* Deus tuus ego sum: *Ex eo ostendens ipso esse indignam hanc colendi rationem. Deum non fumo, nec nidore, sed per optimam vitæ institutionem, incorpoream, & in mente sitam, colere & honorare oportet. Sed non sic externorum Dæmones, imò etiam hæc requirunt, & hoc videtur ostendere quidam Poëta apud Græcos, dicens:* Hoc enim nos sortiti sumus Munus. *Deus autem noster non sic: Ipsi enim humanum sanguinem sitientes, & eos ad has cædes volentes paulatim pellicere, hæc petebant assiduè: Ipse autem cùm vellet eos paulatim ab occisione brutorum abducere, hac demissione usus est, & permisit Sacrificia, ut Sacrificia tolleret.* Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, & boves. Cognovi omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. *Vides quomodo paulatim erigit eorum mentem, qui in terras defixi & curvi sunt, excæcatam eorum mentem aperiens, & ostendens se hæc jussisse, non quòd eis egeret, nec Lege sanxisse quòd ea admitteret. Si enim*, inquit, *ita coli vellem, cùm omnem terram quæ sub Sole est, dominatu obtineam, & omnia creaverim, procurarem ut mihi lauta & opipara fierent sacrificia.* Confer Enarrationem in Cap. 1. *Isaiæ*, ubi Deum Leges de Sacrificiis in Levitico & Deuteronomio sanxisse docet, eaque voluisse, non tamen voluntate primariâ & principali. *Quo igitur sensu hic ait*, Quis quæsivit hæc de manibus vestris? *Ut discas quòd illa voluntas Dei non fuerit principalis, &c.* Lege totum locum Articulo superiori, Propositione 3. Num. 8.

Huic interpretationi concinit *S. Hieronymus* Commentario in Cap. 1. Isaiæ: *Hostiæ ergo* (inquit) *& immolatio victimarum non principaliter a Deo quæsita sunt, sed ne Idolis offerrentur: & ut de carnalibus victimis quasi per typum & imaginem ad spirituales hostias transiremus. Dicendo autem se hostias non quæsisse, ostendit, quia Lex spiritualis sit, & omnia quæ Judæi carnaliter faciunt, a nobis impleri spiritualiter.*

IV. Eamdem veritatem suffragiis suis Patres confirmant: *S. Justinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone Judæo, P. 236. *Quod* (inquit) *propter peccata Populi vestri, & simulacrorum cultum, minimè gentium autem quòd istiusmodi oblationibus vestris ei sit opus, hæc itidem fieri sanxerit, accipito quomodo de his loquatur per Amos unum ex duodecim:* „Num hostias & victimas obtulistis mihi in solitudine, domus Israël? &c. *Ac rursus per Jeremiam:* „Congregate carnes vestras & victimas, & comedite. Quia non de victimis & libationibus præcepi patribus vestris, quo die apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terrâ Ægypti. *Et rursum per Davidem in 49. Psalmo:* Audi „Popule meus, & loquar tibi Israël, & testificabor tibi: Deus, Deus tuus sum ego. Non de Sacrificiis tuis arguam te. Holocausta tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de „domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos, &c. *Itaque Sacrificia a vobis non recipit; neque primitus, tamquam penuriâ laborans, hæc præcepit vobis: sed propter delicta vestra. Nam & Templum, quod vocatur Hierosolymitanum, non veluti indigus vel domum vel aulam suam fassus est: Verùm ut ibi quoque in illum intenti, simulacra ne coleretis.* Et p. 292. sic Tryphonem interrogat: *Oblationes & victimas ob penuriamne suam Deus offerre Patres vestros jussit, an propter duritiam cordis eorum, proclivesque ad simulacrorum cultum animos?* Respondet Trypho: *Hoc ipsum nos similiter confiteri cogunt Sacra Literæ.*

V. *S. Irenæus* Lib. 4. Cap. 28. *Verbum*, inquit, *sine invidiâ utilitatem præstabat eis, qui subjecti sibi erant*

*erant, omni conditioni congruentem & aptam Legem conscribens. Sic autem & Populo Tabernaculi factionem, & ædificationem Templi, Levitarum electionem, Sacrificia quoque & oblationes, & monitiones, & reliquam omnem Legis statuebat deservitionem. Ipse quidem nullius horum est indigens: Est enim semper plenus omnibus bonis, omnemque odorem suavitatis, & omnes suaveolentium vaporationes habens in se, etiam antequàm Moyses esset. Facilem autem ad Idola reverti Populum erudiebat per multas advocationes, prastruens eos presеverare, & servire Deo, per ea quæ erant secunda ad prima advocant; hoc est, per typica, ad vera; & per temporalia, ad æterna; & per carnalia, ad spiritualia; & per terrena, ad cœlestia.... Itaque Lex & disciplina erat illis, & Prophetia futurorum.* Idem Cap. 20. *At ubi conversi sunt in Vituli factionem, & reversi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro liberis cupientes esse, aptam concupiscentiæ suæ acceperunt reliquam servitutem* ( nimirum servitutem Legis quâ coercerentur ) *a Deo quidem non abscindentem, in servitutis autem jugo dominantem eis. Quemadmodum & Ezechiel Propheta causas talis le-,, gis data reddens ait: Et post concupiscentiam cor-,, dis sui erant oculi eorum: & ego dedi eis præcepta ,, non bona, & justificationes, in quibus non vi-,, vent in eis.*

VI. *Tertullianus Lib. 2. Adversùs Marcionem,* Cap. 18. *Sacrificiorum quoque onera*, inquit, *& operationum, & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi propriè desideraverit, qui tam manifestè exclamat:* Quò mi-,, hi multitudinem Sacrificiorum vestrorum? Et ,, quis exquisivit ista de manibus vestris? *Sed illam Dei industriam sentiat, quâ Populum pronum in Idololatriam & transgressionem, ejusmodi officiis Religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio seculi agebatur, ut ab eâ avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret.* Capite quoque 22. Deum Sacrificia quidem voluisse & præcepisse ait, sed non propter se. *Diximus*, inquit, *de Sacrificiorum rationali institutione; avocantis scilicet ab Idolis ad Deum officia ea; quæ si rursus ejecerat, dicens, Quò mihi multitudinem Sacrificiorum vestrorum? Hoc ipsum voluit intelligi, quòd non sibi ex propriè exegisset. Non enim bibam, inquit, sanguinem taurorum; Quia & alibi ait: Deus æternus non esuriet, nec sitiet. Nam etsi ad oblationes Abel advertit, & holocausta Noë odoratus est libenter, quæ jucunditas sive viscerum verveciпorum, sive nidoris ardentium victimarum? Sed animus simplex & Deum metuens offerentium ea quæ a Deo habebant, & pabuli & suavis olentia gratia apud Deum deputabatur, non quòd fiebant exigentis, sed illud propter quod fiebant, ob honorem scilicet Dei. Si cliens diviti aut Regi nihil desideranti, tamen aliquid vilissimi munusculi obtulerit, quantitas & qualitas muneris infuscabit divitem aut Regem, an delectabit titulus officii? At si cliens ei munera ultrò, vel etiam edicta ordine suo offerat, & solemnia Regis observet, non ex fide tamen, nec corde puro, nec pleno circa cætera quoque obsequia, nonne consequens ut Rex ille vel Dives exclamet: Quo mihi multitudinem munerum tuorum? Plenus sum. Et, Solemnitates, & dies festos, & vestra Sabbata odit anima mea? Vestra dicendo, quæ secundùm libidinem suam, non secundùm Religionem Dei celebrando, sua jam, non Dei fecerant: Conditionalem idcirco & rationalem demonstravit recusationem eorum, quæ administranda præscripserat.*

VII. *Origenes* Homiliâ 17. in Numeros: *Quoniam*, inquit, *& Lex Dei de Sacrificiis præcipit, & Ritum sacrificandi tradit filiis Israël, requiratur fortassis, cur hæc cùm Dæmoniis dicata videantur, etiam Deo jubeantur offerri. Et erit quidem simplex & cita responsio, ut quemadmodum aliàs ostendimus, quòd libellum repudii dari non Dei voluntatis fuit, qui quod conjunxerat, noluit separari, sed Moyses hæc propriè ad duritiam cordis Judæorum scripsit: Ita etiam & de hoc videri posse, quia Deus ( Sicut per alium Prophetam dicit )* ,, Non manducat carnes taurorum, nec san-,, guinem hircorum potat. *Et item ut alibi scri-,, ptum est:* Quia non mandavi tibi de Sacrifi-,, ciis vel victimis, in die quâ eduxi te de Ter-,, râ Ægypti. *Sed Moyses hæc ad duritiam cordis eorum, pro consuetudine pessimâ quâ imbuti fuerant in Ægypto, mandavit eis; Ut qui abstinere se non possent ab immolando, Deo saltem, & non Dæmoniis, immolarent.* Huc usque benignis oculis opinionem *Spenceri* intueri videtur *Origenes*, imò & eam fulcire, dum Sacrificia cum libello repudii comparat, quem imperatum non esse, sed permissum duntaxat Judæis ad duritiam cordis certissimum est. Sed ex iis quæ subdit, liquidò constat ipsum huic Responsioni, quam simplicem & citam dicit non omnino inhærere: Siquidem aliam affert rationem cur instituta sint a Deo legalia Sacrificia, scilicet Idololatriæ destructionem; sicut Mors Christi ad mortem sive abolitionem peccati volita est. Quemadmodum ergo Christi mortem non solùm permisit, sed voluit ac prædefinivit Deus ut mortem peccati destrueret: Ita Sacrificia non solùm permisit, sed præcepit, ut Idololatriam everteret. *Videndum tamen est* [inquit] *ne fortè sit & aliqua sacrificandi Deo occultior ac secretior ratio. Ne fortè, inquam, Sacrificia quæ Deo offeruntur, ad destructionem fiant eorum Sacrificiorum, quæ Dæmonibus immolantur: Ut quia per illa vulnerantur animæ, per ista sanentur: Sicut & ii confirmant qui Medicinæ peritiam gerunt; Serpentum namque venena, depelli medicamentis nihilominus confectis ex serpentibus, perhibent. Ita ergo & sacrificiorum dæmoniacorum virus per Sacrificia Deo oblata depellitur: Sicut & mors Jesu mortem peccati credentibus non sinit dominari. Et quidem donec tempus patiebatur, Sacrificia Sacrificiis opponebantur: Ubi verò venit perfecta Hostia, & Agnus Immaculatus, qui totius mundi tolleret peccatum, Sacrificia illa quæ singillatim offerebantur Deo, jam superflua visa sunt, cum unâ Hostiâ omnis Dæmonum cultura depulsa sit.*

VIII. *S. Epiphanius Lib. 1. Adversùs Hæreses*, Hæresi 42. quæ est *Marcionitarum*, P. 360. Edit. Paris. *Cùm igitur dicit:* Non præcepi illis; *& ,, idem tamen in Lege Moysi præcipit:* Quilibet fi-,, liorum Israël, si offerat Sacrificium de bobus ,, aut ovibus, masculum immaculatum offerat. ,, *Ac rursum:* Si agnum. *Item:* Si peccaverit Populus, offeret vitulum. *His omnibus grata sibi fuisse Sacrificia declarat, quæ tum pro salute Populi istius oblata sunt: Non quòd illis indigeret, aut admodum cuperet: Sed ut ad eorum se imbecillitatem, & anticipatam humanæ mentis opinionem accommodaret: Atque ut a plurimorum cultu Numinum ad unius Dei cognitionem, illorum animos traduceret. Etenim quoniam in Sacrificiis vehementer defixa ipsorum mens erat, tanquam pietatis hæc essent officia, quæ Idolis pro expiatione suâ ac salute præstarent: Simul ne ob consuetudinem extorqueri subitò sibi omnia ista molestiùs ferrent; suo in Nomine fieri ista aliquanto tempore voluit, quò a plurium Deorum inani cultu annuas illas Ceremonias ad obsequium suum transferrent: Atque ut uno demum cognito Deo, corroboratâque in illum fide nostrâ, deinceps ab eodem audiemus:* Numquid ,, manducabo carnes taurorum, aut sanguinem ,, hircorum potabo? *Item:* Numquid quadraginta

,, an-

„ annis Sacrificium obtulistis mihi in deserto, „ domus Israël? *Quamquam infinita jam erant oblata Sacrificia. Sed ut ostenderet sibi hæc oblata non fuisse, tametsi & acciperet ipse, & in Nomine ejus offerrent. Quod quidem ob inveteratam istiusmodi in rebus illorum consuetudinem est factum: Donec a plurium Deorum usu paulatim in unius cultum reformatos perduceret; & ab illo deinceps intelligerent, nihil hunc ejusmodi Ritibus opus habuisse, nec habere: Atque ita demum per Christi sui adventum, totum illud Sacrificiorum negotium circumscriberet: Postquàm unicum ac singulare Sacrificium antecedentia omnia consummasset; nimirum Christi Sacrificium. Quoniam, ut scriptum* 1. Cor. 5. 7. *est*, Pascha nostrum immolatus est Christus. *Hujus porrò Sacrificii, & Paschatis, & doctrinæ Pædagogus Lex fuit, quæ per figurarum adumbrationes deduceret, & ad aliud disciplinæ genus conferret.*

IX. *S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ 2. Adversùs Judæos*, Sacrificia quidem permissa Judaico Populo, non imperata significat; sed permissionis vocabulum usurpat ad secundariam & consequentem voluntatem significandam. Sacrificia itaque propter se ipsa Deum non jussisse & voluisse docet eloquentissimus Pater; sed illa tamen voluisse ac præcepisse non negat alterius rei gratiâ, ut scilicet Judæos ad Idololatriam pronos veri Dei cultui adstringeret. Laudatis enim *Isaiæ* & *Jeremiæ* testimoniis, sic Judæos alloquitur: *Audistis clarissimam vocem dicentem, quòd initio non postulaverit hæc de manibus vestris? Etenim si postulasset, similiter & priscos illos omnes qui ante hos floruerunt, priùs ad hoc vitæ institutum adegisset. Quo igitur* [ *inquis* ] *consilio hæc modò præcepit? Nimirum vestræ morem gerens infirmitati. Et quemadmodum Medicus videns hominem febricitantem, morosum, minimèque sibi temperantem, si concupiscat frigidam bibere, ac minetur, ni accipiat, planè futurum, ut vel ad laqueum fugiat, vel e sublimi se præcipitem det, dum studet majus excludere malum, permittit quod minus est, cupiens illum a violentâ morte revocare: Consimilem ad modum fecit & Deus, quoniam vidit illos insanientes, anxios, concupiscentes victimarum oblationem, jamque, nisi acciperent quod desiderabant, paratos ut ad Idola se deflecterent, imò non solùm paratos, verùm etiam eò jam prolapsos: Permisit immolationem victimarum. Atque ut scias hanc fuisse causam; vel ex ipso tempore declararetur id quod dico. Siquidem post festum quod impiis Dæmonibus celebrarunt, tum demum permisit illis immolationes pecudum; tantùm non dicens: Insanitis, & vultis immolare victimas, quin igitur mihi potiùs immolatis? Quamquam ne hoc quidem permisit ut perpetuò liceret; sed prudentissimo consilio, quod permiserat, rursus eripuit. Et quemadmodum si Medicus ille posteaquàm indulsit appetitui laborantis, mox phialâ e suis ædibus allatâ præscribat, ut ex hac solâ bibat aquam: Deinde persuaso ægroto, clàm iis qui ministrant præcipiat confringere phialam illam, ut eum clam nihilque suspicantem avocet ab illâ cupiditate bibendi frigidam: Itidem fecit Deus, permittendo Sacrificia. Neque enim in ullo orbis loco permisit id fieri, nisi in unis Hierosolymis. Mox ubi per breve tempus sacrificassent, diruit Civitatem: Ut quemadmodum Medicus fracto vase, ita Deus subversâ Civitate, vel invitos illos abduceret a victimis.* Quod *S. Chrysostomus* observat, Leges de Sacrificiis datas Israëlitis non fuisse, nisi post adorationem Vituli, observat & *S. Hieronymus* Commentario in *Ezechielis* Cap. 20. & post illos *S. Thomas Primâ Secundæ, Quæstione* 102. *Art.* 3. Ubi enim alteram Sacrificiorum, quatenus ordinabantur ad cultum Dei causam literalem esse dixit, ut per hæc homines retraherentur a Sacrificiis Idolorum, subdit: *Unde etiam Præcepta de Sacrificiis non fuerunt data Populo Judæorum, nisi postquàm declinavit ad Idololatriam, adorando Vitulum conflatilem: Quasi hujusmodi Sacrificia sint instituta, ut Populus ad sacrificandum promptus hujusmodi Sacrificia magis Deo quàm idolis offerret. Unde dicitur Jeremiæ 7. Non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis, in die quâ eduxi eos de Terrâ Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum.*

X. *S. Cyrillus Alexandrinus Libro* 4. *Contra Julianum*, P. 126. Deum ostendisse ait, vetera *Sacrificia rem usu necessariam non esse, & præter ejus fieri voluntatem*: Principalem utique & primariam, non secundariam & consequentem; & prolatis ad hujus Propositionis probationem *Isaiæ* & *Jeremiæ* testimoniis subdit: *Non enim cruore Deus indigebat: Neque verò tam crassum & materialem cultum requirebat, sed subtilem & spiritualem, qui nimirum spiritu constat, & omni virtute perficitur ..... Quoniam autem ab Ægyptiorum cultu, fœdisque & impiis moribus, & execrandâ istorum Superstitione abductus Israël vix ac ne vix quidem revocari poterat, quippe cùm infirmâ & imbecilli adhuc mente præditus esset, neque dum impigrè ad tam excelsum iter eximiæ vitæ, & egregiorum operum cacumen eniti posset; apparet Deum instar Pædagogi Lege per Mosem latâ, spiritali quâdam ratione primùm ab illo multitudinis Deorum errore ut recederent jussisse: Permisisse interim suis, ut ex consuetudine prisci cultûs gratiarum actiones & Sacrificia ritè sapienterque instituta offerrent, ut tanquam in figuris & umbris veritatem præmonstrarent. Lex enim figuram habet veritatis, & per illam Christi Mysterium describitur. Scientiarum autem initia perfectâ eruditione semper carent, sensim verò ad id quod perfectum est provehunt .... Atque, ut dixi, posteaquàm nobis opportuno tempore Servator omnium Christus affulsit, abrogatæ quidem sunt figuræ, & verò cessavit umbra utpote in Literis infirmitas. Ipse enim per illam priscis hominibus adumbratus est. Ideo cruenta Sacrificia repressit, quasi Veteribus singulari quodam consilio concessa, ut in iis exercitarentur, & instar puerilis institutionis essent. Di-„ xit enim Christus: Spiritus Deus, & adorantes „ illum in spiritu & veritate oportet adorare.*

Et Libro 9. p. 307. *Julianum* objicientem inducit: Si Deus cruentis Sacrificiis minimè delectatur, *Quomodo videtur ergo hæc præcepisse? Nunquid certè Moses Veteribus imposuit, cùm singulis Legibus præponeret istud*, HÆC DICIT DOMINUS? Si Sacrificia Deum Israëlitis non præcepisse, sed permisisse dumtaxat, *S. Cyrillus* sensisset, postulabat *Juliani* objectio ut mentem eâ de re suam apertè declararet, idque ingenuè concederet Adversario. At longè aliam viam init. Deum illa præcepisse fatetur, sed non ut per se expetenda; verùm ut Israëlitas perfectioris cultûs, spiritualis scilicet ac Evangelici nondum capaces, velut infantes quibusdam elementis exerceret, & in typis veritatem meditari doceret, atque ad perfectionem pedetentim eveheret. *Ad hoc quoque* ( *inquit* ) *nos respondebimus: Non erat mendax Moses, sed divinorum potiùs oraculorum sincerus administer. Et Lex quidem, quæ literâ continebatur, emendatrix erat insipientium, & magistra infantium, ( Sic enim loquebatur in Lege cum primis eruditus ille Paulus ) & ceu quibusdam elementis ac disciplinarum notioribus principiis uti jubens, in typis assuescere veritatis meditationi permittebat, & in puerilibus exercitamentis interim versari. Vix enim fieri poterat, ut Israëlitæ, qui animum ad pietatem recens formatum habebant, adorationem & cultum in spiritu ac veritate implere valerent, & tam sanctæ ac purissimæ vitæ, Evangelicæ nimirum perferre sudorem .... At verò quòd accuratissimè*

*illa benè vivendi ratio propemodum intolerabile Judæorum mentibus onus esset, ipse Legislator docebit,* „ *per vocem Isaiæ ita dicens:* Neque nosti, neque „ scisti: Neque ab initio aperui aures tuas. Scie- „ bam enim quòd inobedienter rebellaturus esses. *Tanto enim stupore, pervicaciâ, & levitate laborabant veteres illi Israëlitæ, ut cùm Moses a Deo Legem acciperet, ac in Monte versaretur, ad defectionem conversi sint, & Vitulo divinos honores ausi sint tribuere, hisque omnibus eum prosequi dicendo:* „ Hi sunt Dii tui, Israël, qui eduxerunt te de „ Terrâ Ægypti: *Cùm autem adeò infirmam & fragilem mentem haberent, quo pacto Disciplinam Evangelicam suscepissent, ut loco spiritalis victimæ intellectualem cultum Deo consecrarent, & pro animantium cæde virtutum fragrantiam? Immolabant igitur oves, boves, hircos, turtures, & columbas. Sed consideranda est atque omni admiratione prosequenda singularis in hoc ratio divini consilii. Cùm enim sacrificare permitteret, propterea quòd hæc in Ægypto facere soliti essent, ac veluti pedetentim ad perfectionem eveheret, sacrificandi modos adumbrabat, non eo ritu quo soliti erant, sed tam solerter sapienterque præparatos, ut & spiritalis cultûs formam in se parerent.* Et infra: *Constituit quidem per sapientissimum Mosem ritus umbratiles ac typicos, gnarus typos informandis eorum mentibus, qui tum erudiebantur, idoneos esse; non ita tamen ut in rebus adeò crassis perpetuò hærentes, spirituali & intellectuali cultu exciderent, sed acceptâ in umbris rerum verarum prædictione, Dei obsecrandi modum cùmprimis agnoscerent, ad rectè vivendi semitam scitè & artificiosè pergentes. Quemadmodum enim periti fabri ærarii formas imaginum, quas facturi sunt, in cerâ liquefactâ priùs exhibent, non ut eatenus tantùm illorum ars progrediatur, sed ut in ipsis, eorum, quæ mox facienda sunt, decus priùs eluceat: Postquàm tamen ad exitum perductum opus erit, non jam Artificem jure incusabimus quòd typos negligat: Simili, opinor, modo, posteaquam Christus illuxit, qui est Veritas, & Christianus cultus introductus est, vanos esse typos jure statuemus; spiritalium quippe imagines erant.* Sicut ergo Sculptor peritus vult formatque typos non quidem primariâ voluntate, & propter ipsosmet, sed consequenti & alterius rei gratiâ, scilicet Imaginis in ære vel in alio metallo, aut marmore, vel ligno sculpendæ: Ita de Deo sacrificandi Ritus legales instituente dicendum est, ex *S. Cyrilli* mente: Vult illos, jubetque Deus aliarum rerum gratiâ, nempe ad abolendam Idolatriam, ad rudem Populum erudiendum, ad Christi Sacrificium præfigurandum. *Nos* (inquit S. Cyrillus, p.305.) *a legalibus non abstinemus, ut impuris, sed potiùs tanquam a typis ad veritatem progredimur. Nemini autem non manifestum est, id quod ad figuram alterius assumptum est, non sui gratiâ esse, verùm, ut inferat spectantibus quamdam rei futuræ prænotionem. At cùm spectatur veritas, tum nullius est usus. Lex autem Mosaica cùm veritatis formam pariat, sancta quoque est ipsa. Sancta est enim Veritas, id est Christus, aut ejus Mysterium.*

XI. *Theodoretus Lib. De Græcarum Affectionum Curatione*, Sermone 7. *De Sacrificiis*, ubi Ethnicis objecit, ipsorum Deos victimarum nidoribus delectari, & obsoniorum olfactu gustuque recreari, subdit: *Hæc autem & ipsi fortasse in verum ac sempiternum Deum retorquere audebunt: Quippe qui de Sacrificiis in Divinâ Scripturâ latas Leges audiunt, Legislatoris autem consilium prorsus ignorant. Israëlem enim longinquum tempus in Ægypto versatum, pravisque indigenarum moribus imbutum, & Idolis ac Dæmonibus immolare ab illis edoctum, & ludis, choreisque ac Musicis organis oblectari, harum rerum in habitu constitutum liberare volens, sacrificare quidem permisit, non tamen omnia sacrificare, neque falsis Ægyptiorum Diis, sed sibi soli Ægyptiorum Deos offerre.... Ne itaque indignarentur, tanquam a moribus illis penitus exclusi, falsis quidem Diis sacrificare vetuit, sibi autem ea immolare jussit, quæ ab eis dudum adorabantur.... Itaque sapientissimus Medicus hoc remedii genus adhibuit Ægyptiæ ægritudini, ut sacrificare quidem Judæis propter eorum imbecillitatem indulgeret, sed ea quæ priùs colebant immolare juberet, ut sacrificando discerent Deos non esse, quos tanquam victimas ipsi mactarent.* Prolatis denique *Davidis*, *Isaiæ*, *Jeremiæ*, & *Amosi* Prophetarum oraculis, subdit: *Alia quoque plurima hoc genus invenire est, quæ declarant Deum nec Sacrificiis eguisse, nec fumo vel nidore carnis, musicisve instrumentis oblectatum, ea fieri jussisse, sed ut illorum infirmitati consuleret... Quæ enim lata Legis mens fuerit, ipse qui Legem tulit, per Prophetas Deus ostendit.* Observat autem Porphyrium, cùm illa Prophetarum oracula perlegisset, aliena a verâ pietate Sacrificia esse ostendisse. In Libris enim *De Abstinentiâ ab Animatis*, Theophrastum induxit dicentem, *Priscos homines neque thus, neque ullas victimas solitos offerre, sed pauxillum fœni, tanquam genitalibis naturæ lanuginem, manibus altè sublatum, flammis imponere, & hoc Sacrificio apparentes cœlestes Deos excepisse.* Tum plurima in hanc Sententiam persecutus: *Cùm autem Sacrorum* (inquit) *Primitiæ ad multam iniquitatem hominibus processissent, exsecrabilis paulatim usus victimarum inductus est crudelitatis plenissimus: Ita ut quæ olim contra nos imprecationes susceptæ sunt, nunc videantur eventum consecuta, mactantibus hominibus, & aras Deorum cruore conspergentibus.* Tum & post alia plurima, *Deos* dicit *nullo pacto habendos eos esse, qui animalium victimis gaudeant: Esse enim injustum, impium, ac scelestum, sacrificare animalia; ideòque nec Diis gratum esse.* Addit insuper: *Meritò Theophrastus animata immolare eos prohibet, qui veram pietatem colere studeant, multis ejusmodi utens rationibus.* Deinde ostendit quænam immolari conveniat. *Ea* (inquit) *decet immolari, quibus immolandis neminem læserimus. Nihil enim æquè omnibus innoxium esse debet ac sacrificium. Abstinendum est itaque animalibus in sacrificiis.* Plura ex *Porphyrio* eâ de re excerpta legi possunt apud *Eusebium Libro* 4. *Præparationis Evangelicæ Cap.*11. 12. 14. & 15. istudque inter alia: *Ubi autem intellexerit Adolescens, magnis sumptibus, adeòque boum ac cæterorum animantium epulis Deos ipsos delectari, qui fieri queat, ut frugi ac temperans esse velit? Idemque si acceptas esse Diis hujusmodi victimas putaverit, quomodo in animum inducat, sceleratè sibi facere non licere, qui sacrificiis maleficia redimere se posse videat? Contra verò si Deos nihil istis omnibus indigere sibi persuaserit, sed in eorum potiùs a quibus adeuntur mores intueri, maguique Sacrificii habere loco rectam de se ipsis, deque rerum veritate Sententiam, fieri ne poterit, quin & temperans, & justus, & sanctus evadat? Enimvero cùm sincera mens, & animus ab omni cupiditate vacuus optimæ Deorum primitiæ sint, non alienum tamen ab iisdem fuerit, alia quadam ipsis modica ac facilis impensa libare, si tamen id non dicis causâ, sed omni studio & prolixâ voluntate fiat: Siquidem isti Deorum honores, solemnibus apud viros bonos præsidendi, assurgendi, ac discumbendi rationibus similes putandi sunt, non vectigalium pensionibus.* Hæc rursus ex eodem *Porphyrio* refert: *Porrò non Diis, sed Dæmonibus cruenta Sacrificia ab iis oblata esse, qui Virtutes hoc in universo degentes agnoverant, id verò Theologorum ipso-*

*ipsorum fide ac testimonio comprobatur; illudque praterea, ex iisdem noxios alios esse, aliosque bonos, qui nihil incommodi allaturi nobis essent.* Cap. 11. hæc ex eodem affert: *Ac Deo quidem rerum omnium Principi, nihil eorum qua sensus attingit, (quemadmodum Sapiens quidam praecipit) neque adolentes, neque consecrantes: Nihil enim ex materiâ conflatum est, quod idem non ei qui ab omni materiâ sejunctus est, impurum continuò fuerit. Quare ne ipsa quidem eum deceat oratio, sive qua cum voce conjungitur, sive qua latet interiùs, si perturbatione aliquâ mentis inquinentur: Sed potiùs casto silentio, sanctisque cogitationibus de illo susceptis, eum religiosè veneremur. Æquum enimverò est, ut vita cum eo similitudine conjuncti, sublimem ipsi ac cœlestem Instituti nostri rationem, velut Sanctissimum Sacrificium offeramus, qua simul etiam & hymni loco sit, & salutem nostram contineat. Sic ergo Summi Numinis contemplatione, animo ab omni perturbatione vacuo susceptâ, hujusmodi Sacrificium peragitur.*

His affine est illud *Apollonii Thyanei*, apud eumdem *Eusebium*, Cap. 13. ejusdem Libri: *Equidem* (inquit) *sic existimo, justis eum verisque Religionis officiis Numen colere, sibique per se se propitium illud ac secundum pra cateris hominibus habere posse, si Deo quidem illi, quem Principem diximus, quique & unus est, & longo a reliquis intervallo sejunctus, secundùm quem utique cateros cognosci necesse est, nihil umquam sacrificarit, ignem non accenderit, nec eorum qua sensibus usurpantur quicquam planè consecrarit; [utpote qui rei nullius indigeat, non modò nostra, sed nec eorum etiam a quibus plurimùm natura dignitate superamur: Cùmque adeò nihil sit eorum qua a Terrâ vel Aëre quoquo modo procreentur, aut alantur, non planta, non animal, quod, si tanti naturam Numinis attendamus, non labis genus aliquod videatur) : Sed tantùm excellentem illam ac prastantem orationem ei semper obtulerit, (eam autem intelligo, qua nequaquam ore profertur) Atque ab eo qui rerum omnium est Optimus, eo quod similiter in nobis optimum est interprete, bona postularit. Illud autem mens est, qua nullius operam instrumenti desiderat.*

XII. Verùm missis Philosophorum testimoniis, ad Patres revertamur, nostræque Propositionis probationes S. *Augustini* suffragio, quod maximam huic argumento lucem affert concludamus. Legitur illud *Libro* 10. *De Civitate Dei*, Cap. 5. *Quis autem* [inquit] *ita desipiat, ut existimet aliquibus usibus Dei esse necessaria, qua in Sacrificiis offeruntur? Quod cùm multis locis divina Scriptura testetur, ne longum faciamus, breve illud de Psalmo commemorare suffecerit.* Dixi Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges. *Psal. 15. 2.*
*Non solùm igitur pecore, vel qualibet aliâ re corruptibili atque terrenâ, sed ne ipsâ quidem justitiâ hominis Deus egere credendus est, totumque quod rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam prodesse dixerit, si biberit; aut luci, si viderit. Nec quod ab antiquis Patribus talia Sacrificia sunt in victimis pecorum, qua nunc Dei Populus legit, non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, qua aguntur in nobis ad hoc ut inhareamus Deo, & ad eumdem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est. Unde ille pœnitens apud Prophetam, vel ipse Propheta*
„ *quarens Deum peccatis suis habere propitium:* Si *Psal. 50.*
„ voluisses [*inquit*] Sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium
„ Deo spiritus contribulatus, cor contritum &
„ humiliatum Deus non spernet. *Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle Sacrificium. Non vult ergo Sacrificium trucidati pecoris, sed vult Sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dicit, hoc significatur, quod eum velle subjecit. Sic itaque illa Deum nolle dixit, quomodo ab stultis ea velle creditur, velut suagratiâ voluptatis. Nam si ea Sacrificia qua vult, quorum hoc unum, cor contritum & humiliatum dolore pœnitendi, nollet eis Sacrificiis significari, qua velut sibi delectabilia desiderare putatus est, non utique de his offerendis in Lege Veteri praecepisset. Et ideo mutanda erant opportuno certoque jam tempore, ne ipsi Deo desiderabilia, vel certè in nobis acceptabilia, ac non potiùs qua his significata sunt, crederentur.*
„ *Hinc & alio loco Psalmi alterius:* Si esuriero *Psal. 49. 12. & 13.*
„ [*inquit*] non dicam tibi; meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? *Tamquam diceret: Utique si mihi necessaria essent, non a te peterem, qua habeo in potestate. Deinde subjungens quid illa significent:*
„ Immola [*inquit*] Deo Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. *Item apud alium Prophetam:* In quo apprehendam (*inquit*) Dominum, assumam Deum meum excelsum? *Mich. 6.*
„ Si apprehendam illum in holocaustis, in vitulis anniculis? Si acceptaverit Dominus in millibus arietum, aut in denis millibus hircorum pinguium? Si dedero primogenita mea, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Si annuntiatum est tibi, homo, bonum, aut quid Dominus exquirat a te, nisi facere judicium, & diligere misericordiam, & paratum esse ire cum Domino Deo tuo? *Et in hujus Propheta verbis utrumque distinctum est, satisque declaratum, illa Sacrificia per se ipsa non requirere Deum, quibus significantur hac Sacrificia qua requirit Deus. In Epistolâ qua inscribitur ad Hebraos:* Bene
„ facere, *inquit*, & communicatores esse nolite
„ oblivisci: Talibus enim Sacrificiis placetur Deo. *Hebr. 13. 16.*
„ *Ac per hoc, ubi scriptum est*, Misericordiam volo
„ quàm Sacrificium; *nihil aliud quàm Sacrificio Sacrificium pralatum oportet intelligi: Quoniam illud quod ab omnibus appellatur Sacrificium, signum est veri Sacrificii. Porrò autem misericordia verum Sacrificium est .... Quacumque igitur in ministerio Tabernaculi, sive Templi, multis modis de Sacrificiis leguntur divinitus esse pracepta, ad dilectionem Dei & proximi significandam referuntur. In his enim duobus praeceptis, ut scriptum est, tota Lex pendet & Propheta.* *Matth. 22. 40.*

Ex hoc S. *Augustini* loco exponendus est alter ille a *Spencero* laudatus ex *Libro* 18. *contra Faustum*, Cap. 6. *De Sacrificiis animalium, quis nostrûm nesciat, magis ea converso Populo congruenter imposita, quàm Deo desideranti oblata?*

*Guillelmus Parisiensis* Libro *De Legibus*, Cap. 11. hypothesim *Speneeri* funditus evertit. *Septem*, inquit, *de causis ante Legem, & etiam sub Lege, Sacrificia sibi offerri voluit Deus, non solùm propter consuetudinem Idololatria, ut quidam opinati sunt. Hac enim causa in Cain & Abel locum non habet. Prima igitur ac praecipua causa fuit Dei honorificentia seu veneratio. Omnis enim cultus Deo honorificus est, quo ipse sibi serviri vult. Et propter hoc Altare sibi adificari voluit ... Talibus ergo muneribus honorabatur Deus, non quidem pretiositate ipsorum, sed electione, institutione, & acceptione ipsorum a parte suâ: Obedientia verò & devotione offerentium a parte ipsorum. Hac igitur quinque honorifica efficiebant Deo hujusmodi Sacrificia, videlicet qua ipse elegerat, instituerat, & accepta habebat, qua ei obedienter ac devotè offerebantur. Non enim coli voluit, neque colendus erat adinventionibus humanis, sed magis ritu electionis* *Causa septem institutionis Sacrificiorum.*

&

*& institutionis suæ... Secunda causa, fuit justitiæ suæ, & misericordiæ vehemens ac fortis impressio, quam Sacrificia hujusmodi faciebant: Eo enim ipso quòd ad mortem hujusmodi animalia offerebant, mortique tradebant, se ipsos morte dignos ostendebant... In hoc verò quòd mors eorum morte animalium commutabatur, Dei misericordiam erga se expressè legere poterant, vel etiam legebant: & erat fortior atque magis penetrans, magisque imprimens cogitationem ac rememorationem severitatis ac miserationis divinæ, hujusmodi operatio, quàm posset esse sermo .... Tertia causa, divinæ beneficentiæ recognitio, propter quod de ipsis donis ac datis suis partem reservabant, & offerebant Domino in recognitionem, quòd de ejus benedictione & largitione omnia receperant, videlicet & quæ sibi retinebant, & quæ Domino offerebant, sicut legitur Deuteron.* 25. Profiteor hodie coram Domino meo, *&c. Quarta causa, offerentium sanctificatio. Expediebantur enim, & emundabantur a contaminationibus peccatorum per hujusmodi Sacrificia, faciente Dei virtute & misericordiâ. Quinta causa, familiaritas ad Deum, & appropinquatio: Oblatio namque munerum, & participatio Sacræ Mensæ, multam fiduciam præstant appropinquationis, & de familiâ Dei efficit participantes. Ejus enim censetur esse familia, a quo pascitur, & de cujus mensâ vivit. Quare manifestum est hujusmodi Sacrificia participantibus imprimere familiaritatem & proximitatem ad Deum, dum eos Dei commensales quodammodo efficiebant .... Propter quod cùm Deus non posset eis vice versâ comedendo communicare, mittebat interdum ignem de cœlo, qui partem suam Sacrificiorum comederet, quasi vice ipsius. Sexta causa, adunatio sive unio Populi Dei, videlicet, ut una domus fieret, & una familia ex multis personis. Unam enim familiam & unam domum literalem maximè facit communio victualium: Sic & unam familiam spiritualem, unamque domum maximè facit communio ciborum & potuum spiritualium .... Septima causa fuit attractio ad Dei cultum. Nihil enim magis aggregat homines, & convenire facit ad locum aliquem vel factum, quàm cibus & potus..... Voluit ergo sapientissimus & misericordissimus Deus, ut in domo suâ & Altari esset communicatio cibi & potûs, ut communitas Populi sui per hoc & illuc attraheretur, & ibidem astrictiùs teneretur: Voluitque hujusmodi sibi sanctificata esse, ut Populus non tanquam bona propria, sed tanquam sacra illa sumeret, ut Deum tanquam Patremfamilias suum, a quo pasceretur, & animaretur, agnosceret, & se ad Sanctorum communionem seu participationem admissum videns, ab omni vitiorum contaminatione & maculâ conservaret..... Clarum est ex his, quòd Idololatria non dedit occasionem Sacrificiis, cùm ante Idololatriam Sacrificia fuerint.*

## §. II.

*De Sacrificiorum Materiâ.*

*Quæ Animalia Deo in Sacrificium offerenda.*

I. VEterum Sacrificiorum materia, vel animata fuit, vel inanimata. Ex animalibus munda tantùm, eorumque octo duntaxat species Altari suo Deus admoveri jussit, scilicet oves, capras, hædos, boves, vitulos, columbas, passeres, & turtures. *Levitici* 1. 2. 10. 14. & Cap. 14. 4. 5. Ratio autem cur his tantùm animalibus aditum ad Altare suum Deus concesserit, multiplex est, literalis, typica, & moralis. Hæc enim præ cæteris selegit, 1. Quia præsto semper erant, & pari facilitate mensis & altaribus offerebantur. Secundò, ad vitandam idololatriam, quia Gentes animantium omne genus Diis suis immolabant; Soli equos, Marti Lupos, Priapo asinos, Dianæ cervas, Cereri sues, Hecati canes. Ægyptii verò boves, oves, hircos ut Numina venerabantur, seu ut sacros in Numinum suorum honorem alebant, nec illa usquam in Sacrificium aut epulum mactabant. Quod a *Theodoreto Quæstione* 1. *in Leviticum*, observatum est. *Salutare*, inquit, *medicamentum illis comparavit. Nam ea sibi sacrificari jussit, quæ pro Diis coluntur ab Ægyptiis; de numero quidem quadrupedum, vitulum, & hircum, & ovem: E volatilibus autem turturem, & pullos columbarum. Nec ignoramus alia multa pro Diis habuisse Ægyptios. Sed ex iis quæ pro Diis colebant, mansuetiora Sacrificiis addixit, reliqua verò appellavit immunda: Ut hæc quidem execrati tanquam impura, in Deorum numero non ponerent: Illa verò, ut quæ ipsi sacrificarent, pro Diis non haberent, sed Eum solum adorarent, cui convenit hæc offerri. Quia verò nonnulli eorum locupletes erant alii verò inopes: Illis quidem vitulum, vel agnum, aut capram offerre præcepit; his verò par turturum, aut duos pullos columbarum.* Easdem rationes *S. Thomas* affert Primâ Secundæ, Quæstione 102. Art. 3. in Resp. ad 2. *Ratio*, inquit, *conveniens fuit, quare ista animalia offerebantur Deo in Sacrificium, & non alia: Primò quidem ad excludendam idololatriam: Quia omnia alia animalia offerebant Idololatræ Diis suis, vel eis ad maleficia utebantur. Ista autem animalia apud Ægyptios cum quibus conversati erunt, abominabilia erant ad occidendum: Unde ea non offerebant in Sacrificium Diis suis.* ,, *Unde dicitur Exodi* 8. Abominationes Ægy- ,, ptiorum immolabimus Domino Deo nostro? *Oves enim colebant, hircos venerabantur, quia in eorum figurâ Dœmones apparebant. Bobus etiam utebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant. Secundò, hoc conveniens erat ad prædictam ordinationem mentis in Deum; & hoc dupliciter. Primò quidem quia hujusmodi animalia maximè sunt, per quæ sustentatur humana vita; & cum hoc mundissima sunt, & mundissimum habent nutrimentum. Alia verò animalia vel sunt silvestria, & non sunt communiter hominum usui deputata: Vel si sunt domestica, immundum habent nutrimentum, ut porcus, & gallina: Solum autem id quod est purum, Deo est attribuendum. Hujusmodi autem aves speci aliter offerebantur, quia habentur in copiâ in Terrâ Promissionis.* Pisces verò a Sacrificiis arcebantur, (inquit *S.* Thomas) quia, cùm in aquâ vivant, *Magis sunt alieni ab homine quàm cætera animalia, quæ vivunt in aëre, sicut & homo; & iterum pisces ex aquâ extracti statim moriuntur. Unde non poterant in templo offerri, sicut alia animalia.*

Ratio typica cur hæc animalia Deus offerri jusserit, est quòd ad Christum, cujus Sacrificio præludebant, significandum accommodata præ cæteris essent. Bos enim Christi fortitudinem & labores, ovis innocentiam, hœdus formam peccatoris, turtur arctam cum Deo conjunctionem, pulli columbarum mansuetudinem significabant. Hujus interpretationis Auctores indicasse sufficiat *S. Cyrillum Alexandrinum Libro* 15. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, *Procopium* in Cap. 4. *Bedam* in Cap. 1. Levitici, & *S. Thomam* hæc ex Glossâ Ordinariâ laudantem: *Christus in vitulo offertur propter virtutem crucis, in agno propter innocentiam, in ariete propter principatum, in hirco propter similitudinem carnis peccati, in turture & columbâ duarum naturarum conjunctio monstrabatur.*

Ratio moralis petitur ex cupiditatibus quas mactare, & Virtutibus quibus Animas nostras adornare

nare debemus, ut nosmetipsos in Sacrificium Deo gratum offeramus. Ut enim ait *Origenes* Homiliâ 2. in Leviticum, *Homo munus offeret Deo vitulum, cùm carnis superbiam vicerit. Ovem, cùm irrationabiles motus insipientesque correxerit. Hœdum, cùm lasciviam superavit. Offeret etiam par turturum, cùm non fuerit solus, sed mentem suam Verbo Dei velut viro conjugem sociaverit, sicut hoc genus avium unum dicitur & castum servare conjugium. Offeret etiam & duos pullos columbarum, cùm & ipse intellexerit Mysterium, quo oculi Sponsæ sicut columbæ dicuntur ad plenitudines aquarum, & collum ejus sicut turturis.* His non absimilia apud *Hesychium*, & *Radulfum Flaviacensem* legere est.

*Victimarum integritas.* II. Animalia omni ex parte perfecta in Sacrificium offerri Lex jubebat. Pecudem omnem jugi ruptam, senio confectam, testiculis læsam, mutilam, morbo denique vel vitio aliquo laborantem a Sacris arcebat, *Levitici* 22. 21. 22. 23. 24. *Deuteronomii* 15. 21. Sacerdotes qui in jugi sacro *cæcum, claudum, & languidum* immolabant, Deus reprehendit *Malachiæ* 1. 8. & 14. *Philo* Judæus Libro *De Victimis*, summam fuisse Sacerdotum curam & diligentiam testatur in explorandis pecudibus Altari destinatis, ne fortè vel minima celaretur labecula. Ita sanxit Deus, ut suæ Majestatis auctoritatem tueretur, Sacrisque reverentiam conciliaret: Utque offerentes doceret, His victimis Christum impollutum, innocentem, & a peccatoribus segregatum significari, pro ipsis aliquando immolandum; & illos interim cor immaculatum Deo offerre debere. Quâ de re *S. Cyrillus Alexandrinus Lib.* 15. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, p. 520. ait: *Opportunè verò ac necessariò præmonet Lex, & apertè testatur in his certè Sacrificiorum generibus immaculatas esse oblationes oportere: Nam, quia e Sacrificiis quæ offerebantur, alia Christum ut pro nobis immolatum significabant, alia etiam nos præfigurabant nostram vitam Deo propemodum adolentes; hanc ob causam, inquit, ea immaculata esse debere, nullâque corporis parte manca atque debilia: Immaculatus enim est Christus; Non enim fecit peccatum: Sed ne nos quidem accipiet Deus, dum adhuc in maculis versamur, & peccatorum deformitate laboramus.* Singula porrò vitia ac labes, quę victimas Sacris indoneas reddebant, ibidem tropologicè *S. Cyrillus* explicat, quem adeat studiosus lector, absque fructu non dimissurus. Audiendus etiam eâ de re *S. Thomas* Quæst. 102. Art. 3. ad 7. *Quia, inquit, animalia maculosa solent haberi contemptui etiam apud homines, ideo prohibitum est ne Deo in Sacrificium offerrentur: Propter quod etiam prohibitum erat, ne mercedem prostibuli, aut pretium canis in domum Dei offerrent. Et eâdem etiam ratione non offerebant animalia ante septimum diem; quia talia animalia erant quasi abortiva, nondum plenè consistentia propter teneritudinem.*

Diabolum Dei simiam cultoribus suis similem in probandis victimis Religionem inspirasse, constat ex *Luciano* Libro De Sacrificiis: *Illi*, inquit, *cùm immolant, primùm sertis coronant pecudem, multoque ante explorant, num legitima sit, & Sacrificiis idonea, ne fortè mactent ex his quæ Religio repudiat.* Ægyptii, teste *Chæremone*, ab Altaribus removebant, *quæ gemina, aut maculosa, aut versicoloria, aut forma, præter naturam.* Athæneus ex Aristotelis Symposio: *Nihil*, inquit, *mutilum Deo offerimus, sed integra & perfecta omnia.*

*Cur mercedem prostibuli, & pretium canis offerri sibi Deus vetuit.* III. Quæ de mercede Postribuli, & pretio Canis in Templum Dei non inferendis, ex *Deuteron.* 23. 18. observat *S. Thomas*, paulò majori consideratione digna sunt. Postribuli mercedem in Domum suam Deus inferri vetuit, ut Judæos ab Ethnicorum execrando more abduceret, qui donaria, pecunias, vestes elegantes, & alia violatæ pudicitiæ præmia Diis suis, eorumque Templis consecrare solebant, ut constat ex *Michęæ* 1. Vers. 7. *Et omnia*, inquit, *sculptilia ejus concidentur, & omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia Idola ejus ponam in perditionem: Quia de mercedibus Meretricis revertentur.* Item ex *Luciano* Lib. *De Deâ Syriâ* ubi refert, Ægyptios in Terrâ Bybliorum inferias *Adonidi* peragentes, capita tondere solitos, *E mulieribus autem quæcumque tonderi nolunt*, inquit, *talem pœnam exsolvunt: Unum quidem diem ad quæstum corpore faciendum foro præstant: Forum autem illud solis peregrinis exhibetur: & quod inde mercedis efferunt hoc Veneri in Sacrificium datur.* De Cypriis idem refert *Justinus* Lib. 22. Historiæ: *Mos erat Cypris*, inquit, *Virgines ante nuptias, statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras, in quæstum ad litus Maris mittere, pro reliquâ pudicitiâ libamenta Veneri soluturas.* De Siccensibus Africanis idem narrat *Valerius Maximus* Lib. 2. Cap. 6. *Siccæ*, inquit, *est Fanum Veneris, in quod se Matronæ conferebant atque inde procedentes ad quæstum dotes injuriâ corporis contrahebant.* De Phœnicibus idem testatur *S. Augustinus Libro* 4. *De Civitate Dei*, Cap. 10. *An tres Veneres sunt*, inquit, *una virginum, alia conjugatarum, alia meretricum? Cui etiam Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam jungerent eas viris?* Deus itaque mercedem postribuli in Templum suum inferri, lege latâ vetuit, ut Judæos ab idololatriâ pariter & libidine abduceret, ut Sacrorum suorum puritatem præ Sacris Gentium ostenderet, ut Sacrarii sui dignitati & reverentiæ consuleret, turpe donum repudiando. *Nullius enim rei turpis merces decora est*, inquit *Tertullianus* Lib. *De Habitu Mulieбri*. Præ ceteris autem quæstus arte meretriciâ factus, infamis semper habitus est. Hinc *Severus* Imperator, teste *Lampridio* in ejus Vitâ, *Leonum vectigal, & meretricum, & exoletorum, in sacrum Ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem Theatri & circi deputavit.*

IV. Canis pretium quòd spectat, a Deo pariter abominationis instar repudiatum, & a Sacrario eliminatum: Missis variis Interpretum de hujus præcepti sensu sententiis, quas eruditè refellit *Spencerus* Lib. 2. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Cap. 23. Sect. 2. Planissimus ille est, Deum pretium canis, si fortè venderetur, aut cum rebus aliis commutaretur, tamquam rei vilissimæ pretium, imò tanquam abominationem rejecisse, primò ut Sanctuarii sui honori consuleret. Secundò, ut Ægyptiorum superstitionem sugillaret, qui canem præcipuâ quadam veneratione prosequebantur, testibus *Herodoto* Lib. 2. Cap. 67. *Diodoro Siculo* Lib. 1. *Plutarcho* in Iside *Strabone* Lib. 17. & *Juvenali*, qui de Ægypto ait:

——————— *Illic*
*Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.*

Ægyptiacę hujus Superstitionis ratio prima fuit *Nili* exundatio oriente Caniculâ, ut observat *Ælianus* Lib. 10. *De Animalibus*, Cap. 45. *Cùm stella canis exoritur*, inquit, *cum ipsâ pariter Nilus sese attollens, irrigationem invehit, & in agros redundat, quapropter canem ut aquæ fertilis inductorem colunt*: Propterea & canem animal, ut Caniculæ symbolum, sacro cultu prosequebantur. Ratio altera erat, quod *Anubis* sive *Mercurii* Numinis, eorum Maximi symbolum & imago viva canis crederetur. Ægyptios namque *Anubim* suum sub imagine caput caninum habente venerari solitos, referunt *Diodorus Siculus* Lib. 1. *Lucianus* Lib. *De Sacrificiis*, & *Servius* in illud *Virgilii* Æneidos 8.

*Omni-*

*Omnigenûmque Deum monstra, & latrator Anubis.*
*Isidi* Maximæ Ægyptiorum Deæ cum *Anubi* seu *Mercurio*, necessitudinem non minimam intercessisse, constat ex columnâ Ægyptiacâ *Isidi* erectâ, cum hac Inscriptione: *Ego Isis sum, Regina hujus regionis, a Mercurio erudita. Ego sum quæ in canis sydere exoritur, &c.* (Refert *Diodorus Siculus* Lib. 1.) Isidem stupro colebant Ægyptii, ut probant illa Juvenalis:

——— *Jamque exspectatur in hortis,*
*Aut apud Isiaca potiùs Sacraria lenæ.*

Ipsi adeò prostitutionis præmium impuræ feminæ dicabant. *Anubi* verò seu *Mercurio* canis, animalis apud ipsos sacri pretium fortè devovebant. In superstitionis utriusque, seu jam obtinentis, seu prævisæ, execrationem Deus hanc Legem tulit: *Non offeres mercedem prostibuli: nec pretium canis in Domo Domini Dei tui, quicquid illud est quod voveris: Quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.*

*Materia Sacrificiorum inanimata.*

V. Materia Sacrificiorum inanimata secundum Legem divinam erat, panis, simila, spicæ, vinum, sal, oleum, thus. Levitici 2. 1. *Anima cum obtulerit oblationem Sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus.* Morem illum Gentes in falsorum Deorum sacris imitatæ sunt, ut constat ex illis *Virgilii* 6. Æneid.

——— *congesta cremantur*
*Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.*

Panis Sacrificalis variis modis parabatur; in clibano, in sartagine, vel craticulâ coquebatur, oleo conspersus, absque fermento, & melle, sale verò conditus, quo etiam victimas omnes aspergi Lex jubebat. Levitici 2. 2. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in Sacrificio Domino.* Azyma sinceritatis, veritatis, atque puritatis signa erant 1. *ad Corinthios* 5. 7. apud Ethnicos Flaminibus farinam fermentatam contingere non licebat, ut notat *Servius* ad 1. Æneidos. In Sacrificio tamen pacifico seu gratiarum actionis, panes fermentati offerebantur, *Levitici* 7. 13. De sale in Sacrificiis omnibus adhibendo, Lex habetur Levitici 2. *Quicquid obtuleris Sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de Sacrificio tuo. In omni oblatione tuâ offeres sal.* Ritum illum Dæmon Dei æmulus ad idololatricos cultus traduxit. Nulla enim Sacra apud Ethnicos conficiebantur *sine molâ salsâ*, teste *Plinio* Lib. 31. *Naturalis Historiæ.* Quò spectant illa *Ovidii*, *Fastorum* 1.

*Antè Deos homini quod conciliare valeret,*
*Far erat, & puri lucida mica salis.*

Et illa *Statii*, *Silv.* 1.

——— *Sæpè Deis hos inter honores,*
*Cespes, & exiguo placuerunt farra salino.*

Hinc *Plato* salem Θεῷ φίλον σῶμα *Corpus Deo amicum* appellavit. Falsò igitur scripsit *Maimonides* in *More Nevochim*, P. 3. Deum salis usum in Sacrificiis suis præcepisse, ut se Idololatris opponeret, qui sale in Sacris suis non utebantur. *Sal fœderis* appellatur ob diuturnitatem. Aptissimum itaque symbolum fuit ad immortalitatem Dei, cui Sacrificium offerebatur, significandam; ad fœderis cum Deo initi, & per Sacrificium confirmati perpetuitatem exprimendam; ad incorruptæ mentis puritatem, quam a Sacerdotibus, & iis quorum nomine Sacrificia offerebant, Deus postulabat, designandam.

*Mincha Sacrificium, seu farrea Oblatio.*

VI. *Mincha* Sacrificium, sive farrea oblatio triplex erat. Prima erat oblatio similæ, secunda panum, tertia spicarum virentium, de quâ Levitici 4. 14. *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens supra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est. De quâ adolebit Sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti, & olei, & totum thus.* De primitiis messis hordeaceæ altero Paschatis die offerendis Lex ista intelligitur. Primitiarum scilicet solemnior oblatio triplicis generis a Deo imperata est, 1. Spicarum virentium hordei in Paschate; 2. Panum ex similâ fermentatâ recentis tritici, in Pentecoste, quod tempus erat Messis triticeæ in Palæstinâ, [*Levitici* 23. 15. 17.] 3. Vitis & omnium frugum, in Festo Tabernaculorum (*Exodi* 23. 16. 19.) Nullam victimam sine similâ & vino Deus offerri jussit. (*Numerorum* 15. 4. 5. 7. 10.) Ratio cur Deus Minchæ Sacrificium [illegible]tuerit, multiplex afferri potest. Primò ut [illegible]res, qui animalia sibi comparare non pote[illegible], Sacrificia non negligerent. Hanc rationem affert *Theodoretus Quæstione* 1. *in Leviticum*. Secundò, ut Sacerdotibus de pane & annonâ provideretur. Hujus enim Sacrificii pars maxima in usum Sacerdotum cedebat. Tertiò, ut terræ fruges Deo se debere, ipsumque escam dare omni carni jugiter meminissent, ac profiterentur. Quartò, quia Sacrificium quasi sacrum epulum erat Dei cum hominibus. Unde victimæ vocantur *panes Dei*, [Levitici 21. 21. & 22. 25.) & *Cibus Dei*, (Numerorum 28. 2. secundùm Hebræum) & Altare vocatur *Mensa Dei*, (Malachiæ 1. 7. 12.) Rationem literalem & typicam farrei Sacrificii affert S. *Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Art. 3. ad 12. *Dicendum, quod Lex in Sacrificiis providere voluit paupertati offerentium: Ut qui non posset habere animal quadrupes, saltem offerret avem: Quam qui habere non posset, saltem offerret panem; & si hunc habere non posset, saltem offerret farinam, vel spicas. Causa verò figuralis est, quia panis significat Christum, qui est Panis vivus, ut dicitur Joannis 6. Qui quidem erat velut in spicâ, pro statu legis naturæ, in fide Patrum. Erat autem sicut simila in doctrinâ Legis Prophetarum. Erat autem sicut panis formatus, post humanitatem assumptam, coctus igne, id est, formatus Spiritu Sancto in clibano uteri virginalis: Qui etiam fuit coctus in sartagine per labores quos in Mundo sustinebat: In cruce verò quasi in craticulâ adustus.* Ex *Hesychio* hanc allegoriam hausit *S. Thomas*. De rebus reliquis inanimatis, quæ materia Sacrificiorum erant sic differit Doctor idem Angelicus in responsione ad 13. *Ea quæ in usum hominum veniunt de terra nascentibus, vel sunt in cibum, & de eis offerebatur panis: Vel sunt in potum, & de his offerebatur vinum: Vel sunt in condimentum, & de his offerebatur oleum, & sal: Vel sunt in medicamentum, & de his offerebatur thus, quod est aromaticum, & consolidativum. Per panem autem figuratur caro Christi: Per vinum, sanguis ejus per quem redempti sumus: Oleum figurat gratiam Christi: Sal scientiam; Thus orationem.*

*An panis & vini oblatio ex profanarum Gentium moribus originem duxerit?*

VII. Panis & vini sacrificalem oblationem ex profanis Gentilismi Ritibus originem duxisse asserit, non probat *Spencerus*. Melchisedechus ante Legem latam panem & vinum in Sacrificium obtulit, [*Genesis* 14. 18.] non Gentium certè profanarum ritu: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* A Noacho panis & vini oblationem derivatam longè probabilius est. Noachum ab antiquis *Ogygem* dictum, notum est: Quod nomen ex *Ogy* Hebrçâ voce, & per reduplicationem *Ogygi* ductum, *Panis subcinericii in usus sacros factorem* significat, ut a viris eruditis observatum est. Imò Patres Antediluvianos e terræ frugibus Sacrificia obtulisse vix dubitari potest. Licet enim de *Caino* dumtaxat legamus, quòd ex *fructibus terræ obtu-*

*tulerit munera Domino*, [ Genesis 4. 3. ] nihilominus cùm eo nomine oblatio ejus non sit a Deo repudiata, sed ob malitiam offerentis, verisimillimum est ipsum ab *Adamo* parente, *Adamum* verò a Deo edoctum, hæc in sacrificium Deo obtulisse. Hoc Sacrificii genus, ut & alia sibi Dæmon Dei æmulus arrogavit. Hinc *Moyses* Deuteronomii 32. 38. *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum?* Deus ad abolitionem Idololatriæ illud lege latâ Israëlitis præscripsit. Gentes vini parte aliquâ suis Numinibus libatâ, partem residuam inter sacrificantes ebibendam distribuebant. At apud Hebræos vinum quantum erat in sacrificium effundebatur: Sacerdotes aut sacrificantes illius participes non erant: In aliquibus Gentium sacris vinum nullum libabatur, nempe in Sacris Cereris, ut colligitur ex *Plauto* in *Aulularia*: At Deus in omni sacrificio sibi oblato vinum libari jussit, ne frumenti solius Auctor ac præses haberetur. Ethnici non tantùm vino mero, sed & melle, lacte, mulso, vino mixto libabant, maximè in Ægypto & Alexandriâ, ut refert *S. Hieronymus* Commentario in Cap.45. *Isaiæ*: At Lex Dei vinum tantùm generosum in Sacrificium offerri jussit. *Levitici* 23. 13. *Numerorum* 15. 5. 7. & 38. 7.)

*Mellis usus a sacrificiis ablegatus.* VIII. Mellis usum a Sacrificiis suis Deus ablegavit; Levitici 2. 2. *Nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in Sacrificio Domino. Primitias tantùm eorum offeretis ac munera: super Altare verò non imponentur in odorem suavitatis*. Falsissimum proinde est quod de Judæis Syriam incolentibus scripsit *Theophrastus* referente *Porphyrio*, Lib.2. de Abstinentiâ, §.26. *Non victimas epulantur, sed eas integras per noctem comburentes, multo melle & vino iis superfuso Sacrificium ocyùs consumunt, ne qui omnia videt, facinus hoc intueatur*. Vel *Plutarchi* testimonio refellitur Lib.4. *Symposiacon*, Cap.5. Quanquam graviorem ille calumniam in Judæos struxerit, eos ideo *Mel in Sacrificiis non offerre* scribens, quòd *Bacchum* colerent, & mellis admistione vinum corrumpi videatur. Varias Legis hujus rationes afferunt Veteres. Quas exponit *Theodoretus* Quæstione 1. in Leviticum. *Prohibet quoque*, inquit, *offerri mel ad Altare, eo quòd apis, ut quidam volunt, in locis impuris sedeat, & undecumque conficiendi mellis materiam coacervet. Nonnulli verò dixerunt, inde nos instrui, ex propriis laboribus persolvenda esse sacrificia, ex consilio Salomonis, quo dicitur:*
„ Honora Dominum es justis laboribus, & præbe
„ primitias illi de tuis fructibus justitiæ. *At fructus apis a labore nostro non procedit. Quæ quidem verba nihil accuratum continent. Siquidem mellis confectio non caret hominum industriâ. Quidam enim colendæ terræ dant operam, nonnulli curant oves, alii mercaturæ student, alii verò melli conficiendo incumbunt. Quamobrem* [ inquit ] *sub nomine quidem fermenti vetustatem nequitiæ significari puto; Mellis autem nomine voluptatem prohiberi*. Mystica hæc ratio, non literalis; quam nihilominus alii Patres afferunt, & inter alios *S. Hieronymus* Epistolâ 19. ad Eustochium. *Quoniam*, inquit, *Mel in Dei Sacrificiis non offertur, nimia dulcedo arte mutata est, & quadam, [ ut ita dicam ] piperis austeritate condita. Apud eum enim nihil voluptuosum, nihil tantùm suave placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis*. Mellis nomine *Paganorum doctrinam* intelligit Hesychius, *Propter suavitatem verborum, & dulcedinem eloquii*. Rationem literalem simul & mysticam affert *S. Thomas* Prima Secundæ quæstione 102. Articulo 3. ad 14. *Mel*, inquit, *Non offerebatur in Sacrificiis Dei tum quia consueverat offerri in Sacrificiis Idolorum, tum etiam ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem ab his qui Deo sacrificare intendunt*. Veram Legis hujus rationem attigit *S. Thomas*, cum *Maimonide* sentiens, qui in *Moro Nevochim*, P.3. Cap.46. ait Deum a Sacrificiis suis Mellis usum ablegasse, quòd *Idololatræ res dulces ad oblationes suas eligerent, easque melle inungere solerent*. Vix ullus fuit falsorum Deorum, cui melle non libarent Ethnici & quem oblati mellis dulcedine gaudere non crederent. Id de *Mercurio* testatur *Antipater Sidonius* Libro 1. *Anthologiæ*, Cap.38. *Facilis est Mercurius, o Pastores qui lacte gaudet, & querno placatur melle*. De *Baccho* idem constat ex *Ovidio* Libro 3. *Fastorum*.

*Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem*
*Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.*

De *Priapo* Pastor *Astacus* apud *Calphurnium* *Eclogâ* 2.

*Rorantesque favos damus, & liquentia mella.*

De *Jano* idem docet *Ovidius* Lib.1. *Fastorum*.

*Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi.*
*Et data sub niveo candida mella cado?*
*Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,*
*Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.*

Nymphis mel & vinum fundi jubet *Apollinis* Oraculum apud *Eusebium* Lib.4. *Præparationis Evangelicæ*.

*Funde mel Nymphis, & Bacchi dona.*

Diis omnibus mel libari solitum asserit *Pausanias* in *Eliacis prioribus*, ubi postquàm Aras minimùm quinquaginta recensuit in *Jovis Olympii* Templo variis Numinibus erectas, & quasdam Diis omnibus sacras, ait: *Semel quolibet mense, ad omnes quas recensuimus, Aras Elei Sacra faciunt, vetusto quodam Ritu thura, & melle subactum triticum adolentes*. Persas in omnibus Sacrificiis *libantes oleum cum lacte & melle mixtum* describit *Strabo* Lib. 15. Auctor Hymni in *Mercurium* mel vocat *Deorum suavem cibum*. Et quod caput est, Deus Judæis exprobrat *Ezechielis* 16. 18. 19. quòd Diis omnibus Gentium mel obtulerint. *Fecisti tibi*, inquit, *Imagines masculinas, & fornicata es in eis. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas: & oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, & oleum, & mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis*. Diis præsertim Inferis, & Heroibus fato functis melle libabant profanæ Gentes. Sic *Platoni* facere solebant, *Silio* teste, Lib. 13.

*Duc prædicta sacris duro placamina Diti*
*Mella simul tecum, & puri per dona Lyæi.*

Idem melle placari *Furias* memorat:

*Inde tibi, Alecto, tibi numquam læta Megæra,*
*Corpora lanigerûm procumbunt lecta bidentum,*
*Fundunt mella super, Bacchique, & lactis honorem.*

Apud *Euripidem* fratrem *Orestem* tamquam moriturum *Iphigenia* sic alloquitur: *Multum enim ornatum tibi in sepulcro ponam, & montanæ flava apis delicias ex floribus manantes in rogum tuum injiciam....* Ut itaque Israëlitas ab Idololatriâ Deus abduceret, utque non minùs factis & ritibus, quàm verbis, *Deum viventem* se colere profiterentur, mellis usum in Sacrificiis nomini suo oblatis Lege latâ prohibuit.

## §. III.

*De Sacrificiorum fine, variisque speciebus.*

I. TRiplex fuit Sacrificiorum finis, Dei honos, supremique ipsius Dominii agnitio; peccati expiatio; grati animi ob accepta beneficia significatio, novorumque a Deo postulatio. Hinc triplex Sacrificiorum species. 1. *Holocausta*; 2. *Pacifica*; 3. *Expiatoria*, sive, ut Scriptura Sacra loquitur, *pro peccato*. [ Levitici 1. 3. 4. 5. 6. & 7.] Holocaustum, a voce Græcâ ὁλόκαυτον id est, totum combustum, appellatum est, quòd in eo tota victima in Dei honorem consumeretur. Hoc ritu summum Dei dominium in
*Ritus holocausti.* res omnes significabatur; & qui Sacrificium offerebant, se totos esse Dei profitebantur. Holocausti Ritus Cap. 1. *Levitici* describitur. 1. *Masculum* pecus offerri debebat, utpote perfectissimum. Id imitati Ægyptii Sacerdotes, *Charemone* teste, fœminas recusabant.

2. Offerendum erat *ad ostium Tabernaculi testimonii*, quod ad Idololatriam extirpandam a Deo præceptum est: Ne si quovis in loco sacrificare ipsis liceret, ad Altaria Gentium & Idola deflecterent. Lex ista Sacrificiis omnibus communis fuit; cujus hanc rationem afferunt *S. Joannes Chrysostomus* Expositione in Psalmum 121. & 134. & Homiliâ in Psalmum 95. *Theodoretus* Quæstione 56. in 3. Regum, & *Radulfus Flaviacensis* Lib. 13. Commentariorum in *Leviticum*, Cap. 1. Quæ ratio ex ipsâ Scripturâ eruitur, Levitici 17. 3. 4. 5. *Iste est sermo, quem mandavit Dominus dicens: Homo quilibet de domo Israël, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: Quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio Populi sui. Ideo Sacerdoti offerre debent filii Israël hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium Tabernaculi testimonii, & immolent eas hostias pacificas Domino.* Dæmones scilicet *Latrones Divinitatis*, ut vocat *Tatianus*, in Montibus, fluminibus, lucis, agris Sacrificio cuivis oblato se præsentes sistere solebant, ejusque honorem suffurari. Cui malo præsentissimum remedium Deus attulit, jubendo Israëlitis ut ante ostium Tabernaculi, quò Dœmon, utpote in locum Deo sacrum obrepere non potuit, victimas suas immolarent.

Tertiò, offerens holocaustum imponebat manum capiti victimæ, tum ut hoc ritu significaret se victimam e manu suâ & potestate in jus Dei transferre: Tum ut innueret se peccata sua imprecari, & quasi imponere victimæ immolandæ, eamque pro se offerre. Manibus enim opera significantur. Hujus interpretationis fidejussorem habeo *Eusebium* Lib. 1. *Demonstrationis Evangelicæ*, Cap. 10. *Capiti*, inquit, *victimæ unumquemque dum sacrificat manus habere injectas imperat, & ad Sacerdotem animal ipsum adducere capite comprehensum atque detentum, quasi qui pro suo ipsius capite hostiam exhibeat. Dicit igitur de unoquoque*: Adducet illud ante Dominum, & imponet manus suas in caput muneris. *Quod sanè in omni victimâ observatum est, cùm aliter nullum Sacrificium offeratur. Ex quibus utique verbis sermo divinus illud intelligi vult, humanarum animarum pretium, quæ sacrificarentur animalia exhiberi solita esse.* Sic etiam *Theodoretus* Quæst. 1. in Leviticum: *Qui verò victimam offerebat, imponebat super caput ejus manus, tamquam suas ipsius actiones.* [ *manus enim actiones denotant* ] *pro quibus nimirum hostiam offerebat.* Licèt enim verò holocaustum in honorem Dei, supremique ipsius dominii agnitionem primariò offerretur, secundariò tamen offerebatur etiam pro peccatis ad Deum placandum; Levitici 1. 3. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum: Ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.*

Quartò, Sacerdotes sanguinem victimæ offerre debebant, super Altare *fundentes per circuitum*: Ut hoc Ritu sanguinem pecudis pro suo sanguine, vitam ejus pro vitâ suâ, quam justissimus Deus ad expiandum peccatum repetere potuisset, Deo se exhibere profiteretur is qui Sacrificium offerebat. *Anima* enim *omnis carnis in sanguine*. Hunc Ritum profanæ Gentes imitatæ sunt. Unde *Lucianus* Libro De Sacrificiis: *Sanguinem* ( inquit ) *Aræ circumfundens*. Sanguinem in Arâ fundi *Servius* etiam ait in 2. *Georgicon*.

Quintò, Sacerdos detractâ pelle victimæ, ipsam in frusta concidebat; eaque super Altare composita comburebantur igne sacro, id est cœlitus in Altare delapso, qui vigili Sacerdotum curâ inextinctus perpetuò servabatur, *Levitici 6.* 12. Ex quo *Vestæ ignis æternus* apud Ethnicos; de quo *Virgilius* in 2. *Æneidos*:

*Æternumque aditis effert penetralibus ignem.*

Pellis detractio significabat omnia Dei oculis nuda & aperta esse. Ignis minimè vulgaris, nec a focis ad Aram translatus, sed e cœlo delapsus, incomparabilem Naturę Divinę excellentiam testabatur, sacrisque singularem conciliabat reverentiam. De hoc igne plura ex Hebræorum scriniis deprompta legi possunt apud *Buxtorfium*, *Exercitatione in Historiam Ignis Sacri*.

Sextò, aves ritu peculiari immolabantur; Levitici 1. 14. *Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino de turturibus aut pullis columbæ, offeret eam Sacerdos ad Altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem Altaris: Vesiculam verò gutturis, & plumas projiciet super Altare, ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent; confringetque ascellas ejus, & non secabit, neque ferro dividet eam, & adolebit super Altare, lignis igne superposito.* Non comburebantur, sed projiciebantur, quæ immunda erant, procul ab ambitu castrorum in quemdam locum mundum, in quem & cineres Altaris reponi solebant. Ritus ille immolandi aves absque divisione, antiquior Lege fuit, ab *Abraham* observatus [ Genesis 15. 10.] *Theodoretus* Quæstione 1. in Levit. *Volatilia porrò nec Patriarcha divisit, nec Legislator dividi jubet. Nam qui mente sunt volucres, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur illam in terrena & cœlestia, sed totam sursum ferunt.* Totum Ritum immolationis avium mysticè explicat *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 16. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, p. 564. Edit. Regiæ Parisiensis. *Et aufertur quidem*, inquit, *in iis avibus ingluvies, id est, vesica, cum pennis: Projicitur autem ut prorsus inutilis: Id verò signum est clarum, Sanctorum vitam ipsis etiam corporeis voluptatibus esse superiorem, ita ut jam ne ventris quidem ferè, quò cibi omnes deferuntur, usum desideret: Ejusmodi namque est hominum toleratissimorum vita, qui escas simul & ipsum quoque ventrem contemnentes, conficiunt carnem, & voluptates extinguunt, & ab omnibus mundanis atque supervacuis rebus liberi sunt ac remoti: Id enim est penarum abjectio . . . . Alarum confractio figura est & specimen, quo indicatur Sanctorum mentem non altè sapere, neque in sublime volare, sed humilibus consentire, & tanquam inferiora quærere*

*re...... Porrò vitam suam illos universam & integram Deo dicasse, non ejus partem iis quæ sunt Mundi tribuisse, in eo significatur, quòd non dividuntur.*

*Holocausti Ritus ad profanas Gentes Diaboli æmulatione traductus.*

II. Holocausti Ritum Diabolus Dei æmulus ad profanarum Gentium sacra transtulit. Hinc illud *Virgilii 6. Æneidos.*

*Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

Ad quem locum Servius: *Ergo*, inquit, *solida viscera, holocaustum significat.* Hinc & illud *Senecæ* in Oedipode:

*Solidasque pecudes urit.*

*Herodotus* Lib.2. de Ægyptiis scribit: *Pecude ad Aram adductâ, rogum accendunt, deinde vino superfuso, & Deo invocato mactant.* Et Lib.7. *Emilcar eo tempore Sacrum fecit, libavitque, tota victimarum corpora magno rogo imponens.* Sed profanæ Gentes Diis inferis ut omnia absumentibus holocausta immolabant: Israëlitæ uni vero Deo, ut vitæ necisque Domino. De his extat insignis *Theophrasti* locus a *Porphyrio* laudatus Lib.2. *De Abstinentiâ*, mendaciis licèt calumniisque adversùs Judæos aspersus. *Et sanè* (inquit) *si ex Syris Judæi, qui quòd institutum apud eos jam inde ab initio hoc Sacrificii genus fuerit etiamnum animantes immolant, eodem, quo ipsi, Ritu sacra facere nos juberent, numquam eò nos adduci pateremur. Nec enim casis victimis ad cibum uti solent, sed integras ac solidas, & multo melle vinoque perfusas noctu flammis absumere, ac totum Sacrificium paucis aliquot horis peragere, utique ne Oculus ille omnia pervidens, indignum facinus aspiciat. Deinde verò diebus illi singulis, dum ejusmodi Sacris operam dant, cùm jejunio se se dedunt, tum de divino Numine, uti homines ipso genere Philosophos decet, toto illo tempore sermones inter se miscent: Noctu autem Sidera defixis in Cœlum oculis contemplantur, suas interea preces atque vota Deo nuncupantes. Hi enim non cæteras tantùm animantes, sed etiam semetipsos primi omnium offerre cœperunt, necessitate profectò, non cupiditate ducti.* Hunc locum legere est apud *Eusebium Lib.9. Præparationis Evangelicæ, Cap.2.*

*Hostia Pacifica.*

III. Secunda Sacrificii species, *Hostia Pacificorum*, quæ scilicet offerebatur pro pace, id est, salute, incolumitate, prosperitate: Pacem enim pro beneficio poni etiam Latinis docet *Servius* ad 4. *Georgicon.* Erat autem duplex; una gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, altera precationis pro beneficiis obtinendis. Rursus, votiva quædam, oblata nempe ad solutionem voti quo quis obstringebatur; alia spontanea & meræ liberalitatis, ad affectûs pii testimonium oblata. *Levitici 7. 12. 16.* Hujusmodi Sacrificia Lege vetustiora fuisse certum est, cùm eorum mentionem *Moses* ex improviso faciat *Levitici 3.* nunquam facturus, nisi Populo ante nota fuissent. Idque etiam probatur ex *Jethronis* facto, qui ante datam in Monte Sinai Legem *holocausta & hostias Deo* in castris Israëliticis obtulisse dicitur *Exodi 18. 12.* & postea *Aaronem & omnes Seniores Israël* convivio excepisse *coram Deo*, juxta ritum pacificorum.

*Pacificorum imitatio apud Gentes.*

*Pacifica* quæ a Græcis σωτήρια, id est, *Salutifera* dicebantur, ad profanam Gentium Religionem Dæmonis æmulatione translata sunt. Hinc illa *Gratii* in *Cyneget.*

*Te primum, Vulcane, loci pacemque precamur,*
*Incola Sancte, tuam.*

Et illa *Virgilii, Georgicon 4.*

*——— Tu munera supplex*
*Tende, petens pacem.*

*Ritus pacificorum.*

IV. Hostia Pacifica esse debebat ex bobus, ovibus, agnis, vel capris: Masculus esset, an fœmina, perinde erat. Dividebatur in tres partes. Prima, scilicet adeps & sanguis Deo adolebatur, cum caudâ totâ, renibus, & jecore. Quibus significabatur, immolandas in Dei honorem cupiditates, quarum instrumenta sunt adeps, renes, jecur; & perseverantiam in Dei cultu, esse verum, quod ipsi offerre debemus, Sacrificium. Secunda pars, scilicet pectus & armus dexter, cedebant Sacerdoti. Tertia, nempe caro reliqua cedebat privatis qui obtulerant, de eâque licebat ipsis cum eorum uxoribus & liberis epulari, in signum amicitiæ cum Deo; *Levitici 3. & 7.* In hostiâ verò pro peccato, pars cedebat Deo, pars Sacerdoti, nihil offerenti, ne de culpâ suâ lætari videretur. In holocausto, totum Deo cedebat. Istud triplicis hujus Sacrificii discrimen explicat *S. Thomas Primâ Secundæ, Quæstion. 102. Articulo 3. ad 8.* docetque divisionem victimæ pacificæ in tres partes significasse, *Quòd salus hominis procedit a Deo, dirigentibus Ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur.* Rationem, cur Sacerdoti cederent pectus & armus dexter, tradit idem Doctor Angelicus, eamque duplicem, literalem unam, mysticam alteram. *De Hostiis autem pacificis*, inquit, *in usum Sacerdotis cedebat pectusculum, & armus dexter, ad excludendum quamdam divinationis speciem, quæ vocatur spatulamantia, quâ scilicet in spatulis animalium immolatorum divinabant, & similiter in osse pectoris; & ideo ista offerentibus subtrahebantur. Per hoc etiam significabatur, quòd Sacerdoti erat necessaria sapientia cordis ad instruendum Populum; quod significatur per pectus, quod est tegumentum cordis: & etiam fortitudo ad sustentandum defectus, quasi significatur per armum dextrum.*

*Sanguinis & adipis esus cur prohibitus.*

V. Adipis, & sanguinis cujusvis esu Israëlitis Lege latâ interdictum est, Levitici 3. 16. 17. *Omnis adeps Domini erit: Jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: Nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.* Confer cap.7. 26. & 17. 10. 12. & *Deuteronomii 12. 16. & 15. 23.* Cujus quidem Legis ratio multiplex affertur a *S.Thomâ.* Prima fuit *ad excludendum Idololatriam. Idololatræ enim bibebant de sanguine victimarum, & comedebant adipes secundùm illud Deuteronomii 32.* „ De quorum victimis comedebant „ adipes, & bibebant vinum libaminum. *Secunda ratio est, ad informationem humanæ vitæ. Prohibebatur enim eis usus sanguinis ad hoc, quòd horrerent humani sanguinis effusionem. Unde dicitur Genesis 9.* „ Carnem cum sanguine non come- „ detis, sanguinem enim animarum vestrarum „ requiram. *Esus verò adipum prohibebatur eis ad vitandam lasciviam. Unde dicitur Ezechielis 34.* Quod crassum erat occidebatis. *Tertia verò ratio est, propter reverentiam divinam: Quia sanguis est maximè necessarius ad vitam; ratione cujus anima dicitur esse in sanguine: Adeps autem abundantiam nutrimenti demonstrat.... Et ideo ut ostenderetur, quòd a Deo nobis est vita, & omnis bonorum sufficientia, ad honorem Dei effundebatur sanguis, & adurebatur adeps. Quarta ratio est, quia per hoc figurabatur effusio sanguinis Christi, & pinguedo charitatis ejus, per quam se obtulit pro nobis.*

*Lex de non comedendo cum sanguine, sive super sanguinem.*

VI. A Lege sanguinis esum prohibente differre paululum videtur illa de non comedendo *super sanguinem*, Levitici 19. 26. secundùm Textum Hebræum: Nam Vulgata nostra habet: *Non comedetis cum sanguine.* Veteres Idololatræ mactatâ Dæmonibus victimâ, sanguinis partem comedebant, vel sanguinem in pelvim, aut fossam effundebant, & ad illum convivandi causâ frequentes conveniebant, ut cùm Dæmones, vel Mortuorum Umbræ sanguinem animalis immolati vescerentur, eorum gratiam usumque familiarem sibi conciliarent, & responsa de futuris eventis ab ipsis elicerent. Magico huic Ritui Legem illam Deus opposuit, teste

*Maimonide* in *More Nevochim* p. 3. Cap. 46. *Scito*, inquit, *quòd licèt sanguis immundus & impurus admodum fuerit in oculis Zabiorum, tamen ab illis comestus fuerit, eò quòd existimarent cibum hunc esse Dæmonum, & quòd is qui eum comedit hac ratione communicationem aliquam cum Dæmonibus acquirat, ita ut familiariter cum illo conversentur, & futura ei aperiant, prout vulgus Dæmonibus ista attribuere solet. Fuerunt tamen quidam inter illos, quibus valde durum & difficile videbatur sanguinem comedere: ( Est enim res a quâ naturâ homo abhorret. ( Hi mactantes bestiam aliquam sanguinem ejus accipiebant, & in vase vel fossulâ aliquâ colligebant; Carnem verò mactatam, circa illum sanguinem in circulo sedentes, comedebant, imaginantes sibi, in hoc opere ipsis carnem comedentibus, Dæmones illum sanguinem comedere, & hunc ipsorum esse cibum: & hoc medio amicitiam, fraternitatem, & familiaritatem inter ipsos contrahi, quia omnes in unâ mensâ edunt, & uno consessu accumbunt. Præterea opinabantur Dæmones in somnio sibi comparere, futura indicare, plurimumque prodesse.* Comestionem ad animalis immolati sanguinem, de quâ *Levitici* 19. 26. divinationis Ethnicæ ritum fuisse, colligitur ex Legis istius conjunctione cum Legibus aliis varias divinationis species prohibentibus. *Non comedetis super sanguinem*; vel [ ut habet Vulgata ] *cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Divinationis [ inquam ] Ritus erat omnium pessimæ, & maximè execrandæ, scilicet Necromantiæ, quâ veteres Idololatræ, sanguine in fossulam effuso, circa illum comedentes, Manes aut Mortuorum Animas evocabant, illasque de rebus obscuris interrogabant. Quo de Ritu *Horatius Serm.* 1. *Satyrâ* 8.

> ——— *Pullam divellere mordicus agnam*
> *Cœperunt, cruor in fossam diffusus, ut inde*
> *Manes elicerent, Animas responsa daturas.*

Huc etiam spectant illa *Clementis Alexandrini* Lib. 2. *Pædagogi*, Cap. 1. ubi de Idolothytis loquens: *Illa*, inquit, *mihi videntur execrenda & abominanda, quorum sanguinem supervolant Animæ ex Erebo nunc lumine cassæ.* Ejusdem nefandi ritûs S. *Augustinus* meminit Lib 7. *De civitate Dei*, Cap. 35. de Hydromantiâ agens. *Quod genus*, inquit, *divinationis Varro a Persis dicit allatum, quo ipsum Numam, & postea Pythagoram Philosophum usum fuisse commemorat: Ubi adhibito sanguine etiam Inferos perhibet sciscitari*, νεκρομαντείαν *Græcè dicit vocari.*

De eodem *Guillemus Parisiensis* Lib. *De Legibus*, Cap. 8. *Adeo*, inquit *placuit sanguis Dæmonibus aliquando, & apud aliquos Idololatras, ut ne tangere illum auderent, tamquam partem Diis consecratam, & eis solis debitam. Propter quod & circa sanguinem, vel ante ipsum comedebant, Diis suis sanguinem relinquentes: Opinabanturque ex hoc se se placere Diis suis, quia ante vel circa sanguinem immolantium comedebant, putantes eâ horâ etiam Deos suos ad bibendum convenire sanguinem hujusmodi. Et ita in conspectu eorum de Sacrificiis comedentes, Diis sanguinem illum bibentibus communione forti ac fœdere indissolubili constringerentur.*

De eodem *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 6. ad 1. *Generaliter*, inquit, *JUDÆIS probibitus est esus omnis sanguinis, & adipis cujuslibet animalis; Sanguinis quidem, tum ad vitandam crudelitatem, ut detestarentur humanum sanguinem effundere. Tum etiam ad vitandum Idololatriæ Ritum, quia eorum consuetudo erat ne circa sanguinem congregatum adunarentur ad comedendum in honorem Idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse. Et ideo Dominus mandavit quòd sanguis effunderetur, & pulvere operiretur:* Nempe Levitici 17. 10. 11. 12. 13. 14. *Homo quilibet de domo Israël, & de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de Populo suo, quia anima carnis in sanguine est: & ego illum dedi vobis, ut super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit. Idcirco dixi filiis Israël: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem .. . Homo quicumque de filiis Israël, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, si venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, & operiat illum terrâ.* Ritum illum Idololatricum & Magicum comedendi super aut juxta sanguinem perstringi ab *Ezechiele* Prophetâ Cap. 33. 25. 26. non absque fundamento putat *Spencerus* Libro 2. *De Legibus Hebræorum Ritualibus*, Cap. 11. Sic habet Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus, Qui in sanguine comedistis, & oculos vestros levatis ad immunditias vestras, & sanguinem funditis, numquid terram hæreditate possidebitis? Stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, &c.* Scilicet cùm victimas Diis Inferis immolassent, & sanguinem in fossam effudissent, oculos suos ad eorum Idola, quæ immunditiarum nomine a Prophetâ designantur, cum fiduciâ tollebant, propitios sibi fore Manes, & Mortuorum Umbras sperantes, seque ab iis responsa eliciturus. Porrò in gladiis suis stabant, quòd persuasum haberent Necromantici Mortuorum Animas, quæ ad sanguinem bibendum vocatæ advolarent, mucronis stricti fulgore cohiberi, & in fugam dari. Unde apud *Homerum* Lib. 11. Odysseæ, *Tyresias* Vates ab *Ulysse* evocata, sic ipsum allocuta fingitur:

> *Sed retrocede a fossâ, & remove ensem acutum,*
> *Sanguinem ut bibam, & tibi vera dicam.*

Huc spectant & illa *Silii Italici*:

> ——————— *Contende tueri,*
> *Eductumque tene vaginâ interritus ensem.*
> *Quæcumque ante Animæ tendunt potare cruorem,*
> *Disjice,*

VII. Tertia Sacrificii species erat *Hostia pro peccato*, eoque per ignorantiam commisso; Quæ erat quadruplex, 1. Pro peccato Pontificis, quæ erat vitulus. 2. Pro peccato Populi, ex eodem animalium genere. 3. Pro peccato Principis, quæ erat hircus. 4. Pro peccato Plebeii, quæ erat capra vel ovis. Ritus Sacrificii pro peccato Pontificis aut totius Populi, hic erat: Adducebant vitulum absque maculâ ad ostium Tabernaculi, manus ipsi imponebant Sacerdos in priori, Seniores in posteriori Sacrificio. Eo mactato, Sacerdos hauriens de sanguine victimæ inferebat illum in Tabernaculum testimonii. Intincto deinde in sanguine digito, septies eo aspergebat velum Sancti Sanctorum. Quo aspersionum numero perfecta expiatio significabatur. Eodem sanguine cornua Altaris thymiamatis intingebat. Reliquum sanguinem fundebat in basim Altaris holocausti in introitu Tabernaculi. Adipem, duos renunculos, & reticulum super eos positum juxta ilia, adolebat super Altare holocausti, ut in Sacrificio Pacificorum. Pellem verò cum carnibus, capite, pedibus, intestinis, fimo, efferebat extra castra, & comburebat in loco, ubi cineres effundi solebant. Ritus hic quasi tacita erat oratio, quâ Pontifex Deum rogabat, ut sua vel Populi peccata, seu pœnas ipsis debitas, cum vitulo mactato veluti efferret extra castra, omnino abolenda, ne Populo imputarentur, eique nocerent. Significabatur præterea, *Peccatum a sacris septis alienum esse*,

*Hostia pro peccato, ejusque Ritus.*

ait

ait *Theodoretus Quæstione* 1. *in Leviticum*. Typicus etiam erat Ritus ille, Christum significans extra civitatem, in loco separato immolandum. Unde Apostolus ad Hebræos 13. 11. 12. 13. ait. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem Populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Pro peccato Sacerdotis & Populi similem victimam Lex præscribit, *Docens quanta sit Sacerdotii dignitas, quam universo Populo parem fecit*, inquit *Theodoretus*. In Sacrificio pro peccato Principis, aut plebeji, victima non comburebatur extra castra, nec sanguis ejus inferebatur in Tabernaculum, ut eo aspergeretur Altare thymiamatis. Hi Ritus *Levitici* 4. describuntur. Hostiarum pro peccatis ex silentio veritatis, immunditiâ, errore, juramento; Item pro peccatis ex certâ scientiâ commissis, speciales Ritus erant, Capp. 5. & 6. *Levitici* descripti.

Qui Sacrificia expiatoria pro peccatis suis offerebant, pœnitentiam debebant agere, & peccati confessionem edere his ferè verbis: *Ecce pœnitet me, & pudet me operum meorum. Numquam revertar ad istam rem.*

Qui duos turtures, vel duos pullos columbarum offerebat pro peccato ex oblivione juramenti commisso, cùm agnam sive capram comparare non posset, unum pro peccato, & alterum pro holocausto offerre debebat. *Sacrificium* namque *pro peccato sine holocautomate non offerebatur*, inquit *S. Augustinus Quæstione* 4. *in Leviticum*. Sed prius offerebatur *pro peccato*, deinde holocaustum. Utrumque Christi figura erat, *Qui tum pro nobis mortuus est, tum in odorem suavitatis Patri ut holocaustum oblatus, & se ipsum pro universorum vitâ pretium impendit*: [inquit] *S. Cyrillus Alexandrinus Lib.* 15. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*.) Non dividebantur hujusmodi *aviculæ*, ut significaretur *Christi mortem non divisionem invexisse, sed mutuam inter nos unitatem*. Tabernaculum avis sanguine respergebatur, quo significabatur *Christum sanctificare Ecclesiam suo sanguine*. Ita *S. Cyrillus*.

Si nec turtures, nec pulli columbarum, præ paupertate suppeterent, exiguam similam pro peccato offerebat peccator, sine oleo, & thure. (*Levitici* 5. 2.) Cujus Ritus rationem *Theodoretus* affert. *Oleum enim lætitiam indicat, thus autem suavem odorem: Quorum utroque privatum est peccatum.*

Qui sponte peccaverant, aut depositum acceptum denegaverant, aut injuriâ quapiam illatâ proximo peccatum atrocius pejerando reddiderant, imprimis restituere tenebantur injuriam passis ea quæ iniquè abstulerant, & præter sortem quintam ejus partem. Deinde arietem offerre ad placandum Deum. (Levitici 6.) Quod *Zacchæus* præstitit. Reddidit enim quæ rapuerat iniquè, quadrupla: Deinde bonorum suorum dimidium dedit pauperibus.

In Altari Holocaustorum victimæ quoque pro peccato offerebantur, *Ad consolationem offerentium, ut cognoscerent se non esse alienos a Sanctis, cùm per pœnitentiam sanabantur*. Ita *Theodoretus* Quæstione 4. in *Leviticum*.

*Ordo dignitatis inter Sacrificia.*

VIII. *Inter omnia Sacrificia holocaustum erat præcipuum; quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Secundum verò locum in sanctitate tenebat hostia pro peccato, quæ comedebatur solùm in atrio a Sacerdotibus in ipsâ die Sacrificii. Tertium gradum tenebant hostiæ pacificæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur ipso die, sed ubique in Jerusalem. Quartum locum tenebant hostiæ pacificæ ex voto, quarum carnes poterant etiam in crastino comedi.* Ita *S. Thomas Primâ Secundæ, Quæstione* 102. *Articulo* 3. *ad* 10. Rationemque affert hujus ordinis: *Quia maximè obligatur homo Deo propter ejus Majestatem: Secundò propter offensam commissam: Tertiò propter beneficia jam suscepta: Quartò propter beneficia sperata.* Carnes porrò victimæ Pacificorum in tertium diem servatas comedere nefas erat. Si quis comederet, irrita fiebat oblatio, nec proderat offerenti, ut dicitur *Levitici* 7. 18. Rationem Legis *Theodoretus* affert Quæstione 6. in Leviticum *Vult eos*, inquit, *non solos epulari, sed etiam egenis de carnibus largiri. Idcirco primâ quidem & secundâ die de carnibus illis sumere jubet, quæ autem supersunt, igni mandari: Ut istâ necessitate compulsi, pauperes convivii sui socios habeant.*

*Omnis victima a Sacerdotibus proprio nomine oblata, igne penitus consumenda erat.*

IX. Omne Sacrificium Sacerdotum igne penitus consumendum erat, id est, omnis victima a Sacerdotibus proprio nomine oblata. (*Levitici* 6. 23. Rationem affert *Theodoretus*, Quæstione 3. in *Leviticum*: Id enim verò Lex præcepit, *Ut perfectum Sacerdotem esse demonstraret, qui non aliquatenus, sed totum planè se dedicaverit Deo universorum*.

*Qui carnes victimæ tetigerat, vel ejus sanguine fuerat aspersus, sanctificabatur.*

X. Quicumque carnes victimæ tetigerat, vel ejus sanguine fuerat aspersus sanctificabatur, & vestis illius lavabatur in loco sancto [*Levitici* 6. 27.] Ad reverentiam sacris conciliandam lex ea pertinebat, interprete *Theodoreto* Quæstione 5. in Leviticum. *Reverentiam*, inquit, *illos docet, ac jubet rebus divinis assistere cum timore, & procul a Sacris stare imperat. Eum autem qui ausus fuerit appropinquare, & guttam sanguinis receperit, præcipit Templo assidere, quasi sui dominus amplius non sit. Assidere, inquam, non ut Sacra faciat, sed ut aliquo alio ministerio fungatur. Propterea vestimenta, quæ guttis hujusmodi sanguinis respersa fuerint, lavari jubentur.*

## ARTICULUS III.

### DE LEGIBUS CÆREMONIALIBUS Sacrorum.

### § I.

*De Rationibus hujusmodi Legum.*

PROPOSITIO I. GENERALIS.

*Ad reverentiam singularem Deo ejusque Sacris, ac Ministris conciliandam, necnon ad Mysteria Christi significanda, latæ sunt Leges Cæremoniales Sacrorum.*

I. HAnc Propositionem explicatione magis quàm probatione indigentem illustrat *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 6. *Totus*, inquit, *exterior cultus Dei ad hoc præcipuè ordinatur, ut homines Deum in reverentiâ habeant. Habet autem hoc humanus affectus, ut ea quæ communia sunt, & non distincta ab aliis, minùs revereatur: Ea verò quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur, & revereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inolevit, ut Reges & Principes, quos oportet in reverentiâ haberi a subditis, & pretiosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes possideant. Et propter hoc oportuit, ut aliqua specialia tempora, & speciale Tabernaculum,*

*lum, & specialia vasa, & speciales Ministri ad cultum Dei ordinarentur: Ut per hoc animi hominum ad majorem Dei Reverentiam adducerentur.*

*Similiter etiam status Veteris Legis institutus erat ad figurandum Mysterium Christi. Oportet autem esse aliquid determinatum id, per quod aliquid figurari debet, ut scilicet ejus aliquam similitudinem repræsentet. Et ideo oportuit aliqua specialia observari in his, quæ pertinent ad cultum Dei.*

Primam partem explicationis suæ fundavit procul dubio *S. Thomas* in lege illâ generali a Deo latâ Levitici 19. 30. *Sanctuarium meum metuite: Ego Dominus.* Ad quam Legem attendens *Maimonides* in *More Nevochim*, P. 3. Cap. 45. ait: *Nosti quàm sollicitè & vehementer Lex laboret magnificentiam & venerationem Sanctuarii nobis persuadere.*

Alteram explicationis suæ partem fundavit Doctor Angelicus in illo Apostoli loco ad *Hebræos* 8. 4. 5. ubi ait, eos *Qui offerebant secundùm Legem munera, exemplari & umbræ deservisse cœlestium. Sicut responsum est Moisi, cùm consummaret Tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in Monte.*

II. Idem S. Doctor disserens de cortinis & pellibus, quæ Tabernaculum interiùs exteriùsque tegebant, in responsione ad 7. ait: *Horum operimentorum ratio literalis in communi erat ornatus & protectio Tabernaculi, ut in reverentiâ haberetur.... Figuralis autem ratio horum est, quia per tabulas, ex quibus construebatur Tabernaculum, significantur Christi Fideles, ex quibus construitur Ecclesia. Tegebantur autem interiùs tabulæ cortinis quadricoloribus, quia Fideles interiùs ornantur quatuor virtutibus. Nam in bysso retortâ significatur caro castitate renitens: In hyacintho, mens supernâ cupiens: In purpurâ, caro passionibus subjacens: In cocco bis tincto, mens inter passiones, Dei & proximi dilectione præfulgens. Per operimenta verò tecti, designantur Prælati & Doctores, in quibus debet renitere cœlestis conversatio, quod significatur per pelles hyacinthinas. Promptitudo ad Martyrium, quod significant pelles rubricatæ: Austeritas vitæ & tolerantiæ adversorum, quæ significantur per saga cilicina, quæ erant exposita ventis & pluviis.* Hanc allegoriam Glossæ Ordinariæ debere se fatetur *S. Thomas*. Hæc verò ex *Bedâ* sumpta est Libro 2. *De Tabernaculo.*

Exod. 25.

III. In Responsione ad 9. docet Deum Sacrorum suorum honori prospexisse, jubendo ut Tabernaculum, Arca, Altaria, Vasa, universaque suppellex ad cultum Tabernaculi pertinens, sanctificaretur, & unctione sacrâ a communi rerum cæterarum sorte eximeretur. Lex habetur *Exodi* 30. 25. & seq. *Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, & unges ex eo Tabernaculum testimonii, & Arcam testamenti, Mensamque cum vasis suis, candelabrum & utensilia ejus, Altaria thymiamatis, & holocausti, & universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabisque omnia & erunt Sancta Sanctorum: Qui tetigerit ea, sanctificabitur.* Legis verò rationem breviter tradit *S. Thomas* loco mox laudato: *Sanctificatio*, inquit, *Tabernaculi, & vasorum ejus habebat causam literalem, ut in majori reverentiâ haberetur, quasi per hujusmodi consecrationem divino cultui deputatum. Figuralis autem ratio est, quia per hujusmodi sanctificationem significatur spiritualis sanctificatio viventis Tabernaculi, scilicet Fidelium, ex quibus constituitur Ecclesia Christi.*

IV. Ad reverentiam Sacrorum promovendam latæ sunt a Deo Leges de variis immunditiarum speciebus, quæ homines ab aditu Sanctuarii prohibebant, & quarum nonnullæ nonnisi cum multo laboris & temporis impendio tolli poterant, ut observat *Maimonides* in *More Nevochim* P. 3. Cap. 47. Hanc legalium pollutionum rationem affert *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 5. *Istarum*, inquit, *immunditierum erat ratio & literalis & figuralis. Literalis quidem, propter reverentiam eorum, quæ ad divinum cultum pertinent: Tum quia homines pretiosas res contingere non solent, cùm fuerint immundi: Tum etiam ut ex raro accessu ad Sacra, ea magis venerarentur. Cum enim omnes hujusmodi immunditias rarò aliquis cavere posset, contingebat quòd rarò poterant homines accedere ad attingendum, ea quæ pertinebant ad divinum cultum; & sic quando accedebant, cum majori reverentiâ & humilitate mentis accedebant.* Dei Sanctuarium ædes omnes vulgares sanctitate & excellentiâ longè antecellere cuivis colligere facile erat, cùm nullis nisi sollicitè purgatis ad illud accedere concessum esset.

V. Honori Sacrorum pariter consuluit Deus, latâ Lege de Sacerdotibus insigni aliquo corporis vitio & fœditate notatis a Tabernaculi ministerio & ingressu prohibendis; Levitici 21. 16. & seq. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: Si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbu, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo: Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario, ita dumtaxat ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad Altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos.* Deus Regum instar se gessit, qui Ministros oris & corporis elegantiâ conspicuos eligunt ad conciliandam Majestati suæ reverentiam: Servos verò quibus facies illiberalis est, & deforme corpus, rejiciunt, ne Majestas sua in conspectu plebis minuatur. Ita Deus Sacerdotes fœdos & visu deformes a Tabernaculi ministerio & ingressu prohibuit, ne plebejis vix ultra superficiem penetrantibus minùs honorificè de ejus Sanctuario sentiendi occasionem præberent. Sic enim affectum est vulgus, ut ob externam corporis speciem personam & ejus officium plerumque spernat aut veneretur. Hinc *Q. Curtius* ait: *Plerisque Gentibus ingens in corpore veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos specie egregiâ & eximiâ natura donavit.*

Ad Sanctuarii reverentiam conservandam, & Religionis honorem tuendum, lege etiam latâ a Deo sancitum est, ne quis Altari ministraret, nisi e Tribu Leviticâ & *Aaronis* familiâ genus duceret, (*Exodi* 38. 1. *Numerorum* 1. 51. III. 38. XVIII. 4.) Natalium enimverò claritas multum venerationis conciliat iis, qui publica Munera obeunt, & ad Ecclesiæ vel Reipublicæ Dignitates provehuntur. Ne igitur Sacer Ordo vilesceret si ex infimâ plebe Sacerdotes assumerentur, voluit Deus ut nemo Sacerdotio fungeretur, nisi ex nobili Aaronis genere oriundus. Ad eundem finem, latæ sunt Leges de magnificis Pontificis, aliorumque Sacerdotum vestibus, ut Populus tam splendido præstrictus apparatu singularem Sacris personis reverentiam exhiberet. Hoc ipsius Legis verba perspicuè indicant, Exodi 28. 2. 3. *Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.* Et v. 40. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, & thia-*

*thiarat in gloriam & decorem*. De Legum istarum fine *S. Thomam* loquentem audiamus Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 5. ad 10. *Intentio Legis*, inquit, *erat inducere ad reverentiam divini cultûs, & hoc dupliciter. Uno modo, excludendo a cultu divino omne id quod poterat esse contemptibile. Alio modo, apponendo ad cultum divinum omne illud quod videbatur ad honorificentiam pertinere. Et si hoc quidem observabatur in Tabernaculo, & vasis ejus, & animalibus immolandis; multò magis hoc observandum erat in ipsis Ministris. Et ideo ad removendum contemptum Ministrorum, præceptum fuit, ut non haberent maculam, vel defectum corporalem: Quia hujusmodi homines solent apud alios in contemptu haberi. Propter quod etiam institutum fuit, ut non sparsim ex quolibet genere ad Dei Ministerium applicarentur, sed ex certâ prosapiâ secundùm generis successionem, ut ex hoc clariores & nobiliores haberentur. Ad hoc autem quòd in reverentiâ haberentur, adhibebatur eis specialis ornatus vestium, & specialis consecratio, & hæc est in communi causa ornatûs vestium.*

VI. Typicam nihilominus rationem affert *S. Thomas* cur a Sanctuarii aditu & Ministerio Sacerdotes corpore deformes arcerentur. *Nam*, inquit, *maculæ, vel defectus corporales, a quibus debebant Sacerdotes esse immunes, significant diversa vitia & peccata, quibus debent carere. Prohibebatur enim esse cæcus, id est, ne sit ignorans. Ne sit claudus, id est, instabilis & ad diversa se inclinans. Ne sit parvo, vel grandi, vel torto naso, id est, ne per defectum discretionis vel in plus vel in minus excedat, aut etiam aliqua prava exerceat. Ne sit fracto pede, vel manu, id est, ne amittat virtutem bene operandi, vel procedendi in virtutem. Repudiatur etiam si habeat gibbum vel antè vel retro: Per quem significatur superfluus amor terrenorum. Si est lippus, id est, per carnalem affectum ejus ingenium obscuratur. Repudiatur etiam si habeat albuginem in oculo, id est, præsumptionem candoris justitiæ in suâ cogitatione. Repudiatur etiam si habeat jugem scabiem, id est, petulantiam carnis. Et si habuerit impetiginem, quæ sine dolore corpus occupat, & membrorum decorem fœdat: Per quam avaritia designatur. Et etiam si sit herniosus, vel ponderosus: Qui scilicet gestat pondus turpitudinis in corde, licèt non exerceat in opere.* Hæc ex *S. Gregorio Magno* 1. P. *Pastoralis* Cap. ultimo sumpsit *S. Thomas*, quoad sensum quidem, non quoad verba; ex *S. Cyrillo Alexandrino* Lib. 12. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, & *Theodoreto* Quæstione 30. in *Leviticum*. Varietatis etiam ac splendoris vestium Sacerdotalium rationes mysticas affert *S. Thomas*: Quas strictim attingemus inferiùs.

VII. Ad Sacerdotalis Ordinis & Sacrorum reverentiam pariter spectat Lex de Sacerdotum Matrimonio lata, quâ præceptum est ut virginem ducerent uxorem, non viduam, repudiatam, meretricem, aut ullam pudicitiæ suspectæ feminam, ne quid labis ac dedecoris hujusmodi conjugium sacris Ministris affricaret, ex quo Sacra omnia in contemptum venirent. Levitici 21. 13. 14. 15. *Virginem ducet uxorem: Viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de Populo suo: Ne commisceat stirpem generis sui vulgo Gentis suæ: Quia ego Dominus qui sanctifico eum.* Et 5. 7. *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito: Quia consecrati sunt Deo suo, & Panes Propositionis offerunt. Sint ergo Sancti, quia & ego Sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.*

## §. II.

*De Tabernaculi Origine.*

### PROPOSITIO II.

*Tabernaculum ex profanâ Gentium Religione originem non duxit, sed ex Dei sapientiâ & voluntate.*

HUjus Propositionis veritas contra *Spencerum* probatur ex Cap. 25. Exodi, V. 8. *Facientque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum: Juxta omnem similitudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum ejus: Sicque facietis illud, &c.* Et V. 40. *Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in Monte monstratum est.* Et Actuum 7. 40. *Tabernaculum testimonii fuit cum Patribus nostris in Deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundùm formam, quam viderat:* Non secundùm formam quam viderat in Ægypto, aut quæ a Gentibus Idololatriæ deditis accepta esset, sed secundùm formam in Sacro Monte a Deo ostensam & præscriptam.

Confirmatur ex eo quòd Deus Tabernaculum extrui jusserit, velut *Ecclesiæ Christi typum*, ut explicat *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 9. & 10. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*. Non est autem verisimile quòd ex profanis Gentium Religionibus, Ecclesiæ typos Deus mutuatus sit. *Spencerì objectiones.*

Objicit *Spencerus* Lib. 3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Dissertatione 1. Ægyptiis & aliis Gentibus in more fuisse, Deorum imagines, aut eorum symbola, in thecis aut tentoriis collocata circumferre; vel ut eos honore singulari colerent; vel ut eos haberent individuos viarum & periculorum suorum comites. Cùm autem morem illum tollere non ita promptum esset, Deo visum esse ad seculi morem & modulum se demittere, in Tabernaculo habitare, Tabernaculum etiam Ministris ejus circumferendum tradere. Id ex *Amos* Prophetâ Cap. v. V. 25. 26. probat: *Numquid hostias & Sacrificium obtulistis mihi in Deserto quadraginta annis, domus Israël? Et portastis Tabernaculum Moloch vestro, & imaginem Idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus.* Quem locum *S. Stephanus* Protomartyr [ Actuum 7. ] in concione ad Judæos profert: *Et Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum. Convertit autem Deus & tradidit eos servire Militiæ Cœli, sicut scriptum est in Libro Prophetarum: Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in Deserto, domus Israël? Et suscepistis Tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.* Ex quibus infert *Spencerus* Tabernaculum *Molochi*, Dei Tabernaculo principium tribuisse: Cùm Deus ideo Tabernaculum portatile fieri, & Sacra præ foribus ejus offerri jusserit, ut *Molochi* Ritus longo usu confirmatos ad cultum suum transferret.

Id confirmat *Spencerus* ex similitudine & affinitate quæ inter Tabernaculum testimonii, & Tabernaculum *Molochi* intercessit. Verisimile autem non est, Israëlitas jam ad Idola lapsos, Dei Tabernaculum imitari, vel cùm Tabernaculum Archetypum præsto esset, aliud ad illius imaginem factum circumferre voluisse. Ratio itaque sentire cogit, Ægyptios, aut alias Gentes, non minùs

Mo-

*Molochi* Tabernaculum, quàm *Molochi* nomen & cultum primos excogitasse; & Deum Israëlitis Tabernaculum circumgestandum concessisse, ut Ritibus antiqui moris imaginem aliquam præferentibus, eos ad cultum suum alliceret, & arctè devinciret.

Secundò id confirmat *Spencerus*, ex eo quòd Gentes *Molochum* adorasse, & illius Tabernacula circumgestasse videantur, diu antequàm Israëlitæ Deum Tabernaculo mediante colerent. *Molochi* enim Tabernaculum theca erat parvula Templi formam & vicem gerens, quales erant ædiculæ illæ argenteæ *Actuum 19.* memoratæ, Templi Ephesini formam exprimentes, & Imaginem *Dianæ Sospitali* sacratam continentes. Templa verò, hujusmodi Tabernaculorum exemplaria, *Mosis* ætate vetustiora fuisse, multis argumentis evinci potest. Testem alibi advocat *Diodorum Siculum*, Lib. 1. memorantem, *Osirin* perantiquum illum Ægypti Deum *Jovi* & *Junoni* Templum magnitudine & sumptu nobile: Fana insuper duo *Jovi* aurea, majus Cælesti, minus ei quem *Ammonem* vocant, dedicasse: Statuisse etiam Diis aliis Templa aurea. Meminit etiam quatuor Templorum ab antiquissimis Ægypti Regibus incredibili magnificentiâ Heliopoli extructorum. *Lucianus* Templum *Deæ Syræ* sacrum memorans, ait: *Plerique à Deucalione structum dicunt hoc Templum, eo scilicet Deucalione, cujus ætate vis aquarum fuit maxima.* Ægyptios primos Diis, & Aras, & Simulacra, & Templa statuisse scribit *Herodotus* in *Euterpe*, Cap. 4. *Artapanus* apud *Eusebium* Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 27. refert, Domos universas, & *Templorum pleraque* in Ægypto corruisse, cùm Ægyptii grandine & terræ motu a *Moyse* affligerentur. *Lysimachus* apud *Josephum Libro* 1. *adversùs Apionem*, ait *Moysen* & ejus comites ubique *Deorum Templa & Aras, in quas inciderent, evertisse.* Hebræi Veteres locum illum, *Et in Deos eorum fecit Dominus Judicia*, de Templis in Ægypto tunc temporis eversis interpretati sunt. *Hebræi* (inquit *S. Hieronymus* ad *Fabiolam* scribens de 40. Mansionibus) *autumant, quòd nocte quâ egressus est Populus, omnia in Ægypto Templa destructa sunt.* Ipsis nascentis Idololatriæ incunabulis coæva fuisse Templa, & Sideribus primùm extructa fuisse, *Maimonides* asserit. Templa denique apud Gentes profanas jam extructa fuisse Mosaicis temporibus, *Spencerus* colligit ex *Levitici* 26. 30. ubi Deus ait: *Destruam Excelsa vestra, & simulacra confringam.* Et Numerorum 33. 52. *Confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia Excelsa vastate.* Hunc & alios locos ei cognatos in animo volvens *Josephus* Deum sic Israëlitas alloquentem introducit Lib. 4. Antiquitatum: *Præterea lucos & Aras, & Templa quotquot habent Cananæi, ad unum tolli jubeo, ferroque & flammis ita deleri, ut etiam memoria eorum omnis aboleatur.*

Denique contendit *Spencerus* Dissertatione 6. Sect. 4. Tabernaculi fabricam Gentis Israëliticæ voluntati & æmulationi, magis quàm Dei voluntati vel præcepto adscribendam esse. Prima namque Dei verba de Tabernaculo extruendo facta (inquit) permittentem potiùs, quàm præcipientem sonare videntur, Exodi 25. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël ut tollant mihi primitias: Ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas.*

*Speneeri objectiones solvuntur.* Respondetur, Prorsus incertum esse an mos ille Gentium Deorum Imagines in Tentoriis aut Ædiculis seu Templis portatilibus circumgestandi, sit *Mose* antiquior, vel coævus, cùm nullus Auctor proferri possit *Mose* vetustior, aut *Mosi* suppar, qui rerum istarum fidem faciat. Ex Scripturâ autem Sacrâ non constare, an Tabernaculum *Moloch* Israëlitæ portaverint in Deserto. Id non probare obscurissimum *Amosi* locum, aut Protomartyris *Stephani* illum recensentis sententiam: Imò potiùs ex iis colligi, circumgestationem illam Tabernaculi *Moloch* velut in pompâ, factam in Deserto non fuisse, quæ ad id tempus refertur quo Israëlitæ *in Damascum*, ut ait, *Amos*, vel in Babylonem, ut ait *S. Stephanus*, in pœnam hujus Idololatriæ translati sunt. Præterea nullibi in Pentateucho Tabernaculi *Moloch* ab Israëlitis suscepti vel circumlati mentio occurrit, cùm tamen cœtera ipsorum sacrilegia silentio *Moyses* non prætererit. Nec verisimile est ipsos Tabernaculum *Moloch* circumferre potuisse, quo tempore veri Dei Tabernaculum gestabant, & publico solemnique cultu prosequebantur, quin *Moyses* illud statim confregisset, in cineremque redegisset, ac zelo gloriæ Dei succensus, in Idololatras animadvertisset; sicut Vitulum aureum confregit, in cineres redegit, ejusque cultores delevit. Rem porrò tam memorandam in Historiâ Sacrâ non prætermisisset. Longè ergo probabiliùs est, Diabolum divinos honores usurpantem Idololatris inspirasse ut Tabernacula, & Ædiculas Numinibus suis extruerent, ad similitudinem Tabernaculi Mosaici. Quamquam similitudo & affinitas, quam inter *Molochi* & veri Dei Tabernaculum intercessisse ait *Spencerus*, non probetur. Mosaici enim Tabernaculi formam *Exodi* 25. 26. 27. descriptam habemus: Formam verò Tabernaculi *Moloch* nullibi descriptam invenimus. Et Tabernaculum in quo Deus coli voluit, factum est secundùm exemplar, quod Deus Moysi in Monte Sancto monstravit, non secundùm formam Tabernaculi *Moloch*.

Templorum conditorum epocha incerta est. Quæ a *Diodoro Siculo*, *Herodoto*, & *Luciano* de eorum initiis narrantur, dubitanter asseruntur, ex incertis vulgi rumoribus. *Excelsa*, de quibus mentio in Pentateucho, Altaria potiùs fuere in montibus vel lucis excelsis extructa, quàm Templa. Ut ut est, ad hujusmodi Templorum instar non constructum est Tabernaculum Dei viventis: Siquidem Templa Gentilium ab ultimâ penè rerum suarum memoriâ supra Heroum, quos in Deorum censum referebant, sepulcra condebantur, ut Heroum Animas circa eorum sepulcra (ut cæca Gentilitas credebat) corporum suorum sensu & amore oberrantes, hospitio exciperent. Quâ de re legendi sunt *Clemens Alexandrinus* in Cohortatione ad Græcos, & *Eusebius* Lib. 2. *Præparationis Evangelicæ* Capit. 6. ubi fusè probant, *Sepulcra mortuorum esse, quæ Deorum Templa nominantur.* Idem multis exemplis confirmat *S. Cyrillus Alexandrinus Lib.* 10. *contra Julianum* p. 341. & 342. His consona sunt illa *Prudentii* verba Lib. 1. contra *Symmachum*:

> *Et tot templa Deûm Romæ, quot in Urbe sepulcra*
> *Heroum numerare licet.*

Dei autem viventis Tabernaculum, sive Templum portatile, similem originem habuisse nemo dixerit. Regis Maximi Palatio quàm defuncti hominis Monumento similius erat, ut explicat *Rabbi Schem Toob*, Commentar. in *More Nevochim* Maimonidis. *Deus*, inquit, *talem sibi Domum condi jussit, qualis esse solet Domus Regia. In Domo Regiâ, hæc omnia quæ diximus reperiuntur. Alii scilicet qui custodiant Palatium ejus. Alii qui fungantur Officiis ad Regiam Dignitatem pertinentibus, qui epulas instruant, aliaque faciant Regiæ necessaria. Alii denique qui voce quotidie fidibusque canant. Est etiam in Domo Regiâ locus*

ad

*ad cibos apparandos constitutus. Item locus ubi odoramenta adolentur. Est etiam mensa in domo ejus itemque conclave ipsi proprium, quò nemo pervenit nisi qui ei secundus est, quosque in maximè charis habet. Eumdem admodum voluit Deus ut hæc omnia in suâ Domo inessent, ne quâ in re terrarum Regibus concederet: Est enim ille Rex Magnus, ut his quidem rebus non indigeat. Verùm hinc facilè elucet ratio victûs familiaris Sacerdotibus & Levitis dati, utpote quem Rex quisque Ministris suis suppeditare solet. Atque hæc omnia eò spectabant, ut intelligeret vulgus, Regem, nempe Dominum Exercituum inter nos versatum esse. Est enim ille Rex Magnus, omnibusque Gentibus metuendus.* Hinc Dei Regisque nomina vero Deo in Veteri Testamento conjunctim sæpiùs attributa, ut Psalmo 67. 25. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto.* Psalmo 88. 19. *Quia Domini est assumptio nostra, & Sancti Israël Regis nostri.* Psalmo 94. 3. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Psalmo 97. 6. *Jubilate in conspectu Regis Domini.* Psalmo 43. 5. *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* Psalmo 5. 2. *Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus.* Isaiæ 43. 15. *Ego Dominus Sanctus vester, creans Israël Rex vester.* Zachariæ 14. 16. 17. *Et omnes qui reliqui fuerint de universis Gentibus quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum Exercituum, & celebrent Festivitatem Tabernaculorum: Et erit. Qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret Regem, Dominum Exercituum, non erit super eos imber.* Malachiæ 1. 14. *Quia Rex magnus ego, dicit Dominus Exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.* Denique quamvis *Molochi* aut falsorum aliorum Numinum thecæ, Tabernacula, Ædiculæ, seu Templa portatilia in usu fuissent apud Ægyptios, Ammonitas, Moabitas, aliasve Gentes, antequàm Deus ab Israëlitis in Tabernaculo coleretur, quod tamen *Spencerus* non probavit, minimè sequeretur Deum ad mores Gentium se demisisse, cùm Tabernaculum fieri jussit, aut ad *Molochi* Tabernaculum respectum habuisse: Sed potiùs Tabernaculum extrui præcepisse formâ ac fine prorsus dissimile, & cujus omnis apparatus esset veluti *Liber sapientiæ sublimioris, & rei gloriosæ ad quam ista referuntur*, (ut ait *Abarbanel*) Deum, inquam, id præcepisse ad Idololatriam destruendam, & Israëlitas cultui suo arctiùs devinciendos, consultiùs colligitur cum *Theodoreto* Quæstione 60. in Exodum. *Quare*, inquit, *jussit construi Tabernaculum? Rationem reddidit ipse Dominus Deus dicens*: Et conficies mihi
„ Sanctuarium, & apparebo apud vos. Faciesque
„ juxta omnia quæ ego demonstro tibi in Monte, juxta similitudinem Tabernaculi, & juxta
„ similitudinem omnium vasorum ipsius. *Cùm enim dedisset Legem in Monte Sina, verisimileque esset quosdam existimaturos divinum Numen loco circumscribi, jussit sibi construi Tabernaculum, ut inde apparens, doceret Populum cultum pietatis. Sicut enim acceptâ ab eis Terrâ promissionis Templum ædificari sibi jussit, legem dedit celebrandorum ibi divinorum officiorum, ne arbitrium suum secuti in his peragendis, prolaberentur in erroneum cultum Dæmonum: Ita peregrinantibus illis ac desertum transeuntibus, Tabernaculum ædificari præcepit, quod facilè transferri posset, in quo preces & Sacrificia offerrent. Et hæc eorum gratiâ gesta sunt. Quia enim, cùm magnus ille Moses per multos dies in Monte moraretur, Aaronem ita sunt allocuti*, Fac nobis Deos, qui præcedent nos: *& imagine vituli conflatâ, ducentes choreas clamabant*, Hi
„ sunt Dii tui Israël, qui eduxerunt te de Terrâ Ægypti: *Tabernaculum hoc fieri mandavit Deus, & proficiscentibus illis praire jussit, & stationem habentibus subsistere: Quò Sacerdotes in eo Sacrificia peragere possent.* Quamvis autem primitiarum oblatio ad constructionem Tabernaculi, Israëlitarum voluntati a Deo relicta sit, constructio tamen Templi illius portatilis *Mosi* a Deo præcepta est, ut ex laudatis Scripturæ Sacræ locis liquidò constat, & ex Cap. 35. 29. *Omnes viri & mulieres mente devotâ obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ jusserat Dominus per manum Moysi.* Et ex Cap. 38. Vers. 21. 22. *Hæc sunt instrumenta Tabernaculi Testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in Cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron Sacerdotis: Quæ Beseleel, Domino per Moysen jubente, compleverat.* Exod. 32.

Quod ait *Theodoretus*, Israëlitarum gratiâ præcepisse Deum Tabernaculi structuram, magis explicat *S. Thomas* Primâ Secundæ Quæstione 102. Articulo 4. ad 1. *Cultus*, inquit, *Dei duo respicit, scilicet Deum, qui colitur, & homines colentes. Ipse igitur Deus qui colitur, nullo corporali loco clauditur: Unde propter ipsum non oportuit speciale Tabernaculum fieri, aut Templum. Sed homines ipsum colentes, corporales sunt, & propter eos oportuit speciale Tabernaculum, vel Templum instrui ad cultum Dei, propter duo. Primò quidem, ut ad hujusmodi locum convenientes cum hac cogitatione quòd deputaretur ad colendum Deum, cum majori reverentiâ accederent. Secundò, ut per dispositionem talis Templi vel Tabernaculi significarentur aliqua pertinentia ad excellentiam divinitatis, vel humanitatis Christi. Et hoc est quod Salomon dicit* 3.
„ *Reg.* 8. Si cœlum, & cœli cœlorum te capere
„ non possunt, quantò magis Domus hæc quam
„ ædificavi tibi? *Et postea subdit*: Sint oculi tui
„ aperti super domum hanc, de quâ dixisti, Erit
„ nomen meum ibi: Ut exaudias deprecationem
„ Servi tui, & Populi tui Israël. *Ex quo patet, quòd domus Sanctuarii non est instituta ad hoc quòd Deum capiat quasi localiter inhabitantem: Sed ad hoc quòd nomen Dei inhabitet ibi, id est, ut notitia Dei ibi manifestetur per aliqua quæ ibi fiebant, vel dicebantur: & quòd propter reverentiam loci orationes ibi fierent magis exaudibiles ex devotione orantium.* Hæc Israëlitarum fides fuit, Gentium errori opposita, qui Deos suos Templis & Simulacris astrictos & inclusos credebant, ut constat ex *Menandro* in *Heniocho*, id est, *Aurigâ*, scribente:

*Istos vagantes non probo foris Deos:*
*Nullus domum deferens in albo meo scribitur.*
——————*Decet justum Deum*
*Domi manere, ut servet statuentes eum.*

Convenientius porrò fuisse statui Populi Judaici, antequàm Regem haberet, Tabernaculum quàm Templum, docet *S. Thomas* Articulo mox laudato, ad 2. Populo scilicet in Deserto ambulanti, vel in Terrâ Chanaan variis bellis cum finitimis Gentibus impedito, Templum ædificari non debuit, ob tres rationes a *Rabbi Moyse* allatas. 1. *Ne Gentes appropriarent sibi locum illum.* 2. *Ne gentes ipsum destruerent.* 3. *Ne qualibet Tribus vellet habere locum illum in sorte suâ: & propter hoc orirentur lites & jurgia. Et ideo non fuit ædificatum Templum, donec haberent Regem, per quem posset hujusmodi jurgium compesci. Antea verò ad cultum Dei erat ordinatum Tabernaculum portatile per diversa loca, quasi nondum existente determinato loco divini cultûs. Et hæc est ratio litteralis diversitatis Tabernaculi & Templi.* Rationem typicam subdit *S. Thomas*: Per Tabernaculum scilicet, quod erat mobile, *significatur status præsentis vitæ mutabilis*: Per Templum verò

rò, quod erat fixum & stabile, *significatur status futuræ vitæ quæ omnino immutabilis est*. Vel, per Tabernaculum, *significatur status Veteris Legis:* Per Templum autem a *Salomone* constructum, *status Novæ Legis. Unde ad constructionem Tabernaculi soli Judæi sunt operati: Ad ædificationem verò Templi cooperati sunt etiam Gentiles, scilicet Tyri & Sidonii.*

---

## §. III.

*De structurâ Tabernaculi, seu præcipuis illius Partibus, Areâ, Cherubim, Altaribus.*

I. TAbernaculi structuram, partesque singulas, non dicam exponere, sed vel describere, longioris foret operæ. Consulantur cum *Exodi* Capitibus 25. 26. 27. 36. 37. & 38. *Josephus* Lib. 3. *Antiquitatum* Cap. 5. 6. 7.. *S. Augustinus* Quæstione 177. in Exodum, *Venerabilis Beda*, & *Richardus a Sancto Victore*, Lib. *De Tabernaculo*, *Tostatus* Commentario in Exodum, *Ribera* Lib. 1. De Templo, *Villalpandus* Tomo 2. in *Ezechielem*, in descriptione Templi, aliique Scripturæ Sacræ Commentatores. Ego strictim, ut Historicum, & Dissertatorem Ecclesiasticum decet, Tabernaculi structuram secundùm præcipuas illius partes delineabo.

II. Tabernaculum tribus partibus constabat. Prima, quæ exterior, erat *Atrium*; Secunda, *Sancta*; Tertia, *Sancta Sanctorum*. Atrium longum centum cubitis, & latum quinquaginta, suis tabulis cortinisque cinctum, sub dio positum erat. Sancta quadrangula erant, longa viginti, lata decem cubitos, oppanso velo a Sanctis Sanctorum divisa, de quo *Exodi* 26. 31. 32. 33. Sancta Sanctorum quadratæ erant figuræ, longitudinis & latitudinis decem cubitorum. Atrium bipartitum erat, unum exterius in quo stabant Laici: Aliud interius, exiguo septo seu muro altitudinis trium cubitorum a priori divisum, ita ut oculis Populi paterent quæ in eo agebantur. In hoc erat Labrum æneum, factum ex speculis mulierum, quæ excubabant per vices in ostio Tabernaculi; & Altare holocaustorum. In Labro æneo manus pedesque lavare tenebantur Sacerdotes Tabernaculum ingressuri, & ad Altare, ut thymiama offerrent, accessuri. Lotionis hujus ritum negligentibus mortem Lex comminatur. *Ne fortè moriantur*. (Exodi 30. 21. 1.) Ritus hic puritatem & innocentiam significabat, quâ Sacris operam dare Sacerdotes deberent. Hoc lustrationis genus Gentiles imitati sunt, qui Deorum suorum Templa ingressuri, se lavacro purgabant, ne coram iis conspurcati sisterentur. Hunc morem spectant illa *Euripidis* in *Jone:* *Atrium.*

> *Sed o Delphici Phœbi Ministri.*
> *Castaliæ limpidos*
> *Ite ad gurgites, purâ verò aquâ*
> *Abluti, ite in Templum.*

III. In *Sanctis*, quæ prima pars interior Tabernaculi erat, continebantur 1. Altare thymiamatis, obversum Sancto Sanctorum, & Propitiatorio, ita ut in illud per hiatum in velo dividente relictum fumus thymiamatis ascenderet: 2. Ad latus dextrum hujus Altaris erat candelabrum ductile de auro mundissimo, lucernis septem pariter aureis instructum. 3. Ad latus sinistrum, Mensa ex eâdem materiâ, ex quâ Altaria, scilicet ex lignis Setim, auro purissimo circumdata, & labio aureo per gyrum adornata, cui labio corona aurea duplex supereminebat. In Sancta quotidie ingrediebantur Sacerdotes manè & vesperè, ut thyama adolerent, lucernasque vesperè accenderent, manè extinguerent. In divinum honorem jugis adhibebatur in Tabernaculo suffitus, nec non ad discutiendum nidorem ex animantibus, purgandumque aërem a fœtore, ne a Tabernaculi aditu Populus abhorreret, illudque ceu locum fœdum contemneret. Mystica significatio est, corda sursum habenda. *Cùm* enim *ad eum sursum est, cujus est Altare cor nostrum, ejus Unigenito cum Sacerdote placamur: Ei suavissimum adolemus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus: Ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis, in arâ cordis, igne fervidæ charitatis:* (inquit *S. Augustinus* Lib. 10. *De Civitate Dei*, Cap. 3.) *Sancta.* *Altare thymiamatis.*

IV. In Mensâ duodecim panes azymi, cum thure, ponebantur, *Panis Propositionis* propterea nuncupati, quòd essent in monimentum oblationis Domini. Singulis Sabbatis mutabantur, usibusque Sacerdotum cedebant. [*Levitici* 24. 5. 6. 7. 8. 9. & *Matthæi* 12. 4.) Duodecim erant pro numero Tribuum Israël. Eo Ritu significabatur, Sacerdotes Templo ministrantes, in templo victum habere debere. Eucharistiam adumbrabant, ut docent *SS. Hieronymus* in 1. Malachię, *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 4. Mystagogicâ, *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 4. in *Joannem*, p. 390. *Joannes Damascenus*, Lib. 4. Cap. 14. *Hesychius*, & *Rupertus*. Candelabrum, ac Mensam cum panibus in Tabernaculo posita *Guillelmus Parisiensis* ait, *Ut offerentes & adorantes in Dei Tabernaculo, ab ipso vitam, lucem & nutrimentum se obtinere cognoscerent, & ex ejus servitio, quod in eodem Tabernaculo fiebat, ista sperarent*. Vel, insinuare voluit *Deus, se esse Deum cui septem Planetæ serviunt, & quia ipse est dator escæ, non Ceres, & propter hoc non eis, nec huic, sed ipsi soli serviendum*. Sed præcipua ratio ob quam Mensam & Panes Propositionis Deus in Tabernaculo poni jussit, erat Idololatriæ abolitio. *Quia verò* (inquit idem Episcopus Lib. *De legibus*, Cap. 2.) *in Sacris Lunæ panes offerebantur, sicut superiùs ostendimus ex testimonio Jeremiæ de placentis, quæ fiebant Reginæ Cæli, adeòque dediti erant hujusmodi servitio, quòd non sufficiebat eis ut mulieres hæc agerent, immò filii colligebant ligna, & patres succendebant ignem, & mulieres conspergebant adipem, ut hujusmodi placentæ fierent Lunæ: Non fuit facile eos subitò abripi ab hujusmodi consuetudine, & ideo factum est, præcipiente Deo, ut saltem paululum quasi per regenerationem abducerentur ab illâ. Non enim facile fuit hujusmodi consuetudini deditis non videre Mensam panum in Tabernaculo Domini, quam videre consueverant, & ipsimet implere in domo Idoli. Quapropter posita est Mensa in Tabernaculo Domini ad Aquilonem, non directè ante ipsum Oraculum; & iterum prohibitus est Populus panes ponere in Mensâ illâ, & de panibus etiam illis edere: Soli enim Sacerdotes jussi sunt panes illos ponere, & solum illis concessum est inde comedere. Vides ergo quòd istâ triplici dissimilitudine ab Idololatriâ quasi regeneravit eos Deus, & aliquatenus elongavit, videlicet ipsâ positione & situ mensæ; item prohibitione ponendi panes, & vescendi ex eis. Mensam enim consueverant videre directè ante Idola, quibus in eâ panes offerebant. Ampliùs, super unumquemque panum illorum ponebatur patena aurea, & pugillus thuris, quales appositiones videre non consueverant in domibus Idolorum*. Hanc rationem etiam tetigit *S. Thomas* Primâ Secundæ, *Quæstione* 102. *Articulo* 4. ad 6. *Mensa autem*, inquit, *non ponebatur directè in medio ante Propitiatorium, ad excludendum ritum Idololatriæ. Nam Gentiles in Sacris Lunæ ponebant Mensam coram Idolo Lunæ. Unde dicitur Jeremiæ 7. Mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cæli.* *Mensa, & panes propositionis.* *Jerem. 7.*

V. In

*Sancta Sanctorum.* V. In *Sanctis Sanctorum* erat *Arca fœderis*, ex *lignis Setim*, intus & foris deaurata, coronâque aureâ circumdata. Ligna Setim, 70. reddiderunt *ligna imputribilia*, arboris fuisse genus spinę albę simile, docet *S. Hieronymus* in Cap.3. *Joëlis*, & in *Michea* 6. 5. Lege *Buxtorfium* Historiæ *Arcæ Fœderis*, Cap.4. Arcam operiebat *Propitiatorium aureum*, quod & *Oraculum* dicebatur, quia, inde Deus responsa dabat *Moysi*, & *Aaroni*, subindeque Summis Sacerdotibus ipsum consulentibus. Utrumque latus Propitiatorii Cherubim aurei & productiles expansis alis tegebant, se se mutuò respicientes versis in Propitiatorium vultibus. [ *Exodi* 25. ] Sancta Sanctorum soli Pontifici, semel in anno pervia erant, septimâ die septimi Mensis, quo Festum Expiationis celebrabatur. Exod. 30. 10. Levitici 16. 2. 34. ad Hebræos 9. 7. ) *Hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente statum*. Sancta Sanctorum, supremi illius cæli figura erant, in quo Deus gloriam suam manifestat, in quo cœlestes Spiritus faciem ipsius jugiter contemplantur, & in quod *Jesus Christus Pontifex factus in æternum, per proprium sanguinem semel introivit, æternâ redemptione inventâ*: ( ut docet Apostolus. ) Cęlum per Sancta Sanctorum significari agnoscunt *Josephus* Lib.3. *Antiquitatum* Cap.3. & 8. & *Philo* Lib. de Vitâ Mosis. *Theodoretus* Quæstione 70. in Exodum: *Pars interior Tabernaculi, cœlestia referebat: Unde vocata est Sancta Sanctorum. Quod verum esse*
*Hebr. 9.* „ *testatur divinus Apostolus ita dicens*; Non enim „ in manu facta Sancta Christus introivit, ex„ emplaria verorum. Sed in ipsum Cælum, ut „ appareat nunc vultui Dei pro nobis. *Et iterum* „ *dum spe de divinâ disputat, ista subjunxit*: Quam „ sicut ancoram habemus tutam ac firmam, & „ introëuntem usque ad interiora velaminis, ubi „ Præcursor pro nobis introivit Jesus, factus Sa„ cerdos secundùm ordinem Melchisedec. *Itaque pars illa intra velum præ se ferebat imaginem cœlestium; altera verò extra velum, terrestrium*. Nam in Aulæo coccinum ignem, byssus Tellurem, hyacinthus Aëra, purpura Mare, septem lychni totidem Planetas, panes duodecim totidem Zodiaci signa & Menses notabant. Quanquam & alias haberent significationes mysticas. Lege *S. Thomam Primâ Secundæ, Quæstione* 102. *Articulo* 4. *ad* 5. & 6.

*Quæ in Arcâ recondita erant?* VI. In Arcâ fœderis reconditæ erant Tabulæ Legis dumtaxat, propter quod dicta est *Arca Testimonii*, & *Arca Testamenti*, *Exodi* 25. *Ponesque in Arcâ testificationem quam dabo tibi*, 3. Regum 8. 9. *In Arcâ autem non erat aliud nisi duæ Tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, cùm egrederentur de Terrâ Ægypti*: 2. Paralipomenon 5. 10. *Nihilque erat aliud in Arcâ nisi duæ Tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando Legem dedit Dominus filiis Israël egredientibus ex Ægypto*. Josephus Libro 8. *Antiquitatum*, Cap.2. de Arcâ loquens: *Continebat hæc nihil aliud quàm duas Tabulas lapideas, quæ decem præcepta, Dei ore in Monte Sina prodita, insculpta eis conservabant*. Repugnare videtur Apostolus ad Hebræos 9. 3. 4. *Post velamentum autem*, inquit, *secundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, Aureum habens thuribulum, & Arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ urna habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Testamenti*. Duplex tantùm

*S. Paulus cum Mose conciliatur.* via est Apostolum cum *Moyse* conciliandi. Prima, dicendo Apostolum scripsisse quòd urna habens manna, & Virga *Aaronis* erant in Arcâ, quia juxta Arcam erant, more loquendi solemni Scripturę Sacrę quò aliquid in loco aliquo esse dicitur, quod juxta illum est. Sic Dominus ait *Jeremiæ* 35. de Rechabitis: *Et introduces eos in Domum Domini, in unam Exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum*. Sic & *S. Joannes* Evangelii Cap.10. *Et ambulabat Jesus in Templo, in Porticu Salomonis*. Nec tamen Exedra thesaurorum, aut Porticus, partes erant Templi, sed structuræ foris adjunctę. Sic etiam accipiendum est quod in Evangelio legitur, Christum ejecisse vendentes & ementes e Templo, qui tamen in Porticu Templi, non in ipso Templo negotiabantur. Et Lucæ 9. *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*: Quamvis non in Urbe, sed prope eam, Cruci suffixus sit. Sic in Urbe natus esse dicitur, & qui natus ad eam, hoc est in ejus territorio. Sic in Jericho *Josuë* 10. 10. valet, ad Jericho: In Gabaon, hoc est, prope Gabaon: In Kariathiarim, *Judicum* 18. 12. Hoc ergo sensu dictum fuerit a *S. Paulo* Urnam auream habentem Manna, Virgam Aaronicam, & Tabulas Testamenti fuisse in Arcâ: Tabulas quidem ut intra Arcam inclusas, virgam verò Aaronis, & urnam auream habentem Manna, ut juxta positas, in Tabernaculo, coram Domino, id est, coram Arcâ, ut disertè habetur Exodi 16. 33. 34: *Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in Tabernaculo reservandum*. Et Numerorum 17. 4. Deus cum *Moyse* loquens de Virgis Principum duodecim Tribuum, ait: *Ponesque eas in Tabernaculo fœderis, coram testimonio*, ( id est, coram Arcâ ) *ubi loquar ad te*. Et 5. 10. *Dixitque Dominus ad Moysen: Refer Virgam Aaron in Tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël*. In capsâ scilicet Arcę adjacente, & lateri ejus exterius adhærente, Sacra hęc Monumenta deposita sunt, sicut & Liber Legis, de quo Deuteronomii 31. 26. *Postquàm ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in Volumine, atque complevit, præcepit Levitis qui portabant Arcam fœderis Domini, dicens: Tollite Librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium*. Lege *Buxtorfium*, *Exercitatione in Historiam Arcę Fœderis*, Cap.5. Secunda ratio conciliandi Apostolum cum *Moyse* hæc est, ut dicamus *Mosis* & *Salomonis* temporibus solas Tabulas Legis in Arcâ extitisse: Sed post *Salomonis* fortè tempora Sacerdotes cupientes Virgam Aaronis, & Urnam auream continentem Manna, in secretiori tutiorique esse custodiâ, illa in Arcâ, cum Tabulis Legis reposuisse, cujus rei non inscius *S. Paulus*, Traditiones Majorum ad pedes *Gamalielis* edoctus, hęc tria in Arcâ esse scripserit. Ita *Theophylactus*.

*Arcæ fœderis origo a sacris Ethnicorum cistis non est arcessenda.* VII. Arcam, sacratissimum præsentiæ divinæ symbolum a sacris Gentium cistis, quarum apud Antiquos obvia frequensque memoria est, originem derivasse asserit *Spencerus*, Lib.3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Dissertatione 5. Nec tamen id firmis probat argumentis. Quæ enim profert ex Pausaniâ, Apulejo, Plutarcho, Theocrito, Tibullo, Catullo, Valerio Flacco, Ovidio, probant quidem Ægyptios, Phœnices, Gręcos, Romanos, Arcas, seu mysticas cistas in Sacrorum suorum censu habuisse: Sed non probant cistas illas Gentilitias in usu fuisse ante Mosaica tempora: Omnes enim illi Auctores a *Spencero* laudati, qui de cistis hujusmodi, in Orgiis falsorum Numinum usurpatis, scripsere, multis seculis *Mose* recentiores sunt. Longè verisimiliùs est

est, Diabolum Dei æmulum Ethnicis inspirasse, ut Arcas quoque, seu cistas mysticas, arcana quædam celantes, in suorum Numinum Sacris adhiberent, aut etiam solemni pompâ circumferrent. Pietas credere prohibet, Arcam Domini a Cistis Ethnicis natales accepisse, quæ nihil nisi quisquilias, vel magica quædam instrumenta, vel obscænas imagines continebant, quales erant illæ quarum meminere *Plutarchus* in Alexandro, *Clemens Alexandrinus* in Protreptico, & *Synesius* in Encomio Calvitii. Quàm levia sint argumenta *Spenceri* ducta ab Arcæ pulchritudine & magnificentiâ, ab ejus coronâ, circumstantiis, fine, nomine, facilè intelligit quisquis illa paulò accuratiùs expendit. *In Junonis Templo*, inquit, *Arcam e cedro confectam, cum aureis & eboreis emblematis*, positam fuisse, testatur *Pausanias* Libro 5. Ægyptii *Auream Arculam*, teste *Plutarcho*, in Sacris habuerunt. Apud Babylonios in *Apollinis* Templo *Auream miræ vetustatis Arculam quandoque repertam*, e veterum Scriptis nos docet *Cælius Rhodiginus Lib.8. Antiquitatum*, Cap.12. Igitur Arca cedro & auro plurimo pariter illustris e gentium usu natales accepit. Quis non videat æquo, & meliori jure concludi posse: Igitur Cistę Ethnicæ ex Diaboli æmulatione, quicquid in Dei cultu splendidum erat, usurpantis, & ad suum cultum traducentis, originem acceperunt?

Idem judicium ferendum est de altero *Spenceri* argumento. Gentiles (inquit) cistas, in Deorum suorum mysteriis usurpatas, Coronis instruebant, teste *Euripide* in *Jon.* Act.5. *Video*, inquit, *Arcam antiquam sertis coronatam & floribus*. Et *Oppiano* Lib.4. ubi de *Bacchi* Orgiis loquitur:

*Arcam porrò arcanam sacer Chorus sublatam,*
*Coronantes, tergis imposuerunt asini.*

Arcæ igitur Corona aurea a Gentium moribus originem traxit: Adeoque Arcæ institutio ad eamdem originem referenda est.

Quin Coronæ in usu Gentium fuerint ante Legem datam, pertinaciter non inficior: Coronis Reges utebantur, eorumque Throni, & Regiæ his Majestatis symbolis ornabantur: Propterea Deus, ut se Regem esse ac Deum Israëlis ostenderet, idque persuasum haberent Israëlitæ, Arcam, quæ ipsius thronus erat, Coronâ instrui & ornari præcepit. Postea verò Ethnici, suggerente & instigante Diabolo. Simulacra sua, Altaria, Victimas, Cistas coronarunt. *Bacchum* primum Coronam capiti suo imposuisse, & postea Coronæ usum ad sacra traductum, testatur *Plinius*, *Historiæ Naturalis Lib.16.* Cap.4. *Antiquitas quidem*, inquit, *nulla nisi Deo dabatur. Ob id Homerus cælo tantùm eas, & prælio universo tribuit. Viritim verò, ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum omnium Liberum Patrem imposuisse capiti suo Coronam ex bederâ. Postea Deorum bonori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis. Novissimè & in sacris certaminibus usurpata, &c.* Porrò *Liberum* seu *Baccum Moyse* posteriorem fuisse certum est: Immò esse ipsum *Moysen* personatum, Doctissimus Præsul *Daniel Huëtius* in suâ *Demonstratione Evangelicâ* probavit. Arcæ itaque Corona aurea a Gentilium cęremoniis originem non traxit: Multò minùs Arca ipsa.

VIII. Arcæ & Cistarum Ethnicarum discrepantes circumstantiæ, a quibus alterum argumentum ducit *Spencerus*, ejus Assertioni fidem derogant. Deus in Arcâ suâ nihil præter fœderis divini Tabulas reponi voluit. Ex adverso nihil in Arcis Ethnicis nisi fœderis cum Dœmone initi sacramenta, nihil nisi quisquiliæ aut res impudicæ, vel magica instrumenta, continebatur. Arca Dei viris solummodo, iisque e genere Sacerdotali oriundis, bajulanda tradebatur, nec quisquam alius tactu levissimo Arcam violare potuit, nisi tantæ temeritatis crimen capite luiturus. Arcæ verò in Gentilismi ritibus usitatæ, per Sacerdotes quidem nonnumquam, per feminas autem non raró ferebantur. Israëlitæ cęremoniis sanctis, apertis, & Religioni congruis honorem Arcæ Dei deferebant: Gentiles autem Arcas suas cęremoniis quibusdam magicis, & stuporem potiùs quàm religionem incutientibus, coluerunt, teste *Clemente Alexandrino* in Protreptico, ubi de Sacris Eleusiniis sermonem facit. Arcæ Dei extrema Imaginibus aureis, Cherubin dictis, supra illius operculum alas explicantibus ornabantur: In mysticis autem Gentilium cistis, simulacrum Numinis alicujus grandiusculum, aut imagunculæ aliæ ut plurimùm inclusæ latuere. Deus unâ tantùm Arcâ, prout & uno Templo, & Altari holocausti colebatur: Sic autem ferebat Gentium usus, ut Arcas varias in cultûs sui cęremoniis usurparent. Igitur (inquit *Spencerus*) Arca e Gentilium moribus initia petiit. Ego verò contrarium omnino inde colligi existimo, & mecum (ut opinor) existimabunt omnes qui rectam rationem consulent: Igitur Arca e Gentilium moribus initia non sumpsit, sed e sacro illo exemplari de quo Deus ad *Moysen* Exodi 25. 40. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in Monte monstratum est*. At, inquit *Spencerus*, si gentiles, tamquam Judæorum simiæ, Arcas in Sacrorum suorum censum recepissent; verisimile est eos Arcas suas, non tantùm ad Arcæ Judaicæ figuram facere, sed ejus circumstantias omnes imitatione exprimere voluisse. Verùm hujus objectionis vanitas inde patet, quòd Diabolus non simia tantùm, sed corruptor divini cultûs semper extiterit, & Ritus sacratissimos quibus Deus colebatur, æmulâ operatione ad Sacra falsorum Numinum traducens, ineptis, impuris, magicis, immanibus Ritibus admixtis adulteraverit.

IX. Haud firmius est argumentum *Spenceri* a fine Arcæ sumptum. Arca fœderis, inquit, nulli alii rei serviebat, quàm ad asservandam Legem Dei duabus Tabulis inscriptam: Gentium autem cistæ Deorum symbola & instrumenta sacratiora continebant, ut sesamides, pyramides, lanas elaboratas, micas salis, draconem, vel serpentes, sphæras & figuras quasdam magicas, ut constat ex *Clemente Alexandrino* in *Protreptico*, & *Synesio* in *Encomio Calvitii*. Igitur Arca finaliter spectata a Cistis Ethnicis originem petiit. Ego verò contrarium omnino ex Arcæ fine colligi arbitror. Arca aureo Propitiatorio obtecta, & duobus Cherubim desuper ornata, duasque Tabulas divinæ Legis continens, symbolum erat divinæ præsentiæ, gloriæ, potentiæ, majestatis. Hinc Arca scabellum pedum Dei a *Davide* appellatur Psalmo 98. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*. Hinc Deum super Cherubim sedere passim ait Scriptura, in eodem Psalmo 5. 1. *Dominus regnavit, irascantur Populi: Qui sedet super Cherubim, moveatur terra*. 1. Regum 4. *Misit ergo Populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini Exercituum sedentis super Cherubim*. 4. Regum 19. 15. *Ezechias ascendit in Domum Domini, & oravit in conspectu ejus, dicens. Domine Deus Israël qui sedes super Cherubim, &c.* Psalmo 79. 2. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin & Manasse*. Ex Propitiatorio, Deus a *Moyse* & *Aarone* consultus responsa dabat, unde & *Oraculum* vocatum est; Exodi 25.22. *Inde præcipiam, & loquar ad te supra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël*. Israë-

litis per desertum iter agentibus, *Cùm elevaretur Arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tuâ. Cùm autem deponeretur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem Exercitûs Israël.* Adde, Arcam insignem fuisse Christi typum, ut ostendit S. *Cyrillus Alexandrinus* Libro 4. in Joannem, P. 387. *Nobis*, inquit, *typicè Emanue-„ lem ostendit dicens:* Et pones Arcam testimo-„ nii, & teges Arcam velamine. *In superioribus enim totius quodammodo Arca figurâ Verbum comprahendimus. Erat enim domus Dei inhabitantis in ipsâ, nimirum Sanctum Christi Corpus: Sed nihilominus idem nobis quoque per Arcam peculiariter designatur. Ex lignis enim imputribilibus constructa erat, ut intelligas ejus incorruptibilita-„ tem.* Tota verò inaurata erat auro purissimo „ intrinsecùs & extrinsecùs. *Cuncta quippe pretiosa & regia sunt in eo, cùm divina, tum humana,*
Coloss. 1. & In omnibus ipse primatum tenet, *ut Paulus ait. Aurum autem præstantiam & excellentiam super omnia denotat. Constructa itaque Arca ex lignis imputribilibus, & inaurata, divinam quoque Legem reconditam habebat, ut typus esset Dei Verbi inhabitantis & uniti sanctæ carni. Verbum enim Dei etiam Lex erat, licèt non hypostaticum, sicuti Filius est. Tegitur autem velamine. Dei enim Verbum incarnatum cùm esset, multos latebat, corpore suo amictum, & sanctâ carne quasi velamine contectum, ita ut exinde nonnulli Divinam ejus Majestatem ignorantes, modò lapidare aggrederentur, crimini dantes, quòd homo cùm esset, se ipsum Deum*
Joann. 6. „ *diceret: Modò nihil vererentur dicere:* Nonne „ hic est JESUS filius Joseph, cujus nos novimus „ patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, „ Quia de Cœlo descendi? *Quod ergo Arca velum superinjectum esset, JESUM apud multos ignotum fore significat. Erat igitur etiam Arca typus ipsius. Idcirco enim Israëlitas illa quoque præcedebat in Deserto, cùm Dei locum tunc impleret. Ipse enim erat Ductor Populi. Quod testatur Psal-*
Psal. 67. „ *mista dicens:* Deus, cùm egredereris in con-„ spectu Populi tui, cùm pertansires desertum, „ terra mota est. *Arcâ enim præcedente, Deus utique præcedere dicitur.... Sed & circùm Hierichuntem per Sacerdotes portata, ejus mœnia subruit, non machinis, aut arietibus admotis, sed tubis ac voce. Quod in Christo præterea verum esse comperimus. Ipse enim est, qui a sanctis viris portatur & omnem Diaboli vim evertit, non armis, sed clamore ac tubâ, hoc est, Evangelicâ Prædicatione, & consensu omnium Populorum in rectitudine fidei Dominum confitentis.* Denique ibi ostendit S. *Cyrillus*, Tabernaculum, & omnia in eo contenta, typos Christi fuisse. *In circuitu verò*, inquit, *tendi Tabernaculum præcipit, quo quæcumque in eo erant, comprehenderentur, ita ut unum illud tantùm cerneretur. Unus enim est in nobis Christus, & multis modis intelligitur, Tabernaculum quidem propter velamen carnis: Arca verò divinam Legem continens, ut Verbum Dei ac Patris. Item Mensa, putà cùm vita sit ac cibus: Candela, utpote lumen intelligibile ac spiritale. Altare thymiamatis, ut odor suavitatis in sanctificatione. Et Altare oblationum, quatenus est pro vitâ Mundi victima. Sanctificantur autem in ipso Altari omnia: Totus enim est Sanctus, quocumque modo Christus intelligatur. Præeunte igitur Sancto Tabernaculo Israëlita simul procedere, & unà conquiescere jubebantur; Deo nos rursus utiliter monente, Ducem nobis itineris ad salutem assumendum esse Deum Verbum propter nos Incarnatum, ejusque præceptis incunctanter parendo, ad vitam æternam ascendendum.* Qui Tabernaculum, ejusque Vasa, & Arcam fœderis, oculis fidei ac pietatis considerarit cum *S. Cyrillo*, is in *Spenceri* Sententiam non ibit, asserentis dumtaxat, non probantis, Arcam finaliter spectatam a Cistis Ethnicis originem petiisse.

X. Argumentum denique *Spenceri* ab Arcæ nomine & charactere ductum, nullius ponderis est. Illam in Scripturâ Sacrâ quandoque *Arcam Dei*, nunc *Arcam fœderis*, alibi *Arcam testimonii*, aliquando *Arcam fœderis Dei totius terræ*, dictam fateor: Sed inde id factum perperam colligit *Spencerus*, quòd Diis aliis suæ essent cistæ, adeoque necesse esset ut Arca Judaica peculiari aliquo titulo, & charactere ab Arcâ quavis aliâ Deo alicui extraneo dicata discerneretur. Hoc enim distinctionis & dignitatis epitheto insignita est, ut ab arcis vulgaribus, quibus ad res domesticas alicujus pretii recondendas privati quique, seu Judæi, seu Gentiles utebantur, discerneretur.

XI. De Cherubinis Arcæ superpositis, deque eorum formâ & origine multà disputant Viri Eruditi. Formam quod spectat, ipsam in Libris Moysis expressam non habemus. *Josephus* Libro 3. *Antiquitatum* Cap. 6. sic illos describit: *Cherubim sunt animantia volucria, novâ specie, nec unquam cuiquam hominum visa: Quæ Moyses in Dei solio viderat figurata.* Hebræi Cherubim simulacra fuisse volunt ad similitudinem puerorum formata. Unde vocis originem ex linguâ Chaldaicâ quidam petunt, in quâ *Rub* vel *Rabio* est *Puer*, ut *Ke rub*, *quasi puer* dicatur. Alii *Cherubim* in vitulorum aut boum similitudinem totos effictos fuisse censent. Probabilior eorum Sententia est, qui simulacra fuisse multiformia, id est, animalium diversorum species exhibentia, asserunt, ita tamen ut hominis forma in iis emineret. Opinionem illam adstruit maximè Prophetica Visio Ezechielis 1. 5. 6. 7. 8. 10. *In medio ejus similitudo quatuor animalium; & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni. Pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.... Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.... Similitudo autem vultus eorum: Facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor: Facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor; & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Et Cap. 10. 7. 8. 14. 15. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim, & sumpsit, & dedit in manus ejus qui indutus erat lineis.... Et apparuit in Cherubim similitudo manûs hominis subtus pennas eorum.... Quatuor autem facies habebat unum: Facies una, facies Cherub; & facies secunda facies hominis; & in tertio, facies leonis; & in quarto, facies aquilæ: Et elevata sunt Cherubim: Ipsum est animal quod videram juxta fluvium Chobar.* Et V. 20. *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israël juxta fluvium Chobar; & intellexi quia Cherubim essent.* Hos porrò Cherubinos *Ezechielis* formâ & specie, non minùs quàm nomine, similes fuisse Mosaicis, ex eo colligitur, quòd *Ezechiel* qui Sacerdos erat, adeòque Templi & Arcæ figuras probè noverat, postquam ad eorum figuras propiùs advertisset, hoc apertè testetur, dicens: *Et intellexi quia Cherubim essent.* Cherubim ergo Arcæ, quatuor facies, id est, quatuor formas, similitudines, aut ὄψεις habebant: (sic enim vocis hujus notio ibi sumenda, pro formâ, & exteriore specie quæ sub aspectum cadit, non pro vultu, quasi fuerit vultus cujusque Cherubim quadriformis:) Prima hominis, secunda leonis, tertia aquilæ, quarta vituli. Vultum itaque humanum, staturam etiam erectam & humanam, & manus hominis. Dorsa leonum jubis vestita, quaternas aquilarum alas, & vitulorum crura, qua-

*Quæ forma Cherubinorum.*

*Cherubim simulacra erant ex diversorum animalium formis conflata: In iis tamen eminebat forma humana.*

pedesque, Mosaici Cherubini, sicut & Prophetici habebant.

Confirmatur ex Apocalypsis 4. 6. 7. ubi Cherubim horum animalium, sed discretorum formis expressi, *S. Joanni* in Visione exhibentur. *Et in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retrò. Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti.*

XII. Objiciet quispiam, *Ezechielem* binas tantùm, non quaternas facies cuivis Cherubino tribuere, Cap. 41. 18. 19. *Et fabrefacta Cherubim & palmæ; & palma inter Cherub & Cherub, duasque facies habebat Cherub. Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex aliâ parte, expressam per omnem Domum in circuitu.*

Respondetur, Prophetam aliis in locis supra laudatis quaternas Cherubinis facies tribuere, ibi verò ex illis quatuor illas tantùm referre, quarum altera, nempe hominis, positu palmam respicit; altera, leonis nimirum a palmâ alterâ prospicitur, cùm ex binis reliquis animantium formis, altera utramque palmam ex æquo prospiciat, altera neutram. Aliis enim, quas vocat aquilinas facies, uterque Cherubim utramque partem contingit, quæ illi proxima est: Plantis verò pedum, quas bovis faciem appellat, pavimentum potiùs interius, quàm laterales palmas prospectant; ut propterea binas tantùm facies, hominis (inquam) & leonis, commemoraverit, quòd eæ ad dispositionem Cherubinorum explicandam conducerent, quam potissimùm hoc loco explicare decreverat, alias duas silentio prætermiserit, quas latè initio suæ Prophetiæ descripserat. Ita *Ezechielem* cum ipsomet conciliat *Villalpandus*, Tom. 2. P. 2. Lib. 4. Cap. 45.

Objici potest locus alter ex 3. *Regum* Cap. 7. 29. ubi Sacer Historicus, cùm de basibus æneis loqueretur: *Et inter coronulas*, inquit, *& plectas, leones, & boves, & Cherubim.* Ex quibus colligi posse videtur, Cherubim a bobus & leonibus distincta fuisse, & e quatuor animalium formis minimè conflata.

Respondetur cum *Villalpando*, Cap. 43. Libri mox laudati, eo in loco literam *Vau*, nostræ conjunctioni & respondentem, notione Hebræis communi, interpretativè usurpari, ut sensus sit: *Leones & boves sculpti erant; & hoc est Cherubim.* Quod enim humanâ formâ ac facie minimè caruerint; non multò post idem Sacer Historicus, significavit V. 36. *Sculpsit quoque*, inquit, *in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis Cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur.* Quòd autem nostra conjunctio, &, interpretativè plerumque sumatur, ut & vox *Vau* apud Hebræos, duobus exemplis probat *Villalpandus*. Primùm ex Psalmo 115. Vers. 17. *Sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Offeram, inquam, Deo quasi Sacrificium laudis; hoc est, nomen Domini invocabo. Ac si apertè testetur, laudabile Deo Sacrificium esse Sancti Nominis ipsius invocationem. Secundò ex Psalmo 4. V. 6. *Sacrificate Sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.* Cujus sententiæ sensus est: Sacrificate justum Sacrificium, hoc est, Sperate in Domino. His verbis indicans; Spem in Domino collocandam esse, hoc est, Deo debitum, ac necessariò reddendum Sacrificium.

*Cherubinorum formæ tipicæ.* XIII. Cherubinorum formæ symbolicæ erant ac typicæ: Quatuor scilicet Dei, Cherubim insidentis, attributa significant, ab Angelis participata & repræsentata. Species aquilæ significat Dei Sapientiam: (Visûs enim acumine præstat aquila:) Species hominis significat Dei bonitatem, mansuetudinem, & clementiam: Species bovis Dei patientiam, & ad vindictam sumendam tarditatem: Species leonis, Dei fortitudinem & potentiam. Significant verò in Angelis, divinas illas dotes illorum naturam atque ministerium spectantes. Forma aquilæ, cœlestis naturæ vigorem, agilitatem, nisum ad sublimia, perspicaciam incredibilem & sapientiam: Forma hominis, bonitatem & caritatem erga homines. Forma leonis, robur ac potentiam Dei hostibus terribilem: Forma denique bovis, constantiam, patientiam, firmitatem, assiduitatem in obeundo munere ipsis a Deo demandato. Lege *S. Dionysium* Libro *De Cœlesti Hierarchiâ*, Cap. 15. Hic autem observare operæ pretium est, Cherubinos, sive Mosaicos, sive Propheticos, non solùm secundi Ordinis Angelorum primæ Hierarchiæ typos fuisse, sed omnium Ordinum Angelos adumbrasse. Unde Veteres hos Cherubinos interdum Seraphinos appellant, & Cherubim *Ezechielis* cum Seraphim *Isajæ* conferentes, utramque Visionem Cælestium Spirituum symbola exhibuisse asserunt. Legi potest *Villa lpandus* Tom. 2. in *Ezechielem*, P. 2. Lib. 4. Cap. 36. *Cherubim nomen similitudinem cognitionis & scientiæ* significare veteribus persuasum fuit, *Philoni Judæo* Lib. 1. De Vitâ Mosis, *S. Dionysio* in Libris de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, *Clementi Alexandrino* Lib. 5. Stromatum, *S. Hieronymo* Commentario in Cap. 6. Isaiæ, *Theodoreto* in Cap. 1. Ezechielis, ad 5. 14. Significat etiam ea vox potentiam & fortitudinem singularem, si ex Syriacâ linguâ Hebrææ affini ejus origo arcessatur. Favet *Philo* Judæus, Libro *De profugis*, ubi notat per Cherubim *Potentias ejus QUI EST, creatricem & regalem* designari. Idem asserit *Theodorus* apud *Theodoretum* Quæstione 40. in Genesim: *Cherubim*, inquit, *vocat illud omne quod potentiâ præditum est. Sic dicit*, Qui sedet super Cherubim, *hoc est, qui potenter regnat.* Et Ascendit super Psalm. 98.
Cherubim, & volavit, *hoc est, advenit cum multâ virtute. Illud igitur*, Et statuit Cherubim, *di-* Psalm. 17.
*xit, ut indicet potentem quamdam & terribilem visionem & formam, quasi quorumdam animalium, collocatam esse in ingressu Paradisi, quibus inde Adam arceretur.* Genes. 3. Huic *Theodori* Observationi suffragatur *Procopius in Genesis* Cap. 3. Hinc Deus super Cherubim numquam in Sacris Literis sedere dicitur, nisi cùm illius potentia & fortitudo celebranda venit. Psalmo 79. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos.* Et Psalmo 98. *Dominus regnavit, irascantur Populi, qui sedet super Cherubim, moveatur terra.* Et Psalmo 17. quo *David* Dei potentiam celebrat. V. 2. *Et ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum.* Quem locum ita reddit Chaldæa Paraphrasis: *Et visus est in robore suo super Cherubim levissimus, & adduxit potentiam suam super alas turbinis.* Cherubim itaque Deum, cujus veluti solium erant, infinitâ sapientiâ & potentiâ pollere indicabant, & Angelos, quorum sacra erant emblemata, scientiæ & potentiæ divinæ participatione excellere.

*Cherubim Arcæ originem non habuerunt a symbolis & simulacris Ægyptiis.*

*Spencerus refellitur.* XIV. Quod spectat Cherubinorum Arcæ originem, intolerabilis est *Speneeri* opinio, qui ipsos a symbolis & simulacris Ægyptiis originem accepisse propugnat; *Lib. 3. De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Dissertatione v. Varias animantium formas in uno simulacro commiscendi consuetudinem in Ægypto obtinuisse fateor. Sed quæ inter Ægyptiaca illa simulacra, & Cherubinos Arcæ affinitas? Illa falsorum Numinum, ista Angelorum emblemata erant & symbola. Illis divinus cul-

cultus exhibebatur: Ista non ad cultum, sed ad ornatum, & mysticam significationem in Propitiatorio effingebantur. Illa ab arte Diaboli: Ista ex arte & sapientiâ Dei derivata & ad similitudinem exemplaris Moysi in Monte ostensi, Deo jubente expressa. Exodi 26. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utrâque parte Oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus Propitiatorii tegant expandentes alas & operientes Oraculum, respiciantque se mutuò versis vultibus in Propitiatorium quo operienda est Arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam & loquar ad te supra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël:*

Denique Ægyptiaca illa Simulacra & Hieroglyphica *Mosis* ætate antiquiora fuisse non probat *Spencerus*, cùm Anctores longè juniores proferat, qui simulacrorum hujusmodi meminerunt. Profert scilicet *Porphyrium* Lib.4. *De Abstinentiâ*, de Sacerdotibus Ægypti sic loquentem: *Apud eos Deus aliquis ad collum usque formâ humanâ effingebatur, facies autem illi avis alicujus, vel leonis, vel alterius animalis aptabatur: & rursus alius caput humanum habuit, ceteras autem partes aliorum animalium, in aliis nempe inferiores, in aliis autem superiores.* Profert *Apulejum*, Pompæ Ægyptiacæ ceremonias describentem *Metamorphoseon* Lib.2. *Gerebat*, inquit, *alius gremio suo Summi sui Numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem, sed solerti ingeniò repertam, ipsâ etiam novitate reverendam.* Profert *Eusebium* Libro 3. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.12. ubi simulacrum Soli consecratum Elephantinopoli memorat, *Quod sedens, ac cæruleo corpore imbutum, ipso quidem corporis trunco virilem præ se ferens speciem, arietis verò caput habens, in eoque proprium ac primarium insigne, hirci cornua.* Ibidem Lunæ meminit, *cujus symbolum homo est, accipitris vultum præferens, ac Typhonem Hippopotami specie conformatum jaculo subigens.* Profert *Clementem Alexandrinum* Lib.5. *Stromatum*, P.561. dicentem: *Ideo Ægyptii ante Templa ponunt Sphingas, quia doctrina quæ de Deo, ænigmatica est & obscura. Fortè autem quòd Deum oporteat amare & timere: Amare quidem, ut sanctis benignum & propitium: Timere autem, ut qui sit impiis justus inexorabiliter. Fere enim simul & hominis imaginem Sphinx significat.* Profert *S. Gregorium Nazianzenum* Oratione 2. in *Julianum*, quem Deos & Ritus Ægyptios honore prosequentem sic compellat, & per jocum irridet: *Unum solum in rebus tuis est, quod venerationem mereatur, nimirum honores illi qui apud Ægyptios Nilo per Androgynos habentur, & Isides, & Apides, ceteraque omnes bestiæ, ex diversis generibus conflatæ, quas confingis, & pingis.* Hæc certè testimonia non probant hujusmodi simulacra multiformia apud Ægyptios ante Legem *Moysi* a Deo datam in usu fuisse, & *Moysen* Cherubinos Arcæ ad morem imaginum & symbolorum Ægyptiorum efformasse. Si quæ esset ergo Cherubinis Arcæ cum Ægypti symbolis & Hieroglyphicis cognatio, ea in Diaboli æmulationem refundenda esset, qui ut divinum cultum sibi arrogavit, ita divini cultûs instrumenta, Ritusque sacratissimos, cùm hos, & illa corrupisset, atque adulterasset, ad Idololatriæ pompam transtulit. Sicut verò inane est, quod ex formâ Cherubinorum struit *Spencerus* ad hypothesim suam confirmandam, ita & quod ex fine petit, argumentum. Quamvis enim Cherubim Divinæ Præsentiæ & Majestatis symbolum essent, & ex Propitiatorio, quod alis suis obumbrabant, Deus ad *Moysen* loqueretur: Non erant, neque credebantur Dei sedes & habitacula, sicut simulacra in Gentilium Templis posita Deorum sedes ab Ethnicis habebantur, quibus Deos per magicos characteres, & superstitiosam dedicationem includi credebant, & alligari, ut constat ex *Porphyrio* apud *Eusebium* Lib. 5. *Præparationis Evangelicæ* Cap.15. ubi de *Hecate* sic loquitur: *Neque tantùm istos sibi characteres placere, verùm etiam iis se se circumscribi, subjectâque imagine, sacro veluti domicilio, contineri declaravit. Nec enim terra, nisi sacra fuerit, Deos ferre ac sustinere queat: Sacra autem illa est, quæ divinam capit Imaginem: Eâque sublatâ, id quod in terris Numen retinebat, illicò dissolvitur.* Hinc illa Gentilium Apologia apud *Arnobium* Libro 6. *Nos neque æra, neque auri argentique materiam, neque alias quibus signa confiunt, eas esse per se Deos, & religiosa decernimus Numina; Sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit habitare simulacris.* Hinc *Pseudo-Trismegistus* in *Asclepio*, Simulacra Deorum Corpora fuisse ait, qui magicis quibusdam consecrationibus ad corpora illa inhabitanda & animanda cogebantur, ut refert *S. Augustinus* Libro 8. *De Civitate Dei* Cap.23. *Statuas*, inquit, *o Asclepi, videsne quatenus tu ipse diffidas? Statuas animatas sensu & spiritu plenas, tantaque facientes & talia, statuas futurorum præscias, &c.* Asseri certè absque temeritate & impietate non potest Cherubinos Propitiatorii ad istorum simulacrorum imitationem, & ob similem finem expressos.

Ex Dæmonis igitur æmulatione, quadriformes Arcæ Cherubinos non tam exprimere, quàm interpolare in Idololatrico cultu gestientis, originem traxerunt quadriformes Genii, quos supremo Numini *Hempta*, pro quo *Plutarchus* EMET dicit, stipatores & nuncios tribuebant, referente *Kirchero* P. 3. *Sphingis Mysticæ de Mumiis*, Cap.4. Quorum primus *Horus* sub pueri formâ, Mundi sensibilis geniale Numen significat. Secundus caninâ facie, vigilantissimum Anubicæ seu Hermeticæ œconomicæ Præsidem refert. Tertius vultu accipitrino, quem *Thaustum* vocant, cornu etiam *Hammonis* insignitus, solarem calorem, & in Mundo inferiori fœcunditatem designat. Quartus leoninâ facie formidabilis, *Momphta*, id est Hylæi Mundi, sive totius humidæ naturæ Moderatorem adumbrat. Audierant scilicet Ægyptii, supremo Hebræorum Numini, qui *Deus Emet*, sive *Veritatis*, in Propitiatorio Arcæ fœderis thronum suum habenti, Angelos adsistere, mandatorum ipsius in orbe universo Administros, sub Cherubinorum Emblemate, quorum facies erant quadriformes, hominis, leonis, bovis, aquilæ. Quamobrem & ipsi *Hemptæ* supremo, quod sibi finxerunt, Numini, quadriformes Genios velut stipatores sive Administros adjunxerunt, quorum unus pueri formam, alter caninam faciem, tertius accipitris, quartus leonis vultum haberet.

XV. Altare Holocausti *ex lignis Setim* construi, & *laminis æneis operiri* Deus jussit. (Exodi 27. & *Altarium*
38. 1.) Altare verò Thymiamatis ex lignis ejusdem speciei compingi, & *auro purissimo* vestiri. *materia.*
(Exodi 30. 1. 2. 3.) Verùm intus lapidea fuisse hujusmodi Altaria, vel terrea, necesse fuit, secundùm Dei mandatum Exodi 20. 24. 25. *Altare*, inquit, *de terrâ facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, oves vestras, & boves in omni loco, in quo memoria fuerit Nominis mei: Veniam ad te, & benedicam tibi. Quod si Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: Si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.* Templi Hierosolymitani Altare

re ex lapidibus non fectis, fed impolitis ædificatum, teftantur *Hecbataus* apud *Jofephum* Lib. 1. contra *Apionem*, & *Philo Judaus* Lib. *De Victimas offerentibus*. Unde & 1. *Maccabaorum* 4. 47. dicitur. *Et acceperunt lapides integros fecundum Legem, & ædificaverunt Altare novum, fecundùm illud quod fuerat priùs.* Legem de Altari terreo vel ex lapidibus tumultuario opere collectis, de iis præfertim Altaribus intelligendam, quæ ob caufam extraordinariam ad tempus aliquod ftruebantur, qualia a *Moyfe Exodi* 24. 4. a *Jofuë*, *Gedeone*, *Samuële*, *Eliâ*, extra ordinem erecta funt, Viri cenfent Eruditi: & ad ea præcipuè tempora refpectum habere, quibus Ifraëlitæ in Deferto oberraverunt; ubi mutatæ fubinde fedes, iis Altaria nova ftruendi neceffitatem attulerunt. Hujus rationis Auctor *Theodoretus* Quæftione 44. in Exodum. *Nemo credo negabit*, (inquit) *quin uterentur ferro, qui ligna Tabernaculi concinnabant, itidem qui aurum, argentum, aut æs fabrifaciebant. Quòd autem & Sacerdotes gladiorum auxilio victimas immolabant, excoriabant, & dividebant, hoc quoque arbitror extra controverfiam effe. Quarendum ergo nunc eft, quo pacto ferrum non polluebat hac univerfa, lapides autem fectos polluebat. Certum quidem eft quòd alia ex aliis adftruit. Etenim quia Ifraëlita quadraginta annos permanferunt in Deferto, contingenter abeuntes & loca mutantes, ideo vetat e lapidibus fabrefactis Altaria conftrui: Ne, cùm hi Terram promiffam obtinuiffent, in Aris illis vicini Dæmonum Sacrificia celebrarent. Idcirco pracipit ex terrâ, aut e lapidibus, quales natura produxit, Altaria conftrui. Nam utrumque facilè diffolvitur. Porrò Lex ipfa docet, poft adificatum Templum non licuiffe alibi facrificare. Si verò Lex facrificare vetabat extra Templum, eâdem ratione Altare conftrui prohibebat. Unde ad convincendos impios, cùm Elias ille Magnus in Monte Carmelo facrificare coactus effet, lapides nativos compofuit totidem numero, quot erant Tribus, & fuper his victimam obtulit, ut quam citiffimè diffolvi poffet adificium illud, & nemo alius in eo loco Sacrificium offerret.* Hanc Legem de Altari ex terrâ, vel ex lapidibus afperis rudibufque & ferro intactis conftruendo, Deum tuliffe in remedium Idololatriæ: *Quia Idololatra tunc temporis Altaria fua ex lapidibus cafis adificabant*, cenfet *Maimonides* in *More Nevochim* p. 3. Cap. 45. Idemque docet *S. Thomas Primâ Secunda Quaftione* 102. *Articulo* 4. *ad* 7. & ante ipfum *Guillelmus Parifienfis* Libro *De Legibus*, Cap. 2. Quanquam & Gentiles ipfi, Dæmone Dei æmulo fuggerente, Altaria e terrâ, ceu viridi cefpite, five ex afpero & impolito lapide Numinibus fuis frequenter extruxerint. Teftis *Apulejus* Libro 7. De Aureo Afino: *Aram*, inquit *cefpite virente Marti Deo faciunt*. Teftis *Lucanus* Lib. 9.

——— *Erexit fubitas congeftu cefpitis Aras.*

Teftis *Tertullianus* Apologetici Cap. 25. *Etfi a Numâ concepta eft curiofitas fuperftitiofa, nondum tamen aut fimulacris aut Templis res divina apud Romanos conftabat. Frugi Religio, & pauperes Ritus, & nulla Capitolia certantia calo, fed temeraria de cefpite Altaria, & vafa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipfe nufquam.* De lapidibus, folius naturæ manu formatis, vel truncis informibus ad Aras conftruendas, vel fimulacra Deorum effingenda adhibitis, teftis eft *Arrianus* in *Peripl.* p. 1. ubi Urbis Trapezuntis memoranda referens: *Stant ibi adhuc Ara*, inquit, *quanquam ex afpero & impolito lapide, quò fit ut litera illis incifa minùs fint nota atque illuftres.* Teftis *Paufanias* in Achaicis: *Apud Gracos*, inquit, *inftituto veteri receptum erat, Deorum honores lapidibus rudibus imaginum loco exhibere.* Teftis *Tacitus*, Lib. *De Moribus Germanorum*, quorum *lucos & nemora* poftquam commemoraffet: *His*, inquit, *fimulacra Deorum addita, id eft, ftatua e ftipitibus rudibus, & impolito robore.* Teftis *Lucanus* Maffiliæ obfidionem defcribens:

*Lucus erat longo numquam violatus ab avo.*
*Arboribus fuus horror ineft: Tum plurima nigris*
*Fontibus unda cadit, fimulacraque mifta Deorum*
*Arte carent, cafifque extant informia truncis.*

XVI. Vetuit etiam Deus, ne ad Altare fuum per gradus afcenderetur, Exodi 20. 26. *Non afcendes per gradus ad Altare meum, ne revelctur turpitudo tua.* Legem hanc temporariam tantùm fuiffe, & peregrinationi Ifraëlitarum in Deferto accommodatam, quidam Interpretes opinantur: Siquidem Altare Templi Salomonici decem cubitos altum, [1. *Paralipomenon* 4. 1.] gradus neceffariò habuit, quibus ad illud afcenderetur; & *Ezechielis* Altare gradibus inftructum fuiffe, probant expreffa Prophetæ verba Cap. 43. 17. Alii cenfent Judæos terram in circuitu Altaris uniformiter in altum fuftuliffe, adeò ut Sacerdotibus non per gradus, fed per tramitem leniter acclivem ad Altare afcendentibus, omnis verenda denudandi metus & occafio tolleretur. Ita *Jofephus* Lib. 4. *Antiquitatum*, Cap. 8. *Abulenfis*, & *Ribera*: Alii arbitrantur, Deum gradus perpetuos Altari immobiliter adhærentes vetuiffe: Sacerdotem verò Sacris operantem, fcabellum, pontem, aut fabricam aliquam ligneam pedibus fuppofitam habuiffe. Ita Chaldaica Paraphrafis Jonathanis, *S. Auguftinus* Quæftione 113. in Exodum, *Hugo* Cardinalis, & *S. Thomas*. Alii exiftimant, Deum non gradus omnes, fed gradus multos, altos, pompæ, non ufui defervientes, in Altaris fui ftructurâ prohibuiffe: Ut Judæos a Gentilium ritu removeret, qui in Altaribus fublimibus facrificabant, quæ Scriptura vocat *Excelfa* fimpliciter, & eo nomine execratur, *Levitici* 26. 30. *Numerorum* 33. 52. *Ezechielis* 6. 3. *Ofee* 10. 8. *Amos* 7. 9. Volunt itaque nominis minimè obfcuri Interpretes, Legem Altare tantùm prohibere, ad cujus apicem gradibus altis, & cruribus operosè divaricatis afcendebatur, quale defcribitur a Poëtâ Templum Junonis,

*Lex prohibens ne per gradus afcendatur ad Altare.*

——— *Donis opulentum & Numine Diva,*
*Ærea cui gradibus furgebant limina.*

*Æneid.* 1.

Ita *Villalpandus* in *Ezechielis* Cap. 43. & *Pineda* Lib. 7. *De Rebus Salomonis*, Cap. 10. Favet ratio Legi adjuncta; *Ne* (inquit) *revelctur turpitudo tua.* Fieri enim facile potuit, ut Sacerdos in altum afcendens, nuditatem fuam Populo inferiori fpectandam præberet, fi ventus paulò vehementior tunicæ demiffæ lacinias attolleret, aut cruribus nimis explicatis feminalia fua rumperentur. Hoc igitur inftitutum fuit *ad excludendam Idololatriam. Nam in Sacris Priapi fua pudenda Gentiles Populo denudabant.* Verba funt *S. Thomæ* Primâ Secundæ, Quæftione 102. Articulo 4. ad 7. *Peoris*, feu *Beelphegor*, qui & *Priapus*, cultum folâ pudendorum coram ejus Idolo denudatione peragi potuiffe, conftat ex Paraphrafi Chaldaicâ *Jonathanis* in *Numerorum* 25. 1. 2. ex *Gemarâ*, & ex *Maimonide* in *More Nevochim*, p. 3. Cap. 55. Idque innuiffe videtur *Ofee* Cap. 9. 10. *Ipfi autem*, inquit, *intraverunt ad Beelphegor, abalienati funt in confufionem, & facti funt abominabiles ficut ea qua dilexerunt.*

§. IX.

## §. IX.

*De Vestibus Sacerdotalibus, ac de Urim & Thummim.*

*Feminalia.* I. SAcerdotales vestes quædam erant Sacerdotibus omnibus communes, aliæ Summo Sacerdoti seu Pontifici propriæ. *Exodi* 28. describuntur, & a *Josepho Lib.* 3. *Antiquitatum*, *Cap.* 8. Communes erant Sacerdotum atque Pontificum vestes, 1. *Linea feminalia*, usque ad genua & poplites demissa, quibus pudenda tegerentur. Horum superior pars sub umbilico vehementer adstringebatur: Ut si quando mactarent victimas, tauros & arietes traherent, portarent onera, cæterisque ministeriis incumberent, etiamsi fortè laberentur, & casu femora detegerentur, partes obscœnæ non apparerent. Ita Sacerdotum honori & Sacrorum reverentiæ a Deo consultum est. Nam & Sacerdotes ludibrio vulgi expositi fuissent, & Sacra in contemptum abiissent, si spectaculum aliquod inhonestum in Sacris contigisset. Refert *Josephus* hujusmodi feminalia ex byßo retortâ ob fortitudinem solere contexi, & postquàm incisa fuerint, acu consui: Non enim posse in telâ hujuscemodi fieri.

*Tunica talaris linea.* II. Secundum indumenti genus erat *Tunica talaris*, *linea*, quam & byssinam *Josephus* appellat. Hæc adhærebat corpori, & tam arcta erat, & strictis manicis, ut nulla omnino in veste ruga esset. Commoda hæc vestis erat, ut Sacerdotes Sacra Ministeria expeditè obirent. *Solent*, (inquit *S. Hieronymus* Epistolâ 128. ad Fabiolam,) *Militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris, & astrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem librare, & quocumque necessitas traxerit. Ergo & Sacerdotes parati in Ministerium Dei, utuntur hac tunicâ, ut habentes pulchritudinem vestimentorum, nudorum celeritate discurrant.* Lineas Sacerdotum Hebræorum tunicas imitati sunt linigeri *Isidis* in Ægypto Sacerdotes, de quibus *Juvenalis*, *Satyrâ* 6.

*Quæ Ægyptiis aut aliis Gentibus profanis accepta ferri non debet.*

*Qui grege linigero circumdatus & grege calvo.*

Et *Apulejus* in Apologiâ: *Mundissima lini seges inter optimas fruges terrâ exorta, non modò indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris usurpatur.* Sacerdotes qui *Ammonis* Sacra in Templo Gaditano procurabant, *Silius Italicus* ita describit, Lib. 3.

*Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant*
*Setigeros arcere sues, nec discolor ulli*
*Ante Aras cultus, velantur corpora lino.*

In aliarum etiam Gentium Sacra lineæ vestis usum invexit Diabolus Dei æmulus. Deæ Syriæ Sacerdotes veste candidâ ornatos Sacris operam dedisse, testis est *Lucianus* Lib. de Deâ Syriâ. *Junonis* etiam famulas, illius Sacra gestantes candidis vestibus velatas describit *Ovidius:*

*More patrum, Sancta velata vestibus albis,*
*Tradita supposito vertice Sacra ferunt.*

*Amor.* 3. *Spencerus refellitur.* Probabilitate certè caret *Spenceri* sententia Libro 3. *De Legibus Hebræorum Ritualibus* Dissertatione 1. asserentis, Lineam Hebræorum Sacerdotum vestem ab antiquo Gentium, aut Ægypti more deducendam esse. Nam Sacerdotales vestes, symbola sanctitatis, Deum ex Diaboli officinâ fuisse mutuatum, quis sibi persuadeat? Dei mandato Sacerdotales vestes factas esse Scriptura Sacra testatur Exodi 38. *Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. Hæc autem erunt vestimenta quæ facient &c. tunicam lineam strictam, &c. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron & filiis ejus, ut Sacerdotio fungantur mihi..... Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, & tiaras in gloriam ac decorem.* Ad Sacerdotum Ægyptiorum morem Deum respexisse, neque Scriptura, neque Patres asserunt. Lini feracissima fuit Ægyptus, lino Ægyptii Sacerdotes ipsaque Numina ornabantur, fateor: Sed non probat *Spencerus*, neque probare potest, ante *Moysen* Ægyptios vestem lineam in Sacris adhibuisse. *Herodotus*, *Apulejus*, *Plutarchus*, *Plinius*, *Juvenalis*, *Ovidius*, *Martialis* de Ægyptiorum sui temporis more ac ritibus fidem faciunt, sed hujusmodi moris ac rituum originem non aperiunt, aut antiquitatem indicant. Auctores sunt denique *Moyse* longè recentiores. Quamquam etsi Ægyptiis *Moysis* ætate jam in more fuisset lineæ vestis in Sacris usus, id non probaret vestis sacerdotalis originem ex Ægypto derivandam esse: Cùm a Patriarchis acceptum hunc Ritum sit verisimilius, qui Deo intus docente didicerint, quod dixit postea Plato: *Colorem album præcipuè decorum Deo esse:* & hoc Ritu significasse puritatem animi & corporis, quâ Sacra tractari & administrari debent.

III. Tertium indumenti genus utriusque ordinis Sacerdotibus commune, est *Baltheus* seu Zona, aut cingulum textum subtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & stamine byssino, ob decorem & fortitudinem, atque ita polymitâ arte distinctum, ut diversos flores ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam inter umbilicum ac pectus hoc stringebant baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, & ex unâ parte ad crura dependens, cùm ad Sacrificia cursu expeditiore opus erat, in lævum humerum retorquebatur. Sic illum describunt *Josephus* & *S. Hieronymus*. Hunc vestes lineas circa pectus cingendi morem Ægyptii quoque Sacerdotes imitati sunt, *Apulejo* teste Lib. 2. *De Aureo Asino* ita scribente: *Illa lineâ tunicâ mundulè amicta, & rubeâ fasciolâ prænitente, altiusculè sub ipsas papillas succincta*, &c. Ab Ægyptiis Sacerdotibus hunc cingendi ritum Hebræos accepisse non probatur. Sacratiorem ac planè divinam ejus originem fuisse colligere est ex Apocalypticâ Visione *Apocalypsis* 15. 6. ubi septem Angeli de Templo exeuntes describuntur *vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora Zonis aureis*. Et Apocalypsis 1. 13. *S. Joannes* vidit in medio septem candelabrorum aureorum *Similem Filio hominis, vestitum podere & præcinctum ad mammillas Zonâ aureâ*. Ratio literalis cur ita cingerentur Sacerdotes, erat ut magis expediti essent ad Sacra Ministeria obeunda, & ne Zona medium corpus stringens sudorem provocaret, & Sacræ vestes impuræ & malè olentes ex attracto sudore redderentur. Quod indicare videtur illud *Ezechielis* 44. 17. 18. ubi Sacerdotum vestes Deus describit: *Cùmque ingredientur*, portas Atrii interioris, vestibus lineis induentur.... *Vitta linea erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore*. *Baltheus.*

IV. Quartum genus vestimenti Sacerdotibus omnibus communis, est *Tiara*, seu rotundus pileolus. Non habebat acumen in summo, nec totum usque ad comam caput regebat, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquebat; atque ita in occipitio vittâ constrictus erat, ut non facilè laberetur ex capite. Erat autem bissinus, & sic fabrè opertus linteolo, ut nulla acûs vestigia extrinsecùs apparerent. Ita post *Josephum S. Hieronymus*. *Tiara.*

*Tunica talaris hyacinthina, cum tintinnabulis.*

V. Quintum indumenti Sacerdotalis genus, Pontifici proprium erat *Tunica talaris*, *tota hyacinthina*, ex lateribus ejusdem coloris assutas habens manicas, & in superiori parte, quâ collo induebatur, aperta, oris firmissimis ex se textis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facilè rumperetur. In extremâ parte, id est ad pedes septuaginta duo erant tintinnabula, & totidem mala punica iisdem contexta coloribus. Inter duo mala punica unum tintinnabulum aureum interjacebat. Ratio Legis redditur Exodi 28. 35. *Ut audiatur sonitus quando* Pontifex *ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur*. Ratio literalis erat ut ad Sanctuarii, Deique in Sanctuario residentis reverentiam cùm Pontifex ipse, tum Sacerdotes reliqui, Levitæ, ac Populus, excitarentur. Typica, seu allegorica, ut Evangelii prædicatio per orbem universum significaretur, interprete *S. Cyrillo*, Lib.2. De Adoratione in Spiritu & Veritate, pag.387. *Id quoque* (inquit) *symbolum est illius salutaris atque sapientis dispensationis, divina, inquam, atque Evangelicæ Prædicationis quâ propemodum universa Urbes circumsonant, cùm propter nos introivit in Sancta Sanctorum, æternâ redemptione inventâ summus ille Sacerdos, immaculata victi-*

*Hebr. 11.* „ *ma:* Unâ enim oblatione consummavit in per„ petuum sanctificatos. *Sunt autem minimè obscurum anigma Prædicationis quidem salutaris illa ex auro facta tintinnabula, Urbium autem malogranata . . . Ut enim Urbs uno illa quidem extrinsecus muro circumdatur, longè autem plurima intra se domicilia continet, eodem quoque modo malum granatum uno extrinsecùs putamine cingitur, sed interius grana subtilibus tunicis tanquam muris inter se distinguuntur ac prope dixerim, per domicilia colliguntur . . . . Tintinnabulum igitur singulis malogranatis adjunctum est: Nam & unicuique Urbi suus Magister, qui divinarum disciplinarum sonitu atque concentu Salvatoris nostri in Sancta Sanctorum ingressum omnibus declaret. Impendebat autem mortis metus iis, quibus Sacerdotis Munere in Tabernaculo fungi demandatum erat, nempe Aaron, nisi tintinnabula maximè circumstreperent. Est enim silentium Doctoribus imprimis periculosum. Idque perspicuè illud est quod Paulus ait:* VÆ ENIM MIHI EST, NISI EVANGELIZAVERO. Rationem omnino moralem affert *S. Hieronymus* Epistolâ 128. ad *Fabiolam*, De Veste Sacerdotum: inquit, *Debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei ut & gressus ejus, & motus & universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu; ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina Populorum. Absque tintinnabulis enim & diversis coloribus, & gemmis, floribusque virtutum, nec Sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.*

*Sistrorum usus apud Ægyptios, aliasque Gentes profanas, ex tintinnabulis summi Pontificis Hebræorum derivatus.*

A Sacerdotis Summi campanulis seu tintinnabulis originem accepere sistra & crepitacula, apud Ægyptios, aliasque Gentes, dum Sacra falsis Numinibus fierent, insonantia, suggerente Dœmone Dei æmulo. Hinc Martialis *Isidis* Sacerdotes *sistratam turbam* vocat. Ipsaque Ægyptus *Terra cymbali orarum* sive, [ut habet Vulgata] *alarum*, dicitur *Isai*. 18. 1. Cymbalum autem orarum, ut observat *Bochartus in Phaleg*, Lib.4. Cap.2. Phrasi Hebræâ cymbalum est, cujus in lateribus sunt oræ seu margines, id est sistrum. Sistrum enim est cymbali species, non minùs tinnula quàm vulgare cymbalum. Hinc *Ovidius* Lib.1. *De Ponto, Elegiâ* 1.

*Jactantem Phariâ tinnula sistra manu.*

Et *Apulejus* Lib.11. Metamorphoseon: *Æreis & argenteis, imo verò aureis etiam sistris argutum tinnitum constrepentes.*

Sed in eo differt sistrum a vulgari cymbalo, quòd cum rotundum fuerit cymbalum, sistrum fuit ovali formâ cum certis oris seu marginibus ex quibus appensa tintinnabula argutum strepitum concussu edebant. Sanè verisimilius, consultius, ac religiosius, ad æmulationem Dæmonis hi Ægyptiorum seu Gentium aliarum Ritus referuntur, quàm a receptâ cultûs Ægyptiaci pompâ tamquam primo exemplari cum *Spencero* deriventur. Hinc illud *Plutarchi* de Sacerdote Maximo Judæorum loquentis, *Symposiacon* Libr.4. Quæstione 5. *Multa tintinnabula dependent de veste, quæ inter ambulandum strepitum edunt, prout apud nos hodie sonitibus utuntur inter Sacrificia.*

VI. Sextum indumenti genus soli Pontifici conveniens, erat *Superhumerale*, Hebræis *Ephod* dictum, Ephode simplicium Sacerdotum longè pretiosius & formâ præstantius. Istud enim simplex erat & lineum, ad cujus similitudinem parvulus *Samuël*, Levitici Ordinis, Ephod indutus erat, ut narrat Sacer Historicus 1. *Regum* 2. & *David* ante Arcam Domini *accinctus* erat *Ephod lineo*, ut habetur 2. *Regum* 6. 14. Ephod autem seu Superhumerale Pontificium, palliolum erat ex auro, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ, opere polymito contextum, mirâ pulchritudine & fulgore præstringens oculos. Contra pectus nihil contextum erat, ut locus *Rationali* relinqueretur. In utroque humero singulos habebat lapides clausos & adstrictos auro: Quos Aquila, Symmachus, Theodotio, & Latinus Interpres *Onychinos* vocant; Septuaginta *Smaragdos*; Josephus *Sardonicas*, cum Hebræo & Aquilâ cæteroquin consentiens, ut vel colorem lapidum, vel patriam demonstraret. Singuli sculpti erant & cælati senis Patriarcharum, a quibus Tribus Israël appellatæ sunt, nominibus. In dextro humero majores filii Jacob, in levo minores scripti erant: *Ut Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum nomina Populi, pro quo rogaturus erat Dominum, portaret in humeris* [inquit *S. Hieronymus*:] Ut etiam Patriarcharum virtutes in memoriam revocarent, cùm Pontifex tum Populus, & illas imitari studerent, ut exponit *Beda*: Ut denique significaretur, Sacerdotem infirmitates Populi tolerare debere compatientis charitatis affectu; ut exponit *S. Thomas Primâ Secundæ Quæstione* 102. *Articulo* 5. *ad* 8. *Ephod.*

VII. Septimum indumentum, mensurâ quidem parvum, sed cæteris sacratius Hebraicè *Osen*, Grecè λογιον Latinè *Rationale* appellatur. Pannus erat brevis, ex auro & quatuor coloribus textus, hoc est iisdem quibus & superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum; & duplex, ne facilè rumperetur. Intexti erant ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretii, per quatuor ordines. In primo ordine, Sardius, Topazius, Smaragdus coruscabant. Ceraunium pro smaragdo *Symmachus* transtulit. In secundo ordine, Carbunculus, Saphyrus, Jaspis. In tertio Lyncurius, Achates, Amethystus. In quarto Chrysolitus, Onichinus, Berillus. Lyncurium pro Hyacintho positum, *S. Hieronymus* conjicit. In his lapidibus sculpta erant duodecim Tribuum Israël nomina, in singulis singula. Sub horum nominibus & specie, virtutum vel ordo, vel diversitas indicabatur. Per quatuor Rationalis angulos quatuor annuli aurei, quibus alii quatuor in superhumerali respondebant, ut vittis hyacinthinis, & catenis aureis Rationale superhumerali necteretur, & quasi una textura videretur. *Rationale Judicii* vocatur, quòd cor ac pectus tegeret, ornaretque, *ubi rationalis facultatis est locus: In facultate enim rectè ac justè judicandi ratio continetur.* Lapides duodecim auro conclusi, in quibus *Rationale.*

uni-

universæ Tribus descriptæ, *Sanctorum virorum figuram gerunt, qui tum splendorem habent, tum pretiosi sunt, & veluti lapides quidam electi, ac propemodum in Christi corde atque animo positi. Sunt enim planè digni qui commemorentur propter virtutis claritatem, dignitatemque sanctificationis.* Aureæ fimbriæ e Rationali pendentes, significant, *De sanctorum hominum cœtu maximum & infinitum rerum præclarè gestarum examen propè suspensum videri: Ideoque David Ecclesia ornatum in fimbriis esse dicit.* Rationalis cum superhumerali connexio, significat, *Christo interposito Mediatore, superis infera esse connexa:* Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, *ut Scriptura tradunt, & Angelorum cœtui humanam naturam charitatis vinculo devinxit.* Ternorum lapidum per quatuor ordines dispositio, *Eorum qui in Christi corde ac memoriâ habentur, fidei firmitatem nobis adumbrat. Nam fidei signum est, quòd terni, & tamquam in Trinitate dispositi sunt; firmitatis autem quòd eâ figura conformati, quæ quadrata esset, & paribus undique lateribus.* Ita *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 2. *De Adoratione in Spiritu & Veritate* p. 384. & 385.

*Urim & Thummim usus. Quas ob rationes Deus illud Oraculum Populo suo concesserit.*

VIII. Rationali Deus incidi jussit *Urim & Thummim*, ut habet Textus Hebræus sic ad verbum translatus: *Et dabis ad pectorale judicii URIM & THUMMIM, & erunt super cor Aaronis, cùm ingressus fuerit coram Domino:* ( id est in Sancta Sanctorum: ( *& portabit Aaron judicium filiorum Israëlis super cor suum coram Domino jugiter.* ( Exodi 28. 30. ) URIM *ignes* vel *lumina*: THUMMIM *perfectiones*, *integritates* significare, ferè convenit inter Eruditos. Septuaginta Interpretes *URIM & THUMMIM* transtulerunt, *Demonstrationem & Veritatem*: Sic enim habet eorum Versio: Κάι ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν. *Et impones super Rationale judicii demonstrationem & veritatem.* Chaldaica Paraphrasis *Onkelosi* servat nativas voces *Urim & Thummim*. Aquila & Theodotion eas *per* φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις id est *Illuminationes & Perfectiones*, interpretantur. Syriacus *Lucidum & perfectum* reddit: *Et pone super thoracem judicii lucidum & perfectum.* Arabs: *Et pones in thorace præparato dilucidationes & certitudines.* Vulgata nostra: *URIM & THUMMIM* reddit, *Doctrinam & Veritatem*. Sic enim habet: *Pones autem in Rationali judicii Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit Judicium filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domini semper.* Ex hac Versionum varietate non magis quàm ex Hebræo Textu innotescit, quid illud sit quod Deus Rationali apponi vel inseri jussit, & quod *Moyses* nominibus *URIM & THUMMIM* significavit. Cùm enim reliquarum omnium vestium sacerdotalium materia, forma, factura describantur accuratè *Exodi* 28. de his solis nihil hujusmodi expressis ac disertis verbis præscribitur: Cæteras per Artifices Deus fieri jubet: De his verò soli Moysi præcipit: *Et indes pectorali Urim & Thummim:* Sive, ut habet Vulgata Versio: *Pones autem in Rationali judicii Doctrinam & Veritatem.* Cap. 39. *Exodi*, ubi recensentur singillatim Pontificalia & Sacerdotalia Vestimenta *a Beseleele & Oliabo* secundùm Mandatum Dei *Moysi* datum confecta, nulla *URIM & THUMMIM* constructi, vel contexti, aut insculpti, vel inscripti Rationali mentio habetur. At *Levit.* 7. ubi consecratio *Aaronis* ceu Pontificis describitur, V. 8. dicitur: *Et superimposuit ei pectorale, & indidit pectorali URIM & THUMMIM.* Sive, ut habet Vulgata, *Superhumerale aptavit Rationali, in quo erat Doctrina & Veritas.*

IX. De usu URIM & THUMMIM, eorumque notione generali, Eruditi consentiunt. Certissimum Dei Oraculum fuisse censent, per quod Deus in rebus gravibus, dubiis & inopinatis, Ecclesiæ vel Reipublicæ salutem spectantibus, a Rege, aut Principe, vel a Synedrio interrogatus, quæ facere oporteret, per Summum Sacerdotem revelabat. URIM & THUMMIM in hunc usum divinitus instituta fuisse, demonstratur ex Scripturâ Sacrâ. Cùm enim Deus *Moysi* mox morituro præcepisset, ut manum *Josuë* Duci Populi designato imponeret, ( Numerorum 27. ) addit: *Et stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine: & dabit ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum.* Textus Hebræus habet: *Et coram Eleazaro Sacerdote stabit, & interrogabit eum de judicio URIM, juxta os ejus ingredientur, Ipse & omnes filii Israëlis, & tota congregatio.* Abiathar Sacerdotem Deum nomine *Davidis* per *Ephod*, [ quo nomine *Urim & Thummim* ab eo indivulsa intelliguntur ) consuluisse narrat Sacra Regum Historia Lib. 1. Cap. 23. 9. 10. 11. 12. *Cùm David rescisset* [ inquit ] *quia præpararet ei Saül clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod. Et ait David: Domine Deus Israël, audivit famam servus tuus, quòd disponat Saül venire in Ceilam, ut evertat Urbem propter me: Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? Et si descendet Saül, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israël, indica servo tuo. Et Ait Dominus: Descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ & viros qui sunt mecum, in manus Saül? Et dixit Dominus: Tradent.* Et Cap. 30. 7. 8. *Confortatus est autem David in Domino Deo suo. Et ait ad Abiathar Sacerdotem: Applica ad me Ephod. Et applicavit Abiathar Ephod ad David, & consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere; Absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Lib. 1. *Esdræ*, Cap. 2. narratur, quòd cùm Sacerdotes nonnulli recens e captivitate reduces, nomina sua in Genealogiis reperire non potuissent, *Esdræ* Mandato cautum sit, *Ut non comederent de Sancto Sanctorum, donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus:* Sive ( ut Hebræus Textus habet ) *Donec extaret Sacerdos cum URIM & THUMMIM:* Id est, donec Deus Oraculo determinaret, utrùm e familiâ Sacerdotali originem traxissent. Hunc usum *Urim & Thummim* confirmat *Josephus Lib.* 3. *Antiquitatum* Cap. 9. ubi Rationale a Græcis Judaicæ Religioni non infensis *Oraculum* vocari testatur. Idem confirmat summus Hebræorum consensus, qui omnes revelationis divinæ modos ad quatuor capita revocant: 1. *Spiritum Sanctum*, cujus afflatu aliquis summis par negotiis & officiis derepente prodit, aptus ad loquendum vel agendum ultra humanum modulum: 2. *Prophetiam*, quæ & somnium & visionem complectitur: 3. *Filiam vocis*, verbum scilicet de cœlo mediante Angelo factum: 4. *Urim Thummim*, quibus Deus personis publicis, de Ecclesiæ vel Regni gravioribus negotiis ipsum consulentibus velut Deum ac Regem Israëlis, Majestatis suæ placita declarabat, & de futuris eventis publicum bonum spectantibus certiores faciebat.

Ut autem de publicis dumtaxat negotiis, a personâ publicâ, id est Rege, Principe, vel Duce, aut Patre Domûs Judicii, id est, Synedrii Præside, URIM & THUMMIM consuli potuisse tradunt, ne divini Oraculi auctoritas vilesceret, ac in abusum traheretur: Ita solo Pontifice mediante, velut divinæ voluntatis Nuntio & Interprete or-

ordinario ad *Urim* & *Thummim* datum fuisse aditum asserunt. Soli enim Pontifici *Urim* & *Thummim* Rationali indita circumferre licebat. Id ex *Talmud Joma* Cap.7. ex R. *Levi Ben Gerson*, ex *Seder Olam* Cap.14. ex *Abarbanele* in *Deuteronom.* aliisque Hebræorum Magistris, probat *Buxtorfius* in *Historiâ URIM & THUMMIM* Cap. 3. Id confirmatur ex illis verbis *Deuteronomii* 33. 8. quibus Moses Tribui Leviticæ benedicens, ob *Aaronis* meritum URIM & THUMMIM perpetua adprecatur: *Urim & Thummim tua Viro Sancto tuo.* Ita quidem Textus Hebræus; Ubi Vulgata nostra habet: *Perfectio tua, & Doctrina tua Viro Sancto tuo, &c.* Oraculum illud sub Templo secundo defecisse tradunt Hebræi, quorum testimonia apud *Buxtorfium* Cap.5. legi possunt. *Salomonis* temporibus conticuisse, propugnat *Spencerus* Lib.3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Dissertatione 7. Cap. 7. argumento præcipuè negativo, ex silentio Scripturæ petito, in quâ Deum post *Salomonis* tempora quandoque per Prophetas, numquam per *Urim* aut *Thummim* de publicis negotiis consultum legimus. Id confirmat ex 2. *Paralipomenon* Cap.34. 22. ubi *Helcias* Pontifex *Oldam* Prophetissam consuluit, cùm *Josiæ* Regis animus in dubio hæreret, & ille, aliique, de rerum eventu solliciti inter spem metumque vacillarent. Neutiquam autem credibile est, inquit Spencerus, *Helciam* consilia circa Regni dubium impetrandi causâ *Oldam* adire voluisse, si Rationalis Oraculum suo saltem tempore non conticuisset. Hæc enim submissio Pontificis officio locique sui dignitati minùs consentanea videtur. Verùm de re incertâ & obscurâ judicium suspendere consultius existimo.

X. Ratio literalis cur URIM & THUMMIM Israëlitico Populo Deus dederit, multiplex afferri potest. Prima, ut Israëlitas cultui suo magis adstringeret, qui ad Oracula Ariolosque Gentium in viciniâ habitantium, insitâ quadam futurâ cognoscendi libidine confugissent, & consequenter ad earumdem Ritus & Idola defecissent, si sua eis defuissent Oracula. Hanc rationem *Origeni* debemus Lib.1. contra Celsum: *Gentibus* [ inquit ] *futurorum cognitionem petentibus ex Oraculis, auspiciis, auguriis, ventriloquis, aruspicibus, Chaldæis, Genethliacis, quæ artes omnes apud Judæos sunt vetitæ, si ipsi nullum solatium habuissent e futurorum præscientiâ, certè impulsi humanâ quâdam futura cognoscendi libidine contempsissent res suas ut nihil divini in se habentes. Nec alium post Moysen Prophetam recepissent, transfugissentque ad Oracula Gentium, aut ipsi conati fuissent apud se aliquid simile instituere.* Secunda, ut divinæ præsentiæ ac specialis providentiæ signum esset ac argumentum. Tertia, ut hoc Oraculum divini imperii pignus esset ac testimonium. Cùm enim Deum de negotiis Reipublicæ gravioribus consulerent, ipsum esse Regem Israëlis profitebantur, ut revera erat. Unde *Theodoretus* Quæstione 14. *in* 1. *Regum*, Deum iratum fuisse ait, cùm Regem petiisset Populus: *Quoniam petitio erat præter Legem divinam. Dominus enim Deus & Dei & Regis implebat Munus. Propheta autem erat Administer, & veluti quidam Præfectus, aut Magister Militum, aut Tribunus Plebis.* Quarta, ad conciliandam Summo Sacerdoti reverentiam, qui Oraculorum divinorum Nuntius esset ac Interpres. Id Ethnicis imitandum suggessit Diabolus Dei æmulus. Suos enim Pontifices, quos Deorum alloquiis dignos præ ceteris existimabant, Muneri Deos consulendi præposuerunt. Hinc *Lucianus* Lib. *De Deâ Syriâ*, sermonem faciens de *Apollinis* Oraculo, ait: *Summus Sacerdos supplex accedens, interrogat illum de omnibus in dubio positis.* Hinc *Julianus* Epistolarum p.237. *Ego*, inquit, *quoniam Sacrorum patriorum factus sum Pontifex, & Oraculi Didymæi Præfecturam jam sortitus sum, edico tibi, ne quid eorum quæ ad Sacerdotem Magnum spectant totis tribus Mensibus attingas.* Ratio verò typica URIM & THUMMIM, erat adumbratio prophetica veri Pontificis JESU CHRISTI Mediatoris Dei & hominum, *Per quem gratia & veritas facta est*, immò qui *Veritas* est, & *Lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum*; & Mysteria enarravit, utpotè *Unigenitus qui est in sinu Patris*; & *Omnia quæ audivit a Patre*, Apostolis suis, & per eos Ecclesiæ suæ *nota fecit*.

XI. De Naturâ URIM & THUMMIM variæ sunt ancipitesque cùm Hebræorum, tum Christianorum sententiæ. Quidam censent Oraculum illud nihil aliud fuisse quàm duodecim gemmas Rationalis cum inscriptis duodecim Patriarcharum nominibus. In eâ fuere sententiâ *R. Azarias* in *Meor Enaiim* Cap.50. *Josephus* Lib.3. *Antiquitatum* Cap.8. & 9. *Nicolaus de Lyra*, *Tostatus*, *Oleaster*, *Lipomanus*, *Ribera*. *Procopius in Deuteronomii* 33. duos lapides fuisse censet, *claritatem* & *veritatem* repræsentantes. *Anastasius Nicænus* Quæstione 38. in Sacram Scripturam putat fuisse adamantem, qui Summo Pontifice in Sancta Sanctorum intrante, si Populus peccato pollutus esset, nigresceret; si Deus illum punire decrevisset, sanguinei coloris efficeretur; si non peccasset, albesceret ut nix: Atque tempore *Zachariæ* patris *S. Johannis Baptistæ* insigniter splenduisse. *Arias Montanus* sententiæ *Procopii* adhærens, duos lapides lucidissimos fuisse existimat, a Deo immediatè productos, ac *Mosi* datos. *R. Azarias* his argumentis suam fulcit sententiam. 1. Quòd duodecim illæ gemmæ inditæ fuerint Rationali, & ejus duplicationem repleverint, unde *Lapides impletionum* vocantur. 2. Quòd *Moyses* Exodi 39. accuratè omnia vestimenta describens, Rationalis quidem, sed *Urim & Thummim* nullatenus meminerit: *Levitici* verò 8. ubi *Urim* & *Thummim* commemorat, de duodecim illis gemmis sileat. Quod argumento est, *Urim* & *Thummim* nihil aliud fuisse præter gemmas ipsas Rationalis. 3. Quòd notissimum sit, responsum per *Urim* & *Thummim* datum, ex gemmis illis & literis illarum egressum esse, per lucem ex illis promicantem; unde *Illuminationes* dictæ sunt, quasi *gemmæ lucentes*. 4. *Maimonidem* in hanc propendere sententiam ait, ex cujus suffragio maxima ipsi probabilitas accedat. 5. Addunt alii, cùm *Moyses* Vestium Sacerdotalium materiam & formam accuratissimè descripserit, illum pluribus etiam descripturum fuisse *Urim* & *Thummim*, si aliud a duodecim Rationalis gemmis per illa intellexisset. *Josephus* Lib.3. *Antiquitatum*, Cap.8. Pontificium ornatum describens, gemmarum quidem in Rationali fulgentium, *Urim* verò & *Thummim* nullam facit mentionem. Cap. 9. ubi de Rationalis Oraculo agit, gemmas tantùm insolito fulgore radiantes commemorat, *Per duodecim gemmas*, inquit, *quas in pectore Pontifex infutas Esseni*, ( id est Rationali ) *gestat, in bello victoriam prænuntiare Deus solebat. Nam priùs quàm Exercitus se moveret, tantus fulgor ex eis emicabat, ut toti Populo facilè innotesceret adesse Deum, opemque & auxilium suum invocantibus esse allaturum. Quapropter Græci quotquot a nostrâ Religione non abhorrent, cùm hoc Miraculum pro compertissimo habeant, ita ut negari non possit, Essena vocant* λογιον *hoc est, Oraculum. Desiit tam Essen quàm Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur, iratæ Deo propter Legum suarum prævaricationem.* Hanc Sententiam sugillat & ad fabulas rejicit *S. Augustinus Quæstione* 117. in *Exodum* exponens illa

*Quid fuerint Urim & Thummim.*

ver-

verba: *Et impones super Rationale judicii Demonstrationem & Veritatem*. Sic autem habet: *Quid sibi hoc velit, vel in quali re vel metallo poneretur super Rationale Demonstratio & Veritas, quoniam talia dicit fieri in Veste Sacerdotis, quæ corporaliter fiunt, invenire difficile est. Fabulantur tamen quidam lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta; & hoc esse quod ait;* Et afferet Aaron judicia filiorum Israël super pectus, *ostendens videlicet in illâ Demonstratione & Veritate, quid de illis judicaverit Dominus. Quamquam possit intelligi Demonstrationem & Veritatem literis impositam super λογίῳ.* Cum *S. Augustino* sentit *S. Thomas* Primâ Secundæ Quæstione 102. Articulo 5. ad 8. & 9. *Judæi*, inquit, *fabulantur, quod in Rationali erat lapis, qui secundùm diversos colores mutabatur, secundùm diversa quæ debebant accidere filiis Israël: & hoc vocant Veritatem & Doctrinam*. Antiqui tamen & Doctissimi Patres hanc Hebræorum Sententiam ut maximè probabilem adoptarunt. In eâ fuit *S. Joannes Chrysostomus* Oratione 4. contra Judæos: *E lapidibus*, inquit, *qui erant in pectore Summi Sacerdotis, (id vocabant Declarationem) relucebat fulgor quidam futura significans.... Itaque ne Judæi perfrictâ fronte hominibus imputarent suarum rerum vastationem, non solùm Civitatem Deus passus est dirui, ac Templum vastari, verùm etiam illa, quæ cœlitus habebant originem, e medio sustulit, videlicet ignem, vocem, e lapidibus reddi solitum fulgorem, & hujus generis alia universa:* In eâdem Sententiâ est *Theodoretus* Quæst. 60. in Exodum. *Supra pectus autem*, inquit, *erat quod Rationale vocabatur, tegens cor partem rationalem. Quod ipsum quoque duodecim lapides habebat apparatos, diversis coloribus distinctos: Atque ex his belli tempore cognoscebatur victoriane an clades immineret: Ut perspicuum est ex Historiâ Regnorum. Nam cùm alienigenæ coacto Exercitu invaderent Populum Israël, ante confligere Saul non est ausus quàm victoria indicia perspexisset.* Applica, *inquit*, Ephod. *Deinde cùm victoriam futuram animadvertisset, addidit*, Contrahe Ephod. *& ita Populum armari jussit. Propterea cùm dixisset Deus omnium,*
Exod. 28. „ Et impones Rationale judicii supra pectus
„ Aaron, & aptabis illud superhumerali, *subjunxit*: Et impones illi Demonstrationem & Veritatem. *Ac Demonstrationem quidem appellavit indicia, quæ inde petebantur: Veritatem verò ipsam indiciorum certitudinem. Cæterum non est ignorandum, Dominum Sapientissimum per signa corporea studuisse commodo eorum, qui crassioris adhuc erant ingenii, nec percipere ea quæ intellectualia sunt, poterant.* Hanc Sententiam tantis licèt nominibus roboratam ratio non levis concutit, ex ipso Scripturæ Sacræ textu petita. Deus enim *Urim & Thummim* Rationali jam perfecto & absoluto apponi jussit. At lapides inseri voluit, cùm adhuc Rationale sub Artificum manu versaretur. Istos a *Beseleel* vel sociis; illa ab ipso Moyse. Postquam enim Deus voluntatem suam de gemmis in Rationalis palis includendis declarasset *Exodi* 28. Tandem addit V. 30. *Et dabis ad pectorale judicii Urim & Thummim*. Sive, ut habet Vulgata: *Pones autem in Rationali judicii Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino*. Nisi verò a gemmis diversum quid fuissent *Urim & Thummim*, ad quid novo mandato sanxisset Deus ut hæc in Rationali ponerentur, cùm jam antea gemmas in illo disponi ac figi præcepisset? Scio Hebræos ad majorem inculcationem id factum comminisci. Sed cur majori inculcatione opus in gemmis, quàm in reliquâ Rationalis, & Ephod, ac aliarum vestium sacrarum texturâ? Cur etiam verbis obscuris & mysticis, non autem apertis & usitatis, contra communem hominum morem, res eadem inculcaretur? Denique Siracides *Ecclesiastici* 45. 12. 13. ubi Pontificis ornamenta describit, de Rationali Judicii, de Urim & Thummim, de gemmis insculpta Tribuum nomina gerentibus, velut de rebus distinctis loquitur. *Stolam sanctam auro & hyacintho, & purpurâ, opus textile, viri sapientis, Judicio & Veritate prediti: Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligaturâ auri, & opere lapidarii sculptis, in memoriam secundùm numerum Tribuum.*

XII. Alii volunt *URIM & THUMMIM* fuisse scripturam vel sculpturam Nominis Tetragrammaton, cum certis quibusdam ejus per alia item nomina divina quadraginta duarum, & septuaginta duarum literarum expositionibus, quas Moyses vel a Deo ipso scriptas, vel lapidibus insculptas acceperit, vel ipse ex divinâ revelatione scripserit, & duplicationi Rationalis inseruerit. Ita Auctor Libri *Zochar*, Targum *Jonathanis* in *Exodi* 28. R. *Salomon*, R. *Levi Ben Gerson*, *Nachmanides*, *Abarbanel*, & alii Rabbini, necnon Cabalistæ plures, qui observant, Nomen Dei Tetragrammaton duodecim variationes admittere per literarum transpositiones; quæ omnes eamdem significationem *Essendi* retineant, sine ullâ mutatione, in argumentum unitatis & immutabilitatis Essentiæ divinæ, juxta illud Malachiæ 3. 6. *Ego Dominus, non mutor*: Ac proinde ejusdem etiam sint sanctitatis. Hæc duodecim Nomina Divina ab exteriore duodecim Rationalis gemmarum parte fuisse iis insculpta: Ita ut quemadmodum ab interiori parte nomen Tribûs, ita in parte aversâ Nomen quodpiam Dei insculptum fuerit, cujusque Tribûs quasi signaculum & sigillum; & Divinorum illorum Numinum virtute, quando Sacerdos Summus Deum per illa consulebat, & gemmas insolitum fulgorem emisisse, & ipsius Sacerdotis animum illuminatum fuisse. De his *Reuchlinus* Lib. 3. *De Arte Cabalisticâ*, *Buxtorfius* in *Historiâ URIM & THUMMIM*, Cap. 2. Addunt Talmudici, cùm Pontifex Deum consuleret, facie in Arcam obversâ, literas illas divinorum Numinum in Rationali tunc temporis plus solito splendescentes, aut virtute divinâ protuberantes, Dei responsum exhibuisse. Hæc sententia speciosum figmentum est; nullo Scripturæ Sacræ, aut Patrum testimonio fulta est & cohonestata. 2. Incredibile est quòd in duodecim gemmis, singularum Tribuum nomina inscriptis, divina adhuc tot literarum nomina insculpi potuerint. 3. Quomodo responsum quandoque prolixum, & eadem Alphabeti elementa sæpè repetita postulans, per literas, quæ semel duntaxat in Rationalis verbis occurrebant, reddi potuit? 4. *Urim & Thummim* in Templo secundo non fuisse consentiunt Hebræorum Magistri, quo tempore, inquit R. *Azarias*, Nomen Tetragrammaton adhuc ipsis notum erat. Si ergo *Urim & Thummim* nihil aliud fuere quàm divini hjus Nominis scripturâ vel scultura, cur *Urim & Thummim* non scripserunt, vel insculpserunt gemmis Rationalis?

XIII. Censent alii literas ex Nominibus divinis, aut ex Nominibus duodecim Patriarcharum lucentes ac protuberantes Oraculum non perfecisse Spiritum Sanctum, quo Sacerdos simul cum Rationali induebatur & illuminabatur, ut nosset quomodo literæ sic lucentes vel prominentes combinandæ essent, ut hoc medio Dei consilium exploratum haberet, atque ad interrogata responderet. Ita *Maimonides* in *More Nevochim* P. 3. Cap. 45. R. *David Kimchi* in *Judicum* 20. & in 2. *Regum* 25. R. *Bechai* in *Deuteronomii* 32. 8.

Quam

Quam sententiam *Antonius Milieus in Poëmate,* cui titulus est, *Moses Viator*, P.1. Lib.13. non invenustâ Musâ sic expressit:

——— *Quoties de lege refert Responsa Sacerdos*
*Consultus, Regnique vices & publica fata*
*Aut privata rogant dubiis in rebus egentes*
*Consilio, ac Numen venerati rite precantur;*
*Pontifici adsistens Summo praecordia sellit*
*Spiritus, & gemmas arcano illuminat igne,*
*Instigatque animi fibras, & facta recludit:*
*Tum linguam moderante Deo, certissima fudit*
*Effata, & procul omnis abest ambagibus error.*

XIV. Existimant alii *URIM* & *THUMMIM* Imagines quasdam Astrologicas fuisse. In eam sententiam unus *Aben-Ezra* propendet, quem R. *Azarias* merito refellit. Divinum enim Oraculum profanis hujusmodi figuris aut imaginibus, ad superstitiosam divinationem plerumque accommodatis constitisse, quis sibi persuadeat?

XV. Aliis incertum videtur quid fuerint *URIM* & *Thummim* ratione materiæ & formę spectatâ. Ita R. *David Kimchi* in Libro *Schoraschim*, R. *Abraham Seba* in *Tzeror Hammor*, & *Aben Ezra*, quorum loca legere est apud *Buxtorfium* in Historiâ *Urim & Thummim*, Cap.2.

XVI. Aliis probabilius videtur *URIM* & *THUMMIM* nihil aliud fuisse præter hæc duo verba, *DOCTRINAM* & *VERITAS*, Rationali inscripta, quemadmodum laminæ aureæ quam in fronte gestabat Pontifex, inscriptum erat, *SANCTUM DOMINO*. Hæc opinio planior est, & Scripturæ Sacræ verbis magis conveniens, quibus perfecto Rationali, gemmisque, annulis, & catenis aureis ornato, atque cum Ephode conjuncto, ita ut separari nequeant, additur: *Pones autem in Rationali Judicii Doctrinam & Veritatem: Quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino*. Censent autem hujus opinionis vindices, duas illas voces Rationali inscriptas, non fuisse divinum Oraculum, sed indices Oraculi: Non instrumentum, sed causam moralem, vel conditionem sine quâ non fieret hoc genus Revelationis. Summo Sacerdoti Ephode & Rationali, cui *Doctrina & Veritas* inscriptæ erant induto, Deumque coram Arcâ consulenti, Deum revelasse placita sua, quæ Populo denunciaret. Nec tamen id semper contigisse, sed cùm Deo visum est. Unde 1. *Regum* 28. 6. ubi de *Saule* dicitur: *Consuluitque Dominum, & non respondit neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas;* pro his vocibus *neque per Sacerdotes* in Hebræo habetur, *neque per Urim*. Hanc opinionem sequuntur *Sallanus* in Annalibus ad annum 2544. §. 550. *Cornelius a Lapide*, & alii Recentiores. Sed ea recens non est, imò *S. Augustini* calculo comprobata; *Quæstione* 117. *in Exodum*. Cujus verba suprà descripta habes Num. 11. & *S. Thomæ* Prima Secundæ Quæstione 102. Articulo 5. ad 8. & 9. *In Rationali*, inquit, *erant duodecim lapides pretiosi, distincti per quatuor ordines: In quibus etiam sculpta erant nomina filiorum Israël, quasi ad designandum quòd ferret onus totius Populi, per hoc quòd habebat nomina eorum in humeris; & quòd jugiter debebat de eorum salute cogitare, per hoc quod portabat eos in pectore, quasi in corde habens. In quo etiam Rationali mandavit Dominus poni Doctrinam & Veritatem: Quia quædam pertinentia ad veritatem justitiæ & doctrinæ scribebantur in illo Rationali.* Hanc probabilem censet *S. Cirillus Alexandrinus* Lib. 2. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, quamvis ipsam Quæstionem de Naturâ *Urim* & *Thummim* haud magni momenti esse *putet*. *Præterea*, inquit, *aliud quoddam ornamentum his ,, duodecim gemmis adnecti præcepit, dicens:* Et
,, impones super Rationale Judicii Manifestatio-
,, nem & Veritatem: & erit supra pectus Aaron
,, cùm ingredietur in Sanctum coram Domino,
,, & inferet Aaron judicia filiorum Israël in pectus
,, coram Domino in perpetuum. *Manifestationem igitur ac Veritatem appellat; non tamen apertè indicavit utrùm lapides fuerint, an velut in parvâ tabellâ eam inscriptionem fieri jusserit: Memini etiam*
,, *Prophetæ dicentis*: Quia dies multos sedebunt Osee 3.
,, filii Israël sine Rege, sine Principe, sine Sa-
,, crificio, & sine Altari, & sine Sacerdotio,
,, & sine Manifestationibus. *Sed sive lapides illi fuerint, sive tamquam in aureâ tabellâ ea Nomina descripta fuerint; id verò non nimium curiosè pervestigabimus: Tantùm scire satis erit, ea in figuram Christi esse posita, qui unà cum sanctis hominibus versatur*. Ecce enim, *inquit*, vobiscum Matth. 28.
,, sum omnibus diebus, & usque ad consumma-
,, tionem seculi. *Veritas autem ac Manifestatio Christus est: In eo enim Patrem cognovimus, & manifestavit nobis bonam ipsius voluntatem, & perfectam, & beneplacentem, juxta Scripturas. Ait*
,, *enim Christus*: Jam non dicam vos servos, sed Joann. 16.
,, amicos; quia omnia quæ audivi a Patre meo,
,, nota feci vobis. *Veritas est etiam aliâ ratione ille Emmanuel: quia solus ipse secundum naturam Filius, & ut Deus ex Deo solus sanctus, solus Dominus; at verò creatura per participationem atque imitationem, id est, quod cumque ille esse intelligitur. Adest itaque Christus cum Sanctis Viris præsens, cùm tamquam in manifestatione ac veritate intelligitur; idemque caussam nostram in conspectum Patris refert, semper vivens ad interpellandum*
,, *pro nobis: Id enim est, ut opinor illud:* Et inferet Hebr. 7.
,, Aaron Judicia filiorum Israël coram Domino
,, in pectore suo in perpetuum.

XVII. *Spencerus Lib. 3. De Legibus Ritualibus Hebræorum, Cap. 3. Dissertatione 7.* novam nuper opinionem invexit multisque adstruerę conatus est. Censet *URIM*, instrumentum concavum fuisse, decorè fabricatum, sive simulacrum parvulum ad humanam similitudinem formatum, *Theraphim* antiquitus appellatum; quod reconditum gestavit Summus Sacerdos intra concavas Rationalis plicaturas, quo mediante Deus, aut Angelus illius vocem & nomen gerens ad Pontificis interrogata respondit, eique quid agendum, quid non agendum quid præsens, quid futurum esset, voce formatâ revelavit. Cùm scilicet mos iste simulacra illa fatidica *Theraphim* in dubiis consulendi, longè latèque per Gentes invaluisset, Deum veterem a *Theraphim* petendi Oracula ritum, in Pectoralis *Urim* penè invariatum Israëlitis ex indulgentiâ concessisse, ne in gentium semitas moris antiqui effreni desiderio præcipites agerentur. *Urim* igitur ejusdem cum *Theraphim* muneris, & fortè figuræ, fuisse, sub nominis diversi larvâ simulacrum.

*Spenceri de Urim singularis opinio, idem esse quod Theraphim asserentis, refellitur.*

XVIII. Huic sententiæ *Vitsius Lib. 2. Ægyptiacorum*, post *Bonfrerium* in Cap. 17. *Judicum*, & alios interpretes Catholicos, rectè opponit, *Theraphim* numquam a Deo in suo cultu approbata, sed vetita fuisse, ut mera Idololatriæ & superstitiosæ divinationis instrumenta. Id enim probat exemplum Regis Babylonis de quo *Ezechielis* 21. 21. legitur. *Stetit Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas: Interrogavit Idola, exta consuluit*. Pro Idolis, *Theraphim* habet Hebræus Textus. Sicut & *Zachariæ* 10. 2. ubi Vulgata nostrâ habet, *Quia simulacra locuta sunt inutile*. Et 4. *Regum* 23. 24. ubi legimus in Vulgatâ nostrâ: *Sed & Pythones & Ariolos, & figuras Idolorum, & immunditias & abominationes, quæ fuerant in Terrâ Juda & Jerusalem, abstulit Josias*. Pro figuris Idolorum, Textus Hebræus habet

Thea

*Theraphim*. Quem in locum R. *David Kimchi* ait, *Theraphim sunt Imagines factæ ad cognoscendum ex iis futura*. Hæc simulacra nihil aliud quàm Idola fuisse, probat insuper *Labani* expostulatio cum *Jacob*. Genesis 33. 30. *Cur furatus es Deos meos?* ipsiusque *Jacob* responsum versic. 32. *Apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris*: & quod Scriptura subdit; *Hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata esset Idola.... Cùmque intrasset Laban tentorium Rachelis, illa festinans abscondit Idola super stramenta cameli & sedit desuper*. Pro Idolis, *Theraphim* in Hebræo habetur. Sed & magicarum artium instrumenta *Theraphim* fuisse, fatentur Hebræorum Magistri. *Salomo Jarchius* in 2. Regum 23. 24. *Theraphim fuerunt Imagines, quæ loquebantur per artes magicas. Qui faciebat eas, opus habebat respicere horam certam, & annum certum convenientia ad id*. Capitula R. *Eliezeris* & Targum Hierosolymitanum confecta fuisse tradunt ex capite mactati filii primogeniti, saleque & oleo conditi, cujus ori inferebatur lamina aurea Dæmonis nomine insignis, coram quo ad parietem posito lampades accendebant, & procumbentes illud interrogabant, responsumque per Dæmonem accipiebant. Non est ergo probabile Deum, cujus consilium fuit Israëlitis ab Idololatriâ & superstitionibus cæteris abducere, *Theraphim* adoptasse in sacratiorem & mirabiliorem cultûs sui partem. Israëlitę enim, ad Idololatriam & quodvis aliud superstitionis proclives, ad *Theraphim* Gentium profanarum consulenda, imò & adoranda, occasione datâ, facilè defecissent, si tantam inter illam & Sacrum URIM affinitatem observassent, & URIM ejusdem muneris ac figuræ fuisset sub diversi nominis larvâ simulacrum.

*Spenceri objectionibus respondetur.* XIX. Hypothesim nihilominus suam Scripturæ Sacræ testimonio confirmare nititur *Spencerus*; illo in primis Osee 3. 4. *Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim*. Per *Theraphim*, inquit, hoc in loco non Gentium Idola ad consulendum aut colendum comparata, sunt intelligenda; sed *Urim* vel Icuncula Sacra, consiliorum divinorum nuntia, in Ephode vel adjuncto pectorali ex præscripto divino reponenda. Rationi enim minimè consentaneum est, Prophetam, flebilem Gentis Israëliticæ causam prædicturum, inter mala futura id quoque numerasse, quòd cariturі essent Idolis. Rem bonam & licitam oportet esse, quam Deus minatur se ablaturum Israëlitis, ut de peccatis eorum vindictam sumeret: Alioqui eam auferre non pœnæ, sed beneficii loco ducendum esset. De quanam autem re bonâ & licitâ, ullâ cum veri specie, *Theraphim* hoc loco interpretari possumus, nisi de URIM Dei, Ephodi tam sacro nexu cohærente? Unde Spiritus Sanctus de *Ephod* & *Theraphim* hoc in loco, tanquam de rebus ejusdem familiæ, loquitur: de aliis autem omnibus, quasi nullo cognationis vinculo conjunctis; sed ab invicem naturæ diversitate longè separatis. Nam hęc omnia vocabulo illo disjunctivo *absque*, sic a se mutuò separantur: *Sedebunt filii Israël absque Rege, & absque Principe, & absque Sacrificio, & absque Altari, & absque Ephode:* Sed Ephod & Theraphim conjunctim, & quasi continuo spiritu legenda in hunc modum proponuntur, *absque Ephod & Theraphim*. Accedit, quòd 70. Interpretes *Theraphim* hoc loco per δήλων, vel ( ut aliqua legunt Exemplaria ) per δηλώσεως reddere consultius habuerunt. Iis verò vocabulis *Urim* aliis in locis solent exponere. *Exodi* 28. 26. *Levitici* 8. 8. *Numerorum* 27. 21. 1. *Regum* 28. 6. Aquila etiam & Theodotion *Theraphim* hìc loci per φωτισμοὺς transtulerunt, quo nomine & *Urim* explicant *Levitici* 8. 8. Vulgatus Interpres pro Theraphim *Manifestationes* posuit, quo nomine Summi Sacerdotis *Urim* notare solet. S. etiam *Hieronymus* Ephod & Theraphim de *instrumentis quibusdam habitûs Sacerdotalis* interpretatur. *Theraphim*, inquit, *propriè appellantur* μορφώματα, *id est, figuræ & simulacra: Quæ nos possumus in præsenti duntaxat loco, Cherubim & Seraphim, sive alia, quæ in Templi ornamenta fieri jussa sunt, dicere. Verùm quia Septuaginta δήλους interpretati sunt, pro quibus Aquila* φωτισμοὺς *transtulit; & & hęc ipsa sunt* ἐν λογίῳ, *id est, in Rationali: Hoc intelligimus, quod in pectore & corde Pontificis* ἀλήθεια καὶ φωτισμοὶ *id est, Veritas esse debeat atque doctrina.... Hi sunt ergo multi dies quibus infelix Synagoga, & Mulier adultera hordeo pascitur, & sedet contracta, quia cum Christo stare non potest. Sine Rege, de quo locutus est Pater*, Suscitavi Regem cum justitiâ. *Sine Principe, vel ipso Domino Salvatore, vel certo Pontifice, de quo scriptum est:* Principi populi tui non maledices. *Et sine Sacrificio, & sine Altari. Subverso enim Templo, & incensâ Jerusalem, nec Sacrificium, nec Sacerdotium Judaica Gens exercere potest. Et sine Ephod, & sine Theraphim, id est, Instrumentis sacerdotalis habitûs*. Huic explicationi favent *S. Cyrillus Alexandrinus*, & *Theodoretus*, & 70. Interpretes secuti, *Theraphim* per *Manifestationes*, id est, per *Urim* & *Thummim explicant*. *Isai.* 45. *Exod.* 32.

Respondetur, Etsi hoc uno Scripturæ Sacræ loco *Theraphim* nomine *Urim* & *Thummim* significetur, ut laudata illa Patrum doctissimorum trias explicat, perperam inde colligere *Spencerum*, quòd *Theraphim* ejusdem cum *Urim* naturæ & figuræ fuerint, solo nomine differentia simulacra: Sed solùm quòd *Theraphim* prædicendi munere, mediante Dæmone iis insidente, divini illius Oraculi *Urim* & *Thummim* sanctitatem & miraculum mentirentur. Unde Propheta, per catachresim, vocem usurpatam ad significanda Oracula reddita a Dæmonibus, transfert ad Oracula quæ per Sacerdotes reddebantur a Deo. Ita *Bonfrerius*, Auctor a *Spencero* laudatus, Commentario in Cap. 17. *Judicum*. Secundò, nomine *Theraphim* in illo *Osee* loco simulacra fatidica Idolorum intelligere nihil vetat; ut sensus sit, Israëlitas, sive tempore Babylonicę Captivitatis, sive post Christi adventum usque ad finem Mundi, futuros & sine *Ephode* sacro, cujus applicatione Summi Sacerdotes Deum consulebant, ejusque Placita, vel Oracula de futuris eventis Populo denuntiabant; & sine superstitiosis *Theraphim*, id est, falsorum Numinum icunculis, per quas etiam Dæmon divinationem non minùs affectans, quàm divinitatem, futurorum eventuum prædictione, & falsis Oraculis, Gentibus illudebat. Atque hic Judæorum status apprimè cum typo convenit, quo ad illum repræsentandum usus est Deus. Sicut enim sponsa Prophetæ non solùm absque marito, cui legitimè nuberet, manere jubebatur, verùm etiam sine amatore quicum turpiter scortaretur, Vers. 3. *Dies multos expectabis me: Non fornicaberis, & non eris viro:* Ita Judæi & sine vero Deo, & sine Laribus ac Penatibus, quibus inter Gentes commixti assueverant], sine ullâ formâ Reipublicæ & Ecclesiæ, ne illius quidem, cujus corruptissimus olim status erat, sine Altari & Sacrificio, & tamen sine Idolis manent, in eoquè statu manebunt, donec ad Christum, *Davidis* nomine a Prophetis significatum, sub finem Mundi, convertantur. Vers. 5. *Et post hæc revertentur filii Israël, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimum dierum*. Atque sub

sub finem seculorum, & secundo Christi adventu imminente, hanc Prophetiam completum iri, & ad præsentem Judæorum statum ea quæ præcedunt, pertinere, *S. Hieronymus* & *S. Cyrillus Alexandrinus* in suis Commentariis disertè docent. Nec movere quemquam debet, quòd Idolis carere malum non sit, atque adeo *Theraphim* jacturam in suppliciis a Prophetâ non numerandam, si eo nomine Idola, aut Idololatricæ Superstitionis instrumenta intelligenda essent. Etsi enim Idolorum privatio malum non sit, ille tamen status in quo nulla sit Reipublicæ & Ecclesiæ vel depravatæ forma, malus est. Præterea, quamvis carere Idolis non sit per se & absolutè malum, respectivè tamen & comparatè malum est, illis nimirum quibus Idola bona videntur, & qui illa venerantur ut Numina. Pœnæ certè loco non potest non haberi, quòd cum Republicâ pessum eat Gentis Religio, hostesque non solùm de hominibus, ac eorum fortunis, sed & de illorum Diis triumphent. Hinc Deus Vitulum *Bethelis* per *Salmanassarem* ablatum iri comminatur. Osee 10. 5. 6. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ: Quia luxit super eum Populus ejus, & Æditui ejus super eum exultaverunt in gloriâ ejus, quia migravit ab eo. Siquidem & Ipse in Assur delatus est, munus Regi ultori.* Sic *Jeremias* vaticinatur, excisâ Moabitide, *Chamos* Moabitarum Deum ab hostibus in captivitatem abducendum. Jeremiæ 48. 7. *Pro eo enim quòd habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris: & ibit Chamos in transmigrationem, Sacerdotes ejus, & Principes ejus simul.* Et de *Melchom* Deo Ammonitarum idem prædicitur Jeremiæ 49. 3. *Clamate*, inquit, *filii Rabbath, accingite vos ciliciis: Plangite & circuite per sepes: Quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, Sacerdotes ejus, & Principes ejus simul.* Sic *Ptolemeus Evergetes*, victis Syris, Deos eorum transtulit in Ægyptum, ut prædictum fuerat a *Daniele*, Cap. 11. 8. *Insuper & Deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti & auri, captiva ducet in Ægyptum.* Pœnæ igitur loco censeri possit respectu Israëlitarum, non modò quòd Rege, & Principe, Altari, & Sacrificio, & Ephode careant, sed & *Theraphim*, superstitiosis simulacris, vel Idolis, quibus olim impensè fuerant addicti.

XX. Altero argumento longè infirmiore hypothesim suam probare nititur *Spencerus*, ex Historiâ *Michæ* petito, *Judicum* 17. ubi Sacer Historiographus narrat, Matrem *Michæ*, viri Israëlitæ, habitantis in Monte *Ephraim*, argenteos aliquot nummos voto consecrasse Deo: Cujus voti religione ut se exsolveret, ducentos siclos tradidit Argentario, ut exinde faceret *sculptile atque conflatile*. *Micha* autem fecit in domo suâ *ædiculam Deo*, & fecit *Ephod* & *Theraphim*: & aliquem primò ex filiis suis, deinde Levitam, qui fortè in ipsum inciderat, assignato honorario, Sacerdotem sibi fecit. Circa hanc Historiam duo exponenda sibi sumit *Spencerus*, ut suam hypothesim ex eâ confirmet: Primò, quæ fecerit *Micha*, deinde quo consilio ea fecerit. In his quæ fecit, tria dissimilis naturæ instrumenta, omnia tamen in usum religiosum comparata, observat. 1. Simulacra duo, *sculptile, & conflatile*; quibus verisimile est ipsum Cherubinorum formas atque numerum similitudine perfectâ expressisse. Reposita autem fuit in Sacrâ *Michæ* ædiculâ, secundùm formam Tabernaculi & cultûs Mosaici adornatâ. 2. *Ephod*, id est, vestem ambitiosam & splendidam, quâ Sacerdos suus indutus, rebus divinis decorè operam daret. 3. *Theraphim* quæ uti apud *Osee*, ita & in totâ hac *Michæ* Historiâ, ceu individui Ephodis comites consociantur. Quod argumento est, *Michæ* THERAPHIM loco URIM, quod *Ephodi* fœdere & lege perpetuâ devinctum fuit, in illius Sacris obtinuisse. Consilium *Michæ* quod spectat, ait *Spencerus*, non eo animo ædiculam suam instrumentis illis Sacro usui destinatis instruxisse *Micham*, quasi a veri Numinis fide cultuque secessum meditaretur: Imo verò egregium studii sui in Deum & Legem divinam documentum edidisse, quòd quamvis Primogenitum suum, more majorum, in Sacerdotem religiosè consecrasset, Sacerdotem tamen e Gente Leviticâ oriundum quantivis conducere satius habuerit, quàm morem illum Lege divinâ antiquatum, revocare: & sibi, tamquam eo nomine favoris divini securo, verbis illis impensè gratulatus sit; *Nunc scio quòd benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis Sacerdotem.* Addit *Spencerus*, Deum dato e Theraphim *Michæ* oraculo, ipsius pietati testimonium perhibuisse. Cùm enim Danitæ [ quos dubius itineris sui eventus anxios habuit ) *Michæ* Levitam *Theraphim* suis instructum adiissent, rogantes ut Deum loco suo consuleret, *Judic.* 18. 5. id ab eo responsi tulere: *Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, & iter quò pergitis.* At quis sibi persuadeat, Danitas a Michæ *Theraphim* responsa divina expectare, vel Deum inde reddere voluisse; modò *Micha* ea Ethnicismi studio, vel a Sancto Dei *Urim* planè diversa, fabricasset?

Respondetur, Totum illud *Spenceri* Argumentum ruinoso niti fundamento. Falsò enim supponit *Michæ* factum ex religione ac pietate originem duxisse, & *Theraphim* ab eo fabricata Idololatriæ instrumenta non fuisse. At totum illud quod a *Michâ* factum est, superstitionis, & Idololatriæ nomine damnandum plura suadent. Occasio facti fuit impotens Vetulæ superstitio, quæ ducentos argenteos execrando voto dicavit ad faciendum ex eis *sculptile & conflatile.* Id eo tempore factum est, quo, *Non erat Rex in Israël*, seu legitimus Magistratus, qui sacrilegas in Religione novitates Auctoritate suâ coërcere posset, *sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Fecerunt *Micha*, & mater ejus, *sculptile & conflatile*, contra expressam Dei Legem. Exodi 20. 4. *Non facies tibi sculptile.* Deuteronomii 4. 15. 16. *Custodite igitur sollicitè animas vestras. Non vidistis a iquam similitudinem, in die quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ*, &c. Deuteronomii 27. 15. *Maledictus homo qui facit sculptile aut conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito.* Exodi 34. 17. *Deos conflatiles non facies tibi.* THERAPHIM a *Michâ* fabricata, quamquis a *sculptili & conflatili* antea nominatis distincta fuerint, Auctore *S. Hieronymo* Epistolâ 130. ad *Marcellam*, tamen Idola fuerunt, ut Vulgata nostra exponit; *Et fecit Ephod & Theraphim, id est vestem Sacerdotalem, & Idola.* Et Cap. 18. 17. *At illi qui ingressi fuerant domum Juvenis, sculptile, & Ephod, & Theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & Sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul exspectantibus. Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, Ephod & Idola, atque conflatile.* Et Vers. 20. *Acquievit sermonibus eorum, & tulit Ephod, & Idola, ac sculptile, & profectus est cum eis.* Vers. 24. *Michæas* Danitis respondet: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & Sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis, Quid tibi est?* Vers. 31. *Mansitque apud illos Idolum Michæ omni tempore, quo fuit Domus Dei in Silo.* Quod *Spencerus* ait, *Micham* sculptili suo & confla-

flatili duos Tabernaculi Cherubinos exprimere voluisse, purum putum figmentum est. Cultum *Micha* superstitiosum & idololatricum fuisse confirmant Chaldaica Paraphrasis, & Syriaca Versio. Illa enim de *Michâ* ait: *Et vir Micha illi domus erroris: & fecit Ephod, & similitudines.* Ista verò: *Vir enim iste Micha habebat Fanum Deorum, feceratque Ephod & pallium:* Et quamvis in cultûs objecto non errasset, haud leve crimen erat in privatis suis ædibus ea quæ publici cæteroquin cultûs erant, peragere. Lex enim ea celebrari prohibet extra locum *quem elegerit Dominus*, [ Levitici 17. & Deuteronomii 12.] id est, extra Tabernaculum testimonii, vel Templum olim Hierosolymis ædificandum. Cujus loci religionem vel bello vindicare quondam decreverant cæteræ Tribus contra Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Tribum *Manassis*, qui illam violasse videbantur, ædificato magno Altari ad tumulos Jordanis. ( *Josuë* 20. 10. ) Contra Legem præterea peccavit *Michas*, quòd filium suum primò, deinde Juvenem Leviticum, non Aaronici generis Sacerdotem, Sacris præfecit: Cùm tamen Jus Sacrorum ad Aaronicos Sacerdotes Lex coërceat. Numer. 3. 10. *Dabisque dono Levitas Aaron & filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israël. Aaron autem & filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Hallucinatur itaque *Spencerus*, cùm factum *Micha* ex hac circumstantiâ laude dignum putat. Denique *Micha* exemplum totam Tribum Dan ad Idololatriam pertraxit. Ablatis enim sculptili, & conflatili, Ephode, & Theraphim *Micha*, ejusque Sacerdote abducto, *Posuerunt sibi sculptile, & Jonathan filium Gersam filii Moysi, ac filios ejus Sacerdotes in Tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eos Idolum Micha omni tempore, quo fuit Domus Dei in Silo.* ( Judicum 18. 30. 31. ) Falsum porrò est, quòd tam confidenter asserit *Spencerus*, Deum per Theraphim *Micha* consulentibus Danitis responsum dedisse. Id enim Scriptura Sacra non dicit, longèque probabilius est, Levitam illum mercenarium, qui profano Sacerdotio fungebatur, qui Legem Domini tam manifestè violabat, qui Idolo serviebat, Dei nomine abusum, ipsis respondisse: *Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, & iter quò pergitis. Sed etsi per Theraphim* id responsi Levitæ datum supponatur, & eventus prædictioni responderit, non sequitur divinum id fuisse Oraculum. Quis enim nescit, profana Gentium Oracula, & ariolos, interdum vera prædixisse, vel Dæmone futuros eventus pro suâ conjiciendi vi prævidente, vel permittente Deo, imò ordinante, ut spiritus mendacii vera præsagiret, ad serviendum providentiæ suæ?

Non diffiteor *S. Hieronymum* Epistolâ 130. ad *Marcellam* innuere Theraphim *Micha* juxta aliquem sensum, *Sacerdotalia ornamenta* posse intelligi: Sed præterquàm quòd non est illa propria & nativa vocis hujus *Theraphim* significatio, ut ex ipso *S. Hieronymo* constat, qui ubique *Theraphim* vertit *Idola*, ( excepto 1. *Regum* 19. 13. ubi *statuam* reddit ) Colligi indę non potest *S. Hieronymum* existimasse, URIM & THERAPHIM fuisse ejusdem muneris & formæ simulacra.

Hanc responsionem, *Theodoreti* sustentabit auctoritas, qui hęc verba, *Fecit Micha Ephod & Theraphim*, explicans quęstione 24. in *Judices* ait: *De Ephod sæpè diximus, quòd sit vestis Sacerdotalis, & per eam significabat Deus quid esset agendum. Theraphim autem tale quidpiam erat, dedicatum Idolis, & non Deo. Hoc enim hic etiam docet Historia.* Fecit enim, *inquit*, sculptile & conflatile. *Deinde subjungit*: Et fecit Micha Ephod & Theraphim, & implevit unus filiorum suorum manum, & factus est ei Sacerdos. *Non erat autem hic ex Tribu Leviticâ, sed ex Tribu Ephraim. Docuit etiam causam cur Legem est transgressus.* In illis, *enim ( inquit )* diebus non erat Rex in Israël. Unusquisque faciebat, quod gratum erat in oculis suis. *Tam multa mala conciliat nullum habere Rectorem aut Magistratum.* Et Quæstione 25. Levitæ a *Michâ* conducti crimen multiplex his verbis exponit, quæ *Micham* ab Idololatriâ absolvi non posse, contra *Spencerum* probant. *Ceterum*, inquit, *Viri hujus multiplex fuit Legis transgressio. Nam primùm quidem cùm Deus fixisset Tabernaculum in Silo, in alio loco contra Legem fungebatur suo Munere. Deinde manufactis Idolis,* ( *hoc enim significat* sculptile & conflatile, ) *offerebat Sacrificia. Praterea in alio quoque ausus est Legem transgredi. Lex enim prohibuit Levitis ne Sacerdotali fungerentur Munere, sed jussit eos ministrare Sacerdotibus. Et hanc ergo Legem est transgressus, cùm ausus sit fungi Sacerdotio. Fuit etiam ingratus in eum qui ipsum coluerat, nam fraudis acceptis instrumentis, secutus est eos qui erant ex Tribu Dan, & fuit conciliator erroris in adorandis Idolis.*

XXI. Tertium argumentum ad hypothesim suam firmandam petit *Spencerus* ex facto *Gedeonis*, qui *Ephod* sibi fecisse, Idque in civitate suâ *Ophrâ* statuisse narratur, *Judicum* 8. 27. Quod *Ephod* solum non fuisse credibile est, sed cum *Theraphim*, & Simulacris aliis *Cherubinorum* figuram & pompam æmulantibus conjunctum. Inaures enim aureas quę *Gedeoni* re bene gestâ contra Madianitas præmii loco cesserant, ad aliquid aliud præter *Ephodem* conflandum fuisse dedicatas ingens auri pondus mille scilicet ac septingentorum aureorum, quo appensę sunt vel ęstimatę, satis probat. Nam absonum est fidei, Sacerdotem ullum tanti ponderis Ephode onustum potiùs quàm vestitum, Religionis opera peragere potuisse.

Ut argumento suo majorem probabilitatem conciliet *Spencerus*, ad Arabicam Versionem provocat, quæ hunc *Judicum* textum sic reddit, *Et conflavit illud Gedeon in simulacrum*, Hoc autem non sine consilio fecisse, probant Historiæ Sacræ verba, interprete *S. Augustino* Quæstione 41. in Judices: *Dictum est enim:* Statuit illud Gedeon in Civitate suâ; *ut hinc intelligatur quid aureum factum fuisse. Non enim dictum est*, posuit *sed* statuit, *quoniam ita erat solidum & validum, ut statui posset, hoc est, positum stare.* Hoc autem de simulacro, non de veste dici potest. Igitur verisimile est, Pontificis Ephod, [ exemplar ad cujus similitudinem sua omnia formavit Gedeon ] imaginem unam & alteram intus habuisse: Adeoque URIM idem fuisse cum THERAPHIM.

Respondetur, Probabile quidem esse *Gedeonem* ex auro tanti ponderis solum *Ephod* non fecisse, sed & cætera, quæ ad ornamenta vel instrumenta Sacrarii pertinerent, & Scripturam a parte totum significasse: Sed nihil inde pro suis *Theraphim* exsculpet *Spencerus*. Neque ipsi *S. Augustinus* ullo pacto favet. Sic enim solvit dubium quod moverat; *Hoc ergo illicitum cùm fecisset Gedeon*, fornicatus est post illud omnis Israël, *id est sequendo illud contra Legem Dei: Ubi non frustra quæritur, cùm Idolum non fuerit, id est cujusquam Dei falsi & alieni simulacrum, sed Ephod, id est unum de Sacramentis Tabernaculi, quod ad vestem Sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem Scriptura dicat Populi ista sectantis atque venerantis. Ideo scilicet quòd præter Tabernaculum Dei, ubi erant ista, quæ ibi fieri jusserat Deus, extra simile aliquid fieri fas non erat.*

*erat*. *Ideo sequitur*, *& dicit Scriptura*, Et factum est Gedeon, & domui ejus in scandalum. *Id est ut ab offenso Deo discederet; quia & hoc quoddam genus idoli quodam modo erat, quòd extra Dei Tabernaculum quodlibet manufactum pro Deo coleretur; cùm illa ipsa quæ jussa sunt in Tabernaculo fieri, ad Dei potiùs cultum referrentur, quàm pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei simulacro colendum haberetur*. Quamquam per Ephud vel Ephod, *eâ locutione quæ significat a parte totum, omnia possint intelligi, quæ constituit Gedeon in suâ civitate, velut ad colendum Deum, similia Tabernaculo Dei; & propterea per hoc, quia hoc est Sacerdotalis honoris insigne, quod sæpè Sciptura commemorat: Ut hoc sit peccatum Gedeon, quod extra Dei Tabernaculum fecerit aliquid simile, ubi coleretur Deus: Non quòd solido auro velut adorandum constituerit Ephud: sed quòd ex auro ipso, quod esset de prædâ, fecerit ea quæ pertinerent ad ornamenta vel instrumenta Sacrarii, quæ omnia per Ephud significata sunt, propter excellentiam, ut dixi, Vestis Sacerdotalis. Nam & ipsum Ephud non quidem ex auro solo fieri præceptum est, si hoc est superhumerale Sacerdotalis Vestis: Veruntamen etiam aliquid auri habet. Nam ex auro & hyacintho & purpurâ & coccino & bysso ut fieret divinitus imperatum est: sed quia hoc ita posuerunt 70. Interpretes, ut commemoratis omnibus quæ de spoliis acceperat Gedeon, inferrent*, Et fecit illud Gedeon in Ephud; *videtur ita dictum, tamquam ex toto illo quod commemoratum est, hoc factum esse credatur: Cùm possit etiam illic intelligi locutio quæ significat a toto partem, ut quod dictum est*, Fecit illud in Ephud, *intelligatur, fecit inde Ephud, vel fecit ex eo Ephud; non scilicet illud totum consumens in Ephud, sed ex illo quantum sufficiebat impendens. Nam in illâ interpretatione quæ ex He-„ bræo est, sic legitur*, Fecitque ex eo Gedeon „ EPHOD. Hæc *S. Augustinus*: qui duobus modis hunc locum *Judicum* probabiliter exponi posse censet, primò ut non solùm Ephod, sed & cetera Sacrarii ornamenta *Gedeon* ex auro prædæ perfici curaverit. Secundò, ut in solum *Ephod* totum contulerit. Quod nequaquam absonum fidei est, cùm *Ephod* non ad vestiendum Sacerdotem, sed in monumentum victorię dumtaxat de Madianitis singulari Dei beneficio reportatæ fecerit.

Posteriorem illam sententiam probabiliorem existimavit *Theodoretus Quæstione* 17. *in Judices*, ubi *Gedeonis* factum expendens, hæc habet: *Contra Legem quidem erat quod factum fuit. Nam solis Sacerdotibus Ephod uti licebat. Per illud enim revelabatur quid facto opus esset. Gedeonis tamen intentio minimè vergebat ad impietatem: Sed cùm esset Princeps & Dux Exercitûs, volebat cognoscere per Ephod quid agere deberet. At hoc Populo con-„ ciliavit contagionem iniquitatis*. Fornicatus e-„ nim est, *inquit*, cunctus Israël post illud ibi: „ & factum est Gedeoni & domui ejus in scandalum. *Ephod autem interpretatus est in Exodo superhumerale, cui copulabatur Rationale. Per illud verò indicabatur futura in bello victoria. Quod clariùs cognoscitur ex Historiâ Regnorum. Cùm enim alienigenæ coegissent Exercitum, præcepit Saul Sacerdoti ut afferret Ephod: Tum ubi cognovisset hostes esse perturbatos, declaratamque victoriam*, Contrahe, *inquit*, Ephod. *Constat ergo texturam quandam fuisse, quæ Sacerdotibus circumponebatur, prænuntiantem quid agere conveniret*. URIM verò Rationali inditum, nihil minùs fuisse quàm THERAPHIM, confirmat idem *Theodoretus*, *Quæstione* 33. *in* 1. *Regum*, ubi hunc locum explicans; *Augurium peccatum est, exacerbatio, iniquitas, & Theraphim dolorem & labores inducunt*; hæc habet: *THERAPHIM posuit pro observatione. Quomodo enim Ephod dedicatum erat Deo, & per ipsum sciscitantibus significabatur quid agendum: Ita per THERAPHIM significabantur Idolorum prædictiones. Ad illius enim imitationem hoc eis erat dedicatum. Hoc autem apertiùs declaravimus in Libro Judicum*. THERAPHIM itaque ad URIM & THUMMIM a profanis Gentibus expressa sunt, non URIM, & THUMMIM ad similitudinem THERAPHIM.

XXII. Non leve causæ suæ præsidium ponit *Spencerus* in affinitate significationis nominum *Urim* & *Theraphim*, Observat scilicet *Urim* germanâ nominis notione non *lumina* propriè & primariò significare, sed *ignes flammantes*. Nomen verò *Theraphim*. Hebraicum vel Chaldaicum esse, & pro *Seraphim*, levissimâ & sæpiùs usitatâ apud Chaldæos *Schim* in *Tau* mutatione, apud Orientalium nonnullos usurpatum. Ex quibus colligit, Imagunculis illis, quæ Angelorum simbola & quasi tripodes erant, nomen *Theraphim*, quasi Seraphim a Gentibus inditum fuisse.

Respondetur, Argumentum ab etymologiâ ductum, si ea incerta, plurimumque inter Eruditos vexata, qualis ea est nominis *Theraphim* a *Spencero* assignata, debilissimæ dumtaxat, nulliusque momenti conjecturæ loco habendum. Longè probabiliùs, nomen *Theraphim* a voce Chaldaicâ *Theraph* derivatur, quę significat *probris afficere*: Idolis enim & Idololatriâ nihil turpius, nihil probrosius. Hanc vocis hujus originem confirmant Hebræi in *Zohar*, & in *Tanchuma*, ubi observant, Idola Gentium *Theraphim* nominata fuisse propter ignominiam & fæditatem. Ita refert *Buxtorfius* in Lexico Talmudico. Nulla ergo vocis istius cum Hebræa *Seraphim* affinitas est. Nec probabit unquam *Spencerus*, Simulacra illa ad memoriam Angelorum celebrandam, vel ad eorum præsentiam significandam ab Hebræis conflata vel sculpta fuisse, quibus præter Arcæ *Cherubim* omne aliud imaginis, vel symboli Angelici genus in sacris ignotum fuisse certissimum est. Sanè Angelos *Theraphim*, aut fatidicas illas imagines *Seraphim* usquam vocatas, nec in Scripturâ, nec apud Patres, nec apud Hebræos, aut alios quosvis Auctores legimus, quæ tamen nominum communicatio interdum facta fuisset, imò sæpiùs, [ut fert usus hominum, ] si *Theraphim* & *Seraphim* affinem significationem habuissent, illaque istorum symbola extitissent.

XXIII. THUMMIM a Moribus Ægyptiorum originem duxisse, asserit *Spencerus*, Hebræisque datum ad exemplar illius gemmæ, quam e collo suspensam gestabat Ægyptiorum Pontifex. De quo *Ælianus* Lib. 14. *Historia Varia* Cap. 34. *Apud Ægyptios a primâ antiquitate, qui judicabant, Sacerdotes erant. Eorum Princeps fuit, qui cæteros ætate anteibat. Ille in omnes jus dicebat. Eum autem esse oportebat omnium justissimum, & parcentem nemini. Gerebat autem de collo Imaginem ex sapphiro, eaque imago* ΑΛΗΘΕΙΑ, *VERITAS dicebatur*. De eâdem *Diodorus Siculus* Lib. 1. *Summus Judex gestabat in collo ex aureâ catenâ pendens e lapillis pretiosis simulacrum, cui VERITAS nomen. Hoc autem Veritatis simulacrum Judiciorum Principi aptatum, caussas cognoscendi auspicium fuit*. Verùm probabiliùs ac religiosiùs censebit, quisquis asseret Ægyptios URIM & THUMMIM Hebræorum aliquâ ex parte imitatos. Imaginem illam sapphirinam, titulo *Veritatis* inscriptam, Ægyptios Pontifices ante Mosaica tempora e collo suspensam gessisse, fidem non faciunt *Ælianus* & *Diodorus Siculus*. Antiquiores Historici, *Herodotus*, *Manetho*, & *Sanchuniaton*, hanc silentio prætermittunt, quod argumento est, ornamentum illud Sacerdotale recentioris ævi apud Ægyptios inventum fuisse. Ægyptiorum Pontifex bullam illam Sapphirinam e collo pendentem gestabat:

*Thummim a Moribus Egyptiorum originem non duxit. Spencerus, refellitur.*

Sum-

Summus Hebræorum Sacerdos *Urim* & *Thummim* Pectorali seu Rationali indita, vel in ejus duplicationibus ( ut *Spencero* placet ) abdita gerebat. Ille quâ Judex, iste quâ Pontifex hoc insigne præferebat. Ille ut merum ornamentum, hic ut Oraculum: Ille caussas Populi cogniturus & judicaturus: Iste caussas Populi apud Deum acturus, illumque de publicis negotiis consulturus. *Thummim* itaque datum Hebræis ad exemplar sapphirinæ illius gemmæ, titulo *Veritatis* inscriptæ, quam a collo suspensam gestavit aliquando Ægyptiorum Pontifex, perperam ariolatur *Spencerus*. Multò prudentior, ut verior, Observatio *Grotii* in Lib.1. *De Veritate Religionis Christianæ*, §.16. de *Urim* & *Thummim*, Oraculo quod ex Pectorali Summi Pontificis effulgebat, verba facientis: *Imitati hoc*, inquit, *sed ut pueri virorum res imitantur, Ægyptii*.

*Lamina aurea.* XXIV. Octavum Ornamentum Pontifici pariter proprium erat *Lamina aurea*, in quâ scriptum erat nomen Dei Tetragrammaton, quod ineffabile apud Hebræos nuncupatur. Hæc pileolo lineo, & communi omnium Sacerdotum in Pontifice addita, vittâque hyacinthinâ in fronte constricta promicabat, ut totam Pontificis pulchritudinem Dei nomen protegeret atque coronaret ( inquit *S. Hieronymus* Epistolâ 128. ) Laminâ illâ inscriptum, SANCTUM DOMINO, Scriptura testatur. Pro *Domino*, ineffabile nomen Hebræus Textus habet. Mitram Pontificis, insigne summæ potestatis fuisse *Philo* observat Lib.3. De Vitâ Mosis. *Cidaris*, inquit *pro diademate imponitur capiti, quia quantisper Sacerdos honore suo fungitur & Ministerio, non solùm privatis hominibus est eminentior, verùm etiam cunctis Regibus*.

*Mistica vestium Sacerdotalium significatio.* XXV. Mysticam vestium Sacerdotalium significationem *S. Hieronymus* Epistolâ 128. ad *Fabiolam* exponit: Profert primò allegoricam explicationem Hebræorum, *Josephi*, *Philonis*, & aliorum: Deinde moralem sensum elicit. Secundùm Hebræos, inquit, *Quatuor colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus universa subsistunt. Byssus terræ deputatur, quia ex terrâ gignitur: Purpura Mari, quia ex ejus cochleolis tingitur: Hyacinthus aëri, propter coloris similitudinem: Coccus igni: & justum esse commemorant ut Pontifex Creatoris non solùm pro Israël, sed & pro universo Mundo roget: Siquidem ex terrâ & aquâ in aëre & igne Mundus iste consistit; & hæc elementa sint omnium. Unde primum vestimentum lineum, terram significat: Secundum hyacinthinum, aërem in colore demonstrans: Quia de terrenis paulatim ad excelsa sustollitur: & ipsa vestis hyacinthina a capite usque ad talos veniens, indicat aërem de cœlis usque ad terram fusum. Mala autem punica & tintinnabula in inferioribus posita, fulgura tonitruaque demonstrant, sive terram & aquam, & omnium elementorum inter se consonantiam, & sic sibi universa perplexa, ut in singulis omnia reperiantur. Quòd autem supradicti colores auro intexti sunt, id significari volunt, quòd vitalis calor, & divini sensûs providentia universa penetret. Superhumerale, & duos lapides, vel smaragdinos, vel onychinos, qui desuper sunt, & utrumque humerum tegunt, duo hemisphæria interpretantur: Quorum aliud super terram, aliud sub terrâ sit: Sive Solem & Lunam, quæ desuper rutilant. Zonam illam, quâ Sacerdotis pectus arctatur, & linea tunica, id est, terra constringitur, interpretantur Oceanum. Rationale in medio positum, terram edisserunt: Quæ instar puncti, licèt omnia in se habeat, tamen a cunctis tollatur elementis. Duodecim lapides vel Zodiacum interpretantur circulum, vel duodecim menses, & singulis versiculis singula assignant tempora, & bis ternos deputant Menses. Pulchrè autem hoc ipsum quod in medio est, appellatur Rationale. Ratione enim cuncta sunt plena; & terrena hærent cœlestibus: immò ratio terrenorum, & temporum, caloris & frigoris, & duplex inter utraque temperies, de cœli cursu & ratione descendit. Unde & Rationale cum Ephod fortiùs stringitur. Porrò quod dicitur in ipso Rationali δήλωσις esse & ἀλήθεια, id est, Manifestatio atque Doctrina vel Veritas; hoc ipsum significat, quòd numquam in Dei ratione mendacium sit; sed & ipsa Veritas multis signis & argumentis monstretur hominibus, & usque ad mortales veniat... Super omnia Ciddaris & vitta hyacinthina cœlum monstrat: & auri lamina, quæ in fronte Pontificis est, inscriptumque nomen Dei, universa, quæ subter sunt, Dei arbitrio gubernari.... Justum ergo erat, ut Pontifex Dei, creaturarum omnium typum portans in vestibus suis, indicaret cuncta indigere misericordiâ Dei; & cùm sacrificaret ei, expiaretur universalis conditio, ut non pro liberis ac parentibus, & propinquis, sed pro cunctâ creaturâ, & voce & habitu precaretur.*

Moralem subinde sensum ex vestibus sacris elicit *S. Hieronymus* his verbis: *Legimus in Levitico, juxta præceptum Dei Moysen lavisse Aaron, & filios ejus. Jam tunc purgationem Mundi, & rerum omnium sanctitatem Baptismi Sacramenta signabant. Non accipiunt vestes, nisi lotis priùs sordibus: Nec ornantur ad Sacra, nisi in Christo novi homines renascantur. Vinum enim novum in novis utribus mittitur. Quòd autem Moyses lavat, Legis indicium est. Habent Moysen & Prophetas, ipsos audiant. Et ab Adam usque ad Moysen omnes peccaverunt. Præceptis Dei lavandi sumus: & cùm parati ad indumentum Christi, tunicas pelliceas deposuerimus, tunc induemur veste lineâ, nihil in se mortis habente, sed totâ candidâ: Ut de baptismo consurgentes, cingamus lumbos in veritate, & tota pristinorum peccatorum turpitudo celetur. Unde & David: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Post feminalia, & lineam tunicam, induimur hyacinthino vestimento, & incipimus de terrenis ad alta conscendere. Hæc ipsa hyacinthina tunica a Septuaginta ὑποδύτης, id est, subucula nominatur, & propriè Pontificis est, significatque rationem sublimium non patere omnibus, sed majoribus atque perfectis. Hanc habuerunt Moyses & Aaron, & Propheta, & omnes quibus dicitur: In Montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion. Nec sufficit nobis priorum ablutio peccatorum, Baptismi gratia, doctrina secretior, nisi habuerimus & opera. Unde jungitur & Ephod, id est, Superhumerale, quod Rationali copulatur: Ut non sit laxum, neque dissolutum, sed hæreant sibi invicem & auxilio sint. Ratio enim operibus, & opera ratione indigent; ut quod mente percipimus, opere perpetremus. Duoque lapides in superhumerali vel Christum significant, & Ecclesiam, duodecim Apostolorum, qui ad prædicationem missi sunt, nomina continentes; vel literam & spiritum, in quibus continentur Legis universa Mysteria. In dextrâ spiritus, in lævâ litera est. Per literas ad verba descendimus, per verba venimus ad sensum. Quàm pulcher ordo, & ex ipso habitu sacramenta demonstrans! In humeris opera sunt, in pectore ratio. Unde & pectusculum comedunt Sacerdotes. Hoc autem Rationale duplex est; apertum, & absconditum; simplex, & mysticum; duodecim in se lapides habens, & quatuor ordines, quos quatuor puto esse virtutes, prudentiam, fortitudinem, justitiam, & temperantiam, quæ sibi hærent invicem, & dum mutuò miscentur, duodenarium efficiunt numerum: Vel quatuor animalia, quæ in Apocalypsi describuntur plena oculis, & Domini luce radiantia Mundum illuminant. In uno quatuor, & in quatuor singula. Unde & δήλωσις & ἀλήθεια id est, Manifestatio, vel Doctrina & Veritas* *Levit. 8.*

*ritas, in pectore Sacerdotis est. Cùm enim indutus quis fuerit veste multiplici, consequens est veritatem, quam in corde retinet, sermone proferre: & ob id in Rationali Veritas est, id est scientia, ut noverit quæ dicenda sint, & Manifestatio atque Doctrina, ut possit instruere alios, quod mente concepit. Ubi sunt qui innocentiam Sacerdoti dicunt posse sufficere? Vetus Lex Novæ congruit: Idipsum Moyses, quod Apostolus. Ille Sacerdotis scientiam* Levit. 8. Psalm. 118. *ornat in vestibus: Iste Timotheum & Titum instruit Disciplinis. Sed & ipse vestimentorum ordo præcipuus. Legamus Leviticum. Non priùs Rationale, & sic Superhumerale, sed antè Superhumerale, & deinceps Rationale.* A mandatis, *inquit*, tuis intellexi: *Priùs faciamus, & sic doceamus: Ne doctrinæ auctoritas cassis operibus destruatur. Hoc est* Osee 10. „ *quod in Prophetâ legimus:* Seminate vobis in „ justitiâ, & metite fructum vitæ: illuminate vo„ bis lumen scientiæ. *Primùm seminate in justitiâ, & fructum vitæ æternæ metite: Postea vobis scientiam vindicate. Nec statim absoluta perfectio est, si quis Superhumerale & Rationale habeat, nisi hæc ipsa inter se forti compagine solidentur, & sibi invicem connexa sint: Ut & operatio rationi, & ratio operibus hæreat, & his præcedentibus doctrina sequatur, & veritas.... Lamina aurea rutilat in fronte: Nihil enim nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientiâ coronemur. Lineis induimur; ornamur hyacinthinis, sacrato baltheo cingimur: Dantur nobis opera, Rationale in pectore ponitur: Accipimus veritatem, profert sermo doctrinam. Imperfecta sunt universa, nisi tam decoro currui dignus quæratur auriga, & super creaturas Creator insistens regat ipse quæ condidit. Quod olim in laminâ monstrabatur, nunc in signo ostenditur Crucis. Auro Legis, Sanguis Evangelii pretiosior est. Tunc signum, juxta Ezechielis vocem, gementibus figebatur in fronte: Nunc portantes Crucem, dicimus: Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Lege & *Theodoretum Quæst.60. in Exodum*, & *S. Thomam*, *Quæst.102. Art.5. ad 8. &.9.*

---

## §. V.

*De Solemnitatibus Veteris Legis.*

*Festorum Institutio apud Hebræos a Gentium moribus perperam derivatur. Refellitur Spencerus.*

I. Festorum solemnium apud Hebræos institutionem & originem Gentium moribus tribuit *Spencerus* Lib.3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Cap.8. *Dissertat.1.* illamque ad Ægyptios refert. Testem laudat *Herodotum* Lib.2. Cap. 58. & 59. dicentem: *Ægyptii extiterunt Principes conventus & pompas & conciliabula factitandi, & ab eis Græci didicerunt. Cujus rei hoc apud me argumentum est, quòd illa constet priscis temporibus, Græcanica verò recens fuisse instituta. Nec verò semel quotannis conventum agunt Ægyptii, sed frequenter, tum alibi, tum præcipuè ac studiosissimè in Urbe Bubasti, in honorem Dianæ. Secundo loco in Urbe Busiri, in honorem Isidis.* Id confirmat ex *Philone Byblio*, apud *Eusebium* Lib.1. *Præparationis Evangelicæ*, Cap.9. dicente; *Barbarorum antiquissimos, Phœnices inprimis & Ægyptios, a quibus cæteri deinceps Populi morem illum accepere, in Maximorum Deorum loco eos habuisse, qui res ad vitam agendam necessarias invenissent, quique beneficium aliquod in genus hominum contulissent. Eos nimirum, quod sibi plurimorum bonorum Auctores esse persuaderent, divinis honoribus coluere; ac Templorum usu, quæ jam ante constructa fuerant, hoc ad munus officiumque traducto, columnas insuper, statuasque ligneas ipsorum nomine consecrarunt, eaque præcipuo Religionis cultu prosecuti Phœnices, festos illis quoque dies longè celeberrimos dedicarunt.* Filios *Jacob* Sichimitas adortos fuisse *observato die festo, quo Sichimitæ otio & epulis indulgebant*, scribit *Josephus* Lib.1. Cap.19. *Lucianus* Lib. *De Deâ Syriâ*, de Ægyptiis scribit: *Primi quidem hominum, quos nos scimus, Ægyptii dicuntur, & Deorum notitiam percepisse, & Templa constituisse, lucosque & solemnes conventus indixisse.* Ex his colligit *Spencerus*, Festa solemnia Mosis Legibus antiquiora fuisse, Primùm apud Ethnicos usum & originem invenisse; Deumque Festa quædam in suo cultu instituisse, ut Populo seculi moribus immerso nonnihil indulgeret, & publicis illis oblectationibus pueriles Hebræorum animos ad Legem cultumque suum alliceret.

II. Verùm etsi Festorum dierum celebrationem Lege antiquiorem fuisse demus, & apud Gentes profanas usitatam ante Mosaica tempora; (quod tamen non probant *Luciani*, *Herodoti*, aut *Philonis Byblii* testimonia:) Non propterea consequens est, dies festos Hebræorum institutionem ac originem suam Gentium moribus debuisse. Longè credibilius est antiquos Patriarchas Festa solemnia habuisse, quemadmodum & sacrificia; hunc ipsis fuisse morem certos dies designandi, quibus Fideles in unum convenirent, & profanis negotiis intermissis, uni Dei cultui & Religionis actionibus vacarent. Hunc verò morem atque ritum filios & nepotes *Noë* in orbem universum propagasse. Quidni etiam ante ortum idololatriæ Festos quosdam ac solemnes dies in Ecclesiâ Patriarcharum Dei cultui dicatos credamus, cùm dierum hujusmodi celebratio tam arcto fœdere cum Religione connexa sit, ut nulla gens fuerit unquam adeo barbara, quæ cum aliquibus notitiæ Dei scintillis, & Religionis specie, Festa sua solemnia non haberet. Dœmon scilicet Dei æmulus, non solùm sacrificia sibi offerri, sed & festos dies dicari sub falsorum Deorum nominibus ambiit, cæcosque homines ad id induxit. Hinc *Strabo* Lib. 10. *Geographiæ* P. 467. Festorum originem ad naturæ ductum institutumque refert. Priorem autem esse Naturam, ac Religionem, quàm Idololatriam, nemo negaverit. *Commune*, inquit, *Græcis eum Barbaris est, ut Sacrificia inter feriandum celebrent.... Idque naturâ sic dictante.... Bene quidem dictum est, homines tum maximè Deum imitari, cùm beneficia conferunt: Rectiùs autem diceretur, cùm Numina rectè colunt: Id autem fit gaudendo, dies festos agitando, philosophando, Musicam tractando.* Romani *Ferias*, *solemnesque Conventus & statas a laboribus vacationes*, sicut & Deos suos a Græcis accepere, teste *Dionysio Halicarnassensi*, apud *Eusebium* Lib. 2. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 8. Hinc illa dierum distinctio in Dies *Festos*, *Profestos*, & *Intercisos*; cujus auctorem *Numam* laudat *Macrobius* Lib. 1. *Saturnalium*, Cap. 16. *Festi* fuerunt Diis dicati. *Profesti* hominibus ad administrandam rem privatam publicamque concessi. *Intercisi*, Deorum hominumque communes. Illorum enim dierum quibusdam horis fas fuit, quibusdam nefas Jus dicere. *Feriarum* genera quatuor apud Romanos. Aliæ *Stativæ*, statis & constitutis diebus & mensibus ab universo Populo celebrandæ, & in Fastis annotatæ. Aliæ *Conceptivæ*, quæ quotannis a Magistratibus & Sacerdotibus concipiebantur in dies vel certos, vel etiam incertos. Aliæ *Imperativæ*, quas Consules vel Prætores pro arbitrio Potestatis indicebant. Aliæ denique *Nundinæ* quibus conveniebant Rustici negotiis vel mercibus suis provisuri. De his *Hospinianus* Lib. 1. *De Origine Festorum* Cap. 1. & alii qui de Festis Ethnicorum scripsere. Porrò sicut dies quosdam Numi-

Numinis cultui sacrandos Naturæ Lex homines docuit, ita his diebus huic uni rei vacandum, atque a profanis & ordinariis negotiis feriandum. Hinc Legibus Atticis sancitum est, Tit. 1. Lege 11. *De Populo Atheniensium Festo, ne cuiquam sive privatim, sive publicè injuria fiat; neve habeatur concio de aliis rebus, quàm iis quæ ad Festorum Religionem pertinent*. Item Romanis Legibus constitutum, Ut festis diebus liberi litium & jurgiorum requietem, servi operum & laborum haberent, *Cicerone* teste Lib. 2. De Legibus: *Feriis jurgia amovento: Easque in famulis operibus patratis habento*. Sacerdotes apud *Macrobium* Lib. 1. *Saturnalium* Cap. 16. asserunt *Ferias pollui, quoties iis indictis conceptisque, opus aliquod fieret. Præterea non licebat Sacrorum Regem & Flamines videre Feriis opus fieri. Atque ideo per Præconem denunciabant, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens multabatur. Præter multam verò affirmabatur, Eum qui talibus diebus imprudens aliquid egisset porco piaculum dare debere: Prudentem expiare non posse, Scevola Pontifex affirmabat*. Cùm itaque ex communi fonte rationis mos ille ac Ritus festos dies in Numinis honorem celebrandi sit apud Gentes omnes derivatus, frustra sunt, qui Festorum originem ad Ægyptiorum, aliarumve profanarum Gentium mores referant. Sed enim inter Judæorum & Gentilium Festa magnum discrimen fuit, sive originem, sive numerum, sive Ritum spectemus. Ethnici levibus de causis, plerumque ridiculis & fabulosis, quales erant Raptus *Proserpinæ*, Planctus *Isidis*, Casus *Adonidis*, & aliæ similes, dies festos indixerunt Hebræis ad insignis alicujus beneficii a Deo in Gentem universam collati memoriam recolendam Solemnitates institutæ sunt. Insignis fuit apud Gentes profanas, Græcos præsertim, Festorum numerus: Lex Mosaica Judæis, præter Sabbata, ter tantùm in anno Festa publica solemniter celebranda præscripsit. Exodi 23. 14. 15. 16. 17. *Tribus vicibus per singulos annos mihi Festa celebrabitis. Solemnitates Azymorum custodies.... Et Solemnitatem Messis Primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo*. Ethnici Festos dies integros otio, crapulæ, & Veneri dicabant: Judæi sacris & religiosis actionibus. Hinc *Philo Judæus* Lib. 1. *De Cherubim*, ait: *Contemplare Celebritates nostras. Omittantur quæ apud Barbaras simul & Græcas Nationes per occasionem figmentorum fabulosorum alia aliàs instituta sunt, in nullum alium finem quàm vanitatem pompofam fastuosamque. In omni Festo nostro & celebritate opera miranda & palmaria sunt, securitas, remissio, quies ab inferendis injuriis*. In festis verò Gentilium, *ebrietas, potatio, commessatio, deliciæ, oblectamenta, patentes januæ, pernoctationes, indecentes voluptates, quotidianæ Nuptiæ, insolentiæ, exercitium intemperantiæ, insipientiæ meditatio, studia turpitudinis, honestatis pernices, nocturnæ exercitationes ad cupiditates inexplebiles, somnus diurnus, quando vigilandi tempus est natura ordinis perversio. Tunc virtus ridetur ut noxia, vitium tamquam utile rapitur. Tunc in contemptu sunt quæ oportet facere: Quæ verò non oportet, in pretio. Tunc Musica, Philosophia, & omnis eruditio, divinæ Animæ divina reverà simulacra, tenent, silentium: At istæ artes, quæ suis lenociniis ventri, & his quæ sub ventre sunt, voluptatem conciliant, se se ostentant. Hæc sunt Festa istorum, qui se felices dicunt; quorum turpitudo quàm diu inter privatos parietes, locaque profana continentur, minus peccare mihi videntur: Ubi verò torrentis in morem vastans omnia, vel in sacratissima Templa irrumpit, quicquid in his sanctum est, sternit continuò, faciens profana Sacrificia, victimas absque litatione, preces irritas, profana item Mysteria simul & Orgia, pietatem sanctitatemque fucatam & adulterinam, castitatem impuram, & veritatem falsatam, cultum Dei superstitiosum*, &c. Quæ cùm ita sint, veteris Legis Solemnitates a profanarum Gentium moribus originem duxisse, absque ratione asseritur: Maximè cùm Pascha, Pentecostes, Scenopegia, Festa fuerint Judaicæ peculiaria Religioni, profanis Gentibus ignota.

III. Non imus tamen inficias, quin Festa solemnia Populo suo celebranda Deus indixerit, non solùm ad divinorum beneficiorum commemorationem, sed maximè ut proclives ad Idololatriam Judæos in officio contineret, atque a profanarum Gentium Superstitionibus, cum effreni licentiâ & obscœnitate, quibus se Deos promereri putabant, conjunctis avocaret. Non alia mens est *S. Joannis Chrysostomi* Homiliâ *De Christo Pastore & Ove*, Tom. 6. p. 269. *Quæcumque*, inquit, *in veteri Priscorum Religione facta commemorantur, ad Christum ceu summam quamdam tendunt: Sive Prophetia, sive Sacerdotium, sive Regnum, sive Templum, sive thuribulum, sive velum, sive Arca, sive Propitiatorium, sive Manna, sive Virga, sive urna: omnia [ inquam ] ad ipsum referuntur. Jam enim antiquitus Deus Judæis Religionem Sacrificiorum concessit, non quòd eâ oblectaretur, & in eâ acquiesceret: Sed quòd a Græcorum cultibus ipsos summovere cuperet. Ita cum ipse hac quadam moderatione ipsos ad ea perducat quæ ipse velit: Quæ non vult, velut sibi grata præscribit. Cùm enim, ut erat captus Judæorum, nondum efficacem illam vim Spiritus intelligere possent; sed consuetudine Gentium in servitutem redacti essent, & circa Aras & Sacrificia occuparentur: Deus dies illos festos etiam Idolis colendis dicatos, hoc modo ad pietatem ordine quodam instituendum, immutat, atque sustinet, quæ ipsi non placebant. Et quemadmodum bonus pater, cùm filium suum ludicris rebus occupatum conspiciat, a foro quidem ipsum arcet: domi verò omnia illi, quæcunque velit, permittit: & dum ipsum in omni officio & decoro continet, lusûs insolentiam licentiamque coërcet: Sic etiam Deus, cùm constituisset ipsos his publicis Dierum Festorum conventibus ad pietatem conformare, permittebat etiam illis Sacra facere*. *Rationes Institutionis Festorum Veteris Legis.*

Eadem mens est *Theodoreti* Quæstione 54. in Exodum: *Præcepit*, inquit, *diebus illis festis convenire in Templum divinum, ut beneficiorum divinorum memoriam renovent, & concordiam atque amicitiam concilient: & cùm Festorum peramantes sint, Sacris & delubris Dæmonum non delectentur, sed in Templo Creatoris & bona suppeditantis, festivis fruantur epulis*. Et Quæstione 10. in Deuteronomium: *Porrò*, inquit, *sapientissimus Dominus ista Lege complexus est, liberans eos ab errore falsorum Deorum. Etenim quia doctor impietatis, humano genere gulæ & voluptatum illecebris subjugato, Festis Dæmonum ludicra permulta inseruit, solertissimus Dominus Israëlem ab illo errore liberans, etiam de his quæ pertinent ad Festa Leges scripsit, & Sacrificia permisit, & instrumenta musica toleravit, & jussit epulari, talibus illectamentis Idolorum impium cultum amputans*.

IV. Septem Solemnitates temporales, & unam continuam in Veteri Lege fuisse, ex *Numerorum* 28. & 29. colligit *S. Thomas Primâ Secundæ Quæstione* 102. *Articulo* 4. *ad* 10. Solemnitas continua erat oblatio jugis Sacrificii. Singulis scilicet diebus mane & vespere immolabatur agnus; *& per illud continuum Festum jugis Sacrificii, repræsentabatur perpetuitas divinæ beatitudinis*. *Numerus Solemnitatum Veteri Lege institutarum.*

*nis*. Numerorum 28. 3. *Hæc sunt Sacrificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: Unum offeretis mane, & alterum ad vesperum*. At id propriè Festum non fuit. Nec ante Solis ortum, nec post Solis occasum, sed inter duas vesperas ut loquuntur, juge Sacrificium offerebant, ut nocturna Gentium Sacra, in Mortuorum honorem fieri solita se penitus repudiare, nec Religionem suam quicquam commune cum Diis Inferis, aut ceremoniis eorum cultui propriis retinere eo ritu profiterentur. De Diis inferis, quos *Miliehios* vocant, verba faciens *Pausanias* in *Phocis*, eorum Sacra lucifuga fuisse testatur: *His*, inquit, *nocturna fiunt Sacra, in quibus ante Solis exortum carnes victimarum absumere, eodem ipso in loco solemne habent*. Nocturna Sacra *Principi tenebrarum* conveniebant. At Deo qui *Lux est*, & *in quo tenebræ non sunt ullæ*, Sacrificium offerri decebat a Populo suo lucente Sole.

Temporales Solemnitates aliæ quavis hebdomadâ, ut *Sabbatum*: aliæ singulis Mensibus, ut *Neomenia*: aliæ singulis Annis semel celebrabantur, scilicet *Pascha*, *Pentecoste*, *Festum Tubarum*, *Festum Expiationis*, *Festum Scenopegiæ* seu *Tabernaculorum*, & *Festum Cœtus* seu *Collectæ*. Quatuor illæ postremę solemniter peragebantur Mense septimo, qui quasi totus solemnis apud Hebræos erat, sicut & septimus dies, & instar unius Festi censebantur. Festa Paschatis seu Azymorum, Pentecostes, & Tabernaculorum, tria erant Præcipua, quibus Israëlitæ ad Tabernaculum Domini in Silo, vel ad Templum Hierosolymitanum, postquam conditum est convenire debuerunt, sacrificia oblaturi, Exodi 23. 14. & Deuteronomii 16. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit. In Solemnitate Azymorum in Solemnitate Hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus, &c.*

V. *Sabbatum*, Judaicarum Festivitatum caput, a Deo institutum est in Creationis memoriam, *Exod.* 20. 8. 9. 10. 11. Adeòque ad Idololatriæ abolitionem. Si enim creationis opus memori mente Judæi tenerent, vix fieri potuit ut cultum uni Creatori debitum creaturis impenderent. Fidem creationis Mundi, Legis Mosaicæ fuisse fundamentum, ait *Maimonides* in *More Nevochim* P. 2. Cap. 30. *Sententiam*, inquit, *de æternitate Mundi omnes Legem nostram amplectentes refugiunt: Fundamentum enim Legis nostræ est, quòd Deus hunc Mundum crearit ex nihilo*. Hinc Sabbathi Religio toties Judæis in Lege inculcata. Hinc Sabbati violatio pœnâ capitali punita, quòd Creationis abnegatio quædam videretur, ut observat *Aben-Esra* in Cap. 20. *Exodi*. De Sabbato pluribus egimus Dissertatione 2. in Explicatione 3. Præcepti Decalogi. Quia Sabbatum a quiete nomen accepit, & quiete ab operibus sanctificabatur, & in quietis divinæ memoriam ab opere creationis institutum erat, & figura erat quietis Christi, Fidelium hìc peregrinantium, Sanctorum in cœlesti gloriâ cum Christo regnantium: Omnia Festa Solemnia a Deo instituta, ob sacrum otium quod iis diebus pariter indictum erat, Sabbata vocata sunt. Levitici 23. 32. *A vesperâ usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*. Et Vers. 39. ubi de Festo Tabernaculorum agitur: *Die primo & die octavo erit Sabbatum*: Hoc est, primus & octavus dies festi & solemnes erunt. Hinc etiam Annus septimus, ob indictam terræ quietem *Sabbathum terræ*, & *Annus Sabbaticus* appellatus est. Levitici 25. 4. *Septimo autem Anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini*. Fuit præterea Sabbatum Sabbatorum, seu Annus septies septimus, *Jubilæus* appellatus, qui servis plenam a laboribus quietem afferebat: De quo Levitici 25. 8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem*, &c.

VI. *Neomeniæ Festum*, ad divinæ gubernationis opus commemorandum institutum est, inquit *S. Thomas*. Hæc namque inferiora secundùm Lunæ motum præcipuè variantur. Secundò in figuram etiam Ecclesiæ per Christum olim renovandæ, cùm Lunâ collatæ *Canticorum* 6. 10. *Apocalypsis* 12. 1. 4. Neomeniæ cum Sabbathis & Festis reliquis Deo in antiquâ Lege consecratis conjunguntur 2. *Paralipomenon* 2. 4. & 31. 3. 1. *Esdræ* 3. 5. *Isaiæ* 1. 13. *Judith* 8. 6. Inter *Ferias Domini celeberrimas atque sanctissimas*, quæ *Levitici* 23. recensentur, nulla fit *Neomeniæ* mentio, quia feriatio a laboribus hac die præcepta Israëlitis non erat, quamvis præscriptis Sacrificiis solemnis esset, Numerorum 33. 11. 12. 13. *In Calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos*, &c. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum*. Tantùm abest ut Neomeniæ Solemnitatem a Gentibus acceperint Judæi, ut *Spencerus* contendit *Lib.* 3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, *Cap.* 1. *Dissertatione* 4. ut potiùs Novilunia Sacrificiis in sui Nominis honorem oblatis, & buccinæ sonitu indictis, solemnia Deus esse jusserit ad Idololatriæ abolitionem: ut Israëlitæ religiosis officiis occupati, Deique beneficiorum memores, ad Gentilium Ritus in Neomeniis usurpari solitos non deficerent. Ita *S. Thomas* loco supra laudato: *Ideo celebratur hoc Festum in novitate Lunæ, non autem in ejus plenitudine, ad evitandum Idololatrarum cultum, qui in tali tempore Lunæ sacrificabant*. Ita *Maimonides* in *More Nevochim* P. 3. Cap. 46. *Ne quis cogitaret de hirco Neomeniæ, quasi Lunæ esset Sacrificium, sicut Ægyptii facere solebant sacrificantes Lunæ in singulis Neomeniis; idcirco disertè dicitur de ejusmodi Sacrificio*, Sacrificium pro peccato Domino, *non verò Lunæ*. *De hircis autem Festorum principalium nequaquam hoc timendum fuit: Quia dies illi non erant Lunæ consecrati, nec signo aliquo naturali distinguebantur, sed ex instituto Legis observati: Neomeniæ verò non erant ex impositione Legis, & consueverant Gentes in illis Lunæ Sacrificium offerre, sicut sacrificabant Soli in ipsius ortu. Hac de causâ ergo novo loquendi genere usa est Lex de isto hirco, & dixit de eo*, Holocaustum Domino; *ad auferendum cogitationes istas ex cordibus hominum inveteratâ & exitiali istâ lue laborantium*. Græcos & Romanos Sacrificia in Noviluniis offerre, & vota nuncupare solitos, ut sibi fausta omnia insequenti Mense evenirent, Auctores antiqui testantur. *Libanius* Declamatione 8. *In Neomeniis, Lege civitatis ad id munus adstricti, sacrificamus*. Plutarchus in Vitâ Æmilii: *Æmilius, ut primùm renitescere Lunam conspexit, ei juvencas undecim immolavit*. Clearchus apud *Porphyrium* Lib. 2. *De Abstinentia*, Sect. 16. dicitur *Studiosè Sacrificium peragere, quod singulorum Mensium initio debebatur*. Macrobius Lib. 1. Saturnalium, *Romæ Calendis omnibus Pontifex rem divinam Junoni facit*. Demosthenes Orat. 1. in Aristog. *In Noviluniis omnes in Acropolim ascendentes, Deos precantur, ut civitati & sibimetipsis bona largiantur*. Lucianus in *Icaromenip.* Empedoclem sic alloquens, *Ubi primùm rursus in Græciam devolaro, memor ero sacrificare tibi in fumario: Atque in Noviluniis ter ad Lunam inhians vota facere*. Horatius Lib. 3. Od. 23.

*Cœlo supinas si tuleris manus*
*Nascente Lunâ, rustica Phidele.*

Tacitus Lib. De Moribus Germanorum: *Coëunt*

*viunt*, inquit, *nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum nempe inchoatur Luna aut impletur. Nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.* His Superstitionibus Neomeniæ solemnitatem Deus opposuit. Judæorum Neomenias *trigesima Sabbata* vocat Horatius. Duplex porro apud Antiquos Novilunia putandi vel inchoandi ratio obtinuit: Naturalis una & astronomica, ἀπὸ τῆς συνόδου conjunctione Luminarium: Altera Popularis, ἀπὸ τῆς φάσεως a primâ visione Lunæ. Judæis autem a Lunæ φάσει Neomeniæ celebritatem auspicari mos erat, ut testantur *Philo Judæus* Lib. De Septenario & Festis, *Maimonides*, Lib. *Kiddush Hachodesh* Cap. 5. §. 2. & *Abarbanel* Lib. *De Consecratione Novilunii*. Qui Neomeniæ Ritus, Rabbinorum & Scribarum Traditione vel superstitione Mosaicæ Legi superadditos nosse cupit, legat Buxtorfium, *Synagoga Judaica* Cap. 22.

*Pascha.* VII. *Festum Paschatis* 14. die primi Mensis Sacri, id est Nisan, sub vesperam, celebrandum, a Deo institutum est, in memoriam liberationis ex Ægypto, & in figuram veri Agni Paschalis, scilicet Christi, in vespera Legalium Ceremoniarum, & Synagogæ Judaicæ, immolati. Solemnitatis istius continuatio seu appendix erat *Festum Azymorum* 15. die ejusdem Mensis Nisan, & sex diebus sequentibus celebratum: Qui dies pares quidem erant quoad usum Azymorum, & Sacrificiorum oblationem, non quoad celebritatem; primus enim & septimus festi erant ac solemnes, adjunctamque habebant obligationem abstinendi ab omni opere servili: Quinque reliqui erant profesti *Levitici* 23. 5. 6. 7. 8. *Numerorum* 38. 16. 17. & seq. Hoc Festum institutum est, ut memores essent Judæi panis afflictionis quem in Ægypto comederant, simul & liberationis suæ singulari Deo beneficio, propter quod gratum animum testarentur septem diebus continuis, id est, totâ mortalis hujusce vitæ septimanâ. Secundò, ut panem afflictionis, & calicem amaritudinis, sive Passionis Christi Domini significaret. 3. Ut manducationem carnis Christi, qui verè panis azymus est, expers corruptionis, in adorando Eucharistiæ Sacramento adumbraret. 4. Ut fermentum malitiæ & nequitiæ fugiendum intelligerent, sectandam verò sinceritatem, veritatem, conscientiæ puritatem per Azyma adumbratam. Secundâ die Azymorum primitiæ messis, manipulus scilicet spicarum, & agnus immaculatus, anniculus in holocaustum offerebatur, in figuram Christi de quo Apostolus 1. ad Corinthios 15. 20. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium.* Lege postremam Dissertationum nostrarum in 3. Mundi Ætatem, in quâ fusè de Paschate egimus. *De Ritibus Judæorum* in celebratione Paschatis & dierum Azymorum, Legi Mosaicæ superadditis, legi potest Buxtorfius *Synagoga Judaica*, Cap. 17. & 18.

*Pentecoste.* VIII. *Festum Pentecostes* die quinquagesimâ a secundâ die Azymorum, seu a die decimâ sextâ Mensis Nisan, quo primus frugum manipulus erat ex præscripto Legis offerendus, celebrandum Deus instituit. A secundâ illâ Azymorum die septem hebdomades numerandæ erant, seu dies quadraginta novem completi: & tum quinquagesimus Festus erat, ut constat ex *Levitici* 23. 15. 16. *Deuteronomii* 16. 9. ex *Josepho* Lib. 3. *Antiquitatum* Cap. 10. & ex praxi constante, cujus fidem faciunt Hebræorum Commentarii, & Kalendarium. Hinc Hæbræis *Festum Sabbathorum* seu *Hebdomadarum*, dictum est, *Exodi* 34. 22. & *Deuteronomii* 16. 10. 16. & *Solemnitas Messis primitivorum*, seu *Festum Primitiarum*, Exodi 23. 16. & Levit. 23. 17. quia panes primitiarum triticeæ Messis illâ die Domino offerebantur. Græci Πεντηκοστή quasi *Dies quinquagesima*. Quam appellationem & Ecclesia retinuit. Institutum hoc Festum est in memoriam latæ Legis in Monte Sinai: In grati animi significationem pro fertilitate agrorum, ubertate Messis, & quietâ Chananitidis possessione: In figuram Missionis Spiritus Sancti olim futuræ *cùm complerentur dies Pentecostes*. (Act. 2. 1.) & Primitiarum Ecclesiæ Christianæ: In figuram denique sanctificationis nostræ seu novitatis vitæ, novorum fructuum, fidei, spei, caritatis, virtutum omnium, quos operatur Missio Spiritûs Sancti. Ritum hujus Festi celebrandi Lex præscribit Levitici 23. 15. 16. 17. 18. 19. *Numerabitis ergo ab alterâ die Sabbati*, [id est a secundâ die Azymorum: *Sabbatum* enim pro *Festo* sumitur, cujus mentio proximè facta est,] *in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis Sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis, in primitias Domini. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. Cùmque elevaverit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum: Omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus vestris.* Confer *Deuteronom.* 16. 9. 10. 11. 12.

IX. Festum *Clangoris Tubarum* in Neomeniâ Mensis *Tisri*, seu Anno civili ineunte celebrandum præscripsit Deus, in memoriam liberati *Isaaci*, & substituti arietis, cornibus dumeto hærentis, ut volunt Hebræorum Magistri, quibus suffragatur *S. Thomas*: Deinde ut clangore tubarum ad grati animi significationem pro fructibus & beneficiis anno præcedente a Deo collatis excitarentur. Tertiò, ad novi Anni civilis sanctificationem. Quartò, ad indictionem Festi solemnis *Expiationis* die decimâ ejusdem Mensis celebrandi. Quintò, ut hinc duceretur, Annum Sabbathicum & Jubilæum, Mense Tisri inchoandos, numerandi ratio. Sextò, ad Evangelicæ tubæ clangorem in novo Anno gratiæ significandum. De istius Festi celebratione præceptum extat Levitici 23. 23. 24. 25. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israël: Mense septimo, primâ die Mensis erit vobis Sabbatum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum: Omne opus servile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino.* Item *Numer.* 29. 1. & seq. *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis in eâ, quia dies clangoris est tubarum. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem: & in Sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem: & hircum pro peccato, qui offertur in expiationem Populi, præter holocaustum Calendarum cum Sacrificiis suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Eisdem caremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.* De hoc Festo intelligitur illud Psalmi 80. 4. *Buccinate in Neomeniâ tubâ, in insigni die Solemnitatis vestræ: Quia præceptum in Israël est, & Judicium Deo Jacob.* De Judæorum Ritibus in clangore Tubarum, lege *Buxtorfium* Cap. 24. *Synagoga Ju-*

*Festum Tubarum.*

*Judaica*. Ipsos buccinâ clangere ut Satanas perturbetur & confundatur, recordatus quòd in fine dierum, cùm magnâ tubâ clangetur, in æternum absorbendus sit, tradunt R. *Isaac* Talmudicus in Tractatu *Rosh Hasebana*, & *Moses Kotsensis* Cap. *De* 42. *Præcepto*. Causas Morales hujus clangoris affert *Maimonides* Tractatu *De Pœnitentiâ*, Cap. 3. *Licèt*, inquit, *clangor tubæ in capite Anni decretum sit Scripturæ, est in eo moralis allegoricusque sensus. Evigilate e somno vestro, qui dormitis. Qui sopore obruti estis, expergiscimini e sopore vestro, & soliciti estote de operibus vestris, & revertimini per pœnitentiam, & recordamini Creatoris vestri. Qui veritatis immemores estis propter vanitates mundanas, quique totam vitam oberratis in rebus inanibus & ludicris quæ nihil proficiunt, attendite ad animas vestras, rectas facite vias vestras & opera vestra, & derelinquat unusquisque vestrûm viam suam malam, & animi cogitationes impias*. Hæc ex antiquis *Midraschim* desumpsit *Maimonides*, ut observat ipsius Commentator.

*Festum Expiationis.* X. *Festum Expiationis* decimâ die ejusdem Mensis celebrandum Deus instituit, in memoriam Dei Populo adoratione Vituli polluto, ad *Moysis* preces, propitii: Tum in expiationem peccatorum omnium, quibus se se Israëlitæ toto anno inquinassent. Quamobrem indictum Jejunium & afflictio animarum. Levitici 23. 26. 27. & seq. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Decimo die Mensis hujus septimi, dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus: quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de Populis suis: & quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de Populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo: Legitimum sempiternum erit vobis cunctis generationibus & habitationibus vestris. Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono Mensis*. Confer *Levitici* 16. 26. & seq. Ceremoniæ quædam erant hujus Festi propriæ respectu Pontificis, *Levitici* 16. præscriptæ, quæ typi fuerunt expiationis peccatorum totius Mundi per Christum faciendæ. 1. Antequàm in Sancta Sanctorum ingrederetur, quod hac unâ die ipsi per Legem concessum erat; vitulum piacularem offerre debebat, pro suis, familiæque suæ peccatis, & arietem in holocaustum, id est, eos coram Domino sistere, ac devovere, subinde mactandos. 2. Duos hircos a Populo accipere, piacularem pro ipsius peccatis victimam, & unum arietem in holocaustum. 3. Piacularia Sacra facturus, vestibus communibus omnium Sacerdotum, non splendidis illis solius Pontificis propriis indutus esse debebat. 4. Duobus hircis ante Tabernaculum testimonii Domino devotis, inter utrumque sors mittenda erat, uter mactaretur Domino, vel ablegaretur in desertum. 5. Vitulum piacularem pro se, Domoque suâ fusis ad Deum precibus debebat immolare Pontifex. 6. Incenso thymiamate in Sanctuarium ingredi. 7. De sanguine vituli septies aspergere contra Propitiatorium, ad Orientem. 8. Mactato hirco pro peccatis Populi, septuplâ quoque sanguinis ejus aspersione digito factâ, e regione Oraculi, Sanctuarium primò, tum Tabernaculum testimonii lustrare. 9. Nemo homo in Tabernaculo esse debebat, quando Pontifex Sanctuarium ingrediebatur. 10. Egrediebatur Pontifex in Sancta, & sanguinem vituli atque hirci piacularium super cornua Altaris aurei per gyrum fundebat, digitoque septies aspergendo, illud ab immunditiis filiorum Israël expiabat. 11. Sanctuario, Tabernaculo, & Altari thymiamatis emundatis, ad Altare holocaustorum pergebat, & utrâque manu super caput hirci alterius viventis impositâ, confessione suâ imprecabatur capiti ejus omnia Israëlitarum peccata, tradebatque homini ad id destinato emittendum in desertum. Qui piacularem hircum emiserat, lustratione indigebat, nec ingredi poterat in castra, nisi loto corpore & vestimento. 12. Pontifex vestibus lineis exutus, lotusque, ac Pontificiis indutus, suum ac plebis holocaustum offerebat, Deumque pro se ac Populo rogabat. 13. Vitulum & hircum pro peccato mactatos, & quorum sanguis in Sanctuarium illatus fuerat, mittebat extra castra, ut tam pelles, quàm carnes, & fimus eorum combureretur. Qui autem illa comburebat, legalem contrahebat immunditiam, lotione vestimentorum & corporis expiandam. Hos ritus typicos fuisse, & Passionis Christi, atque expiationis peccatorum totius generis humani per ejus sanguinem faciendæ ab Eo, Pontifice nostro simul & victimâ, figuras insignes, docet Apostolus *Epist. ad Hebræos* Cap. 9. Vers. 2. & seq. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ* ..... Et infra: *Non enim in manu facta Sancta Jesus introivit exemplaria verorum: Sed in ipsum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine Mundi: Nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem*. Et Cap. 13. 2. 12. 13. 14. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem Populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad Eum extra castra, improperium ejus portantes*. Hic est hircus ille ἀποπομπαῖος *in quo Deus posuit iniquitates omnium nostrûm*. Imò P. 301.
hircus uterque typus Christi fuit, ut docet S. *Cyrillus Alexandrinus* Lib. 9. contra Julianum. *Cerne*, inquit, *Mysterium, etiam in capris duobus rectè adumbratum. Caper enim, sive hircus, pro peccatis Sacerdotis & Populi mactabatur ex præscripto Legis. Cùm autem Christus pro peccatis nostris immolatus sit, hirco comparatur. Ut enim ait Isajas*
„ *Propheta*: Omnes sicut oves erravimus, homo Isai. 55.6.
„ in viâ suâ erravit, & Dominus tradidit eum pro
„ peccatis nostris. *Duo siquidem hirci assumuntur, non tamquam duo Christi sint, aut duo, juxta nonnullos, Filii, sed potiùs quòd oportebat eumdem & immolari pro nobis, & mori quidem secundum carnem, vivere autem secundùm spiritum*. Et infra: *Descriptus autem est per utrumque Christus unus, & moriens pro nobis secundùm carnem, & mortem superans secundùm Divinitatis naturam. Emittebatur autem in desertum, quâ solitudine & inculto solo designatur Gentium sterilitas. Hanc quippe ab ipsis Prophetis reperiemus ita quoque nominatam.*
„ *Scriptum est enim*: Lætare desertum sitiens, Isai. 35. &
„ exultet desertum, & floreat quasi lilium. *Et* 54.
„ *rursus*: Lætare sterilis, quæ non paris: Erum-
„ pe & clama, quæ non parturis: Quia plures
„ filii desertæ, quàm habentis virum. *Multò plures enim fuerunt qui crediderunt ex Gentibus, quàm qui ex Synagogâ Judæorum*. Alio modo figuram hircorum explicari posse S. *Cyrillus* ait: Ut sicut oves typi sunt Sanctorum, sic hirci figuræ pec-

ca-

catorum intelligantur: ( Matthæi 25. 34. ) Porrò *Apparuit nobis Dei Unigenitus in specie nostrâ, & cum iniquis reputatus est: & si sensum legalium figurarum spectemus, hœdus inter hœdos, aut hircus inter hircos factus est. Jussit igitur Lex hœdos aut hircos duos assumi, ut ex eo Christus intelligeretur sicut unus e nobis quoad ejusdem naturæ similitudinem & speciem hominis ad hominem, nempe capri ad caprum. Factus autem homo sicuti nos, mortem quoque nobis impositam subiit, hoc est, carnalem, ut nos morte & corruptione liberaret. Quod quidem ipsum videre possis etiam in binario illo hircorum numero impletum, quorum unus quidem immolabatur, & Deo in odorem suavitatis offerebatur: Alter autem a mactatione liber dimittebatur. Mortuus enim est pro omnibus. Ille omnium dignissimus, & Christi mors solutio mortis fuit*. Legatur ejusdem Patris Epistola ad *Acacium* Episcopum, *De Capro Emissario*, P.3. Concilii Ephesini Cap.36.

Eamdem explicationem tradit *Theodoretus* Quæstione 22. in Leviticum. *Quemadmodum*, inquit, *in purificatione Leprosi, uno passere mactato, alter illius sanguine tinctus liberabatur; ita duobus hircis oblatis pro peccatis Populi, unus sacrificabatur, alter emittebatur. Hæc verò typus erant Christi Domini, ita ut hæc duo animalia non pro duabus personis accipiantur, sed pro duabus naturis. Cùm enim per unum hircum adumbrari commodè non possent mortalitas simul & immortalitas Christi Domini: ( Nam hircus mortalis est solùm: ) Necessariò duos offerri jussit: Ut ille qui mactabatur, carnis passibilem naturam figuraret: Qui verò solvebatur, Divinitatis indicaret naturam impassibilem..... Porro nemo existimet ineptum, hircos præfigurare Passionem Christi, cùm ipsum magnus Joannes appellaverit Agnum: Sed perpendat potiùs, quod non pro Justis tantùm, sed etiam pro peccatoribus semetipsum obtulerit. Hœdis autem Dominus comparavit cœtum*
Matth.25. 33. ,, *peccatorum*: Statuet enim, *ait*, agnos a dextris, ,, hœdos autem a sinistris. *Et in Lege pro peccato offerebatur hœdus .... Hæc ergo prænuntiabant terræ salutem: Judæos verò tamquam infantes delectabat, quòd hircus peccata in desertum auferret: Quia reducebat illis in mentem scelus in deserto admissum, & inenarrabilem Domini benevolentiam, per quam justis suppliciis evitatis, in Terram Promissam ingressi sunt*. Legatur & *S. Thomas Primâ Secundæ, Quæstione* 102. *Articulo* 5. *ad* 6. Sed de Hirco Emissario dicemus iterum Articulo sequenti, ubi de Mosaicæ Legis Sacramentis agemus; & *Marshami*, ac *Spenceri* novam opinionem expendemus, qui Hirci Ἀποπομπαίου Ritum ab expiatoriis Ægyptiorum Sacris derivatum contendunt.

Festum Expiationis pœnitentiæ & confessioni apud Judæos dicatum est. Tradunt Rabbini, Deum primo die Anni singulos homines judicare, & pro variis meritis eos tribus libris inscribere: Perfectè justos *Libro Viventium*: Perfectè impios *Libro Mortis*: Intermedios tertio Libro. Qui in eo descripti fuerint, eorum Judicium in diem decimum Mensis suspendi: Si perfectam pœnitentiam egerint, Justis; sin minùs, impiis adnumerandos. Sic *R. Schem Tob* initio *Draschot* sive Sermonum De Pœnitentiâ, Tractatus Thalmudicus *Rosch Haschana*, De Capite Anni, *Maimonides* Lib. *De Pœnitentiâ*, Cap.3. Mense *Tisri*, novoque Anno ineunte, novem diebus qui supersunt ad diem Expiationis, Pœnitentiæ, Confessioni peccatorum, jejuniis, reconciliationi cum læso proximo, rerum raptarum restitutioni, necnon corporis macerationi & verberationi sedulò incumbunt, ut Justorum Libro adscribi a Deo mereantur. Sed potissimùm pridie hujus Festi, & toto Festo, austerum observant jejunium a Vesperâ scilicet usque ad Vesperam sequentem. Omnes omnino pubescentes, mares & feminæ, eodem modo jejunare tenentur. Mares, cùm diem unum supra decimum tertium annum attigerunt; feminæ, cùm unum diem supra undecimum annum assecutæ sunt. Ipsos infantes pro ætatis modulo abstinentiâ aliquâ, horæ saltem alimentis assignatæ retardatione fatigant. Ab uxoribus abstinent, discalceati incedunt, a balneis, odoribus, unctionibus, lotionibus temperant; ut constat ex *Mose Cotsensi* in Lib. *Semeg*, Tit. *Hilcoth Hacippurim* ad præcepta 68. & 69. negativa; ex Libro *Kiriath Sepher* in explicatione Præcepti 31. ex *Orach Chaim* in Decisionibus & Moribus illius Festi, aliisque Judæorum Libris. Confessionem in primâ Vesperâ Festi hujus quisque edere tenetur, antequam cibum capiat, *Ne forte in cœnâ* ante Confessionem suffocetur ( inquit *Maimonides* Cap.2. Lib. *De Pœnitentiâ* ] sive *Ne mens ejus propter convivium conturbetur, ita ut non possit postea confiteri*; [ inquit R. Jacob in *Libro Orach Chaiim Sect.*607. ] Post Cœnam, manè, & pluries in die Confessionem iterant. Decem Confessiones fieri *in vicem decem pronunciationem divini Nominis, quas in die Expiationis Sacerdos Magnus commemorat*, refert *Moses Tranensis*, Cap.2. Decisionum de Pœnitentiâ. Multiplicis Confessionis die Expiationis faciendæ *Talmud* Hierosolymitanum, & Babylonicum, in Tractatu *Joma*, Cap. ultimo, mentionem faciunt. De cujus etiam Ritu plura ex Rabbinorum Commentariis deprompta legi possunt apud *Buxtorfium, Sinagoga Judaica* Cap.25. & apud *Joannem Morinum Lib.*2. *De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Cap.22. & Libro 9. Cap.35. & 36. Religiosiores Judæi Pœnitentiæ dies ante Festum Expiationis anticipant, nonnulli quadraginta diebus, ut referunt *R. Aser* in fine Tractatûs De Anni Principio, & *R. Jacob* in *Orah Chaim*, Sectione 581. De galli gallinacei oblatione piaculari, aliisque Superstitionis Judaicæ in Expiationis Festo Ritibus; legi potest *Buxtorfius* loco supra laudato.

XI. *Festum Tabernaculorum*, die decimâ-quintâ mensis *Tisri*, & sex diebus sequentibus celebrandum Israëlitis Deus instituit in memoriam peregrinationis in deserto, & habitationis in tentoriis: Nec non divinæ protectionis, tunc eos quasi umbrâ suâ continuò tegentis. Ad cujus beneficii magis expressam commemorationem, in tabernaculis de frondibus & ramis arborum contextis, sub dio, per septem dies habitabant. Hinc Festo nomen datum *Scenopegia*, sive *Tabernaculorum*. Secundò, In gratiarum actionem pro fructibus recens collectis. Tertiò, In figuram hujus mortalis vitæ, in quâ tanquam in deserto probationum, & tanquam in transitoriis tabernaculis habitamus, peregrinorum, aut militantium more, idque diebus septem, quibus totum vitæ tempus significatur. Quartò, In figuram Christi, qui per incarnationem habitavit in carne tamquam in Tabernaculo, *Joannis* 1. 14. Ritus hujus Festi describuntur Levitici 23. 34. *A quinto-decimo die Mensis hujus septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: Omne opus servile non facietis in eo. Et septem diebus offeretis holocausta Domino. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro... Et habitabitis in umbraculis septem diebus... Ut discant posteri vestri quòd in Tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cùm educerem eos de Terrâ Ægypti*. Singulis hujus Solemnitatis diebus certa Sacrificia Lex præscribit *Numerorum* 29. De eodem Festo hæc habentur

*Festum Tabernaculorum.*

Deuteronomii, 16. 13. 14. 15. *Solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de areâ & torculari fruges tuas, & epulaberis in festivitate tuâ, tu, filius tuus, & filia, servus tuus & ancilla, Levites quoque & advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt. Septem diebus Domino Deo tuo Festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus. Benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitiâ.* Confer 2. *Esdræ* 8. 14. 15. 16. 17. 18. De Ritibus hujus Festi Judaicâ Superstitione invectis plura ex Rabbinorum Commentariis legi possunt apud *Buxtorfium*, Cap. 21. *Synagoga Judaica*. Hujus Festi meminit *Plutarchus*, & Judæis per calumniam impingit quòd in *Bacchi* honorem illud celebrarent, Libro 4. *Symposiacon*, Quæstione 5. *Maxima*, inquit, *& perfectissima Judæorum Solemnitatis & tempus & modus cum Bacchi sacris congruit. Quod enim ipsi vocant Jejunium, id sic celebrant, ut maximè fervente vindemiâ proponant mensas, in quibus exposita sunt omnis generis fruges: & sub Tabernaculis desident potissimùm e palmitibus & hederâ quæ contexuntur: & diem quæ Festum antecedit, Tabernaculariam nominant. Paucis verò post diebus aliam festivitatem non obscurè, sed omnino apertè Baccho nuncupatam celebrant. Est etiam solemne apud eos Festum* Cradephoria *a palmitibus gestandis, &* Thyrsophoria, *ubi thyrsos gestantes in Templum intrant. Quid intus faciant, ignoro; credibile est Bacchi ab iis Sacra peragi. Nam & tubis exiguis, sicut Argivi Bacchanalibus utuntur ad evocationem Numinis: & alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipsi Levitas appellant, sive a Lysio sive ab Evio (Utraque vox Baccho congruit) ita dictos.*

*Festum Collecta.* XII. *Festum Convocationis*, seu *Collecta*, octavâ die Scenopegiæ seu Festi Tabernaculorum celebrandum Deus indixit. Complementum quoddam fuit prioris Festi, eoque die Populus ad Sanctuarium convocatus est omni opere servili interdicto. Unde & Festum *Retentionis*, & *interdicti* appellatum est, & *Collecta*. Quia populus septem *Scenopegia* diebus absolutis, unâ adhuc die retineretur, ac prohiberetur ne quid operis faceret. Item quòd convocaretur, ad gratiarum actionem pro finitâ collectione frugum solemni ritu Deo faciendam: Fortè etiam ad collectam pecuniariam in Sacrificiorum sumptus, aliosque usus sacros. Collectionem omnium Gentium intra Ecclesiam, vel collectionem Electorum intra Regnum Cœlorum adrumbabat; *Levitici* 23. 36. postquàm de Festo Tabernaculorum Deus sermonem fecit, *Dies quoque octavus* (inquit) *erit celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino: Est enim Cœtus atque Collecta: Omne opus servile non facietis in eo.* Hujus Festi Sacrificia præscripta sunt *Numerorum* 29. 35. 36. 37. 38. Hic dies vocatus est ab Hebræis *Hoshannah Rabbah*, quasi *Maximus dies Festi*. Solitus erat Populus eâ die, & singulis etiam diebus Festi præcedentis [ ut testatur *Maimonides in Hilchos Themidin*, Cap. 10. ] magnâ solemnitate haurire aquam e fonte *Schiloh*, & deferre ad Sacerdotes effundendam super Altare, cum vino, libaminis loco. *Buxtorfius* Cap. 21. *Synagoga*, & *Ligfootius in Joannem*, observant ad hunc morem allusisse Christum Dominum, qui *In novissimo die magno Festivitatis* (Tabernaculorum, sive in Festo Cœtûs & Collectæ) *stabat, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

## ARTICULUS IV.

*De Legibus Ceremonialibus Sacramentorum Veteris Legis.*

I. CUM *in nullum nomen Religionis, seu verum seu falsum, coagulari possint homines, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum visibili consortio colligantur*, ut ait *S. Augustinus* Lib. 19. contra *Faustum*, Judaicam Religionem Sacramenta sua habuisse consequens est. Hęc autem vel necessaria erant ad consecrationem seu institutionem Populi, aut Ministrorum in cultu Dei, ut *Circumcisio* & *Consecratio Sacerdotum*: vel usu rerum sacrarum constabant, ut *Agni Paschalis manducatio*, quoad Populum; *oblatio victimarum, esus panum propositionis*, &c. quo ad Sacerdotes: vel necessaria erant ad removenda cultûs divini impedimenta, scilicet inmunditias legales, & peccata; ut *purificationes* ac *lustrationes*, & *sacrificia piacularia*, præsertim *vaccæ rufæ*, & *hirci emissarii*. Hanc Sacramentorum Veteris Legis divisionem S. Thomæ verbis adstruo Primâ Secundæ Quæstione 102. Articulo 5. *Sacramenta*, inquit, *propriè dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodam modo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali quodam modo pertinebat ad Sacerdotes & Levitas, qui erant Ministri cultûs divini. Et ideo in istis Sacramentis veteris Legis, quædam pertinebant communiter ad totum Populum, quædam autem specialiter ad Ministros & circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio communiter quantùm ad omnes fiebat per Circumcisionem, sine quâ nullus admittebatur ad aliquid legalium: quantùm verò ad Sacerdotes, per Sacerdotum consecrationem. Secundò, requirebatur usus eorum quæ pertinent ad divinum cultum: & sic quantùm ad populum erat usus Paschalis Convivii, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Exodi 12. & quantùm ad Sacerdotes, oblatio victimarum, & esus panum propositionis, & aliorum quæ erant Sacerdotum usibus deputata. Tertiò, requirebatur remotio eorum, per quæ aliqui impediebantur a cultu divino, scilicet immunditiarum. Et sic quantùm ad Populum erant instituta quædam purificationes a quibusdam exterioribus immunditiis, & etiam expiationis a peccatis. Quantùm verò ad Sacerdotes & Levitas, erat instituta ablutio manuum & pedum, & rasio pilorum. Et hæc omnia habebant rationabiles causas; literales, secundum quòd ordinabantur ad cultum Dei pro tempore illo; & figurales, secundùm quòd ordinabantur ad figurandum Christum.*

## §. I.

*De Circumcisione.*

CIrcumcisio primum veteris Legis Sacramentum a Deo instituta est Genesis 17. 10. 11. 12. 13. 14. Ejus præceptum *Abrahamo* datum, ab eoque executioni mandatum in se ipso, in *Ismaële* filio & in servis omnibus. Lex Circumcisionis renovata *Levitici* 12. 3. Literalem Circumcisionis rationem triplicem fuisse docet *S. Thomas*. Primò quidem & præcipuè instituta fuit *ad protestationem fidei unius Dei. Et quia Abraham fuit primus qui se ab infidelibus separavit, exiens de domo suâ, & de cognatione suâ, ideo ipse primus Circum-*

*cumcisionem accepit. Et hanc causam assignat Apostolus ad Romanos* 4. 2. Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio: Ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam. *In hoc* autem *legitur fides Abrahæ reputata ad justitiam, quia* Contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum Gentium, secundùm quod dictum est. Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: Plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam. *Et ut hæc protestatio & imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Judæorum, acceperunt signum in carne suâ, cujus oblivisci non possent: Unde dicitur Genesis* 17. *Erit pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum.*

Secunda ratio *Circumcisionis*, inquit S. Thomas, esse potuit *debilitatio concupiscentiæ*, ideoque partes libidini ministrantes Deus circumcidi jussit. Huic affinis est ratio *Photii* Epist. 205. *E Gente*, inquit, *Chaldæâ oriebatur Abraham, ubi matribus, filiabus, & sororibus de consuetudine impiâ carnaliter miscebantur. Quocirca ne per patrios mores vel ipsemet pollueretur, vel ab ipso descendentes, circumcidebatur ei præputium, quo sic aboleretur hujusmodi nefanda turpitudo: Atque ita accrescebat ei sua propria carnis Circumcisio, ut divisio ab affinibus suis & consanguineis, ac quantùm ad maritalem copulam spectabat, aversio, Nam post Circumcisionem, quispiam e sanguine Abrahami ab hujusmodi nefandis, vel furtim perpetrandis impediebatur.* Tertiam institutæ Circumcisionis rationem *S. Thomas* affert, *Sugillationem Sacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur.* Phallagogia intelligit, in quibus *Dionysii phallum (sic enim virile membrum ridiculi homines nuncuparunt) & adorabant miseri & basiabantur cuncti qui orgia celebrabant: Rationem tamen ignorabant. Is verò qui Hierophantes vocabatur, & hæc sciebat, & Osirin, & Typhonem, & Osiridis membra a Typhone concisa latèque dispersa, Isin præterea Osiridis sororem, quæ magno illa studio collegit, solum autem ejus phallum non invenit, atque hac de causâ excitatum ejus simulacrum ab omnibus adorari præcepit.* Ita refert Lib. *De Curandis Græcorum Affectionibus*, Sermone 1. qui est *De Fide*.

Circumcisionis rationes quà literales, quà typicas, *Photius* his verbis explicat in laudatâ ad *Theodorum Hegumenum*, Epistolâ: *Tria præ se ferre videtur mihi Circumcisio; primùm quòd tamquam signum & sigillum Abrahami progeniem separaret, & a cæteris Gentibus distingueret. Secundùm, in se divini Baptismatis gratiam & efficaciam per figuram prædicabat, Veluti enim olim circumcisus per sigillum in Dei populo censebatur, sic & baptizatus, Christi in se sigillum expressum habens, adoptatus inscribitur Dei filiorum albo. Tertiò, symbolum erat Fidelium in gratiâ existentium, qui carnalium voluptatum & passionum insurrectiones tumultuosas excisorio fidei sermone & asceticis laboribus abscindunt & mortificant: Non corpus scindunt, sed cor; Nec secundùm literam, sed spiritum circumciduntur..... Certè erat necesse ut Abrahami progenies separaretur: Inprimis, ne permixta cæteris Nationibus illarum moribus paulatim abduceretur, factâ pietatis cultûsque mutatione, & ita execrandis illarum sacris inserviret. Secundò, ut promissionis divinæ apparens & cuicumque intelligibilis finis & perfectio redderetur, Abrahami semine in innumerabilem multitudinem multiplicato & excrescente. Quòd si eum Nationibus permixti mansissent, veritas promissionis adimpleta non agnosceretur; nec multitudo tanta esset admirationi, uti si separatim agerent, & Rempublicam privatam tuerentur. Tertiò, quod ante alias causas censetur, quandoquidem Dei dilecto & diligenti Deum Abrahæ pactum fuerat,* In semine tuo benedicentur universæ Mundi Nationes.... *ideo genus Abrahæ separatur, & a commixtione eximitur aliarum Gentium, ut Creator & Dominus naturam nostram ex illâ stirpe assumeret, & similiter ac nos carnis & sanguinis particeps fieret; quò pacti & promissi veritas omnibus numeris apud omnes consummaretur: Nempe Christo Deo nostro, in quo Gentes omnes benedictionis per gratiam participes fiunt, e lumbis illius per principia generationis humanæ descendente.*

Typicam rationem Circumcisionis sic explicat *S. Thomas* Quæstione & Articulo supra laudatis, ad 1. *Figuralis ratio Circumcisionis erat: Quia figurabatur ablatio corruptionis facienda per Christum, quæ perfectè complebitur in octavâ ætate, quæ est ætas resurgentium. Et quia omnis corruptio culpæ & pœnæ provenit in nos per carnalem originem ex peccato primi parentis: ideo talis Circumcisio fiebat in membro generationis. Unde Apostolus dicit ad Colossenses* 2. Circumcisi estis in Christo, Circumcisione non manu factâ in expoliatione corporis carnis: Sed in Circumcisione Domini nostri Jesu Christi.

*Origenes Lib.* 5. *contra Celsum*, Circumcisionem institutam etiam fuisse docet ad Cacodæmonis injurias, ab iis qui hoc Sacramento initiati essent, propulsandas. *Et fortasse*, inquit, *propter aliquem infestum Judæorum Genti Angelum inventa est, qui posset incircumcisos lædere, circumcisos non item: Quod colligi potest ex Libro Exodi, ubi Angelus ante Circumcisionem Eleazari contra Mosen valuit: Quo circumciso, irrita facta est illius potentia, quod non ignorans Sephora, scrupo arrepto circumcidit suum filium, effata secundùm vulgatam Editionem*; Stetit sanguis Circumcisionis mei pueri: *Secundùm Hebræos verò*, Sponsus sanguinum tu mihi.

De Ritibus ac Moribus Judæorum in Circumcisione celebrandâ curiosi lectores consulant *Joannem Buxtorfium* Patrem, Cap. 4. *Synagogæ Judaicæ.* De ipsius verò Circumcisionis Divinâ Institutione & Antiquitate legatur Dissertatio nostra 6. in tertiam Mundi Ætatem.

## §. II.

*De Consecratione Sacerdotum Veteris Legis.*

C*Onsecratio Sacerdotum* Veteris Legis Sacramentum erat, Sacramentum Ordinis in Ecclesiâ olim a Christo instituendum præfigurans. Consecrationis illius ritus *Exodi* 39. a Deo præscribitur; *Levitici* 9. a *Moyse* exercetur. Sacerdos igitur ille fuit, cum & Sacrificia obtulerit, & *Aaronem* ejusque filios, jubente Domino consecraverit. Hinc illud *Psalmi* 98. 6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* At dignitas illa Potestasque Sacerdotalis in *Moyse* extraordinaria fuit, in quâ nemo ipsi successit. Ejus namque filii Sacerdotes non fuerunt, sed Levitæ duntaxat. 1. Paralipomenon 23. 14. *Moysis quoque hominis Dei filii annumerati sunt in Tribu Levi.* At *Aaronis* Sacerdotium in ejus genere conservatum, & ad ejus filios transmissum est. Quidquid porrò fiebat in institutione vel consecratione Sacerdo-

tum, inquit *S. Thomas* Primâ Secundæ Quæstione 102. Articulo 5. *ad hoc pertinebat, ut ostenderetur eos habere quamdam prærogativam puritatis, & virtutis, & dignitatis.* Ideò in Ministrorum Inauguratione tria peragebantur, 1. purificatio, 2. consecratio, 3. applicatio ad sacri Ministerii functiones. Purificatio ablutione, & sacrificiis absolvebatur. Ablutionem Lex præcipit Exodi 29. 4. *Aaron ac filios ejus applicabis, ad ostium Tabernaculi Testimonii. Cùmque laveris patrem cum filiis suis aquâ, indues Aaron vestimentis &c.* Levitarum purificatiò abrasione pilorum etiam peragebatur. Sacrificia vituli, duorumque arietum, oblatio panum azymorum, crustulæ absque fermento, quæ oleo conspersa esset, laganorum quoque oleo litorum, imperantur *Exodi* 29. 1. 2. 3. Pontifex & Sacerdotes inaugurandi victimis illis manus imponebant, ut pro se & loco sui ipsas mactari & immolari eo ritu significarent. Effundebatur vituli sanguis ad Altare, cujus cornua eo perungebantur: adeps intestina operiens, cum reticulo jecoris, & duobus renibus super Altare incendebatur; corpus reliquum extra castra comburebatur, quia piacularis erat victima.

Vitulus ille pro peccato oblatus, Christi typus erat, interprete *S. Cyrillo Alexandrino* Lib. 11. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, sicut enim *vitulus parvus jugo quidem adhuc insuetus est, sed ejus naturę tamen quæ jugo ferendo sit apta;* ita Christus *simul extra jugum & sub jugo est: Nam cùm secundum naturam Deus esset, factus est sub Lege per humanitatem. Vitulus igitur appellatus est Christus sapienti consilio, ut in eâdem re intelligatur a nobis tum ejus Verbi Divinitatem minimè assuetam esse servituti; tum eam naturam quæ sub jugo esset, quod ad ejus humanitatem attinet subiisse. Immolatur autem tanquam pro sacro Tabernaculo, ac pro iis qui sibi manus imposuissent; (Levitæ ii erant & Sacerdotes.) Nam ille mortuus est pro Ecclesiâ, & iis qui sunt illi per fidem consecrati. Sacram porrò fuisse, & in sacrificii morem acceptam Deo ac Patri Emmanuelis mortem ex eo videre licet, quòd sanguis ad Altare funditur, & ex eo perungitur, quòd item adolentur intestina, quæ virtutum intimarum & in animo reconditarum figuram gerunt, in quibus spiritualis odor inest, neque ille simplex, cùm intestina multiplicia sint, adeps, renes, pinna jecoris. Comburitur autem reliquum corpus extra castra: Nam extra portam passus est Christus. Quòd autem igni corpus absumitur*, significat, *nullo modo ejus passionem & mortem illi ignominiæ futuram, sed præclarum gloriæ atque illustrem exitum habituram: Ignis enim specie Divinitas intelligitur, cùm etiam in monte Sinai eâ formâ Deus descenderit. Destructurus verò mortis imperium Christus dispensatoriè mortem subiit, ut a nobis tamquam Deus glorificaretur.*

Aries quoque prior Christi figura fuit, immaculati & perfecti. Hic Altari & tamquam totus, & per membra cæsus imponebatur, ut Christi & membrorum ejus Sacrificium repræsentaret. *Nos enim & singuli membra Christi sumus, & universi unum corpus intelligimur; Totum porrò illum esse sacrum ac sanctum, & labem impuritatis habere nullam, ablutio illa intestinorum optimè declarat. Simul autem offeruntur caput & pedes, ut illam suaveolentiam sanctitatis, quæ in Salvatoris nostri vitâ a principio usque ad finem fuit, ostendant. Aut fortasse melius est in mentis figuram caput accipere; incessus verò ejus quo in actionibus efficiendis progredimur, pedes. In Christo autem odorem spirant, & summâ puritate præstant omnia tum cogitata, tum facta: Neque enim peccatum fecit: Ob eamque causam hanc oblationem arietis & holocaustum incensum appellat; Neque enim ex parte sanctus aut sacer est.* Aries demum alter eodem ritu immolatus, cujus sanguine Pontifex, & Sacerdotes, eorumque vestes tingebantur & sanctificabantur, Christum pariter designabat. Vocatus est *Aries consummationis*, aut *consecrationis* ut habet Vulgata nostra: Quòd Christus *in omni rerum optimarum genere nos absolutos atque perfectos reddat, & per sanctificationes in spiritu, virtutibus insignes efficiat.*

Consecratio Pontificis, & Sacerdotum hoc ritu peragebatur. 1. Abluti induebantur sacris vestimentis illorum Dignitatem designantibus. 2. Pontifex oleo in capite perfundebatur, ut significaretur potestatem consecrandi ab ipso ad alios diffundi, sicut oleum a capite ad inferiora defluit. Quò spectat illud Psalmi 132. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* 3. Minorum Sacerdotum solæ manus consecrabantur, quæ ad Sacrificia erant applicandæ. 4. Et de sanguine arietis immolati extremum auriculæ dextræ ipsorum tingebatur; ad significandam obedientiam Legi Dei ab ipsis præstandam in sacrificiorum oblatione. Et pollices manûs eorum ac pedis dextri; ad significandam solicitudinem, promptitudinem, alacritatem in executionem sacrificiorum. 5. Sanguine victimæ cùm ipsi tum eorum vestes aspergebantur, in memoriam sanguinis Agni, quo veluti signo liberati sunt ex Ægyptiacâ servitute. Ita *S. Thomas* loco laudato. *S. Cyrillus* Typum Christi his in ritibus agnoscit, cujus gratia sacris Novi Testamenti Ministris, immò justis quibusvis hominibus *Aures adjicit benedictione plenas: illas nempe obtemperantes & faciles, & ad ejus quidem dogmata excipienda paratas; insusurratas verò nugas, & execrandam nonnullorum loquacitatem, qui veritatem oppugnant, & cùm rectis dogmatis bellum gerunt, minimè sustinentes; Is enim est aurium sanctarum fructus. Sanctæ sint igitur aures, certæ veritatis & rectorum dogmatum studiosis; Id porro Christi donum est, & cœleste munus, & sancti illius sanguinis opus: Nam omnes res præclaras, in ipso & per ipsum consequimur. Ideoque & manus sanctificabatur, quæ est ad operandum & efficiendum apta; & pes, qui rectorum gressuum evidens est signum ac nota. De sanctis enim factis nobis gloriam parare oportet, & per eam semitam incedendum, quæ nos ad ea omnia quæ Deo placent compendiariâ viâ perducat, juxta id quod canitur in Psalmis:* Et converti pedes meos in testimonia tua: *Et illud quod in Libro Proverbiorum habetur:* Rectos gressus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige. *Genus igitur sacrum & electum sanctas aures habeat, manum similiter ac pedem, iis quos jam diximus modis, dextraque omnia peruncta, & tamquam summo loco, id est, in extremis.* Extremum enim, *inquit*, auris, & pedis, & manûs: *Omnis enim actio proba, strenua ac dextra est, nihilque de vitio sinistrum habet, & usque ad extrema, id est, perpetuò seu ad finem usque porrigitur. Qui enim Deo consecrati sunt, eos in sanctificatione dextros esse, & perpetuò perseverantes convenit.*

*Psalm. 118. Proverb. 4.*

Offerebantur in Consecratione Sacerdotum, 1. Vitulus pro peccato, in memoriam remissionis peccati Aaron in conflatione Vituli. 2. Aries in holocaustum, in memoriam Sacrificii *Abrahæ*, cujus obedientiam Pontifex imitari debebat. 3. Aries consecrationis, quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis de Ægypto per sanguinem Agni. 4. Canistrum panum, in memoriam Mannæ cœlitus præstiti populo.

Applicatio denique Sacerdotum ad sacri Ministerii functiones hoc ritu fiebat. Adeps arietis, ar-

armus dexter, torta panis, crustula conspersa oleo, laganum da canistro Azymorum super manus eorum imponebantur, ut ostenderetur ipsos accipere potestatem illa offerendi Domino. *Exodi* 29. 22. 23. 24. Septem diebus Consecrationis ritus peragebatur, & Vitulus peculiaris per singulos dies offerebatur. Ut toto illo septiduo in Tabernaculo manerent, ac die noctuque excubias agerent, a Deo præceptum est Levitici 8. 35. *Quam in Sacris locis sessionem, firmitatis atque permansionis in sanctificatione symbolum quoddam esse voluit,* [ inquit S. Cyrillus Alexandrinus ] *Necesse est, ut qui in hac statione collocati sumus, aut præsto simus Deo, firmi atque immobiles in virtute maneamus, ne extra morum terminos, qui nos decent, egrediamur, aut e sacro sensu excedamus, sed semper prope quodammodo simus, & apud Deum habitemus, juxta illud, quod est Propheta voce dictum:* Quærens quære, & apud me habita. *Hoc autem per septem dies facere jussit Moyses, quâ in re septenarius numerus id significat, esse nobis adnitendum ut omni tempore Deo præsto simus. Idem enim est ac dixisset, semper ac si perpetuò. Intra Tabernaculum verò manentem præcepit servare custodias Domini, significans illius assiduitatis quâ Deo assidemus, fructum esse obedientiam & voluntatem exequendi quod ille præcipiendum duxerit. Ad hunc igitur modum illi omnium Domino præsto esse debemus, cùm ille in rectè factis languor in extremum malorum omnium desinat: Eam enim ob caussam, ut existimo, adjunxit Moyses illa verba: Ne moriamini.*

## §. III.

*De Paschalis Agni Manducatione.*

A*Gni Paschalis manducationem*, quæ Judaici Populi Sacramentum erat, *Exodi* 12. a Deo institutum, ritusque illius, explicuimus Dissertatione, singulari *De Agno Paschali*, quæ postrema est Dissertationum nostrarum in 3. Mundi Ætatem. Paschalis Agni convivium figura erat Sacramenti Eucharistiæ. Comedebantur ejus carnes, ad significandum esum Corporis Christi, *Agni Dei qui tollit peccatum mundi*, in Sacramento. Caro Agni assa igne manducabatur, ad significandum Christi passionem, vel caritatem. Comedebatur cum azymis panis, ad significandam puram conversationem Fidelium sumentium Corpus Christi, secundùm illud 1. ad Corinthios 5. *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis*. Lactucæ agrestes addebantur, in signum pœnitentiæ peccatorum, quæ necessaria est sumentibus Corpus Christi. Renes autem accingendi sunt cingulo castitatis. Calceamenta pedum, sunt exempla mortuorum Patrum. Baculi habendi in manibus, significant pastoralem custodiam. Præcipitur autem ut in unâ domo Paschalis Agnus comedatur, id est, in Ecclesiâ Catholicorum, non in conventiculis Hæreticorum. Hæc ex Veterum commentariis deflorata in compendium colligit *S. Thomas Primâ Secunda Quæst.* 102. *Art.* 5. *ad Secundum*.

Incircumcisis quibusque, etiam Proselytis, inquilinis, aut mercenariis hominibus, vel Judæis Apostatis, esus Agni Paschalis non permittebatur; ab eoque prohibebantur & Judæi propter infectam Circumcisionem cùm liberorum tum servorum, ut explicat *Maimonides* libro *De Sacrificiis*, Tractatu 1. *De Sacrificio Paschali*, Cap. 9. Lex extat Exodi 12. 43. 44. 45. 46. 47. 48. *Dixitque Dominus ad Moysem & Aaron: Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eâ. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, & sic comedet, Advena, & mercenarius non edent ex eo. In unâ domo comedetur. Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domino, circumcidetur priùs omne masculinum ejus: & tunc ritè celebrabit; eritque sicut indigena Terra. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.*

## §. IV.

*De Panum Propositionis & aliorum consecratorum esu.*

O*Blatio victimarum, esus Panum Propositionis, seu aliorum panum, carniumve consecratarum*, ad Sacramenta Veteris Legis pertinebant, Christique oblationem, & carnis ejus manducationem in adorando Eucharistiæ Sacramento ceu præclari typi adumbrabant. Esus Panum Propositionis, *solis Sacerdotibus* licitus, *Levitici* 24. 9. & *Matthæi* 12. 4. idque *in loco Sancto*. Ab eorum, & omnium sanctificatorum comestione immundos Lex arcebat. *Levit.* 22. 3. 4. 5. 6. 7. Hinc Sacerdotes, cùm Ministerii sui vices obirent, a juribus connubii abstinere tenebantur, ut colligitur ex 1. Regum 21. *Et respondens Sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: Si mundi sunt pueri, maximè a mulieribus? Et respondit David Sacerdoti: Equidem si de mulieribus agitur, continuimus ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta.* Dæmonem Dei simiam & æmulum, similis castimoniæ ritum Ægyptiorum Sacerdotibus, & plerisque aliarum Gentium Sacrificulis suggessisse, compertum est ex *Charemone* Stoico, *Porphyrio*, lib. 4. De Abstinentiâ, *Arriano* in *Epicteto* lib. 3. cap. 21. *Macrobio* libro 1. *Saturnalium* cap. 23. Abstinentia a vino sanctificationis Sacerdotum Veteris Legis pars fuit. Levitici 10. 8. *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in Tabernaculum testimonii, ne moriamini: Quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum; doceatisque filios Israël omnia legitima mea.* Hanc abstinentiam imitati sunt Ægyptii Sacerdotes, *Plutarcho* teste. Isiacorum sacrorum candidatos abstinentiâ ab animantibus & vino se purificare jussos, refert *Apuleius* lib. 11. *Aurei Asini* de se ipso scribens; *Illud planè præcepit Sacerdos, ut decem continuis diebus voluptatem cibariam coërcerem, neque ullum animal éssem, & invinius essem;* id est, abstemius.

## §. V.

*De Purificationibus ac Lustrationibus; variisque Legalium Pollutionum speciebus.*

P*Urificationes* ac *Lustrationes*, Sacramenta erant in Veteri Lege ad removenda divini cultûs impedimenta, seu ad immunditias legales externasque abstergendas, a Deo instituta. Immunditiæ autem seu Pollutiones Legales aliæ personarum fuerunt, aliæ rerum. Personarum immunditiæ octo famosiores in Lege recensentur. *Immundities puerperæ, & ejus expianda ritus.*

1. Prima immundities, erat Puerperæ, Levitici 12.

12. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Ipsa triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxûs menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine Purificationis suæ.* Hęc immundities oblatione agni anniculi in holocaustum, & pulli columbæ sive turturis pro peccato: In pauperibus verò oblatione duorum turturum, aut duorum pullorum columbæ, unius in holocaustum, & alterius pro peccato; necnon oratione Sacerdotis victimas illas immolantis, abstergebatur. [ *Ibidem*, 5. 6. 7. 8. inde profecta hæc immundities, quòd mulier *pariat ad corruptionem, & non eâ conditione sit, quâ fuit statim atque a Deo accepit ut esset.* Deinde quòd *in carnali voluptate ferantur, qui gignuntur*: [ inquit ] *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 15. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*.) Pollutio ex puerperio ex Hebræorum cęremoniis in Gentium mores transit. Quod tamen Poëtæ quidam & Philosophi ut superstitionem irriserunt. Inter alios *Euripides* in *Iphigeniâ Tauricâ* culpat *Dianam* quasi nimis delicatam, quòd hominem puerperæ, vel mortui tactu pollutum *Altaribus ceu impium prohiberet suis. Mihi*, inquit, *ista Diva non placet sapientia.* Docuit *Pythagoras* puritatem *balneis & aspersionibus* comparari, & *purgatione a funere, & cubili puerperæ*: ut refert *Diogenes Laërtius* in ejus Vitâ. Notum illud Censorini: *Prægnans ante diem quadragesimum non prodit in fanum.* At in *Chrysippi* libris legebatur: *Ire ad Templum rectà a puerperâ aut a mortuo, sine causâ culpatur.* Et Theophrastus in *Characteribus* inter superstitiosos mores refert: *Neque ad defunctorum justa, neque ad puerperam accedere* velle.

*Immundities Menstruatæ, & hominis seminis fluxum patientis; earum que purgandarum Ritus.*

II. Secunda immunditiæ species, erat immundities Menstruatæ, mense redeunte sanguinis fluxum patientis. Hęc ab hominum commercio rerum domesticarum tactu, præcipuè verò Tabernaculi aditu septiduo separabatur. Quisquis ad eam accessisset, diebus totidem immundus erat. Si eam aut lectum ejus tetigisset, aut vas ab ipsâ contaminatum, immundus erat usque ad vesperam. Quæ fluxum sanguinis aliàs patiebatur, tamdiu immunda erat, quandiu hoc vitio laborabat. Quisquis eam, aut ejus stratum, vel sedile, aut vas ab eâ fœdatum tetigisset, immundus erat usque ad vesperam; & corporis ac vestimentorum ablutione purificabatur. Mulieris verò immunditia abstergebatur ablatione duorum turturum, aut duorum pullorum columbę, unius in holocaustum, alterius pro peccato; & precibus Sacerdotis aviculas illas immolantis die octavo postquàm sanguinis fluxus cessaverat. [ *Levitici* 15. Lege *Maimonidem* Lib. *De Sacrificiis*, Tractatu 5. *De Indigentibus Piaculi*, Cap. 1.

III. Tertia immunditiei species, erat immundities hominis continuo penè seminis fluxu laborantis. Ab hoc morbo sanatus, septiduo post vestibus & toto corpore aquâ vivâ lotis, duobusque turturibus aut pullis columbarum oblatis, uno in holocaustum, altero pro peccato, mundabatur. ( *Levitici* 15. ) Lege *Maimonidem* loco supra laudato, Cap. 2. & 3.

*Immunditiei concubitus conjugalis; ejusque abstergenda Ritus.*

IV. Quarta immunditiei species, erat immunditiei concubitûs conjugalis: De quâ Judæi Veteres Legem illam interpretantur Levitici 15. 16. *Vir de quo egreditur semen coitûs, lavabit aquâ omne corpus suum: & immundus erit usque ad vesperum. Vestem & pellem, quam habuerit, lavabit aquâ & immunda erit usque ad vesperum. Mulier, cum quâ coierit, lavabitur aquâ, & immunda erit usque ad vesperum.* Hinc illud *Josephi* Lib. 2. contra Apionem: *Si quis ad concubitum, corruptionemque transierit, immundus est. Oportet autem etiam post legalem commixtionem viri mulieres lavari.* Istius immunditiei, & purificationis ritus ab Hebræis ad Gentes transiit. Hinc illud *Herodoti* Libro 1. Cap. 198. *Quoties cum uxore miscetur vir Babylonius, adhibito thymiamati assidet, & ex alterâ parte mulier idem facit. Quin etiam sub diluculum abluuntur ambo, nullum vas priusquàm se abluerint tacturi. Eadem & hac Arabes faciunt.* Hinc & illa *Plutarchi* Libro 3. *Symposiacon*, Quæst. 6. *Nobis autem, si Leges rectè colimus, cavendum est, ne ad Templa & Sacrificia accedamus, paulò ante venereâ re usi.* Hinc illud *Clementis Alexandrini*, apud *Eusebium* Libro 10. *Præparationis Evangelicæ* Cap. 6. *Ægyptii nemini, qui non se ab uxoris congressu lustrasset, patere Templa voluerunt.*

*Immunditiei somni, & ejus eluenda Ritus.*

V. Quinta immunditiei species, erat immunditiei somnii, seu nocturna pollutio, quæ a publico cætu hominem totâ die arcebat, & sub vesperam eluebatur aquâ. Deuteronomii 23. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non revertetur priusquàm ad vesperam lavetur aquâ: & post Solis occasum regredietur in castra.* Ritum illum imitati sunt Ægyptiorum Sacerdotes, de quibus *Cheremon* apud *Porphyrium* Lib. 4. *Si fortè in somnis polluerentur, illicò corpus lavacro lustrabant.*

*Lepra immunditiei, eaque purgandi Ritus.*

VI. Sexta immunditiei species, erat lepra: Quo morbo affectus, ad arbitrium Sacerdotis, ad quem lepræ cognitio ac judicium pertinebat, ab hominum consortio separabatur, diffutisque vestimentis, nudo capite, ore veste contecto, se contaminatum ac sordidum clamabat. Operosa erat hujus immunditiei purgatio. Leprosus judicio Sacerdotis mundatus, duos passeres vivos pro se offerebat, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyssopum. Passerum alter immolabatur in vase fictili super aquas viventes: Alter vivus, cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tingebatur in sanguine passeris immolati, quo leprosum septies aspergebat Sacerdos, & passerem vivum dimittebat ut in agrum avolaret. Mox homo a leprâ mundandus, lotis vestimentis, pilis omnibus abrasis, abluto corpore, in castra vel civitatem recipiebatur, eâ tamen lege ut septem adhuc diebus extra tentorium suum vel domum maneret. Die septimo rursus purificabatur abrasione capillorum, barbæ, superciliorum, omniumque pilorum totius corporis; & vestium totiusque corporis ablutione. Die octavo offerebat, duos agnos, & ovem anniculam absque maculâ, & tres decimas similæ, oleo conspersæ, in Sacrificium: & seorsim olei sextarium. Porrò agnorum alter offerebatur pro delicto, alter pro peccato, & ovicula in holocaustum. Peccatum est culpa, quam quis sciens volens committit: Delictum est culpa, in quam quis per oblivionem, imprudentiam, vel ignorantiam incidit. Sacerdos sanguine victimæ pro delicto immolatæ liniebat extremum auriculæ dextræ, & pollices manûs dextrę, & pedes ejus qui a leprâ mundabatur. Mox de olei sextario in manum suam sinistram effundebat, intinctoque digito in eo, aspergebat coram Domino septies, quod autem reliquum erat olei in lævâ manu, fundebat super extremum auriculæ dextræ, & super pollices manus, ac pedis dextri, ejus qui mundabatur, & super sanguinem pro delicto effusum, & super caput illius. Sequebatur oblatio Sacrificii pro peccato: Totus demum purificationis ritus oblatione holocausti absolvebatur. Pauperes agnum pro delicto, decimamque partem similæ conspersæ oleo,

&

& olei sextarium, & duos turtures, aut pullos columbarum, unum pro peccato, alterum in holocaustum offerebant: Eodemque ritu mundabantur. [*Levit.*14.] Lege *Maimonidem* Libro *De Sacrificiis* Tractatu V. *De Indigentibus Piaculi*, Cap. 4. & 5. Ritûs hujus mysteria *Theodoretus* explicat Quæstione 19. in Leviticum. *Duo passeres*, inquit, *qui in purificatione Leprosi offeruntur, salutaris passionis typum continent. Nam quemadmodum ex passeribus illis alter mactabatur, alter sanguine mactati tinctus dimittebatur: Ita Dominus Christus pro humanitate leprâ inquinatâ crucifixus est, carne quidem perferente mortem, Divinitate verò passionem humanitatis sibi accommodante. Jam verò sicut Leprosus reddebatur splendidus & purus, ubi adspersus fuisset sanguine passeris immolati mixto aquâ purâ, cum ligno cedrino, hyssopo, & cocco retorto: Ita qui credit Christo Salvatori, sacrosancti Baptismatis aquâ lustratus, peccatorum maculis abstergitur. Porrò lignum cedrinum, quod corruptioni minimè est obnoxium, repræsentat Divinitatem passionis expertem. Coccinum verò retortum, humanitatem ex animâ & corpore constantem. Hyssopus autem calorem & suavem odorem Sancti Spiritûs. Per hæc enim qui baptizantur, ab anima leprâ liberantur. Oleum autem quo inunguntur auris dextra, & dextera manus, & pes dexter, innuit auditum quidem dedicandum esse dextris sermonibus, manum autem & pedem dextris operationibus. Immissum verò capiti, consecrationem mentis indicat. Porrò qui Leprosus perdurabat, extra castra degebat, quemadmodum is qui sine Pœnitentiâ delinquit, expellitur extra Ecclesiam.*

Rationes magis literales hujus Ritûs affert *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 5. *Per Ritum Legis*, inquit, *Leprosus non emundabatur a maculâ Lepræ, sed emundatus ostendebatur. Et hoc significatur Levit.*14. *cùm dicitur de Sacerdote:* „ Cùm invenerit lepram esse mundatam, „ præcipiet ei qui purificatur. *Jam ergo Lepra mundata erat; sed purificari dicebatur, in quantum judicio Sacerdotis restituebatur consortio hominum, & cultui divino, scilicet post septem dies. In primâ autem purificatione offerebat pro se Leprosus mundandus duos passeres vivos, & lignum cedrinum, & vermiculum, & hyssopum; hoc modo, ut filo coccineo ligarentur passer & hyssopus simul cum ligno cedrino: Ita scilicet quòd lignum cedrinum esset quasi manubrium aspersorii; hyssopus verò & passer erant id quod de aspersorio tingebatur in sanguine alterius passeris immolati in aquis vivis. Hæc autem quatuor offerebat contra quatuor defectus lepræ: Nam contra putredinem offerebatur cedrus, quę est arbor imputribilis. Contra fœtorem hyssopus, quæ est herba odorifera. Contra insensibilitatem passer vivus: Contra turpitudinem coloris vermiculus, qui habet vivum colorem. Passer verò vivus advolare permittebatur in agrum; quia Leprosus restituebatur pristinæ libertati. Octavo verò die admittebatur ad cultum divinum, & restituebatur consortio hominum: Primò tamen rasis pilis totius corporis, & lotis vestimentis, eò quòd lepra pilos corrodit, & vestimenta coinquinat & fœtida reddit. Et postmodum Sacrificium offerebatur pro delicto ejus; quia lepra plerumque inducitur pro peccato. De sanguine autem Sacrificii tingebatur extremum auricula ejus qui erat mundandus, & pollices manûs dextræ & pedis: Quia in istis partibus primùm lepra dignoscitur & sentitur. Adhibebantur etiam huic Ritui tres liquores, scilicet sanguis contra sanguinis corruptionem; oleum, ad designandum sanationem morbi; aqua viva, ad emundandam spurcitiam.*

Allegoricam rationem subjungit Angelicus Doctor. *Per duos Passeres significantur divinitas & humanitas Christi. Quorum unus scilicet humanitas, immolatur in vase fictili super aquas viventes: Quia per passionem Christi aquæ baptismi consecrantur. Alius autem, scilicet impassibilis Divinitas, vivus remanebat; quia Divinitas mori non potest: & evolabat, quia passione adstringi non poterat. Hic autem passer vivus simul cum ligno cedrino, & cocco, vermiculo, & hyssopo; id est, fide, spe, & caritate, mittitur in aquam ad aspergendum; quia in fide Dei & hominis baptizamur. Lavat autem homo per aquam baptismi & lacrymarum vestimenta sua, id est opera; & omnes pilos, id est cogitationes. Tingitur autem extremum auriculę dextræ ejus, qui mundatur, de sanguine, & de oleo, ut ejus auditum muniat contra corrumpentia verba. Pollices autem manûs dextræ & pedis tinguntur, ut sit ejus actio sancta.*

*Immunditiés funeris, eamque abstergendi ritus.*

VII. Septima immunditiei species, erat immunditiés funeris, ab iis contracta, qui mortuorum corpora, sepulcra, vel ossa tetigissent, aut eorum tentoria vel domos ingressi fuissent, vel exequias prosecuti. ( *Numerorum* 19. 11. 14. 16. ) Pollutio funebris ab Hebræis ad Gentes ex Dœmonis cacozeliâ manavit. Homines mortui tactu contaminatos a *Dianæ* sacris rejectos fuisse testatur *Euripides* in *Iphigeniâ Tauricâ*. Pythagoram se ipsum a funere reversum, tanquam pollutum purgare solitum, refert *Diogenes Laërtius* in ejus Vitâ. Nonnisi post diem a pollutione funebri trigesimum aditus ad Templum & Sacra Ethnicis interdum concedebatur, teste *Luciano* Libro *De Deâ Syriâ*. Gentiles *funus persecuti redeuntes ignem supergrediebantur, aquâ aspersi*, ut observat *Festus* verbo, *Aqua*. Funebrem immunditiem abstergi aquâ lustrali, ritu singulari confectâ, ex cineribus scilicet Vaccæ Rufæ, Deo immolatæ, Lex præcipit Numer.19. *Vaccam Rufam*, seu juvencam *integræ ætatis*, ut habet Vulgata nostra; *perfectam*, ut habet Hebræus Textus, *absque maculâ*, jugum nondum expertam, tradi *Eleazaro* Sacerdoti Deus jubet. 2. Ipsam *eductam extra castra* ab illo immolari in conspectu omnium. 3. Ut intincto in illius victimæ sanguine digito, *aspergat contra fores Tabernaculi septem vicibus*. 4. Ut *comburat eam cunctis videntibus*, & totam quanta quanta est cremari curet. 5. Ut cum ipsâ juvencâ rufâ *lignum cedrinum, hyssopum, coccumque bis tinctum* Sacerdos mittat in ignem, quo absumenda est. 6. Sacerdos, & qui piacularem illam victimam combusserit, immundi censentur usque ad vesperam, & aliâ aquâ corpus ac vestimenta abluere jubentur, ut immunditiam eluant. 7. *Vir mundus* eligitur qui vaccæ cineres extra castra in loco mundo effundat: Quâ actione & ille immunditiam contrahit ad vesperam usque, Vestimentorum ablutione abstergendam. 8. Deus vaccæ Rufæ cineres cum aquis vivis misceri jubet, ut fiat aqua lustralis ad pollutionem funebrem expiandam. 9. Præcipit ut homines immunditię funebri inquinati, die tertio & septimo aspergillo hyssopi illis aquis tincto ab homine mundo aspergantur, necnon tentoria, vasa, vestimenta, & similia mortuo contaminata. 10. Die septimo expiati, ad vesperam usque immundi remanebant, lotisque corpore & vestibus, sacrorum communioni, hominumque consortio restituebantur. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus* ( inquit Deus ) *peribit anima illius de medio Ecclesiæ; quia Sanctuarium Domini polluit, & non est aquâ lustrationis aspersus. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum.* 12. Qui aquas illas aspergit, immundus censetur, & vestimenta sua aquâ purâ abluere tenetur. 13. Quisquis *aquas expiationis* tetigerit, immundus ad vesperam usque habetur. Singulas hujus Ritûs partes ac circumstantias Lex præscribit *Numerorum* 19.

Vac-

*De sacrificio Vaccæ Rufæ, & aquâ lustrationi ex illius cineribus confectâ.*

Vaccam immolari Deus jussit, primò ut Ægyptiorum superstitionem sugillaret, qui vaccas utpote *Isidi Sacras*, honore religioso prosequebantur, easque immolari nefas ducebant, ut referunt *Herodotus* Libro 2. Cap. 41. & *Porphyrius* Libro 2. *de Abstinentiâ*, Cap. 11. Secundò, quòd victima piacularis esset pro peccato cultûs vaccarum, quo se olim Israëlitæ in Ægypto contaminaverant. Victima autem pro graviori peccato oblata, vilioris fuit speciei ac sexûs, ut observat *Maimonides* in *More Nevochim*, *Part. 3. p. 486.*

*Cur Vaccam rufam Deus immolari jussit?*

Cur Vacca Rufa potior esse debuerit, quàm alterius coloris, ne ipsi quidem *Salomoni* perspectum fuisse ajunt Hebræorum Magistri. *Marshamus* in Canone Chronico Libro 9. p. 212. & *Spencerus* Libro 2. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Cap 15. Sect. 2. ex Ægyptiorum more hujus rei rationem petunt. Ægypti nimirum in *Typhonis* Sacris boves rufos immolabant, quod *Typhon* rufi coloris fuisset. Ita refert *Diodorus Siculus* Libro 1. Historiæ. *Tauros equidem sacros*, inquit, *majori in honore quàm cæteros Deos habent Ægyptii .... boves autem rufos immolare fas est, quod hunc colorem habuisse Typhon videtur, qui per insidias Osirin oppressit*. Idem testatur *Plutarchus* in Iside; *Ægyptii*, inquit, *Typhonem colore rufo fuisse existimantes, boum quoque nonnisi rufos immolant: Tum accuratam adhibentes observationem, ut si bos vel unum capillum album aut nigrum habeat, non immolandum censeant*. Deus itaque Israëlitis Ægyptiorum moribus assuetis immolationem vaccæ rufæ permisit. Hæc illius ritûs origo, inquit *Marshamus*. Vel, ut ait *Spencerus*, Deus bovem integrè rufum immolari voluit, ut Diabolum injuriarum ageret, eamque victimam, quam ipse quasi propriam accepisset, Deus sibimet ipsi vindicaret: Vel, ut bovem, etiamsi rufus esset, se eodem quo & alia sacrificia loco & pretio habere significaret: vel, ut Israëlitæ bovem rufum olim *Typhoni* devotum, Deo consecrantes, se & omnia sua soli vero Deo vovere, clarè testarentur.

*Inanes Marshami & Spenceri conjectura.*

Verùm inanes sunt illæ conjecturæ. Primò enim *Typhonis* Sacra, moremque illum boves nonnisi rufos immolandi, *Mose* antiquiora fuisse apud Ægyptios, nec ex *Diodoro Siculo*, nec ex *Plutarcho* colligi potest, qui Ægyptiorum dumtaxat ceremonias referunt, sed ad primam illarum originem non ascendunt: Neque tam reconditæ vetustatis idonei testes esse possunt. Sanè *Typhonem* ipsum esse *Moysen* personatum, dudum a Viris Eruditis demonstratum est. Præterea, etsi constaret Ægyptios ab omni retrò antiquitate nonnisi rufos boves immolasse; consequens non est Mosaicum Vaccæ Rufæ ritum inde arcessendum esse. Tertiò, si ad sugillandam Ægyptiorum superstitionem boves rufos immolantium vaccæ rufæ sacrificium Deus instituit, cur in hoc dumtaxat sacrificio rufi coloris rationem habuit, & nusquam in aliis sacrificiis boves rufos immolari præcepit? Quartò, falsum est quòd permittente tantùm, non jubente Deo (ut asserit *Marshamus*) Israëlitæ vaccam rufam Deo in piaculare sacrificium obtulerint. Erroris convincitur hæc sententia ex Scripturæ verbis Numerorum 19. 1. 2. 21. *Locutusque est dominus ad Moysen & Aaron dicens: Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israël ut adducant ad te vaccam rufam .... Erit hoc præceptum legitimum sempiternum*. Quintò, Ægyptii boves rufos immolabant; non quòd pretiosiores eos, aut Diis suis gratiores existimarent, sed in odium & execrationem *Typhonis*: At vaccam rufam Israëlitæ immolarunt, quia Deo gratum hujusmodi sacrificium, utpote ab ipso præceptum, crediderunt. Sextò, vaccam illam piacularem, umbram fuisse & figuram Christi, totumque illum ritum spiritalis nostræ per Christum purificationis typum fuisse, docet Apostolus, Epistolæ ad Hebræos 9. 13. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Vacca scilicet, Christi typus fuit ratione fœcunditatis, & lactis, sive nutrimenti. Rufus vaccæ color significabat sanguinem Christi, in horto Gethsemani, in Prætorio Pilati, in Cruce, ad nostrorum criminum expiationem effusi, & quo totus ipse tinctus est. Designabat etiam hostium Nominis ipsius sanguinem, quo vestes ipsius madefactæ & conspersæ sunt, Isaiæ 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ? Iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus: & de Gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in irâ meâ. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta, & omnia indumenta mea inquinavi*. Apocalypsis 19. 13. *Et vestitus erat veste aspersâ sanguine; & vocatur nomen ejus, Verbum Dei*. Denique rufus vaccæ piacularis color, significat susceptionem nostrorum peccatorum a Christo ceu fidejussore nostro. Illa enim rubere dicuntur ut coccinum Isaiæ 1. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

*Vacca Rufa Sacrificium typus Christi.*

Vaccæ Rufæ Sacrificium typum Christi fuisse, docet *S. Augustinus* Quæstione 33. in Numeros. *De juvencâ rufâ*, inquit, *cinerem ad aquam adspersionis, eorumque mundationem qui mortuum tetigerint proficere Lex mandavit, nec tacere permittitur; evidentissimum enim signum in eâ novi Testamenti præfiguratur: Nec satis dignè æstimantes dicere de tanto sacramento valemus .... Juvenca rufa carnem Christi significat. Sexus fœmineus est propter infirmitatem carnalem; rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Sine vitio dicitur hæc juvenca .... Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati*. Dicitur injugis; Caro enim Christi *non est subjugata iniquitati, cui subjugatos inveniens liberavit, & eorum vincula disrupit. Super illius quippe carnem non est positum jugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam*. Ad *Eleazarum* Sacerdotem, non ad *Aaronem* Pontificem adduci jussa est, quo præfiguratum est, *Non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus Sacerdotii passionem Domini perventuram. Ejici jubetur* extra castra: *Sic & ejectus est Dominus passurus extra civitatem*. In locum mundum; *Quia Christus non habuit caussam malam*. Occidi jubetur in conspectu omnium: *Sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum qui jam futuri erant in novo Testamento Domini Sacerdotes*. Aspersio septuplex sanguinis ipsius contra fores Tabernaculi, *Testificatio est, Christum secundùm Scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum. Ideo contra faciem Tabernaculi testimonii, quia non aliter declaratum est, quàm fuerat divino testimonio pronunciatum. Et ideo septies, quia ipse numerus ad mundationem pertinet spiritalem*. Victimæ concrematio in conspectu Sacerdotis *Ad signum pertinet Resurrectionis. Natura est quippe ignis, ut in superna moveatur, & in eum convertitur quod concrematur. Additum est in conspectu ejus, id est Sacerdotis: Quia illis apparuit Resurrectio Christi, qui futuri erant Regale Sacerdotium*. Pellem ejus car-

carnes, ſanguinem, & fimum, flammæ ſimul Lex
tradi jubet: *Quòd non ſolum ſubſtantia mortalis
corporis Chriſti*, nomine pellis, carnium & ſan-
guinis ſignificata; *verùm etiam contumelia & abje-
ctio plebis*, per fimum adumbrata, *converteretur
in gloriam, quam combuſtionis flamma ſignificat*.

Sacerdos lignum cedrinum hyſſopum, & coc-
cinum in ignem mittebat cum victimâ. *Lignum
cedrinum ſpes eſt, quæ debet in ſupernis firmiter
habitare. Hyſſopus fides, quæ cùm ſit herba humi-
lis, radicibus hæret in petrâ. Coccinum caritas,
quod fervorem ſpiritûs igneo colore teſtatur. Hæc tria
debemus mittere in Reſurrectionem Chriſti tanquam
in medium combuſtionis illius, ut cum illo ſit abſcon-
dita vita noſtra, ſicut dicit Apoſtolus: Et vita no-
ſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Veſtimen-
Coloſſ. 38. ta ſua, & corpus abluere Sacerdos jubetur. *La-
vatio veſtimentorum & corporis quid eſt, niſi mun-
datio exteriorum & interiorum?* Homo mundus col-
Pſal. 36. 37. ligere debebat cineres juvencæ in locum mundum
extra caſtra. *Quid dicimus cinerem juvencæ, &
reliquias videlicet illius interfectionis, & combu-
ſtionis, niſi famam quæ conſecuta eſt Paſſionem Re-
ſurrectionemque Chriſti? Quoniam ſunt reliquiæ
homini pacifico. Nam & cinis erat, quia velut
mortuus ab Infidelibus contemnebatur: Et tamen
mundabat, quia & reſurrexiſſe a Fidelibus crede-
batur. Et quia hæc fama apud eos maximè claruit,
qui in cæteris Gentibus erant, & non erant de con-
ſortio Judæorum, ideo dictum exiſtimo:* Et congre-
„ gabit homo mundus cinerem juvencæ: *Mundus
utique ab interfectione Chriſti, quæ Judæos fecerat
reos*. Et reponet in locum mundum; *Id eſt hono-
rabiliter tractabit: Tamen* extra caſtra: *Quia ex-
tra celebrationem Judaicæ conſuetudinis honor E-
vangelicus claruit*. Ex cinere illo fiebat *aqua a-
ſperſionis*, unde mundabantur a contactu mor-
tuorum; *quod utique ſignificat ab iniquitate hujus
moribundæ vel morticinæ vitæ*. Qui cinerem ju-
vencæ congregaverat, cenſebatur immundus: *Quia
& ii qui ſibi videntur Mundi in Fide Chriſtianâ, ſe
agnoſcunt, Quia omnes peccaverunt & egent gloriâ
Dei, juſtificati gratis per ſanguinem ipſius. Hunc
tamen veſtimenta ſua lavare dixit non etiam cor-
pus ſuum; quòd illius cineris congregatione & re-
poſitione in loco mundo, ſi hæc ſpiritaliter intelli-
gantur, jam intrinſecus vult intelligi fuiſſe mun-
datum. Sicut Cornelius audiens & credens quod
prædicaverat Petrus, ita mundatus eſt ut ante
viſibilem baptiſmum cum ſuis qui aderant, accipe-
ret donum Spiritûs Sancti: Veruntamen nec viſibile
Sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam in-
triſecus lavaret quodammodo veſtimenta ſua*. San-
citur *Legitimum æternum* futurum *filiis Iſraël* &
*Proſelytis*: quo oſtenditur, *Baptiſmum Chriſti,
quem ſignificabat aqua adſperſionis, & Judæis &
Gentibus profuturum*. De ſingulis quibuſque poſt
ablutionem dicitur, *Et immundus erit uſque ad
veſperam*: Quia *Omnis homo poſt remiſſionem ple-
niſſimam peccatorum permanendo in hac vitâ, con-
trahit aliquid, unde ſit immundus uſque ad ejuſ-
dem vitæ finem, ubi ei dies iſte quodammodo clau-
ditur, quod ſignificat veſpera*.

De Vaccæ Ruſæ Sacrificio idem ſenſit *Theodo-
retus* Quæſtione 35. in Numeros. *Hanc quidem*,
inquit, *offerri pro peccato Populi Lege præcepit: Præ-
figurat autem ſalutarem Paſſionem, quæ totius Mun-
di peccatum abſtulit. Sed vaccam ruſam offerri præ-
cipit, ut corpus terrenum prænotet, quia nomen Ada
terram rubram ſignificat, ex quâ corpus ipſius for-
matum eſt. Quòd autem vacca maculâ carebat, ex-
pertem peccati Chriſtum Dominum innuit. Quòd
vacca jugum ſubiiſſe non debet, Chriſti libertatem
ſubindicat. Jugum enim denotat ſervitutem. At
Dominus, cùm ab eo poſtularetur didrachmum, dixit:*
Ergo liberi ſunt filii. *Quòd verò vacca mactatur* Matth. 17.
*extra caſtra, Paſſionem Salvatoris extra portam pe-
ractam. Sed hæc manifeſtiùs docet divinus quoque
Apoſtolus in Epiſtolâ ad Hebræos. Totam porrò vac-
cam unà cum pelle & reliquis cremari mandavit:* Hebr. 13.
*Quia Chriſti Domini omnia erant munda. Lignum
cedrinum Crucis erat figura. Sicut enim illud im-
mune a corruptelâ, ita lignum Crucis vivificat.
Coccinum autem typus erat Sanguinis Dominici.
Hyſſopus etiam aderat, quia calor vivificus diſſol-
vit frigiditatem mortis. Eum tamen, qui crema-
vit vaccam, impurum eſſe dicit uſque ad veſperam,
ad eos denotandos, qui Chriſtum crucifixerunt Do-
minum. Atque hujuſmodi cinere aquâ permixto cir-
cumſpergi præcepit eos qui appropinquaſſent mortuo,
aut qui ejus oſſa attigiſſent, aut aliquo id genus
alio eſſent polluti*. Et homo, *inquit*, qui non fue-
„ rit purificatus; peribit anima illa de medio Sy-
„ nagogæ, quia expiationis aquâ non fuerit lu-
„ ſtratus. *Ita Dominus in ſacris Evangeliis ait*: Joann. 3. 5.
„ Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu San-
„ cto, non ingredietur Regnum cœlorum.

Quæſtione ſequenti rationem reddit *Theodoretus*,
cur tam eum qui aſpergit, quàm aſperſum Lex
immundum uſque ad veſperam eſſe dicit. *Quo-
niam*, inquit, *impurus erat ex Lege qui tange-
bat os defuncti. Igitur purificatio convenit verita-
ti, quia per Chriſtum eſt purgatio; impurum au-
tem eſſe, Legi: Lex verò gratiam præfigurabat.
Hi porrò erant immundi uſque ad veſperam, id
eſt uſque ad finem Legis. Nam diluculo ſimilis
„ eſt Adventus Domini*. Sedentibus enim in te- Iſai. 9.
„ nebris, & in umbrâ mortis, Lux orta eſt
„ eis, *ſicut ait Eſaias Propheta. Et alibi dixit* Malach. 4.
„ *Deus*: Timentibus me orietur Sol iuſtitiæ, &
„ ſanctitas in alis ejus. *Et rurſus*: Ecce vir O-
„ riens nomen illi. Zacchar. 6.

Ritum Vaccæ Ruſæ explicat *S. Thomas*, ratio-
neſque illius literales primùm, deinde myſticas
affert Primâ Secundæ, Quæſtione 102. Articulo
5. ad quintum. *Duplex*, inquit, *erat immunditia
in Lege. Una quidem per aliquam corruptionem
mentis vel corporis: Et hæc etiam immunditia ma-
jor erat. Alia verò erat immunditia ex ſolo conta-
ctu rei immundæ: Et hæc minor erat, & faciliori
ritu expiabatur. Nam immunditia prima expiaba-
tur per Sacrificia pro peccato; (quia omnis corru-
ptio procedit ex peccato, & peccatum ſignificat;) ſed
ſecunda immunditia expiabatur per ſolam aſperſio-
nem aquæ cujuſdam: De quâ quidem aquâ expia-
tionis habetur* Numer. 29. *Mandatur enim ibi a Do-
mino, quòd accipiant vaccam ruſam in memoriam
peccati, quod commiſerunt in adoratione vituli. Et
dicitur vacca magis quàm vitulus; quia ſic Do-
minus Synagogam vocare conſuevit, ſecundùm illud*
„ *Oſee* 5. Sicut vacca laſciviens declinavit Iſraël.
*Et hoc fortè ideo, quia vaccas in morem Ægypti
coluerunt, ſecundùm illud Oſee* 10. Vaccas Betha-
ven coluerunt. *Et in deteſtationem peccati Idolo-
latriæ, immolabatur extra caſtra: & ubicumque
Sacrificium fiebat pro expiatione multitudinis pecca-
torum, cremabatur extra caſtra totum. Et ut ſigni-
ficaretur per hoc Sacrificium emundari Populus ab
univerſitate peccatorum, intingebat Sacerdos di-
gitum in ſanguine ejus, & aſpergebat contra fores
Sanctuarii ſeptem vicibus: Quia ſeptenarius nume-
rus univerſitatem ſignificat. Et ipſa etiam aſperſio
ſanguinis pertinebat ad deteſtationem Idololatriæ,
in quâ ſanguis immolatitius non effundebatur, ſed
congregabatur, & circa ipſum homines comede-
bant in honorem Idolorum. Comburebatur autem
igne: Vel quia Deus Moyſi in igne apparuit, & in
igne data eſt Lex: Vel quia per hoc ſignificabatur,
quòd Idololatria totaliter erat extirpanda, & omne
quod ad Idololatriam pertinebat: Sicut vacca cre-*

*mabatur cum pelle & carnibus, sanguine & fimo flammæ traditis. Adjungebatur etiam in combustione lignum cedrinum, hyssopus, coccusque bis tinctus, ad significandum quòd sicut ligna cedrina non de facili putrescunt, & coccus bis tinctus non amittit colorem, & hyssopus retinet etiam odorem; postquàm fuerit desiccatus; ita etiam hoc Sacrificium erat in consecrationem ipsius Populi, & honestatis & devotionis ipsius: Unde dicitur de cineribus vaccæ.* Ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam: *Vel, secundùm Josephum, quatuor elementa significata sunt: ( Igni enim apponebatur cedrus significans terram propter sui terrestreitatem; hyssopus significans aërem, propter odorem, coccus significans aquam eâdem ratione, quâ etiam purpura, propter tincturas quæ ex aquis sumuntur: ) Ut per hoc exprimeretur quòd illud Sacrificium offerebatur Creatori quatuor elementorum. Et quia hujusmodi Sacrificium offerebatur pro peccato idololatriæ, in ejus detestationem & comburens, & cineres colligens, & ille qui aspergit aquas, in quibus cinis ponebatur, immundi reputabantur: Ut per hoc ostenderetur, quòd quicquid quocumque modo ad idololatriam pertinet, quasi immundum est abjiciendum. Ab hac autem immunditiâ purificabantur per solam vestimentorum ablutionem. Nec indigebant aquâ aspergi propter hujusmodi immunditiam: Quia sic esset processus in infinitum; ille enim qui aspergebat aquam immundus fiebat: & sic si ipse se ipsum aspergeret, immundus remaneret. Si autem alius eum aspergeret, ille immundus esset: & similiter ille qui illum aspergeret, & sic in infinitum.*

*Figuralis autem ratio hujus Sacrificii est: Quia per vaccam rufam significatur Christus secundùm infirmitatem assumptam, quam femininus sexus designat: Sanguinem autem Passionis ejus designat vaccæ color. Erat autem vacca rufa ætatis integræ. Quia omnis operatio Christi est perfecta; in quâ nulla erat macula, nec portavit jugum peccati. Præcipitur autem adduci ad Moysem: quia imputabant ei transgressionem Legis Mosaicæ in violatione Sabbati. Præcipitur autem tradi Eleazaro Sacerdoti: Quia Christus occidendus in manus Sacerdotum traditus est. Immolatur autem extra castra, quia extra portam Christus passus est. Intingit autem Sacerdos digitum in sanguine ejus: Quia per discretionem, quam digitus significat, Mysterium Passionis Christi est considerandum & imitandum. Aspergitur autem contra Tabernaculum, [ per quod Synagoga designatur ] vel ad condemnationem Judæorum non credentium, vel ad purificationem credentium. Et hoc septem vicibus, vel propter septem dona Spiritûs Sancti; vel propter septem dies, in quibus omne tempus intelligitur. Sunt autem omnia, quæ ad Christi incarnationem pertinent, igne cremanda, id est, spiritualiter intelligenda. Nam per pellem & carnem exterior Christi operatio significatur: Per sanguinem subtilis & interna virtus exteriora facta verificans: Per fimum lassitudo, sitis, & omnia hujusmodi ad infirmitatem pertinentia. Adduntur autem tria, scilicet cedrus, quod significat altitudinem spei vel contemplationis; hyssopus, quod significat humilitatem vel fidem; coccus bis tinctus, quod significat geminam caritatem: Per hæc enim debemus Christo passo adhærere. Iste autem cinis combustionis colligitur a viro mundo; Quia reliquiæ Passionis pervenerunt ad Gentiles, qui non fuerunt culpabiles in Christi morte. Apponuntur autem cineres in aquâ ad expiandum: Quia ex Passione Christi Baptismus sortitur virtutem emundandi peccata. Sacerdos qui immolabat vaccam, & ille qui comburebat, & qui colligebat cineres, immundus erat, & etiam qui aspergebat aquam: Vel quia Judæi sunt facti immundi ex occisione Christi, per quam nostra peccata expiantur: & hoc usque ad vesperum, id est, usque ad finem mundi, quando reliquiæ Israël convertentur. Vel quia illi qui tractant sancta, intendentes ad emundationem aliorum, ipsi etiam antiquas immunditias contrahunt, [ ut Gregorius dicit in Pastorali, ] & hoc usque ad vesperam, id est, usque ad finem præsentis vitæ.* Conferatur illa *S. Thomæ* explicatio cum eâ quam tradit *Guillelmus Parisiensis* Libro *De Legibus*, Cap. 10.

*Immunditia contactûs, ejusque Purificatio.*

VIII. Octava immunditiei species, erat immundities contactûs, quam contrahebat omnis qui personam vel rem immundam, nolens licèt ac fortuitò contigisset. Numer. 19. 22. *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperam.* Hæ verò immunditiæ lotione solâ vel aspersione abstergebantur.

*Immunditia rerum, & earum Purificationes.*

IX. Non personarum tantùm, sed & rerum immunditiam observari sanxit Lex Mosaica. Lecta enim, stragula, vasa, furni, aliaque omnia humanis usibus accommodata, menstruatæ, seminiflui, leprosi, mortui, reptilis contactu pollutionem quamdam contrahebant, & in ipsos homines diffundebant, *Levitici* 15. 4. 5. 6. 9. 10. 21. 22. 23. 26. *Levitici* 11. 29. 30. & seq. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terrâ, mustela, & mus, & crocodilus, singula juxta genus suum, mygale, & chamælon, & stellio, & lacerta, & talpa: Omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperam: & super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum & vestimentum, quàm pelles & cilicia, & in quocumque fit opus, tingentur aquâ, & polluta erunt usque ad vesperam & sic postea mundabuntur. Vas autem fictile in quod horum quicquam intrò ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum est. Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: & omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit. Et quicquid de morticinis hujusmodi ceciderit super illud, immundum erit: sive clibani, sivè chytropodes, destruentur, & immundi erunt.* Lepræ contagio non solùm hominibus, sed etiam vestimentis & domibus adhærebat: Quæ quidem in iis analogica tantùm lepra fuit. Vestimenta leprâ perseveranti contaminata igne comburi Lex jubet *Levit.* 13. 52. 57. Domus leprâ infecta, septem diebus claudebatur mandato Sacerdotis. Qui die septimo reversus, si lepram crevisse inveniret, jubebat erui lapides leprâ inquinatos, & projici eos extra civitatem in locum immundum: Domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi pulverem rasuræ extra urbem, in locum immundum, lapidesque alios reponi, alioque cemento liniri domum. Si lepra nihilominus redisset, domus dirui debuit, & lapides ejus, ligna pulvisque universus extra oppidum, in locum immundum projici. Si lepra perseverans non esset, litis denuo parietibus domus purificabatur a Sacerdote, hoc ritu. Sumebat Sacerdos duos passeres, lignumque cedrinum, & vermiculum, atque hyssopum: & immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, aspergillum ex ligno cedrino & hyssopo compositum, cui alligatus erat funiculo coccineo passer vivus, tingebat in sanguine passeris immolati, aquis viventibus commixti, domumque septies aspergebat. Tum dimisso passere vivo, orabat pro domo, quæ hoc ritu mundabatur. *Levitici* 14.

*Cur Legales illæ immunditiæ a Deo institutæ?*

X. Legales illæ immunditiæ institutæ sunt ad mores Israëlitarum informandos, ad idololatriæ occasiones omnes removendas, ad reverentiam San-

Sanctuario conciliandam, ad jugem Dei memoriam conservandam, ad significandam immunditiem peccati, fœditatem libidinis, pravæ societatis contagium, occasionum proximarum pericula.

Veteres de his differentes audiamus. Ad Israëlitarum mores informandos; & jugem Dei memoriam conservandam Leges illas omnes pertinere *Tertullianus* disertè asserit *Libro 2. Adversùs Marcionem*, Cap. 19. *Sed & in ipsis commerciis vitæ*, inquit, *& conversationis humanæ domi ac foris, ad usque curam vasculorum omnifariam distinxit, ut istis legalibus disciplinis occurrentibus undique, ne ullo momento vacarent a Dei respectu. Quid enim faceret beatum hominem, quàm in Lege Domini voluntas ejus? Et in Lege Domini meditabitur die ac nocte. Quam Legem non duritia promulgavit Auctoris, sed ratio summæ benignitatis, Populi potiùs duritiam edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis; ut nihil de arcanis attingam significantiis Legis, spiritalis scilicet & propheticæ, & in omnibus penè argumentis figuratæ. Sufficit enim in præsenti, si simpliciter hominem Deo obligabat, ut nemo eam reprobare debeat, nisi cui non placet Deo servire.*

XI. *Theodoretus* Quæstione 14. in Leviticum, Legem de immunditiâ puerperæ latam explicans, ait eam ad mulierum quietem procurandam, & virorum incontinentiam refrenandam, latam esse: *Lex*, inquit, *impuritatis mentione appetitionem extinguit.*

*Quæstione* 15. De contagione lepræ sermonem faciens, Legemque de leprâ latam exponens, ait: *Per affectiones corporeas indicat morbos animæ: & per ea quæ non sponte committuntur, arguit spontanea. Si enim naturalia quodammodo videntur esse impura, multò magis ea quæ manant a voluntate. Porrò varias lepræ species edisserit, quia sunt etiam peccatorum discrimina: lepra quædam est origo, quoniam & origo peccati. Quemadmodum itaque Sacerdos lepram discernit, ita peccatorum animæ Judicem ipsum esse oportet. Leprosum autem dicitur, quod varietatem habet coloris: Sic animam occu-*
Quæst. 17. *pans vitium leprosam ipsam efficit.* Leprosum autem nudato capite, & dissutis vestibus Lex esse jubet, *Ut notus sit, & ne fiant impuritatis participes qui accedunt ad illum. Ita de peccantibus*
„ *Apostolus dixit:* Subducite vos ab omni fratre
„ inordinatè ambulante, & non secundùm Tra-
„ ditionem quam accepistis a nobis. Et si is qui
„ frater nominatur, aut fornicator, aut avarus,
„ aut idololatra sit, aut ebriosus aut maledicus,
„ aut rapax, cum hujusmodi non edere.

Cur autem & vestibus, & domibus, lepra tempore Mosaicæ Legis adhæreret, deque illarum pollutione & purificatione Lex a Deo lata sit, rationem reddit *Theodoretus Quæstione* 18. Id scilicet ad illorum, nostramque institutionem factum docet. *Complures illis Deus tales præbuit instructiones. Nam & de leprosis domibus sic ait:*
„ Cùm ingressi fueritis in Terram Chananæo-
„ rum, quam ego do vobis, dabo etiam tactum
„ lepræ in domibus terræ possessæ a vobis, &c.
*Ex his autem docet plagas fuisse a Deo missas interdum in vestimenta, interdum in domos: Quæ quidem inenarrabilem Dei benevolentiam demonstrant. Dum enim peccarent homines, vestimentis aut domibus plagas infligebat, hoc pacto sanitatem conferens possessoribus illarum. Ceterùm domui leprosæ similis est domus Israël; De quâ qui peccaverant, tanquam infecti leprâ lapides sublati sunt, aliquando per Assyrios, aliquando per Babylonios, interdum per Macedones. Et quia adhærenti leprâ laborabant, illorum domum dirui funditus jussit Legislator. Impuri sunt ergo qui introëunt in Synagogas illorum, quasi leprosam in domum ingrediantur.*

*Quæstione* 20. De hominis seminis fluxu laborantis immunditiâ disserens, ait, Legem *per naturalia nos instruere de vitiis animi, & ex illis docere quàm sint atrocia. Nam si fluxus naturalis impurus est, multò magis contraria Legi lascivia.* De immunditiâ concubitûs conjugalis, ait, Deum hac Lege docere moderationem in usu Matrimonii, & jubere. *Ut liberorum procreandorum causâ, non voluptatis gratiâ hujusmodi copulatio fiat. Hanc ob rem eos qui permiscerentur, impuros appellat, & purgari præcipit, ut assiduitatem congrediendi cohibeat purificationis occupatio.*

*Quæstione* 21. De immunditiâ menstruatæ agens, ait, Legem de hujusmodi immunditiâ latam, *Ne quis cum talibus commisceatur. Ferunt enim quidam congressu gigni tabem & lepram, hac superfluitate lædente formata corpora; propterea dicit illum immundum, qui talem mulierem attigerit. Paucis autem harum Legum causas patefecit, dum* Levit. 13.
„ *ait:* Et abstinentes facietis filios Israël, & non 31.
„ morientur propter immunditiam suam, cùm
„ polluerint Tabernaculum meum, quod est in-
„ ter eos. *Quod si, quæ non sponte committuntur, asserit polluere, patet quia multò magis detestanda sunt voluntaria. Et hæc quidem valdè congruebant illis, utpote maximè lascivis, & nequiter libidinosis. Nam quod leve erat dum prætermittitur, observatum paratiores efficiebat ad potiora.*

*Quæstione* 7. agens de immunditiâ contactûs, quæ Israëlitas prohibebat ne carnibus victimarum Deo immolatarum vescerentur, ait: *Per hæc levia graviores curat affectiones. Si enim Lege naturalia polluunt, multò magis ea quæ procedunt a voluntate, quæ propriè dicuntur contra Legem facta.*

*Quæstione* tandem 12. agens de immunditie rerum: *Discimus*, inquit, *quantum malum sit peccatum, cùm veram immunditiam illud conciliet.*

XII. *Guillelmus Parisiensis* Libro *De Legibus*, Cap. 6. Deum Legem de mulieris menstruatæ immunditiâ tulisse ait, secundum quosdam, ut Zabiorum, id est, Idololatrarum ex Oriente antiquiorum, superstitioni modum & mensuram imponeret, Populumque suum ab eorum moribus paulatim abduceret. *Mulier*, inquit, *menstruata immunda reputata est secundùm quosdam, ex consuetudine & Lege Gentis Zabiorum, quæ adeò eas execrabatur tempore menstruorum, ut nonnisi igne purgari posse eas crederet. Et propter hoc comburebantur vestimenta earum, & omne quod tetigissent tempore menstruali. Quia verò ritus iste ita inoleverat in Ægypto, & in Terrâ Promissionis, non potuit ab eo averti ex toto Populus Judæorum: Et ideò Legislator fecit super hoc quod in Gente tam duræ cervicis fieri potuit, mutans ritum simul & mitigans, quem radicitus extirpare nequivit.* Confirmatur ex *Maimonide* in *More Nevochim* p. 3. Cap. 74. *Consueto*, inquit, *& usitato more receptum erat apud Zabios in partibus Orientis, ut mulier menstruo laborans, separatim sit in domo aliquâ; ut loca in quibus ambulavit, comburantur; & quisquis cum eâ locutus fuerit, pro polluto habeatur; quin imo si ventus idem transeat super menstruatam & mundum aliquem, ut pro polluto habeatur.* Alteram Legis hujus rationem affert *Guillelmus Parisiensis*, Idololatriæ extirpationem. *Non est autem dubitandum*, inquit, *quin Idololatriæ, quâ Luna colebatur, per istam immunditiam multùm detractum sit: Cùm fluxus menstruorum Lunæ cursui deputaretur, & ita hanc immunditiam referrent in Lunam. Et propter hoc addiscerent eam non esse colendam, cujus opere pollutio esset & immunditia. Potuit autem esse, ut Mulieres menstruatæ cæteris mulieribus audaciùs se Lunæ ceremoniis immiscerent, reputantes se eo ipso sacris hujusmodi digniores, quòd*

*n ipsis Luna eo tempore manifestiùs operaretur. Potuit etiam esse (& hoc credimus ex eis qua de Idololatriâ legimus) quòd mulier menstruata aliquando ei immolata sit: & quia sanguis menstruus crebrò in ejus sacrificiis offerretur. Coli enim a mulieribus multâ aviditate solebat Luna, sicut legitur Jeremia 7.* Mulieres aspergunt adipem ut faciant placentas Reginæ Cęli, *Reginam Cœli credebant Lunam. Hac igitur est una causa, propter quam eas immundas judicavit Lex. Secunda causa fuit, ut abstinerent viri a commixtione earum diebus illis, tum propter fœtum, ne corrumperetur, & occasionaretur venenositate sanguinis illius, & ne ex eâ fœditate fierent abominabiles viris. Tertia causa fuit ipse menstruus sanguis, de quo multa monstrifica faciebant Malefici. Quarta, honor & reverentia Tabernaculi, in quo posset Mulieribus fluxus contingere, si ad id eo tempore admitterentur; quâ inquinatione nulla abominabilior fieri poterat Tabernaculo. Quinta, horror sanguinis, quem in mentem semper ingerere volebat Dominus filiis Israël in detestationem Idololatria. Sexta causa, contagium & corruptela menstrui sanguinis, qua tanta infectionis est, ut etiam in speculo, in quo tempore illo mulier faciem inspexerit, fœculentia sua manifestum indicium imprimat. Manifestum igitur est, quia & saluti animarum, & saluti corporum, & saluti partuum seu fœtuum, & ipsi Sacramento Matrimonii consultum est per Legem, quà Menstruata immunda sunt usque in tempus purgationis.*

Aliarum immunditierum pollutionumque legalium causas explicare pergit Parisiensis Episcopus. *Leprosus,* inquit, *judicatus est immundus, & propter fœculentiam morbi, etiam propter ejus contagium, & propter honorem castrorum, atque Tabernaculi, in quo potissimùm intelligimus honorem Dei. Seminifluus verò propter ipsam spurcitiam fluxûs; & propter abominationem Idololatria Venerea, in quâ semen ipsum humana generationis miscebatur Sacrificiis; & propter honorem castrorum, & etiam Tabernaculi. Horruit etiam Lex, & horreri voluit fluxum humani seminis alibi quàm in opere humana generationis, & hoc propter execrationem Idololatria, & sodomiticas abominationes, quas omnino abolere & studiosissimè extirpare ostendit. Voluit & honorem haberi Tabernaculo & castris: Propter quod nonnisi loti aquâ, etiam Sacerdotes, Tabernaculum intrare debebant.*

*Immunditia verò Irregularitatis mera, qua requirebant purificationem, multiplices erant, & ad hanc pertinet immunditia vasorum, sicut vas fictile, in quod aliquod ex nominatis octo reptilibus cecidisset, aut quod aliquid de mortuis eorum tetigisset, & propter hoc frangendum, sicut legitur Levit. 11. Eodem modo & clibani.... In quo non aliud intelligi rectè potest, nisi prohibitio appropinquationis ad Idololatriam. Ideo enim quia prohibiti sunt filii Israël tangere hujusmodi animalia, vel morticinia eorum, & prohibiti sunt necessariò immolare ea, vel comedere de immolatis. In hoc etiam quòd immunda judicata sunt immunditiâ qua prohibebat accessum ad Dei Tabernaculum, etiam tangentibus ea, pracisa est etiam eisdem omnis speciei emundationis, & appropinquationis ad Deum per illa, & quod plus est, ostensa sunt causa divina offensionis & indignationis, non quidem propter se, sed propter Idololatriam qua de iis fiebat. Juxta hunc modum erat vas, quod non habebat operturam, nec ligaturam, sicut legitur Numerorum 19. Quia vasa hujusmodi habere consueverant Idololatra: & etiam causâ honestatis & munditia corporalis. Quoniam faciliùs custodiuntur munda, qua habent operculum; & honestiùs tenentur atque contrectantur, qua ligaturam habent de se ut ansulam vel annulum. Poterat etiam esse, ut alienas ligaturas adhiberent Idololatra vasis suis, non sine aliquâ contaminatione Idololatria: & vasa volebant carere operculis, ut aliquibus servitiis Idololatria magis prasto essent; & ut ipsa reptilia Idolis immolanda in ea irreperent, sicut mures, mustella, atque lacerta, & in eis invenirentur: Sic enim inventa magis accepta credebant esse Diis, utpote electa ab eis. Restant autem adhuc aliqua reliquia Idololatria istius. Credunt enim nonnulli insipientes, quadam Numina nocturna frequentare domos, & vasa qua discooperta inveniunt, postquàm inde comederint vel biberint, denuo replere. Si autem cooperta vel clausa sive obstructa ea inveniunt, inde offendi, & ex hoc imminere infortunium domui.*

*Mortuos autem generaliter tam viros quàm mulieres immundos esse voluit Lex, ut elongaret Populum Israël, & a ritu quem habebant fundanda Idololatria, & ab operibus maleficis ac necromanticis, quorum multa legimus; & propter hoc qui tangeret mortuum, immundus esset, sicut legitur Num. 19.* His adde collationem insignium illorum locorum, ex quibus moralis Legis istius sensus innotescet, Ecclesiastici 34. 30. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? &c.* Et Matthæi 8. 20. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

XIII. *S. Thomas, Primâ Secunda Quastione* 102. *Articulo* 5. *ad quartum.* Rationes literales & typicas legalium pollutionum exponit. *Istarum,* inquit, *immunditiarum erat ratio & literalis & figuralis. Literalis quidem, propter reverentiam eorum qua ad divinum cultum pertinent: Tum quia homines pretiosas res contingere non solent, cùm fuerint immundi; tum etiam ut ex raro accessu ad Sacra ea magis venerarentur. Cùm enim omnes hujusmodi immunditias raró aliquis cavere possit, contingebat, quod raró homines poterant accedere ad contingendum ea, qua pertinebant ad divinum cultum, & sic quando accedebant, cum majori reverentiâ & humilitate mentis accedebant. Erat etiam in quibusdam horum ratio literalis, ut homines non reformidarent accedere ad divinum cultum quasi refugientes consortium leprosorum, & similium infirmorum, quorum morbus abominabilis erat & contagiosus. In quibusdam etiam ratio erat ad vitandum Idololatria cultum: Quia Gentiles in ritu sacrificiorum suorum utebantur quandoque & humano sanguine, & semine. Omnes autem hujusmodi immunditia corporales purificabantur vel per solam adspersionem aqua, vel quę majores erant, per aliquod sacrificium, ad expiandum peccatum, ex quo tales infirmitates contingebant.*

*Ratio autem figuralis harum immunditiarum fuit: Quia per hujusmodi exteriores immunditias figurabantur diversa peccata. Nam immunditia cadaveris cujuscumque significat immunditiam peccati, quod est mors anima. Immunditia autem lepra significat immunditiam haretica doctrina: Tum quia haretica doctrina contagiosa est, sicut & lepra: Tum quia nulla etiam falsa est doctrina, qua vera falsis non admisceat; Sicut etiam in superficie corporis leprosi apparet quadam distinctio quarundam macularum ab aliâ carne integra. Per immunditiam autem mulieris sanguiflua, designatur immunditia Idololatria, propter immolationem cruoris. Per immunditiam verò viri seminiflui designatur immunditia vana locutionis: Eò quòd semen est verbum Dei. Per immunditiam verò coitûs, & mulieris parientis, designatur immunditia peccati originalis. Per immunditiam mulieris menstruata designatur immunditia mentis per voluptates emollita. Universaliter verò per immunditiam conta-*

ctûs

*ctus rei immundæ designatur immunditia consensûs in peccatum alterius, secundum illud 2. ad*
„ *Corinthios 6.* Exite de medio eorum, & separamini, & immundum ne tetigeritis. *Hujusmodi autem immunditia contactûs derivabatur etiam ad res inanimatas. Quicquid enim quocumque modo tangebat immundus, immundum erat. In quo Lex attenuavit superstitionem Gentilium, qui non solùm per contactum immundi dicebant immunditiam contrahi, sed etiam per collocutionem, aut per aspectum, ut Rabbi Moyses dicit de muliere menstruatâ. Per hoc autem mysticè significabatur id quod dicitur* „ *Sapientiæ 14.* Similiter odio sunt Deo impius „ & impietas ejus. *Erat autem & immunditia quædam ipsarum rerum inanimatarum secundùm se: Sicut erat immunditia lepræ in domo & in vestimentis. Sicut enim morbus lepræ accidit in hominibus ex humore corrupto putrefaciente carnem & corrumpente: Ita etiam propter aliquam corruptionem & excessum humiditatis vel siccitatis fit quandoque aliqua corrosio in lapidibus domûs, vel etiam in vestimentis. Et ideo hanc corruptionem vocabat Lex lepram, ex quâ domus vel vestis immunda judicaretur. Tum quia omnis corruptio ad immunditiam pertinebat: Tum etiam quia contra hujusmodi corruptionem Gentiles Deos Penates colebant: & ideo Lex præcepit hujusmodi domos, in quibus fuerit talis corruptio perseverans, destrui, & vestes comburi, ad tollendam Idololatriæ occasionem. Erat etiam & quædam immunditia vasorum, de* „ *quâ dicitur Numerorum 19.* Vas quod non habue„rit operculum, & ligaturam desuper, immun„dum erit. *Cujus immunditiæ causa est, quia in talia vasa de facili poterat aliquid immundum cadere, unde poterant immundari: Erat etiam hoc præceptum ad declinandam Idololatriam. Credebant enim Idololatræ, quòd si mures, aut lacertæ, vel aliquid hujusmodi, quæ immolabant Idolis, caderent in vasa vel in aquas, quòd essent Diis gratiosa. Adhuc etiam aliquæ mulierculæ vasa dimittunt discooperta in obsequium nocturnorum Numinum, quæ Janas vocant. Harum autem immunditiarum ratio est figuralis: Quia per lepram domûs significatur immunditia congregationis Hæreticorum. Per lepram verò in veste lineâ significatur perversitas morum ex amaritudine mentis. Per lepram verò vestis laneæ significatur perversitas adultorum. Per lepram in stamine significantur vitia animæ: Per lepram verò in subtegmine significantur peccata carnalia: Sicut enim stamen est in subtegmine, ita anima in corpore. Per vas autem quod non habet operculum, nec ligaturam, significatur homo qui non habet aliquod velamen taciturnitatis, & qui non constringitur aliquâ censurâ disciplinæ.*

---

## §. VI.

*De Expiatione Generali Israëlitarum, & de Hirco Emissario.*

Expiatio Generalis Israëlitarum in solemni Festo Expiationis Hircis duobus peragebatur, de quibus sorte decernere debuit Pontifex, uter Deo sacrum piaculare fieri, uter in solitudinem, populi peccatis & maledictis onustum, ablegari deberet. Levitici 16. 7. 8. 9. 10. *Duos Hircos stare faciet coram Domino in ostio Tabernaculi testimonii: Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario: Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino ut fundat preces super eo, & mittat eum in solitudinem.* Textus Hebraicus sortem unam *pro Domino*, Sortem alteram *pro Azazele* imponi ait. Hircum cui sors obvenerit *pro Domino*, immolari ut piacularem victimam pro peccato. Hircum cui sors obvenerit *pro Azazele*, sisti vivum coram Domino, ut per eum fiat expiatio; & mittatur ad *Azazelem*, in Desertum. De hoc ritu Articulo superiori Numer. 10. egimus; quædam in hunc Articulum rejecimus quæ sunt observatione digna.

Hircis expiationem peragi Deus instituit, ut Ægyptiacam Idololatriam sugillaret. Ægyptii enim Hircos præ cæteris animalibus impensè coluerunt, præcipuè Mendesii, ut testantur *Herodotus* Lib. 2. Cap. 46. *Diodorus* Lib. 1. *Strabo* Lib. 17. *Lucianus* in *Imaginibus*, *Plutarchus* in *Iside*. Mulieres etiam tanquam religione addictæ, Sacris Hircis fœdè se submittebant, testibus *Pindaro*, *Herodoto*, *Strabone*, *Æliano*, Libro 7. Cap. 19. & *Plutarcho* in libro *Quòd bruta ratione utuntur*. Zabios, id est veteres Idololatras Orientis, Dœmones sub Hircorum formâ coluisse, docet *Maimonides* in *More Nevochim* Libro 3. Cap. 46. *Ex Zabiis, inquit, quidam fuerunt, qui Dœmones colebant, & eos existimabant habere formam Hircorum. Unde etiam Dœmones* Seirim, *hoc est, hircos appellabant. Quæ opinio Mosis ævo jam longè latèque in orbe diffusa fuit, sicut ait Levit. 17. 7. Et non sacrificabant ultra sacrificia sua Hircis*, id est *Dœmonibus ita appellatis*. Hinc Ethnicorum Theologia de *Pane*, *Fauno*, *Sylvano*, *Silenis*, & *Satyris*, qui & ipsi Hirci dicti sunt. Ut igitur Israëlitis a Zabiorum, & Ægyptiorum insanâ superstitione, cui olim dediti fuerant, Deus abduceret, Hircis piaculum solemne fieri jussit.

Quid significetur nomine *Azazel*, cui in Hircorum piacularium sortitione sors una tribuitur, magna lis est inter Eruditos. Quidam ipsum absque interpretatione relinquunt, prout in Hebræo habetur. Ita *Onkelos*, Samaritanus, & plerique recentiorum. *Aben- Esra* in hoc nomine magnum aliquod mysterium contineri innuit, quod nemo possit capere ante annos virilitatis. Nonnullis Hebræis, & Arabibus *Azazel* nomen est Montis, ad quem Hircus emissus deducebatur, ut inde præceps ageretur. Ita *Jonathan*, *R. Salomon*, *R. Saadias Gaon*, Talmudici in Tractatu *Joma*, & Arabes, apud quos *Azaz* Montem asperum significat. Sed hanc opinionem meritò rejicit *Bochartus* Hierozoici Libro 1. Cap 54. tum quia *Moses* non *Azaël*, sed *Azazel* scripsit, & in Judææ Topographiâ Mons nullus est hujus nominis: Tum quia si *Azazel* nomen Montis esset, verisimile est *Mosen* id significaturum fuisse, & Montem *Azazel* dicturum, sicut Montes *Ararat*, Montem *Abarim*, Montem *Garizim*, Montem *Galaad*, Montem *Hermon*, Montem *Oreb*, Montem *Sion* dixit. Alii *Azazel* Diabolum significare volunt. Ita *Spencerus* Libro 3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, *Dissertatione* 8. *Sect.* 2. Idque probat ex Libro *Enoch* Apocrypho, in quo *Azalzel*, (corruptè pro *Azazel*) inter Angelorum lapsorum Principes numeratur, & ex *Origene Lib.* 5. *Contra Celsum*, ubi de Diabolo loquens; *In Levitico*, inquit, *piacularis Hircus, quem Hebraicæ literæ nominant Azazelem, non alius erat, sorte mittendus in desertum, malis omnibus in caput ejus vertentibus. Nam qui propter malitiam ad deteriorem partem pertinent, a Deo deserti sunt*. Id confirmat ex antiqui Poëtæ Christiani Carminibus in *Marcum* Hæresiarcham, quæ ex *S. Irenæo* refert *S. Epiphanius* Hæresi 34. quos sic Latinos fecit *Petavius*:

*An Hircus Emissarius ad Diabolum amandaretur?*

*Spencerus refellitur.*

*Hæc tu illa, Satanæ fretus auxilio Patris,*
*Azazelisque mirâ designas ope,*
*Præcursor olli fraudis in Superos datus.*

Alia ex hujus etymologiâ nominis argumenta ducit debiliora *Spencerus*. At huic opinioni assen-

assentiri non possum, cùm inter plurima illa nomina, quæ Diabolo in sacris literis tribuuntur, *Azazel* non legatur, nec verisimile sit *Mosen*, aliosve Scriptores sacros hoc nomine aliàs ne semel quidem antiquum humani generis hostem designaturos, si proprium illius esset. Secundò, ex Rabbinorum deliriis hæc interpretatio profecta, quanquam nec ipsi *Azazelis*, sed *Sammaëlis* nomine Diabolum designant. Hinc in Capitulis R. *Eliezer* Cap. 45. legitur: *Quo die Deus Legem dedit, impurus ille Spiritus Sammaël Deum ita alloquitur; Domine totius Mundi, qui mihi in omnes totius orbis Gentes potestatem dedisti, in solum Israëlem nulla mihi concessa potestas. Deus respondet: Tibi Expiationis die in illos potestas erit, si peccatum in illis invenias: Si verò peccati expertes sint, nihil erit tibi juris in illos. Idcirco munera hoc Expiationis die Satanæ obtruduntur, ne Israëlitarum oblationem interpellet:* Unde dicunt: *Date munus Sammaëli in die Expiationum: Sicut dicitur;* A cœtu autem filiorum Israël accipies Levit. 16.
„ duos Hircos, &c. Mittetque Aaron super duos
„ Hircos sortes; sortem unam Domino, & sortem
„ alteram pro Azazele. *Sors Domini erat holocaustum; sors verò Azazelis erat hostia pro peccato, & imponebantur ei omnes iniquitates Israëlitarum,* „ *sicut dicitur:* Et portabit Hircus ille super se
„ omnes iniquitates eorum. *Ubi ergo Sammaël Populum Israëlis absque peccatis hoc die comperit, dicit ad Deum: Populum in terris habes Angelis cœlestibus similem.... Cùm Deus hæc a malo Angelo audit, illico eorum peccata ipsis condonat, & preces eorum exaudit.*

Tertiò, Septuaginta Interpretes, *Symmachus*, & *Aquila*, qui Hebraici nominis significatum apprimè noverant, *Azazelis* nomine Hircum in desertum emissum intellexerunt. *Septuaginta;* Καὶ ἐπιθήσει Ἀαρὼν ἐπὶ τοὺς δύο χιμάρους κλήρους, κλῆρον ἕνα τῷ κυρίῳ, καὶ κλῆρον ἕνα τῷ ἀποπομπαίῳ. *Et imponet Aaron super duos Hircos sortes: Sortem unam Domino, & sortem unam Emissario* Καὶ τὸν χίμαρον, ἐφ' ὃν ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὸν ὁ κλῆρος τοῦ ἀποπομπαίου, στήσει αὐτὸν ζῶντα ἔναντι κυρίου, τοῦ ἐξιλάσασθαι ἐπ' αὐτοῦ ὥστε ἀποστεῖλαι αὐτὸν εἰς τὴν ἀποπομπὴν καὶ ἀφήσει αὐτὸν εἰς τὴν ἔρημον. *Et Hircum super quem supervenit super eum sors Emissarii, statuet eum viventem ante Dominum, ad orandum super eum, ut emittat eum in emissionem, & dimittet eum in Desertum.* Symmachus: εἰς τράγον ἀπερχόμενον, *In Hircum abeuntem.* Aquila: εἰς τράγον ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον. *In Hircum qui in Desertum emittitur.* Sic etiam intellexit *S. Hieronymus*, cujus Versio Ecclesiæ usu consecrata est: *Mittensque super utramque sortem, unam Domino, & alteram Capro Emissario: cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: Cujus autem in Caprum Emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.*

Antiqui etiam Patres Versionem 70. Seniorum secuti, *Azazel Hircum Emissarium* interpretati sunt, & *Juliani* Apostatæ, atque aliorum quorumdam, qui *Azazel Diabolum* intellexere, interpretationem exploserunt & confutarunt: Ut mirum sit eam *Spencero* placere potuisse. Ita *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 9. contra Julianum, P. 301. *Sortes verò & nomina Hircis, uni quidem DOMINUS, alteri verò EMISSARIUS. Non enim, ut ait præclarus ille Julianus, cuidam Averrunco & Depulsori malorum Dæmoni, dimitti jussit eum qui non esset immolatus, sed ipse potiùs dictus est EMISSARIUS, quòd nimirum a mactatione dimissus, quemadmodum DOMINUS dictus est ille qui immolabatur. Descriptus autem est per utrumque Christus unus, & moriens pro nobis secundùm carnem, & mortem superans secundùm Divinitatis naturam. Emittebatur autem in Desertum, quâ solitudine & inculto solo designatur Gentium sterilitas.* Idem Epistolâ ad *Acacium* Melitinæ Episcopum, quæ extat 3. P. Concilii Ephesini Cap. 36. & *De Capro Emissario* est inscripta, ipsam, quam propugnat *Spencerus*, opinionem stultam & ridiculam vocat, egregièque refellit. *Omnis*, inquit, *Scriptura divinitus inspirata utilis est. Equidem his, qui veritatis vim contemplari possunt, venustas ejus velut coruscum quoddam lumen se se offert, mentemque ad cognitionem Mysterii Christi illustrat. Quorum verò mens non firmiter incedit, sed quodammodo claudicat adhuc & puerili est sensu, talibus etiam præcipuæ Scripturarum speculationes reprehensibiles nonnumquam & culpandæ videntur. Atque hæc dico iis, quæ Pietas tua scripserat, non sine attentione lectis. Nam aliqui ex illis qui istic degunt, fortasse putarunt, alterum quidem Caprum vel Hircum Deo, qui est super omnia, ad Sacrificium Hostiamque deputari; alterum verò execrando cuipiam & malo immundoque Dæmoni in Desertum fuisse amandatum, atque hoc ipsum per sacram manum, Legisque decretum. Id autem ex se omnino stultum est & ridiculum: Meritòque dixerit aliquis iis qui hujusmodi opinione tenentur: Cur non illud potiùs cogitatis? Nam quomodo universorum Opifex, qui omnem mentem ac sermonem excedit, solusque est secundùm naturam Deus & Dominus, Satanam Apostatam, regni sui ac gloriæ veluti socium consortemque admisisset? Cùm per quemdam Sanctorum Prophetarum illum clarè pronuntiare audiamus:* Gloriam meam alteri non dabo. *Quòd si Lex per Sapientissimum Moysen præcipit, ut quæcumque offerre* Isai. 42.
*quis voluerit, ea soli Deo offerat: Postea idem ipse qui Legem hanc tulit, manifesto oraculo sanxerit, ut gloria, quæ ipsi soli maximè convenit, immundis Spiritibus deferatur; qui fieri potest, ut non suis ipse verbis contrarius manifestè deprehendatur, cùm hoc ipsum quod inhibuerat, fieri jubeat? ... Esset porrò divina illa inculpataque voluntas haud mediocriter culpabilis, si posteaquàm illos e medio sustulerat, qui Deos alienos adoraverant, Deus ipse rursum, qui suis desertoribus succensuerat, pravam illam adversariamque Potestatem donis sacrificiisque honorari jussisset: Quam quidem adversariam Potestatem nonnulli fortasse Divinarum Scripturarum vim interno occultoque mentis oculo minimè penetrantes, EMISSARIUM nominatum esse dicent. Nos verò divinis oraculis animum neque negligentem, neque segnem adhibentes, sed diligentem & vigilantem, admirandam veritatis pulcritudinem assequi enitemur. Dicimus igitur, universorum Deum, cùm ad evertendum Gentilium errores, qui multos Deos colebant, eorumque illuminationem qui in tenebris sedebant, priscis illis Legem suam per Mosem tulisset, nunquam passurum fuisse ut ipsemet via & ostium, imò verò etiam Doctor ac Magister, ad hoc ut impuri Dæmones honorarentur, existeret .... Agedum igitur, velamine Legis ablato, depositoque operimento quod Moysi faciem exteriùs adumbrat, ipsam nudam veritatem contemplemur. Duos Hircos offerri, & duas sortes illis inscribi præcepit: Voluit autem ut alter ex illis nominaretur DOMINUS, alter verò EMISSARIUS. Nomina itaque Capris imposita, DOMINUS & EMISSARIUS. Designatur autem per utrosque unus & solus Filius & Dominus Jesus Christus .... Iis qui in terris erant Lex illa impendebat, ut mori necesse esset, idque tum propter transgressionem in Adam, tum propter peccatum, quod ab eo ad nos usque tyrannidem suam extendebat. Verùm Dei Patris Verbum largum ad benignitatem atque clementiam, factum est caro, hoc est, homo nobis peccato obnoxiis conformis, & sortem nostram subiit .... Nomen itaque Capro immolato erat DO-*

*MINUS*, *forteque mactabatur*, *& sancta erat sacraque victima in typum Christi*, *qui non pro se ipso*, *sed pro nobis mortuus est*, *sanguineque suo Ecclesiam sanctificavit .... In altero quoque*, *hoc est in vivo ac dimisso Hirco eumdem spectemus*, *dum in eo quod secundùm humanam naturam patitur*, *non patitur secundùm divinam ; & dum carne moritur*, *mortis victor evadit : Neque*, *secundùm Judæorum amentiam*, *nobiscum in monumento remansit*, *neque unà cum aliis intra inferni portas detentus fuit .... Revixit enim spoliatis inferis : & ad supernum cœlestemque Patrem*, *locum utique hominibus inaccessum abscessit ; peccatis nostris in se susceptis*, *& propitiatio pro illis existens*.

*S. Cyrillo Alexandrino* consentit *Theodoretus* Quæstione 22. in Leviticum. *Præcipit*, inquit, *Hircos sorte distingui : & unum quidem sacrificari*, *alterum autem in solitudinem mitti. Quod quidam non rectè intelligentes*, *Dæmonem quemdam Emissarium arbitrati sunt*, *quia dixit*, Unum Domino, & unum Emissario. *Sed hoc præ nimiâ stoliditate putaverunt. Qui enim fieri posset*, *eum qui dixit*, Non erunt tibi alii Dii præter me, & Non adorabis neque servies alteri Deo præter me, *Dæmoni cuidam parem dari jussisse victimam ? Atqui conveniebat illos advertere animum & cognoscere*, *Deum Hircum etiam illum*, *qui dimittitur*, *offerri sibi jussis*-
Exod. 10.
„ *se*. Sumes enim, *inquit*, Hircum vivum coram „ Domino, ad exorandum super eum, & ut emit„ tatur in solitudinem. *Hoc autem satis innuit*, *quòd Hircus ipse dictus sit Emissarius*, *ut qui emittatur in desertum. Hoc enim ipsum denotant quæ se*„ *quuntur :* Et assumet hircus super se iniquita„ tes ipsorum in desertum. *Symmachus porrò Emissarium interpretatur*, *In Hircum ascendentem ita ut emittatur in emissionem. Aquila autem*, *In Hircum qui dimittitur in solitudinem. Non igitur Deo cuipiam aut Dæmoni mittebatur : sed ambo quidem offerebantur Deo ; sed unus mactabatur*, *alter autem assumptis peccatis populi in solitudinem emittebatur.*

Hircum ipsum Emissarium dici, & nomen ἀποπομπαῖον in malo non esse accipiendum, sed sensum allegoricum illius ritûs amplectendum, *S. Augustinus*, confirmat *Quæstione* 55. in Levit. *De duobus Hircis*, inquit, *uno immolando*, *& alio in desertum dimittendo*, *quem ἀποπομπαῖον vocant*, *solet esse disceptatio : & a quibusdam ille immolandus in bono accipitur*, *ille autem dimittendus in malo. Non tamen iste sensus ideo confirmandus est*, *quia homo*, *in cujus manu in eremum Hircus dimittitur*, *cùm redierit*, *lavare jussus est vestimenta sua & corpus suum aquâ*, *& sic ingredi in castra*, *tanquam & hoc sit indicium cur in malo sit ille Hircus accipiendus a cujus contagione homo abluendus est. Sic enim dicit abluendum & qui alterius Hirci vitulique acceperit carnes*, *& extra castra combusserit ; quia ita de illo & de vitulo fieri jubet*, *de quorum immolatorum sanguine fit adspersio*, *& sunt pro peccatis : Ac per hoc non negligenter istorum duorum Hircorum distinctio in allegoricâ significatione tractanda est*.

Huic sententiæ, quæ *Azazel* de Hirco ipso Emissario interpretatur, calculum suum adjiciunt R. Kimchius, aliique Hebræi, qui vocem illam conflatam esse censent ex *Ez caper* & *Azaal*, *abiit*. A verbo Arabico *Azala*, quod *separare* & *recedere* est, formatum ab Arâbibus *Azâzil*, quod χωρισμὸς vel ἀναχωρησις *separationes*, aut *recessus*, & secessus significaverit *:* & ex *Azâzil* Hebræos mutuatos suum *Azazel*, & eodem sensu usurpare, conjicit *Bochartus*. Ita Hircorum unus rectè dicitur Domino fuisse servatus, nempe ut illi mactaretur & offerretur pro peccatis Populi, alter servatur ad *Azazel*, πρὸς ἀναχωρήσεως, ut in locum Deserti, remotum & separatum deduceretur.

Cur autem Hircus vivus, cujus capiti Sacerdos totius Populi peccata imprecabatur, in Desertum emitteretur, quærunt Viri Eruditi. *Spencerus* consequenter ad immanem illam & impiam opinionem, quâ Hircum ad Diabolum ablegatum fuisse contendit, *Azazelis* nomine significatum; hujus instituti rationem præcipuam fuisse asserit, quòd *Mosis* ætate Desertum Diaboli sedes & habitaculum „ penè proprium habebatur. Prisci autem ævi „ more receptum erat, inquit, ut quodvis animal „ Numini alicui devotum vel destinatum, ad Nu„ minis illius fines aut sedes amandaretur. Huic conjecturæ coloris aliquid allinit *Macrobii* testimonium Lib. 3. *Saturnalium* Cap. 7. *Veteres*, inquit, *nullum Animal sacrum in finibus suis esse patiebantur*, *sed abigebant ad fines Deorum quibus esset sacrum. Animas verò sacratorum hominum Diis debitas æstimabant. Quemadmodum igitur quod sacrum erat*, *& ad Deos ipsos mitti non poterat*, *a se tamen dimittere non dubitabant ; sic Animas*, *quas sacras in cælum mitti posse arbitrati sunt*, *viduatas corpore quàm primùm illò ire voluerunt*. „ Mori huic, aut saltem rationi consentaneum „ erat, ut Hircus Deo & Altari ejus sorte desti„ natus, ad illius quasi fines, Altare & Sanctua„ rium afferretur; Hircus autem Diabolo devo„ tus & separatus, extra cœtus Israëlis, ad fines „ quasi Diaboli, locos nempe desertos & ἀβάτους „ abigeretur (inquit *Spencerus*.)

Cur Hircus in Desertum emitteretur?

Alteram hujus ritûs rationem afferunt *Bochartus* Libro 2. *Hierozoici*, Cap. 59. *Marshamus* in Canone Chronico pag. 207. & sequentibus, & *Spencerus* loco laudato Cap. 4. Quòd mos ille Gentibus antiquioribus inolevisset, ut Animalia Deo alicui sacra & devota liberè & sine custode in campos emitterentur, & Deum hac in re se ipsum mori passim recepto accommodasse. At hunc morem apud Gentes profanas antiquiorem fuisse Lege Mosaicâ haud certum est. Auctores quidem Græci & Latini moris istius fidem faciunt. *Athenæus* Libro 7. Cap. 7. *Sacrum piscem*, *ut & sacrum bovem*, *dimissione consecratum* refert. De bove Jovi Sacro ait: *Bos dimissione Jovi sacratus*, *est Milesiorum Festum*. Epimenides, teste *Diogene Laertio* in ejus vitâ, *Athenas a peste liberaturus*, *ovès nigras albasque adduxit in Areopagum; & inde*, *quòcumque vellent discedere permisit.* De Templo Hierapolitano loquens *Lucianus* Libro *De Deâ Syriâ*, ait : *In atrio boves magni liberi pascuntur*, *& equi*, *& aquilæ*, *& ursi*, *& leones : Neque homines lædunt*, *sed sunt omnes & sacri & mansueti*. Superstitionem eamdem apud Indos viguisse testis est *Plutarchus* in *Luculli* Vitâ *: Boves*, inquit, *Dianæ Persicæ* (*quam maximè colunt*) *sacratæ pascuntur: His ad victimam solùm utuntur; de cætero per regionem vagantur liberæ*, *facem ferentes*, *insignia Deæ*. Græcos id in more habuisse confirmat *Eustathius* in Odyssæâ μ. *Integra*, inquit, *mitium animalium armenta Græci Dæmonibus separabant*, *e quibus aliquem tangere*, *nefas habitum. Inter ea & volucres sacrabant*, *Diis dimittentes*, *pavones scilicet & anseres*, *& hujusmodi alias in Historiâ memoratas*. Ad Romanos quoque morem illum manasse, testis est *Suetonius* in *Julio Cæsare*, ubi memorat equorum greges, *Quos in trajiciendo Rubicone flumine consecraverat*, *ac vagos & sine custode dimiserat*.

Arabes, cùm sub vero Ethnicismo viverent, antequàm scilicet *Mahometi* nomen dedissent, quædam jumenta & pecora, putà camelos feminas, boves, & capras Diis suis sic devovebant, ut referunt *Bochartus* & *Pocockius ;* & pecudem ita devotam *auribus fissis relinquebant*, *ut liberè pasceretur. Et ipsis interdicta caro ejus lac ejus*, *& equitatio ejus*. Ad hunc morem al-

lu-

ludit *Synesius* Epistolâ 57. scribens: *In mundo bonâ cum spe vivebam, ut in sacro septo solutum animal.* Sed hujusmodi Auctores *Mose*, tot sæculis recentiores, fidem (ut dixi) non faciunt morem illum Animalia in Numinis alicujus honorem dimittendi, Legem Mosaicam, antiquitate superare. Longè verisimilius est ex Hirci Ἀποπομπαῖς, & Passeris vivi dimissione in Sacrificiis Dei Israël morem illum ad Gentes manasse, Diaboli suggestione, qui Deum æmulatus, ejus cultum sibi arrogare, interpolare, & ritus in ejus Sacris solemnes, ac Lege illius institutos, usurpare, & ad sacra sua profana, seu superstitiosum falsorum Numinum cultum traducere modis omnibus studuit.

Hunc Hircum in Desertum emissum, quòd Christi figura esset extra Civitatem pro peccatis nostris pulsi, sed tamen secundùm Divinitatem a Passione & morte liberi, & secundùm humanitatem ipsam a morte redivivi; cujus mortis & resurrectionis fructus ad Ecclesiam ex Gentibus nomine Deserti significatis collectam potissimùm pervenit, lubentiùs cum *S. Cyrillo* asserimus Libro 9. contra Julianum Apostatam. *Descriptus est*, inquit, *per utrumque Hircum Christus unus, & moriens pro nobis secundùm carnem, & mortem superans secundùm Divinitatis naturam. Emittebatur autem in Desertum, quâ solitudine & inculto solo designatur Gentium sterilitas. Hanc quippe ab ipsis Prophetis reperiemus ita quoque nominatam (Isai. 54.)* Plures filii desertæ quàm habentis virum. *Multò plures enim fuerunt qui crediderunt ex Gentibus, quàm qui ex Synagogâ Judæorum.* Dimissionem Hirci in Desertum Christi libertatem a mortis vinculis & imperio significasse *Theodoretus* etiam observat Quæstione 20. in Numeros: Ideoque *Davidem* Psalmo 67. 8. Christi Domini Passionem, Resurrectionem, & ad Cœlos Ascensionem his verbis prædixisse: *Deus cùm egredereris in conspectu Populi tui, dum transires per Desertum, terra commota est: Etenim cœli distillaverunt.* Atque inquit Theodoretus, *Dum Christus crucifigeretur, novimus terram esse commotam, & petras confractas. Cœlum autem per Solis obtenebrationem declaravit impietatis excessum. Desertum verò mortis erat figura. Ob id enim dixit: Dum transires per Desertum.*

Si cui tamen placeat, Hircum Ἀποπομπαῖον emissum fuisse in Desertum, & in terram abscissam & invisam, quia Desertum Dæmonum habitaculum censebatur, huic rationi non refragabor, modò cum *Spencero* non asserat, illum Diabolo devotum & separatum, ad Diabolum ablegatum, Satanæ traditum; sed ut habitatio Dæmonum Populo Dei odiosa esset, ut peccatores & peccata ad partem Diaboli pertinere hoc ritu Deus significaret; ut Idololatriam sugillaret; ut peccatorum desertionem a Deo exprimeret; ut Populi peccata, quibus Hircus ille velut onustus in terram tam remotam deducebatur, & emittebatur, velut in terram oblivionis perferri indicaret, &
1 Pet. 2. 24. multò magis Christum, cujus Hircus Ἀποπομπαῖος typus erat, longè fecisse a nobis omnes iniquita-
1. Joan. 3. 5. tes nostras, & *peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus*: Illumque apparuisse, ut *peccata nostra tolleret*: Has rationes *Guillelmo Parisiensi* erudito juxta & pio Episcopo debemus, Libro *De Legibus*, Cap. 9. *De Hirco verò Emissario*, inquit, *quare in Desertum emitteretur, hæ causæ nobis juxta literam videntur. Prima, quia Dæmones in Desertis habitare videbantur, & adhuc a multis creduntur: voluit Deus Populo suo habitationem Dæmonum reddere horrendam & abominabilem: & propter hoc Hircum immunditias peccatorum portantem illuc emitti. Voluit etiam loca habitationis Dæmonum, loca esse immunditiarum, & peccatorum, ut longè inde faceret filios Israël: Quasi diceretur hirco; Illuc vade, illuc porta immunditias peccatorum, ubi priùs locus est earum. Voluit etiam in hoc eis ostendere, quod peccatores & peccata pars Dæmonum sunt, juxta illud* (Psalm. 62.) *Partes vulpium erunt.... Sciendum est autem ritum hunc Idololatriæ valdè fuisse contrarium, & Dæmonibus inimicum, qui nullum animal sibi offerri volebant absque effusione sanguinis, aut combustione, aut aliquâ læsione. In hoc igitur ritu, quo praeceptum est emitti Hircum integrum, aliquantùm elongavit eos ab Idololatriâ. Voluit etiam eodem ritu ostendere, non esse locum peccatis nisi desertum, ut ex hoc agnosceret Populus Israël, & non esse admittenda peccata in castris Populi Dei; & ipsa peccata causas esse, quare ipsa loca populosa aut culta per iram Dei deserta fierent. Oratio verò, quæ fundebatur super Hircum, hujusmodi fuisse videtur. Sicut tu ejiceris, & longè fis a Populo isto, ita fiat de peccatis eorum: Vel, sicut tu liber & sanus & immunis & a morte & læsione evadis vel emitteris: Ita liber & immunis fiat Populus iste a peccatis.... Et hoc erat dicere, Imputet Sacerdos capiti capri emissarii peccata Populi, ut sicut tu in figurâ & significatione super caput tuum portas peccata Populi, & exportas longè seorsum ab illo: Ita faciat Deus in veritate peccata seorsum longè a Populo suo: & revera fiebat ita, non quidem ex virtute quam haberet alteruter Hircorum, sed omnipotentissimâ misericordiâ Dei.... Ne obliviscaris autem quia Deserta omnia volebat Deus iis immunda & abominabilia reddere per Hircum emissarium, quia Malefici & Idololatræ Deserta propter hoc maximè frequentabant, ut audirent ibi responsa Dæmonum, eisque ibidem immolarent, sicut & adhuc multi faciunt. Unde quidam Magus in Libro suo de Magicis dicit, Se transiisse causâ philosophandi ad loca destituta omni habitatore, habitasseque ibi cum inhabitantibus lucem sex lustris annorum, & ab iisdem didicisse, quæ in eodem Libro scripsit. Tum etiam propter Faunos & Satyros, qui in specie Hircorum frequenter ibi hominibus illudebant, & adhuc illudere non cessant. Voluit etiam insinuare Deus in Hirco emissario, ut quemadmodum Hircus emissarius absque custode relinquebatur in Deserto, expositus bestiis Deserti ad devorandum propter peccata, quæ in figurâ portabat; Sic populus gravatus peccatis, a Deo custode ac defensore suo derelictus, bestiis malorum Regnorum, seu Principum inimicarum Nationum, quasi quibusdam bestiis diripiendus ac dilacerandus exponendus esset. Et in hoc prudenter eos admonebat, ut declinarent immunditias peccatorum, si Deum habere vellent custodem ac defensorem, juxta illud Deuteronomii 32.* Dentes bestiarum immittam in eos: *Et quod alter cremabatur, alter verò in desertum mittebatur, insinuabat quia peccatorum quædam fuganda erant & longè facienda a Populo, videlicet contagiosa, maximèque declinanda: Quædam verò consumenda & conterenda, vindictâ, pœnitentiâ, sacrificio.*

Hirci Ἀποπομπαίου Ritum ab expiatoriis Ægyptiorum, aliarumve Gentium Sacris originem duxisse, absit ut cum *Marshamo* & *Spencero* asseramus. Nota sunt quæ de *Diis Averruncis*, Græcè Ἀποπομπαίοις, sive malorum depulsoribus Gentiles fabulati sunt. Nota quæ *Zoroastres* Magus, & Persæ de *Oromaze Deo Lucido*, & *Arcimanio Tenebricoso* finxere. Nota quæ Chaldæi de Planetis Diis beneficis & maleficis; quæ Græci de bonis & malis Geniis, de bonâ sorte *Jovis Olympii*, & malâ *Ditis Averrunci* delirarunt. Notum illud *Horatii* de *Apolline*, malorum (ut credebant) depulsore: *Lib. 1. Od. 21.*

*An Hirci Emissarii Ritus ab Expiatoriis Gentium Sacris originem duxerit.*

*Hic*

——— *Hic miseram famem,*
*Pestemque a Populo & Principe Casare,*
*In Persas atque Britannos*
*Vestrâ motus aget prece.*

Nota quæ de Principiis contrariis, seu Diis aliis quidem bonorum, aliis malorum auctoribus Ethnici commenti sunt: Quo de errore *Plutarchus* Libro *De Iside* & *Osiride* hæc scribit: *Vetustissima proinde a sacrarum Professoribus rerum, & Legum latoribus derivata est opinio, Auctore incognito, fide firmâ & indelebili, non in sermonibus ea tantùm & rumoribus, sed & in mysteriis ac sacrificiis tam Barbaris, quàm Gracanicis exstans: Neque casu ferri & a fortunâ pendere hoc Universum, mente, ratione, ac gubernatore destitutum: Neque unicam esse rationem, qua contineat id & dirigat, tanquam clavum aut frana moderans: Sed cùm permulta e bonis juxta malisque sint confusa, immò nihil hac natura sincerum (ut verbo dicam) proferat: Non esse unum aliquem Promum qui e duobus doliis vel nobis veluti aliquem liquorem cauponis in morem distribuat, atque misceat. Ergo a duobus Principiis contrariis, adversisque duabus facultatibus, quarum altera ad dextram & rectà ducat, altera retrorsum avertatur atque reflectat, cùm vitam esse mixtam, tum ipsum Mundum [si non universum, eum certè qui ad terram est, & Lunæ subjacet,] inaqualiter ferri, variisque & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absque causâ fit, & mali causam bonum non prabet: necesse est in naturâ ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem suumque principium extare. Atque hac quidem Sententia plerisque & iisdem sapientissimis probatur. Existimant enim alii duos esse Deos, quasi contrariis debitos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat. Alii eum qui est melior, Deum: Qui deterior, Dæmonem dicunt. In quâ Sententiâ fuit Zoroastres Magus. Is melioris n men Oromazan, pejoris Areimanium perhibuit: Illum maximè similem esse Luci, hunc Tenebris & ignorationi ..... Docuitque votivas & pro gratiis agendis oblatas victimas illi immolandas; huic averruncandi mali causâ institutas & tetricas. Herbam enim quamdam Omomi appellatam, in mortario tundentes, Ditem invocant & tenebras: Tum admixto lupi jugulati sanguine offerunt & abjiciunt in locum quò Solis radii non pertingunt.... Chaldai Planetas Deos faciunt, quorum duos beneficos, totidem maleficos, reliquos tres medios affirmant & promiscuos. Gracorum opinio nemini ferè ignota est, quâ bonam partem Jovi Olympio, malam Diti Averrunco adsignant.* Hujusmodi commenta ex Ægyptiorum Theologiâ ortum habuere, qui *Osiridem* bonum esse Genium, *Typhonem* malum crediderunt. Fateor hunc errorem apud Ethnicos longè latèque pervagatum fuisse, ut testatur *Arnobius* Libro 7. adversùs Gentes. *Nam quod dici a vobis accipimus*, inquit, *esse quosdam ex Diis bonos, alios autem malos, & ad nocendi libidinem promptiores: Illisque ut prosint, his verò ut noceant, Sacrorum solemnia ministrari: Quanam istud ratione dicitur, intelligere confitemur non posse.*

Verùm inde perperam colligitur sacrum Expiationis Judaicæ Ritum, & duorum Hircorum piacularium oblationem, alteriusque Ἀποπομπαίου, in desertum emissionem, ab Ægyptiorum, aliarumve Gentium expiatoriis Sacris originem duxisse, aut Deum ex victimis, quas Diis Averruncis Ethnici devovebant, & Ægyptii *Typhoni*, occasionem sumpsisse instituendi oblationem piacularem duplicis Hirci. Nam errorem illum de Diis Averruncis, ac superstitiosum ipsos placandi Ritum, errorem de duobus Principiis contrariis, *Osiridis* & *Typhonis* Sacra, *Moyse* fuisse antiquiora, nec ex *Arnobii*, nec *Horatii*, aut *Plutarchi* testimonio probatur. Verisimilius est, quòd Viri Eruditi demonstrarunt, Typhonem esse *Moysen* ipsum personatum; & Ægyptiorum, aliarumque Gentium profanarum Theologiam, ac Ritus ex Mosaicis Libris, Hebræorumque cæremoniis, Diaboli cacozeliâ seu pravâ æmulatione adulteratis maximam partem ortum habuisse. Id animadvertit *Bochartus*, quem *Marshamo* & *Spencero* oppono. Is enim Libro 2. *Hierozoici*, Cap. 54. de ritu impositionis manuum super caput Hirci emissarii sermonem faciens, ait: Hoc ritu iram Dei „ peccator deprecabatur, eamque immitti pete„ bat in illius victimæ caput, quam suo loco po„ nebat. Proinde hic Summus Pontifex solemni „ Expiationis festo, totius Ecclesiæ personam su„ stinens, jubetur, utrâque manu in Hirci caput „ impositâ, Israëlitarum omnia peccata confite„ ri, eoque ipso Hircum devovere, ut quicquid „ pœnarum in Populum propter admissa peccata „ impenderet, in illum converteretur. NEQUE DUBIUM QUIN INDE APUD ÆGYPTIOS MANAVERIT SIMILIS RITUS. De iis enim sic *Herodotus* Libri 2. Cap. 39. *Execrantur autem* (victimarum) *capita in hac verba, ut si quid mali aut ipsis immolantibus, aut toti Ægypto futurum sit, id in hoc caput convertatur.* Addit, Per Ægyptum universam idem fieri circa capita pecudum „ immolandarum: Et inde esse quòd nemo Æ„ gyptiorum de ullius animantis capite gustat. Ibidem observat *Bochartus*, videri Græcos ad hunc Hirci Emissarii ritum allusisse, cùm ad capras sylvestres imminentia mala amandabant. Hinc illud Adagium: Κατ' αἶγας ἀγρίας *In capras feras.* Ut enim notat Erasmus, *Abominantis est sermo, & malum deprecantis, inque sylvestres capras avertentis:* Quod etiam probat ex *Athenai* loco. Id confirmat Hesychius: *In capras agrestes*, inquit, *Proverbium, quo morbi, & maximè comitialis, converti dicuntur in capras agrestes.* Et *Suidas* usurpari dicit, *per execrationem in feras capras mala convertere.* Hinc *Palamedem*, cùm luporum incursibus, & peste Græcia vexaretur, *Ulyssi* consilium dedisse in hæc verba; *Supplicemus Apollini, Lycio & Phyxio, ut has quidem feras suis ipsius tollat sagittis, pestem verò in capras vertat;* refert *Philostratus* in *Heroicis*.

Si tamen quis id unum contendat, Deum ad exterminandum errorem de duobus Principiis, aut de Diis Averruncis, (si fortè tunc vel apud Ægyptios, vel apud alias Gentes invaluerat) vel quem disseminandum a Diabolo prænoscebat, etiam instituisse ut duplex Hircus sibi ut soli Deo vero, unique bonorum auctori ac malorum depulsori omnipotentissimo, in atrio Tabernaculi offerretur, me omnino repugnantem non habebit. Alia enim ad Gentium errores confutandos & superstitiosos ritus averruncandos in Lege & Prophetis scripta sunt. Quò pertinet illud *Jeremiæ* de Numinibus & Idolis Ethnicorum loquentis, Cap. 10. 4. *Nolite ergo timere ea, quia nec malè possunt facere, nec benè.* Quem locum *S. Hieronymus* hoc illustrat Commentario. *Solent enim*, inquit, *plerique Gentilium Dæmones colere, ne noceant, & alios exorare, ut præstent beneficia. Unde & illud Virgilianum est:*

*Nigram Hyemi pecudem, Zephyris fœlicibus albam.*

Errorem itaque Gentium, & Hæreticorum de duobus Principiis contrariis, antequàm orirentur, a Spiritu Sancto, in Scripturâ Sacrâ damnatum, duplicis Hirci piacularis oblatione uni vero Deo & bonorum Auctori, & pœnas hominibus ob peccata irroganti, & mala ob eorum pœnitentiam ab illorum capitibus misericorditer avertenti, etiam convictum lubens fateor; sed id *Marshami* & *Spenceri* hypothesim non juvat.

## ARTICULUS V.

*De Legibus Caremonialibus Veteris Legis Observantias spectantibus.*

OBservantiarum Cęremonialium congruas rationes afferri posse, sive ex divino cultu, cui speciatim consecratus erat Israëliticus Populus, sive ex spiritalium rerum ad vitam Christianam pertinentium significatione repetitas, docet *S. Thomas Primâ Secunda, Quæstione 102. Articulo 6.* Harum observantiarum aliquæ solos Sacerdotes, aliæ Populum universum spectabant.

### §. I.

*De Legalibus Observantiis Sacerdotes spectantibus; quoad Matrimonia præsertim & Funera.*

*Quæ Sacerdotibus in uxorum delectu observanda?*

I. SAcerdotibus in uxorum delectu id ex Lege observandum necessariò fuit, ut meretricem, vel repudiatam a viro suo non ducerent, sed virginem. Levitici 21. 7. 13. 14. 15. *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito: Quia consecrati sunt Deo suo, & Panes Propositionis offerunt .... Pontifex Virginem ducet uxorem: Viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de Populo suo: Ne commisceat stirpem generis sui vulgo Gentis suæ: Quia ego Dominus qui sanctifico eum.* Hujus observantiæ Lex a Deo lata est, inquit S. Thomas, *tum propter reverentiam Sacerdotum, quorum dignitas quodammodo ex tali conjugio diminui videretur: Tum etiam propter filios, quibus esset ad ignominiam turpitudo matris: Quod maximè tunc erat vitandum, quando Sacerdotii dignitas secundùm successionem generis conferebatur.* Id etiam significabat magnum illud Sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ Virgine, & cum animabus sanctis, de quâ Apostolus 2. ad Corinthios 11. 2. *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Hanc Legis istius rationem reddit *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 12. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, p.434. *Fœminam quoque*, inquit, *sibi Virginem ad connubii societatem jungere debere, apertè testatur: Ejectam verò ad connubium ineptam esse decernit. Eaque figura est Judæorum Synagoga; nam ab ejus conjunctione illa repulsa est, de quâ per Prophetæ vocem dicit,* Quia ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus. *Despondit autem Paulus Christo Ecclesiam ex Gentibus castam, macula & rugarum expertem, imò verò sanctam & immaculatam. Atque hac quidem ratione tum de Ecclesiâ ex Gentibus collectâ, tum verò de Matre Judæorum verum esse hoc ænigma comprobatur: Neque ea figura parum elegans est. Sed si cui placeat propriè ad unumquemque Hominem harum sententiarum vim accommodare, dicimus Christum cum profanis atque impiis animis non posse conjungi, sed cum castissimis atque purissimis tanquam cum Virginibus versari spiritualiter, easque fœcundas reddere, ac sibi genere junctas appellare.* Quicumque enim, *inquit*, fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, & soror & mater est.

*Osee 2.*

*Matth. 7.*

Legem Mosaicam de Sacerdotum connubiis in Jus Atticum suum Athenienses transfudisse, colligitur ex *Demosthene*, qui in *Nearam* declamans, post *Thesei* tempora Regem ab Atheniensibus factum ait Sacrorum causâ tantùm, additque: *Eum quidem Regem Populus suffragiis eligebat ex virtute præstantibus. Regem autem fecere ut uxor ejus civis esset, nec alteri viro cognita, sed quæ virgo nupsisset.*

*Sacerdotum & Pontificis abstinentia ab exequiis & luctu funebri.*

II. Lex Sacerdotibus vetuit ne mortui alicujus exequiis interessent, nisi genere conjunctissimorum; Pontifici verò seu Sacerdoti Maximo, ut ab omni prorsus luctu funebri, etiam patris vel matris abstineret. Iis denique prohibuit rasuram capitis, aut barbæ, vel incisiones carnis in luctus funebris testimonium. Ratio literalis Legis istius est, Prima, ne Sacerdotes Pollutione funebri sacris functionibus ineptos se redderent, & Sacra negligerent, vel manibus impuris tractarent, sicque Dei nomen polluere viderentur. Secunda, ut Sacerdotes majorem reverentiam apud Populum obtinerent, dum non minùs moribus quàm dignitate ab eo separati viderentur, Levitici 21. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Dixit quoque Dominus ad Moysem: Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantùm in consanguineis ac propinquis, id est, super patre & matre, & filio & filiâ, fratre quoque & sorore virgine, quæ non est nupta viro: Sed nec in Principe Populi sui contaminabitur. Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo Sancti erunt.* 5. 10. 11. 12. *Pontifex, id est, Sacerdos Maximus inter fratres suos, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre quoque suo & matre non contaminabitur. Nec egredietur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus.* Tertia ratio hujus Legis fuit νεκρολατρείας extirpatio. *Malefici, & Sacerdotes Idolorum*, ( inquit S. Thomas, ) *utebantur in suis ritibus ossibus vel carnibus hominum mortuorum, & ideo ad extirpandum Idololatriæ cultum præcepit Dominus, ut Sacerdotes minores, qui per tempora certa ministrabant in Sanctuario, non inquinarentur in mortibus nisi valde propinquorum, scilicet patris & matris, & hujusmodi conjunctarum personarum. Pontifex autem semper debebat esse paratus ad Ministerium Sanctuarii: & ideo totaliter prohibitus erat ei accessus ad mortuos, quantumcumque propinquos.* Ob eamdem rationem ipsis vetitum est ne capita, aut barbam raderent, vel carnes inciderent, quia ritus illi in testimonium luctus primùm usurpati, in religionem tandem abierunt, & cultùs Mortuis præstiti pars magna facti sunt. Hinc *Lucianus* De Sacerdotibus *Deæ Syriæ* devotis agens, ait, *Capita detondent, quemadmodum Ægyptii, quando apud ipsos mortuus est Apis.* Hinc illud *Plutarchi* in *Iside* loquentis de Sacrificulis Ægypti: *Eorum capita in luctus testimonium radi solita.* Id confirmatur ex *Baruch* 6. 30. ubi de Babyloniis & eorum Idolis verba faciens, ait: *In domibus eorum Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos suos, sicut in cœnâ Mortui.* Adde illam *S.Thomæ* observationem Primâ Secundę Quæstione 102. Articulo 6. ad undecimum. *Præceptum etiam erat eis*, inquit, *ut non raderent caput, nec barbam, nec in carnibus suis facerent incisuram, ad removendum Idololatriæ ritum. Nam Sacerdotes Gentilium radebant caput & barbam. Unde dicitur Baruch sexto;* Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam. *Et etiam in cultu Idolorum incidebant se cultris & lanceolis, ut dicitur 3. Regum*

gum 18. *Unde contraria præcepta sunt Sacerdotibus Veteris Legis*. Hanc Legem qua rasura capitis & barbæ Sacerdotibus prohibetur, paulò magis explicatam repetit *Ezechiel* Propheta, Cap. 44. 20. *Caput autem suum non radent*, inquit, *neque comam nutrient; sed tondentes attondent capita sua*. Sacrorum Ministris ex æquo vetitum fuisse patet ne caput ad vivam cutem aut calvitiem raderent, & ne comam promissam & incultam gererent. Rasa enim & promissa vel neglecta cæsaries, luctûs funebris index erat: & Idolorum Sacerdotes alibi comati, alibi rasi incedebant, ut constat ex *Herodoto* Lib. 2. Cap. 36. *Deorum Sacerdotes*, inquit, *alibi comati sunt, in Ægypto derasi. Apud alios ritus est, statim in funere proximi capita deglabrare: Ægyptii in funeribus sinunt capitis crines augescere, barbam tamen tondent*. Vestem lineam, & *rasuram* Sacerdotum *Isidis* insignia fuisse testatur *Plutarchus* in *Iside*. Hinc *Grex calvus* a *Juvenali* appellantur. Denique *S. Hieronymus* Commentario in *Ezechielis* Cap. 44. scribit: *Quod sequitur*: Caput suum non radent, neque comam nutrient, *perspicuè demonstrat, nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes cultoresque Isidis & Serapidis, non esse debere: Nec rursus comam dimittere, quod propriè luxuriosorum est, barbarorum, & militantium: sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur*.

III. Hujus observantiæ Sacerdotalis circa funera, funebresque ritus, typicas rationes affert *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 12. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, P. 450. Nec tamen literales omittit. Sacerdotes vitæ innocentiâ & puritate a vulgo secretos prorsus esse debere, nec peccatorem Populum sequi, aut consensu suo, vel conniventiâ, criminum alienorum participes esse, sed flagitiosorum hominum societatem vitare debere, quantùm possent, ne illorum consortio contaminarentur, ea Lex significabat. Secundò, Sacerdotum Aaronicorum Sacrificia typi erant Sacrificii Christi, quo mors dissolvenda erat: Quamobrem indignum erat eorum Ministerio, ut in civium suorum, aut propinquorum funeribus lugerent; nisi patris & matris, filiorum, fratris, & sororis virginis, quod ipsis indulsit Supremus Legislator, ne omnem humanitatis sensum exuisse, & pietatem parentibus debitam abjecisse viderentur. Quia verò Summus Sacerdos typus erat Christi, qui vita est, cui vivunt omnia, & in quo nec umbra est peccati, Summum Sacerdotum ab omni prorsus funere abesse Deus voluit, nec patris etiam vel matris exequiis interesse, vel eos more populari lugere. *S. Cyrillum* eâ de re differentem audiamus. *Maculam quidem*, inquit, *homini nullam prorsus mors alterius hominis affert, si veram rationem exquiras; sed mors tamen corporis figura est illius mortis intima, cùm animæ intereunt; quâ inquinari eum necesse est, qui vel voluntatis conjunctione, vel factorum similitudine propinquus fuerit. A mortuis enim operibus abscedere, & quàm longissimè disjunctos esse sanctorum hominum dignitas postulat; expeditque cum illis minimè congredi qui ejusmodi morbis affecti sunt. Scriptum est enim*: Qui tangit picem inquinabitur. *Perfacile enim aliquid de* Ecclesiast. 13. 1. *alterius vitio trahet qui illius conjunctionem vitare noluerit. Dat tamen sanctificatis hominibus licentiam Lex; ut in patre ac matre, liberis quoque ac fratribus, & iis qui se proximè contingunt, sine culpâ contaminentur, ad inanima cadavera propius accedentes, in quo naturę veneratione, criminum eorum, quę in figurâ erant, minimam rationem habuit, ne qui Dei intimi familiares essent, duri & superbi & inhumani viderentur; cùm præ-* „ *sertim Lex disertè præcipiat*, Honora patrem „ tuum, & matrem tuam, ut bene sit tibi. *Alio quoque modo ac ratione sanctificatis hominibus interdictum esse luctum discimus: Nam quia Vitæ sacri Administri erant, & ad mortem dissolvendam Deo Sacrificia offerebant, [mortis namque dissolutio est Christi mors, ovibus ac bobus figurata] quî consequens fuisset ut luxu ex morte suscepto premerentur?... Permisit itaque Lex, ut sanctificati homines ad eos, qui summâ cognationis necessitudine eum ipsis juncti essent mortuos accederent. Sed huic rei modum imponit, neque redundantiâ officii id violari sinit, quod illos maximè decet, ne Augustus ille Sacerdotii honos minuatur, prohibet enim ad aliorum hominum similitudinem tondere caput, & ad oris dedecus barbam radere, & nefaria illa Gentilis insania facinora illa (inquam) corporis incisiones, ut ne in mentem quidem veniant præcipit. Nam propinquis quidem jungi communione doloris, nihil absurdi est; sed se prorsus inhonestè gerere, deforme & non mediocris* 1. Cor. 14. *insaniæ*. Omnia enim, *inquit*, honestè & secun- „ dum ordinem fiant. *Quin etiam Dei honorem ipsorum quoque parentum obsequio præferendum putare*, Matth. 10. „ *ipse Salvator jussit his verbis*: Qui amat patrem „ aut matrem plusquam me, non est me dignus.

Et infra, idem *S. Cyrillus* Legem Summo Sacerdoti circa funera impositam hunc in modum explicat. *Vides evidenter ut in figuris adhuc ipsum Emmanuelem etiam Christum, in Aaron appellatum: Unctus est enim Spiritu, ut Scripturæ tradunt, cùm ipse perfectissimus esset Sacerdos; ob eamque caussam Sacerdotii gloriam ejusmodi haberet ut a-* „ *mittere non posset*. Neque enim, *inquit*, po- „ net de capite suo cidarim *id est*, *habitum sacerdotalem non amittet: Dictum est namque illi* „ *omnium Salvatori ac Liberatori*, Tu es Sacer- Ps. 109. „ dos in æternum secundum ordinem Melchi- Hebr. 7. „ sedech. Et illi quidem plures facti sunt Sacer- „ dotes eò quod morte prohiberentur permane- „ re; Hic autem eò quòd maneat in æternum, „ sempiternum habet Sacerdotium: Unde & sal- „ vare in perpetuum potest accedentes per ipsum „ ad Deum: *Ita enim scripsit beatus Paulus. Igitur hoc ipsum quod cidaris non ponebatur de capite, Sacerdotii dignitatem nunquam ab eo removendam significat. Sed ne vestes quidem scindet*, inquit: *Hoc quibusdam in mortuis facere moris est, id verò a Christo prorsus alienum; neque enim ullum ex morte dolorem pati Vita potest: Nihil enim prorsus illi mortuum est, sed ipsa est mortis dissolutio, & interitus eversio. Itaque ipse quondam Salvator objurgavit eos, qui Archisynagogi puellam de-* Matth. 9. *flebant*. Recedite, *inquit*, ne flete; non est enim Luc. 8. „ mortua puella, sed dormit. *Erat enim absurdum profectò lachrymas pro mortuâ puellâ profundere, cùm adesset omnium vita, Christus nempe. Quod si super Lazaro deflevit, ex benevolentiâ id factum dicimus, & divinæ fuisse benignitatis in nostris malis commiserationem: Ipsius enim natura mortis tyrannide violata misericordia permovebatur, suisque lacrymis eadem ab illa ærumnâ liberabatur..... Nullo verò modo esse in Christo profani aliquid, obliquè significatur, in eo quod dicitur, Recedendum esse Summo Sacerdoti a funere, neque eum ad ullum omnino mortuum accedere debere, posthabendamque hac in parte illam in patrem, & matrem, ac fratres observantiam. Vide autem quàm prudens fuerit ipsa Lex, quàmque aptum his sententiis decorum minimè parvipenderit: In aliis enim Sacerdotibus, naturæ verecundia commovebatur, permittebatque sanctificatis Sacerdotibus in mortuis qui summâ ipsis propinquitate atque cognatione juncti essent, sine ullâ criminis notâ consuetudinem sequi; & ne quid in umbram peccati admitteretur, non valde laborabat: Ea namque cul-*

*pæ describebantur quæ ad nos spectarent, figuraque illa ad homines pertinebat, quibus nihil mirum, si quid maculæ sit adjunctum:* In multis enim delinquimus omnes: *Naturaque ipsa in nobis delinquendi morbo laborat. At verò in Summo Sacerdote id est Christo servata est etiam in ipsâ figurâ, pura integraque Majestas, & illa in umbris ipsis quoque sinceritas, ut ne pulcritudo veritatis tanquam violata corrumperetur; Alienus est enim ab impuritate Christus, & peccati prorsus ignarus, & ab omni contaminatione remotus, imo verò splendoris atque puritatis cognitor, & in summâ sanctificatione positus.*

Jacob. 3.

Spiritualem rationem Legum illarum, de quibus agimus, affert etiam *S. Thomas* loco laudato. *Spiritualis*, inquit, *ratio horum est: Quia Sacerdotes omnino debent esse immunes ab operibus mortuis, quæ sunt opera peccati: Et etiam non debent radere caput, id est, deponere sapientiam; neque deponere barbam, id est, sapientiæ perfectionem: Neque etiam scindere vestimenta, aut incidere carnes: Ut scilicet vitium schismatis non incurrant.*

Observantia illa ad Gentes manavit. Sacerdos Cretensis apud *Euripidem* Ritus suos describens, ait: *Non attinges funereas res.* De Sacerdotibus Ægyptiis *Porphyrius* Lib. 2. *De Abstinentiâ* scribit: *Tum qui ibi sunt Sacerdotes & Aruspices præcipiunt eis abstinere a sepulcris, & hominibus profanis, & a Venere, & ab omni conspectu fœdo ac funebri.* Sic Flamen Dialis locum in quo bustum esset, nunquam ingrediebatur, mortuum nunquam attingebat, ut refert *A. Gellius* Libro 10. Cap. 15. *Moris Romani fuerat*, ut observat *Servius* ad 3. Æneidos, *Ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam Pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.* Testis est *Tacitus* Libro 1. Annalium, *Neque Imperatorem auguratu & vetustissimis ceremoniis præditum, attrectare feralia debuisse.*

---

## §. II.

*De Observantiis Populum universum spectantibus, & primò de Ciborum discrimine.*

OBservantiæ Populum universum spectantes, aliæ ciborum discrimen ac delectum; aliæ utriusque sexûs apparatum; aliæ heterogeneorum commixtionem vel conjunctionem, sive in feminibus, sive in animalibus, sive in vestibus spectabant.

Rationes Legalis discriminis ciborum expenduntur.

Lex de animalium discrimine & ciborum delectu lata est Levitici 11. *Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ: Omne quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus comedetis. Quicquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, sed non dividit eam, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis... Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari, quàm in fluminibus & stagnis, comedetis. Quicquid autem pinnulas & squamas non habet eorum quæ in aquis moventur & vivunt, abominabile vobis execrandumque erit, carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis*, &c. Varias istius observantię rationes Auctores Ecclesiastici proferunt. Quidam Deum hoc ciborum discrimen statuisse volunt, ut Populi sui valetudini prospiceret, dum animalia ex rebus immundis nutrita, ut porcum; vel fœtida, ut talpas & mures, aliaque sub terrâ degentia; aut venenosa, ut stellionem, lacertam, crocodilum; aut succum insalubrem præbentia, ob nimiam abundantiam humoris vel siccitatis, ab illis attingi prohibuit. Sic vetita sunt eis animalia ungulam continuam, non fissam habentia, ob terrenas quæ in iis abundant, qualitates; & carnes animalium habentium multas fissuras in pedibus, ob redundantiam bilis, & adustionem. Ob hanc rationem, leonis, & similium, atque etiam avium quarundam rapacium carnibus, Judæis interdictum est. Ob nimium verò humorem aves quædam aquaticæ, necnon pisces pinnulis & squamis destituti, ut anguillæ aliquæ hujusmodi, ipsis vetiti sunt. Animalia autem ruminantia, & ungulam findentia, munda & esui apta Deus pronuntiavit, necnon pisces pinnulis & squamis instructos, ob qualitatum temperiem, quæ succum efficit humano corpori salubrem & amicum. Hanc rationem calculo suo approbat *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 6. ad primum. Ipsi prævivit *Anastasius Sinaita* Quæstione 26. *Deus quidem*, inquit, *fecit omnia valde bona: At si ab hominum avaritiâ & intemperantiâ assumantur ad id, ad quod non sunt condita, jam non sunt bona: Cùm enim diu post promiscuè ad omnem esum ruerent, & cupiditatem vescendi eo, quod noxium erat, accenderent, necessariò induxit Dei providentia mundorum & immundorum discrimen. Nonnulla enim ex animantibus terrestribus & aquatilibus, quæ copiosius habent virus, omnino prohibuit.*

Alii Deum Optimum Maximum animalium & ciborum discrimen instituisse censet, *in detestationem Idololatriæ: Nam Gentiles, & præcipuè Ægyptii, inter quos Israëlitæ erant nutriti, hujusmodi animalia prohibita Idolis immolabant, vel eis ad maleficia utebantur. Animalia verò quæ eis sunt concessa ad esum, non comedebant, sed ea tanquam Deos colebant; vel propter aliam causam ab eis abstinebant.* Altera hæc ratio est *S. Thomæ* loco supra laudato, ab antiquis Patribus accepta. Ita quippe *Origenes* Libro 4. contra Celsum. *Unde hoc quoque si quid aliud in Mose admiratione dignum existimo, quòd consideratis animalium differentiis, sive divinitus doctus quid cognationis cum quibus Dæmonibus habeant singula animalia, sive suapte sapientiâ pervestigatis eorum ordinibus, omnia pronuntiavit impura, e quibus præsagia sumunt Ægyptii, cæterique homines: Reliqua verò, quæ non sunt hujus generis, pura ferè omnia: & in ordine impurorum censentur apud eum lupus, vulpes, draco, accipiter, aquila, & his similia.*

Ita *Theodoretus* Quæstione in Leviticum: *Nec ignoramus alia multa pro Diis habuisse Ægyptios, sed ex iis quæ pro Diis colebant, mansuetiora Sacrificiis addixisse: Reliqua verò appellavit immunda, ut hæc quidem execrati tanquam impura, in Deorum numero non ponerent: Illa verò ut quæ ipsi sacrificarent, pro Diis non haberent, sed eum solum adorarent, cui convenit hæc offerri.* Et Quæst. 11. *Cæterùm dum animalia terrena, volatilia atque aquatilia, bifariam partitus est, munda quædam, & alia nominans immunda, suadet nobis ne quicquam horum esse Deum putemus. Quo enim modo sana quisquam mentis Deum nuncuparit id, quod aut tanquam immundum odio aversatur, aut quod vero Deo oblatum tandem ipse comedit?*

*Ita S. Basilius Seleuciensis* Oratione 6. *Olim Hebræi Ægypto relictâ Idololatriæ graveolentiam usque adeò ferebant, ut debitum Dei cultum brutorum veneratione commacularent. Nam apud Ægyptios superstitionis insanitas pro lege obtinuit. Siquidem apud ipsos Ibis Deus Lege statuitur, & canis; & cum istis crocodilus ad Sacrificium offertur, & ovis adoratur. Neque Hebræorum gens ab hac ægritudine deduci potuit; ipsa solitudo ægritudinem notificavit. Vitulum enim, quod & in*

*Ægypto factum, in deserto loco adorabant, & Mare ipsorum gratiâ præter naturam scindebatur; cùm interim Populus ab impietate non rescinderetur: Sed morum progressu transfugiebat in Ægyptum: Hic sapientissimè Deus medicamentorum obicem opposuit malo, & brutorum animalium naturam discernens Edictis, quædam vocavit munda, quædam appellavit immunda: Ut hæc tamquam impura abominati, illa velut munda exedentes, per utraque superstitione abstinerent, evaderetque Legis Edictum animæ medicamentum. Fertque Deus creaturarum injuriam nomine tenùs, ut hominum morbum sanet, ut impediat Idololatriam, quæ usque ad animalia progreditur: & immundorum nomenclationem fert in creaturis, ut purum ab impietate custodiat hominum propositum. Hujusmodi igitur distinctionis causa opinione recepta est. Itaque propterea quod mundum editur, facilè evilescit; & quod immundum Lege dicitur, appellatio veneratione spoliat.*

Aliis visum est illud ciborum discrimen a Deo institutum, ut Israëlitarum intemperantiam coërceret, ac eos quibusdam abstinentiæ & temperantiæ rudimentis informaret. *Ita Tertullianus* Libro 2. *contra Marcionem*, Cap. 18. *Et si Lex*, inquit, *aliquid cibis detrahit, immunda pronunciat animalia, quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendę continentiæ intellige, & frenos impositos illi gulæ agnosce, quæ cùm panem ederet Angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce simul & comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum, quæ ferè ventris castigatione frigescunt. Manducaverat enim Populus, & biberat, & surrexerat ludere. Proinde ut & pecunię ardor restingueretur ex parte, quâ de victûs necessitate causatur, pretiosorum ciborum ambitio detracta est postremò, ut faciliùs homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis & non gloriosis escis assuefactus, & nihil de lautioribus esuriturus.*

Ita *Novatianus* Epistolâ *De Cibis Judaicis*, Cap. 4. *Accesserunt*, inquit, *& aliæ causæ, quibus multa a Judæis ciborum genera tollerentur: Quod ut fieret, immunda multa sunt dicta, non ut illa damnarentur, sed ut isti coërcerentur servituri uni Deo, quia ad hoc assumptos frugalitas decebat, & gulæ temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse vicina, immò (ut ita dixerim) consanguinea potiùs atque cognata; Sanctitati enim inimica luxuria est.... Ad coërcendam ergo intemperantiam Populi, remedia sunt ista quæsita, ut quantum luxuria demeretur, tantum bonis moribus adderetur. Nam quid aliud merebantur, quàm ut ne omnibus escarum voluptatibus uterentur, qui divinis Mannæ epulis vilissimos Ægyptiorum cibos præferre ausi sunt, carnes jurulentas inimicorum atque dominorum ante libertatem ponentes, digni sanè quos optata servitus saginaret, quibus malè displicuerit & melior, & liber cibus.*

Ita *S. Thomas* loco supra laudato: *Tertia ratio est*, inquit, *ad tollendam nimiam diligentiam circa cibaria: & ideo conceduntur illa animalia, quę de facili, & in promptu haberi possunt.*

Alii Deum ciborum discrimen instituisse docent, ut etiam inter edendum & bibendum Israëlitæ Dei meminissent, adeoque nunquam ex eorum animis Dei notio & memoria excideret. Ita *S. Justinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem*, sic in illius personâ Judæos alloquens: *Quin & a cibis quibusdam ut vos abstineretis, vobis mandavit, ut etiam inter edendum & bibendum vobis ob oculos versaretur Deus promptis admodum & proclivibus ad deficiendum a notione ejus.*

Alii Deum ciborum & animalium discrimen instituisse censent, & animalia quædam immunditiæ nomine a Judæorum mensis removisse, ut illâ observantiâ indicaret ipsos Gentem esse sanctam, Deoque Sancto in peculium separatam: Utque a profanis Gentibus discernerentur, iisque nec sanguine, nec religione, nec usu familiari jungerentur. Ratio ista ex ipsis Scripturæ Sacræ verbis petita, Levitici 11. 43. 44. 45. *Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. Ego enim sum Dominus Deus vester: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod movetur super terram. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de Terrâ Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego Sanctus sum.* Levit. 20. 24. 25. 26. *Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a cæteris populis. Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immundâ: Ne polluatis animas vestras in pecore, & avibus, & cunctis quæ moventur in terrâ, & quæ vobis ostendi esse polluta. Eritis mihi sancti, quia Sanctus sum ego Dominus, & separavi vos a cæteris Populis, ut essetis mihi.* Et Deuteron. 14. 2. 3. 20. 21. *Quoniam Populus sanctus es Domino Deo tuo; & te elegit ut sis ei in Populum peculiarem, de cunctis Gentibus quæ sunt super terram. Ne comedatis quæ immunda sunt.... Omne quod mundum est, comedite. Quicquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei: Quia tu Populus Sanctus Domini Dei tui es.* Id ex *Aristeâ* confirmatur: *Cernis*, inquit, *quid possint & efficiant conversatio & consuetudo, quòd homines ex conversatione improborum depraventur, & fiant miseri per totam vitam... Hoc diligenter contemplatus, utpote sapiens Legislator noster, ne per ullius impietatis communicationem inficeremur, neve conversatione improborum depravaremur, circumsepsit nos legali sanctitate & puritate cibi, potûs, tactûs, auditûs, & visûs.*

Alii discriminis ciborum a Deo instituti rationes typicas, symbolicas, allegoricas reddunt, asseruntque Deum animalia quædam impura pronuntiasse, & Judæorum mensis admoveri prohibuisse, ut certis animalium vetitorum generibus, quasi figuris, certa hominum vitia notarentur. Ita Auctor Epistolæ *S Barnabæ* adscriptæ. *Ergo*, inquit, *non est mandatum Dei ne manducent, sed Moses in figurâ locutus est illis. Porcinam ergo ad hoc dixit: Non eris conjunctus hominibus talibus, qui cùm luxuriant, obliviscuntur Dominum suum. Porcus enim cùm manducat, Dominum non novit, cùm esurit, tunc clamat; & cùm accepit, iterum tacet.* Nec manducabis, *inquit*, aquilam, aut accipitrem, aut corvum. *Hoc dicit: Non adjunges te, nec similabis talibus hominibus, qui nesciunt per laborem & sudorem sibi acquirere escam, sed rapiunt alienam per suam iniquitatem, & observant quasi in simplicitate ambulantes quæ dispolient; Sic aves istæ solæ sibi non acquirentes escam, sed pigræ sedentes quærunt quomodo alienas carnes devorent, cùm sint pestilentiosæ per suam nequitiam.* Non manducabis, *inquit*, murænam, nec polypum, nec sepiam. *Non*, inquit, *similabis adhærens talibus hominibus, qui in perpetuo impii, & judicati sunt jam mortui. Hi enim pisces soli maledicti sunt, non natantes sicut reliqui, sed in imâ altitudinis terrâ inhabitant*, &c.

Ita *Origenes* Homiliâ 7. in Leviticum. *Agnoscite*, inquit, *quia figuræ sunt, quæ in divinis Voluminibus scripta sunt: Et ideo tanquam spirituales, & non tanquam carnales examinate. Omnis homo habet in se aliquem cibum, ex quo qui sumpserit, siquidem bonus est, & de bono thesauro cordis sui profert bona, mundum cibum præbet proximo suo. Si verò malus, & profert mala, immundum*

dum cibum prabet proximo suo. Potest enim quis innocens & rectus corde mundum animal ovis videri, & prabere audienti se cibum mundum tanquam ovis, qua est animal mundum. Similiter & in ceteris. Et ideo omnis homo, cùm loquitur proximo suo, & sive prodest ei sermonibus suis, sive nocet, & mundum ei aut immundum efficitur animal, ex quibus vel mundis utendum, vel immundis pracipitur abstinendum. Si secundùm hanc intelligentiam dicamus Deum omnipotentem Leges hominibus promulgasse, puto quòd digna videbitur divinâ Majestate legislatio. Si verò adsideamus litera, & secundùm hoc quod vel Judais, vel quod vulgo videtur, accipiamus qua in Lege scripta sunt, erubesco dicere & confiteri, quia tales leges dederit Deus .... Decernit ergo ne manducentur hujusmodi animalia, qua ex parte videntur esse munda, & ex parte immunda: Sicut camelus, ex eo quòd ruminat, mundus videtur, ex eo autem quòd ungulas divisas non habet, immundus dicitur. Post hac jam nominat leporem, & herinacium; Sed & ipsos dicit ruminare quidem, sed ungulas non dividere. Alium verò ordinem facit eorum, qui e contrario ungulam quidem dividunt, sed non ruminant. Primum ergo videamus, qui sunt isti, qui ruminant, & ungulam dividunt, quos mundos appellat. Ego arbitror illum dici ruminare, qui operam dat scientia, in Lege Domini meditatur die ac nocte. Sed audi quomodo dictum est: qui dividit ungulam, & revocat ruminationem. Revocat ergo ruminationem, qui ea, qua secundùm literam legit, revocat ad sensum spiritalem, & ab infimis & visibilibus ad invisibilia & altiora conscendit. Sed si mediteris Legem divinam, & ea qua legis, ad spiritalem intelligentiam revoces, vita autem tua & actus tui non sint tales, ut habeant discretionem vita prasentis & futura, si non ista competenti ratione discernas, & dividas, camelus es tortuosus, qui cùm intellectum acceperis ex meditatione Legis divina, non dividis neque segregas prasentia & futura, nec angustam viam a viâ spatiosâ secernis ..... Hac quidem generaliter dicta sint de Animalibus. Illa verò qua in aquis sunt, quia dicuntur siquidem habeant pinnas & squamas munda esse; si non verò habeant, immunda, nec edi debere: Illud in his ostenditur, ut si quis est in aquis istis, & in Mari vita hujus, atque in fluctibus seculi positus, tamen debeat satis agere, ut non in profundis jaceat aquarum, sicut sunt pisces qui dicuntur non habere pinnas neque squamas. Hac namque eorum natura perhibetur, ut in imis semper & circa ipsum cœnum demorentur, sicut sunt anguilla, & his similia, qua non possunt ascendere ad aqua summitatem, neque ad ejus superiora pervenire. Illi verò pisces, qui pinnulis juvantur, ac squamis muniuntur, ascendunt magis ad superiora, & aëri huic viciniores fiunt, velut qui libertatem spiritus quarant. Talis est ergo Sanctus quisque, quia intra retia fidei conclusus, bonus piscis a Salvatore nominatur: Qui etiam mittitur in vas, veluti pinnas habens & squamas. Nisi enim habuisset pinnas, non resurrexisset de cœno incredulitatis, nec ad rete fidei pervenisset, nisi pinnis adjutus ad superiora venisset. Quid est autem quòd & squamas habere dicitur? Tanquam qui paratus sit vetera indumenta deponere. Hi enim qui squamas non habent, velut ex integro carnei sunt & toti carnales, qui deponere nihil possunt. Si quis ergo habet pinnas, quibus ad superiora nitatur, mundus est. Qui verò non habet pinnas, sed in inferioribus permanet, & in cœno semper versatur, immundus est. Similiter autem de avibus. Non manducabis, inquit, hæc, quia immunda sunt, aquilam & vulturem, & catera his similia. His etenim avibus semper mortuorum corporum cibus est, & ex mortuis cadaveribus vivunt. Omnes ergo, qui hujusmodi vitam gerunt, immundi habendi sunt. Ego puto & illos in his nominari qui alienis incubant mortibus, & arte quadam vel fraude testamenta subjiciunt. Hujusmodi enim homines vultures & aquila meritò appellantur, velut mortuorum cadaveribus inhiantes.

Ita Novatianus Epistolâ De Cibis Judaicis, Cap. 3. Quando irrationale Animal ob aliquid rejicitur, magis illud ipsum in eo, qui rationalis est, homine damnatur. Et si in eo, quod ex naturâ aliquid habet, quasi inquinamentum notatur, plus culpabile, cùm illud contra naturam in hominem conqueritur. Ergo ut homines damnarentur, pecora culpata sunt, scilicet ut & homines qui eadem vitia haberent, aquales pecoribus astimarentur. Quo pacto factum est, ut nec animalia damnarentur ab institutore sui culpâ, & homines in pecoribus eruditi ad immaculatam institutionis sua possent redire naturam. Considerandum enim quomodo Lex munda & non munda discernit: Munda, inquit, & ruminant, & ungulam findunt, immunda neutrum faciunt, aut ex duobus unum aliquid. Omnia ista unus Artifex fecit, & qui fecit, ipse benedixit. Institutionem igitur mundam utriusque conspicio, quia & qui instituit, sanctus est, & qua instituta sunt, culpam non habent, dum hoc sunt quod facta sunt. Crimen enim nunquam natura, sed voluntas perversa excipere consuevit. Quid ergo est? In animalibus mores depinguntur humani, & actus, & voluntates: Mundi si ruminent, id est, in ore semper habeant quasi cibum pracepta divina: Ungulam findunt, si firmo gradu innocentia, justitia, omnisque virtutis vita itinera conficiant. Eorum enim qua in duas ungulas pedem dividunt, robustus semper incessus. Sic qui neutrum faciunt, immundi sunt: Quorum nec in virtutibus firmus incessus est, nec divinorum praeceptorum in ore ullius ruminationis teritur cibus. Nam & qui alterum faciunt, nec ipsi mundi, dum sunt ex altero debiles, nec in utroque perfecti. Hi autem sunt aut utrumque facientes, ut Fideles qui mundi; aut alterum, ut Judai, & Haretici, qui sunt inquinati; aut neutrum, ut Ethnici, qui sunt consequenter immundi. Ita in animalibus per Legem quasi quoddam humana vita speculum constitutum est, in quo imagines sanctionum considerent, ut plus vitiosa quaque hominibus contra naturam commissa damnentur, dum etiam naturaliter in pecoribus constituta culpantur. Nam quòd in piscibus squamis aspera pro mundis habentur; asperi, & hispidi, & firmi, & graves mores hominum probantur. Qua autem sine his sunt, immunda; quia leves, & lubrici, & infidi, & effœminati mores improbantur. Quid enim vult sibi Lex, cùm dicit, Camelum non manducabitis, nisi quoniam de exemplo animalis vitam damnat enervem & criminibus tortuosam? Aut cùm suem cibo prohibet assumi, reprehendit utique cœnosam, & luteam & gaudentem vitiorum sordibus vitam, bonum suum non in animi generositate, sed in solâ carne ponentem: Aut cùm leporem, accusat reformatos in fœminam viros. Quis autem mustela corpus cibum faciat? Sed furta reprehendit. Quis Lacertam? Sed odit vita infidam varietatem. Quis stellionem? Sed maculas execratur, pradam de alienâ morte quarentes. Aut quis corvum? Sed versutas execratur voluntates. Passerem quoque cùm interdicit, intemperantiam coarguit: Quando noctuam, odit lucifugas veritatis: Quando cygnum, cervicis alta superbos: Quando caradrium, garrulam nimis linguæ intemperantiam: Quando verspertilionem, quarentes tenebras noctis simul & erroris. Hac ergo & his paria Lex in animalibus execratur, qua in illis quidem non criminosa, quia in hoc nata sunt, in homine culpata, quia contra naturam, non ex institutione, sed ex errore quasita sunt.

Ita

Ita S. *Augustinus*, Libro 6. *contra Faustum*, Cap. 7. *Testamento veteri*, inquit, *ubi quidam cibi carnalium probibentur, cur non sit contraria ista sententia, quâ dicit Apostolus*, Omnia munda mundis: *&*, Omnis creatura Dei bona est: *Si possunt, intelligant hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis: Illas autem literas propter quasdam prafigurationes tempori congruentes, animalia quadam non naturâ, sed significatione immunda dixisse. Ita quod verbi gratiâ, si de porco & agno requiratur, utrumque naturâ mundum est, quia omnis creatura Dei bona est: Quadam verò significatione agnus mundus, porcus immundus est: Tanquam si stultum & sapientem diceres, utrumque hoc verbum naturâ vocis, & literarum, & syllabarum, quibus constas, utique mundum est. Significatione autem unum horum verbum, quo dicitur stultus, immundum dici potest, non naturâ sui, sed quoniam quiddam immundum significat. Et fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in rerum genere stultus; & tam illud animal, quàm ista dua syllaba, quod dicitur stultus, quiddam unum idemque significat. Immundum quippè illud animal in Lege positum est, eo quod non ruminet: Non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non naturâ: Qui cum libenter audiant verba sapientia, postea de his omnino non cogitant. Quod enim utile audieris, velut ab intestino memoria tanquam ad os cogitationis recordandi dulcedine revocare, quid est aliud quàm spiritaliter quodammodo ruminare? Quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Unde & ipsa a talibus carnibus abstinentia tale vitium nos cavere pramonuit. Cùm enim thesaurus desiderabilis sit ipsa sapientia, de hac munditiâ ruminandi, & immunditiâ non ruminandi alio loco scriptum est*: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis: Vir autem stultus glutit illum. *Ha autem similitudines rerum, propter quarendi & comparandi exercitationem, rationales Mentes utiliter & suaviter movent. Sed priori Populo multa talia non tantùm audienda, verùm etiam observanda pracepta sunt. Tempus enim erat, quo non tantùm dictis, sed etiam factis propbetari oporteret ea, qua posteriori tempore fuerant revelanda.*

1. Timoth. 4.

Proverb. 21.

Ita S. *Cyrillus* Libro *de Adoratione in Spiritu & Veritate* 14. p. 498. 499. 500. *Non obscurum est, quin Lex nihil profanum ducat, omnia verò munda mundis esse intelligat. Sed naturalem cujusque animantis proprietatem cum morum humanorum qualitatibus conferendo, non mediocrem utilitatem affert: Esse autem id quod dixi, verum & exploratum, ex his rursus intelliges. Nam qua apud omnes improbantur, ea respuere & execrari perspicuè jussit, camelum dico & choerogrillum, nicticoracem, & catarrhactem, & stellionem, & mustelam, & aliis fadiora. Igitur ad morum qualitatem aptè transferenda sunt, qua nonnullis animantibus rationis expertibus secundùm naturam insunt, eum ea singula in se ipsis depingant certorum hominum mores, & in quibus vitiis versentur, designent.... Pergamus igitur ad Legis propositum. Justitia, & in universum omnis probitatis laudes existunt illa quidem ex cujusque voluntate & arbitrio; Sed duplici ratione perficiuntur. Aut enim in nos ipsos aliquod boni facimus; verbi gratia, cùm voluntates pracidimus turpes illas ac vitiosas, cùm mortificamus membra qua sunt super terram, cùm animum ad mansuetudinem componimus, cùm paupertatem in spiritu sectamur; cùm puram liquidamque mentem quoad fieri potest, habemus: Aut praclara virtutis studia in Fratres conferimus; cùm iis qui spontè nos offenderint clementiam ultrò exhibemus; cùm laborantibus opem ferimus; cùm marentes consolamur; cùm errantes ex imperitiâ ad rectum iter transferimus; cùm indigentibus necessaria suppeditamus; eaque omnia, qua Deo grata sunt, efficere summo studio contendimus. An non igitur duplex est justitia ratio, cùm vel in nos ipsos, vel etiam in alios exercetur? Ejusmodi ergo Justitia distributionem ungula dissecta, id est, pedi in duos ungues diviso semper ferè Lex comparat; pes enim semper incessûs illius, quo ad efficiendum ciemur atque movemur, signum ac nota est.... Si quis ergo rectè atque sapienter in utramque partem incedere norit, ita ut se & alios morum suorum qualitate juvare possit; ad hac sapiens & prudentiâ summâ sit praditus, & verba qua de Deo dicuntur, in cor tanquam in habitaculum quoddam atque domicilium recipiat, ac sursum deorsum semper quodammodo volutet in se ipso divinorum dogmatum cogitationes, & notiones eas quas tam accuratè perceperit, crebrâ prudentique inquisitione tanquam cibum communiat, animanti ruminanti persimilis erit*: Prolixiorem S. *Cyrilli* locum integrum non describo; ipsum adeat studiosus Lector consulatque ejusdem librum 9. *Contra Julianum* p. 315. 316. 317. 318.

Ita *Theodoretus* Quæstione 11. in Leviticum: *Arbitror*, inquit, *ungula divisionem significare bonarum actionum, & contrariarum discretionem: Praterea vivendum esse non tantùm prasenti vita, sed etiam futura: & illi quidem attribuenda qua sunt necessaria: Huic autem omnia, id est, & animam, & corpus, & qua spectant ad corpus. Ruminans autem, divinorum Eloquiorum meditationem designat. Quemadmodum enim ovis & similia cibum assiduè ruminant: Sic impiger & qui Deum diligit, ad Deum universorum clamat*: Quomodo dilexi legem tuam, Domine? Totâ die meditatio mea est. *Sicut enim animalia quadam & ungulas divisas habent, & cibum repetunt: Quadam neutrum horum agunt, velut asinus, mulus, equus & fera: Alia bisulca quidem sunt, ac non ruminant, veluti sus: Nonnulla ruminant quidem, sed non dividunt ungulam, ut camelus & lepus. Sic inter homines quosdam reperire licet perfectos, qui & divinorum Eloquiorum meditationem amplectuntur, & virtutem colunt diligenter: Quosdam autem imperfectos, qui divina quidem Eloquia voce tenus pronuntiant, sed cameli more ungulam dividere nequeunt. Nonnullos etiam pietati nondum initiatos, qui Eloquia divina non attigerunt, bonorum tamen operum sunt studiosi. Alios denique, qui tum fidei, tum operationis bonorum sunt prorsus expertes. Porrò aquatilium illa vocat munda, qua squammis & pinnis pradita sunt, hac enim aquis supernatant; qua verò non sunt ejusmodi, deorsum & in luto volutantur. Mundi sunt igitur in rationis compotibus, qui animum ad terrena non affigunt, sed pennis fidei praditi, clypeo virtutis muniuntur. Quod enim piscibus est squama, hoc hominibus est fides. His nos circumtegit Beatus Paulus, pennas gratia, & arma Spiritûs appellans. De volucribus autem illas asserit esse immundas, qua sunt rapaces, quave cadaveribus, & qua tenebris gaudent, docens nos abstinere ab avaritiâ, putidumque peccati cibum aversari, & tenebras odio prosequi. Quod hac autem non abs re sic intellexerimus, Actorum testificatur Historia.* Vidit enim, *inquit*, B. Petrus sindonem quatuor initiis demissam: in quâ erant omnia quadrupedia terræ, & volatilia. Audivitque vocem dicentem, Surge Petre, occide, & manduca. Deinde cùm ille dixisset, Nequaquam Domine, quia nihil unquam comedi quod esset commune aut immundum; ait: Dominus Deus quæ purificavit, ne communia dixeris. *At hac dicta esse gratiâ Cornelii,* Act. 10.

*qui*

Matth. 7. 15. *qui cùm esset Gentilis, salvari cupiebat; subsequentia demonstrant. Dominus quoque dixit Apostolis:* „ Multi venient ad vos in vestimentis ovium, „ intus autem sunt lupi rapaces. *Et Judæis*: Ge- „ nimina viperarum. *Et Apostolus*: Videte canes. „ *Presbyteris etiam Ephesiorum*: Scio quod post „ discessum meum ingredientur ad vos lupi gra- „ ves non parcentes gregi. *Et Prophetæ item quosdam equos furentes in fœminas nominant*: *Alios verò serpentes, & genimina aspidum vo-* „ *lantium*: *Rursum Dominus*: Simile est Re- „ gnum Cœlorum sagenæ missæ in Mare, & ex „ omni genere piscium congreganti. *Item*: Ubi „ cadaver, ibi congregabuntur & aquilæ. *Quare consonat interpretatio sententiæ Scripturæ divinæ*.

Matth. 23. 33. Ad Philip. 3. Actor. 20. Ierem. 5. Matth. 13. 47. Matth. 24. 28.

Ita reliqui Patres, & Auctores Ecclesiastici, qui hoc argumentum tractarunt, & inter alios *S. Thomas Primâ Secundæ Quæstione* 102. *Articulo* 6. *in Responsione ad Primum*.

*Diaboli æmulatio ciborum discrimen apud Gentes invexit.*

Ciborum discrimen apud Ægyptios aliasque Gentes Ethnicas invexit superstitio. Ægyptii teste *Plutarcho*, in Iside, *Suem a sacris alienum sentiebant*. Iidem Boves *fœminas recusabant*, a *turture abstinebant*, ut refert *Porphyrius* Libro 4. *De Abstinentiâ*, & a certo genere piscium, *lepidoto* nimirum, & *anguillâ*, ut refert *Herodotus* Lib. 2. Cap. 72. Ægyptii Sacerdotes, referente *Charemone*, apud eumdem Porphyrium, *Piscibus omnibus abstinebant, & quadrupedibus quotquot solidas aut multifidas haberent ungulas, aut cornuta non essent, & volucribus omnibus quæ carnes devorarent*. Notum illud *Juvenalis*:

*—— Lanatis animalibus abstinet omnis*
*Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ*.

Non solùm apud Ægyptios, aut Syros, sed & Græcos, a piscibus abstinere, *puritatis pars haud postrema censebatur*, teste *Plutarcho Symposiacon* 8. Quæstione 8. *Deæ Syriæ* Sacerdotes, *Luciano* teste, *sues solos pro sceleratis habentes, neque sacrificabant, neque manducabant*. Veteres Britanni, *leporem, & gallinam, & anserem gustare fas non putabant*, teste *Julio Cæsare* Libro 5. *De Bello Gallico*. Pythagoram præcepisse *a bove aratore & ariete abstinere*, tradit *Aristoxenus* apud *Diogenem Laërtium*. Ut Dei suprema auctoritas animalium & ciborum discrimen ob eas, quas diximus, rationes a Judæis lege latâ observari jussit. Ita Diaboli æmulatio discrimen illud apud Gentes profanas invexit. Apud Hebræos hujusmodi observantia religio fuit: Apud Ethnicos superstitio. Apud Hebræos notæ singulares fuere, quibus ex Dei instituto animalia munda ab immundis discernerentur, scilicet ruminatio & ungulæ divisio: Apud Ethnicos norma hæc discretionis animalium mundorum ab immundis non fuit: Quamvis enim Ægyptii Sacerdotes ad quadrupedum ungulas & cornua respectum habuerint, nullam tamen ruminationis rationem habuerunt. Ethnici quidam a piscibus omnibus abstinuere: Judæi ab iis solis quibus pinnas & squamas natura denegavit.

*Judæorum abstinentiæ a carne suillâ rationes.*

Porcum inter animalia immunda maximè execrabantur Judæi. Hinc illud *Juvenalis* de Judæâ loquentis.

*Observant ubi festa mero pede Sabbata Reges,*
*Et vetus indulget senibus clementia porcis*.

Et alterum illud de Judæis:

*Nec distare putant humanâ carne suillam*.

Porcum Judæis maximè invisum esse persuasum habebat *Antiochus*, qui hoc animali tanquam odii, & tyrannidis suæ in Judæos instrumento usus est, ipsos cogens porcos immolare, aut carnes porcinas edere, & carnificinas atrocissimas in eos exercens, qui hujusmodi victimis ac cibis polluere se se recusarent, ut constat ex Libro 1. *Maccabæorum* 1. 50. & 2. *Maccabæorum* Cap. 6. & 7. & ex *Josepho* Lib. 1. *De Bello Judaico*, Cap. 1. Abstinentiæ Judæorum a carne suillâ ratio Ethnicis Scriptoribus ignota fuit. *Plutarchus* Libro 4. *Symposiacon* Quæstionem proponit, *Utrùm suem colentes Judæi, aut potiùs aversati, carne ejus abstineant?* Convivarum alius opinatur porcum in honore apud Judæos esse, ideòque ab ejus esu illos abstinuisse. Hujus autem honoris suibus (ut putat) habiti rationem ex eo repetit, quòd *prima sus rostro terram findens, vestigium arationis impressisse, ac vomeris opus summonstrasse* credatur. Unde etiam *Ægyptii, qui cavam & mollem incolunt Regionem* (inquit Plutarchus) *omnino etiam aratri usum non admittunt. Sed postquàm Nilus eluvie suâ solum rigavit, eum subsequentes sues in agros depellunt: Eæ verò calcandâ ac fodiendâ tellure celeriter eam altè subvertunt, semenque occulunt*. Addit, *Judæos, si abominarentur porcum, interfecturos eum fuisse. Nunc*, inquit, *tam interficere, quàm edere suem, iis est religio. Et fortassis rationi hoc consentit: Sicut asino suus est apud eos honor, qui fontem aquæ eis demonstravit. Ita suem eos revereri, ut sationis & arationis magistram*. Alius Judæos carnem suillam abominari censet, *Tùm quòd abhorreant a vitiliginibus & leprâ, quas putant esu harum carnium adsciscì. Etenim videmus suem sub ventre plenum esse leprâ, & scabiosis malignè pustulis: Quæ sanè existimantur a pravâ corporis affectione & corruptelâ eorum, quæ intus sunt, in superficiem erumpere*: Tum quod suis *victus immundus* sit, nullumque animal ita gaudeat *cœno, ac sordidis impurisque locis*: Tum quòd porcorum oculi ita sint *confracti, & humi defixi*, ut nihil eorum unquam cernant, quæ supernè sunt, neque in cœlum intueantur, nisi supini contra naturam facti, pupillas sursùm obvertant, ideòque animal hoc aliàs clamosissimum, ubi supinum factum fuerit, tacere attonitum insolenti conspectu cœli. Alius *Adonidem*, qui vel idem cum *Baccho*, vel *Bacchi* fuerit Amasius, a sue interfectum fuisse ait, Ideòque Judæos, quos *Bacchi* sacris initiatos calumniatur, suem execrari. *Tacitus* Historiæ Libro 5. scribit Judæos a suibus abstinuisse *memoriâ cladis, quòd eos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium*. Judæos & Phœnices a suibus temperasse, quòd omnino in regionibus illis non nascerentur, scripsit *Porphyrius* Libro 1. *De Abstinentiâ*. At rationis hujus falsitas patet ex eo quòd in vicinâ Gerasenorum regione, ubi & Judæi Græcis mixti habitabant, porcorum greges reperirentur, in quos se mitti Dœmones a Christo supplices petierunt. Matthæi 8. 30. 31. 32. *Petronius* Judæos porcum coluisse putat, ideòque ab illius esu abstinuisse.

*Judæus, licèt & porcinum Numen adoret*.

Hæc mera esse figmenta, calumniasque ab hominibus rerum Judaicarum imperitis excogitatas, evidens est. Legem divinam consulenti apparet porcum præ cæteris animalibus immundis vetitum Judæis non fuisse; & ob hanc rationem in immundorum animantium ordine positum, quòd etsi ungulas fissas habeat, non tamen ruminet. Levitici 7. 8. *Et sus, qui eùm ungulam dividat, non ruminat. Horum carnibus non vescemini*. Hæc immunditiei nota. Hujus autem animalis impuritate, & fœditate hominum ventri ac voluptati servientium, & qui affectibus terram solummodo sapientibus ad faciendam justitiam inutiles se præbent, ingenium ac mores adumbrari, censent Patres. Abstinentiam a suillis carnibus Judæis a Deo præceptam, *Quia his solis Ægyptii vescebantur, cæteris tanquam Diis abstinentes*; visum est *Theodoreto* Libro *De Curandis Græcorum Affectionibus*,

Ser-

Sermone 8. *De Sacrificiis*. At eruditissimum Patrem latuisse aliquâ ex parte videntur mores Ægyptiaci. Ægyptios enim a porco abhorruisse testantur *Herodotus* Libro 2. Cap. 47. *Suem autem*, inquit, *Ægyptii pollutum animal esse putant. Et eam si quis vel transeundo contigerit, abit immersum se flumini cum ipsis vestibus*. Ælianus Libro 2. Historiæ, Cap. 16. *Sus præ voracitate ne propriis quidem fœtibus parcit, & cùm in humanum corpus incidit, non abstinet, sed illud mandit. Proinde hoc animal Ægyptii oderunt ut abominandum & omnivorum*. Plutarchus in Iside. *Suem animal impurum esse æstimant* (Ægyptii) *Plerumque enim coire videtur, cùm Luna decrescit*. Porcorum odium apud Judæos auctum fuisse post *Antiochi* persecutionem, Viri Eruditi censent, tuncque hanc ab ipsis editam Constitutionem, quæ in Libro *Juchasim* legitur: *Maledictus quisquis suem aluerit*. Verisimile proinde est, odium illud, quo porcum præ cæteris animalibus immundis execrabantur Judæi, ex Traditione Majorum apud ipsos invaluisse. Hujus autem Traditionis ratio esse potuit, quòd animal esset in Gentilium lustrationibus, Sacrificiis, mysteriis magicis, festis, & pactis sanciendis maximè usurpatum. De lustrationibus, testis est *Isaias* Propheta Cap. 66. 17. *Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post januam intrinsecùs, qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murem: simul consumentur, dicit Dominus*. De mysteriis magicis testis est idem Propheta Cap. 65. 3. 4. *Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper: Qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres: Qui habitant in sepulcris, & in delubris Idolorum dormiunt: Qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum*. De Sacrificiis, testis *Varro* Lib. 2. *De Re Rusticâ*, Cap. 4. *Sus*, inquit, *Græcè dicitur* ὗς, *olim* θύων .... *Sus ita dictus ab illo verbo quod dicitur* θύειν *quod est immolare: A suillo enim pecoris genere immolandi initium sumptum videtur. Cujus vestigia sunt, quòd initiis Pacis, fœdus cùm feritur, porcus occiditur; & quòd Nuptiarum initio in Hetruriâ nova Nupta & novus Maritus primùm porcum immolant.. Prisci quoque Latini, & etiam Græci in Italiâ idem factitasse videntur*. Testis *Ovidius* Lib. 1. *Fastorum*.

*Prima Ceres avida gavisa est sanguine porcæ.*

Testis Horatius:

——— *Immolet æquis*
*Hic porcum Laribus.*

De Festis Gentium testis *Juvenalis* Satyr. 11.

*Moris erat quondam festis servare diebus*
*Sicci terga suis, rarâ pendentia crate,*
*Et natalitium cognatis ponere lardum.*

Denique de pactis solemnibus testis cum *Varrone Virgilius* Libro 8. *Æneidos*.

——— *Et cæsâ jungebant fœdera porcâ.*

Hæc ante nos observavit *Spencerus*, ut ante ipsum alii Viri Eruditi: Cùm itaque tum vulgaris fuerit porci usus apud Ethnicos, non mirum quòd Judæi porcum inter animantia immunda eo nomine maximè oderint, ac penè execrati sint, adeò ut vel illum nominare horrerent, & pro porco, *rem aliam* dicerent, ut ex *Talmude*, aliisque Judæorum Libris probat *Bochartus* Libro 2. *Hierozoici* Cap. 57.

## §. III.

*Lex de Sexûs utriusque apparatu & vestitu non confundendo.*

SExûs utriusque apparatum ac vestitum confundi & promiscuè usurpari Lex prohibet Deuteronomii 22. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœmineâ: Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc*. Hujus observantiæ multiplex ratio. Prima, eaque præcipua, idololatriæ exterminatio. Hæc enim vestium commutatio Ritus idololatricus fuit, in Gentium profanarum Sacris passim usurpatus. Hoc Ritu Cyprios Venerem coluisse observat *Servius* ad Librum 2. Æneidos. *Veneris*, inquit, *in Cypro simulacrum est corpore & veste muliebri, cum sceptro & naturâ virili, quod* ἀφρόδιτον *vocant: Cui viri in veste muliebri, & mulieres in virili veste sacrificant*. De Assyriis idem testatur *Julius Firmicus* Libro De Erroribus Profanarum Religionum. *Sacerdotum suorum Chorus*, inquit, *ei aliter servire non potest, nisi effeminent vultum, cutem poliant, virilem sexum ornatu muliebri dedecorent... Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti vestibus, vix caput lassâ cervice sustentant*. De aliis Asiaticis id memoriæ proditum a Philochoro apud *Macrobium* Libro 3. *Saturnal.* Cap. 8. affirmante *Venerem esse Lunam, & ei Sacrificium facere viros cùm veste muliebri, & mulieres cum virili*. Cùm *Bacchi* solemnia apud Græcos agebantur, Phallorum pompam excipiebant *Ithyphalli muliebrem induti stolam*, ut refert *Hesychius* verbo Ἰθύφαλλοι. Cùm Ὠσχοφόρια in honorem Bacchi celebrabant Athenienses, *Chori adolescentes duo, muliebri veste induti, palmitem gestantes plenum maturis uvis, Festum auspicabantur*, teste *Proclo* in *Chrestomathiâ*. Argivi Novilunia dissimulato sexu celebrant, *Mulieres virilibus tunicis & chlamidibus, viros autem peplis muliebribus amicientes*, teste *Polyæno* Libro 8. *Stratagematum*. Apud Coos *Herculis Sacerdos in Antimachiâ, muliebri indutus veste, capite vittato, Sacrificium auspicabatur*, ut refert *Plutarchus Quæst. Græc.* postremâ. Apud Romanos Idibus Januarii tibicines Sacrificiis præcinere soliti, Urbem circuibant *vestem induti muliebrem*, ut refert idem Auctor in *Quæst. Roman.* P. 277. Apud Naharvalos *Antiquæ Religionis lucus* ostendebatur, *Tacito* referente, Lib. *De Moribus Germanorum*: *Præsidebat Sacerdos muliebri ornatu*. Legem utriusque sexûs vestes commutari prohibuisse ad cultûs idololatrici exterminationem, quia scilicet *in cultu Martis mulieres utebantur armis virorum: In cultu autem Veneris e converso viri utebantur vestibus mulierum*, docet S. *Thomas Primâ Secundæ Quæst.* 7. *Art.* 6. *ad sextum*, præeuntibus *Maimonide* in *More Nevochim* Pag. 3. Cap. 37. & *Guillelmo Parisiensi* Libro *De legibus*, Cap. 13. Execrandi hujus ritûs reliquiæ in Kalendarum festo seculari ac profano, quod initio redeuntis anni celebratur, Christianos olim infecerunt, ut constat ex S. *Asterio* Amaseno Episcopo, in Sermone adversus Kalendarum Festum. *Nonne*, inquit, *nudatus in meretricum ac feminarum morem vultum habitumque componit ille strenuus, leonini ille pectoris ac roboris, ille in armis, cùm suis aspectu mirabilis, tum formidabilis hostibus; ac ad talos usque tunicam dimittit, zonam pectori circumvolvit, calceamenta muliebria sumit, & more feminarum capiti crobylum ac plexuram imponit: Quin etiam lanâ plenam colum* ge-

*gestat, ac dexterâ filum ducit, quâ trophæum antè tulit; animique tenorem immutans, in acutiorem ac muliebrem sonum vocem extenuat? Hæ celebritatis hujus utilitates: Hæc hodierni publico conventu Festi commoda & fructus.* Idem constat ex Canone 62. Trullanæ Synodi: *Kalendas,* inquit, *quæ dicuntur, & vota & brumalia quæ vocantur, & qui in primo Martii mensis die fit conventum, ex Fidelium universitate omnino tolli volumus: Sed & publicas Mulierum saltationes multam noxam exitiumque afferentes: Quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud Gentiles Dii nominati sunt vel nomine virorum ac mulierum fiunt, saltationes ac mysteria more antiquo, & a vitâ Christianorum alieno, amandamus & expellimus; statuentes ut nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conveniente, &c. Eos ergo qui deinceps aliquid eorum, quæ scripta sunt, aggredientur, si sint quidem Clerici, deponi jubemus, si verò Laici, segregari.*

Ratio altera cur sexûs utriusque vestes commutari Lex vetuerit, est publicæ honestatis ac pudoris conservatio, & occasionum libidinis remotio: Quam ob rationem ipsis etiam Ethnicis indecorum & pudendum visum est extra Numinum suorum sacra vel Festa, sexum mentiri. Hinc *Diogenes Laërtius* in Vitâ *Platonis* ait: *Legis gemina est distributio, altera scripta, altera verò non scripta. Prior illa civilis est, quâ Rempublicam administramus: Quæ verò citra Scripturam est, ea a naturâ & usu proficiscitur; quale est, nudum in foro ambulare non debere, aut uti veste muliebri. Hæc enim Lex nulla prohibet, sed ab iis faciendis abstinemus, quòd Lege non scriptâ prohibeatur:* Hinc *Seneca* Epistolâ 123. ad *Lucillum* scribit. *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem?* Jam Christianos Doctores audiamus: *S. Augustinum* Libro 2. *Soliloquiorum*, Cap. 16. *Credo*, inquit, *jure infames, instabilesque haberi, se qui muliebri habitu ostentant, quos nescio utrùm falsas mulieres, an falsos viros meliùs vocem. Veros tamen Histriones, verosque infames sine dubitatione possumus vocare: Aut si latent, nec infame quidquam nisi a turpi famâ nominatur, veros nequaquam non sine veritate dicimus.* Et *S. Thomam* loco laudato: *Quòd mulier* inquit *induatur veste virili, aut e converso, incentivum est concupiscentiæ, & occasionem libidini præstat.*

Rationes omnes observantiæ, quam expendimus, affert *Guillelmus* Parisiensis Episcopus, Libro *De Legibus*, Cap. 13. *Causæ* inquit, *Prohibitionis, ne vir uteretur veste femineâ, vel e converso, multæ fuerunt. Prima fuit congruentia ipsius naturæ, videlicet ut quos natura sexu discreverat, discerneret & vestitus. Secunda, ut opportunitas auferretur turpitudinum latibulis: Posset enim intrare vir ad mulierem sub habitu muliebri, & e converso mulier sub habitu virili. Ablata igitur est per hanc discretionem vestitûs multa opportunitas flagitiis. Tertia, exterminatio sacrorum Martis & Veneris. In Sacris enim Martis non solùm virili vestitu vestiebantur mulieres, sed etiam armabantur, ut in ipsis vestimentis bellicis, id est armis ipsum tanquam Deum belli, & victoriæ datorem colerent. Et Cacogræcus in libro maledicto, quem scripsit de Stationibus ad cultum Veneris, inter alia sacrilega & Deo odibilia præcepit, ut qui nefandum Ritum illum exercet, coronam femineam habeat in capite suo. Eodem modo in sacris Veneris viri effeminabantur, videlicet in vestibus muliebribus sacra Veneris exercentes: Propter hujusmodi sacrilegos Ritus Marti & Veneri se placere credentes atque quærentes. Quarta causa, ut occasio magna provocationi libidinis auferretur: Magna enim est provocatio libidinis viris vestitus muliebris, & è converso: Quoniam vestis muliebris, viro circumdata vehementer refricat memoriam, & commovet imaginationem mulieris, & è converso. Alibi autem didicistis, quia imaginatio rei desiderabilis commovet desiderium. Quinta causa, ut auferretur occasio maleficii. Consueverunt enim malefici & maleficæ, in vestibus aut de vestibus libidinis maleficia exercere, & hoc nos in libris eorum sæpè legimus. Sexta causa, ut tolleretur error periculosus, & superstitiosa credulitas, quâ trahi possent ad idololatriam, quibus credebant decepti, applicatione vestium muliebrium, maximè in sacris Veneris, conjungi sibi ac conciliari amore fortissimo corda mulierum, propter quas hoc facerent, vel quæ postea hujusmodi vestibus uterentur: Similiter & deceptæ mulieres idipsum credebant de viris & virilibus vestimentis. Voluit ergo Deus hunc superstitiosum errorem auferri de cordibus eorum per ablationem abusionis istius, ne per illum tandem traherentur ad cultum Veneris.*

---

## §. IV.

*Lex vestem ex lino & lanâ mixtam prohibens.*

Vestem ex lino & lanâ mixtam Israëlitis Lex prohibet Levitici 19. 19: *Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris.* Et Deuteronomii 22. 2. *Non indueris vestimento, quod ex lanâ linoque contextum est.* Legis hujus multiplex ratio. *S. Isidorus Pelusiota* Libro 3. Epistolâ 84 Deum hâc observantiâ Judæos adstrinxisse censet, *Ut mollitiem omnem, & variegandi artem, ad luxum nimiumque corporis ornandi studium eliminaret:* eosque doceret omnem operam *ad animæ curam* & ornatum convertendam. Hoc & alia de Heterogeneorum commixtione præcepta, morum simplicitatem commendare, animi duplicitatem ac hypocrisim damnare; adulterinas opiniones ac hæreses, quæ errorem cum veritate miscent, proscribere, censent plerique cum *Theodoreto* Quæstione 27. *in Leviticum*, dicente: *Vestem ex lanâ & lino contextam vocat adulteram, docens contrarias operationes non exercere. Et quòd his verbis non vestem: sed operationem adulteram innuat, probant velamenta Tabernaculi ex variis filis contexta.* Ita etiam *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. 7. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, Pag. 245. *Vestem*, inquit, *nos habere non sinit e duobus contextam, quâ in re figuratè significat, cavendum esse ne veluti duplicitatem quamdam in animum admittamus; duplicitatem porrò internam ac spiritualem, esse illam execrabilem hominibus placendi cupiditatem, quæ velut ex duobus intexitur studiis non mediocriter inter se differentibus. Quæ enim qualisve est alia hypocritarum vita, nisi ut in conspectu quidem hominum boni viri appareant, ac videantur esse, non sint tamen revera probi? Ergo duplices sunt nobis mores e dissimilibus voluntatibus contexti. At verò Beatus David approbat unius moris virum, eumque supernâ providentiâ dignum haberi dicit.* Dominus, *inquit*, inhabitare facit unius moris in domo. Ps. 67.
*Dissipare etiam Deus dicitur ossa hominibus placentium. Idem quoque vitium Paulus execratur*, &c. Huic expli- Ps. 52.
cationi calculum suum adjiciunt *Procopius*, *Rupertus* Abbas, & *Sanctus Thomas Primâ Secundæ*, *Quæstione* 112. *Articulo* 6. *ad sextum*. Sed rationem Legis istius literalem præmittit. *Sicut dicitur Ecclesiastici* 19. *Amictus corporis enuntiat de homine. Et ideò voluit Dominus ut Populus ejus di-*

*stin-*

*stinguretur ab aliis Populis, non solùm signo Circumcisionis, quod erat in carne, sed etiam certâ habitûs distinctione. Et ideo prohibitum fuit eis, ne induerentur vestimento ex lanâ & lino contexto. Primò quidem ad vitandum idololatriæ cultum. Hujusmodi enim variis vestibus ex diversis contextis Gentiles in cultu suorum Deorum utebantur:* Ut colligitur ex *Maimonide* in *More Nevochim* P. 3. Cap. 37. Ita ante Sanctum Thomam *Guillelmus Parisiensis*, Libro *De Legibus* Capit. 13. *Usus*, inquit, *vestis ex lanâ linoque contexta prohibitus fuit juxta literam, quia Sacerdotes Idolorum, & in Ægypto maximè, vestibus hujusmodi utebantur. Causa igitur in hoc fuit, ne Dei Populus assimilaretur idololatris. Alia causa fuit generalis, ut idololatria, quæ conjunctionibus hujusmodi exercebatur, ex hoc percuteretur. Tertia fuit, ut ordo naturæ, quem idololatræ multipliciter pervertebant, servaretur in vestibus, ut linum scilicet sub lanâ esset, & corpori humano propinquius. Quarta, ut vestibus, & materiis earum, ipsa, quam natura inter eas fecerat discretio seu distinctio servaretur. Hæc enim omnia confundebant & commiscebant idololatræ in venerationem maximè elementorum, pro eo scilicet quòd de commixtione elementorum, quibus serviebant, eorumque confusione omnia hujusmodi gigni dicebant. Volebant etiam insinuari, per hujusmodi commixtiones & conjunctiones, agricolas & pastores ad stellarum servitium obligatos: Quia stellarum favore & beneficio putabant fœcunditatem, & lanæ copiam in animalibus, fertilitatem in agris provenire. Propter hoc ergo lanam, & linum simul in vestibus conjungebant, ut ipso habitu hanc superstitionem profiterentur, & utramque copiam a stellis provenire confiterentur. Utrumque autem istorum erat stellarum servitium, videlicet tam professio quàm confessio ante dicta: Quemadmodum habitûs religiosi delatio apud nos est Dei servitium. Scito etiam quia hujusmodi conjunctiones lini & lanæ in vestimentis faciebant cum observatione conjunctionis stellarum.*

## §. V.

*Lex de Fimbriis & Philacteriis.*

ISraëlitis mandatum est Numer. 15. 37. *Ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.* Ratio Legis istius multiplex. Prima, ut ipso habitu ab alienigenis discernerentur. Secunda, ut memoriale divinorum præceptorum semper ob oculos gererent: *Quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores mandatorum Domini faciant ea, sintque Sancti Deo suo.* Hæc igitur observantia ad publicam Judaismi professionem pertinebat, ut docet *S. Thomas* post *S. Hieronymum* in Cap. 23. *S. Matthæi*. In hyacinthinis autem vittis significatur *cœlestis intentio, quæ omnibus operibus nostris debet adjungi* inquit Doctor Angelicus. Phylacteria usus adhibuit, id est, membranas, quibus Decalogus inscriptus erat, quas in fronte ligabant quasi coronam, & in manibus gerebant. Ea *Exodi* 13. 9. & 16. & *Deuteronomii* 6. 8. imperari senserunt *Josephus*, & *S. Justinus Martyr* in Dialogo cum *Tryphone Judæo*. Reclamant verò *S. Hieronymus* & *S. Thomas*, nec aliud istis locis Israëlitis a Deo præcipi censent, nisi ut divina mandata fideliter exequantur, illaque jugiter meditentur non minùs quàm quæ memoriæ causâ in manibus gerere, aut ob oculos nostros ponere solemus. Exodi 13. 9. *Et erit quasi signum in manu tuâ, & quasi monumentum ante oculos tuos: & ut Lex Domini semper sit in ore tuo in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.* V. 16. *Erit igitur quasi signum in manu tuâ, quasi appensum quid, ob recordationem inter oculos tuos: Eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.* Deuteron. 6. 7. 8. 9. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tuâ, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque & movebuntur ante oculos tuos. Scribesque ea in limine & ostiis domûs tuæ.* Ex hujusmodi Philacteriis, quasi magni essent ad pietatem momenti popularem auram captabant Pharisæi, quorum hypocrisim coarguit Christus Dominus Matthæi 23. 5. *Dilatant enim*, inquit, *phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Cœterùm, *S. Hieronymi* & *S. Thomæ* sententia de locis mox laudatis & *Exodi & Deuteronomii*, ex parallelis Scripturæ Sacræ locis confirmatur, ubi proverbiali loquendi more tanquam corona capiti, & torques faucibus alligari jubentur, quorum jugis memoria & fidelis observantia commendatur. Proverbiorum 1. 8. 9. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et Cap. 3. 3. *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui.* Et Cap. 6. 21. *Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. Cùm ambulaveris, gradiantur tecum. Cùm dormieris, custodiant te; & evigilans loquere cum eis. Quia mandatum lucerna est, & Lex lux.* Phylacteria itaque Pharisæorum non erant divinæ jussionis, sed novellæ superstitionis, nec a *Mosis* temporibus usitata fuere, sed post Captivitatem demum Babylonicam usurpata sunt, ut viris Eruditis videtur: Cum scilicet Legi Divinę absurdæ pleræque interpretationes ab hypocritis & superstitiosis Magistris in dies affingerentur, qui proprio & literali sensu exposuere, quod methaphoricè capiendum, & spiritualiter intelligendum erat. Judaica illia Philacteria ex Ægyptiorum Amuletis originem duxisse credant qui voluerint, modò a Deo præcepta non esse nobiscum fateantur. De his apud *Kircherum* Tom. 1. *Oedipi* Syntagmate 4. Cap. 1. *Abenephius* Arabs Auctor, sed Religione Judæus: *Erat*, inquit, *frequens in Ægypto usus Phylacteriorum, variis imaginibus insignitorum, queis se fortunatos esse futuros credebant: Queis adjungebant Statuunculas quasdam, quas Avertentes nuncupabant, quas nunc collo, pectore, manibus portare; nunc in angulis domuum, aliisque locis, veluti custodes eorum collocare solebant. Quos usus omnes Lex* (ut eam quidem Judæi perperam interpretantur) *in Thephillim, Mezuzot, & Totaphot convertit: Quæ quidem nihil aliud sunt quàm coria ex mundo animali, in quibus verba Dei, Legis servandæ continuam memoriam suadentis & præcipientis scribebantur, ponebanturque super frontem, & brachia, & postes portarum.*

## §. VI.

*Lex diversorum seminum commixtionem prohibens.*

DIversi generis semina in vineâ seri Lex prohibet Deuteronomii 22. 9. *Non seres vineam tuam altero semine: Ne & sementis quam sevisti, & quæ nascuntur ex vineâ, pariter sanctificentur:* Id est polluantur & immunditiam contra-

trahant, sive maledictionem, a te, dum Legem meam violaveris, in illa redundantem. Et Levitici 19. 19. *Agrum tuum non feres diverso semine*. Ubi LXX. Interpretes vertunt: Καὶ τὸν ἀμπελῶνά σου οὐ καταφυτεύσεις διάφορον. *Et vineam tuam non seminabis differentem*. Hujus Legis rationem quidam esse censent, quod semina diversa sibi invicem alimenta detrahant, cum iisdem sulcis mandantur in vineto, & terræ succum deprædentur, quem sibi totum vinea deposcit. Ita *Josephus Libro 4. Antiquitatum* Capit. 8. *Philo Libro De Creatione*, *& Procopius*. Alii sentiunt Deum hanc Legem tulisse, ut lucri cupiditatem in Israëlitis cohiberet, & nihilominus agricolis provideret, quia terra mixtis seminibus sata fructus exiliores producit. Ita *Theodoretus* Quæstione 23. in Deuteronomium. *Inexplebilem*, inquit, *aviditatem amputat, & agricolis ipsis providet. Terra enim sata diversis seminibus, exiliores fructus producit. Præcipit ergo neque permixta semina mitti, neque vites conseri. Deinceps indictâ mulctâ transgressori, castigat lucri cupiditatem. Nam hæc sibi ipsi offerri jussit. Siquidem ait*, Ut „ non sanctificetur quod natum est. *Guillelmus Parisiensis* Libro *De Legibus* Cap. 13. existimat Deum hanc Legem veteri Gentium profanarum usui opposuisse, qui in honorem *Cereris & Bacchi* mixta semina inter vites aut vitium ordines serebant, ut utriusque Numinis ope ac favore proventum uberiorem haberent. *Utilitas*, inquit, *juxta literam manifesta est in hoc, quia collectio sementis non posset fieri absque detrimento vineæ, vel periculo. Ridiculum autem est in hoc Dominum voluisse Populo suo consulere, in quo nullo consilio indigebat. Cuilibet enim manifestum erat detrimentum hujus atque periculum. Causa igitur in hoc fuit idololatria Cereris & Bacchi, quorum cultores suis vineis culturas coniungebant atque miscebant; sic & fructus, quos de beneficio eorum se obtinere credebant, in eodem agro coniungere consueverant. Causa autem in hoc erat, quia in eâdem terrâ radices habent vites & fruges, & ex eâdem nascuntur & nutriuntur. Volebant igitur Cererem & Bacchum & cultu, & operibus sociare. Attende autem quia generaliter dictum est Levitici 19.* „ Agrum tuum non feres diverso semine. *Ista autem repetitio insinuat nobis Legislatorem non parum erroris atque periculi intellexisse in conjunctionibus hujusmodi. Non enim propter literalem utilitatem solummodo prohibitiones earum repetivit: Ex quo satis intelligitur, propter Idololatriam Cereris & Bacchi, vel Stellarum, eas tam studiosè prohibuisse*. Hæc ratio petita est ex *Maimonide* in *More Nevochim*, P. 3. Cap. 37. Hanc suo calculo probat *S. Thomas*, aliasque addit, Quæstione & Articulo supra laudatis in Responsione ad nonum. *Dicendum*, inquit, *quòd omnes illæ commixtiones in agriculturâ sunt prohibitæ ad literam in detestationem idololatriæ: Quia Ægyptii in venerationem stellarum diversas commixtiones faciebant, & in seminibus, & in animalibus, & in vestibus, repræsentantes diversas conjunctiones stellarum. Vel, omnes hujusmodi commixtiones variæ prohibentur ad detestationem coitus contra naturam. Habent tamen* „ *figuralem rationem, quia quod dicitur*, Non fe- „ res vineam tuam altero semine, *est spiritualiter intelligendum, quod in Ecclesiâ, quæ est spiritualis vinea, non est seminanda alia doctrina: & similiter ager, id est Ecclesia, non est seminandus diverso semine, id est catholicâ doctrinâ & hæreticâ*.

## §. VII.

*Lex de primis agrorum incultorum fructibus per tres Annos comedendis.*

PRimos agrorum incultorum fructus per tres annos comedi Lex vetat, quarti anni fructus Deo dicari jubet, quinti demum in usum dominorum cedere. Levitici 19. 23. 24. 25. *Quando ingressi fueritis Terram, & plantaveritis in eâ ligna pomifera, auferetis præputia eorum: Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester*. Ratio Legis istius multiplex. Prima, quòd agrorum incultorum fructus ferum aliquod habeant & insalubre, proindeque nec esui sint apti, nec etiam oblatione digni, utpote præcoces & immaturi, & ab arbore adhuc imbecillâ producti. Ita *S. Joannes Chrysostomus* Sermone *De Ascensione Domini*, qui est 35. Tom. V. Paris. Edit. *Frontonis Ducæi* Pag. 461. *In hoc cerne*, inquit, *sapientiam Legislatoris, qui illo vesci non permisit, ne ante Deum quisquam fructus sumeret: Neque offerri illum mandavit, ne crudus & immaturus offeratur Domino. Sed dimitte*, inquit, *quia primus est: Ne offeras autem, quoniam indignus est honore acceptantis*. Secunda ratio, est idololatriæ detestatio & extirpatio. Hanc enim Legem idololatrarum moribus oppositam fuisse censent *Maimonides*, & *Guillelmus Parisiensis* Libro *De Legibus*, Cap. IV. idemque docet *S. Thomas* Quæstione & Articulo supra laudatis, in Responsione ad quintum. *Gentiles*, inquit, *fructus primitivos, quos fortunatos æstimabant, Diis suis offerebant, vel etiam comburebant eos ad quædam Magica facienda. Et ideo præceptum est eis, ut fructus trium primorum annorum immundos reputarent. In tribus enim annis ferè omnes arbores terræ illius fructum producunt, quæ scilicet vel seminando, vel inserendo, vel plantando coluntur. Poma autem quarti anni, tanquam primitiæ mundorum fructuum Deo offerebantur. Quinto autem anno, & deinceps comedebantur*. Tertia ratio typica est sive allegorica. Hæc enim observantia significabat, fructus Legis utiles duntaxat evasuros, utpote omnino expurgatos & maturos, tempore Adventûs Christi, ut explicat *S. Cyrillus* Libro VIII. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, P. 285. *Hortis*, inquit, *fertilissimis Moysi Scriptura similis nobis videtur, quæ multiplex præceptorum germen complectitur, & tanquam arboribus densis ornata est, Legibus*, [ *inquam* ] *de quaque re constitutis. Sed uniuscujusque arboris*, inquit, *expurgabitis impuritatem; id est, quod in Historiâ ineptum est, abscindes; quodque in literâ vetuti corticosum, circumcides, atque ad ipsum cor arboris pervenies, id est intimum præcepti fructum per-* „ *scrutaberis, atque in cibum assumes*. Sed erit, „ *inquit*, eius fructus tribus annis immundus, „ non manducabitur. *Annum ponit pro tempore; tria enim prima tempora fuere, quibus adhuc Lex erat impura, Historiæ crassitudine prægravata: & umbram tanquam inutilem corticem circumpositam habebat. Tria porrò tempora esse ajo, quo Moyses, quo Josuë, quo Judices fuerunt; quartum postea fuit, quo illustris Prophetarum chorus exortus est: cum fructus Legis sanctus est factus & laudabilis: Nam a Prophetis Sanctis, quæ Lege continebantur, abrogari sunt cœpta, & ne commemorari quidem ea, quæ in umbris erant, contraque veritas prædi-*

*Quidquid ut inutile resecandum vel auferendum est, Præputium ab Hebræis metaphoricè vocatur.*

ca-

*cari palam*, & *Christi Adventus mysterium commendari: Hos proximè illico secutus est ille Præcursor*
„ *clamans*, *ac dicens:* Pœnitentiam agite; ap-
„ propinquavit enim Regnum Cœlorum: *Igitur quarto tempore*, *quæ in Lege tradita fuerant*, *expurgari cœperunt: Eratque jam sanctus quodammodo ejus fructus: Veruntamen quinto tempore ad cibum fuit aptus*, *quo tempore Christi contigit Adventus testificatus a Lege & Prophetis*. Breviùs hunc locum allegorizat *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione & Articulo supra laudatis. *Per hoc*, inquit, *præfiguratur*, *quòd post tres status Legis*, *quorum unus est ab Abraham usque ad David*, *secundus usque ad transmigrationem Babylonis*, *tertius usque ad Christum*, *erat Christus Deo offerendus qui est fructus Legis*. Moralem rationem addit Doctor Angelicus, Eâ nempe Lege nos edoceri, *Quòd primordia nostrorum operum debent esse nobis suspecta propter imperfectionem*. Quod ex *S. Gregorio Magno* desumptum est Libro 8. *Moralium* Cap. 29. *Ligna pomifera*, inquit, *sunt opera virtutibus fœcunda*. *Præputia itaque lignorum offerimus*, *cùm de ipsâ inchoationis infirmitate suspecti*, *primordia nostrorum operum non approbamus*. *Poma autem quæ germinant*, *immunda ducimus*, *nostrisque esibus non optamus: Quia cùm primordia boni laudantur operis*, *dignum est ut hoc animum non pascat operantis; ne dum accepta laus suaviter carpitur*, *fructus operis intempestivè comedatur*. *Qui ergo inchoata virtutis ab humano ore laudem recepérit*, *quasi plantati ligni ante tempus pomum comedit*.

---

## §. VIII.

*Lex de Solutione Decimarum*.

FRugum ac fructuum omnium Decimæ triplices solvebantur, primæ Levitis, secundæ Tabernaculo, ex quibus ter singulis annis oblationes fiebant, tertiæ tertio quolibet anno pauperibus distribuebantur ex præscripto Legis, *Deuteronomii* 26. 12. Quo religionis officio perfuncti Israëlitæ, ad solemnem hanc professionem faciendam adstringebantur: *Abstuli quod sanctificatum est de domo meâ*, & *dedi illud Levitæ & advenæ*, & *pupillo ac viduæ*, *sicut jussisti mihi: Non præterivi mandata tua*, *nec sum oblitus imperii tui*. *Non comedi ex eis in luctu meo*, *nec separavi ea in qualibet immunditiâ*, *nec expendi ex his quidquam in re funebri*, &c. Ratio cur hæc ipsis præscripta sit Professio, fuit Rituum Ethnicorum execratio, si *Spencerus* audiatur: Ut scilicet a profanarum Gentium moribus se prorsus alienos profiterentur, ab eorumque contagione se puros servarent. Futuram enim noverat Deus, nisi jam nata esset, superstitionem illam, quâ Ægyptii, Phœnices, aliæque Gentes profanæ publicum luctum frugibus collectis, in honorem *Isidis*, *Osiridis*, vel *Adonidis* celebrabant. Hinc illud *Diodori Siculi* Libro 1. De Ægyptiorum moribus agentis: *Etiam nunc Messis tempore*, *oblatis spicarum primitiis*, *incolæ juxta manipulos plangere*, *Isidemque invocare solent*. *Id quod idcirco faciunt*, *ut honorem pro inventis Deæ sub prima inventionis tempus retribuant*. Quò spectat *Julius Firmicus* Libro De Errore profanarum Religionum: *In adytis*, inquit, *habent Idolum Osiridis sepultum*, *hoc annuis luctibus plangunt*, *radunt capita*, *ut miserandum casum Regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis*, *tundunt pectus*, *lacerant lacertos*, *veterum vulnerum reserant cicatrices*, *ut annuis luctibus in animis eorum funesta ac miseranda necis exitium renascatur*.... *Sed in his funeribus & luctibus defensores eorum volunt addere Physicam rationem*. *Frugum semina Osirim dicentes esse*, *Isin Terram*, *Typhonem calorem*. *Et quia maturatæ fruges calore*, *ad vitam hominis colliguntur*, & *a terra consortio separantur*, & *rursus appropinquante Hyeme seminantur: Hanc volunt esse mortem Osiridis cùm fruges recondunt; inventionem verò cùm fruges genitali terræ fomento conceptæ*, *novâ rursus cœperint procreatione generari*...... *Cur plangitis fruges terræ*, & *crescentia lugetis semina: Ad sustentationem generis humani hæc omnia divinâ summi Dei liberalitate donata sunt*. *Agendæ sunt summo Deo gratiæ propter hoc*, *nec est summi Dei lugenda largitio*. *Deflete potiùs quòd erratis*, & *quòd errorem vestrum restauratis semper luctibus*, *plangite*. Eusebius Libro 1. *Præparationis Evangelicæ*; Cap. 9. de Phœnicum Theologiâ loquens: *Misericordiam*, inquit, *commiserationem & luctum senescenti Terræ germini consecrabant*. Ammianus Marcellinus Libro 19. Cap. 1. *Grumbatis* Regis Chionitarum filii necem in Amidæ obsidione memorans, luctumque solemnem propterea celebratum describens, ait: *Feminæ verò miserabili planctu*, *in primævo flore succisam spem gentis solitis fletibus conclamabant; ut lacrymare cultrices Veneris sæpè spectantur in solemnibus Adonidis Sacris*, *quod simulacrum aliquod esse frugum adultarum Religiones Mysticæ docent*. Et Libro 22. Cap. 9. *Juliani* Imperatoris ingressum Antiochiam memorans, ait: *Evenerat autem iisdem diebus annuo cursu completo Adonia Ritu veteri celebrari*, *Amato Veneris*, *ut fabulæ fingunt*, *apri dente ferali deleto*, *quod in adulto flore sectarum est indicium frugum*. *Et visum est triste quòd amplam Urbem Principumque domicilium introëunte Imperatore nunc primùm*, *ululabiles undique planctus & lugubris sonitus audiebatur*. Denique *Lucianus* Libro *De Deâ Syriâ*, Ritus in Sacris *Adonidis* observari solitos referens: *Magni luctus*, inquit, *per totam regionem inducuntur*. Superstitiosis illis Ethnicorum Ritibus ne se contaminarent Israëlitæ, solemniter eos profiteri jussit Deus, quòd ex decimis in luctu suo non comedissent: *Non comedi ex eis in luctu meo*. Hæc *Spenceri* observatio Libro 2. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Capit. 24. Auctoris ingenium & eruditionem probat, sed Legis sensum, ut mihi videtur, non aperit. Sensus ille apertus & obvius est, non ex reconditioribus Ethnicæ Superstitionis Mysteriis, non ex *Isidis*, *Osiridis*, & *Adonidis* Sacris *Mose* fortè recentioribus arcessendus, sed ex Legislatoris consilio. Jubet Deus ut Decimæ Levitis, advenis, pupillis & viduis separentur. Porrò si quis luctu funebri, aut aliâ quavis immunditiâ pollutus, ex decimis comedisset, vel eas in rem funebrem expendisset, pollutionem legalem affricuisset frugibus & fructibus, ex quibus cibos, aut impensas funebres delibasset: Adeoque illos attingere non potuissent Levitæ, advenæ, pupilli, & viduæ, nec illius ominis mensæ accumbere. Panis enim lugentium pollutus censebatur, Oseæ 9. 4. *Sacrificia eorum quasi panis lugentium*, *omnes qui comedent eum*, *contaminabuntur*. Ne igitur alicujus luctus, aut immunditiès fraudi esset Leviticis & pauperibus, in quorum usus tertii anni decimæ cedere debuerunt, Deus edixit ut solemniter profiteretur Israëlita quisque, Se ex decimis in luctu suo non comedisse, nec in quavis immunditiâ eas separasse, aut in rem funebrem expendisse. Eam interpretationem eò lubentiùs amplector, quòd Hebræo Textui, Chaldaicæ Paraphrasi, Versionibus Syriacæ & Arabicæ, ac Vulgatæ nostræ Latinæ meliùs conveniat, Hebræorumque pariter & Christianorum calculis comprobetur.

§. IX.

## §. IX.

*Lex Animalium diversi generis conjunctionem prohibens.*

ANimalium diversi generis sub eodem jugo coniunctionen, & commixtionem Israëlitis Lex prohibet Deuteronomii 22. 10. *Non arabis in bove simul & asino.* Et Levitici 10. 19. *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* Legis istius rationem affert *Theodoretus* Quæstione 27. in Leviticum: *Frequenter admonui*, inquit, *per sensibilia docere quæ spectant ad animum. Prohibet ergo diversorum generum coitum, veluti equi & asini: Ne ab irrationalibus animalibus ad ratione præditos transeat illegitima permixtio.... Apostolus autem contrahere societatem cum infidelibus prohibet dum ait:* Nolite „ jugum ducere cum Infidelibus. *Guillelmus Parisiensis* Libro *De Legibus*, Cap. 12. octo rationes hujus Legis affert. *Dicemus*, inquit, *causas prohibitionis commixtionis animalium diversi generis. Prima ergo causa fuit, ut ordo ipse naturæ commendaretur Populo Dei, tanquam jus naturale, ejusdemque statutum. Secunda causa fuit, ut flagitium omne sodomiticum declinaretur. Tertia causa, ut spurcissimis illis Gentibus, quæ ante Dei Populum ex Terrâ promissionis ejiciendæ erant, dissimilaretur, sicut legitur Levitici* 18. *&* 20. *Quarta causa, ut modestia, & pressio concupiscentiæ ex hoc Deo acceptior esse ostenderetur, quod etiam in animalibus brutis ad limites & normam naturæ eam esse regulatam volebat. Quinta, ut nefanda opera & maleficia, quæ fœtibus ex hujusmodi commixtione procreatis fiebant, declinaretur: Et hæc opera leguntur in Libro qui dicitur* Neumich, *sive* Nevemich, *& alio nomine vocant* Leges Platonis, *qui Liber totus est de hujusmodi commixtionibus, & vocatur* Leges Platonis, *quia contra Leges Naturæ est. Sexta causa, sugillatio cultura, sive Idololatriæ Veneris & Priapi. Hujusmodi enim commixtiones in ampliationem hujus Idololatriæ faciebant homines perditionis. Septima causa ( ut ait quidam ) erat, ne homines hujusmodi operibus contaminarentur, eis immiscendo se. Animalia quippe diversarum specierum rarissimè, & vix se invicem concupiscunt, nisi homo aliquid opere suo vel operis adhibeat ad appetitum hujusmodi concitandum: Hoc ergo indignum homine valdèque indecens ipsum judicavit esse, & non immeritò, videlicet quod aliquâ operatione suâ appetitum hujusmodi concitaret, & commixtionem procuraret.* Hæc ratio est & *Maimonidis* in *More Nevochim* P. 3. Cap. 69. *Octava causa, quia hujusmodi commixtio vix fieri potest, nisi in conspectu hominum, unius aut plurium, per quem aut quos procuretur, ut diximus. Periculosus autem est conspectus hujusmodi. Provocatorius enim est libidinis, similisque nefariæ commixtionis. Et istæ eædem causæ fuerunt prohibitionis conjunctionis hujusmodi animalium in aliquo opere, sicut est illa prohibitio:* Non arabis in bove & asino, *quæ Legitur Deuteronomii* 22. *Scito tamen, quia istas conjunctiones animalium diversorum generum in operibus suis faciebant juxta conjunctiones Planetarum, & quasdam alias constellationes, credentes ex hoc opera prosperari. Voluit ergo, Deus removere vanitatem credulitatis istius a cordibus eorum, tanquam radicem Idololatriæ, ne per eam, Creatore relicto, ad Stellarum servitia traherentur.* Has rationes contraxit *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 6. ad octavum. *Circa commixtionem*, inquit, *animalium diversæ speciei, ratio literalis potuit esse triplex. Una quidem ad detestationem Idololatriæ Ægyptiorum, qui diversis commixtionibus utebantur in servitium Planetarum: Qui secundùm diversas conjunctiones habent diversos effectus, ut super diversas species rerum. Alia ratio est, ad excludendum concubitum contra naturam. Tertia ratio est, ad tollendam universaliter occasionem concupiscentiæ. Animalia enim diversarum specierum non commiscentur de facili ad invicem, nisi hoc per homines procuretur: & in aspectu coitus animalium excitatur homini concupiscentiæ motus: unde & in Traditionibus Hebræorum præceptum invenitur, ( ut Rabbi Moyses dicit, ) Ut homines avertant oculos ab animalibus coëuntibus.* Rationem allegoricam subjungit S. Doctor; „ prohiberi scilicet, Ne jumenta, id est, populares homines, faciamus coire, id est, conjunctionem habere cum alterius generis animantibus, id est, cum Gentibus vel Judæis. „ Non esse etiam simul arandum in bove & asino: Quia fatuus sapienti in prædicatione non „ est sociandus, quia unus impedit alium. Quod ex *S. Gregorio* sumptum est, Libro 1. *Moralium* Cap. 16.

## §. X.

*De aliis quibusdam circa Animalia Observantiis Mosaicâ Lege præscriptis: Scilicet de ore bovi trituranti non alligando: De Aviculâ matre cum pullis non tenendâ: De Hœdo in lacte Matris non coquendo.*

ALias quasdam Observantias circa Animalia Lex scripsit, scilicet ne os bovis triturantis alligetur. Deuteronomii 25. *Non ligabis os bovis terentis in areâ fruges tuas.* 2. Ne invento nido aviculæ pullis, vel ovis suis incubantis, mater cum filiis teneatur. Deuteron. 22. 6. *Si ambulans per viam, in arbore vel in terrâ nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem: Non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios: Ut bene sit tibi, & longo vivas tempore.* 3. Ne hœdus in lacte materno coquatur. Exodi 23. 19. & 24. 26. & Deuteronomii 14. 21. *Non coques hœdum in lacte matris suæ.*

I. Quod primam Legem spectat, de ore bovi trituranti non alligando, sensum ejus cùm literalem, tum spiritalem breviter exponit *Theodoretus* Quæstione 31. in Deuteronomium. *Hujus*, inquit, *mandati spiritalem intellectum apertè docuit Sanctus Apostolus. Attamen ipse literæ sensus valde pius est. Siquidem periniquum est, terram arantem, & messem cum labore triturantem, fructûs non esse participem.* Ratio itaque literalis est, ut Israëlitæ ad misericordiam in homines exercendam paratiores essent, si etiam in animantia eam exercerent. Hinc *Tertullianus* Libro 2. *contra Marcionem*, Cap. 17. *Bovi etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præsentis laboris, quò faciliùs in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Sic & Pythagorici, ut refert *Porphyrius* Libro 2. De Abstinentiâ, *Lenitatem in muta animantia faciebant exercitationem bonitatis & misericordiæ in homines.* Fortè & ad superstitionem aliquam Zabiorum seu veterum Idololatrarum averruncandam Lex ea lata est, ut conjicit *Guillelmus Parisiensis Libro De Legibus Cap.* 4. Ubi cùm aliis de Legibus egisset ad sugillandam Idololatriam, vel Superstitionem Gentium profanarum damnandam condi-

ditis, subdit: *De isto genere videtur & id quod legitur Deuteronomii* 25. Non ligabis os bovis triturantis. *Licèt enim videri possit dictum esse & contra avaritiam Judæorum, qui eo usque parcebant frugibus, ut nec boves triturantes inde comedere permitterent; & ne hanc avaritiam in vindemiatores uvarum extenderent; non permittentes eos similiter de uvis comedere, vel de musto bibere, quod erat innata eis avaritia intoleranda crudelitas: Tamen consuetudo eorum, qui boves, ovesque abominabantur, ut de frugibus suis eos non sinerent comedere, in Mandato isto percussa est, & ostensa æquitas, quia justissimum est, ut qui participat in labore, participet in comestione.* Ratio verò spiritalis Legis istius fuit, ut docerentur homines, alimenta Pastoribus, & Prædicatoribus, boum fruges terentium symbolo figuratis, ab iis quibus verbum Dei prædicant, non ex charitate duntaxat, sed etiam ex justitiâ subministrari debere, ut explicat Apostolus *Epistola* 1. *ad Corinthios* Cap. 9. 7. 8. 9. 10. 11. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non manducat? Nunquid secundùm hominem hæc dico? An & Lex hæc non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos scripta sunt. Quoniam debes in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructûs percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et 1. ad Timotheum 5. 17. 18. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: Maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti.*

II. Legem alteram de aviculâ matre dimittendâ, cùm pullis vel avis incubans inventa est, Israëlitas ad humanitatem informasse censet *Theodoretus* Quæstione 21. in Deuteronomium. *Humanitatem*, inquit, *docet. Si enim parentes capiat relictis pullis, interibunt planè, cùm desit qui nutriat eos. Sin autem hos & illos venando capiat, peribit utique genus avium, si omnes talia committant.* Rationem illam immeritò ridet *Guillelmus Parisiensis*, meliorem licèt afferat. *Quidam*, inquit, *ridiculosè & pueriliter dixit, Præceptum esse causâ pietatis, ne mater filios perdens & otiosa nimis affligeretur, quasi duplici contritione contrita. In quo etiam credit ipse Deum insinuare filiis Israël, quàm misericordes deberent esse in homines, quantumque parcere ab afflictione eorum, quando in avibus sic parcere eos voluit ab afflictione. Propter hoc dicimus, quòd id bonum non est tantùm, nec ullo modo Deo adeò placitum, ut tantâ mercede ab eo remuneretur, quantâ Legis observantia universa. Quis enim audiat & risum contineat, de dimissione unius aviculæ tantam mercedem promittere, quantam pro universorum mandatorum suorum observatione? Ampliùs: Magis parcendum erit filiis, si pietas ibi locum haberet: cùm filii nec sibi nec aliis possent consulere, & matre adhuc indigerent, illa verò non indigeret eis. Majori verò crudelitate detinentur & occiduntur filii in casu isto quàm mater. Ne dubites etiam vel aliquam Idololatriam, vel aliquid Idololatriæ simile, sapientissimum Deum per hoc mandatum voluisse damnare. Sicut enim Malefici explorabant coitus seu commixtiones quorumdam animalium, ut illâ horâ interficerent ea, & de corporibus eorum, vel pulvere darent eis, quos vellent ardore suæ libidinis inflammare, credentes corpora eorum, vel pulverem, si illâ horâ occiderentur, hanc virtutem habere: Sic & de matre ovis incubante vel pullis, si eâ horâ caperetur, fœcunditatem & fortunam in nutriendis filiis posse præstare: & hoc scimus ex multis similibus, quæ legimus in Libris Maleficiorum. Voluit ergo hoc removere misericors Deus a cordibus eorum, ne aliunde venientem fœcunditatem quærerent, vel sperarent, quàm ab ipso: & propter hoc dixit,* Ut longo vivas tempore. *Ampliùs: Observatores auguriorum faustam & fortunatam reputabant inventionem nidorum cum matre & filiis, vel cum matre & ovis: & ideo dogmatizabant, non esse offendendam matrem, neque filios, nec separandos eos ab invicem. Quicquid enim contra nidum sic inventum facerent, contra fortunam facientis fieri credebant. Sed nidum eum omnibus in eo sic inventis servari præcipiebant, tanquam bonæ fortunæ causam quamdam. Unde & quamdiu servabant nidum hujusmodi, cum omnibus inventis in eo, illæsum, causam putabant diu eis benè esse & vivere; si verò dissiparent, aut aliquid de inventis læderent, dissipari domos suas. Et quod matri, vel filiis, vel ovis malefacerent, hoc vel filios eorum esse passuros pro certo scirent: Quemadmodum adhuc est opinio multorum insipientium, & a vetularum cordibus avelli non potest, faustam esse inventionem acûs vel oboli, & magis fortunatam esse, quàm magni ponderis argenti vel auri: Et ideo custodienda esse arctissimè, tanquam fortunæ felicis, & bonorum eventuum causas & pignora certissima, alioquin in perditione eorum perduntur ista bona. Voluit ergo misericors Deus hanc ridiculosam vanitatem, opinionemque mendacem delere de cordibus eorum; & bonum quod sperabant ex conservatione matris, vel pullorum, vel ovorum, & eorum conjunctione, posuit in contrario, videlicet in dimissione matris, & captione ac detentione filiorum. Non ergo propter bonitatem quam haberet in se dimissio aviculæ, captioque & detentio filiorum, tam magnificam mercedem promisit Dominus: Sed propter desertionem vanissimæ superstitionis, & elongationem ab Idololatriâ, atque susceptionem veræ credulitatis, & bonæ spei firmationem.*

Rationem utramque, tum eam quæ a *Theodoreto*, cùm eam quæ a *Guillelmo Parisiensi* allata est, calculo suo dignam judicavit *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 102. Articulo 6. ad octavum. *Proximum est*, inquit, *ut qui exercetur in affectu misericordiæ circa animalia, magis ex hoc disponatur ad affectum misericordiæ circa homines.*
„ *Unde dicitur Proverbiorum* 12. Novit justus ani-
„ mas jumentorum suorum: Viscera autem im-
„ piorum crudelia. *Et ideo, ut Dominus Populum Judaicum ad crudelitatem pronum, ad misericordiam revocaret, voluit eos exercere ad misericordiam etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa animalia fieri, quæ ad crudelitatem quamdam pertinere videntur: Et ideo prohibuit ne coqueretur hædus in lacte matris: Et quòd non alligaretur os bovi trituranti: Et quòd non occideretur mater cum filiis. Quamvis etiam dici posset, quòd hæc prohibita sunt eis in detestationem Idololatriæ: Nam Ægyptii nefarium reputabant; ut boves triturantes de frugibus comederent: Aliqui etiam Malefici utebantur matre ovis incubante, & pullis ejus simul captis, ad fœcunditatem & fortunam circa nutritionem filiorum: Et quia etiam in auguriis reputabatur hoc esse fortunatum, quòd inveniretur mater incubans filiis.* Allegoricam rationem subjungit S. Thomas. *Matrem etiam*, inquit, *non debemus simul tenere cum filiis: Quia in quibusdam retinendi sunt spirituales sensus quasi filii, & dimittenda est literalis observantia quasi mater:* Sicut in omnibus Cæremoniis Legis.

III. Legem postremam quod attinet, de Hœdo in lacte matris non coquendo, humanitatis & misericordiæ rudimentum esse censet *Philo Judæus*, Libro *De Charitate*, quia immanitatem sapit, id quod viventi animali cibus fuerat, in condimentum occisi vertere. Huic opinioni subscribunt *Aben-*

*Esra,*

*Esra*, *Isaacus Arama*, & alii ex Hebræorum Gente; ex Christianis *Clemens Alexandrinus Libro* 2. *Stromatum*, *Theodoretus Quæstione* 56. *in Exodum*, & *S. Thomas Primâ Secundæ*, *Quæstione* 102. *Articulo* 6. *ad quartum*. Sic in bruta etiam ea admitti, quæ speciem haberent immanitatis, Ethnici ipsi ab humanitate non planè alieni prohibuerunt. Athenienses in puerum animadverterunt, qui configebat cornicum oculos, & pœnam illi irrogarunt, qui vivum arietem excoriaverat, ut refert *Plutarchus* Libro 1. *De Esu Carnium*: Libro 2. acriter in eos invehitur, qui veru candens in suum jugulum intrudunt, ut sanguis circa ferri tincturam extinctus atque diffusus, carnem teneram & friabilem reddat: Aut qui saginandis gruibus & oloribus oculos consuunt. *Edamus*, inquit, *carnes*, *sed fame*, *non luxuriâ impulsi*: *Interficiamus animal*, *sed miserantes & dolentes*, *non insultantes & excruciantes*: *Qualia nunc multi multa perpetrant*. *Alii verubus ignitis porcos jugulant*, *ut ferri tincturâ sanguis extinctus atque diffusus carnem molliat*, *delicatamque reddat*. *Alii uberibus suum fœtarum instante jam partu insiliunt*, *eaque calcant*, *ut sanguinem*, *& lac*, *& tabum fœtûs simul interfecti inter matris dolores eximentes* (*proh piacularis Jupiter*!) *maximè inflammatam animalis partem vorent*. *Alii grues & olores oculis consutis inclusos in tenebris saginant*, *alienis temperamentis atque condimentis gustum novum obsonio suo conciliantes*. *Unde apprimè manifestum fit*, *non alimenti*, *aut esûs*, *necessitatisve gratiâ*, *sed ob satietatem*, *luxum*, *& prodigalitatem*, *nefas hoc ad voluptatem parandam fuisse conversum*. *Proinde sicut libidinem in mulieribus suis non explentes*, *omnia tentando ac incestis cupiditatibus vagando*, *tandem ad infanda prolabuntur*: *Sic circa nutrimentum intemperantia naturalem & necessarium transgressa finem*, *crudelitate ac flagitio cupiditatem variavit*. At, *inquies*, exempla illa ex *Plutarcho* allata respiciunt animalia viva, quæque vel immanitatis, vel misericordiæ objectum quadamtenus esse possunt. Quod de Hœdo dici non potest, qui in lacte matris coquitur. Neque enim ad animal occisum attinent, quâ ratione coquantur ejus carnes. Respondeo cum *S. Thomâ* loco supra laudato: *Quòd etsi Hædus occisus non sentiat qualiter ejus carnes coquantur*: *Tamen in animo decoquentis ad quamdam crudelitatem pertinere videtur*, *si lac matris*, *quod datum est ei pro nutrimento*, *adhibeatur ad consumptionem carnium ipsius*. Falsum enim est, quod objectio supponit, nonnisi in vivos & sentientes crudelitatem exerceri. Annon immanitas fuit in *Fulviâ*, quòd mortui *Ciceronis* linguam acu crinali pupugit, ut refert *Dio* in *Augusto*? Et in *Nerone*, quòd Matris a se interfectæ membra curiosius inspexit & contrectavit, teste *Suetonio*? Et in uxore *Tarquinii Tulliâ*, quòd supra cadaver Patris adhuc cruentum, curru vecta, consternatos equos egit, ut narrat *Florus* Libro 1. Cap. 7.? Et in Scythis, quòd hostium corio pro amiculis utebantur, & iisdem pharetras integebant, ut legimus apud *Herodotum Libro* 4. *Cap.* 64.? Quæ tamen mortuos non sensisse, in confesso est. Ita Lex ea quæ immanitatem saperent, in pecudes tam vivas quàm mortuas ab Israëlitis exerceri vetuit, ne qui in bruta sævire cœpissent, inde etiam in homines grassari paulatim assuescerent.

Secundò, Deus hanc Legem veterum Ethnicorum ritui magico & idololatrico opposuit. Ita *Guillelmus Parisiensis* Libro *De Legibus*, Cap. 4. *In naturâ suâ*, inquit, *nihil habet immunditiæ hædus*, *neque lac caprinum*: *Nihil etiam habet malitiæ*, *hoc est*, *nocumenti contra sanitatem corporalem*. *Præterea*, *utrumque licitum erat eis comedere vel bibere*: *Quâ de causâ igitur conjunctio amborum eisdem probibita esset*? *Hædus enim & lac mundus cibus & licitus est secundùm Legem*: *Propterea non est cur a Deo lacticus*, *aut hujusmodi delicatus cibus meritò prohibendus esset*. *Ampliùs*: *Quare prohibuit hoc potiùs de hædo*, *quàm de agno & vitulo*? *Ex his ergo omnibus consequens est*, *aliquam consuetudinem idololatrarum voluisse Deum per hoc removere*, *ut Dei Populus dissimilis esset Idololatris*, *non solùm ritu*, *sed vivendi ac vescendi consuetudine*. *Hujus autem signum validum est*, *quòd ista prohibitio repetitur Deuteronomii* 14. *& Exodi* 24. *ut fortiùs imprimeretur*. *Ex hoc enim apparet*, *vehementer Deo displicere contrarium ipsius*. *Cùm ergo in eo non inveniatur causa prhibitionis suæ*, *necesse est ut propter aliud probibitum sit*, *quod Deo non mediocriter displicebat*: *& hoc non potest esse nisi idololatria*, *vel aliquo modo ducens ad illam*. Hanc rationem approbat *S. Thomas* loco supra laudato, his verbis: *Potest dici*, *quòd Gentiles in Solemnitatis Idolorum taliter carnes hœdi decoquebant ad immolandum*, *vel ad comedendum*. *Et ideo Exodi* 23. *postquam prædictum fuerat de Solemnitatibus celebrandis in Lege*, *subditur*. Non coques hœdum in lacte matris suæ. *Maimonidis* suffragio hæc ratio confirmatur in *More Nevochim* P. 3. Cap. 48. dicentis, Hœdum in lacte materno coquere prohibitum fuisse Israëlitis, quòd *Idololatræ in cultu vel Festo suo aliquo ita facere solerent*: Additque: *In hac opinione non parum me confirmat*, *quòd videam Deum bis post præmissum de tribus Festis præceptum*, *ejus mentionem facere*. *Quasi voluisset dicere*, *Quando in Festis vestris coram me comparetis*, *non coquetis cibum vestrum secundùm consuetudinem harum Nationum*. *Hæc ratio magnum apud me pondus habet*, *licèt Ritum illum in libris Zabiorum nondum viderim*. Idem confirmat *Abarbanel* Commentario in Exodi Cap. 23. *Probabilius*, inquit, *videtur*, *Legem hanc ortam esse e more quorumdam cultui idololatrico deditorum*, *qui cùm sese congregarent*, *ita facere consueverunt*: *Hædum nempe lacte matris coxerunt*, *tempore quo fructus suos colligebant*, *persuasi se Ritu illo Deorum suorum gratiam sibi conciliare*. Ad hanc autem sententiam firmandam commemorat *Abarbanel* Hispanorum *Mesta*, festum rusticum, quod Pastores bis quotannis, ætate suâ, hœdis & lacte celebrasse refert, easque fuisse veteris Superstitionis reliquias. Consideratissima porrò Virorum Eruditorum observatio est, Deum *Exodi* 23. 19. & *Deuteronomii* 24. 25. 26. ubi Israëlitas ad tria Festa quotannis celebranda cohortatur, hæc quatuor illis præscribere, 1. Ne sanguinem sacrificii sui unà cum pane fermentato offerant. 2. Ne adipem sacrificii sui in crastinum servent. 3. Ut primitias in Dei solius Domum afferant. 4. Ne coquant Hœdum in lacte matris suæ. Quorum præceptorum duo priora certum est ad Pascha pertinere, & tertium ad Pentecostem, eaque superstitiosis profanarum Gentium moribus opponi. Quartùm autem ad Festum Tabernaculorum seu collectionis fructuum refert *Abarbanel*, & superstitiosæ idololatrarum consuetudini pariter oppositum censet, qui Hœdos in lacte materno coquebant, quo tempore fructus suos colligebant, ut Deos suos magis propitios haberent. Favet etiam huic sententiæ vetus *Karaita* Anonymus, a *Bocharto* laudatus, & antiquos idololatras hœdum in lacte materno coctum ad usus Magicos adhibuisse testatur. *Mos erat*, inquit, *inter veteres Ethnicos*, *cùm fructus omnes collegissent*, *coquere hædum in lacte matris suæ*, *& deinde ratione magicâ*, *lacte illo aspergere arbores*, *agros*, *hortos*, *& pomaria*; *fore credentes*, *ut hoc modo feraciora in annum sequentem redderentur*. Moris hujus non obscura vestigia in Idololatriæ Græcæ & Romanæ mo-

monumentis inveniuntur. *Panem* Deum Pastorum, *Palem* Deam rei rusticæ Præsidem, & *Sylvanum* agrorum & sylvarum Numen, Græcos, & Romanos qui Sacrorum suorum partem maximam ab ipsis acceperunt, lacte propitiasse, testes non ignobiles fidem faciunt. *Plinius* Præfatione ad Vespasianum: *Verùm & Diis lacte rustici, multæque Gentes supplicant.* Et *Ovidius* Libro 4. *Fastorum:*

*Adde dapes mulctramque suas, dapibusque refectus,*
*Silvicolam tepido lacte precare Palem.*

*Horatius* denique *Epistolarum* Libro 2. *Epistolâ* 1.

*Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,*
*Condita post frumenta, levantes tempore festo*
*Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem.*
*Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fidâ,*
*Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.*

Ex illis quidem testimoniis non constat, utrùm in lacte, quod Numinibus illis offerebant, hœdum vel agnum coquerent, sed id satis verisimile est, inquit *Tostatus* Scripturæ Sacræ eruditus Interpres, *Quæstione* 36. *in Exodum* Cap. 23.

Allegoricam & Moralem Legis hujus, quæ Hœdum in lacte materno elixare vetat, rationem addit *S. Thomas* loco supra laudato. *Figuralis autem*, inquit, *ratio hujus prohibitionis est, quia præfigurabatur, quòd Christus, qui est Hœdus propter similitudinem carnis peccati, non erat a Judæis coquendus, id est, occidendus in lacte matris, id est, in tempore infantiæ. Vel significatur quòd Hœdus, id est peccator, non est coquendus in lacte matris, id est, non est blanditiis deliniendus.* Prior illa ratio ex *S. Augustino Quæstione* 90. *in Exodum* sumpta est: *Hoc*, inquit, *quomodo observetur ad proprietatem verborum, aut non est, aut non elucet. Intellectum tamen de Christo approbo, quòd hâc Prophetiâ prædictus est non occidendus a Judæis infans, quando Herodes quærens eum ut occideret, non invenit, ut* coques *quod dictum est, pertineat ad ignem passionis, hoc est tribulationem.*

Judæi prohibitionem illam non parum ampliarunt. nam Hœdi nomine, bovis etiam, & agni carnem, & coctionis nomine quemvis carnium illarum usum intelligunt: Neque lac solùm matris, sed aliud quodvis negant cum carne comedi debere, ut constat ex *Maimonide* Libro *De cibis vetitis*, Cap. 9. quod viginti octo Paragraphos de hac prohibitione complectitur: Qui tamen (ut observat *Bochartus*) hoc argumentum Hebræorum omnium brevissimè transcurrit. Alii enim libros integros de eâ Lege scripserunt, ex quibus illos habere constat duplicia vasa culinaria, altera ad carnes, altera ad cibos lactarios. Lactaria verò tribus distinctis notis signant, eo quòd hæc prohibitio ter in *Mose* repetatur. Duos etiam cultros semper deferunt, unum ad carnes, alterum ad caseum; tribus pariter incisuris notatum. Duo etiam in mensâ habent salina, ne carnes & lacticinia uno & eodem sale condiantur. Carnes & lacticinia simul coquere in eodem foco, aut simul mensæ apponere nefas ducunt, sed pro utrisque peculiares habent mappas & mantilia, aliaque anxiâ & scrupulosâ religione observant, ne in hanc Legem peccare videantur. De quibus Legi possunt *Buxtorfius*, Synagogæ Judaicæ Cap. 26. *Leo Modena* De Ritibus Judæorum P. 1. Cap. 7. *Fagius* in Cap. 21. Exodi, *Bochartus* Hierozoici Libro 2. Cap. 3. & *Spencerus* Libro 2. De Legibus Ritualibus Hebræorum, Cap. 8.

# DISSERTATIO IV.

## DE JUDICIALIBUS SEU Forensibus Legis Mosaicæ Præceptis.

Ut divinæ Legis Populo Israëlitico per *Moysi* manus traditæ accuratam habeamus notitiam, reliquum est ut post Ceremonialium Præceptorum explicationem, quæ Populum illum ad Deum ordinabant, de Forensibus seu Judicialibus ejusdem Legis Præceptis agamus, quæ Israëlitas ordinabant ad invicem. Quadruplex autem ordo in aliquo Populo inveniri potest, inquit *S. Thomas*, Primâ Secundæ, Quæstione 104. Articulo 4. Primus, Principum Populi ad subditos; secundus subditorum ad invicem; tertius ad extraneos; quartus, ad domesticos, sicut patris ad filium, uxoris ad virum, & domini ad servum. Et secundùm quadruplicem illum ordinem distingui possunt Præcepta Judicialia Veteris Legis. Dantur enim in eâ quædam Præcepta de institutione Principum, & officio eorum, & de reverentiâ eis exhibendâ: & hæc est prima pars Judicialium Præceptorum. Dantur quædam præcepta spectantia populares & concives ad invicem comparatos: & hæc est secunda pars Judicialium Præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos, ut de bellis contra hostes, & de susceptione peregrinorum & advenarum: & hæc est tertia pars Judicialium Præceptorum. Dantur denique in Lege præcepta quædam pertinentia ad conversationem domesticam, nempe de uxoribus, filiis, & servis: & hæc est quarta classis Judicialium Præceptorum.

---

### ARTICULUS I.

*De Præceptis Judicialibus spectantibus Principes: & de Theocratico Israëlitici Populi Regimine.*

I. Ordinem optimum circa Principes divinâ Lege institutum probat *S. Thomas* ex duabus conditionibus ad rationem Regiminis optimi requisitis: quarum prima est ut omnes aliquam partem habeant in Principatu: Medium enim istud efficacissimum est ad pacem Populi conservandam: Altera, ut sit præstantissima species Principatûs, nempe Monarchia Aristocratiâ temperata: Ita ut unus quidem præsit, selecti verò ex Populo, & a Populo Optimates in partem Regiminis veniant. Hæc autem ratio fuit administrationis Reipublicæ Hebræorum Lege divinâ instituta. Moyses enim & ejus Successores auctoritate quasi Monarchicâ Populum regebant. Unde *Deuteronomii* 33. 4. dicitur: *Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob. Erit apud rectissimum Rex, congregatis Principibus Populi eum Tribubus Israël.* Secundùm Hæbræum Textum, & Chaldaicam Paraphrasim, Regis nomen clariùs & expressiùs ad Mosem refertur: *Et fuit Rex in Israël.* Hinc *S. Stephanus* Actuum 7. de Moyse ait: *Hunc Deus Principem & Redemptorem misit.* Et *Philo* Libro 3. De ejus Vitâ Regem illum vocat: *Hæc est vita*, inquit, *hic exitus Mosis, Regis, Legislatoris, Pontificis, Prophetæ.* Eligebantur autem ex omni Populo 72. Seniores, qui Regiminis participes essent, ac rerum gerendarum, judiciorumque Administri: Exodi 18. 21. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus est veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Tribunos &*

*Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent Populum omni tempore: Quicquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò judicent: Leviusque sit tibi, partito in alios onere.... Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille* (scilicet *Jethro*) suggesserat. *Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos Principes Populi, Tribunos, & Decanos qui judicabant plebem omni tempore: Quicquid autem gravius erat, referebant ad eum*. Et Deuteron. 1. *Dixi vobis....* (inquit Moses) *Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in Tribubus vestris, ut ponam eos vobis Principes. Tulique de Tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, ac Decanos; qui docerent vos singula. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod justum est, judicate: Sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: Nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam: Præcepique omnia quæ facere deberetis.*

II. Israëlitici tamen Populi Regimen nec Monarchia propriè fuit ad *Saülem* usque, nec Aristocratia; sed *Theocratia*. Quamvis enim *Moyses* & Seniores, & post *Mosis* obitum, *Josuë*, deinde Judices, Rempublicam Israëliticam moderarentur: Deus tamen summæ rerum præerat, & non modò sacra, sed & civilia omnia supremo cum imperio, ceu Rex Politicus regebat: *Moses* autem & Seniores, Josuë, Judices, vicarium tantùm imperium gerebant, & juxta Dei Responsa vel Præcepta Rempublicam administrabant. Dei Regia Potestas & absolutum in Gente Israëliticâ Imperium ex Scripturâ Sacrâ liquidò probatur *Judicum* 7. ubi Israëlitæ a Madianitarum jugo *Gedeonis* virtute liberati, ipsi & posteris ejus Imperium & Principatum obtulerunt, dicentes: *Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui: Quia liberasti nos de manu Madian*. At *Gedeon* Principatum respuit, ne Jura Dei qui Rex erat Israëlis, usurparet. *Non dominabor vestri*, inquit, *nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*. Et 1. Regum 7. *Samuëlem* Populi Regem postulantis vota molestè ferentem Deus ita consolatur: *Audi vocem Populi in omnibus quæ loquuntur. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Quibus verbis Deus indicat, non solùm Theocratiam Naturalem se in Israëlitas exercuisse, quam in omnes creaturas jure creationis & omnipotentiæ suæ a primâ rerum origine exercuit, & semper exercebit; sed etiam Theocratiam Civilem, & Politicum Imperium; quod ex verbis *Samuëlis* Cap. 12. relatis confirmatur. *Videns quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi; Nequaquam, sed Rex imperabit nobis: Cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis*. Hinc solium cui *Salomon* insedit *Solium Domini* appellatur 1. *Paralipomenon* 29. 23. & Regnum quod ejus posteri tenuerunt *Regnum Domini*, 2. Paralipomenon 11. 1. 8. & Judicium quod Principes Populi ferebant, *Dei Judicium*, Deuteronomii 1. 17. Hinc Jerusalem *Civitas Dei*, & *Civitas Regis Magni* dicitur Psalmo 47. 1. 2. Alibi etiam nòn semel titulus Regis Israël Deo tribuitur: Psalmo 149. 2. *Lætetur Israël in eo qui fecit eum: & filii Sion exultent in Rege suo*: Jeremiæ 51. 57. *Ait Rex, Dominus Exercituum nomen ejus*. Matthæi 5. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: Neque per Jerosolymam, quia civitas est Magni Regis*.

Præterea, Deus ea omnia egit in Republicâ Israëlis, quæ terrenis Regibus conveniunt. Leges dedit in Monte Sinai, quas etiam mercede & pœnis temporalibus propositis observari jussit. Ille controversias omnes graviores, circa res sacras aut civiles exortas, responsis ex Propitiatorio, quod & Oraculum dicitur, datis diremit, ac sententiam tulit, ut constat ex *Exodi* 18. 19. ubi *Jethro* ait Moysi: *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad Eum:* Et *Numerorum* 27. 4. ubi cùm filiæ *Salphaad* patris hæreditatem postularent, *Retulit Moses causas eorum ad judicium Domini, qui dixit ad eum: Justam rem postulant filiæ Salphaad; Da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant*. Deus Israëliticæ Gentis bella pugnavit. Josue 23. 3. 10. *Cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum Nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnaverit: & nunc quia vobis sorte divisit omnem Terram... Unus e vobis persequetur hostium mille viros. Quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est*. Hinc Deus *Triumphator in Israël* appellatur 1. *Reg.* 15. 29.

Tertiò, Jura Majestatis apud Israëlitas, antequàm Regem haberent, uni Deo reservata erant. Ille enim Duces & Judices, Proreges & Vicarios suos constituebat. Judicum 3. 10. *Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet.... Fuitque in eo Spiritus Domini, & judicavit Israël* Cap. 6. 10. Dominus per Angelum *Gedeoni* loquens, ait: *Vade in hac fortitudine tuâ, & liberabis Israël de manu Madian: Scito quòd miserim te*. Judices nulla Regiæ potestatis insignia gestabant: In Reipublicæ negotiis difficillimis Deum ex Oraculo respondentem consulebant, quod argumentum est vicariæ tantùm, & delegatæ Præfecturæ. *Numerorum* 27. 21. Moyses Deum his verbis compellavit: *Provideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc; & possit exire & intrare ante eos, educere eos vel introducere: Ne sit Populus Domini sicut oves absque Pastore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Josuë filium Num, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine & dabis ei Præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël: Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum, ad verbum ejus egredietur ipse, & omnes filii Israël cum eo, & cetera multitudo*. Judic. 20. 18. *Surgentes venerunt in Domum Dei, hoc est in Silo; Consuluerunt que Deum, atque dixerunt: Quis erit in Exercitu nostro Princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Judas sit Dux vester*. Rursum Israëlitæ Aciem contra Benjaminitas direxerunt: *Ita tamen ut priùs ascenderent & flerent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum & dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, & inite certamen*. 26. 27. 28. *Omnes filii Israël venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, & super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat Arca fœderis Dei, & Phinees filius Eleazari filii Aaron, Præpositus Domûs. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, eras enim tradam eos in manus vestras*. Nulli ad publicum aliquod Munus gerendum sine Dei consensu evehi poterant.

rant. Deuteronomii 17. 14. 15. *Cùm ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque ibi & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum Nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Numerorum 11. 16. 17. *Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de Senibus Israël, quos tu nosti quòd Senes Populi sint ac Magistri: & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum ut descendam, & loquar tibi: & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus Populi, & non tu solus graveris.* Sicli dimidium, tributi loco, Israëlitę omnes annum vigesimum supergressi, Deo, tanquam Regi suo solvere quotannis tenebantur. Exodi 30. 13. 14. *Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram Templi.... Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero a viginti annis & supra, dabit pretium*, &c. Porrò Deus Israëlitas in Populum sibi peculiarem elegit, ab iisque vicissim Rex eligi voluit, ut Gentis illius Regimen & Imperium Populi suffragiis & consensu, potiùs quàm eminentiæ suæ jure habere videretur. Deus Israëlitis, Israëlitæ Deo Regum & subditorum ritu mutuo fœdere se obstrinxerunt. Illos in clientelam Deus recepit, seque in Terram Chanaan illos introducturum sanctissimè promisit; illi datas a Deo Leges fideliter ac religiosè se observaturos polliciti sunt. Exodi 19. 4. & seq. *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quo modo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis Populis: Mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in Regnum sacerdotale, & gens sancta. Venit Moyses, & convocatis majoribus natu Populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus. Responditque omnis Populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* 23. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum quem paravi.... Si audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* 24. 3. *Venit ergo Moyses, & narravit Plebi omnia verba Domini, atque Judicia: Respondítque omnis Populus unâ voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Deuteronomii 26. 17. 18. 19. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & custodias cæremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus Imperio. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei Populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius: & faciat te excelsiorem cunctis Gentibus quas creavit, in laudem, & nomen, & gloriam suam, ut sis Populus sanctus Domini Dei tui.* Hinc Lex Populo Israëlitico data, *Fœderis* & *Pacti* nomine insignitur. Deuteronomii 4. 13. *Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit vobis ut faceretis, & decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.* 29. 1. *Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israël in Terrâ Moab: Præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb.* Fœdus illud Deum inter & Populum solemni ritu confirmatum est. *Exod.* 29. Scriptis universis sermonibus Domini, ædificato Altari, holocaustis & victimis pacificis Domino immolatis, *Tulit Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super Altare. Assumensque Volumen fœderis, legit audiente Populo: Qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in Populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & Septuaginta de Senioribus Israël, & viderunt Deum Israël.... & comederunt & biberunt.* Quartò, plurima Legis Mosaicæ Instituta Deo quatenus Regi Israëlis conveniunt, Tabernaculum, & deinde Templum instar Palatii Regii fuere. Exodi 25. 8. *Facientque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Arca & Propitiatorium Solii Regii vicem præstabant. Ornamenta, supellex, & vasa Tabernaculi, Regiæ magnificentiæ conveniebant. Hinc *Abarbanel* ad Exodi 25. *In Tabernaculo*, inquit, *fuere Mensa, & Candelabrum & Ara suffitûs, tanquam ad ministerium Regis Mundi apta. Non quòd illi, cui laus omnis, harum ullâ re opus esset, absit ita sentiamus: sed ut Populi animis penitùs insideret, in mediis Israëlis Castris versatum esse Dominum Deum ipsius.* Sacerdotes & Levitæ tanquam ordinis & dignitatis diversæ famuli instituti sunt, qui Deo tanquam Regi Israëlis ministrarent. Quintò, sicut cæteras Gentes a Regibus suis, ita Populum Hebræum a Deo gubernatum fuisse, colligitur ex 17. Ecclesiastici 14. *In unamquamque Gentem præposuit Rectorem: & pars Dei Israël facta est manifesta.*

Confirmatur ex *Josepho* Libro 4. *Antiquit. Judaicar.* Cap. 8. ubi Deum sic Judæos alloquentem inducit: *Optimum quidem est Optimatum regimen, & in sic administratâ Republicâ vivere, nec est cur aliam ejus speciem concupiscatis: Sed præstat ut hac contenti, in Legum & vestrâ ipsorum potestate sitis. Satis enim est Deum habere Præsidem.* Et infra, belli Leges a *Moyse* præscriptas recensens, sic eum loquentem inducit: *Exercitum contra eos* (hostes) *educite, Imperium Deo committentes, creato uno aliquo forti viro, qui Vicarius illi sit, & quasi Proimperator.* Et Libro 2. contra Apionem: *Quis ejus quidquam movere potest, aut quid melius adinvenit? Vel quis ab aliis Gentibus tanquam præcellentius ad statum Reipublicæ nostræ aliquid transferre potest? Aut quæ poterit esse melior atque justior, quàm ea quæ Deum quidem Principem omnium esse confirmat? Sacerdotibus autem in communi quidem res præcipuas dispensare permittit; Summo verò Pontifici aliorum Sacerdotum Principatum competenter injungit.* Ibidem: *Infinitæ quidem particulatim Gentium atque Legum apud cunctos homines differentiæ sunt. Alii siquidem Monarchis, alii Populo, potestatem Reipublicæ commisere. Noster verò Legislator nihil horum intendens, θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Politiam nostram divinum Imperium declaravit: Deo præcipuè Principatum & potentiam assignans.*

Confirmatur secundò ex *Theodoreto* Quæstione 14. in 1. *Regum*, ubi quærit, *Quamobrem doluit Deus, cùm Regem petiisset Populus?* Respondet: *Quoniam petitio erat præter Legem divinam. Dominus enim Deus & Dei & Regis implebat Munus. Propheta autem Samuël erat Administer, & velut quidam Præfectus, aut Magister Militum, aut Tribunus Plebis. Atque hoc Deus ei significavit, dicens:* Audi vocem Populi, quoniam non te spreverunt, sed me, ut non regnem super eos.

Confirmatur tertiò ex *S. Thomâ* Primâ secundæ, Quæstione 105. Articulo 1. ad Primum. *Populus ille*, inquit, *sub speciali curâ Dei regebatur. Unde dicitur Deuteronom.* 7. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei Populus peculiaris. *Et ideo institutionem Summi Principis Dominus sibi reservavit: Et hoc est quod Moyses petivit.* Numerorum 27. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc: *Et sic ex Dei ordinatione institutus*

*tus est Josuë in Principatu post Moysen: Et de singulis Judicibus, qui post Josuë fuerunt, legitur,* ,, *quòd* Deus suscitavit Populo Salvatorem, *&* ,, *quòd* Spiritus Domini fuit in eis, *ut patet Judicum 2. Et ideo etiam electionem Regis non commisit Dominus Populo, sed sibi reservavit, ut patet* ,, *Deuteronomii 17.* Eum constitues Regem, quem ,, Dominus Deus tuus elegerit.

III. Porrò quamvis Regem Israëlitis Deus non dederit, donec eorum adulta Respublica esset, ac felicis regiminis mutationem votis & importunis petitionibus Populi novitatem amantis, & Gentium moribus conformari volentis, quasi indignatus concesserit: De Regis tamen electione congruo tempore faciendâ, & conditionibus ab illo subeundis providentissimè statuit *Deuteronomii 17. 14. 15.* & seq. Ac primò quidem eligendi modum præscripsit, ut scilicet in ejus electione judicium Domini expectarent, nec alienigenam Regem crearent, quia Reges alienigenæ Gentem, cui præficiuntur, minùs diligere solent, resque illius minùs curare. *Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Malè hoc Zelotæ eò trahebant, quasi externis Regibus parere non liceret. Lex enim agit de voluntariâ electione, non de eo quod indixit necessitas. Voluit Deus ut tempore Babylonicæ captivitatis Judæi *Nabuchodonozori* Regi parerent, & in *Sedeciam* animadvertit, quòd fœdus cum illo initum violasset, atque ad Regem Ægypti confugisset, ut videre est *Jeremiæ 38. 17.* & *Ezechielis 17. 12. 13. 14. 15.* Adversùs Zelotas illos disputans *Agrippa* apud *Josephum* ita loquitur: *Intempestivum est nunc libertatem appetere, cùm oportuerit de eo, ne ea amitteretur, certasse olim: Dura enim servitutis experientia, & justum certamen ne ejus initium fiat. At simul victus, si deficit, non libertatis est amans, sed servus petulans.* Quem secutus *Josephus* ipse, obsessos Jerosolymitas sic affatur: *Quod si & pulchrum pro libertate bellare, id olim factum oportuit: At cùm simul succubitum est, multisque temporibus concessum alteri Imperium, velle deinde excutere jugum, mortem quærentium est, non libertatem amantium.* Secundò, Regibus, postquam instituti forent, præscripsit Deus quomodo se gerere deberent quantùm ad personalem & œconomicum statum, ut scilicet non multiplicarent currus & equos, neque uxores, nec immensas divitias congererent: Quia ex horum cupiditate Principes justitiam deserunt, & ad tyrannidem declinant. *Cùmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet Populum in Ægyptum, equitatûs numero sublevatus. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immensa pondera.* Cùm in Judæâ equorum inopia esset, adeò ut viri etiam Principes asinis veherentur, *Judicum 10. 4. XII. 14. Paralipomenon 27. 30.* vetat Deus Regi multitudinem equorum, ne detur inde occasio popularibus migrandi in Ægyptum equis feracem, unde Idololatricas Superstitiones in Judæam reportarent. Præterea, *Vult eos soli Deo fidere*, inquit, *Theodoretus Quæstione 18.* in *Deuteronomium*, suam expositionem *Davidis* oraculo confirmans Psalm. 32. *Non salvatur Rex per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: In abundantiâ autem virtutis suæ non salvabitur.* Uxores etiam plurimas Regi prohibet, ne scilicet Reges Israëlis more Orientalium Regum Gynecæa feminis referta ad fastum, luxum, & voluptatem haberent: Ipsis tamen Polygamis esse licuit. Magistrorum auctoritas octodecim simul uxores Regi habere permisit. S. *Augustinum* hac de re differentem audiamus Quæstione 26. in Deuteronomium. *Quæritur*, inquit, *utrùm David contra hoc præceptum non fecerit: Non enim unam habuit uxorem. Nam de Salomone manifestum est, quòd transgressus fuerit hoc præceptum, & in feminis, & in auro, & in argento. Sed hinc potiùs intelligitur permissum fuisse Regibus ut plures haberent quàm unam: Multiplicare enim prohibiti sunt: Quæ prohibitio non habet transgressionem si paucæ fuerint, sicut David fuerunt, non autem multæ sicut Salomoni. Quamvis* ,, *cùm addidit.* Ut non discedat cor ejus, *hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando perveniat ad alienigenas feminas: Per quas factum est in Salomone, ut discederet cor ejus a Deo. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut etiamsi ex Hebræis solis eas multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse meritò argui posset.* Statuit etiam Deus quomodo Reges gerere se deberent erga Deum, ut scilicet in lectione & meditatione divinæ Legis assiduè versarentur, illumque timerent, ac illius mandatis morem gererent. *Postquam autem sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis hujus in Volumine, accipiens Exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribûs, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias ejus, quæ in Lege præscripta sunt.* Statuit denique Deus quomodo Reges gerere se deberent erga subditos, ut scilicet non superbè eos contemnerent, vel opprimerent, neque etiam a justitiâ declinarent. *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnent ipse, & filii ejus, super Israël.*

IV. Ne quis verò putet, Deum tyrannidem instituisse, quia 1. *Regum 8.* per *Samuëlem* ait: *Hoc erit Jus Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.* Ut enim docet S. *Thomas* loco supra laudato, in Responsione ad Quintum; *Illud jus non debebatur Regi ex institutione divinâ; sed magis prænuntiabatur usurpatio Regum, qui sibi jus iniquum constituunt, in tyrannidem degenerantes, & subditos deprædantes: Unde subdit,* Vosque eritis ei servi: *Quod propriè pertinet ad tyrannidem: Quia tyranni suis subditis principantur ut servis. Unde hoc dicebat Samuël ad terrendum eos, ne Regem peterent: Sequitur enim:* Noluit autem audire Populus vocem *Samuëlis*. *Samuël* itaque Dei nomine prænuntiat tyrannidem a Regibus nonnullis exercendam in Israëlitas, in pœnam ingratitudinis erga Deum, contumaciæ, superbiæ, violationis fidei divinæ ipsius Majestati præstitæ. *Et clamabitis*, inquit, *in die illâ a facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illâ, quia petistis vobis Regem.* Attamen, inquit S. Thomas, *potest contingere, quòd bonus Rex absque tyrannide filios tollat, & constituat Tribunos & Centuriones, & multa accipiat a subditis suis, propter commune bonum procurandum.*

AR-

## ARTICULUS II.

*De praeceptis Judicialibus spectantibus Populares & Concives ad invicem comparatos.*

*Judicialium praeceptorum Convenientia.*

I. PRæceptorum Judicialium quædam Judicia, pœnasque spectant: Quædam de possessionibus decernunt. Utraque convenienter in Lege tradita probat *S. Thomas* Primâ Secundæ, Quæstione 105. Articulo 2. *Populus*, inquit, *est coetus multitudinis, Juris consensu, & utilitatis communione sociatus. Unde ad rationem Populi pertinet, ut communicatio hominum ad invicem justis praeceptis Legis ordinetur. Est autem duplex communicatio hominum ad invicem. Una quidem quæ fit auctoritate Principum: Alia autem fit propriâ voluntate privatarum personarum. Et quia voluntate uniuscujusque disponi potest quod ejus subditur potestati: Ideo auctoritate Principum, quibus subjecti sunt homines, oportet quòd Judicia inter homines exerceantur, & pœna malefactoribus inferantur. Potestati verò privatarum personarum subduntur res possessa: & ideo propriâ auctoritate in his possunt sibi invicem communicare, emendo, vendendo, donando*, aliisque hujusmodi contractibus & commerciis. *Circa utramque autem communicationem Lex sufficienter ordinavit.* Unde singularis beneficii loco traditio Judicialium Præceptorum commemoratur Psalmo 147. *Non fecit taliter omni Nationi, & Judicia sua non manifestavit eis.*

*Judicum integritas. Varia Hebraeorum tribunalia. Juris dicundi ratio.*

II. Quod enim Judicia, pœnarumque irrogationem spectat, Deus Judices in primis constitui jussit. *Judices & Magistros constitues in omnibus portis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas Tribus tuas, ut judicent Populum justo Judicio, nec in alteram partem declinent.* (Deuteronomii 16. 18.) Hebræis, & eis qui in eorum Ritus transierant, Tribunalia fuere ordinaria Trium virorum, & Viginti-Triumvirorum quamplurima per urbes, oppida, ac pagatim disposita, præter Magnum Synedrium 72. Judicum Hierosolymis constitutum, quibus Jus secundùm Præcepta Mosaica, & ea quæ ex Majorum institutis Moribusque adjecta essent, cùm Popularibus, tum Proselytis Justitiæ dicebatur. De quibus videri potest *Seldenus* Lib. *De Synedriis Hebraeorum*. Proselytis domicilii jus dicebatur secundùm Jura Noachidarum, eisque Judices sive ex hujusmodi Proselytis, sive ex Hebræis constituebantur ab iis qui Tribunalibus Israëliticis præerant, teste *Maimonide in Hal. Melak.* Cap. 10. De causis pecuniariis Triumviri, de capitalibus XXIII. de causis Religionis Synedrium Magnum, judicabant. Secundò rectum Judiciorum ordinem Deus instituit. Deuteron. 1. 16. *Praecepique eis dicens: Audite illos, & quod justum est judicate: Sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: Nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Tertiò, sustulit Deus occasionem injusti Judicii, acceptionem munerum Judicibus prohibens. Exodi 23. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excaecant prudentes, & subvertunt verba Justorum.* Deuteronomii 16. 19. *Non accipies personam, nec munera: Quia munera excaecant oculos Sapientum, & mutant verba Justorum.* Quartò, Numerum testium, duorum vel trium Deus instituit. Deuteronomii 17. 6. *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se, dicente testimonium.* Et 19. 15. *Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit; Sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Attamen Noachides ex unius Judicis sententiâ, uniusque testis testimonio, afficiebatur ultimo supplicio, idque sine præmonitione atque testimonio propinquorum; Minimè verò ex testimonio fœminæ. Neque licuit fœminæ illis jus dicere, uti nec Hebræis, ut refert *Maimonides* in *Hal. Melak.* Capit. 9. Quintò, certas pœnas pro diversis delictis justissimus Legislator instituit, & quidem peccatis æquas, ut qui non redderet faciendo justitiam, redderet patiendo miseriam, ut ait *S. Augustinus* Libro 3. *De Libero Arbitrio*. Ex multis autem capitibus attenditur proportio pœnæ cum delicto, ex iisdem scilicet ex quibus æstimatur delicti gravitas. Primò ex quantitate peccati: Quia majori peccato, cæteris paribus gravior pœna debetur. Secundò, ex peccati consuetudine, quia hominum peccatis assuetorum licentia nonnisi gravioribus pœnis coercetur. Tertiò, ex effreni concupiscentiâ & affectu peccantis, necnon delectatione, quam ex peccato capit. Ab his enim illecebris & voluptate facilè non retrahuntur homines miserè inescati, nisi, graviorum metu pœnarum. Quartò, ex facilitate committendi peccatum, & in ipso manendi. Quæ enim facilè committuntur delicta, graviùs puniri oportet in aliorum exmplum & terrorem. In ipsâ etiam quantitate peccati quadruplex gradus est attendendus. Primò, cùm factum involuntarium est. Si enim prorsus involuntarium sit, nulli pœnæ est obnoxium. Hinc Supremus Legislator edixit Deuteronomii 22. 25. 26. 27. *Si in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum eâ, ipse morietur solus: Puella nihil patietur, nec est rea mortis: Quia sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam ejus, ita & puella perpessa est. Sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eam.* Si verò factum aliquo modo voluntarium fuerit, sed tamen ex infirmitate commissum, puta ex gravi animi perturbatione, levius peccatum est, adeòque leviori pœnâ plectendum, nisi ob publicam utilitatem pœnam aggravare necesse sit, ut ab hujusmodi delictis homines cohibeat severior disciplina. Atque earum etiam circumstantiarum Supremus Legislator rationem habuit. Secundus gradus est, peccatum ex ignorantiâ. Qui enim ex ignorantiâ peccabat, quodam modo reus censebatur propter negligentiam addiscendi. Publicorum tamen Judiciorum censuræ non subjacebat, sed delictum suum præscriptis per Legem Sacrificiis expiabat. Levitici 4. *Anima quæ peccaverit per ignorantiam*, &c. Quod de ignorantiâ facti, non Juris præceptique divini intelligendum est. Tertius gradus est, peccatum ex superbiâ, id est, ex certâ electione vel malitiâ, quod secundùm quantitatem delicti puniebatur. Quartus, peccatum ex proterviâ & pertinaciâ, cujus reus, quasi rebellis, & Legis (quantùm in ipso erat) destructor, capitis damnabatur.

*Pœnarum cum delictis proportio in judiciis Hebraeorum.*

III. Graviora itaque crimina pœnâ mortis vindicabantur. Undè, quæcumque contra Deum committebantur, ut Idololatria, cæteræque superstitiones, blasphemia, schisma, violatio Sabbati; & gravissima contra proximum, ut irreverentia contumax in parentes eorumque contemptus, homicidium, plagium, seu furtum hominum; adulterium, conjunctiones incestæ, libidinum contra naturam monstra, erant capitalia facinora. Bruta ipsa animantia certis in casibus Lex occidi jussit, non ob aliquam ipsorum culpam, sed in pœnam dominorum, qui non caverant ne proximo grave nocumentum inferrent; Vel in execrationem turpissimi & abominandi criminis

*Exod. 21. Levit. 20. Levit. 23.*

nis, & ne ex eorum aspectu aliquis horror hominibus incuteretur, & revocaretur in memoriam quod æternâ oblivione sepeliendum erat. Exodi 21. 28. *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur.* Levitici 20. 15. 16. *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur: Pecus quoque occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo.* Adversùs furta rerum, non personarum, pœna damni dumtaxat, sive mulcta constituta est. Et pro furto quidem rerum quæ facilè ab invasione furum custodiri possunt, fur duplum restituere cogebatur, *Exodi 22. 7.* pro furto verò rerum quarum difficilior custodia est, mulctam Lex infligit graviorem. Unde furtum de pascuo graviùs mulctabatur, quàm de domo. Exod. 22. 1. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro unâ ove.* Hanc regulam in plectendis furtis & profanæ Gentes observarunt. De Scythis *Justinus* scribit, Lib. 2. Cap. 2. *Nullum scelus apud eos furto gravius. Quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus quid salvum esset, si furari liceret?* Hinc *Aristoteles* in Problematis Sectione 29. loquens de Lege Atticâ, quæ fures balneares in ipsis balneis morte plecti decreverat, si æstimatio decem drachmis major esset; *Legis Auctor*, inquit, *eùm sciret illis in locis Dominos res suas custodire non posse, custodem Legem addidit.* Percussiones & mutilationes pœnâ talionis vindicabantur, Exodi 21. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c.* Et Levitici 24. 19. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: Fracturam pro fracturâ, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Postulationem porrò talionis Hebræis non permissam tanquam vitio careret, sed majoris dumtaxat mali vitandi causâ, ad injuriam scilicet coërcendam similis pœnæ metu, docet *Tertullianus Libro 4. Adversùs Marcionem* Cap. 16. *Novam planè patientiam docet Christus*, inquit, *etiam vicem injuriæ cohibens, permissam a Creatore, oculum exigentem pro oculo, & dentem pro dente: Contra ipse alteram ampliùs maxillam offerri jubens, & super tunicam pallio quoque cedi. Planè hæc Christus adjecerit, ut supplementa consentanea disciplinæ Creatoris. Atque adeò hoc statim renuntiandum est, an disciplinæ patientiæ prædicatur penes Creatorem. Si per Zachariam præcepit*, Ne unusquisque ma-„ litiæ fratris sui meminerit, *sed nec proximi.* „ *Nam & rursus*, Malitiam, *inquit*, proximi sui „ unusquisque non recogitet. *Multò magis patientiam indixit injuriæ, qui indixit oblivionem. Sed* „ *& cùm dicit*, Mihi vindictam, & ego vindicabo: *Proinde patientiam docet vindictæ expectatricem. In quantum ergo non capit, ut idem videatur & dentem pro dente, oculum pro oculo, in vicem injuriæ exigere, qui non modò vicem, sed etiam ultionem, etiam recordationem & recogitationem injuriæ prohibet. In tantùm aperitur nobis, quomodo oculum pro oculo, & dentem pro dente censuerit, non ad secundam injuriam talionis permittendam, quam prohibuerat, interdictâ ultione, sed ad primam coërcendam, quam prohibuerat opposito talione, ut unusquisque respiciens licentiam secundæ injuriæ, a primâ semetipsum contineret. Faciliùs enim vi comprimi scit repræsentatione talionis, quàm repromissione ultionis. Utrumque autem constituendum fuit pro naturâ & fide hominum; ut qui Deo crederet, ultionem a Deo expectaret; qui minùs sideret, Leges talionis timeret. Hanc Legis voluntatem de intellectu laborantem, Dominus & Sabbati, & Legis, & omnium paternarum dispositionum Christus & revelavit, & compotem fecit, mandans alterius quoque maxillæ oblationem, ut tantò magis vicem injuriæ extingueret, quam & Lex per talionem voluerat impedisse, certè quam Prophetia manifestè coërcuerat; & memoriam injuriæ prohibens, & ultionem ad Deum redigens. Ita si quid Christus intulit, non adversario, sed adjutore præcepto, non destruxit disciplinas Creatoris.* Legantur quæ supra observavimus *Dissertatione* 2. ad 5. Decalogi Præceptum, §. 49. Minora peccata flagellatione, vel ignominiâ Lex puniri jussit. De flagellatione Deuteronomii 25. 2. ita statuitur: *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensurâ peccati, erit & plagarum modus: Ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant: Ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Hæc pœna infligebatur, cùm alia pœna in Lege expressa non erat, peccatumque erat contra præceptum vetans, non mente, aut verbo, sed facto. Ubi etiam excisio, pœna Deo reservata, mortis mentione non additâ, Judices, si ad ipsos res deveniret, monitioque præcessisset, reum verberibus expiabant. Ea verbera, accedente confessione, valere credebantur ad evitandam pœnam a Deo reservatam, ut ex Hebræorum doctrinâ *Grotius* observat in Deuteronomii 25. Pœnam infamiæ irrogandam ei Lex edixit, qui uxorem fratris sui, absque liberis defuncti, ducere recusaret. Deuteronomii 25. 7. *Si responderit; Nolo eam uxorem accipere: accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israël, Domus discalceati.* Pœnam servitutis duobus dumtaxat in casibus Hebræis infligi voluit Cælestis Legislator. Primò cùm anno septimo remissionis servus beneficio Legis uti nolebat, ut libertate donaretur, in pœnam addicebatur perpetuæ servituti. Deuteronomii 15. *Sin autem dixerit: Nolo egredi, eo quòd diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat: Assumes subulam, & perforabis aurem ejus in januâ domûs tuæ, & serviet tibi usque in æternum. Ancillæ quoque similiter facies.* Secundò, pœna servitutis infligebatur furi, qui restituere non poterat secundùm præscriptum Legis Exodi 22. 3. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur.* Pœnam exilii *universaliter* Lex non statuit, quia in solâ Judæâ Deus colebatur, cæteris Gentibus per Idololatriam corruptis. Unde si quis ab Israëlitico Populo *universaliter* exclusus esset, daretur ei occasio Idololatriæ. Unde David Sauli dixit, ut refertur 1. Regum 26. 19. *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, servi Diis alienis.* Erat tamen aliquod *particulare exilium*, quò involuntarium homicidam Lex damnabat, si caput suum salvum præstare vellet. Ad unam scilicet Urbium Refugii confugiendum ipsi erat; ibique manendum usque ad mortem Summi Sacerdotis: Quâ contingente, se in domum suam tutò recipere poterat. *Deuteronomii* 19. 4. & seq. *Numer.* 35. 25. Observatio est *Sancti Thomæ* Primâ Secundæ, Quæstione 105. Articulo 2. in Responsione ad decimum. Ideo autem ad obitum usque Pontificis reditum ejus, qui alterum nolens interfecisset, Lex distulit, *Quia mors Pontificis secundùm ordinem Melchisedech, humani peccati solutio. Hic reduxit in Paradisum eos qui illinc fuerant ejecti. Porrò temporis illius spatio fuga homicidæ propinquorum molliebat animum, ac cædis libidinem refrænabat. Quòd autem post obitum Pontificis de exulantibus* ces-

*cessabat vindicta, satis valebat ad persuadendum propinquis, ut in reliquum iram extinguerent, tanquam mortuo Pontifice, sub quo delictum fuit admissum: & quòd Legislator hunc tum delicto, tum vindictæ, præfinierit terminum.*

IV. Ad excitandum inquirendi de homicidio occulto diligentiam, lata Lex est *Deuteronomii* 21. ut scilicet vicinioris civitatis Seniores vitulam jugo non subactam de armento acciperent, ducerentque in vallem asperam, saxosam, incultam, ubi cæsis vitulæ cervicibus, coram Sacerdotibus manus suas levarent super eam, dicentes: *Manus nostra non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius esto Populo tuo Israël, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio Populi tui.* Ad prodendum homicidium, ad execrationem cædis, ad iram, Dei e Populo civitatis avertendam, Ritus ille institutus est.

*Præcepta forensia Legis Mosaicæ circa possessiones.*

V. Quod possessiones attinet, optimum est, inquit *S. Thomas*, Quæstione & Articulo supra laudatis, ut distinctæ sint, & usus earum sit partim communis, partim voluntate possessorum communicetur. Hæc porrò tria Mosaicâ Lege statuta sunt. Primò enim possessiones singulis erant distributæ. Numerorum 33. *Ego dedi vobis Terram in possessionem, quam dividetis sorte vobis.* Et quia possessionum irregularitas plerumque Civitatibus & Rebuspublicis ruinam affert, Lex triplex remedium huic malo adhibuit. Primum quidem ut pro numero hominum æqualiter dividerentur Numerorum 33. 54. *Pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per Tribus & familias possessio dividetur.* Secundum remedium est alienationis perpetuæ prohibitio, statutaque certo tempore reversio rerum venditarum ad suos possessores, ne sortes hæreditatum confunderentur. Quia verò domus urbanæ non erant forte distinctæ, Lex earum alienationem in perpetuum permisit, sicut & bonorum mobilium. Domus verò quæ in Villâ muris non septâ sitæ erant, in perpetuum vendi non poterant: Quia domus hujusmodi non construuntur nisi ad culturam & custodiam possessionum: Ideoque Lex jus idem circa utrumque statuit. Levitici 25. *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus Terræ: Ipse est enim Jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam pristinam.... Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ, & coloni mei estis. Unde cuncta Regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat. Sin autem non habuerit proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit invenire: Computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit: & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam: quod si non invenerit manus ejus ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum Jubilæum. In ipso enim omnis venditio redibit ad Dominum, & ad possessorem pristinum. Qui vendiderit domum intra Urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Jubilæo. Sin autem in Villâ fuerit domus quæ muros non habet, agrorum jure vendetur. Si ante redempta non fuerit, in Jubilæo revertetur ad Dominum.*

*Alienatio perpetua possessionum prohibita.*

Tertium remedium ad possessionum inæqualitatem & confusionem tollendam, est propinquiorum successio in possessiones morientium, ut scilicet primo gradu filius, secundo filia, tertio fratres, quarto patrui, quinto quicumque cognati hæreditatem adeant. Sed tamen, ad distinctionem sortium in singulis Tribubus conservandam, Lex statuit ut mulieres, defectu fratrum heredes, alienæ Tribûs & familiæ hominibus non nuberent. Quæ Lex occasione filiarum *Salphaad* lata est, quibus patris absque prole masculâ defuncti hereditas divino adjudicata est oraculo. Numerorum 26. 6. *Et hæc Lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est. Nubant quibus volunt, tantùm ut suæ Tribus hominibus; ne commisceatur possessio filiorum Israël de Tribu in Tribum. Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & cognatione suâ: & cunctæ feminæ de eâdem Tribu maritos accipient: Ut hereditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur Tribus, sed ita maneant ut a Domino separatæ sunt.* Vulgata nostra hîc paulò obscurior, quæ hanc de connubiis Legem inter viros & feminas ejusdem Tribûs ad omnes omnino feminas ac viros absque exceptione extendere primâ fronte videtur, ex Hebræo Textu, & Samaritano, ex Versione LXX. Interpretum, Chaldaicâ Paraphrasi, aliisque Versionibus Orientalibus illustratur, ex quibus evidens est hanc Legem ad illas duntaxat feminas pertinere, quibus defectu fratrum, paternam hæreditatem adire datum est, exemplo filiarum *Salphaad*. Sic enim habet Textus Hebræus ad verbum redditus: *Omnis ideo filia possidens hæreditatem de Tribubus filiorum Israël, alicui de familiâ Tribûs patris sui erit in uxorem: Ut possideant filii Israël singuli hæreditatem patrum suorum.* Versio τῶν LXX. Latinè reddita sic habet: *Et non circumvertetur hæreditas filiis Israël a Tribu in Tribum: Quoniam unusquisque in hæreditate Tribûs familiæ suæ, conjungentur filii Israël. Et omnis filia vendicans hæreditatem ex Tribubus filiorum Israël, uni eorum qui de populo patris sui, erunt uxores; ut vendicent filii Israël unusquisque hæreditatem paternam suam.* Ita Textus Samaritanus: *Omnis ideo filia possidens hæreditatem de Tribubus filiorum Israël, alicui de familiâ Tribûs patris sui erit in uxorem, ut possideant filii Israël singuli hæreditatem patrum suorum: Et non circumagatur hæreditas de Tribu in Tribum aliam, sed unusquisque ex Tribubus filiorum Israël hæreditati suæ adhæreant.* Ita Targum Onkelos: *Et omnis filia hæres possessionis de Tribu filiorum Israël, uni de familiâ Tribûs patris sui sit in uxorem: Ut hæreditent filii Israël singuli possessionem patrum suorum. Et non transferatur possessio de unâ Tribu in aliam Tribum: Sed unusquisque Tribuum filiorum Israël adhæreat possessioni suæ.* Ita Versio Syriaca: *Et quæcumque filia hæreditatem possederit in Tribu filiorum Israël, alicui ex Tribu domûs patris sui nubat, ut possideat quisque filiorum Israël hæreditatem patris sui: Et non provolvatur hereditas a Tribu ad Tribum aliam, sed unusquisque de Tribubus filiorum Israël hæreditati suæ adhæreat.* Ita Versio Arabica: *Et simile esto judicium cujuslibet filiæ, quæ hæreditabit possessionem ab aliquâ Tribu filiorum Israël. Fiat enim alicui ex familiâ Tribûs patrum suorum conjux, ut hæreditet quælibet Tribus ex eis possessionem patrum suorum: Et non vagetur ulla possessio, quæcumque illa fuerit, ab unâ Tribu ad Tribum aliam, sed adhæreat unaquæque Tribus ex filiis Israël possessioni suæ.*

*Lex feminis lata ut suis tantùm contribulibus nuberent, de illis intelligenda quæ heredes essent.*

*Rerum aliqualis communio Lege imperata.*

VI. Secundò, Lege sancitum est, ut quantùm ad aliqua rerum usus communis esset. Primò quantùm ad curam. Deuteronomii 22. 1. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: Sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: Duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat*, &c. 2. Quantùm ad fructum, omnibus enim concessum erat ut unusquisque

que ingressus in vineam proximi uvas impunè comederet, non tamen extra ferre posset: Similiter ut in segetem amici ingressus, spicas frangere, & manu conterere posset, non falce metere. Deuteronomii 23. 24. 25. *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantùm tibi placuerit: Foras autem ne efferas tecum. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: Falce autem non metes.* Israëlitas beneficentiæ assuescere, & ad mutuam rerum suarum communicationem faciles esse voluit Cœlestis Legislator, ut amicitię & caritatis, quę finis Legis est, pignus esset mutua illa rerum saltem modicarum communicatio: Vetuit autem ne manipuli vel racemi ex agro aut vineâ proximi efferrentur, ne gravis damni inferendi occasio daretur, ex quo pax & tranquillitas publica perturbaretur. Pauperibus verò jus specilegii & racemationis in divitum agris, vineisque Lex concessit, Levitici 19. 9. 10. *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ: Nec remanentes spicas colliges. Neque in vineâ tuâ racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester.* Deuteronomii 24. 19. 20. 21. 22. *Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: Sed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quicquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas; sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. Memento quòd & tu servieris Ægypto, & idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.* Fruges etiam anni septimi pauperibus dimitti Lex præcepit, Exodi 23. 10. 11. *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes Populi tui.*

VII. Lex denique statuit communicationem rerum per eos factam qui sunt illarum domini: & hanc quidem vel merè gratuitam, ad quam pertinet illud Deuteronomii 14. 28. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: & repones intra januas tuas. Venietque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, quæ intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur: Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris.* Vel cum utilitatis compensatione conjunctam, ut fit in venditione & emptione, in locatione & conductione, in mutuo & deposito: De quibus sanctissima sunt in Mosaicâ Lege præcepta. Inprimis autem observatione digna sunt, quæ circa mutuum & commodatum sancit Cœlestis Legislator. Primò quidem voluit ut faciles se præberent ad mutuum exhibendum, nec ab hujusmodi præstando beneficio ipsos prohiberet anni septimi appropinquatio. Deuteronomii 15. 7. 8. 9. 10. *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: Ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei, nec ages quippiam callidè in ejus necessitatibus sublevandis: Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ: Idcirco ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terrâ.* Secundò, vetuit ne eos, quibus mutuam darent pecuniam, vel usuris, vel pignorum ad sustentandam vitam omnino necessariorum acceptione gravarent; præcepitque ut accepta statim restituerent. Deuteronomii 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo, absque usurâ, id quo indiget commodabis: Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in Terrâ, ad quam ingredieris possidendam.* Deuteronomii 24. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam: Quia animam suam opposuit tibi.* Exodi 22. 26. 27. *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei. Ipsum est enim solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, non habet aliud in quo dormiat: Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Confer Deuteronomii 24. 12. 13.

Tertiò, cavit Summus Legislator, ne ab iis quibus mutuam pecuniam dederant, debita importunè exigerent. Exodi 23. 25. *Si pecuniam mutuam dederis Populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor.* Deuteronomii 24. 10. 11. *Cùm repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas: Sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.* Quartò, Deus edixit ut anno septimo debita penitus remitterentur. Probabile enim erat eos qui commodè reddere possent, ante septimum annum reddituros, neque creditorem beneficum fraudaturos. Si autem omnino impotentes essent, eâdem ratione remittendum ipsis debitum erat, quâ eis de novo d[n]dum, ut eorum inopiæ subveniretur. Utrumque enim dilectio pariter imperabat. Deuteronomii 15. 1. *Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.*

Circa animalia verò commodata Lex statuit ut ob ejus negligentiam, cui commodata sunt, si absente Domino moriantur vel debilitentur, ea reddere, seu damnum compensare compellatur. Si verò domino præsente id contigerit, restitutionis Lege non teneatur, maximè si mercede conducta sint: Quia mori pariter ac debilitari apud ipsum commodantem potuissent. Unde si salvum ac integrum animal quocumque eventu recipere deberet, lucrum ex mutuo reportaret, adeoque mutuum gratuitum non esset. Exodi 22. 14. 15. *Qui a proximo suo quidquam horum mutuò postulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur. Quòd si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximè si conductum venerat pro mercede operis sui.* Si verò gratis commodatum erat animal, culpa latè sumpta obligare poterat commodatarium ad partem saltem aliquam rei pereuntis præstandam, quæ non obligasset conductorem, qui non suo solius, sed alterius etiam, scilicet locantis commodo talem contractum iniit.

VIII. De deposito hæc lata Lex est. Si depositum furto sublatum sit, furque lateat, depositarius a furti suspicione juramento se purgabit coram Judicibus. Si verò depositor ipsum depositarium fraudis accuset, utrinque causam examinabunt Judices, *& si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo*, ut Lex decernit, *Exodi* 22. 9. depositarius quidem si fraudis reus judicetur, depositor verò si iniquam actionem intenderit. Nam de mero casu teneri depositarium, planè injustum esset. Si cui commodatum animal ad custo-

*Divina Lex de deposito.*

ſtodiam fuerit, interimque pereat, debilitetur, aut capiatur ab hoſtibus, & nemo homo viderit, qui cavere poſſet, vel depoſitarii innocentiæ teſtimonium perhibere, juramento ſuſpicionem omnem depoſitarius a ſe repellet, dominuſque animalis illius juramento ſtare tenebitur. Si furtò ablatum fuerit, depoſitarii ſcilicet culpâ vel incuriâ, *reſtituet damnum domino*. Si comeſtum à beſtiâ, occiſi ſeu laniati animalis reliquias ad dominum deferet, nec ad reſtituendum adſtringetur.

*Ratio finiendi obſcuriores controverſias.*

IX. Ubi controverſia aliqua incidiſſet obſcurior, ſeu quæſtio, non facti, ſed juris, quæ ab Urbis alicujus Magiſtratibus dirimi non poſſet, ſed eò uſque procederet Judicum contentio ut pars minor tueri ſententiam ſuam vellet contra majorem, & inter diverſa ſentientes ſciſſura quędam civitatem illam ac vicinas diſtractura oriri poſſet, Lege ſancitum eſt ut ad Sacerdotes, vel ad Judicem, ſi quis eo tempore Populo a Deo datus præſideret, aut ad Synedrium cauſa referretur, ex quorum reſponſis ac decretis, Sacerdotum quidem, & præſertim Pontificis in controverſiis quæ Sacra ſpectabant, Judicis verò in cauſis civilibus, Legis interpretatio conſtaret. Quod ad ſchiſmatis periculum avertendum ſtatutum eſt. Qui autem Sacerdotis, aut Pontificis imperio parere ſuperbè & contumaciter renuebat, Capitis damnabatur. Deuteronomii 17. 8. 9. 10. 11. 12. *Si difficile & ambiguum apud te Judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore: Quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi Judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus; ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & Decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: Cunctuſque Populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ.* Sic Majores Eccleſiæ Cauſas ad locum quem elegit Dominus, ad Romanam ſcilicet Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, Sedentemque in ea Summum Pontificem, Chriſti Vicarium, & S. Petri Succeſſorem referendas, ob divinum ejus Primatum, jus & conſuetudo a primis Eccleſiæ ſeculis ſtabilita, & uſu continuo ad hodiernum uſque diem confirmata docent ac probant.

---

## ARTICULUS III.

*De Præceptis Judicialibus Extraneos ſpectantibus.*

*Leges pacificum Judæorum cum extraneis congreſſum ſpectantes.*

I. POpularium cum Extraneis congreſſus duplex eſſe poteſt: Unus pacificus, hoſtilis alter: & utriuſque reſpectu ſanctiſſima Præcepta Lex dedit. Pacificam enim cum extraneis communionem triplici ratione ſanxit. Primò reſpectu peregrinorum per Judæam tranſeuntium, ſecundò reſpectu advenarum in Terrâ Iſraëlis habitare volentium, tertio reſpectu eorum qui in Populi conſortium ac ritum cooptari cupiebant. Quod ſpectat extraneos primæ & ſecundę claſſis, Lex Judæis præcepit ut charitatem & miſericordiam in ipſos exercerent. Exodi 22. 21. *Advenam non contriſtabis, neque affliges eum; Advena enim & ipſi fuiſtis in Terrâ Ægypti.* Exodi 23. 9. *Peregrino moleſtus non eris. Scitis enim advenarum animas: Quia & ipſi peregrini fuiſtis in Terrâ Ægypti.* Quòd tertiæ claſſis extraneos attinet, Lex Ammonitas & Moabitas in Rempublicam Hebræorum cooptari vetat, quia Populo Iſraëlitico panis & aquæ ſubſidium negaverant & Balaam Ariolum ad maledicendum Hebræis conduxerant. Necnon Amalecitas, contra quos velut hoſtes infenſiſſimos bellum perpetuum Dei nomine indictum eſt. Ægyptios verò & Idumæos, qui Judaicæ Religioni nomen dediſſent, in tertiâ generatione civium nomine, juribus, & privilegiis donari conceſſit, ob gentium illarum cum Hebræis affinitatem. Exodi 17. 16. *Manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem.* Deuteronomii 23. 3. 4. 6. 7. 8. *Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem, non intrabunt in Eccleſiam Domini in æternum: Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aquâ in viâ, quando egreſſi eſtis de Ægypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamiâ Syriæ, ut malediceret tibi: Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ uſque in ſempiternum. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt*, ex Eſaü ſcilicet Jacobi fratre, Abrahami filio primogenitus; *Nec Ægyptium, quia advena fuiſti in terrâ ejus. Qui nati fuerint ex eis tertiâ generatione intrabunt in Eccleſiam Domini.* Lex in Moabitas & Ammonitas lata, de Maribus dumtaxat intelligenda eſt: Mulieres enim ex his Populis ad Deum converſæ, ut *Ruth*, nubere Iſraëlitis poterant, ut obſervant *Maimonides* & *Moſes de Kotzi*. Achiorem Ducem Ammonitarùm ex diſpenſatione in Collegium Populi Hebraici admiſſum ob fervorem Fidei, & quod de Iſraëlitis optimè meritus eſſet, ac propter illos *Holofernis* odium in ſe concitaſſet *S. Thomas* exiſtimat Primâ ſecundæ, Quæſt. 105. Art. 3. in Reſponſione ad Primum. Cenſent alii Achiorem in Religionem dumtaxat & Sacrorum Judaicorum communionem fuiſſe ſuſceptum, idque unum ſignificari Judith 14. 6. *Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus Iſraël, relicto Gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii ſui, appoſitus eſt ad Populum Iſraël & omnis ſucceſſio generis ejus uſque in hodiernum diem.* Sed Magiſtratûs in Republicâ Hebraicâ gerendi fuiſſe incapacem, & connubii cum Iſraëlitide ineundi. Nullius porrò Gentis homines a Judaicæ Religionis profeſſione, & Sacrorum communione, ſi Proſelyti fierent, excludebantur, ne quidem Moabitæ, Ammonitæ vel Amalecitæ, ſed ſolùm ab honoribus, conſiliis publicis, & connubiis, quo etiam loco cenſebantur eunuchi & nothi. Deuteronomii 23. 1. 2. *Non intrabit eunuchus Eccleſiam Domini. Non ingredietur manzer, hoc eſt de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini uſque ad decimam generationem.* Eccleſiæ nomine politicam ſocietatem hìc intellige, ſeu Populi cœtum, non corpus Religionis, ſicut Numerorum 20. 4. *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem, ut & nos & noſtra jumenta moriamur?* Et Judicum 20. 2. *Cunctæ Tribus Iſraël in Eccleſiam Populi Dei convenerunt quadraginta millia peditum pugnatorum.* Harum Legum rationem *Theodoretus* exponit Quæſtione 26. in *Deuteronomium*, ubi quærit, *Quare non ad certum tempus, ſed in perpetuum vetat eos miſceri cum Moabitis & Ammonitis?* Et reſpondet: *Imprimis propter infectam eorum radicem, cùm ex illegitimo congreſſu nati ſint. Deinde propter impietatem, ad quam tentaverunt adducere Iſraëlitas, adornantes uxores, & per eas ad cultum Idolorum illos allicientes. Iduмaum tamen & Ægyptium poſt tertiam generationem admitti jubet: Illum quidem tanquam fratrem,*

*rem, hunc verò tanquam bene ficum tempore opportuno. Urgente enim fame, patres eorum in Ægyptum ingredientes acceperunt alimenta. Lex igitur docet nos antiqui beneficii non oblivisci.* Eâ Quæstione 25. rationem reddit cur eunuchi & nothi a Populi Israelitici consortio excluderentur. *Sterilitas*, inquit, *anima per hac denotatur. Alienum enim est a Deo, fructus bonorum operum non producere..... Verùm sicuti sterilitatem interdicit, ita fructum malum repellit. Non enim ingredietur*, inquit, *ex Meretrice natus in Ecclesiam Dei.*

*Divina Leges de ratione belli gerendi.*

II. De hostili cum extraneis congressu Lex statuit, ut bellum justè susciperetur, & æquæ pacis conditiones primùm offerrentur hostibus. Deuteronomii 20. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus Populus qui in eâ est salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Id valuisse etiam in Terrâ Chanaan quidam contendunt. *Maimonidis*, & *Mosis de Kotzi* Præcepto jubente 15. auctoritate fulti, & Gabaonitarum exemplo assertionem suam probant. At singulare & extraordinarium exemplum ad Legis interpretationem trahi non debet. Gabaonitas dolo pacem petituros verisimile non est, nisi diffiderent se eam impetraturos, fatendo sincerè, quod res erat, se portionem esse Hevæorum, unius ex Populis Terræ Chanaan. Unde cùm *Josuë* & Principibus Israëlis dixissent, *De terrâ longinquâ venimus, pacem vobiscum facere cupientes*: Responderunt eis Israëlitæ: *Ne fortè in Terrâ, qua nobis forte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum. At illi ad Josuë: Servi*, inquiunt, *tui sumus. Quibus Josuë ait: Quinam estis vos & unde venistis? Responderunt: De terrâ longinquâ valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui.* Alii de civitatibus extra Chananitidem sitis Legem, de quâ agimus, intelligi volunt, iisque solis pacem ab Hebræis fuisse offerendam, antequam expugnarentur. Scripturæ Sacræ auctoritas hanc sententiam alteri anteponi jubet; cùm Deus Populos Terræ Chanaan simpliciter deleri præceperit, Deuteronomii 7. 1. 2. *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleverit Gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, septem Gentes multò majoris numeri quàm tu es, & robustiores te: Tradideritque eas Dominus Deus tibi, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum.* Et Deuteronomii 20. 15. 16. *Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, & non sunt de his Urbibus quas in possessionem accepturus es. De his autem civitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere: Sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: Ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt Diis suis: Et peccetis in Dominum Deum vestrum.* Unde fœdus cum eis factum Deus improbat Judicum 2. 1. 2. 3. *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in Terram pro quâ juravi Patribus vestris & pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum: Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus Terræ hujus, sed Aras eorum subverteretis, & noluistis audire vocem meam: Cur hoc fecistis? Quamobrem nolui delere eos a facie vestrâ.* Veruntamen licèt his Populis parcere post civitatum expugnationem, & datam a Deo victoriam Lex vetaret, eisque pacem offerre, & cùm iis fœdus inire ut suis ritibus moribusque inter Hebræos in eâdem Terrâ, iisdemque in civitatibus viverent; non prohibebat clementiam in eos exercere, & pacem eis concedere, si eam ante oppugnationem & certamen postularent, & absolutâ deditione, omniumque conditionum, quas victores præscriberent, & imprimis Idololatriæ ejuratione, hanc gratiam mererentur. Id colligitur ex Josuë 11. 19. 20. *Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: Omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* Aliis autem civitatibus extra Terram Chanaam positis pax primùm offerenda erat, tentandaque controversiæ, propter quam bellum denuntiabatur, compositio. Id Sapientes Politicos vel ipsa ratio docuit. Hinc Dionysius Halicarnassensis in in Excerptis Legationum: *Non ante*, inquit, *ad res veniendum est, quàm tentata sit verborum via.* Menelaus apud Libanium: *Homini convenientius priùs verborum experimenta facere, quàm statim ad arma prosilire.* Vologeses apud Tacitum: *Æquitate quàm sanguine, causâ quàm armis retinere parta majoribus malueram.* Et Rex Theodoricus apud *Cassiodorum* 3. Variarum, 1. *Tunc utile solùm est ad arma concurrere, cùm locum apud adversarios justitia non potest invenire.* Cicero Libro 1. De Officiis: *Cùm duo sunt genera disceptandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cùmque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si non uti licet priore.* Terentius: *Omnia priùs experiri, quàm armis Sapientem decet.* Plura vide apud *Grotium* Libro 2. *De Jure Belli & Pacis*, Cap. 23. §. 7.

Secundò, Lex Bellum justè cœptum fortiter geri sanxit, conceptâ ab Israëlitis de auxilio Domini Exercituum fiduciâ: Quod ut religiosiùs servaretur, statuit ut Sacerdos imminente prælio animos adderet pugnaturis, ac de præsenti Numinis ope securos esse juberet: *Appropinquante autem jam prælio, stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad Populum: Audi Israël, Vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* (Deuteronomii 20.)

Tertiò, Lex providit ut impedimenta prælii removerentur, illos in domum remittendo, quibus militia cordi non erat. *Duces quoque per singulas turmas audiente Exercitu proclamabunt: Quis est homo qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? Vadat, & revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in Bello, & alius dedicet eam. Quis est homo qui plantavit vineam, & needum fecit eam esse communem, de quâ vesci omnibus liceat? Vadat, & revertatur in domum suam; ne fortè moriatur in Bello, & alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo qui despondit uxorem, & non accepit eam? Vadat, & revertatur in domum suam; ne fortè moriatur in Bello, & alius homo accipiat eam. His dictis, addent reliqua, & loquentur ad Populum: Quis est homo formidolosus & corde pavido? Vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* (Deuteronomii 20.)

Quartò, Lex statuit ut victoriâ moderatè uterentur, parcendo mulieribus, pueris, jumentis, &c.

&c. *Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tuâ, percuties omne, quod in eâ generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus, & infantibus, jumentis, & cæteris, quæ in civitate sunt:* Paucis Gentibus exceptis, adversùs quas quod erat Bellum, non erat hominum, sed Dei, atque ita appellabatur. Et cùm mulieres Madianitidas vellet occidi ob proprium ipsarum crimen, excepit Virgines intactas, *Numerorum* 31. 18. Imò cùm Ninivitis ob gravissima peccata internecionem minatus esset, flecti se passus est miseratione multorum millium ejus ætatis, quæ honesti & inhonesti discrimen ignorat. Jonæ 4. 2. *Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in quâ sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & jumenta multa?* Qui mulieribus & infantibus non parcerent, omnium Gentium judicio crudeles habiti, Deo qui hanc Legem Hebræis dedit, hoc illius caput in omnium hominum cordibus imprimente. *Seneca* Libro 2. *De Irâ*, Cap. 9. *Quis irascitur pueris, quorum ætas nondum novit rerum discrimina?* Apud *Livium* Camillus: *Arma habemus non adversùs eam ætatem, cui etiam captis Urbibus parcitur, sed adversùs armatos.* Agathias Libro 3. *Quandoquidem verò pium non erat in recens natos infantes paternorum facinorum inscios ita sævire atque insanire, ideo hæc ipsis non impunè abiere.* Alexander apud *Q. Curtium* Libro 5. *Cum captivis & feminis gerere Bellum non soleo; Armatus sit oportet quem oderim.* Grypus apud *Justinum* Libro 38. ait: *A nullo unquam Majorum suorum inter tot domestica & externa Bella post victoriam in feminas sævitum, quas sexus ipse & periculis Bellorum, & sævitia Victorum eximat.* Apud *C. Tacitum* alius: *Neque adversùs feminas, sed palam adversùs armatos Bellum se tractare.* Valerius Maximus *Munatii Flacci* in infantes & feminas efferatam vocat crudelitatem, & auditu etiam intolerabilem, Libro 9. Cap. 1. *Diodorus Siculus* Libro 13. narrat Carthaginienses Selinunte interfecisse feminas, infantes, animantia, *sine humanitatis affectu*. Plura vide apud *Grotium* Libro 3. *De Jure Belli & Pacis*, Cap. 11. §. 9.

Vetat præterea Lex Divina ne fructuosæ arbores in terrâ hostili ab Israëlitis victoribus succidantur. *Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare Regionem: Quoniam lignum est & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* Hanc Legem ex rationis similitudine etiam ad agros frugiferos producit *Philo Judæus* Libro *De Humanitate*, cujus hæc sunt verba: *Æquitatem suam etiam largiùs dispensans Moses valde eâ ubertim ac liberaliter utitur, descendens a ratione utentibus ad muta animantia, ab his verò ad ea quæ e terrâ nascuntur, de quibus nunc dicendum est; quando de hominibus ut præstantissimis, & aliis quæ animam sentientem nacta sunt, jam egimus. Disertè itaque vetuit aut exscindere arbores mites, aut exitialiter ante tempus demetere frugiferas terras, aut ullos omnino fructus corrumpere, ut abundantiâ alimentorum instruatur humanum genus; abundent autem non modò necessaria, sed & quæ ad vitam delicatiorem faciunt. Necessaria enim fruges ad homines nutriendos sepositæ res; Ad delicias verò omnium de arboribus nascentium varietas, quæ sæpè ubi alia deficiunt, succedunt in alimentorum locum. Ultra procedens, terram etiam hostilem vastari non sinit: Præcipuè verò excidiis arborum abstineri jubet, iniquum existimans iram in homines conceptam erogari in ea quæ causa mali nullius sunt. Hoc ipso & illud docet, Non præsens tempus spectare tantùm, cùm nihil in suo statu maneat, sed cuncta vicibus ac mutationibus subjecta sint, ita ut facile sit eos qui nunc sunt hostes, ubi ad colloquia & pacta ventum erit, rursum fœderatos fieri. At amicos necessariis fraudare durum, quibus ob futurum incertum etiam asservari debuerant, quæ usui esse possunt. Verissimè enim dictum antiquis: Ita amicis utendum ut non putentur nulla supervenire posse inimicitia, & ita tractandas offensas, ut amicitia speretur: Nimirum ut quisque intra animum aliquid recondat quo tutus sit, & non eo nimiùm nudato per verba & facta mox pœnitentiam agat nimiæ suæ vehementiæ, seque accuset ubi res sanari ampliùs non potest. Oraculum hoc & civitatibus observandum est ut pacis tempore parent quæ ad Bellum sunt opus, in Bello verò quæ ad pacem: Ac neque amicis suis supra modum fidant, tanquam qui non possint in contrarium verti; neque hostibus ita diffidant, quasi nunquam possint ad amicitiam reduci. Quòd si etiam pro hoste nihil faciendum esset in spem conciliationis, certè nihil eorum quæ terra fert hostile; quin amica omnia, utilia omnia. Mitissima verò vel maximè necessaria, ut quorum fructus aut alimentum sint, aut par aliquid alimento. Non oportet Bellum inferre Belli nesciis, non secare, non urere, non extirpare radicitus, quæ natura aquarum irrigationibus & æstatum sereno tenerè educavit, ut tributa hominibus velut Regibus ferrent. Curæ autem ei ut communi rerum omnium & optimo Præsidi fuit, illæsam præstare non animantibus tantùm, sed & terræ fœtibus vim ac robur, præsertim verò mitibus, quia majoris tutelæ indigent, nec ad sylvestrium morem fœcunda sunt, sed peritam culturam desiderant ut firmitatem consequantur.* Hinc Pythagoricum illud apud Jamblicum: *Mansuetam frugiferamque arborem nec lædere, nec excindere fas esto.* Porphyrius Libro 4. *De Abstinentiâ ab Animalibus*, mores Judaicos describens, Legem hanc etiam ad animantia ruris operi inservientia extendit. *Parci etiam jubet Lex*, inquit, *in terrâ quamvis hostili animantibus operum sociis, ita ut ea occidere non liceat.* Plura videri possunt apud *Grotium* Libro 3. *De Jure Belli & Pacis*, Cap. 12.

## ARTICULUS IV.

*De Præceptis Judicialibus Conversationem Domesticam spectantibus.*

I. Combinatio triplex in societate domesticâ invenitur: Prima viri & uxoris; altera patris & filii; tertia domini & servi. De quibus omnibus divina Lex convenientia præcepta tradidit.

*Judicialia Mosaica Legis præcepta circa uxores.*

Circa uxores, statuit primò ut contribules feminas ducant, ne sortes Tribuum confundantur. Numerorum 36. 7. *Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & cognatione suâ.* Quem locum supra explicavimus.

Secundò, statuit ut frater uxorem fratris absque liberis defuncti duceret uxorem, ut qui filios habere non potuerat secundùm carnis originem, saltem per adoptionem haberet, ne ipsius nomen & memoria penitus deleretur, sed a fratre personam illius gerente suscitaretur ac propagaretur. Deuteronomii 25. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: Sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: Et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël.* Jus Levirationis Mosaicâ Lege antiquius fuisse docet Patriar-

charum Historia *Genesis* 38. 7. 8. Idem institutum consuetudo produxit ad alios propinquos, ubi fratres non extabant; ita tamen ut solus frater uxorem fratris defuncti ducere teneretur, alioquin infamiâ notandus; propinquus verò, ubi nullus frater erat superstes, jus quidem haberet ducendi Viduam propinqui sui, &, si hæreditatem illius adire vellet, ducere teneretur, non verò si hæreditate cederet, nec infamiæ Legis illius propterea obnoxius esset, ut constat ex Historiâ *Ruth* 4. 7. An ea Lex cogeret ubi defunctus filiam reliquerat, incertum est, cùm ex filiâ nepos in avi familiam adoptari posset. Quod Lex statuit, primogenitum ex fratriâ filium nomine defuncti fratris appellandum, non ita intelligendum est, quasi proprium defuncti nomen primogenito ex Viduâ filio imponendum necessariò fuerit, sed quòd defuncti filius & heres dicendus habendusque fuerit. Sic natus ex *Rutha* non vocabatur *Mahalon*, sed *Obed* filius *Mahalon* appellabatur. Nomen secum trahit hæreditatem, ideoque & pro hæreditate ponitur. Numerorum 27. 3. *Pater noster mortuus est in deserto.... Cur tollitur nomen illius de familiâ suâ? Date nobis possessionem inter cognatos Patris nostri.* De hac Lege *Julius Africanus* apud *Eusebium* Libro 1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap.7. *Quoniam*, inquit, *apud Israëlitas generationum nomina, vel ex natura, vel ex Legis ordine numerabantur: Natura quidem cùm legitimi filii parentibus succedunt; Legis verò quoties quis in nomen ac familiam fratris sine liberis defuncti filios sustulit. Cùm enim certa spes Resurrectionis nondum eis data esset, futuram, ejus promissionem mortali quadam resurrectione delineabant, ut mortui nomen nullis unquam obliterandum seculis permaneret.*

*Matrimonia cum alienigenis mulieribus prohibita.* Tertiò, Lex cavit ne personæ quædam in Matrimonium ducerentur, alienigenæ scilicet ob periculum seductionis, ne ad Idololatriam femineis blanditiis pellicerentur mariti; & propinquæ, propter reverentiam quæ naturæ Lege ipsis debetur. *Deuteronomii* 7. 3. 4. & *Levitici* 16. 6. & seq. Et præcipuè quidem uxores assumi prohibuit ex Gentibus Terræ Chanaan, vel finitimis, quas in suis ritibus retinendis pertinaciores fore Deus præviderat. Deuteronomii 7. 1. 2. 3. 4. *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingrederis, & deleverit Gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum.... Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis, irasceturque furor Domini, & delebit te citò.* Si quæ verò ex feminis aliarum Gentium, Idolalatriam ejurare, & Judaicæ Religioni nomen dare vellet, in matrimonium illam ducere Israëlitæ fas erat. Sic *Boozus* uxorem duxit *Rutham*, quæ socrui suæ dixerat: *Populus tuus, Populus meus: Deus tuus, Deus meus.* Ideoque captivam Matrimonio sibi copulare nemo Israëlita poterat, nisi priùs rasâ cæsarie, & circumcisis unguibus, & depositâ veste in quâ capta erat, fleret patrem & matrem: Quo ritu perpetua Idololatriæ abjectio significabatur. Deuteronomii 21. 10. *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tuâ, captivosque duxeris, & videris in numero captivorum mulierem pulcram, & adamaveris eam, volueris que habere uxorem, introduces eam in domum tuam: Quæ radet cæsariem, & circumcidet ungues, & deponet vestem in in quâ capta est, Sedensque in domo tuâ, flebit patrem & matrem suam uno mense: Et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illâ, & erit uxor tua.*

*Legis exceptiones.*

*Ruth 1. 16.*

Lex hæc non de fœminis Chananæorum, aliarumque Gentium, contra quas Bellum Domini indictum est, & quæ expugnatis earum urbibus jussæ sunt interfici absque sexûs discrimine, debet intelligi, (ut monuimus) sed de aliis feminis alienigenis, quarum Matrimonium, si Legem susciperent, & in id baptizarentur Judaico ritu, interdictum Israëlitis omnibus non erat, sed Sacerdotibus solis. Nec id Lex indulsit nisi licentiæ militari & juri victoriæ; utque ea conjugia rariora essent, congressum cum captivis illis elegantis formæ feminis non permisit, nisi conjuges factæ essent. Antequam autem id fieret, Lex auferri jussit feminæ omnes veneres, illecebras, amœnitates, delicias, per quas vir posset allici, & Mense integro incultam & squallidam in luctu manere, si fortè malè natus amor refrigesceret vel extingueretur. Ita *Theodoretus* Quæstione 19. in Deuteronomium: *Viri*, inquit, *libidinem reprimit, jubens non voluptatis affectum, sed rationem conjunctioni dominari.* Si verò captivæ dominus illusisset, nec ducere vellet uxorem, liberam dimittere tenebatur. *Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecuniâ, nec opprimere per potentiam, quia humiliasti eam.* De Sapientiâ seculari seu profanâ eruditione hanc Legem allegoricè explicat *S. Hieronymus* Epistolâ 146. *Hujus*, inquit, *sapientia typus & in Deuteronomio sub mulieris captivæ figurâ describitur: De quâ divina vox præcipit, Ut si Israëlites eam habere voluerit uxorem, calvitium ei faciat, ungues resecet, & pilos auferat; & cùm munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundùm literam intelligimus, nonne ridicula sunt? Itaque & nos facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis: Si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus: Si quid verò superfluum, de idolis, de amore, de curâ secularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus.* Et Epistolâ 74. *Quid ergo mirum, si & Sapientiam secularem propter eloquii venustatem, & membrorum pulcritudinem, de ancillâ atque captivâ Israëlitidem facere cupio? Et si quicquid in eâ mortuum est, idololatriæ, erroris, voluptatis, libidinum, vel præcido, vel rado, & mixtus purissimo corpori vernaculos ex eâ genero Domino Sabaot? Labor meus in familiam Christi proficit, stuprum in alienam auget numerum conservorum.* Eundem locum de Animâ Christo victori copulandâ moraliter explicant *S. Ambrosius* Libro 5. Epistolâ 35. & *S. Paulinus* Epistolâ 4. cujus hæc sunt verba: *Remedii & decoris novacula nobis Christus Deus est, qui cor nostrum circumcidit, vitia radit, animæ caput levigat, & faciem mentis accurat: Nosque ut illam in Lege captivam purgat, & liberat horrido miseræ servitutis capillo: Ut conjungendi Domino, velut illa in Israëlita Viri nuptias transitura, criminibus carnis nostræ, quasi barbaris crinibus exuamur: Deinde sensibus innovatis, ut comis rudibus innotescamus, vitamque nostram quasi Nazaræum crinem pascentes, Deo in castitate & parsimoniâ consecremus.*

*Lex uxorum famæ consulit, pœnis in maritum latis qui falsum crimen imposuerit uxori.* Quartò, Lex præscribit quomodo tractandæ sint uxores, consulit eorum famæ, liberis, quieti, lætitiæ. Pœnas in eum decernit; qui crimen falsò imposuerit uxori. Deuteronomii 22. 13. & seq. *Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inveni virginem: Tollent eam pater & mater ejus,*

&

*& ferent secum signa virginitatis ejus ad Seniores Urbis qui in portâ sunt. Et dicet pater: Filiam meam dedi huic uxorem: Quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicas: Non inveni filiam tuam virginem: Et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram Senioribus civitatis: Apprehendentque Senes urbis illius virum, & verberabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super Virginem Israël, habebitque eam uxorem & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ.*

*Lex cavet ne propter uxoris odium filii detrimentum patiantur.*

Providit etiam Lex ne propter uxoris odium filius detrimentum pateretur. Deuteronomii 21. 15. 16. 17. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere: Non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: Iste est enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.*

*Lex de Libello Repudii explicatur.*

Lex præterea cavit ne vir propter odium uxorem affligeret, sed potiùs scripto Libello Repudii eam dimitteret. Deuteronomii 24. 1. 2. 3. 4. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: Scribet libellum repudii, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit: Non poterit prior maritus accipere eam in uxorem: Quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino; Ne peccare facias Terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.* Permisit autem Lex repudium uxoris, non quòd simpliciter id justum esset, sed propter duritiam Judæorum, ut docet Christus Matthæi 19. 8. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: Ab initio autem non fuit sic.* Attamen positâ Lege, libellus repudii Matrimonium solvebat; & ex Dei concessione licitum erat uxoris repudium, quamquam hujusmodi concessioni Judæorum durities occasionem dedisset. Sed repudiatam, postquam alteri nupsisset, recipere non poterat prior Maritus; Quia orbicularis ille Nuptiarum regressus speciem adulterini concubitûs habuisset, omniaque lenocinia eo velo obtegi potuissent; & divortium turpis commodatio uxoris visa esset. De causis repudii apud Hebræos non eadem est omnium Interpretum sententia. Ob solam fornicationem dimitti potuisse Uxorem Hebræam, censet *Lucas Burgensis* Commentar. in *Matthæi* 19. post *Tertullianum* Lib. 4. contra *Marcionem*, Cap. 24. Alii post *Origenem* & *S. Joannem Chrysostomum*, ob alias etiam animi corporisque fœditates licitum fuisse repudium veriùs asserunt, nempe ob lepram, sterilitatem, veneficium, ebriositatem, rixandi consuetudinem, aliosque id genus pravos mores cum indocilitate & pertinaciâ conjunctos. In casu enim adulterii vix locum habuisse repudium videtur. Adultera enim criminis convicta lapidabatur, suspecta, aquis zelotypiæ prodebatur. Libellum Repudii scribi Lex jussit, *Ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset uxorem dimittere cogitaret: Præsertim quia, ut perhibent, apud Hebræos scribere literas Hebræo nulli fas erat nisi Scribis solis, cùm & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantùm profiterentur sapientiam, verùm etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes Legis Interpretes & justos dissidii dissuasores, Lex mittere voluit eum, quem jussit libellum repudii dare, si dimisisset uxorem: Non enim eò poterat scribi libellus, nisi ab ipsis, qui per hanc occasionem ex necessitate venientem quodammodo in manus suas bono consilio regerent: Atque inter ipsum & uxorem pacificè agendo, dilectionem concordiamque suaderent. Quòd si tantùm intercederet odium, ut extingui emendarique non posset, tunc utique scriberetur libellus: Quia frustra non dimitteret quam sic odisset, ut ad debitam conjugii caritatem nullâ prudentium persuasione revocaretur. Si enim non diligitur uxor, dimittenda est: Quia ergo dimittenda non est, diligenda est: Dilectio autem monendo atque suadendo componi, non invitum cogendo imponi potest. Hoc facere Scriba debebat justus & sapiens, qualem in illâ professione esse oportebat. Ad quem ut veniretur, discordi Marito Libellus conscribendus præceptus est. Quem vir bonus prudensque non scriberet, nisi in animo nimis adverso atque perverso consilium concordiæ non valeret.* Ita *S. Augustinus Libro* 19. *contra Faustum*, Cap. 26. De divortii causis, Libelli Repudii formulâ, effectis, & adjunctis, apud Hebræos, plura dabit *Seldenus* in *Uxore Hebraicâ* Libro 3. a Capite 19. ad 25. Vir autem uxorem repudiare poterat; non etiam, ut apud Romanos uxor virum: Quod prima contra Legem fecit *Salome*, ut narrat *Josephus*.

*Adulterii suspicio quomodo eluenda ex præscripto Legis.*

Uxor adulterii suspecta, per amaras aquas, & Sacrificium Zelotypiæ, fidei castitatisque suæ probationem subibat, ut *Numer.* 5. sancitum est. Si aquas bibere nollet, dote multata ejiciebatur a viro. Vide *Seldenum* Libro supra laudato, Cap. 15. & 16. Miraculum ad quod patrandum Deus se obstrinxit ad gravissimum & difficillimæ probationis crimen manifestandum, minimè incredibile est: cùm apud profanas etiam Gentes miracula quædam, vel miraculis similia ad prodendum puniendumque perjurium facta legamus. Plura ex antiquis Scriptoribus congerit *Grotius* in Cap. 5. Numerorum. *Polemon* in Libro *De Miris Siciliæ*, ubi de crateribus Palicorum: *Adjuratores*, inquit, *Scripturam habentes præeunt adjuratis ea ac quibus juramentum expostulant. Qui adjuratus est, ramum oleæ vibrans, coronatus, discinctus, solâ indutus tunicâ, tangens craterem, dictatum sibi juramentum enuntiat. Et si quidem Dii probent quæ jurata sunt, abit sine damno. At qui Deos contempserit, moritur illico.* In Mirabilibus quæ *Aristotelis* nomen circumferunt, eâdem de re sic legimus: *Est autem & ibi mos jurandi qui sanctissimus creditur, Quæ enim quis jurat, ea scribit in tabellâ: tabellam aquæ immittit. Si rectè juret, supernatat tabella; si non, ajunt tabellam gravem fieri, ita ut mergatur, hominem verò incendi.* Adde *Diodorum Siculum* Libro 11. Simile, sed alibi, habet *Plinius* Libro 31. Cap. 2. *Amnis Olachas in Bithyniâ Brietium alluit: Hoc est & Templo & Deo nomen, cujus gurgite perjuri notantur pati velut flammam urentem.* De Styge idem prodidit *Porphyrius* Libro ejus argumenti: *Ajunt omnes Styga aquam esse subterraneam, quæ eam vim habeat, ut puniat eos, qui per ipsam falsum jurare audent.* De veteris Sardiniæ fontibus *Solinus* scribit: *Coarguendis valent furibus: Nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Ubi perjurium non est, cernit clariùs: Si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admissum tenebris fatetur.* Quantò magis credibilia sunt, quæ Spiritu Sancto dictante in Libris Canonicis sunt conscripta?

*Miraculum perenne in probatione feminarum de adulterio suspectarum a Deo factum non est incredibile.*

*Novos conjuges a publicis functionibus immunes Lex præstitit.*

Denique ut major dilectio inter conjuges a principio contraheretur, arctiùsque eorum corda strin-

ſtringerentur, vetuit Lex ne viris qui nuper uxorem duxiſſent, publicæ functiones injungerentur, ut liberè cum uxore ſuâ collætari poſſent. Deuteronomii 24. 6. *Cùm acceperit homo nuper uxorem, non procedat ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis injungetur publicæ, ſed vacabit abſque culpâ domi ſuæ, ut uno anno lætetur cum uxore ſuâ.*

*Judicialia præcepta circa filios.*

II. Circa filios, Lex præcepit ut parentes eos in Religione & Diſciplinâ Domini inſtituant. Exodi 12. 26. 27. *Et cùm dixerint vobis filii veſtri: Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis: Victima tranſitûs Domini eſt.* &c. Filios verò contumaces, & qui ſpretis parentum monitis luxuriæ & comeſſationibus indulgerent, ad Judicum Tribunal perductos, ex eorum ſententiâ lapidibus obrui jubet. Deuteronomii 21. 18. *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit: Apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos; Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis: Lapidibus eum obruet Populus civitatis; & morietur, ut auferatis malum de medio veſtri, & univerſus Iſraël audiens pertimeſcat.*

*Filius contumax capitali pœnâ dignus.*

Legis hujus rationem affert *S. Thomas*, ex Ariſtotele petitam. *Quia Principatus paternus*, inquit, *habet ſolùm admonendi poteſtatem, non autem habet vim coactivam, per quam rebelles & contumaces comprimi poſſunt. Et ideo in hoc caſu Lex mandabat, ut filius contumax a Principibus civitatis puniretur.* Non ſolùm admonendi, ſed & corrigendi atque caſtigandi intra diſciplinæ limites, poteſtatem parentes habere *S. Thomas* agnovit, ſed mutilandi aut occidendi jus reſpectu filiorum habere meritò negavit. Quamquam Populorum quorumdam Legibus jus vitæ & necis parentibus in filios attributum ſit, ut teſtatur *Dio* Oratione 15. Ita *Solon*, & veteres Romani ſanxerunt. *Sopater* de Lege quæ patri permittit liberos interficere, ait: *Lex ſciens patrem fore rectum Judicem, hoc ei juris conceſſit.*

*Judicialia divinæ Legis præcepta circa ſervos.*

III. Circa ſervos Lex Moſaica ſtatuit ut moderatè tractarentur quantùm ad operas, ne immodicis laboribus opprimerentur. Deuteronomii 5. 14. *Septimus dies Sabbati eſt, id eſt, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, ſervus & ancilla,* &c. *ut requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu.* Secundò, ſervos moderatè tractari Lex juſſit quantùm ad pœnas infligendas. Quos enim Domini mutilaſſent, libertate donari voluit. Exodi 21. 26. 27. *Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque ſi excuſſerit ſervo vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos.* Homicidii pœnis addixit eum qui ſervos ita verberaret, ut ex verberibus morerentur, cùm id omnino compertum erat, cùm ſcilicet in immanis Domini manibus animam efflabant. Si verò incertum eſſet an ex verberibus mortui eſſent, nempe ſi poſt dies aliquot vixiſſent, Lex nullam pœnam ſeverioribus Dominis imponebat. Nec enim homicidii damnabantur, qui liberum hominem percuſſerant, ſi ſtatim non moreretur, ſed baculo ſuo innixus ambularet: Tenebatur tamen ad ſolvendas impenſas, quas percuſſus in Medicos fecerat. Id verò in proprio ſervo locum non habebat, quia (ut loquitur *S. Thomas*,) quicquid ſervus habebat, & etiam ipſa perſona ſervi erat quædam poſſeſſio Domini; & ideo pro causâ aſſignatur, quare non ſubjaceat pœnæ pecuniariæ, quia pecunia illius eſt. Deuteronomii 21. 20. 21. *Qui percuſſerit ſervum ſuum vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Sin autem uno die vel duobus ſupervixerit, non ſubjacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt.*

*Hebræi ſervi anno Sabbatico & Jubilæo libertate donandi.*

Hebræos popularibus ſuis ut ſervis ſimpliciter uti Lex vetuit, ſed quaſi mercenariis ad tempus; etiamſi, premente egeſtate ſe ipſos vendidiſſent: Septimo autem Anno, & Quinquageſimo libertate donari juſſit, ac viatico rebuſque neceſſariis inſtructos dimitti, cum uxore, ſi ante venditionem ſuam illam duxerant, non autem ſi a Domino illam acceperant, ut ei ſervos & ancillas pareret. Exodi 21. 2. 3. 4. *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: In ſeptimo egredietur liber gratis. Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat, ſi habens uxorem, & uxor egredietur ſimul. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias: Mulier & liberi ejus erunt domini ſui, ipſe verò exibit eum veſtitu ſuo.... Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ ſuæ exire conſueverunt. Si diſplicuerit oculis Domini ſui, cui tradita fuerat; dimittet eam: Populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem, ſi ſpreverit eam. Sin autem filio ſuo deſponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi. Quod ſi alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, & pretium pudicitiæ non negabit. Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecuniâ.* Lex iſta puellis Hebræis pauperculis providit, quæ in famulas & uxores emebantur. Si enim dominis ſuis diſplicerent, poſtquàm iis velut conjugibus uſi erant, eas ſervitute eximere tenebantur: Si autem illis abuſi non eſſent, eas vendere non poterant alienigenis, ſed aliis Hebræis tradere, qui illas ducerent. Si pater emptam ancillam filio ſuo collocaſſet, & aliam ipſi ſuperducere permitteret; priori, ſcilicet ancillæ providere debebat, curando ut filius ſuus ei jura nuptialia ſeu conjugale debitum redderet (quod his verbis intelligitur, *providebit puellæ nuptias*) Secundò ut convenientia ſubminiſtraret ipſi veſtimenta. Tertiò, ut alimenta. Si trium illorum aliquod ipſi negaret, liberam dimitteret, idque gratis. Levitico 25. 39. 40. & ſeq. *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit: Uſque ad annum Jubilæum operabitur ad te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & revertetur ad cognationem & ad poſſeſſionem patrum ſuorum. Mei enim ſervi ſunt, & ego eduxi eos de Terrâ Ægypti. Non veneant conditione ſervorum: Ne affligas eum per potentiam, ſed metuito Deum tuum; Servus & ancilla ſint vobis de Nationibus quæ in circuitu veſtro ſunt. Et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in Terrâ veſtrâ, hos habebitis famulos: Et hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum. Fratres autem veſtros filios Iſraël ne opprimatis per potentiam.* De Advenis, ſive Gentilibus incircumciſis quidem, ſed tamen verum Deum colentibus, & Noachidarum præcepta ſervantibus, hunc locum intelligendum colligitur ex Verſione LXX. Interpretum, & Chaldaicâ Paraphraſi: *Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini,* (id eſt, ſi opes ejus creverint,) *& attenuatus frater tuus vendiderit ſe ei, aut cuiquam de ſtirpe ejus, poſt venditionem poteſt redimi. Qui voluerit ex fratribus ſuis redimet eum, & patruus, & patruëlis, & conſanguineus, & affinis. Sin autem & ipſe potuerit, redimet ſe, ſupputatis dumtaxat annis a tempore venditionis ſuæ uſque ad Annum Jubilæum: & pecuniâ quâ venditus fuerat, juxta annorum numerum, & rationem mercenarii ſupputatâ. Si plures fuerint anni qui remanent uſque ad Jubilæum, ſecundùm hos reddet & pretium, ſi pauci, ponet rationem cum eo, juxta annorum numerum*

*merum, & reddet emptori quod reliquum est, annorum quibus ante servivit, mercedibus imputatis: Non affliget eum violenter in conspectu tuo. Quòd si per hæc redimi non potuerit, Anno Jubilæo egredietur cum liberis suis.... Mei enim sunt servi filii Israël, quos eduxi de Terrâ Ægypti.* Et Deuteronomii 15. 13. 14. & seq. *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris: Sed dabis viaticum de gregibus, & de areâ, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. Memento quòd & ipse servieris in Terrâ Ægypti, & liberaverit te Dominus Deus tuus, & idcirco ego nunc præcipio tibi.... Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: Quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi: Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.*

*Lex Hebrais vetans ne servum ad se confugientem domino tradant, quomodo intelligenda.*

Lex denique vetuit Israëlitis ne servum ad se confugientem domino traderent, si nempe a domino quæreretur ad mortem, vel ad aliquod peccati ministerium, ut explicat *S. Thomas*. Alii de servis Extraneorum, non Hebræorum, hanc Legem explicant, ita ut Terra Israëlitica Asylum fuerit: Idque in favorem fidei & salutis illorum servorum sancitum est, quia Proselyti fiebant, & veri Dei servituti se mancipabant: Unde conveniens erat ut ab hominum Idololatrarum servitute redimerentur. Deuteronomii 23. 15. 16. *Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit. Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, & in unâ Urbium tuarum requiescet. Ne contristes eum.*

# DISSERTATIO V.

## De Vitulo Aureo ab Aarone conflato.

### PROPOSITIO I.

*AD Ægyptiacæ Superstitionis imitationem Vitulus Aureus ab Aarone conflatus est, non ad Cherubim similitudinem.*

*Exodi* 32.

Ut Propositionis hujus veritas apertam in lucem prodeat, tria cum Viris Eruditis supponenda sunt. Supponendum primò, Brutorum, & quidem boum cultum apud Ægyptios antiquissimum fuisse, & ante Israëlitarum Exitum ex Ægypto invaluisse. Unde cùm Pharao Moysi & Aaroni dicit, Exodi 8. 25. *Ite & sacrificate Deo vestro in Terrâ hac*, Respondit Moyses: *Non potest ita fieri: Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? Quòd si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent.*

Supponendum secundò, Ægyptios eorum animalium, quæ viva coluerunt, imagines in Templis suis erexisse, & adorasse. Ita testantur *Pomponius Mela* Libro 1. Cap. 9. *Colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia:* Et *Strabo* Libro 17. eorum Templa describens. *Simulacrum verò nullum, aut non ad hominis formam, sed bestiæ alicujus effictum.*

Supponendum tertiò, Judæos plerosque tempore servitutis Ægyptiacæ, Superstitionem Ægyptiorum imbibisse, & eorum Diis serviisse, ut colligitur ex Josuë 24. 14. *Auferte Deos quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamiâ, & in Ægypto, ac servite Domino.* Et Ezechielis 20. 7. 8. *Et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, & in Idolis Ægypti nolite pollui: Ego Dominus Deus vester. Et irritaverunt me, nolueruntque me audire. Unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit; nec idola Ægypti reliquerunt: & dixi ut effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis in medio Terræ Ægypti.* Et Cap. 23. 8. *Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit.* Ex his autem probabile fit, *Aaronem* ad Ægyptiacæ Superstitionis imitationem Vitulum Aureum conflavisse, Judæosque hoc Idolum Ægyptiaco Ritu coluisse.

Verùm id luculentiùs probatur 1. ex verbis *S. Stephani* Protomartyris, Actuum 7. 39. 40. 41. *Aversi sunt*, inquit, *cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos..... Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum.*

Probatur secundò ex *Philone Judæo*, variis in locis, ubi Vituli aurei fusionem & cultum ex Ægypto arcessit, in eo tamen errans quòd *Typhoni* Taurum seu bovem sacrum tribuat, quem *Osiridis* symbolum fuisse certum est, cujus in honorem *Apidem* & *Mnevin* sacros boves cultos ab Ægyptiis fuisse constat ex *Diodoro Siculo*, ex *Strabone* Libro 17. ex *Pomponio Mela* Libro 1. Cap 9. *Plutarcho* in *Iside*, & aliis. Sic autem habet *Philo* Libro De Temulentiâ P. 197. *Prævaricari ausus est, ut corpus Deum sibi fingeret, & Typhum Ægyptio more coleret, cujus signum erat juvencus aureus: Circa quem choreas ducendo insani, carmen concinunt*, &c. Et Libro 3. De vitâ Mosis: *Cùm Moses ascendisset in Montem, absentiam ejus verterunt in impietatis occasionem: Oblitique Dei veri, cœperunt æmulari figmenta Ægyptia, facto juvenco aureo ad imitationem animalis ejus regionis sacratissimi: Cui profana sacra faciebant, & choreas agebant inconditas.* Et infra: *Cùm dixisset Moses*, Si quis est Domini, veniat ad me: *Alii qui Ægyptiacum Typhum prætulerant, Edictum contempserunt*, &c. Et Libro De Specialibus Legibus P. 614. *Unius veri Dei cultu exploso, & consecrato juvenco aureo ad exemplar Typhi Ægyptiaci, vacabant profanis sacrificiis, & festis nefariis inconcinnisque choreis.*

Probatur tertiò ex *Lactantio* Libro 4. Cap. 10. *Ad profanos*, inquit, *Ægyptiorum Ritus animos transtulerunt. Cùm enim Moses Dux eorum ascendisset in Montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apim, quod eos signo præcederet, figurarunt.*

Probatur quartò ex *S. Hieronymo*, *Commentario in Osee* Cap. 4. *Videtur autem mihi idcirco & Populus Israël in solitudine sibi fecisse caput Vituli, quod coleret, & Hieroboam, filius Nabat, Vitulos autem fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant*, Ἆπιν & Μνεῦιν *qui sub figurâ boum coluntur, esse Deos, hoc in suâ superstitione servarent.*

Probatur quintò ex *S. Augustino* Enarratione in Psalmum 73. *Inde*, inquit, *& Vitulus ille, quem adoravit Populus infidelis, apostata, quærens Deos Ægyptiorum, dimittens Eum qui liberavit de servitute Ægyptiorum.*

Probatur sextò ex *S. Basilio Seleuciensi*, Oratione 6. *Vitulum*, inquit, *in deserto, sicut in Ægypto adorabant.*

Pro bove vel vitulo, *caput bovis* vel *vituli* habent Patres plerique, *Tertullianus* Libro adversùs Judæos, Cap. 1. *Optatus Milevitanus* Libro 3. *S. Cyprianus* Libro De Bono Patientiæ, *Lactantius* & *S. Hieronymus* locis mox laudatis, *S. Ambrosius* Libro 1. De Pœnitentiâ, Cap. 8. *S. Augustinus* in Psalmum 61. & *S. Isodorus Hispalensis* Libro 8. Originum, Cap. 11. Sic *boum fortia capita* pro bovibus posuit *Homerus* Iliade Ψ. versu 260. & Hymno in *Mercurium*: & *Virgilius* Libro 5. *Æneidos*; *Bi-*

*Bina boum vobis Troiâ generatus Acestes*
*Dat numero capita in naves.*

Ex his colligitur, Falsam esse *Moneæi* sententiam, Libro *De Vitulo Aureo*, asserentis *Aaronem* Vitulum illum finxisse ad similitudinem Cherubinorum, quibus insidentem Deum viderat ad radicem Montis, cum Mose, Nadab, & Abiu, & Senioribus; quales Cherubini effingendi erant in Arcâ. Falsum enim est quòd tunc Deum viderint Cherubinis insidentem, iisque Vituli specie: Sed *Viderunt Deum Israël, & sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum, cùm serenum est*, ut habetur Exodi 23. 10. Præterea, disertè negat *Moses* tunc apparuisse Israëli ullius animalis speciem: Deuteronomii 4. 15. *Non vidistis*, inquit, *aliquam similitudinem, in die quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque reptilium quæ moventur in terrâ, sive piscium qui sub terrâ morantur in aquis.* Non itaque visus est *Aaroni* & Senioribus Deus Cherubinis vituli speciem exhibentibus insidens. Tertiò, De Cherubinis Arcæ nihil scivisse *Aaronem*, antequam *Moses* de Monte descenderet, ex Scripturâ Sacrâ colligitur. *Mosi* enim in Monte cum Deo colloquenti Arcæ & Cherubinorum forma primùm ostensa & revelata est *Exodi* 25. Non potuit igitur *Aaron* Vitulum Aureum effingere ad Cherubini similitudinem. Quartò; Cherubinos Arcæ Deos appellatos nemo dixerit. At conflato vitulo Israëlitæ dixerunt: *Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de Terrâ Ægypti: & Moyses* ait Domino: *Peccavit Populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos.* Vitulus igitur Aureus ad Cherubinorum similitudinem conflatus ab *Aarone* non fuit. Quintò, Cherubim multiformia fuisse simulacra, in quibus tamen humana species emineret, superiùs probavimus: Falsum ergo quod asserit *Moneæus*, Ipsos unam vituli speciem exhibuisse, & vitulum aureum ad eorum similitudinem fuisse conflatum.

---

## PROPOSITIO II.

*Aaronem gravissimi peccati fuisse reum, cùm Vitulum Aureum conflavit Populi desideriis obsecutus, & publicè colendum proposuit, Scriptura Sacra probat. Quamobrem temerè ab Hebræis, & Moneæo excusatur.*

PRobatur Propositio. Populo enim, quem ab Idololatriâ totis viribus avertere tenebatur etiam cum vitæ suæ periculo & dispendio, non solùm non restitit, sed ignavè morem gessit, cùm Deos qui ipsum præcederent postulanti, ex inauribus aureis *Fecit Vitulum conflatilem.* Quo conspectu, insani Israëlitæ dixerunt: *Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de Terrâ Ægypti.* Tum *Aaron ædificavit Altare coram eo*, (Vi-
Exod. 31. tulo scilicet,) *& præconis voce clamavit dicens: Cras solemnitas Domini est.* Duo itaque mala fecit *Aaron*, ut rectè observat *Visorius* in Libro adversus *Moneæum* edito, quem *Pseudo-Cherubim Destructionem* inscripsit: Fecit nimirum 1: ut Israëlitæ ad Idololatriam proclives scelus animo tantùm conceptum re ipsâ perpetrarent: 2. Ut quod privato errori facturi videbantur, publicâ auctoritate exequerentur. *Surgentesque manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit Populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Frustra verò excusaretur *Aaron*, quasi sub hoc symbolo verum Deum colendum Israëlitis proposuerit; ideòque dixerit: *Cras solemnitas Domini est*, non solemnitas Vituli. Istud enim Hebræorum figmentum *Moses* ipse destruit, his verbis Deum interpellans: *Obsecro; peccavit Populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de Libro tuo.*

Præterea, *Aaron* incusavit & increpuit Exodi 32. 21. 22. *Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic Populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur Dominus meus: Tu enim nosti Populum istum, quòd pronus sit ad malum: Dixerunt mihi: Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Huic enim Moysi; qui nos eduxit de Terrâ Ægypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrûm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi, & projeci illud in ignem, egressusque est hic Vitulus.* Porrò ipsum *Aaronem* non excusat, imò peccatum illius aggravat, quòd nomen *Domini* Vitulo tribuerit. Nam & *Michæas*, qui Therzphim, sive Idola conflavit, & in domo suâ coluit; & *Jeroboamum* qui duos Vitulos aureos fudit, & Israëli adorandos proposuit, veri Dei nomen ipsis tribuisse certum est ex *Judicum* 17. & 3. Regum 12. Quod tamen eos ab Idololatriæ crimine non liberavit. Et certè Idololatris omnibus commune est, ut Dei nomen Idolis suis tribuant, verumque Deum in illis adorare videri velint. Deinde eâdem ratione Populus ab Idololatriâ excusari posset, quâ Aaron: Siquidem dicendo: *Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de Terrâ Ægypti*, plurale pro singulari usurparunt, quod sæpè fit etiam a piis, cùm de Deo res est, ut constat ex Hebræo Textu *Genesis* 20. 13. *Genesis* 25. 7. *Psalmo* 159. *Ecclesiastis* 12. 1. Hanc Israëlitis fuisse mentem, & verbis, *Hi sunt Dii tui*; idem significari ac si dixissent, *Hic est Deus tuus*, probatur ex 2. *Esdræ* 9. 18. *Et quidem cùm fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto:* Id est, symbolum illius unici Dei, qui quod Patribus tuis promiserat, ipse præstitit, & forti manu, brachioque extenso te ab Ægyptiacâ servitute liberavit.

Tertiò, Deus omne sculptile, omnemque similitudinem creaturarum ad cultum fieri vetuerat. Exodi 20. 4. 5. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea neque coles.* Istud autem Præceptum *Aaronem* violasse, manifestum est.

Quartò, Deus non soli Populo, *sed Aaroni* etiam vehementer iratus est ob conflatum Vitulum, eumque Dominus perdidisset, nisi *Moyses* pro illo rogasset, ut ipse Sanctus Legislator testatur Deuteronomii 9. 20. *Adversùm Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum.*

Quintò; Populi crimen in *Aaronem* refunditur his verbis Exodi 32. 25. *Videns ergo Moyses Populum quòd esset nudatus, (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nondum constituerat,)* id est, divinâ protectione nudaverat, Idolum conflando, quod sordium nomine & abominationum, Scriptura Sacra significat: Ita ut Dei præsidio destitutus, hostium incursibus pateret. Septuaginta vertunt: *Et cùm vidisset Populum Moyses, quia dissipatus est (dissipavit enim eos Aaron, gaudium adversariis eorum;)* Sive, *ut in gaudium venirent adversariis suis.* Quæ verba *S. Augustinus Quæstione* 146. *in Exodum*, sic commentatur: *Notandum est quemad-*

mo-

*modum illud totum mali, quod Populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quòd eis consenserit ad faciendum quod malè petierant. Magis enim dictum est,* Dissipavit eos Aaron, *quoniam cessit eis, quàm dissipaverunt se ipsi, qui tantum malum flagitaverunt.*

Ne autem quis *Aaronem* excusandum existimet, quòd *Exodi* 32. 35. scriptum sit: *Percussit ergo Dominus Populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron:* Cùm ipse *Aaron* percussus non fuerit: *S. Augustinus* hanc objectionem occupat, ac diluit Quæstione 148. *Meritò quæritur*, inquit, *cùm superiùs Populum dissipasse dictus sit Aaron, cur in ipsum vindicta nulla processerit, neque cùm Moyses interfici jussit omnem, qui Levitis euntibus ad portam & redeuntibus occurrisset armatis; neque cùm postea factum est quod Scriptura dicit:* Et percussit Dominus Populum propter facturam vituli, quem fecit Aaron: *Maximè quia & hic hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim dictum est:* Et percussit Dominus Populum propter facturam vituli, *quem fecerunt, sed* quem fecit Aaron, & tamen non est percussus Aaron: *Quin etiam illud quod de Sacerdotio ejus ante peccatum ejus Deus præcipiebat, impletum est. Sed jussit & ipsum, & filios ablui; & sic ordinati sunt in Sacerdotio. Ita novit ille cui parcat usque ad commutationem in melius; & cui parcat ad tempus, quamvis eum præscierit in melius non mutari; & cui non parcat ut mutetur in melius: & cui non parcat, ita ut nec mutationem ejus expectet: & totum hoc ad id redit, quod Apostolus dicit exclamans: Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Rom. 9. 33. Peccatum quidem *Aaronis Theodoretus* extenuat, ipsum tamen peccasse agnoscit, & divinâ clementiâ maximè indiguisse. Quæstione 65. in Exodum: *Intentio facti*, inquit, *potissimùm est inquirenda. Sic enim re discussâ, Aaronem veniâ non prorsus alienum reperiemus. Nam cum frater ejus quadraginta dierum moram traxisset in vertice Montis, insaniente Populo, & in Ægyptum redire volente: Primùm quidem eorum imp tum verbis reprimere tentavit. Ut autem vidit eos nullâ ratione adduci posse, postulavit a mulieribus ornamenta aurea, affectum affectui opponens, cupiditatem scilicet pecuniæ & ornamentorum insano superstitionum amori, sed neque inventum istud rabiem illorum extinxit: Unde compulsus est vitulum effingere. Hanc porrò intentionem secutus cùm esset, clementiâ tamen divinâ, ne pœnas daret, indiguit. Quod divinus Moses in Deuteronomio patefecit;* Deprecatus sum enim, *inquit*, Dominum Deum pro Aarone fratre meo, & non est mortuus. Deuteron. 9.

---

P R O P O S I T I O III.

Exod. 32. 20. *Vituli Aurei combustio, comminutio, in aquam injectio, Populique ex ejus pulvere aqua immixto potatio, Idololatriæ destructionem, Gentiumque conversionem ad Christum significavit.*

Sancti *Augustini* verbis *Libro* 22. *contra Faustum*, Cap. 93. hæc Propositio probatur & explicatur. *Sed quid sibi velit, quod priùs fecit* (MOYSES) *ut ipsum vitulum igne combureret, minutatimque concideret, & in aquam spargeret, & potum Populo daret, majorem intentionem perscrutandæ significationis inquirit. Si enim tabulas, quas digito Dei, hoc est, operatione Spiritûs Sancti scriptas acceperat, ideo fregit, quia dignos eos quibus eas legeret, judicavit: Si denique ut ab eis ille vitulus penitus aboleretur, incendit eum, contrivit, in aquâ sparsit, quâ & submersit, ut quid & potum hunc Populo dedit? Quem non excitet factum hoc ad inquirendam & intelligendam Propheticam significationem? Occurrat ergo jam intentis mentibus tanquam Diaboli corpus in vitulo; id est, homines in omnibus Gentibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, hoc est, auctor est Diabolus. Aureum propterea, quia videntur Idololatriæ ritus velut a Sapientibus instituti. De quibus dicit Apostolus:* „ Quoniam cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes se esse Sapientes, stulti facti sunt, & immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. *Ex hac quasi Sapientiâ iste Vitulus aureus, qualia solebant Ægyptiorum etiam ipsi Primates, & tanquam docti homines adorare figmenta. Hoc ergo Vitulo significatum est omne corpus; id est, omnis societas Gentilium Idololatriæ deditorum. Hanc sacrilegam societatem Dominus Christus illo igne comburit de quo in Evangelio dicit,* Ignem veni mittere in terram: *Ut quoniam non est qui se abscondat a calore ejus, dum in eum credunt Gentes, igne virtutis ejus diabolica in eis forma solvatur. Totum deinde corpus illud comminuitur; id est, ab illâ mala conspirationis conflatione discissum, verbo veritatis humiliatur; & comminutum in aquam mittitur, ut eos Israëlitæ, id est, Evangelii Prædicatores, ex Baptismo in sua membra, hoc est, in corpus dominicum transferant. Quorum Israëlitarum Petro de ipsis Gentibus dictum est:* Macta & manduca. *Si macta & manduca, quare non etiam concide & bibe? Ita ille Vitulus per ignem zeli, & aciem verbi, & aquam baptismi ab eis potius, quos absorbere conabatur, absorptus est.* Rom. 1. 21. Act. 10.

S C H O L I O N.

Ut gravissimum est crimen Sacerdotis, cùm Dei caussam prodens, ejusque honorem & gloriam quieti suæ, fortunæ aut vitæ postponens, pravis populi studiis ignavè consentit, indulget, favet; eaque vel exemplo suo, vel assentatione juvat, quemadmodum Aaron Israëlitici Populi sacrilegis desideriis annuit conflando vitulum, cui divinos honores exhiberent, aram erigendo, solemnitatem indicendo: Ita gravis populi pœna est, cùm justo Dei judicio ob peccata sua tales Sacerdotes habet, *Stupor & mirabilia facta sunt in terrâ: Propheta prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & Populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo ejus?* Idola populo conflant Sacerdotes, qui pravis hominum cupiditatibus obsequuntur, qui ab occasionibus peccandi illos non abstrahunt, qui malas consuetudines & scandala patiuntur. Vitulum aureum conflant Sacerdotes avari, Sacerdotes luxui & voluptati servientes: Per illos enim avaritia, luxus, vanitas, voluptas consecrantur: Perversa Pastorum exempla, velut falsa sunt Numina quæ populum præcedant, & ad Idololatriam spiritalem provocent. Eorum pravis exemplis Legis Dei Præcepta, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus scripta delentur. Jerem. 5. 30. 31.

# DISSERTATIO VI.

## DE ÆNEO SERPENTE A MOSE Erecto.

SErpentis Ænei Historia *Numerorum* 21. a *Moyse* descripta est his verbis: *Et tædere cœpit Populum itineris ac laboris: Locutusque contra Deum ac Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in Populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: Ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro Populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac Serpentem Æneum, & pone eum pro signo: Qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses Serpentem Æneum, & posuit eum pro signo: Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.*

Error Marshami. *Marshamus* in Canone Chronico p. 148. & 149. existimat Serpentem Æneum ad instar Ægyptiacarum Præstigiarum a *Moyse* formatum & erectum esse, velut Amuletum quoddam & Talismanum. *Fecit*, inquit, *Moses Serpentem Æneum, & posuit eum super perticam, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. Sic*

Lucani Lib. 9. v. 930.

*——— Pestis nigris inserta medullis,*
*Excantata fugit*

„ Ægyptii inprimis ob Serpentum incantatio„nem celebrantur. Post eos Psylli Africæ Populi, ut refert *Plinius* Libro 7. Cap. 2. *Nearchus*, „Alexandri Magni in Indiâ comes, refert Ser„pentes ibi scatere, incolisque molestos esse; „Sed *circumvagari Incantatores, qui mederi putantur, & hanc ferè solam esse medicinam.* Ita legimus apud *Strabonem* Libro 15. p. 706. Apud „Colchos (Illi autem Ægyptiorum coloni haben„tur,) *Medea* Draconem aurei velleris custodem, fertur *suavi voce mulsisse*, ut narrat *Apollonius Argon. Libro* 4. Illa, ut *Servius* observat, *Jasonem secuta dicitur ad Italiam pervenisse, & Populos quosdam circa Fucinum Lacum habitantes, qui Marrubii appellantur, docuit remedia contra Serpentes. Sunt autem isti Marsorum Populi*: De quibus *Virgilius Æneid.* 7.

*——— Marrubiâ venit de Gente Sacerdos,*
*Vipereo generi, & graviter spirantibus Hydris*
*Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,*
*Mulcebatque iras, & morsus arte levabat.*

„ Apud Veteres Græcos *Orpheus* (qui Ægyptia„cis disciplinis imbutus erat) *Euridicem a Serpente ictam ex inferis revocasse fingitur, quia ab angue ipsam revera morsam, & de vitâ periclitantem, incantationibus quas noverat, & solertiâ, & Musâ, & multâ doctrinâ ad vitam revocavit.* Ita refert *Tzetses Chiliade* 1. *Historia* Cap. 54. & *Or„pheum* hujus artis peritum fuisse probat ex ejus „Opere *De Lapidibus*, in quo sic scripsit:

*Stridoremque sistere humi venientis draconis*
*Sciet, & serpentum repentium venenum extinguere.*

„ Addit *Marshamus*, se Nummum argenteum „habere Parianum, in quo caput est ore hiulco, „linguâ exertâ, & (instar *Medusæ*) Serpentibus „crinitum. *Parium* Urbs est in orâ Hellesponti, juxta Lampsacum. *Ibi ferunt Ophiogenes cognationem quamdam habere cum Serpentibus, & eorum mares iis medicari, qui a viperâ morsi sunt, continenter tangendo, (ut solent Incantatores) & livorem in se primùm transferre, deinde inflammationem doloremque sedare.* Ita refert *Strabo* Libro 13. „p. 588. Apud Hebræos etiam Serpentes excan„tandi ratio viguisse videtur; cùm *David*, *Salo„mon*, *Jeremias*, Serpentum meminerint, qui in„cantari nollent. *Moses* autem Serpente Æneo „perticæ imposito, non tam Serpentes ignitos „incantabat, ne nocerent, quàm eorum *venenum „extinguebat*, & *morsus arte levabat*. Erat *Amuletum igneum istius calamitatis*. Hæc *Marshamus*. Psal. 58.5. Eccles. 10. 8. Jerem. 8. 7.

Laminæ, lapides, ligna figuræ Talismanicæ ad Serpentes abigendos, incantandos, vel extinguendos, seu ad medendum eorum morsibus, adhibitæ, Marsis & Psyllis auctoribus. *Arnobius* Libro 2. adversùs Gentes: *Adversùs istus noxios, & venenatos colubrorum morsus remedia sæpè conquirimus, & protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis vendentibus, aliisque institoribus atque planis.* Et *Nubiensis Geographus* Climatis primi P. 3. Circa *Nigritarum Urbem Cucu* lignum quoddam nasci fabulatur, quod lignum Serpentis ideo vocant, quia *cùm latibulo Serpentis apponitur, statim ad illud egreditur Serpens.* Imò, si credimus, quisquis hoc lignum manu tenet, *Serpentes quotquot voluerit, ita manu capiet, ut interim nullo timore percellatur.* Alii tamen aliter referunt; Nempe, si quis hoc lignum manu teneat, aut collo appendat, *Serpentem ad eum nullo modo accedere.* Idem de *Emesa* Urbe hæc habet Climatis tertii Parte quintâ: *Illa sic talismanizata est*, (id est *talismanice* instructa,) *ut nulli eam Serpentes aut Scorpiones ingrediantur; quin, si ad portam civitatis inferantur, statim expirent.* Addit, In quadam testudine lapidem esse infixum, in quo scorpii figura est incisa, cujus tactu sanatur is quem scorpio pupugit, aut momordit.

---

### PROPOSITIO UNICA.

*Serpens Æneus, non ad exemplum Præstigiarum Ægyptiacarum a Moyse conflatus & erectus est, nec Talismanus fuit excantatione aliquâ vel magicâ vi ad medendum Serpentum morsibus adhibitus, sed signum a Deo institutum in typum Christi Crucifixi, homines oculis fidei ipsum aspicientes a lethiferis Serpentis Antiqui morsibus sanantis.*

PRobatur Propositio, primò ex eo quòd jubente Deo, qui incantationis magicæ, & præstigiarum omne genus severissime prohibuit ac damnavit, a *Moyse* Prophetâ sanctissimo, Deoque fidelissimo, Serpens Æneus Israëlitis propositus fuerit, ut qui a Serpentibus adurentibus icti fuerant, in eum aspicientes sanarentur. Numerorum 21. 8. 9. *Oravitque Moyses pro Populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac Serpentem Æneum, & pone eum pro signo: Qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses Serpentem Æneum, & posuit eum pro signo; Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.*

Probatur secundò ex Christi Domini verbis, Æneo Serpenti, ad sanandos serpentium morsus proposito a *Moyse* in solitudine, se conferentis, Joannis 3. 14. *Et sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Serpentium Israëlitas morsibus suis adurentium figuram habuit Æneus Serpens, at eorumdem veneno caruit: Ita Christus in similitudine carnis peccati fuit, ut docet Apostolus ad Romanos 8. 3. *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur*

rtlur. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Sed tamen peccati venenum nobis exitiale Christus non habuit: *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato;* ut ait Apostolus ad *Hebraos* 4. 15. Serpentem Æneum *Moyses posuit pro signo:* De Christo Jesu vaticinatus est *Simeon* ad *Mariam* Matrem, Lucæ 2. 34. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Et *Isaias* de ipso longè antè prædixerat Cap. 11. 10. *In die illâ erit radix Jesse, qui stat in signum Populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* Uterque in altum sublatus est, Serpens tigillo, Jesus Cruce. Æneus fuit Serpens, non aureus, & e viliore metallo conflatus, ut nobis Christum exhiberet, in quo non fuit *Species neque decor, despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; Et quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Æris firmitas & perennitas divinum Christi robur & æternitatem significabat. Inter omnia metalla æs maximè sonorum, designat prædicationem Crucis, cujus *sonus exivit in omnem terram.*

*Isai.* 53. *Roman.* 10. 8.

Probatur tertiò ex Sapientiæ 16. 5. 6. 7. *Etenim cùm illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati Legis tuæ. Qui enim conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omium Salvatorem.*

Probatur quartò ex *S. Justino Martyre* in Dialogo cum *Tryphone* Judæo p. 321. & 322. *Dicite mihi, an non is Deus erat, qui per Mosen sanxit, ne qua omnino fieret vel imago vel similitudo, neque eorum quæ in cœlo sunt sursum, neque in terris deorsum. Atqui idem ipse in solitudine per Moysen fieri fecit Æneum Serpentem: Eumque pro signo statuit, per quod servabantur qui Serpentum morsu lataliter læsi fuerant: & extra culpam omnem est. Sacramentum namque arcanum per hunc denuntiavit: Quo Serpentis quidem, qui etiam prævaricationis ab Adamo commissæ auctor fuerat, potestatem eversum iri significabatur; salus autem credentibus in illum, qui per signum id adumbrabatur, & in Cruce moriturus esse prænonstrabatur, a Serpentis morsibus, qui sunt actiones pravæ, Idolorum cultus, & aliæ iniquitates, promittebatur. Nisi enim hoc sic in animis vestris consideratum fuerit, date mihi rationem, cujus gratiâ Æneum Serpentem Moses pro signo collocaverit, & inspicere id, qui morsu lædebantur, præceperit, unde etiam illi curabantur: Cùm quidem auctor jussionis hujus fuerit is qui nullam prorsus similitudinem fieri jussit?* Narrat ibidem, quemdam Judæum ingenuè fassum esse, Mysterium aliquod occultum subesse huic præcepto de Æneo Simulacro Serpentis palam proponendo, & sæpiùs a se rogatos suæ Gentis Doctores, nullam expediendi se rationem invenisse. *Et alter eorum qui altero advenerant dic: Vera dixisti*, inquit, *non enim habemus quam reddamus rationem. Nam & ipse aliquoties de hoc Magistros nostros sum percontatus: Nullus autem rationem explicuit.*

Probatur quintò ex *Tertulliano* Libro *De Idololatriâ*, Cap. 5. *Si quis autem*, inquit, *dissimulat illam effigiem Ærei Serpentis, suspensi in modum, figuram designasse Dominicæ Crucis, a Serpentibus, id est, ab Angelis Diaboli liberatura nos, dum per semetipsum Diabolum, id est, Serpentem interfectum suspendit, sive quæ alia figura istius expositio dignioribus revelata est, dummodo Apostolus affirmet omnia tunc figuratè Populo accidisse: bene quòd idem Deus qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario præcepto Serpentis similitudinem indixit.*

Probatur sexto ex *S. Joanne Chrysostomo* Homiliâ 26. in Joannem. *Vides*, inquit, *ut figura veritati consentiat. Illic mortem fugerunt Judæi, sed temporalem, hic sempiternam Fideles. Illic ictus Serpentum suspensus Serpens sanavit: Hic incorporei Serpentis plagas Jesus cruci affixus curavit. Illic corporeis oculis aspicientes, corporis salutem. Hic incorporeis, omnium peccatorum remissionem consecuti sunt, Illic æs suspensum erat in Serpentis effigiem: Hic dominicum corpus a Spiritu formatum. Serpens illic mordebat, & Serpens sanabat: Hic mors perdidit, & mors salvum fecit. Ad hæc, qui interimebat Serpens, veneno sæviebat: Qui liberabat, nullo: Sic & hic. Nam ea quæ perdebat mors, peccatum habebat, quemadmodum Serpens venenum: Domini autem mors ab omni immunis erat peccato, ut Æreus Serpens veneno.* Coloss. 2.
„ Peccatum enim, *inquit*, non fecit, neque in- Rom. 5.
„ ventus est dolus in ore ejus. *Hoc est quod significavit Paulus:* Exspolians Principatus & Potestates eduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. *Quemadmodum enim cùm fortis Athleta hostem altè erectum prosternit, clariorem facit victoriam: Ita Christus toto orbe spectante hostiles conatus evertit: & qui in solitudine vulneratos curavit, eos ob omnibus feris in Cruce suspensus tutatus est.*

Probatur septimò ex *S. Augustino* Libro 1. *De Peccatorum Meritis & Remissione* Cap. 32. *Magna hæc*, inquit, *& mira dignatio, quæ quoniam fieri non potest nisi per Remissionem peccatorum sequitur & dicit:* „ Et sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Quid tunc in deserto factum sit, novimus. Serpentum morsibus multi moriebantur, tunc Populus peccata sua confitens, per Moysen deprecatus est Deum, ut hoc ab eis virus auferret: Ac sic Moyses ex præcepto Domini exaltavit in deserto Æneum Serpentem: Admonuitque Populum, ut illum exaltatum, quisquis a Serpente morderetur, attenderet. Hoc facientes sanabantur continuò. Quid est exaltatus Serpens, nisi mors Christi, eo significandi modo, quo per efficientem, id quod efficitur, significatur? A Serpente quippe mors venit, qui peccatum, quo mori mereretur, homini persuasit. Dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit, tanquam venenum Serpentis, sed tamen transtulit mortem: Ut esset in similitudine carnis peccati & culpa solveretur & pœna. Sicut ergo tunc qui conspiciebat exaltatum Serpentem, & a veneno sanabatur, & a morte liberabatur: Sic nunc qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem baptismumque ejus, & a peccato per Justificationem, & a morte per Resurrectionem liberatur.* „ *Hoc est enim quod ait:* Ut omnis qui credit in „ eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Quid igitur opus est ut Christi morti per baptismum conformetur parvulus, si morsu Serpentis non est omnino venenatus.*

Et Tractatu 12. in Joannem: *Jesus Filius Dei mortem suscepit, & mortem suspendit in Cruce, & de ipsâ morte liberantur mortales. Quod in figurâ factum est apud Antiquos, commemorat illud Dominus:* Et sicut, *inquit*, Moyses exaltavit Serpentem in erêmo, ita exaltari oportet Filium hominis: Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Magnum Sacramentum! Prosternebatur in erêmo Populus Israël morsibus Serpentum, fiebat magna strages multarum mortium. Plaga enim Dei erat corripientis & flagellantis ut erudiret. Demonstratum est ibi magnum Sacramentum rei futuræ, ipse Dominus testatur*

*tur in hac Lectione, ut nemo possit aliud interpretari, quàm quod ipsa Veritas de se indicat. Dictum est enim ad Moysen a Domino, ut faceret Æneum Serpentem, & exaltaret in ligno in erêmo, & admoneret Populum Israël, ut si quis morsus esset a Serpente, illum Serpentem in ligno exaltatum attenderet. Factum est: Mordebantur homines, intuebantur, & sanabantur. Quid sunt Serpentes mordentes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est Serpens exaltatus? Mors Domini in Cruce. Quia enim a Serpente mors, per Serpentis effigiem figurata est. Morsus serpentis lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur Serpens, ut nihil valeat Serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors vitę, si dici potest, Mors vita; immo quia dici potest, mirabiliter dicitur ...... Nonne vita Christus? Et tamen in Cruce Christus. Nonne vita Christus? Et tamen mortuus est Christus. Sed in morte Christi mors*
1. Cor. 15. 55. *mortua est; Quia vita mortua occidit mortem, plenitudo vitæ deglutivit mortem. Absorpta est mors in Christi corpore. Sic & nos dicemus in Resurre-*
,, *ctione, quando jam triumphantes cantabimus.* Ubi
,, est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus
,, tuus? *Interim modò, Fratres, ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur? Quia* Si-
,, cut Moyses, *inquit*, exaltavit Serpentem in
,, erêmo, ita exaltari oportet Filium hominis,
,, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed
,, habeat vitam æternam. *Quomodo qui intuebantur illum Serpentem, non peribant morsibus Serpentum: Sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem; Hic autem ait*, Ut habeant vitam æternam. *Hoc enim interest inter figuratam imaginem & rem ipsam: Figura præstabat vitam temporalem: Res ipsa: cujus illa figura erat, præstat vitam æternam.* Lege & Sermonem *de Serpente Æneo & de Virgâ Moysi, S. Augustino* adscriptum, aliàs 101. *De Tempore*, nunc verò 22. in Appendice, in quam a Doctissimis PP. Benedictinis Congregationis *S. Mauri*, Editionis ultimæ Parisiensis Procuratoribus meritò rejectus est.

Probatur octavò ex *S. Cyrillo Alexandrino*, Libro 1. Commentariorum in Evangelium S. Joannis: *Deus*, inquit, *Mosen jussit eis statuere Serpentem ex ære, in eoque præmeditationem quamdam vult esse futuræ per fidem salutis. Morsu enim Serpentis laborantibus unicum remedium erat, Æneum illum coram intueri, & extremo discrimine fides eum illo obtutu liberabat. Sed hæc quoad historiam. Rursus autem ipsâ re totum velut in typo delineat Incarnationis Mysterium. Serpens enim*
Rom. 8. *peccatum significat, sævum illud & homini exitiosum, quod universum genus humanum depascebatur, variis morsibus uniuscujusque animam appetens, & multiplex nequitiæ venenum effundens, quod in tantum invaluerat, ut aliter a nobis vitari non posset, quàm ope cœlesti. Factus est ergo Deus Verbum in similitudine carnis peccati, ut damnaret peccatum in carne, sicut scriptum est, & respicientibus in ipsum per fidem intentam, aut divinorum dogmatum inquisitionem, æternæ salutis conciliator existeret. Quod autem in sublimi cippo Serpens erectus fuerit, ostendit illustri & conspicuo in loco positum fuisse Christum, ut neminem lateret eum e terrâ exaltatum fuisse, sicut ipse quoque alicubi ait, propter passionem quam in Cruce sustinuit.*

Probatur nonò ex *Theodoreto* Quæstione 38. in Numeros. Quærit *Quâ de causâ Deus instituit, ut per Æneum Serpentem sanarentur Serpentum morsus?* Respondet: *Istud salutarem Passionem præfigurat. Nam per Serpentem natum est peccatum: Unde & maledictionem accepit a Deo omnium. Erat itaque Serpens figura tum peccati, tum maledictionis. Quoniam igitur Dominus Christus in* Rom. 8.
*similitudine carnis peccati apparuit, ut ait divinus Apostolus: Corpus enim verè sumpsit, peccatum autem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: Præsignatur Passio salutaris per Serpentem Æneum. Quemadmodum enim Serpens Æneus erat imago Serpentum, non tamen illorum venenum gerebat: Ita Filius Unigenitus corpus quidem habebat humanum, sed peccatorum maculâ carebat. Et sicut a serpentibus morsi, Serpentem intuentes sanabantur: Ita qui vulnerati sunt a peccato, Passioni Salvatoris nostri sine ullâ dubitatione credentes, morte potentiores fiunt, & vitam æternam consequuntur.*

Probatur decimò, ex Hebræorum Magistris, qui Miraculo factum agnoscunt, ut Israëlitæ a Serpentum morsibus Ænei Serpentis aspectu sanarentur. Ita R. Moses Gerundensis. *Mihi*, inquit, *de hoc mysterio ita videtur. De consuetudine Legis divinæ est, ut omne opus miraculosum fiat per aliud miraculum, auferendo malum per eum qui id intulit, & morbum per ejus causam, sicut Rabbini nostri docent ex eo quòd de ligno amaro ad dulces reddendas aquas amaras legitur Exod. 15. & ex aquis lethiferis per Eliseum injecto sale sanatis 2. Reg. 2. Et notum est ex Medicorum placitis, quòd omnes ab animalibus venenatis morsi periclitentur, si vel ea, vel eorum imaginem inspexerint .... Has itaque ob causas convenientius fuisset, ne isti a Serpentibus morsi Serpentem aspicerent. Et tamen præcepit ipsis Deus facere imaginem Serpentis qui occidebat eos, & eum adspicere.* Ita R. Bechai: *Quod Deus hîc præcepit, contra naturam erat. Nam qui morsus est, periclitatur ex aspectu imaginis ejus a quo morsus est. Fecit autem Moses Serpentem ex ære terso & polito, quod est rubicundum, ad similitudinem Serpentum urentium. Sic Ezechias sanatus est per unctionem palathæ ficuum super ulcere: Sic aqua in Mara dulcis facta est per lignum amarum, per miraculum in miraculo. Sic hoc loco sanati sunt per aspectum imaginis Serpentis per miraculum in miraculo: .... Itaque remedium hoc fuit miraculum in miraculo, dum malum ablatum fuit per eum qui illud intulit, & morbus curatus fuit per eum qui morbum attulit. Præcepit scilicet Deus Mosi, facere imaginem Serpentis occidentis eos, ut per illam sanarentur, ad ostendendum quòd non serpens, sed peccatum malum inferat, sicut Rabbini nostri dicunt: Non Serpens mortem infert, sed peccatum.* Ita Abarbanel: *Nullum est dubium quin ad orationem Mosis e medio sublati fuerint Serpentes: remanserunt autem in populo ægri multi, qui morsi fuerant. Ad*
,, *hos igitur sanandos dixit Deus Mosi*: Fac tibi
,, Presterem, & pone illum in signum; ut omnis
,, qui morsus est, aspiciat eum, & vivat. *Constat autem, ut Nachmanides scripsit, hoc potiùs debuisse augere morbos: Quia morsi a venenatis bestiis non debent aspicere imaginem ejus a quâ morsi sunt. Hoc verò ideo factum est, ut agnoscerent & scirent, & morbos & medicinam ipsorum fieri miraculosè, non naturaliter: Hinc per aspectum illius rei quæ nocuit, illi acceperunt medicinam.* Ita Aben-Ezra: *Multi hîc superstitiosam habent opinionem, dicentes: Hanc figuram factam esse ad recipiendam virtutem superiorem:* (Syderum scilicet influxum, aut vim aliquam magicam, ad abigendos serpentes, & curandos morsus eorum, instar figurarum illarum, quæ *Talismani* dicuntur:] *Sed absit ut hoc dicamus, Nam res hæc facta fuit ex præcepto Dei. Quare Serpentis figuram fieri voluerit, non est nobis curiosiùs scrutandum. Aut indicet mihi aliquis an sit lignum aliquod, quod dulces possit reddere aquas amaras, quod ne quidem mel præ-*

*sta-*

*stare possit? Vel qua causa fuerit imposita palatha ficuum super ulcus? Palatha enim ficuum non habet hanc naturam ut ulcus malignum tollat vel sanet. Verùm nimis sublimis nobis est scientia & mens Excelsi.* Chaldaicus Paraphrastes Jonatham v. 8. *Numer.* 21. hac Paraphrasi illustrat: *Fac tibi Serpentem Æneum, & pone eum in locum elevatum: & fiet ut si quem momorderit Serpens, & intuitus fuerit eum, ut convalescat, siquidem direxerit cor ad Verbum Domini.* Plura de hac Quæstione *Buxtorfius* in *Historiâ Serpentis Ænei.*

## DISSERTATIO VII.

## DE MIRACULO IN ASINA Balaami facto, & de ejusdem Balaami Vaticinio.

---

### PROPOSITIO I.

*Asinam Balaami sermone humano simili Dominum suum esse allocutam, minimè incredibile est.*

PRobatur primò ex Scripturâ Sacrâ Miraculum illud referente. Hanc autem Spiritu Sancto inspirante scriptam esse constat a Sanctis Hominibus; esseque Dei verbum, qui mentiri non potest, nec fallere. Futurorum eventuum, quos prædixit, certitudo [ contigerunt enim ut prædicta tot ante seculis fuerant ) vera esse quæ in eâ narrantur, seu Dei miracula, seu hominum gesta, luculenter probat: Prophetiarum veritas Historiæ confirmat veritatem. Sic autem Miraculum narrat *Moyses* Numer. 22. *Stetit Angelus Domini in viâ contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum: Cernens asina Angelum stantem in viâ, evaginato gladio, avertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, stetit Angelus in Angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns asina, junxit se parieti, & attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam: & nihilominus Angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit. Cùmque vidisset asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis, qui iratus, vehementiùs cædebat fuste latera ejus. Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? Cur percutis me? Ecce jam tertiò? Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi: Utinam haberem gladium, ut te percuterem. Dixit Asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? Dic quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait: Nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in viâ evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.*

Et S. Petrus Epistolæ 2. Cap. 2. *Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, Prophetæ prohibuit insipientiam.*

Probatur secundò; Non magis fidem superat quòd asina voce hominis locuta sit, eam movente Deo per Angelum; & quod in naturâ & naturalibus vocis organis deerat, virtute suâ supplente, quàm fidem superet quòd serpens humano sermone locutus sit cum *Evâ*, Diabolo eius organa movente. At istud impossibile non esse Dœmoni *vel sola Mosis verba idonea sunt quæ fidem plenissimam faciant;* ( inquit *S. Cyrillus Alexand. Libro 3. contra Julianum* ) Multò minùs itaque prius illud impossibile est Angelo Dei virtute agente.

Probatur tertiò, ex his quæ apud Poëtas & Historicos leguntur de sermone humano a brutis animantibus, imò & a rebus inanimatis edito: Quæ si vera sunt, minimè dubium est Magorum præstigiis & Dœmonum arte ad illudendum hominibus præstitum: Si verò ficta existimentur, sanè incredibilia Gentilibus visa non fuisse manifestum est: Itaque multò minùs incredibile impiis hominibus videri debet, quod de asinâ *Balaami* a *Moyse* in Sacrâ Historiâ narratur Miraculum. Mythologi *Bacchum asino illi, quo fuerat vectus, vocem humanam dedisse* ferunt. Ita *Hyginus, Astronom.* Libro 2. in Cancro. *Phryxi* arietem, cùm *Helle* in Hellesponto submersa est, *vocem humanam emisisse*, Auctor est *Apollonius* Libro 1. *Argonaut.* Cujus antiquus Scholiastes hæc habet: *Cùm Helle in Pontum decidit, Phryxum fratrem anxium aries, volente Jove, dicitur allocutus; ut certum faceret, se illum in Scythiam incolumem deducturum.* Idem asserunt *Hecatæus*, & *Tzetzes* in *Licophronem* P. 8. Addit *Apollonius* de eodem Ariete Libro 2. *Eum deinde immolavit ipsius mandatis.* Quæ verba Scholiastes ita commentatur: *Arietem*, inquit, *mactabat ex suis ipsius præceptis, hoc est, juxta consilium asini ipsius. Ipse enim Asinus humanâ voce usus, jussit ut hoc faceret.* Ex *Balaami* historiâ id sumptum videtur. *Homerus* equo vocem tribuit Iliad. τ' quem dominum *Achillem* allocutum, eidem mortem auguratum affirmat: Nempe, inquit,

*Vocem illi Juno formosis indidit ulnis.*

Quæ *Eustathius* ita commentatur: *Hic etiam vide quàm fabula sit probabilis: Reverâ enim si locus est Xanthus, ut & Phryxi aries, per Junonem locutus est, id est, per aërem.* Eòdem pertinent hæc *Oppiani* Libro 1. Cynegetic... *Equus in pugnâ quondam silentii vincula rupit, & naturæ leges superavit, & vocem sumpsit humanam, & linguam, qualem homines.* Et *Propertii* Libro 2. Elegiâ ultimâ:

*Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arion*
*Tristis ad Archemori funera victor equus.*

Agnum *Bocchoride* in Ægypto regnante locutum, & cuidam futura prænuntiasse, testantur *Manethon* Ægyptius in Fragmentis, & *Suidas* in τῷ Ἀρνίον. *Julius Obsequens* Canem *C. Mario* & *C. Flacco* Coss. Arimini locutum tradit. Bello Punico secundo bovem locutum *Cn. Domitio* dixisse, *Cave tibi Roma*, referunt *Valerius Maximus* Libro 1. Cap. 6. & *Titus Livius* Libro 35. *Plutarchus* in Marcello: *Bos etiam dicebatur humanam vocem emisisse.* Bovem in Siciliâ locutum rursus testatur *Livius* Libro 24. Item Priverni, Libro 27. Item in agro Romano, Libro 28. & in agro Campano, Libro 31. Idque certò constare asserit. Idem prodigium pluries contigisse, refert *Julius Obsequens*. De prodigiis in morte Cæsaris editis *Virgilius* Lib. 1. Georg. canit:

*—— Pecudesque locutæ,*
*Infandum ———*

*Plinius* Libro 8. Cap. 4. *Est frequens*, inquit, *in prodigiis priscorum, bovem locutum: Quo nuntiato Senatum sub dio haberi solitum.* Plura vide apud *Ælianum*, *Historiæ Animalium Libro* 12. Cap. 3. *Plutarchus* Libro *De Fluminibus*, in *Hydaspe*, narrat *Pori* Elephantem domino suo humanâ voce dixisse *Domine Rex, qui a Gegasio genus ducis; ne quidquam contra Alexandrum feceris, Jovis enim est genus*: ut legendum observat *Bochartus* Libro 2. *Hierozoici*, Cap. 14. Tradit etiam *Theophanes* in Historiâ ad annum septingentesimum quadragesimum nonum, in Mesopotamiâ e terrâ ascendisse ani-

animal mulinum, humanâ voce loquens, & prænuncians Gentis incursionem ab eremo adversùs Arabes: Quod & factum est. Caucasum fluvium *Pythagorâ* cum Sodalibus trajiciente, magnâ voce cunctis audientibus dixisse? *Salve Pythagora*, commemorant. Ulmum *Appollonium* salutasse, articulatâ & fœmineâ voce, scribit *Philostratus*. Dodonæam Quercum humanâ etiam voce usam ferunt. *Cittieus Isigonus*, in Rhodo Insulâ, *Jovis* taurum humanæ vocis expertem non fuisse ait. Ex quibus *S. Cyrillus Alexandrinus, Libro* 3. *Contra Julianum* pag. 88. ita colligit: *Videsis ut impostorum ludibria planè demonstrent, naturæ Dæmonum inesse ut efficere interdum voces queant, neque e sensu praditis modo animantibus, sed & voce & sensu expertibus, aquâ dico & arboribus.* Multò magis igitur credendum est, Deum totius naturæ supremum dominum sive immediatè, sive Angeli ministerio, fecisse quod Sacra narrat Historia; os nimirum Asinæ aperuisse, ut *Balaamum* humano sermone alloqueretur, ejusque corrigeret insipientiam. Asinæ hæc verba Chaldæus Paraphrastes Hierosolymitanus affingit: *Va tibi Balaam impie, scientiæ expers, & in quo nulla reperitur sapientia. Ecce ego sum immunda bestia, moritura in hoc sæculo, neque ad futurum sæculum perventura. Non potuisti tamen mihi maledicere per doctrinæ tuæ sapientiam: Quantò minùs filiis Abrahami, Isaaci, & Jacobi, in quorum gratiam Mundus ab initio creatus est? Et quomodo tu vadis ad maledicendum illi Populo, cujus scientiam suffuratus es?* Idipsum in Paraphrasi *Jonathanis* verbis paulò diversis legitur.

Probatur quartò: Majus Miraculum factum est in *Balaamo*, qui Populo Dei invitus benedixit cui maledicturus tanto apparatu venerat, Deo ejus voluntatem flectente. Asina enim erat mere patiens, sed *Balaam* moventi Deo pro virili obsistebat. Cùm itaque non sit incredibile Deum mutasse voluntatem Balaami ad maledicendum Israëlitis propensam: Nec etiam incredibile est, ipsum asinæ linguam movisse ad loquendum, & virtute suâ supplevisse quod in naturâ, & in naturalibus vocis organis deerat. Hinc *Rabba* in *Numeros* Sectione 20. asserit, Deum os asinæ ideo aperuisse, *Ut Balaamum doceret, os & linguam penes se esse, adeòque os ipsius Balaami, si quæreret Israëli maledicere.*

Probatur quintò, ex *S. Augustino Quæstione* 50. *in Numeros*, ubi de *Balaam* ait: *Nimirum iste tantâ cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur, & responderet quasi ad hominem loquens, cùm Deus utique non asinæ animam in naturam rationalem vertisset, sed quod illi placuerat, ex illâ sonare fecisset, ad illius vesaniam cohibendam: Illud fortasse præfigurans, quia stulta mundi electurus erat Deus, ut confunderet sapientes, pro illo spiritali & vero Israël, hoc est promissionis filiis.*

Probatur sextò, ex *Theodoreto* Quæstione 42. in Numeros. *Perterret illum*, inquit, *tum asini voce præter naturam emissâ, tum Angeli visione, ut cognoscat quantam Populi curam Deus gerat. Ajunt autem nonnulli, Angelum illum esse Michaëlem, qui Populo præerat.*

---

### PROPOSITIO II.

*Balaamus, vir licèt nequissimus, de Populo Dei, & de Christo vaticinatus est, Spiritu Sancto afflante.*

I. B*Alaamum* virum fuisse nequissimum multa probant, primò quòd a Deo prohibitus ire cum Oratoribus *Balac* Regis Moabitarum, ad maledicendum Populo Israël; nihilominus cùm Rex impius plures & nobiliores Oratores cum amplioribus etiam muneribus ad illum misisset, Deum iterum consuluit, divinum jussum ad suam cupiditatem inflectere conatus. *Obsecro*, inquit, *ut hìc maneatis etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus.* Quæ verba *S. Augustinus Quæstione* 48. *in Numeros* ita commentatur. *Quod ait Balaam iterum ad se missis „ honoratioribus Nuntiis*, Si dederit mihi Balac „ plenam domum suam argento & auro, non „ potero prævaricari verbum Domini, facere „ illud pusillum vel magnum in mente meâ, *nullum habet omnino peccatum: sed quod sequitur, non est sine gravi peccato. Jam enim constans esse debuit semel audito, quod ei dixerat Dominus*, „ Non ibis cum eis, neque maledices Populum: „ Est enim benedictus: *Nec eis ullam spem dare, quòd posset Dominus tanquam ipse Balaam muneribus & honoribus flexus, adversùs Populum suum, quem benedictum esse dixerat, suam mutare sententiam. Sed ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de quâ ejus jam cognoverat voluntatem. Quid enim opus erat, sequuntur adjungere?* Et nunc sustinete ibi & vos nocte hac, & sciam quid adjiciet Dominus loqui ad me. *Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permisit eum ire, ut per jumentum quo vehebatur, ejus avaritiam coërceret. Hoc ipso confundens illam dementiam, quòd prohibitionem Domini per Angelum factam transgredi asina non audebat, quam ille transgredi conaretur, quamvis „ eamdem cupiditatem timore supprimeret.* Venit „ enim Deus ad Balaam nocte, & ait illi: Si „ vocare te venerunt homines, exsurgens sequere eos, sed verbum quodcumque locutus „ fuero ad te, hoc facies. Et exsurgens Balaam „ manè stravit asinam suam, & abiit cum Principibus Moab. *Cur post istam permissionem Deum iterum non consuluit, & post istam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur? Denique Scriptura sequitur*, Et iratus „ est animatione Deus, quia ibat ipse: & insurrexit Angelus Dei, ut non permitteret eum „ in viâ, &c. *Nihil hìc sanè mirabilius videtur, quàm quòd loquente asinâ territus non est, sed insuper ei, velut talibus monstris assuetus, irâ perseverante respondit.*

Idem observat *Theodoretus* Quæstione 40. *Quia* inquit, *desiderio promissarum pecuniarum captus Balaam denuò rogavit an sibi eum illis qui missi fuerant abeundum esset, existimans Dominum Deum pœnitere potuisse, permisit abire; Tantùm non dicens, Abi quidem, quoniam ita desideras: Scito tamen te quæcumque voluero locuturum.* Avaritiæ itaque servus *Balaamus* erat, ad maledicendum Populo Dei contra divinum mandatum spe munerum comparatus.

Secundò, nequitiam ipsius probat cœcitas spiritualis, quâ factum est, ut asinâ loquente, Miraculum non attenderet, sed cum ipsâ nihil stupens colloqueretur, Angelumque non videret, quem asina videbat. *Deus* scilicet *Lege infatigabili spargit pœnales cœcitates super illicitas cupiditates*; ut ait *S. Augustinus*.

Tertiò, nequitiam ejus probat acceptio munerum a Moabitarum Rege. *Cùmque occidisset Balac boves & oves, misit ad Balaam, & Principes qui cum eo erant, munera.*

Quartò, quòd Balac ad Excelsa *Baal* falsi Moabitarum Numinis secutus sit, ibique septem Aris superstitiosâ numeri observatione erectis, vituloque & ariete super quamlibet Aram imposito & ma-

mandato, cooperante *Balac* impio Rege, cujus & *Holocaustum* illud dicitur, *abierit ut augurium quæreret*, sive ex avibus, sive ex animalium extis, sive a Dœmone familiari; *Numerorum* 22. 41. 23. 1. 2. 3. 24. 1. Unde ipsum *Ariolum* Scriptura Sacra vocat *Numer.* 22. 5. Et *S. Cyrillus Alexandrinus*, Lib. 6. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, Balaam *Nugatorem Magum* vocat, & Idolis deditum. *Cùmque*, inquit, *frigida*, *& a Dæmoniis immissa somnia quæreret*, *& quæ ex carminibus & magicis artibus sibi contingere solebant*, *speraret*, *Dominum dixit secum locuturum*: *Deum enim se invocare simulabat*. *Quamvis autem Sacræ Literæ consuetis incantatorum vocibus utantur*; *non tamen sapienter existimabimus eum*, *qui naturâ & verè Deus est*, *velut ex charitate profanorum hominum animis emmittere veritatem*, *& cum homine sceleratissimo*, *& Mago*, *& Idolis dedito colloqui*. Et infra; *Ecce jam apertè Beatus Angelus ex personâ Dei deceptorem illum*, *atque Nugatorem Magum avertit*, *ne maledicere audeat illi qui sit a Deo benedictus*, *neque divinis Decretis opponat humani infelicisque consilii commenta*: *Non quòd illa maledictio officere aliquid posset*; *sed ut apertè ac manifestè*, *qui in ejusmodi spem stultè adductus esset*, *per illum quoque certior fieret*, *nunquam fore ut a Moabitis vel Madianitis Israël expugnaretur*, *cui protector esset ac propugnator Deus*, *qui Populum benedictum*, *sibique deditum suâ benignitate muniret*.

Quintò, in eo apparuit *Balaami* nequitia, quòd Madianitis auctor fuerit immittendi eleganti specie feminas in Castra Israëlitarum, quæ ipsos lenociniis suis ad cultum *Phegor* pellicerent. *Theodoretum* eâ de re audiamus Quæstione 44. in Numeros. *Cùm igitur falsus Vates tantam a Deo accepisset experientiam*, *alios contra Deum machinatus est dolos*. *Nam probè sciens illos invictæ fortitudinis esse*, *qui proteguntur a Deo*, *ad impietatem illos per intemperantiam impulit*, *ut propter impietatem divino denudati auxilio*, *captu faciliores fierent*. *Persuasit itaque Madianitis*, *ut non viros*, *sed mulieres contra illos armarent*, *quibus armorum vice corporis venustas*, *& verborum illecebra essent*: *Ut pulchritudine capti*, *ac verborum lenociniis illecti*, *illarum idolis servirent*. *Quod nos docuit Beatus Moyses*, *post partam de Madianitis victoriam objurgans eos qui vivas ceperant mulieres*. *Sic enim ait*: Quare vivam cepistis feminam omnem? Illæ enim, juxta verbum Balaam, fecerunt ut filii Israël deficerent a Deo, & verbum Domini contemnerent propter Phegor: & facta est plaga in congregatione Domini. *Porrò Phegor nomen est Idoli*.

Sextò, reprobum fuisse *Balaamum*, colligitur ex Epistolâ 2. *S. Petri* Cap. 2. 15. ubi *Maledictionis filii* qui *derelinquentes rectam viam erraverunt*, dicuntur *secuti viam Balaam*, *qui mercedem iniquitatis amavit*. Quæ verba *S. Augustinus* expendens Quæstione 48. in Numeros ait: *Et ipse quidem reprobus mansit*: *Nam posterior de illo Sancta Scriptura ita locuta est*, *ut quidam reprehensibiles & reprobi viam ejus secuti dicerentur*: Secuti, *inquit*, viam Balaam filii Beor, qui mercedem iniquitatis dilexit. *Balaamum* etiam *Caino* & *Core*, quos reprobos esse nemo ignoraverit, *S. Judas* Apostolus in Epistolâ suâ Canonicâ adjungit, V. 11. *Væ illis*, inquit, *quia in viâ Cain abierunt*, *& errore Balaam mercede effusi sunt*, *& in contradictione Core perierunt*: *Hi sunt in epulis suis maculæ*, *convivantes sine timore*, *semetipsos pascentes*, *nubes sine aquâ*, *quæ a ventis circumferuntur*, *arbores autumnales*, *infructuosæ*, *bis mortuæ*, *eradicatæ*, *fluctus feri Maris*, *despumantes suas confusiones*, *sidera errantia*: *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum*.

II. *Balaamum* tamen afflante Spiritu Sancto futura de Populo Dei, & de Christo prænuntiasse, *S. Augustinus* agnoscit loco supra laudato. *Deinde*, inquit, *ire permissus est*, *ut jam per ipsum Prophetia clarissima proferretur*. *Nam omnino permissus non est dicere quod volebat*, *sed quod virtute Spiritûs cogebatur*.

Idem agnovit *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 6. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, Pag. 192. *Balaam*, inquit, *Propheta factus est*, *non qualis ante solebat*, *falsus*, *sed vi divinâ & ineffabili præter spem in contrarium est conversus*: *Non enim maledixit*, *sed benedixit potiùs Israëli*.

Idem agnovit *Theodoretus* Quæstione 42. in Numeros. *Unde*, inquit, *os impurum accepit virtutem Spiritûs Sancti*, *& loquitur quæ non vult*, *& clamat*: Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? & quâ ratione detester, quem non detestatus est Deus? *Prænuntiat etiam futura*: Ecce Populus habitabit solus, & non computabitur inter Gentes. Quis exactè recensuerit semen Jacob? Aut quis numerabit Populos Israël? *Deinde optat cum illis habere societatem*: Moriatur anima mea cum animabus justorum, & fiat semen illorum. *At verò quia Balac indignatus*, *& suspicans ipsum*, *quia viderat multitudinem Hebræorum*, *benedictionem dedisse*, *abduxit illum in alterum locum*, *unde partem Populi videre licebat*: *Meritò rursum Spiritus Sanctus per illum ait*: Non est Deus quasi homo, ut suspendatur: Nec ut filius hominis ut minas patiatur. Ipse cùm dixerit, nonne faciet? Loquitur quidpiam, & non permanebit? *Mutationi*, *inquit Balac*, *aut alterationi non est obnoxia Natura Divina more hominum*. *Ad benedicendum assumptus sum*: *Benedicam*, *nec divertar*. Addit *Balaam* Israëlitico Populo benedicens: *Cujus fortitudo est similis Rhinocerotis*: Vel, ut habent Septuaginta, *Quasi gloria unicornis ei*. Quæ verba *Theodoretus* ita commentatur Quæstione 43. *Monoceros est animal habens unicum cornu in capite*, *de quo Dominus Deus cum Job loquens ait*: Voletne tibi servire unicornis? *Per hoc & animalis robur indicans*, *& quòd servitutem ferre nequeat*. *Quidam ergo voluerunt huic assimilare Dominum Deum*. *Ego verò arbitror hoc de Populo dictum esse*, *quòd quemadmodum unicornis unicum habet cornu*, *sic Populus verè pius unicum Deum adorat*. *Idcirco etiam Beatus David dixit*: In te *Psalm.* 43. 6.
inimicos nostros ventilabimus cornu. *Illud porrò*, Non erit auguratio in Jacob, nec divinatio in Israël. In tempore dicetur Jacob & Israël quid perficiet Deus: *Sic intelligendum est*. *Quid perficiet Deus contra Israël*, *prædicere neque divinatio potest*, *nec augurum observatio*. *Dominus enim Deus futura prædicit per Prophetas suos*, *& suggerit quid agendum*. Hæc *Theodoretus*. Romanos etiam Assyriorum Imperium, & Judæam debellaturos prædicit Balaam Numerorum 24. 24. *Venient in trieribus de Italiâ*, *superabunt Assyrios*, *vastabuntque Hebræos*, *& ad extremum etiam ipsi peribunt* LXX. vertunt: *Egredientur enim de manu Chetim*, *& affligent Assur*, *& affligent Hebræos*. Nonnulli *Chetim* Macedones interpretantur. *Perseus* Rex Macedoniæ vocatur Rex *Chetim* 1. *Maccab.* 8. 5. & *Alexander* est ex Terrâ *Chetim* 1. *Maccab.* 1. 1. De Macedonum, Græcorumque victoriis adversùs Persas, Assyrios, Medos, Hebræos, hoc Vaticinium explicat *Theodoretus* Quæstione 44. in Numeros: *Prædixit etiam*, inquit, *& Macedonum victoriam adversùs Persas*: Egredientur enim, *ait*, de manu Chetim, & affligent Assur, & affligent Hebræos. *Alexander enim delevit Regnum Persarum*; *Antiochus autem dimicans Judæos*, *&*

*& Metropolim eorum cepit, & divinum Templum desertum reddidit*. Alii *Chetim* interpretantur *Italiam*. Ita *S. Hieronymus* reddit. Onkelos & Arabs Interpres, *De Romanis*: & Hierosolymitanus: *In Lombardiâ, ex Urbe Magnâ*, id est, Româ. & Jonathan: *Ex Lombardiâ, & e Terrâ Italia*. Præterea, cùm *Daniel* Alexandrum nominet Regem *Javan*, si dicatur idem Rex *Chetim*, confundentur *Javan* & *Chetim*, quæ manifestè distinxit *Moses*. Tertiò, ejusdem Prophetæ Cap. 11. v. 29. & 30. de Chittæis ea dicuntur, quæ meritò ad Romanos referunt ferè quotquot sunt Interpretes. *Constituto*, inquit, *tempore Antiochus rursus invadet Austrum*, (id est, Ægyptum) *sed posterior primæ non erit similis. Supervenient enim naves Chittim, & invitus regredietur*. Naves Chittim sunt Naves Romanorum *Cajo Popilio* Duce, quorum metu *Antiochus* re infectâ discessit. Unde & Vulgatus Interpres hoc etiam loco Romanos vertit. Quam expositionem sequuntur Græci & Latini Patres, & plerique ex Hebræis. Rursus *Ezechielis* 27. 6. ubi Textum Hebræum ad verbum reddentes vertunt ex *Insulis Chittim*, Chaldæus vertit *E Provinciâ Apuliæ*: & Vulgatus Interpres, *De Insulis Italiæ*. Jam si nominis *Chittim* vel *Chetim*, vestigia quæras in Italiâ, occurret in ipso Latio Urbs *Cetia* apud *Halicarnasseum*, una e septem Urbibus a *Coroliamo* captis; item *Echetia* Italiæ Urbs apud *Stephanum*, & circa Cumas *Cetus* fluvius. Plura ad istius confirmationem sententiæ legi possunt apud *Bochartum* Libro 3. *Geographiæ Sacræ*, Cap. 5. De Romanis itaque hic vaticinatus est *Balaamus*, a quibus clades illatæ sunt Hebræis sub *Pompejo*, sed præcipuè sub *Tito* & *Vespasiano*. De Assyriis autem & vicinis Parthis sub *Augusto* triumphavit *Ventidius Bassus*; & tempore *Trajani* subjugati sunt Assyrii, & in Provinciæ formam redacti, ut *Dio*, *Festus* & *Rufus* testantur.

*Prædictiones* autem *hujusmodi*, inquit Theodoretus, *non a falsâ divinatione, sed a virtute Sanctissimi Spiritûs procedunt. Qui enim mandavit asinæ ut præter naturam humanâ voce loqueretur, is ad hunc modum per linguam Vatis futura prædixit. Factus est, inquit, Spiritus Dei in illo*. Sive, ut reddit Latinus Interpres, *Numer.* 23. 5. 16. & XXIV. 2. 3. *Dominus autem posuit verbum in ore ejus. Et irruente in se Spiritu Dei, assumptâ Parabolâ, ait, &c.* Addit *Theodoretus* loco supra laudato: *Cùm experientiâ didicisset, se arte vanâ utentem nihil proficere, infinitis enim partibus potentior erat, qui linguam ejus vertebat quò vellet, non amplius usus est signis consuetis, sed linguam suam contulit in obsequium Dei*.

III. Verùm inter *Balaami* prædictiones insignis est præ cæteris illa de Christo venturo. *Videbo eum, sed non modò. Intuebor illum, sed non prope. Orietur Stella ex Jacob, & consurget Virga de Israël: Et percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus: Hæreditas Seir cedet inimicis suis*. Hoc Oraculo Messiam prænuntiari Judæis olim persuasum fuit. Unde impius ille *Ben Cusiba*, qui se Messiam esse mentiebatur, hoc Vaticinium sibi accommodabat: Ideoque *Bar-Cocheba*, sive *Filius Stellæ* appellatus est. Idem probatur ex Chaldaicâ Paraphrasi Onkelosi, quæ sic habet: *Consurget Rex de domo Jacob, & ungetur Christus de domo Israël, & occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum*. Consentiunt *Jonathan* & Interpres Hierosolymitanus. Idem etiam docet Maimonides, qui istud *Balaami* Oraculum bifariam dividit, ita ut pars prior ad Messiam, posterior ad *Davidem* referatur. *Origines* Tomo 14. in *Joannem*, ait, Samaritanos, qui Pentateuchum dumtaxat admittebant, Christi adventum expectasse velut in Lege prænuntiatum, ut constat ex Samaritidis Mulieris colloquio cum Christo Salvatore. Illos autem Messiæ adventum sparasse tum ex Prophetiâ Jacobi Judæ benedicentis, tum ex Prophetiis *Balaami*: Subditque p. 219. Huetianæ Edit. *Quin Servator ipse sciens Mosen multa de
„ Messia Prophetiâ scripsisse, ad Judæos inquit*: Si Joan. 5.
„ Mosi crederetis, crederetis etiam mihi, de me 45.
„ enim ille scripsit. *Quamobrem plurima invenire licet scripta in Lege typicè & obscurè quæ referantur ad Christum. Apertiora verò alia & manifestiora præter hæc, ego in præsentiâ non video*.

*Eusebius* Libro 9. *Demonstrationis Evangelicæ* Cap. 1. hanc Prophetiam de Christo pariter explicat. *Duces Moab* Deos interpretatur Moabitidis regionis Præsides, puta *Beelphegor*, eosque a Christo subactos & domitos esse ait, cùm Idololatriam adventu suo destruxit. Filios *Seth & Edom*, Gentes exponit Dæmonum tyrannide oppressas, & a Christo liberatas. Stellam appellari Christum, quemadmodum *Sol justitiæ* a Malachiâ, Malach. 4.
*Oriens* a Zachariâ, *Lux* ab *Isaiâ* appellatus est. 2.
*Radicem* eum nuncupat *Balaamus*, quemadmo- Zach. 3. 8.
dum & *germen*, & *virga*, & *surculus* ab *Isaiâ*, & & 16. 12.
*Jeremiâ*, & *S. Joanne* in Apocalypsi nuncupatur. Isai. 9. 2.
*Ceterum*, inquit Eusebius, *quid aliud tandem si-* Isai. 4. 2.
*gnificavit his verbis, quàm per Doctores Moab, in-* & 11. 1. &
*visibilium hostium eversionem? Ipsorum, inquam,* 53. 2.
*Dæmonum, qui olim apud Moabitas Deorum loco* Jerem. 23.
*ferebantur? Atqui aliorum mentionem non fecit,* 5.
*propter Simulacrorum ipsius Israël cultum, quo in* Apocal. 5.
*deserto usus est, quo tempore Populus initiatus est* 5.
*Beelphegor. Quoniam igitur victus est Israël illo tempore a Principibus Moab visum effugientibus, dico autem ab iis qui apud Moabitas pro Diis colebantur; meritò quod olim erat futurum, rerum utique in contrarium mutationem in tempore divinat „ Balaam, dicens*: Orietur Stella ex Jacob & „ surget homo ex Israël. Et franget duces Moab. *Tanquam si manifestiùs diceret, Moabitarum Dæmonas, qui nunc adversùs Israël gloriati sunt, in ortu ejus de quo ipse vaticinatur, fractionem tandem & ruinam passuros: Quibus fractis, filios Seth, & Edom, & Esau, & reliquas Gentes, quas his nominibus significari arbitror, ut olim dæmonico errori addictæ erant, sic rejectâ superstitione, familiares illius futuras, qui Venturus canitur*. Et erit, *inquit*, Edom hæreditas, & erit hæreditas Esau inimicus ejus: *Veteres inquit, hostes Dei atque Israël erunt hæreditas ejus, qui canitur futurus: Ipse enim est cui dictum est a Deo & Patre „ suo*: Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.

Addit *Eusebius*, Hoc Vaticinio commotos *Balaami* Successores, quod apud illos integrum servatum fuisse credere par est, cùm in Cælo ignotum quoddam Sydus ad perpendiculum Judææ constitutum inspexerunt, in Palæstinam festinasse, ut sciscitarentur de Rege, qui per eam Stellam, quam ipsi viderant, significabatur. Fidem his facere *S. Matthæum* his verbis: *Cùm autem natus esset Jesus in Bethleem Judæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Quo tempore iidem missi in Bethleem abierunt. *Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi Puer erat. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Mariâ matre ejus, & procidentes adoraverunt eum*. Cæterùm an Magi *Balaami* successores fuerint, id est ex Mesopotamiâ Syriæ pariter oriundi, ejusque regionis incolæ, quod exi-

existimavit *Eusebius*; an apud Mesopotamos Idololatras Vaticinium illud *Balaami* servatum fuerit; an verba illa, *Orietur Stella ex Jacob*, ad Sidus illud mirabile referri etiam possint, quod Magos ad Christi cunas duxit, an de ipso Christo dumtaxat intelligenda, qui Stella typicè vocatur, res est de qua *Eusebium* inter & cæteros Patres vel Auctores Ecclesiasticos non convenit. Sanè Mesopotamiæ nomen in novo Testamento usurpatur, cum regio illa designatur, ut *Actuum* 2. 9. & 7. 2. & viciniam illam fuisse Judææ nemo nescit: Verbis verò S. Matthæi, *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, Regio quædam remotior designatur. Præterea Magorum nomen, quod in bonam partem accipi a *S. Matthæo* consentiunt Interpretes, apud Persas ab omni ævo pervulgatum, & viris sapientiæ laude excellentibus attributum, non apud Mesopotamos. Tertiò vaticinium illud a *Balaamo* in Mesopotamia editum non est, sed inter Moabitas: Nec credibile est ab illo reduce tale quid apud suos prædicatum, cujus tragicus exitus satis ostendit illum nefariis studiis ad finem usque vitæ suæ vacasse, & vindice Deo extremæ nequitiæ pœnas dedisse. Denique, hoc Oraculum, *Orietur Stella ex Jacob*, ad Sidus materiale & corporeum non pertinet, sed ad Christum Spirituale Sidus, cujus index fuit Stella illa Magorum, ex Jacob minimè exorta, sed in Oriente miraculosè a Deo formata, ut illis dux esset itineris ad Christi Præsepe. *Balaami* Vaticinium explicat locus ille Apocalypsis 22. 16. *Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis: Ego sum radix & genus David, Stella splendida & matutina.*

*Theodoretus* Balaamum Christi adventum prædixisse docet Quæstione 44. in Numeros. *Nec tamen ignorandum est*, inquit, *quibusdam placuisse nihil illum prædixisse de Salvatore nostro. Qui utique debuerunt intelligere, ipsi quoque Nabuchodonozor, licet impiissimo, adventum Dei ac Salvatoris nostri revelatum esse.* „ Vidit enim lapidem „ excisum sine manibus, qui percussit imaginem „ & contrivit aurum, argentum, æs, ferrum, ac „ testam, & factus est mons magnus & tegens „ universam terram. *Qui igitur per illum ista prædixit, per hunc etiam salutem orbis prænuntiavit: Ut apud Gentes hujusmodi prænuntiationes conservarentur. Huic autem prædictioni testimonium præbet rerum exitus. Nam qui secundùm carnem ortus est ex Juda, non tantùm Duces Moab, sed & filios Seth omnes deprædatus est. Filii verò Seth omnes sunt homines. Noë siquidem oriundus est ex Seth: Ex Noë verò universa hominum natura.*

Daniel. 2.

## DISSERTATIO VIII.

## DE MORTE MOYSIS.

### PROPOSITIO UNICA.

*Mortuum esse Moysen, salvâ fide negari non potest.*

PRobatur primo ex Scriptura Sacra Deuteronomii 32. 48. 50. 51. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Ascende in Montem istum Abarim, id est Transitum, in Montem Nebo, qui est in terra Moab, contra Jericho: & vide Terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, & morere in Monte. Quem conscendens jungêris Populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus Populis suis: Quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israël, ad Aquas Contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israël.* Et Capite ultimo v. 5. 6. 7. 8. *Mortuusque est ibi Moyses, servus Domini in Terra Moab, jubente Domino: & sepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. Fleveruntque eum filii Israël in campestribus Moab triginta diebus; & completi sunt dies planctus lugentium Moysen.*

Et Josuë 1. 1. 2. *Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josuë filium Num, Ministrum Moysi, & diceret ei: Moyses servus meus mortuus est, surge & transi Jordanem istum tu, & omnis Populus tecum, in Terram quam ego dabo filiis Israël.* Hæc de morte propriè dicta intelligenda esse constat, 1. Quia *Moyses* mortuus dicitur sicut *Aaron* ejus frater, 2. Quia sepultus asseritur in Valle Terræ Moab. 3. Quia in pœnam peccati ad Aquas Contradictionis commissi maturata dicitur mors illius, antequam Populus Terram promissam ingrederetur. 4. Quia Israelitæ ipsum more solemni planxerunt. Non semel, sed pluries mors Sancti Legislatoris inculcatur, ne raptus dumtaxat vel translatus instar *Enochi*, non mortuus crederetur. 5. Verba Scripturæ Sacræ propriè sunt intelligenda cùm nihil ex iis ita intellectis sequitur contra fidei veritatem, aut morum honestatem, sive contra fidem charitatis Dei & proximi secundùm Regulam a *S. Augustino* traditam in Libris *De Doctrina Christiana.*

Probatur secundò ex Judæorum Historicis, *Josepho* scilicet Libro 4. *Antiquitatum*, Cap. ultimo, ubi de *Moyse* sic loquitur: *In Sacris autem Voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent. Vitæ ejus tempus universum centum viginti annorum fuit, cujus tertiam partem in Imperio exegit, uno mense minùs. Mortuusque est ultimo anni mense, die primâ mensis, qui a Macedonibus Dystrus dicitur, a nostris verò Adar.... Triginta diebus luxit eum Populus, cui nunquam quidquam tristius accidit, quàm tunc Propheta mors.*

Item ex *Philone* Libro 3. *De Vita Moysis*, in fine: *Jam assumendus*, inquit, *& in ipsis stans carceribus, unde ad cœlestem metam erat evolaturus, tunc quoque afflatus divinitus, vivens adhuc prophetavit de se ipso tanquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum sepultumque inspectante nemine, videlicet manibus non mortalium, sed Virtutum immortalium, ne Majorum quidem monumentis illatum: Quippe cui Monumentum contigit eximium haud cuiquam notum homini. Luxit eum universa Gens lacrymis diffluens per mensem integrum, accedentibus ad publicum luctum privatis affectibus, quandoquidem erat inenarrabilis ejus providentia, benevolentiaque erga universos ac singulos. Hujusmodi fuit vita obitusque Moysis, Regis, Legislatoris, Vatis, & Pontificis, sicut Sacris Literis proditur.*

Probatur tertio ex Patribus scilicet ex *Origene* Homiliâ 25. in Numeros. *Si quando*, inquit, *nobis cum Samaritis sermo est, quoniam quidem resurrectionem mortuorum negant, nec recipiunt futuri sæculi fidem, perurgeamus eos ex iis verbis, quibus Dominus dicit ad Moysen*, Quia apponatur ad Populum suum. *Nemo enim apponitur ad eos qui non sunt. Unde constat esse aliquem Populum, cui Moyses post vitæ hujus exitum dicitur applicandus. Quia ergo Prophetis non credunt Samaritæ, ex quibus posset Resurrectionis mortuorum*

*rum latiùs fides approbari, ex iis saltem Mosis Libris, quos recipiunt, & quorum auctoritatem fatentur, convincendi sunt & curandi, si tamen oportet Babyloniam curari. Est ergo locus hic Resurrectionem mortuorum evidenter ostendens. Designat enim esse Populum, cui post obitum suum Moyses adjungendus sit, & ad quos pro suis meritis transferendus.*

Item ex S. *Gregorio Nysseno* Libro De Vita Mosis. *His ita gestis*, inquit, *ascendit in altum Moyses Montem, & procul repromissam Majoribus suis Terram speculatus, humanam vitam exuit, ita ut nihil in terris hujus migrationis suæ signum aut monumentum in sepulcris relinqueret.*

Item ex S. *Epiphanio* Hæresi 64. ubi *Moysen* promeritum fuisse ait: *Ut illud audiret*; Ascende in montem, & illic morere: *Ut illius sepulturam hominum nemo cognosceret; quandoquidem Sacra istud Literæ significant, Non esse ab hominibus Moysis corpus sepultum; sed ab Angelis.* Et Hæresi 0. *Mosis corpus*, inquit, *quemadmodum a Majoribus accepimus, ab Angelis sepultum est, neque illi tamen loti, ac ne polluti quidem sancti illius corporis attactu.*

Ita ex S. *Augustino Libro* 18. *De Civitate Dei*, Cap. 11. *Rexit autem*, inquit, *Populum Moyses per annos quadraginta in deserto: & mortuus est annorum centum & viginti; cùm Christum etiam prophetasset per figuras observationum carnalium in Tabernaculo, & Sacerdotio, & Sacrificiis, aliisque mysticis plurimisque Mandatis. Moysi successit Jesus Nave, & in Terram promissionis introductum Populum collocavit.... Qui cum Populum rexisset post mortem Moysi viginti & septem annos, etiam ipse defunctus est.*

Et Enarratione in Psalmum 98. *Quærimus vindictam in Moyse, prope nullam habet, nisi quòd ad extremum ait illi Deus: Ascende in Montem, & morere. Ait seni, Morere: Jam peregerat ætates suas, numquid unquam erat moriturus? Qualis illa vindicta? Ostendit ibi vindictam suam, ut diceret, Non intrabis in Terram promissionis, quò intraturus erat Populus? Quamdam figuram quorumdam gerebat Moyses. Nam qui in Regnum Cælorum intravit, magna illi pœna erat ad Terram illam non venire, quæ ad tempus erat promissa, ut umbram ostenderet, & transiret?... Sed Moysen voluit gestare figuram eorum qui sub Lege erant, quia per Moysen data est Lex: & ostendit eos qui sub Lege esse vellent, & sub Gratia esse nollent, non intraturos in Terram promissionis. Ergo illud quod dictum est Moysi, figura erat, non pœna? Seni mors quæ pœna.*

Et Sermone 352. novissimæ Editionis Parisiensis: *Per mortem corporalem Moysi figurata est mors ipsius dubitationis; sed in Monte. Ad petram nata est dubitatio, in Monte mortua est. Quando fuit humilis Christus in Passione, quasi petra jacebat ante oculos: Meritò in illo dubitabatur, humilitas illa nihil magnum prætendebat. Meritò ipsâ humilitate factus est lapis offensionis; Resurrectione autem clarificatus magnus apparuit, jam Mons est. Jam ergo illa dubitatio, quæ nata erat ad petram: Monte moriatur.*

*S. Isidorus Hispalensis*, seu quisquis est Auctor Libri *De vita & Morte Sanctorum* inter eius Opera, Cap. 25. veritatem confirmat, ubi de *Moyse* ita scribit: *Quidam eum vivere testantur, pro eo quia sepulcrum ejus non reperitur; & quia apparuit Domino in Monte cum Elia. Mortuum autem esse illum, non raptum Sacra Scriptura testatur.*

*Rupertus* Abbas Tuitiensis Libro 2. in *Deuteronomium*, Cap. 22. hoc argumentum tractans, hæc habet; *Asserunt plerique quòd Moyses non verè juxta proprietatem vocis mortuus sit, sed Dominus eum absconderit, & per nomen mortui absconsionem ejus, sive translationem debere intelligi: Illud pro maximo argumento habentes, quòd transfigurato in Monte Domino, iste cum Elia, eum Eo loquens, apparuit. Verùm si non mortuus, sed a Domino ut Enoch, & velut Elias, translatus creditur, quomodo istud pro indignatione vel ira Domini reputabitur? Nempe sic transferri non indignationis, sed dignationis, non iræ, sed magnæ gratiæ est. Dicit enim ipse Moyses* [ *Deuteronom.* 1. &
„ 4.] Nec miranda indignatio in Populum, cùm
„ mihi quoque iratus Dominus dixerit propter vos,
„ Nec tu ingredieris, sed Josue filius Num Mi-
„ nister tuus ipse intrabit pro te. *Item*; Iratus
„ est Dominus contra me, propter sermones
„ vestros, & juravit ut non transirem Jordanem,
„ nec ingrederer Terram optimam, quam daturus
„ est vobis. Ecce morior in in hac humo: Non
„ transibo Jordanem. *Ad summum, nonne vel Aaron vere mortuus est vera depositione corporis? Quis hoc dissimulare possit? Dicit autem Dominus*
„ *paulò supra Moysi*: Ascende in Montem illum,
„ & morere, sicut mortuus est Aaron frater tu-
„ us: quia prævaricati estis coram me ad Aquas
„ Contradictionis, & non sanctificastis me inter
„ filios Israël. *Igitur quantiscumque quis e contrario nitatur argumentis, libere confirmamus, quia sicut Aaron, sic & Moyses verè & depositione corporis mortuus sit.*

Objiciuntur ex adverso Patrum testimonia, scilicet *S. Hilarii* Capite 20. in Matthæum. *Quantùm*, inquit, *sentire ex ipsis Evangeliis licet, Moyses & Elias in Regno Cælorum assidebunt. Nam cùm spopondisset Dominus visuros quosdam de Apostolis, antequam mortem gustarent, Filium venientem in Regno suo, assumptis Petro & Jacobo, & Joanne, cum habitu gloriæ suæ apparuit, Moyse & Elia comitantibus. Et hos quidem Prophetas duos prævenientes Adventum ejus esse intelligimus, quos Apocalypsis Joannis ab Antichristo perimendos esse dicit: Licèt varia vel de Henoc, vel de Jeremia, plurimorum extiterint opiniones, quòd alterum eorum, sicut Eliam mori oporteat. Sed non possumus veritatis fidem, quam Dominus tribus superioribus testibus revelavit, sensus nostri opinione corrumpere, neque alios venturos existimare, quàm qui ad sponsionem fidei venisse conspecti sunt. Et quamquam ultra Evangelicam veritatem non necesse sit opinari: Tamen si quis conditionem & mortis & sepulcri Moysi diligenter adverterit, & secretarum Scripturarum, secundùm Apostoli auctoritatem, cognitionem adeptus sit, intelliget omnia ita esse tractata, ut Moyses potuerit jam videri.*

*S. Hieronymi* in Caput 9. *Amos* Prophetæ dicentis: *Ascendit Dominus in cælum cum Enoch: ascendit cum Elia; ascendit cum Moyse; cujus sepulturæ locus, quia in cælum ascenderat, in terra non potuit inveniri.*

*S. Ambrosii* Libro 1. *De Cain & Abel*, Cap. 2. cujus hæc sunt verba: *Non legimus de eo* [ scilicet Moyse) *sicut de ceteris, quia deficiens mortuus est: Sed* per Verbum Dei mortuus est. *Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adjectionem capit. Unde & addidit*
„ *Scriptura*; Quia nemo scit sepulturam ejus us-
„ que in hodiernum diem, *ut translationem magis quàm interitum ejus intelligas. Mors enim secessio quædam est animæ & corporis. Mortuus igitur est per verbum Dei, ut ait Scriptura, non secundùm verbum; ut advertas non nuntium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui translatus magis, quàm derelictus est, cujus nemo novit sepulturam. Quis enim in terris reliquias ejus potuit deprehendere, quem secum esse Dei Filius in Evangelio de-*

mon-

*monſtravit? Denique & Elias ſimul eſt viſus, qui tranſlatus curru eſt, non ſepultus, nec mortuus legitur. Vivit enim qui cum Dei Filio eſt. Moſes autem mortuus quidem legitur, ſed per Verbum Dei mortuus, per quod facta ſunt omnia. Verbo autem Dei Cœli firmati ſunt. Per verbum igitur Dei non lapſus operis, ſed firmamentum eſt. Non ergo tanquam relapſus in terram deprehenditur corporis ſolutione, ſed tanquam verbi cœleſtis operatione donatus & munere: ut quietem magis caro ejus, quàm buſtum acceperit;*

Reſpondetur *S. Hilarium* in ea quidem fuiſſe ſingulari ſententia, quòd *Moſes* futurus eſſet cum *Elia* Chriſti Judicis Præcurſor: [ Qua in re ipſum non ſequimur, ceteris Patribus adhærentes: ] At diſertè non affirmat quòd mortuus non ſit. Potuit enim reſurrexiſſe illa in hypotheſi, quo tempore Chriſtus transfiguratus eſt, ſub finem Mundi ſecundò moriturus, & Antichriſtum ſuo etiam ſanguine extincturus.

*S. Hieronymus* verò de myſtico dumtaxat in cœlum aſcenſu loquitur, quem non ſoli *Moyſi*, ſed Sanctis omnibus cum Chriſto tribuit, ſive de profectu ſpiritali, & aſcenſu ad cœleſtis & perfectiſſimæ vitæ gradum, & culmen ſanctitatis. Id patet ex verbis antecedentibus & conſequentibus. Verſatur in illis Prophetæ verbis explicandis: *Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundavit: Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ: Dominus nomen ejus.* Quæ ita commentatur: *Dominus Deus omnipotens, qui reſpicit ſive tangit terram, & commovet eam, ipſe eſt qui quotidie ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam & dicit in Evangelio;* Pater meus uſque modo operatur, & ego operor: *& non ſolum de coſta Adam in typum Eccleſiæ ſemel ædificavit Evam, ſed quotidie credentes & membra corporis ſui ædificat, & de terris ad cœlum levat, ut in illis ipſa conſcendat. Aſcendit Dominus in cœlum cum Enoc: Aſcendit cum Elia: Aſcendit cum Moyſe, cujus ſepulturæ locus, quia in cœlum aſcenderat, in terra non potuit inveniri. Aſcendit cum Paulo, qui Vas electionis, in Apoſtolum de perſecutore mutatus eſt, & de humilibus raptus in ſublimia: Ita ut aſcenderet in cœlum tertium, & per Spiritum Sanctum & Filium perveniret ad Patrem, & audiret verba ineffabilia, Myſteria Trinitatis, quæ hominibus audire non licitum eſt. Iſte ergo qui quotidie aſcendit in* Lucæ 12.
*Sanctis, faſciculum ſuum fundavit ſuper terram:*
„ *De quo in Evangelio loquitur:* Ne timeas grex
„ parvule, quia complacuit Patri meo habita-
„ re in te. *Iſte faſciculus unâ Domini Religione conſtrictus eſt.*

*S. Ambroſius* more ſuo ſenſui allegorico intentus, nihil aliud ſignificare voluit, quàm *Moyſem* typum fuiſſe Chriſti a mortuis reſurgentis: Quia mors ſanctiſſimi illius Legiſlatoris ita in Scriptura Sacra narratur, ut ipſe non tam mortuus, quàm tranſlatus fuiſſe videatur. Virium enim defectu mortuus non eſt: Deinde ab hominum conſpectu omnino abreptus eſt, ejuſque ſepulcrum ignoratur. Quòd verò mortuum *Moyſem* exiſtimaverit *Sanctus Ambroſius* conſtat ex eo, quòd ibidem ſcripſerit, Ipſum reſurrecturum. *Bene autem*, inquit, *inter Dominum & ſervum ſervatur diſtantia. Ut prærogativam Domini intelligas, ſervi gratiam, de Moyſe legitur, quia ſepulturam ejus nemo ſcit. De Chriſto autem*, Sepultura ejus de Iſai. 53.6.
terra ſublata eſt; *Quia ille ſecundùm myſterium Legis expectabat redemptionem, ut reſurgeret: Hic ſecundùm Evangelii donum redemptionem non expectabat, ſed donabat. Et ideo ſepultura ejus ignorata non eſt, ſed elevata, quam diutiùs creatura tenere non potuit; quia per ipſum omnis creatura properavit a corruptionis ſervitiis elevari. Nemo ergo ſcit ſepulturam Moyſi, quia vitam ejus omnes noverunt: Chriſti autem ſepulturam vidimus; ſed nunc jam non novimus, qui Reſurrectionem ejus cognovimus.*

## *FINIS TOMI PRIMI VETERIS TESTAMENTI.*

# INDEX
## RERUM PRÆCIPUARUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

## A

*Aaron* ad conflandum aureum vitulum ab Israëlitis compellitur, pag. 284. Mille trecenti sexaginta quinque sicli Aaroni & ejus filiis Deo jubente dantur, 285. Aaron & filii ejus ad munus Sacerdotale obeundum a Moyse consecrantur, *ibid.* & *seq.* Aaronis filii igne cælesti pereunt, 285. Aaron ab Israëlitis conviciis infectatur, 285. Sacerdotium miraculo Aaroni confirmatur, 286. Mors Aaronis, *ibid.* Aaronis in Summi Sacerdotii dignitate successor, *ibid.* Vitulus aureus ad imitationem superstitionis Ægyptiacæ ab Aarone confectus, 487. Aaron gravissimi peccati reus, cum vitulum Aureum conflavit, & publicè colendum proposuit, 488. Duo mala ab Aarone perpetrata, *ibid.* Temerè ab Hebræis & Monceæo Aaron excusatur, 488. 489.

*Abdon*, Judex, quadraginta filiis, & triginta nepotibus auctus, 297.

*Abesan* Bethleemita, 296.

*Abimelech* Abrahami uxore sublatâ divinitùs punitur, 158. Abrahami precibus Abimelech cum suis sanitatem recuperat, *ibid.* Cum Abimelech Abraham fœdus init, *ibid.* Isaaci ad Abimelechum Regem profectio, 161.

*Abiu*, Aaronis filius igne cælesti consumitur, 285. Deus vetat, ne ab Aarone & Populo plangatur, *ibid.*

*Abraham*, Utrùm ob execrationem Idololatriæ fuerit in ignem conjectus & miraculo liberatus, 132. Annus Natalis Abrahami, 154. Profectio ejus in terram Chanaan, 155. 156. & seq. Utrùm ex filiis Thare Abrahamus fuerit natu maximus, 154. Abrahami vocatio, 155. Abrahami in Ægyptum peregrinatio, 155. Abrahami expeditio & victoria, 156. Lotum & reliquos captivos recipit, *ibid.* Abrahamo Melchisedech Rex Salem benedicit, 156. Illi decimas propriè dictas dat Abrahamus, *ibid.* Promissio posteritatis Abrahamo repetita, 156. Abrahami fides, *ibid.* Desiderio seminis Abrahamus Agaram Ancillam suam accipit uxorem, 156. Dei fœdus cum Abrahamo, *ibid.* Signum fœderis a Deo cum Abrahamo initi Circumcisio, 156. Filius Abrahamo ex Sara a Deo promittitur, 157. Risus Abrahami & Saræ de futura prole quomodo exponendus, *ibid.* Abrahami uxor ab Abimelecho sublata, sed intacta, 158. Ejusdem Saræ raptus a Pharaone, 155. Abrahamo centenario nascitur Isaac, 158. Abrahami probatio & sacrificium, 158. De emptione sepulcri ab Abrahamo, Moses cum S. Stephano conciliatur, 159. Abraham alteram uxorem ducit Cethuram, 161. Abrahami mors, 161. Gentium Scriptores cum laude Abrahami meminere, 172. Abrahami filii ex Cethura, indeque ortæ fabulæ, 173. Hebræorum fabulæ de Abrahami sacrificio, & arietis oblatione in locum Isaaci, *ibid.* Græcorum fabulæ ex Abrahami sacrificio natæ, 173. Alia Hebræorum commenta de Sara, Agar & Cethura Abrahami uxoribus, 174. Mahumethanorum figmenta de Abrahamo, *ibid.* & *seq.* Libri Abrahamo suppositi, 174. Utrùm Abraham uxorem suam Sarai sororem vocaverit absque mendacio & imprudentia, 194. An illam a Pharaone & Abimelecho Regibus intactam Abraham receperit, 196. Abraham futuræ possessionis terræ Chanaan signum a Deo postulat, 209. Sacrificium in signum Terræ promissæ Abrahamo a Domino præscriptum, *ibid.* Oblatio illa pactio fuit fœderis Deum inter & Abrahamum initi, 210. Abrahami cum Agara copulatio, utrùm licita & honesta fuerit, 211. 212. Utrùm Abraham ad ancillam ingrediendo reus censendus sit, 212. An Circumcisionem suo consilio Abrahamus ad Ægyptiorum exemplum susceperit, 213.

*Absalomi* in Davidem conjuratio, 303. Absalomi mors, 304. Absalomi titulus, 322.

*Achan* furtum, ejusque supplicium, 291. Thalmudicorum fabulæ de furto Achan, 317.

*Achitophel* rebellio & mors, 303. 304.

*Adad* Syriæ Rex, Davidi coævus, 347.

*Adamus*, Creatio ejus, & lapsus, 1. Adami liberi, 2. Adamus insignis Christi figura, 5. Vocis Adam significatio, 6. Utrùm Adami corpus biforme fuerit a Deo conditum, 7. Adami statura, *ibid.* An Adamus primus omnium hominum fuerit, 7. 55. Adami tentatio, lapsus & pœnitentia, 66. 67. & seq. Quomodo Adam seductus fuerit, 69. & seq. Utrùm Adamus salutem æternam consequutus sit, 70.

*Abel*, Pietas ejus, 2. & seq. Abelis cædes, 3. Utrùm Abel cœlebs obierit, *ibid.* Abel typus Christi, 6.

*Adipis* usus Israëlitis cur prohibitus, 411.

*Adonibezec*, Jerusalem Rex, capitur, 293. Pollices pedum & manuum ipsi reiecantur, *ibid.*

*Adulterium* sexto Decalogi præcepto prohibitum, 375. Adulterii calamitosi exitus, *ibid.* Adulterii pœna, 375. Adulterii gravitas, 376. Adulteri pœnitentiæ publicæ subditi, 476. Adulterii suspicio quomodo eluenda ex præscripto Legis, 485. Miraculum perenne in probatione fœminarum de adulterio suspectarum, a Deo factum, 485. Utrùm illud sit credibile *ibid.*

*Æaci* fabula unde trahit originem, 336.

*Ægyptiorum* Regni initia, & Reges 133. Ægypti Regnum multiplex, *ibid.* Dissensio Veterum in Regum Ægypti successionibus recensendis, 133. & seq. Decem plagæ Ægypti, 169. & seq. Ægyptiorum Reges tertia mundi ætate, 180. Mulieres in Ægypto jus regnandi habuerunt, 180. Ægyptiorum superstitiones & præcipua numina,

na, 181. Moses ab Ægyptiis sub Osiridis nomine non est consecratus, *ibid.* Josephum sub symbolo bovis Ægyptii non coluere, 181. Plutarchus Ægyptiacæ superstitionis vindex refellitur, 182. Ægyptiorum mores, 183. Ægyptiorum politia, *ibid.* Regiæ vitæ ratio apud Ægyptios, 183. Ægyptiorum Sacerdotes, 183. Judiciorum apud Ægyptios administratio, 184. Ægyptiorum Leges pænales, *ibid.* Ægyptii a Lege naturæ in plerisque aberrabant, 184. Ægyptiorum studia, *ibidem*. Medici, 185. Ritus funeris, *ibidem*. Priscorum Ægypti Sacerdotum temperantia & continentia, 185. A quibus Ægyptii circumcisionem acceperint, 215. 216. & seq. Cædes Ægyptii Hebræum vexantis a Mose perpetrata, 263. Israëlitarum egressus ex Ægypto, 278. & seq. *Vid.* Israëlitæ. Ægyptii in aquis Rubri Maris pereunt, 280. Ethnicorum Scriptorum fabulę de Israëlitarum egressu ex Ægypto, 323. & seq. Polemonis testimonium de Israëlitarum egressu ex Ægypto, 327. Ptolemæus Mendesius exitus Judæorum ex Ægypto meminit, 328. Ægyptii Isidis & Osiridis & Ammonis Sacerdotes lineæ vestis usum, aliosque ritus ex Mosaica Lege accipiunt, 331. Res Ægyptiacæ & Ægypti Reges, quarta mundi ætate, 336. & seq. Utrùm Ægyptiorum spoliis absque furti crimine Israëlitæ ditati ex Ægypto egressi sint, 348. Ægyptiorum a piscibus abstinentia, 454. Vitulus aureus ad Ægyptiacæ superstitionis similitudinem ab Aarone conflatus, 487. Brutorum cultus apud Ægyptios antiquissimus, *ibid.*

*Æneas*, utrùm in Italiam venerit, 345.

*Æsculapius* Rex Memphiticus, Medicinæ peritus, 134. Ab Æsculapio Greco planè diversus, *ibid.*

*Agara* Abrahami Ancilla & uxor. *Vid.* Abraham.

*Agnus* Paschalis, & ritus in ejus mactatione, assatione, manducatione observandi, 273. & seq. *Vid.* Pascha.

*Abialon* Israëlitarum Judex, 296.

*Alienigeni*. Matrimonia cum Alienigenis Mosaicâ Lege prohibita, 484. Quare, *ibid.*

*Altare* Mosaicæ Legis multiplex, 423. Altarium materia, *ibid.* Lex prohibens ne per gradus ascendatur ad Altare, 424. Hujus Legis ratio, *ibid.*

*Amasa*, Dux Exercitûs David, 304. Amasæ mors infausta, 304.

*Amazonum* bella, 342.

*Ammonitas* in Rempublicam coaptari Lex jubet, 481.

*Amenophis* Ægypti Rex in Mari Rubro submersus, 336.

*Amor* Dei. *Vide* Deus.

*Amphictionicum* Concilium, quid sit, & quare institutum, 342.

*Angeli*. Utrùm ante Cælum & corpora omnia conditi fuerint, 16.

*Animalia*. Terrestrium Animalium ex terra productio, 1. & seq. 34. Animalia adulterinæ speciei an proximè & actu sint a Deo creata, an in semine tantùm & causaliter, 34. Utrùm Deus animalia homini obnoxia vel inutilia creaverit, *ibid.* & seq. Quæ animalia in sacrificium offerenda, 406. Animalium diversi generis sub eodem jugo conjunctio & commixtio Israëlitis Lege prohibita, 470. Aliæ circa Animalia observantiæ Mosaicâ Lege præscriptæ, 470. Lex lata circa Animalia commodata, 480.

*Anni*. Utrùm centum viginti anni Gen. 6. designati vitæ humanæ durationem, an tempus ante diluvium hominibus ad agendam pœnitentiam concessum denotent, 109. & seq. Sabbathici anni, 292. Jubilæorum annorum epocha, *ibid.*

*Antediluviani* Patriarchæ, *Vid.* Patriarchæ. Hominibus antediluvianis tempus ad agendam pœnitentiam concessum, 109. & seq.

*Antiquitas &c.* Liber cui titulus, Antiquitas temporum restituta, expenditur & refellitur, 94. & seq.

*Aod*, Israëlitici Populi Judex, 295.

*Apis* Cultus ejus apud Ægyptios, 181. & seq.

*Apollini* Delphico ludi dicati, & quare, 341.

*Apuleji* in Mosen calumnia, 180.

*Aquæ*. Divisio aquarum ab aquis, 1. Aquarum inferiorum in unum locum confluxus, & a terra separatio, 3. 28. Variæ explicandi primariam aquarum congregationem rationes, 28. & seq. Aquæ in sanguinem versæ, prima Ægypti plaga, 169. Aquarum in Mara edulcatio, 280. An naturali ligni virtute facta, *ibid.* Aquarum ex petra a Moyse percussa eductio, 282. Aquę contradictionis, 286.

*Aram* Semi filius, 119. Syrorum Pater, *ibid.*

*Arbores* & plantæ tertia die creantur, 30. Utrùm causaliter, & in semine tantùm creatæ sint, vel actu & reipsa cum fructibus productæ, 30. & seq. Arbor scientiæ boni & mali cujus speciei fuerit, 52. *Vid.* scientiæ boni & mali arbor. Vitæ arbor, 53. *Vid.* Vita.

*Arca* ædificatio a Noacho suscepta, 4. Latitudo ejus, longitudo & profunditas, *ibid.* & seq. 103. & seq. Animæ in Arcâ salvæ factæ, 4. Utrùm Moses geometricos vel sacros, an communes cubitos in describendis Arcæ dimensionibus intellexerit, 105. & seq. Arcæ capacitas, ut animalia cum alimentis congruis, Noe & familiam, cum annona & utensilibus facilè contineret, 106. Arcæ mystica significatio, 107. & seq. Arca fœderis, 285. Variæ Arcæ translationes, 298. 302. Miracula ad Arcæ præsentiam facta, *ibid.* In Bethsamitas Arcam curiosiùs introspicientes Dei animadversio, 298. Oza Arcam vacillantem manu sublevans, subita morte extinguitur, 302. Arcæ ab Azotiis in Templo Dagonis depositæ historia a Josepho interpolata, 319. Arcæ fœderis structura, 419. Quæ in Arca recondita erant, *ibid.* Quare dicta Arca Testimonii, *ibid.* Arcæ fœderis origo a sacris Ethnicorum cistis non est arcessenda, 419. & seq. Spenceri objectiones solvuntur, *ibid.*

*Areopagus* quid sit, 186. Quare sic dictus *ibid.* & seq. Areopagi institutio, 186.

*Argivorum* Reges, 185. 341.

*Argonautarum* vellus aureum, 334. Argonautarum expeditio, 342.

*Armais* Amenophis filius, Egypti Rex, 335. & seq. utrùm a Danao distinguatur, 337.

*Arphaxad* Semi Filius, 119.

*Artapanus*. Mosis Historia ab Artapano partim confirmata, partim interpolata, 179. 317.

*Ascenez* Homer filius, a quo nomen sortita Ascania pars Phrygiæ & Mysiæ 115.

*Asinus*. Ethnicorum calumnia de Asini capite a Judæis in Jerosolymitani Templi penetralibus consecrato, 326. Eadem calumnia ab Ethnicis, Christianis impacta, *Ibid.* Origo fabulæ de Asino a Judæis culto, 326. Hujus calumniæ auctor, & debellatio, *ibid.* Asini maxillâ Philisthæi cæsi, 297. Fons ex Asini maxilla scaturiens an perennis, *ibid.*

*Aspectus* impudici, 380.

*Assur* an regionis vel hominis nomen sit, 117. 119.

*Assyriaci* Regni exordia & Reges, 134. & seq. Assyriacæ res, 341.

*Assyrii*, unde sic dicti, 119.

*Athena*, unde Athenarum nomen, 186.

*Atheniensis* Regni initia, 185. Atheniensium Reges, 341.

*Aves* quinta die ex aquis prodeunt, 32. & seq.
*Avi* & proavi colendi, 371.
*Avicula* mater dimittenda, cùm pullis vel ovis incubans inventa est, 471. Hujus Legis ratio, *ibid.*
*Azazel* nomine, cui in hircorum piacularium sortitione sors una tribuitur, quid significetur, 453. & seq.

# B

BAbel turris. Fabulæ ex turris Babylonicæ historia derivatæ, 129. Turris Babylonicæ veritas, & vestigia, 130. Aloidarum fabula ex turri Babel, *ibid.* Quo consilio Babylonicæ turris ædificatio a superbis hominibus suscepta, 131. Babylonicæ turris occasione linguarum confusio, 131. 146. Numerus linguarum ex Babelica confusione ortarum, 147. & seq. Utrùm ante Babelicam confusionem una esset omnium hominum lingua, 149.
*Babylon* a quo condita, 134. Babylonici Regni primordia & Reges, *ibid.* & seq. Babylonici Imperii duratio, 135.
*Bacchus* vitiùm Deus habitus, 340. Bacchi cultus a quo in Græciam invectus, *ibid.* Bacchi fabula unde sit derivata, 319.
*Bætilii*, quare sic dicti, 176. Superstitiones Gentilium in Bætiliorum cultu, unde derivatæ, *ibid.* Bætilii lapides utrùm moveantur, 176.
*Balaami* historia, 287. Balaamus pecuniâ corruptus, Hæreticorum typus, *ibid.* Balaami obitus, 288. Miraculum in Asina Balaami factum, 493. Asinam Balaami sermone humano simili dominum suum esse allocutam, non est incredibile, *ibid.* & seq. Balaamus vir nequissimus, 494. Balaamus afflante Spiritu Sancto futura de Populo Dei prænuntiat, 495. Insignis Balaami de Christo venturo prædictio, 496.
*Baltheus* indumenti Sacerdotalis genus, quid sit, 425.
*Barac* Abinoami filius, Israeliticus Judex, 295.
*Basan* Rex, ab Israelitis deletur, 287.
*Bellum*. Divinæ Leges de ratione belli gerendi, 482. Bellum justè suscipiendum, *ibid.* Æquæ pacis conditiones hostibus offerendæ, *ibid.* Victoriâ moderatè utendum, 482. & seq.
*Benjamini* ortus ex Rachele, 164. Quare sic dictus, *ibid.* Benjamiticum bellum, quo tempore contigerit, 293.
*Bestialitas*, peccatum contra naturam, 370. & seq.
*Bethsamitæ* plausu magno Arcam fœderis excipiunt, 298. Bethsamitarum ob Arcam introspectam a Deo percussorum numerus, *ibid.*
*Blasphemia* naturali Legi contraria, 140. Blasphemia secundo Decalogi præcepto prohibita, 364.
*Bovi* trituranti os non alligandum, 470. Hujus legis ratio literalis, *ibid.* Ratio spiritalis, 471.
*Busiris* Ægypti Rex, 337.

# C

CAdmus Phœnix, non Ægyptius, 338. Literæ a Cadmo in Græciam allatæ, *ibid.* & seq.
*Calum*. Creatio Cœli; 1. Cœli & Terræ nominibus quid intelligendum, 19. An materia informis, 19. An supremum Cœlum, 20. Utrùm cœlestium orbium systema cum terra elementari, 20. & seq.
*Cainus* Adami filius, 2. Impietas ejus, *ibid.* Abelis cædem Cainus meditatur & exequitur, 3. Criminis pœna Caino irrogata, 3. 6. Signum positum in Caino ne interficeretur, 8. Rabbinorum de Caino fabulæ, *ibid.* & seq.
*Cainan* Arphaxadi filius in Vulgata Editione memoratus, an verus sit, an insititius, 144.
*Candelabrum*, 285. Candelabrum in Tabernaculo positum, 418.
*Canis* pretium quid sit, 407. Canis pretium offerri sibi Deus vetuit, *ibid.*
*Caphtorai*, 118.
*Carnium* esus, utrùm antediluvianis hominibus prohibitus fuerit, 80. & seq.
*Carthago* quo tempore, & a quo condita, 344.
*Castitatis* votum, 379.
*Ceremonialia* Legis Mosaicæ præcepta, 388. Veteris Legis Ceremoniarum divisio, *ibid.* Utrùm Ceremoniæ Legis Mosaicæ absque ratione institutæ sint, 388, 396. Ceremonalia præcepta ob eam præcipuè causam Deus Hebræis tradidit, ut eos ab Idololatria averteret, 389. 399. Utrùm ritus & Ceremoniæ ex Gentium moribus sint in Legem translatæ, 392. Legales Ceremoniæ quare ab Ethnicorum ritibus diversæ, 392. Ceremoniæ a Deo præceptæ non permissæ, 393. Quare Mosaicæ Legis Ceremoniæ, mundi elementa vocentur, 394. In Judaicis ritibus nihil inutile, nihil superstitiosum, nihil obscœnum, 394. Utrùm Mosaicæ Legis ritus plerique & Ceremoniæ a Gentibus ad Hebræos derivatæ sint, 395. Hebræorum inter & Ægyptiorum Ceremonias affinitas, 396. In quo differant, 397. & seq. Leges Ceremoniales Sacrificiorum, 399. & seq. Leges Ceremoniales Sacrorum, & quare latæ sint, 413. & seq. Leges Ceremoniales Sacramentorum veteris Legis, 442. & seq. Ceremoniæ veteris Legis observantias spectantes, 458. & seq.
*Cereris* Mysteria, 341.
*Cethim* tertius filius Javan, cui genti originem dederit, 115.
*Cham* Noe filius utrùm idem sit cum Zoroastre, 130. Anchamus Alchimiæ inventor, 131.
*Chanaan* quartus Chami filius Phœnicibus originem dat, 117. Populi ex Chanaane oriundi, 118. & seq. Chanaan in Arca non est genitus, 130.
*Chanaan*. Hujus regionis incolæ, urbes, fertilitas, 286. Terræ Chananææ ab Israelitis occupatio, 290. Terræ Chanaan distributio quo tempore facta, 292. Chananæi Reges adversùs Israelitas sancito fœdere conspirant, 291. Chananæorum Regum fuga & cædes, *ibid.* & seq.
*Chasluim* Mesraim filius, ex quo Colchi egressi sunt, 118.
*Cherubim* Arcæ fœderis superpositi, 418. 421. Quæ forma Cherubinorum, 421. Cherubim simulacra erant ex diversis animalium formis conflata, *ibid.* In iis tamen eminebat forma humana, *ibid.* Cherubinorum formæ typicæ, 422. Cherubim Arcæ originem non habuerunt a symbolis & simulacris Ægyptiis, 422. & seq.
*Christi* Divinitas, 155. Insignes Christi typi tertia mundi ætate, 171. Moses in monte orans Christi typus in Cruce, 282.
*Chus* filius Cham Æthiopiæ conditor, 116.
*Circumcisio* primum Veteris Legis Sacramentum, a quo institutum, 442. Circumcisionis rationes literales, & typicæ, 443. Circumcisio quando & quo fine instituta, 156. & seq. 212. 213. & seq. Utrùm Circumcisio ab Ægyptiis ad Hebræos pervenerit, 213. & seq. Secundæ Circumcisionis error, 316.
*Ciborum* delectus, 460. Rationes variæ legalis discriminis ciborum expenduntur, 460. & seq. Diaboli æmulatio ciborum discrimen apud Gentes invexit, 464.
*Codri* Atheniensium Regis pro patria devotio, 346.
*Cogitationes*, prohibitæ, 387. Quomodo repellendæ, *ibid.*

*Colchi* utrùm diſtinguantur ab Ægyptiis, 118.
*Collectæ* ſeu Convocationis feſtum, 441.
*Colloquia* impudica ſexto Decalogi præcepto prohibita, 380.
*Columna* nubis & ignis, Iſraelitarum dux ex Ægypto exeuntium, 279. *Vid.* Iſraelitæ.
*Coma*. Mos comam falſis Numinibus apud Ethnicos conſecrandi, unde ortum habet, 335.
*Comeſtoris* fabula de Moyſe, 179.
*Communio* rerum aliqualis Lege imperata, 479. & ſeq.
*Concubitûs* conjugalis immunditiès, ejuſque abſtergendæ Ritus, 446. Concubitus illicitus, ſeu connubia Fratrum cum Sororibus, naturali lege vetita, 141. Quilibet veneris uſus & concubitus extra legitimum Matrimonium quinto Dei præcepto prohibitus, 375.
*Concupiſcentia*. Quid concupiſcentię nomine intelligendum, 387. Utrùm concupiſcentia peccatum ſit, *ibid.* Concupiſcentiæ ſepulcra, 285.
*Conjunctio* animalium diverſi generis Lege prohibita, 470. Legis hujus ratio phyſica, *ibid.* Allegorica ratio, *ibid.*
*Conſanguinei*. Obſervantia in Conſanguineos, 371.
*Contactûs* immunditia, ejuſque purificatio, 450.
*Controverſias* obſcuriores finiendi ratio, 481.
*Coturnices* in Iſraelitarum caſtra immiſſæ, 280.
*Creatio* Mundi, 1. & ſeq. Utrum creatio, Dei aut Angelorum ſit opus, 6.
*Creditorum* inhumanitas damnata, 384.
*Cretenſis* Regni origo, 136.
*Cubitus* communis, 105. Cubitus ſacer, *ibid.* Cubitus Geometricus, 105. & ſeq.
*Cultus* extraneus. Quid nomine cultûs extranei intelligendum 139. Cultus extraneus naturę Lege prohibitus, *ibid.* & ſeq.


# D


*DAdan* filius Chus, 117.
*Danaus* Ægypti Rex, 337. Fabula de Danai filiabus, *ibid.*
*David*. Unctio Davidis in Regem, 300. Amalecitham Saülis interfectorem David occidi jubet, 302. David Rex proclamatur, *ibid.* Bella Davidis, 302. Davidis pietas, *ibid.* & ſeq. Coram Arca tripudia agit, 303. Michol pietatem Davidis contemptui habens punitur, *ibid.* Promiſſiones David a Deo factæ, 303. Davidis peccatum & pœnitentia, 303. Domeſticæ Davidis calamitates, *ibid.* Abſalomitica in Davidem conjuratio, *ibid.* Davidis moderatio & patientia, *ibid.* & ſeq. David Regnum recuperat. 304. Davidis de amiſſo filio Abſalomo dolor, *ibid.* Novum Davidis peccatum, *ibid.* Peſtilentiæ ob cenſum Populi a Davide inſtitutum, 304. Adoniæ in Davidem conjuratio, 305. Davidis extrema, *ibid.* Mors Davidis, *ibid.* & 323. Utrùm David prophetico munere inſignitus fuerit, 305. Davidis hiſtoria ab Hebræis interpolata vel confirmata, 320. & ſeq. David congreſſus cum Achimelecho Sacerdote, 321. Fabulæ a Rabbinis hiſtoriæ Davidis admixtæ, 322. Eupolemi teſtimonium Davidis hiſtoriam confirmans, 322. Davidis ex Joſepho elogium, 323.
*Debbora* Propheteſſa, 295.
*Debita* importunè non exigenda, 480.
*Decalogi* præcepta. Extenſio & ordo Præceptorum Decalogi, 354. Utrùm omnia legis naturæ præcepta in Decalogo contineantur, *ibid.* & ſeq. Primum Decalogi Præceptum, 357. Quid hoc Præcepto jubetur vel prohibetur, *ibid.* & ſeq. Utrùm ſacræ Imagines hoc mandato vetitæ 357. & ſeq. Omne ſuperſtitionum genus primo Decalogi præcepto prohibitum, 361. Secundum Decalogi præceptum, 362. Tertium Decalogi præceptum 365. Quid quarto Decalogi Præcepto injungatur, 370. & ſeq. Quid quinto prohibeatur, 372. & ſeq. Sexti Præcepti Decalogi momenta, 375. Quæ ſeptimo Decalogi Præcepto vetita ſunt, 380. & ſeq. Octavum Decalogi Præceptum, 385. Quæ nono & decimo Præcepto continentur, 387.
*Deceptionis* Feſtum quid ſit, a quibus & quare inſtitutum, 345.
*Decimarum* ſolutio quotuplex, 469. Decimarum uſus & deſtinatio, *ibid.*
*Dei* amor ſuper omnia in Veteri & nova lege præceptus, 361. & ſeq.
*Depoſitum*. Divina lex de Depoſito, 480.
*Deſideria* prava, 387. Utrùm ſola voluntate peccari poſſit, *ibid.*
*Deucalionis* diluvium, 186.
*Deus* propter ſemetipſum Cœlum & Terram creat, 1.
*Deuteronomium*, utrùm lapidibus Altaris in monte Hebal erecti inſcriptum totum fuerit, 291.
*Dido*. Utrùm Carthaginem condiderit, 344.
*Dii*. Falſorum Deorum ſacra Moyſis & Joſue temporibus inſtituta, 340. Falſis Diis divinus honos non habendus, 357. Gentium mos Deorum imagines in tentoriis ſive Templis portatilibus circumferendi, unde fluxerit, 416.
*Diluvium* quando cœperit & defierit, 89. Annorum ſumma ab Adamo ad Diluvium, 89. Utrùm Noeticum Diluvium univerſale fuerit, an Palæſtinæ ſolius, 110. & ſeq. Æterna illorum hominum ſors qui Diluvio perierunt, 121. Utrùm aliqui ex iis æternam damnationem evaſerint, *ibid.* & ſeq. Deucalionis Diluvium, 186. Ogygis Diluvium, *ibid.*
*Dina*, Jacobi ex Lia Filia, 164. Dinæ raptus & conſtupratio, *ibid.* Hujus ſtupri ultio, *ibid.* Utrùm juſtè Sichemitæ occiſi ſint ob ſtuprum Dinæ illatum, 230.
*Divini*, Divinatio. Pœna capitalis in Divinos Lege Moſaica conſtituta, 361.
*Dodanim* poſtremus Javan filius, Rhodiorum parens, 116.
*Domini*. Subditorum erga Dominos officia, 371.
*Dominicæ* diei ſanctificatio, 370.


# E


*ELeazarus*, Aaronis filius illi ſuccedit in Summi Sacerdotii dignitate, 286. Mors Eleazari, 293.
*Elim* Iſraelitarum manſio, 280.
*Eliſa* primus Javan filius, cujus populi parens, 115.
*Emptiones*. Fraus in emptionibus, 382.
*Enochus* Jared filius, ſanctitas ejus & ſpiritus propheticus, 4. Ad Deum vivus rapitur, *ibid.* Hebræorum in Enochum calumniæ, *ibid.*
*Enos* Sethi filius, 3. Publicum cultum & ſacrificia inſtituit, *ibid.*
*Ephod* indumenti genus ſoli Pontifici conveniens, quid ſit, 426.
*Erichonius* Athenienſium Rex, 341. Quare ſic dictus, *ibid.*
*Eſau* nativitas, 161. Quare ſic dictus, *ibid.* Eſau vendit primogenita, 161. Fabulæ ortæ ex colliſione Eſau & Jacob in utero, 175. Erythras Græcorum ipſe eſt Eſau, *ibid.*
*Ethan*, tertia Iſraelitarum manſio, 279.
*Ethnici*. Hiſtoria Sacra ab Ethnicis Scriptoribus interpolata, vel confirmata, 323. & ſeq. Ethnicorum Theologia ab Hiſtoria Moſis derivata, 328. & ſeq. Ritus, Leges, Moreſque Ethnicorum ex Lege & libris Moſis expreſſi, 331. Joſue

fue historia ab Ethnicis interpolata, 334. Judicum Libri ab Ethnicis corrupti, *ibid.* & seq. Ex Libris 1. & 2. Regum Ethnici fabulas adornant, 336.
*Evæ* creatio, 2. 64. Fabulosa ab Eva & Adam Demonum conceptio & partus, 7. Quod a Moyse narratur de Evæ productione ex costa Adami, an hystoricè & secundùm literæ sensum intelligendum sit, 64. An secundùm metaphoricum & parabolicum sensum, 65. Evæ formatio figura Ecclesiæ, 65. Evæ tentatio, lapsus & pœnitentia, 66. A quo Eva fuerit seducta, utrùm a vero serpente, necne, 66. 67. & seq. Utrùm eodem modo Eva seducta fuerit quo Adam, 69. & seq.
*Eucharistia*. Utrùm Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia oblatione panis & vini a Melchisedecho significatum fuerit, 203. & seq. Quibus danda Eucharistia, 207. Manna Eucharistiæ Sacramenti figura, 281.
*Eumenidum* Dearum aræ, antiquissimum Græcis asylum, 346.
*Europa*. Fabula de Europa Cadmi sorore, 340.
*Exactiones* iniquæ Lege Dei vetitæ, 381. Exactionum iniquarum genus multiplex, *ibid.*
*Exodi* tempus, 278. & seq.
*Expiationis* festum quando & cur institutum, 440. Cæremoniæ hujus Festi propriæ, *ibid.* Rabbinorum Expiationis Festi occasione fabulæ, 441. Expiatio generalis Israëlitarum, ejusque peragendæ ritus, 453. Cur hircis Expiationem perfici Deus instituerit, *ibid.*
*Exploratores* a Moyse missi in Terram promissam, 286. Populum Israëliticum ad seditionem excitant, *ibid.* Exploratorum mors repentina, *ibid.*
*Extranei*. Charitas & misericordia in extraneos exercenda, 481. Leges pacificum Judæorum cum Extraneis congressum spectantes, *ibid.* De hostili cum Extraneis congressu leges, 482.
*Ezechielus* Poeta Judæus Historiæ Moysis scriptor, 179. Hebræorum exitus ab Ægypto ab Ezechiele Poeta, 306.

# F

*Farrea* oblatio, 408.
*Feminalia* linea, vestis sacerdotalis & earum usus, 425.
*Ferri* excoquendi & elaborandi ars unde fluxerit, 341.
*Festorum* dierum sanctificatio, 370. Festorum institutio apud Hebræos & origo, 436. Utrùm Festa solemnia Mosis legibus sint antiquiora, *ibid.* Festa Judæis peculiaria profanis gentibus ignota, *ibid.* & seq. Rationes institutionis Festorum veteris Legis, 437. Veteris Legis Festorum numerus, *ibid.* & seq.
*Filii*. Judicialia præcepta circa Filios, 486. Filius contumax capitali pœnâ dignus, *ibid.* Dei in parentes animadversio ob nimiam in Filios indulgentiam, 198. Filiorum Dei cum Filiabus hominum commixtio, 82. & seq.
*Fimbriæ*. Lex de Fimbriis, 467. Multiplex hujus legis ratio, *ibid.*
*Firmamenti* creatio, 1. Utrùm primo vel secundo die creatum sit, 20. & seq. Quid Firmamenti nomine quod secnnda die conditum est, Moses intellexerit, 25. & seq. Utrùm supra Firmamentum veræ aquæ sint admittendæ, 26. & seq.
*Fornicatio* simplex sexto Decalogi præcepto prohibita, 377. Fornicationis pœna, *ibid.*
*Fratres* amandi, 371.



*Fructus*. Lex de primis agrorum incultorum Fructibus per tres annos non comedendis, 468. Fructuosæ arbores in hostili terrâ non succidendæ, 483.
*Frumenta* qui recondunt ingravescente annonâ, rapinæ rei, 384.
*Funeris* immundities eamque abstergendi Ritus, 447.
*Fur*. Utrùm Furem occidere liceat ad bonorum temporalium defensionem, 373. Pœnæ in fures mosaicâ lege statutæ, 385.
*Furtum* quid sit, 380. Quid Furti nomine intelligendum *ibid.* Furti gravitas, *ibid.* Utrùm res inventæ absque Furti crimine retineri possint, *ibid.* Furtum naturali Lege vetitum, 141. Ægyptiorum circa Furtum lex singularis, *ibid.*

# G

*Gabaonitarum* deditio, fraus, & initum cum ipsis fœdus, 291.
*Græci*. Utrùm Græcis vel Hebræis literarum origo tribuenda, 338. 339. & seq. A quibus literæ in Græciam allatæ, *ibid.* Quando Græci literarum usum habuere, 340.
*Gedeon* ad liberandum Israëliticum populum a Deo vocatur, 295. Sacrificium Gedeonis ignis de petra erumpens absumit, *ibid.* Aram Baal in Ephra oppido Gedeon diruit, *ibid.* Victoriæ signum Gedeon accipit rorem in vellere, 295. Gedeonis admirabilis pugna contra Madianitas, *ibid.* Regnum ab Israëlitis sibi oblatum Gedeon recusat, 296. Ephod aureum Gedeon conficit, *ibid.* Utrùm Gedeon imprudentiæ, aut Idololatriæ reus fuerit, *ibid.* Gedeonis filii, *ibid.* Abimelec hi Gedeonis filii tyrannis, 296. Mors Gedeonis, *ibid.* Errata Josephi in historia Gedeonis, 317. & seq. Gedeon est Jerombalus Sanchuniatonis, 334.
*Gentes*. Lustrationes & Purificationes Gentium 331. Ritus Mosaicorum Sacrificiorum a Gentibus usurpati, 332. Decimarum & Primitiarum Diis offerendarum Ritum Gentes ab Hebræis accipiunt, *ibid.* Tabernaculi & Arcæ imitatio apud Gentes, 332. Ritus Gentium ex Paschalis Festi, Sabbathi, & Scenopegiæ æmulatione derivati, 333. Ritus Gentium ex Ritu Mosaico consecrationis Pontificis expressus, *ibid.* Sacra Gentium asyla instar urbium refugii apud Hebræos, *ibid.*
*Gigantes* antediluviani, 82. & seq. Utrùm Gigantes antediluviani Dæmones fuerint sub humana specie, 86. Gigantum antediluvianorum statura & proceritas, *ibid.* & seq.
*Gomer* primus Japheti filius, 113.
*Gorgonum* bella, 342.

# H

*Hai* urbis obsidio, 290. Hai expugnata, 291.
*Haseroth*, Israëlitarum decima quarta mansio, 285.
*Heber* Arphaxad filius, Semi nepos, 119. Heber ortum dedit Hebræis Abrahæ majoribus, 120.
*Hebraeus* Textus septuaginta Interpretum versioni præferendus, 91. Hebraici Textûs Versionis Septuaginta Interpretum & Samaritanorum Codicum convenientia & discrepantia in numerandis annis Patriarcharum antediluvianorum, 89. & seq. In recensendis Patriarcharum annis post diluvium, ad Abrahami usque vocationem, 127. & seq. Utrùm Lingua Hebræa ante confusionem Babelicam fuerit sola hominum lingua, 149.

149. & seq. An fuerit mundo coæva, *ibid.* Hebræorum fabulæ de Abrahami sacrificio, 173. Hebræorum commentum de morte Saræ, 174. Hebræorum fabula de Cethura, *ibid.* Hebræorum de uxore Lot figmentum, 175. Hebræorum fabula de convivio in die circumcisionis Isaaci, 175. De Rebecca Hebræorum fabulæ, *ibid.* Unde numerandi sint anni quadringenti triginta peregrinationis Hebræorum, qui tertiam Mundi ætatem constituunt, 188. & seq. Utrùm hi anni a promissione Abrahamo facta petendi, an ad servitutem Ægiptiacam referendi, *ibid.* Utrùm Hebræi possederint totum illum terrarum tractum, qui ab Ægypti fluvio ad Euphratem usque extenditur, 207. & seq. Multiplex Hebræorum servitus, 294. Regiæ dignitatis apud Hebræos institutio, 299. Hebræorum exitus ex Ægypto ex Ezechielo Poeta, 305. Hebræorum fabula circa quartæ ætatis historiam, *ibid.* Hebræorum fabulosa traditio, 308. Hebræorum errores circa adorationes Vituli aurei, 309. Cur Moses Vitulum aureum in pulverem redegerit, Hebræorum commentum, 310. Quomodo Hebræi Aaronem excusent a peccato, 309. Hebræorum fabula de mora Mosis in monte, *ibid.* Hebræorum traditio de Lege orali, 310. Alia Hebræorum commenta, 310., 315. Hebræorum fabula de sepultura Josue, 317. utrùm Hebræi literarum usum habuerint primi, 328. Utrùm Hebræi ex Ægypto exeuntes sine crimine furti Ægyptiorum spolia abstulerint, 348. & seq. Ceremonialia præcepta quare Hebræis tradita, 399. 400. 401. & seq. Hebræorum festa, eorumque institutio & numerus, 436. 437. & seq. Varia Hebræorum Tribunalia, 477. Hebræorum juris dicendi ratio, *ibid.* Pœnarum cum delictis proportio in judiciis Hebræorum, *ibid.* Judicum Hebræorum integritas, 477. Hebræi servi quando libertate donandi, 486.

*Heli* Summus Pontifex, 298. Dei in totam familiam ejus animadversio ob suam in filios indulgentiam, *ibid.* Errata Josephi in Historia Heli, 319.

*Hellanicus* Mosis historiam confirmat, 327.

*Henoch* raptus & prophetia, 75. Henoch mortuus non est, *ibid.* & seq. Quo in loco vivat incertum, 77. 78. Utrùm in Paradisum terrestrem Henoc translatus, sit, *ibid.* Henochi liber apocryphus, 78. & seq.

*Heraclidæ*, eorum Regnum, 344.

*Hercules*. Ritus Mosaici in cultu Herculis a Gentibus servati, 331. Herculis fabula ex historia Josue adornata, 334. Hercules ex historia Samsonis expressus, 335.

*Hevilæ* Chus filius, a quo Hevilæi, 117.

*Hirci* in Expiatione generali Israelitarum necessarii, 453. Hircus Emissarius quid sit, *ibid.* Quare sic dictus, 454. & seq. An Hircus Emissarius ad diabolum amandaretur, 453. Cur Hircus in desertum emitteretur, 455. An Hirci Emissarii ritus ab expiatoriis gentium sacris originem duxerit, 456. 457.

*Hirtius* Mendelius, 182.

*Hiericho* Urbis expugnatio, 290.

*Hœdus* in lacte matris non coquendus, 471. & seq. Hujus Legis ratio, *ibid.* Præcepti hujus amplificatio, *ibid.*

*Holocaustum* quid sit, 410. Holocausti ritus, *ibid.* Holocausti ritus ad profanas gentes Diaboli æmulatione traductus, 411. Holocausti altare, 413.

*Homicidium* naturali jure & divino prohibitum, 130. 131. Lex lata ad excitandam de occulto homicidio diligentiam, 479.

*Homo*. Creatio Hominis, 2. Corpore corruptibili, & anima immortali donatur, *ibid.* Mundus homini incolendus ac utendus datur, *ibid.* Homo cum uxore in Paradisum voluptatis introducitur, *ibid.* Hominis lapsus, *ibid.* Homo Paradiso pellitur, *ibid.* Homo ad imaginem Dei secundùm animam conditus, 36. In quo imago illa Dei sita sit, *ibid.* & seq. Variæ Patrum ea de re sententiæ, 37. 38. & seq.

*Honor*. Utrùm ob honoris defensionem occidere liceat, 373.

*Horeb*. Aquarum ex petra Horeb a Mose percussa eductio, 282.

*Hostia* pacifica, secunda sacrificii species, 411. Hostia pro peccato quid sit, & quotuplex, 412. Hujus sacrificii ritus, *ibid.* & seq.

# I

*Jacobi* Patriarchæ nativitas, 161. Primogenituræ Jura ab Esau fratre emit, *ibid.* Jacob paternam benedictionem Esau fratri præripit, 162. Jacobi peregrinatio, 163. Jacobi apud Labanem mansio, nuptiæ, filii, *ibid.* Jacobi justa compensatio, & ars innocua, qua rem familiarem auget, *ibid.* Jacobi in patriam reditus, 164. Jacob visione divina recreatur, *ibid.* Cum Angelo luctatur, *ibid.* Humili sermone & muneribus Esau fratrem propitium reddit, *ibid.* Filii Jacob, 164. An omnes in Mesopotamia nati, *ibid.* Jacob filios in Ægyptum mittit ad comparandam annonam, 165. Quot capita cum Jacob in Ægyptum ingressa, 166. Jacob moriturus filiis benedicit, 165. De futuris & præsertim de adventu Messiæ vaticinatur, *ibid.* Mors Jacobi, 167. Fabulæ ortæ ex collisione Jacob & Esau, 175. Jacob & filiorum ejus historia externis testimoniis confirmata, *ibid.* Superstitio Gentilium in Bætiliorum cultu ex lapide, quem Jacob erexit Bethele derivata, 176. Jacobi de Christo vaticinium, *Non auferetur* &c. Ethnicorum fabulis interpolatum, 178. Hoc oraculum ad Messiam pertinere probatur ex communi Ecclesiæ consensu, 240. Ex Hæbræo textu, *ibid.* Ex Septuaginta Interpretibus, 241. Ex latina Versione, *ibid.* Ratione, *ibid.* & seq. Oraculum illud Jacobi in Domino Jesu completum est, 242. & seq. Vaticinium Jacobi non solùm ad Tribum Juda, sed ad totam gentem Judaicam pertinet, 246. & seq. Utrùm Jacob paternam benedictionem loco Esau acceperit absque fraudis & mendacii crimine, 227. Quomodo Jacob excusari potest, *ibid.* & seq. Utrùm filii Jacob ob stuprum, Dinæ sorori illatum Sichimitas jure occiderint, 229. & seq. Multiplex filiorum Jacobi Sichimitarum cæde peccatum, 230.

*Jair* Galaadites, 296.

*Japheti* filii, 113. & seq. Regiones quæ Japheto & ejus posteris obtigere, 116. Utrùm Japhet filiorum Noe sit primogenitus, 137. & seq.

*Idæ* montis incendium, 341. Idæi dactili, *ibid.*

*Idololatræ*. Pœna in Idololatras divina Lege statuta, 361.

*Jephte* Populi Israelitici Judex, virtutes ejus, 296. Votum a Jephte Deo nuncupatum, *ibid.* Mors ejus, *ibid.* Rabbinorum de filia Jephte sententia, 318. Fabulæ ortæ ex historia Jephte, 334.

*Jericho* urbis direptio, quomodo & quo hebdomadis die muri Jericho corruerint, 317. Exploratores missi Jerichuntem, 325.

*Jerombalus* Sanchuniatonis quis sit, 334.

*Jethro* Mosis socer, 281. Jethro consilium de Judicibus constituendis, 282.

*Imaginum* sacrarum veneratio primo Decalogi præcepto

cepto non est prohibita, 357. Imago Dei in homine in quo posita sit, 36. 37. 38. 39.

*Immunditiæ* Legales, easque purgandi ritus, 445. & seq. Variæ immunditiarum legalium, *ibid.* Immunditiæ personarum, 445. 446. Immunditiæ rerum & earum purificationes, 450. Cur legales immunditiæ a Deo institutæ, 450. 451. & seq.

*Impii* qui temporalibus plectuntur suppliciis, non liberantur ab æternis, 123.

*Inachus*, primus Argivorum Rex, 185.

*Incestus* quid sit, 379. Pœnæ in incestuosos latæ, *ibid.* Incestûs gravitas, *ibid.*

*Inimicorum* odium, vindicta &c. Lege vetita, 374.

*Interregnum* post mortem Josue, 293. Quæ interregni tempore contigerint, *ibid.*

*Interpretum* Septuaginta Chronologia utrùm Hebraico Textui anteponenda, 90.

*Inventæ* res utrùm retineri absque crimine possint, 380.

*Joabus* Exercitûs David Præfectus, contra mandatum Davidis Absalomum interficit, 304. Amasam Joabus iniquè occidit, *ibid.*

*Job*. Quo tempore Jobi historia contigerit, 167. Jobi moderatio in prosperis, patientia in adversis, *ibid.* Quomodo Amici Job septem diebus & septem noctibus cum eo sederunt, 168. Job insignis Christi typus, *ibid.* Utrùm Jobi historia vera sit, fabulosa, vel parabolica, 251. & seq. Scriptura Sacra Jobi ceu hominis justi & sancti meminit, *ibid.* Liber Job veræ historiæ characteres habet, 252. Job patientiæ exemplar, *ibid.* Job in Ecclesia Græca sicut & in Latina commendatur, 254. Hæreticorum in Jobum calumniæ repelluntur, 255. & seq. Utrùm Job Idumæus fuerit ex genere Esau, an Chananæus, 256. Liber Job utrùm sacer sit & canonicæ auctoritatis 258. & seq. Jobi loca nonnulla nimis durè expressa exponuntur, 259. 260. & seq. Quis sit Auctor Libri Job, an Job ipse aut amici ejus, 262. An Moses, *ibid.* An Salomon, *ibid.* Job non tantùm loquendo, sed & patiendo Christum prophetavit, 263.

*Jonathan* Paraphrastes Chaldæus, & ejus de serpentibus ignitis nugatoria narratio, 313.

*Jonica* migratio, 347.

*Jordanis*. Hujus appellationis ratio, 290. Jordanis origo & ortus, *ibid.* Miraculum in transitu Jordanis, 290. Gesta post transitum Jordanis, *ibid.* Transitûs Jordanis historia a Josepho interpolata, 316. Lapides duodecim ex Jordane sublati, non ad aram struendam, sed in monumentum, *ibid.*

*Josephi* historici errores in Mosis historia, 306. Multiplex Josephi error, 306. 308. Josephi a Scriptura Sacra dissensus, 310. & seq. Josephi ab historia sacra multiplex aberratio, 311. Historia seditionis Core, Dathan & Abiron a Josepho interpolata, 312. Josephus in historia Zambri castigatur, 313. Multiplex error Josephi in Legibus Mosaicis recensendis, 314. Errata Josephi, 317. 319. Transitûs Jordanis historia a Josepho interpolata, 316. Errores Josephi in historia Gedeonis, 317. Josephi commentum de zelotypia Manue patris Samson, 318. Error Josephi in Samsonis historia, 318. Errata Josephi in historia Heli, 319. Josephi figmenta in historia Arcæ ab Azotiis in Templo Dagonis depositæ, *ibid.* Historia Ruth a Josepho interpolata, 320. De morte Saulis Josephi errores, 321. Josephus in Saulis laudibus nimius, ibid. Davidis ex Josepho elogium, 323.

*Josephus* filius Jacob quare sic dictus, 163. Fratrum invidia in Josephum, ejusque venditio, 165. Josephi tentatio, victoria, carcer, somniorum Pharaonis interpretatio, *ibid.* Joseph Ægypti Pro-Rex, *ibid.* Fratres a Josepho probantur, 165. Josephus a mendacio purgatur, 166. Oeconomica & politica Josephi prudentia, *ibid.* Josephus Christi figura, 171. & seq. Josephi historia veterum testimoniis illustrata, vel interpolata, 176. & seq. Josephus sub symbolo bovis non est ab Ægyptiis consecratus, 181.

*Josue* Moysis successor, 288. 289. Duos mittit Exploratores in urbem Jericho, 289. Josue Christi figura, 290. Josue Circumcisionis usum restituit, *ibid.* Visio Josue, *ibid.* Num ipsi visus fuerit Archangelus Michael, an Filius Dei, *ibid.* Sol a Josue miraculo sistitur, 291. Israeliticæ plebis comitia a Josue habita, 292. Mors Josue, 293. De interregno post mortem Josue, ibid. Quinam Exploratores a Josue missi Jerichuntem, 315. Hebræorum fabula de sepultura Josue, 317. Josue historia ab Hebræis interpolata, 315. & seq. Josue historia ab Ethnicis corrupta, 324. Herculis fabula ex historia Josue adornata, *ibid.*

*Iphigeniæ* fabula ex historia Jephte expressa, 334.

*Ira* Lege Dei prohibita, 374.

*Isaaci* nativitas, 158. Isaaci immolandi Dei præceptum, *ibid.* Isaacus Dei virtute liberatur, *ibid.* Quo ætatis anno Isaac oblatus fuerit, *ibid.* Isaaco uxor quæritur, 160. Rebeccam ducit uxorem, *ibid.* Isaaci liberi ex Rebecca suscepti, 161. Isaaci ad Abimelechum Regem profectio, *ibid.* & seq. Isaac moriturus filiis benedicit, 162. Mors Isaaci, 163. Isaac typus Christi, 171. Hebræorum fabula de convivio in die circumcisionis Isaaci, 175.

*Isboseth*, filius Saulis, 302. Regni ipsius tempus, *ibid.* Isbosethi cædes, 302. Davidis in Benjaminitas, qui Isbosetli obtruncarunt, animadversio, *ibid.*

*Israelitarum* in Ægypto dura servitus, 168. Ferale Decretum a Pharaone in Israelitas latum, *ibid.* Israelitarum adventus in Ægyptum & exitus a Manethone multis fabulis deformatus, 177. Israelitarum egressus ex Ægypto, 278. Israelitarum ex Ægypto exeuntium numerus, *ibid.* Quatuor primæ Israelitarum mansiones, 278. & seq. Columna nubis & ignis Israelitarum dux in itinere, 279. Utrùm una eademque fuerit columna nubis & ignis, *ibid.* Nubis hujus motor, *ibid.* Utrùm nubes Israelitarum Castra obumbraret, *ibid.* Israelitarum per Mare Rubrum transitus, 279. & seq. Israelitæ ab Ægyptiis in Mare Rubro sepultis liberantur, *ibid.* Canticum Deo in gratiarum actionem ab Israelitis decantatum, *ibid.* Utrùm in Mara Deus Israelitis præcepta constituerit, 280. Quomodo post transitum Maris Rubri, ad mare Rubrum rursus venerint, *ibid.* Coturnicum vis ingens Israelitarum castris immissa, *ibid.* Manna Israelitæ per annos quadraginta in deserto aluntur, 280. & seq. Israelitarum pugna & victoria contra Amalecitas, 282. Aaronem ad conflandum vitulum aureum Israelitæ compellunt, 284. Israelitarum cædes a Mose imperata, *ibid.* Occisorum numerus, *ibid.* Israelitarum post acceptam Legem numerus, 285. Israelitæ Mosis imperium excutiunt, 286. Israelitæ Schismatici terræ hiatu vivi absorbentur. *ibid.* Israelitarum cum Madianitis fœminis fornicatio, & idololatria, 287. Israelitarum bella & victoriæ, 288. & seq. Terræ Chananææ inter Israelitas divisio, sortitio & distributio, 292. Bellum Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Tribui Manasse ab Israelitis reliquis denuntiatum ob suspicionem schis-

matis, *ibid.* Israelitici Populi comitia in Sichem convocata, *ibid.* & seq. Pestilentia ob censum Populi Israelitici a Davide institutum, 304. Fabulæ Manethonis, Lysimachi, Chæremonis & Apionis de Israelitarum egressu ex Ægypto, 323. Israelitici populi regimen usque ad Saulem utrùm Aristocraticum vel Monarchicum fuerit, 474. & seq. Theocratiam naturalem & civilem Deus in Israelitas exercuit, *ibid.* & seq. Regis creandi modus Israelitis præscriptus, 476. Israelitarum Regibus mandata a Deo indicta, *ibid.* Tyrannidem in Israelitas Deus non exercuit, *ibid.*

*Isthmii* ludi, 342.

*Jubilæi* anni, 292.

*Judæi*. *Vid.* *Israelitæ & Hebræi*. Insigne Judaicæ Religionis testimonium, 328. Strabonis in Judæos calumniæ, *ibid.* Judaicæ Religionis Ritus & Ceremoniæ, *Vid.* Cæremoniæ. Privilegia varia Judæorum Genti concessa, 308. Quare, *ibid.* Judæorum abstinentia a carne suilla, 464. Hujus abstinentiæ rationes, *ibid.* & seq. Judæi plerique tempore servitutis Ægyptiacæ superstitione Ægyptiorum imbuti, 487.

*Judas*. Filii Judæ, 232. Judæ & Thamaris historia, *ibid.* & seq. An Judæ & Thamaris historia ante vel post venditionem Josephi contigerit, 233. Utrùm Judæ cum Thamare concubitus excusari aliqua ratione possit, 235. Crudele Judæ in Thamar judicium, 235. Judas improbus & perfidus in Thamar fuit, *ibid.* & seq.

*Judices* Israelitici populi, 282. Judicum munus, *ibid.* & 294. Judicum Principatus multiplici ratione a Regio distinctus, *ibid.* Judicum numerus, 282. & 294. Tempus principatûs, *ibid.* Judicum historia ab Hebræis interpolata, 317. & seq. Judicum Libri ab Ethnicis corrupti, 334. Fabulæ Judicum Israelitarum temporibus natæ, 346. Judicum secularium rapax avaritia veteri & nova lege damnata, 381. & seq.

*Judicialia* Veteris Legis præcepta, 473. Judicialia Mosaicæ Legis præcepta Principes spectantia, *ibid.* & seq. Præcepta Judicialia spectantia concives & populares ad invicem comparatos, 477. Præcepta Judicialia quæ de pœnis decernunt, *ibid.* & seq. Judicialia Legis mosaicæ præcepta circa possessiones, 479. Circa uxores, 483. Circa Filios, 486. Circa servos, *ibid.*

*Juramentum*. Raro jurandum, 362. Nusquam falsò; leviter, ac temerè jurandum, *ibid.* Juramenta omnino implenda, *ibid.* Judæorum errores circa Juramentum, 362. Juramentum non semper illicitum, *ibid.* Non facilè, absque necessitate, nec pro re levi jurandum, *ibid.* & seq. Juramenti abusus, 363. Pœnæ perjuris inflictæ a Deo, *ibid.* & seq.

*Jurandi* ritus manu femori supposita, 160.

*Juvenalis* de Lege Mosaica testimonium, 328.

# L

*Labim*, Mesraim filius, a quo Libya nomen sortita est, 118.

*Labyrinthus* Minois jussu extructus. De eo quid sentiendum, 341. & seq.

*Lamechus* primus omnium Polygamus, 71. Utrùm Lamechi polygamia Patriarcharum qui post diluvium vixere exemplis a crimine vindicari possit, *ibid.* & seq.

*Lamed*, 3.

*Lamina aurea*, 435.

*Lepra* immunditiei, eamque purgandi Ritus, 446. Lepræ immunditiei præveniendæ ratio, 450. Cur vestibus & domibus Lepra tempore Legis Mosaicæ adhæreret, 451.

*Levi* Jacobi Filius, & ejus in Sichimitas cædes, 220. Hujus crudelitatis ultio, 330.

*Levirationis* jus quid sit, 232. Levirationis origo & auctor, *ibid.* & seq.

*Lex* vetus ubi, quando, & a quo promulgata, 283. Legis administri, *ibid.* Sequester, *ibid.* Legis præcepta moralia, ritualia, & judicialia, 283. Modus quo Lex fuit promulgata, *ibid.* & seq. Quæ promulgationem Legis consecuta sint, 284. Judæorum fabulæ circa Tabulas Legis, 310. Lex Oralis quid sit, *ibid.* Legis veteris ceremoniæ, *Vid.* Ceremoniæ. Veteris Legis solemnitates, 436. Rationes Institutionis Festorum Veteris Legis, 437. Numerus Solemnitatum veteri Lege institutarum, *ibid.* & seq. Sacramenta veteris Legis, 442. & seq. Quare instituta, *ibid.*

*Linguarum* confusio in ædificatione Turris Babylonicæ an a solo Deo, an ab Angelis inducta, 131. & seq. Babelicæ Turris ædificatores Linguarum confusione Deus justè punit, 146. & seq. Linguæ diversæ ex confusione Babelica natæ, 147. & seq. Ante Babelicam confusionem una erat omnium hominum Lingua, 140. Matrices Linguæ ac primigeniæ, *ibidem*. Utrùm ante confusionem Babelicam Lingua Hebræa fuerit sola, & communis omnium hominum lingua, 140. & seq.

*Lini* nomen fabulosum, 343. Versus Lino suppositi, *ibid.* & seq.

*Literæ* a Cadmo aliisque Phœnicibus exulibus in Græciam invectæ, 338. An prima literarum inventio ad Phœnices, vel ad Hebræos referenda, *ibid.* Moses literas Hebræis primus tradidisse non videtur, 330. Literas e Phœnicia in Græciam allatas multa probant, *ibid.* Utrùm literarum usus Cadmo sit recentior, *ibid.* Græci literas ante Cadmi tempora non habuerunt, 340.

*Locusta* octava Ægypti plaga, 170.

*Lot* captivus ab Abrahamo liberatur, 156. A Sodomitis vim passus, utramque filiam illorum libidini imprudens offert, 157. Lot ab Angelis Sodoma educitur, *ibid.* Loti incestus, 158. Poetarum fabulæ ex conversione uxoris Lot in statuam salis natæ, 175. Hebræorum de uxore Lot figmentum, *ibid.* Utrùm statua salis in quam uxor Lot conversa est, etiam nunc maneat, & muliebria patiatur, *ibid.*

*Lud* Semi filius Lydorum pater, 110.

*Ludim*, Mesraim filius, a quo orti Ludæi, 117. & seq. Utrùm Ludæi & Æthiopes idem sint, *ibid.*

*Luna* creatio, 1.

*Lupercalia* quid sint, 340. A quo & quare instituta, *ibid.*

*Lustrationes* quid sint, & ad quid utiles, 445. Aqua lustrationis ex cinere Vaccæ Rufæ confecta, 448.

*Lux*, creatio lucis, 1. Quid nomine lucis primâ die mundi a Deo conditæ sit intelligendum, utrùm lux corporea vel natura Angelica, 23. & seq.

# M

*Madai* tertius Japheti filius Medorum pater, 118.

*Madianitarum* fœminarum cum Israelitis fornicatio, & idololatria, 387. Madianiticum bellum, 288.

*Magistratus*. Honor & reverentia Magistratibus debita, 371.

*Magog* alter Japheti filius, 113. Populi Magog describuntur, *ibid.* & seq.

Mabu-

*Mahumetanorum* figmenta de Abrahamo, 174.
*Malaleel*, 4.
*Maledictum* duplex in Scriptura Sacra distinguendum, 259. & seq.
*Manna* quid sit, 280. Utrùm naturale Manna fuerit, *ibid.* Manna Israelitis subministratur, *ibid.* Multa circa Manna observantur digna, 280. Sapor Manna naturalis, 281. Supernaturalis Manna Sapor, *ibid.* Manna in Sanctuario asservatum, *ibid.* Præcepta de Manna a Deo data, *ibid.* Manna Christi & Eucharistiæ Sacramenti figura, 281.
*Mansiones* Israelitarum ab eorum egressu ex Ægypto, 278. & seq. Difficultas circa Mansionum numerum solvitur, 287.
*Mathusala* omnium Patriarcharum maximè longævus, 4.
*Matrimonium*. Lex de connubiis inter Viros & fœminas ejusdem Tribûs, quomodo intelligenda, 479. Matrimonia cum alienigenis mulieribus Lege prohibita, 484. Legis exceptiones, *ibid.*
*Manue*. Utrùm Manue pater Samsonis zelotypia adversùs uxorem laboraverit, 318.
*Marshamus*, quid de Ritibus Mosaicæ Legis sentiat, 392. Rationes ejus & argumenta expenduntur, & solvuntur, *ibid.* & seq.
*Melanthus* Rex Atheniensium, & ejus stratagema, 345.
*Melchisedech* insignis Christi typus, 171. 201. Fabula de Melchisedecho, 173. Melchisedech varii characteres & dotes, 197. & seq. Utrùm Melchisedechus fuerit virtus Christo major, vel Spiritus Sanctus, 198. An Melchisedech Angelus fuerit humana specie Abrahamo aspectabilis, 199. Melchisedech non est Filius Dei, qui in carne assumpta ad tempus Abrahamo apparuerit, *ibid.* & seq. Melchisedech purus homo fuit, *ibid.* Melchisedec non fuit Sem filius Noe, 200. Melchisedech fuit Rex Salem & Sacerdos Dei Altissimi, 200. & seq. Jerusalem Rex non fuit, 200. Melchisedechus dignitate, officio mysterio Abrahamo major, 202. & seq. Sacerdorium Melchisedech figura Sacerdotii Christi, 203. & seq. Utrùm Melchisedechus oblatione panis, & vini Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præfiguraverit, 204. & seq.
*Mellis* usus a sacrificiis Dei ablegatus, 400. Variæ hujus Legis rationes, *ibid.* Falsis omnibus Diis mel libari solitum, *ibid.*
*Mendacium* octavo Decalogi præcepto prohibitum, 385. Multiplex mendaciorum genus, 386.
*Mensa* in Tabernaculo reposita, & quare, 418.
*Menstruata* immunditiés, ejusque purgandæ ritus, 446.
*Mercatorum* peccata, 382.
*Merces* corruptas aut fallaces qui vendunt, aut pluris quà par sit, utrùm furti rei sint, 382.
*Mercurius* ab Ethnicis cultus, utrùm ipse sit Moyses Israelitarum dux, 328. & seq.
*Mesech*, sextus Japheti filius, & populi ab eo orti, 114.
*Micha* Ephraimitæ idololatria, 293. Quo tempore contigerit, *ibid.* & seq.
*Michol* Saulis filia, quibus conditionibus Davidi despondetur, 321. Michol Davidem coram Arca saltantem despicit, 303. Michol levitas & superbia punitur, *ibid.* Sterilitas Michol, 322.
*Mincha* sacrificium quid sit & quotuplex, 408.
*Minos* Cretæ Rex, 341. Fabulæ ejus occasione confictæ, *ibid.* & seq.
*Mischna* a quo & quando edita, 310.
*Moabitæ* ab Hebræorum Republica exclusi, 481. Quare, *ibid.*
*Mœchia* quid sit, 375. Quid præcepto *Non Mœchaberis* prohibitum sit, *ibid.*
*Moloch* quis Deus apud Ethnicos, 359. Cultus Moloch prohibitus, *ibid.* Liberorum immolatio in honorem Moloch, *ibid.* & seq.
*Moyses*, quare sic dictus, 169. Mosis nativitas, pueritia, & institutio, 178. Mosis ad fluminis ripam expositio, *ibid.* Ab Pharaonis filia adoptatur, 169. Ægypti cædes a Mose perpetrata, 169. 180. Mosis vocatio, *ibid.* Mosis ad Pharaonem legatio 169. Prodigiis legationem confirmat, *ibid.* Mosis fides & constantia, 171. Petri Comestoris fabula de Moyse, 179. Mosis historia ab Ezechielo Poeta confirmata, *ibid.* Mosis historia ab Artapano partim confirmata, partim interpolata, *ibidem* & seq. Mosis miracula Numenii Philosophi Pythagorici testimonio confirmata, 180. Plinii & Apuleji in Mosem calumnia, *ibid.* Moses ab Ægyptiis sub Osiridis, vel etiam sub Apis & Mnevis nominibus non est consecratus, 181. Utrùm Moses Ægyptium insultantem Hebræo interficiens, homicidii reus extiterit, 263. & seq. Apparitio Dei Moysi in Rubo, ejusque in Ducem & liberatorem Israëlitici Populi electio, 265. Quis in Rubo Moysi apparuerit, an filius ipse Dei, an Angelus Dei Legatione functus, 266. Moyses virgæ percussione Rubri Maris aquas separat & reducit, 279. & seq. Aquas ex petra a Dei jussu percussa Moyses educit, 282. Moses manus supplices in Cœlum erigendo Amalecitas vincit. *ibid.* Moses in monte orans extensis manibus Christi typus in cruce, *ibid.* Judices a Mose constituti, 282. Moysis humilitas, *ibid.* Promulgatio legis a Moyse facta, 283. & seq. Quadraginta dies & quadraginta noctes sine cibo & potu in Monte Sina moratur, 284. Israelitarum cædes a Mose imperata, *ibid.* Vitulum aureum deturbat, *ibid.* Pro populo orat, *ibid.* An & quomodo Moyses mittit Exploratores in Terram Chanaan, 286. Israelitę Mosis imperium excutiunt, *ibid.* Deum Moses precibus placat, 286. Moyses diffidentiæ arguitur, *ibid.* Ab ingressu Terræ promissæ excluditur, *ibid.* Mosis historia a Cornelio Tacito interpolata, 325. Polemonis testimonium de Moyse, 327. Artapani figmenta in historia Mosis admixta, 327. Mosis historia ex Hellanico & ex Diodoro Siculo confirmata, *ibid.* Juvenalis legis Mosaicæ meminit, 328. Moyses sub Mercurii nomine consecratus, *ibid.* Bacchi fabula ex historia Mosis expressa, 329. Typhonis fabula ex Mosis historia derivata, 330. Ritus Mosaici in templum Gaditanum Herculis translati, 331. Mosaicorum sacrificiorum ritus a gentibus usurpati, 332. Tabernaculi Mosaici, & Arcæ imitatio apud Gentes, *ibid.* & seq. Mosaicæ Legis ceremoniæ utrùm ratione sint destitutæ, 388. *Vid.* Ceremoniæ. An Ritus Mosaicæ Legis plerique a Gentibus ad Hebræos sint derivati, 395. & seq. Judicialia seu florentia Mosaicæ Legis præcepta, 473. & seq. Mortuum esse Moysem salva fide negari non potest 497. Moyses Christi typus Terram promissam contemplatur, 288. Moysis extrema, 288. Cur Moses Simeonis Tribui non benedixerit, *ibid.* Mors Moysis, *ibid.* & seq. Mosis elogium. 289. Corpus Mosis ubi conditum, *ibid.* Moysis successor, 288. Josephi errores in Mosis historia, 306. Hebræorum circa Mosis historiam fabulæ, *ibid.* & seq. 308. De mora Mosis in monte Hebræorum fabula, 309. & seq. Mosaycæ leges a Josepho in multis interpolatæ, 314. Mosis historia ab ethnicis Scriptoribus multis figmentis infuscatur, 323. & seq. Ptolemæi Alexandrini, & Trogi Pompeji de Moyse commenta, 325.

*Mundus*. Primæ Mundi ætatis exponitur historia, ut in Sacris literis traditur, 1. & seq. Hujus ætatis historia, ut a Josepho illustrata vel interpolata, & Arabum fabulis adulterata, 6. & seq. Ejusdem ætatis historia, ut ab ethnicis Scriptoribus confirmata vel interpolata, 9. & seq. Utrùm sex dierum intervallo mundus conditus sit, 40. 41. & seq. Qua anni tempestate, Autumno aut Vere, 42. 43.
*Musæus*. Utrùm Musæus aliquis unquam extiterit, 344.
*Muscæ* omnis generis quarta Ægypti plaga, 170.

# N

*Nadab* Aaronis filius igne cœlesti correptus perit, 285. Quare, *ibid.* & 311.
*Natura*. Peccata contra naturam. *Vid.* Peccata.
*Nembrod* filius Chus 117. Excusso Noe imperio in Babylone regnat, *ibid.* 134.
*Neomenia* festum, 438. Quare institutum, *ibid.* & seq.
*Nephtuim* Mesraim filius, a quo Nephtuæorum origo, 118.
*Ninus* secundus Babylonis Rex, 135. Nini obitus, *ib.* Utrùm Ninus Abrahamo coævus fuerit, *ibid.*
*Noachidæ* qui sint, 139. Noachidarum præcepta, *ibid.* & seq.
*Noe*, vir justus, 4. Diluvium post annos centum & viginti futurum denuntiat, *ibid.* Arcam ædificat, 4. Rabbinorum quorundam commentum Patriarchæ Noe injuriosum refellitur, 5. Arcæ Noe amplitudo, 103. 104. & seq. Omne genus hominum a filiis & nepotibus Noe reparatum, 113. & seq. Tempus Noe quo diluvium factum est imago adventûs Christi, 122. Egressus Noe ex Arca, 125. Noe erigit Altare Deo, *ibid.* De non inducendis amplius aquis diluvii signum Noe accepit, *ibid.* Noe vino largius hausto inebriatur, 125. Utrùm ebrietas Noe fuerit innoxia, 142. & seq. Chami in Noe impietas, *ibid.* Cur Noe Chamo non maledixerit, sed Chami filio, 125. Fabulæ ex Noe & filiorum historia derivatæ 128. & seq. Noe agricola, 129. Noe filii, 130. & alibi passim. Noe tres filios genuit, nullos post diluvium, *ibid.* An divisio orbis a Noe, inter filios facta sit, 131. De ordine filiorum Noe & quis ex illis sit primogenitus, 137. Utrùm Noe ex intemperantia peccaverit, 142. Noe primus vineam plantat & colit, *ibid.* Prophetica filiorum Noe benedictio, 143.
*Nomen* Domini invocandum, 3. & seq. Nominis Dei maledictio naturæ lege prohibita, 140. Quomodo & a quibus nomen Dei in vanum assumitur, 362.
*Nubis* columna quæ Israelitis præibat, 279. Nubis hujus motor, *ibid.* Variæ hujus nubis functiones, & usus, *ibid.*

# O

*Obstetricum* Ægyptiarum pietas a Deo remunerata, non mendacium, 168.
*Occidere*. Quintum Dei præceptum *Non occides* 372. Utrùm aliquando liceat occidere, *ibid.* Qua ratione alterum pro vitæ defensione occidere liceat, *ibid.* & seq. Ob honoris defensionem alterum occidere non licet, 373. Utrùm furem occidere liceat ad bonorum temporalium defensionem, 373. & seq.
*Odium* inimicorum quinto Decalogi præcepto prohibitum, 374.
*Ocoliea* migratio, 347.
*Og* Rex Basan ab Israelitis deletus, 287.
*Ogygis* diluvium, 186.
*Onan* Judæ filius, & ejus cum Thamare copulatio, 232. Onanis in Thamar peccatum, *ibid.*
*Operariorum* mercedis defraudatio, vel solutionis dilatio, 382.
*Oraculum* Jacobi, *Non auferetur sceptrum* &c. utrùm Messiæ venturi prædictionem contineat, 140. *Vid.* Jacob.
*Orphæus*. Ætas Orphæi 243. Utrùm Orphæus Poetarum sit primus, *ibid.* Carmina Orphæo supposita, 343. Orphæi nomen fabulosum, *ibid.* Orphæus ad Moysis exemplar expressus, *ibid.* Orphæi Præceptor, 343. & seq. Orphæi discipuli, 344.
*Oscula* impudica sexto Decalogi præcepto prohibita, 380.
*Othoniel* Judicum primus, 295.
*Oza* mors & ejus causa, 302. Utrùm Oza Levita fuerit, *ibid.*

# P

*Pacifica* hostia quid sit & quare sic dicta. 411. Pacificorum imitatio apud Gentes, *ibid.* Ritus Pacificorum, *ibid.*
*Pacis* conditiones æquæ hostibus offerendæ 482.
*Panis* materia sacrificiorum, 408. An panis & vini oblatio ex profanorum Gentium moribus originem duxerit, *ibid.* & seq. Panes propositionis. *Vid.* infra Propositio.
*Paradisus* terrestris quid sit 2. De loco & situ Paradisi, 44. Paradisus corporeus quidam locus est oculis & sensibus subjectus, *ibid.* & seq. Quomodo spiritualiter intelligi debeat Paradisus, 45. An in oriente conditus fuerit Paradisus, 46. Qua in regione Orientis Paradisus extiterit incertum, 47. Probabilior eorum sententia videtur qui Paradisum in Armenia vel Mesopotamia collocant aut in Mesopotamiæ limite, *ibid.* & seq. Utrum Paradisus terrestris etiamnum superfit, 51. Probabilius est non extare amplius quoad cultum & amænitatem loci, *ibid.* De Arboribus Paradisi, 52. & seq.
*Parentes* diligendi, 370. Honori Dei secundus est honos, qui Parentibus debetur, *ibid.* Temporalis felicitas præcepto de amore Parentibus exhibendo annexa, *ibid.* Officia filiorum in Parentes, 370. & seq. Reverentiam & pietatem in Parentes ipsa natura docet, 371. Pœna in hujus præcepti violatores, 370.
*Paris* Priami Trojanorum Regis filius & Helenæ ab ipso raptus, 344.
*Pascha* nomen, 260. Variæ ejus significationes, *ibid.* Quadruplex in Sacris literis hujus vocis Pascha significatio, *ibid.* Tempus Paschale, 269. Locus ubi celebrandum erat Pascha 271. Paschalis sacrificii ministri, *ibid.* & seq. Agni Paschalis convivæ, 272. Qui a Paschali convivio excludebantur, *ibid.* & seq. Quæ res excusabant ab Agni Paschalis manducatione, 273. Convivarum numerus Agno comedendo suppar, *ibid.* Ritus Sacrificii & Convivii Paschalis a Deo præscripti, 273. Ritus qui victimæ, seu agni, vel hædi separationem spectant, *ibid.* Tria quæ Deus in agno paschalis mactando postulat, *ibid.* & seq. Ritus Agni paschalis mactationem spectantes, 274. Agni assatio, *ibid.* Agni paschalis manducatio, & ritus in ea observandi, 275. 445. Paschalis agni mysterium & significatio multiplex, 276. 277. & 445. Paschatis festum apud Hebræos ejusque institutionis rationes, 439.
*Patriarchæ*. Antediluvianorum Patriarcharum anni, 88. & seq. An Hebraico an Græco Septuaginta Interpretum Codici adhærendum sit in nu-

numerandis Patriarcharum annis, 90. 93. & seq. Patriarcharum longævitas, 100. Utrùm veterum Patriarcharum anni menstrui fuerint, vel triginta dierum, 100. & seq. Utrùm pares nostris fuerint, *ibid.* & seq.
*Peccata* contra naturam, 379. & seq. Hostia pro peccato & varii illius ritus, 412. & seq.
*Pecorum* interitus quinta Ægypti plaga, 170.
*Pentecostes* festum, 439. Quare sic dictum, *ibid.* Cur institutum, *ibid.*
*Peregrinationis* Hebræorum anni quadringenti triginta unde numerandi sint, 188.
*Perseus* Tros. Persei in Africam expeditio, 342.
*Personarum* divinarum distinctio, 154.
*Piscium* productio, 1. Ex aquis quintâ die Pisces prodeunt, 32.
*Pharan* Israelitarum mansio, 286. Hujus nominis vis, *ibid.*
*Pharao* cum exercitu ab aquis Rubri maris sepelitur, 280.
*Phetrusim* Mesraim filius, Thebæorum Ægyptiorum pater, 118.
*Philacteria*. Lex de philacteriis, 467. Ratio hujus legis multiplex, *ibid.*
*Philistæorum* agri a Samsonis vulpibus incensi, 297. Philistæi a Samsone asini maxillâ cæsi, *ibid.* Dagonis Templi ruinis opprimuntur, 297. Philistæorum plagæ ad præsentiam Arcæ fœderis inflictæ, 298.
*Phihahirot*, quarta Israelitarum mansio, 279.
*Phinees* zelus, 288.
*Phoroneus* Argivorum Rex, 185.
*Phut* tertius Chami filius Phutæorum parens, 116.
*Plagæ* decem Ægypti, 169. & seq.
*Plagium* quid sit, 385.
*Plutarchus* Ægyptiacæ superstitionis vindex refellitur, 182.
*Polemonis* testimonium de Israelitarum exitu ex Ægypto & de Moyse, 327.
*Pollutiones* Legales, 446. *Vid.* Immunditiæ.
*Polygamia*. Utrùm aliquando licita fuerit, 71. 72. & seq. Utrùm naturæ juri repugnet, 75.
*Possessiones*. Præcepta forensia Legis Mosaicæ circa possessiones, 479. Alienatio perpetua possessionum prohibita, *ibid.*
*Præadamitæ*. Systema Præadamitarum verbo Dei plane contrarium, 55. 56. 57. Repugnat Ecclesiæ definitioni, 57. & seq. Præadamitarum argumenta solvuntur, 60. 61. & seq.
*Præceptores*. Reverentia erga Præceptores, 372.
*Præputium*, metaphoricè sumptum, quid sit, 468.
*Præster* quodnam serpentis genus, 287.
*Primogeniti*. Jura primogenituræ tertia mundi ætate, 161. Primogenitorum Ægypti cædes, 170.
*Princeps*. Subditorum erga Principes officia, 371. Judicialia veteris Legis præcepta Principes spectantia, 473.
*Principatus* species præstantissima, *ibid.*
*Principium*. Quid nomine principii, in quo Deum Cælum & Terram creasse Moses scripsit, intelligendum veniat, 15. & seq. Principii nomine Filius Dei congruè intelligitur, 17. 18.
*Promissa*-terra, 207. *Vid.* Terra-promissa.
*Propitiatorium* & ejus structura, 419.
*Propositionis* panes, 418. Quare sic dicti, *ibid.* Quare in Tabernaculo repositi, 418. Panum Propositionum esus cui licitus, 445.
*Prostibulum*. Cur mercedem prostibuli offerri sibi Deus vetuit, 407.
*Proximo* vis quælibet illata Lege damnatur, 374.
*Pseudo-Prophetarum* crimen, & eorum qui falsâ doctrinâ Populum seducunt, 364.
*Puerpera* immunditіes, & ejus expiandæ ritus, 445. & seq.
*Purificationes* veteris Legis & earum usus, *ibid.*
*Pythones*. Pœna in Pythones constituta, 361.

# R

*Raab*, utrùm meretrix fuerit 289. Raabæ fides, *ibid.*
*Rachel*, Labani filia, 163. Rachelem Jacob septenni servitute paciscitur uxorem, *ibid.* Rachel filium parit, *ibid.* Rachelis mors, 164.
*Ranarum* plaga Ægypto inflicta, 170.
*Raptus* quid sit, 378. Pœna in Raptores lata, *ibid.* & seq. Matrimonium Raptoris cum muliere raptâ, 379.
*Rationale* quid sit & ejus usus, 416.
*Rebecca* filia Batuelis in uxorem Isaaco datur, 160. Rebecca duos gemellos parit Esau & Jacob, 161. Quomodo Rebecca de luctâ infantium in utero suo Deum consuluerit, Hebræorum figmenta, 175.
*Reges* quomodo gerere se debeant erga Deum, 476. Erga subditos, *ibid.* Quomodo gerere se debeant quantum ad personalem & oecumenicum statum, 476.
*Repudii* libellus ad duritiam cordis Judæis concessus, 485. Lex de libello Repudii explicatur, *ibid.*
*Riphat* alter Gomeri filius, a quo Riphatæi seu Paphlagones, 115.
*Rubrum* Mare. Israelitarum per mare rubrum transitus, 279. 351. Mare Rubrum septima Israelitarum mansio, 280. Quomodo Israelitæ post transitum Maris Rubri ad mare rubrum rursus venerint, *ibid.* Utrùm Hebræi circuitum tantùm in Mari rubro fecerint, aut ab uno littore ad oppositum littus illud transierint, 351. Transitus Hebræorum non refluxui maris alterive causæ naturali tribuendus, 352. & seq.
*Rufa* vacca. *Vid.* Vacca.
*Ruth* Historia, 298. Quo tempore contigerit, *ibid.* Historia Ruth a Josepho & Rabbinis interpolata, 320.

# S

*Saba*, filius Chus, a quo Sabæi orti, 117.
*Saba* filius Regma, 117.
*Sabathaca* filius Chus, Sabactenorum Propagator, 117.
*Sabbathici* anni, 291.
*Sabbatum*. Utrùm Sabbati cognitio & veneratio aliqua a Judæis ad alias gentes derivata, sit, 365. Dies Sabbati solis Judæis sacer, *ib.* Sabbati cultus in remedium Idololatriæ institutus, 367. Sabbati cultus ante Legem Mosaicam institutus non erat, 367. Quæ opera die Sabbati prohibita, 368. Sabbati sanctificatio in pietatis exercitiis posita, *ibid.* Annua Sabbata, 369. Pœna violantium Sabbatum, *ibid.* Quid Sabbatum magnum, *ibid.* Quid Sabbatum secundo-primum, *ibid.* Apionis commentum de Sabbati Judaici institutione, 325.
*Sacerdotales* vestes, 285. 425.
*Sacerdotibus* reverentia & obedientia præstandæ, 372. Omnis victima a Sacerdotibus proprio nomine oblata, igne penitus consumenda erat, 413. Sacerdotes insigni aliquo vitio & fœditate notati a ministerio prohibendi, 414. Cur a Sanctuarii aditu, & ministerio Sacerdotes corpore deformes arcebantur, *ibid.* Lex de Sacerdotum matrimonio lata, 415. Sacerdotales vestes, 425. & seq. Mystica vestium Sacerdotalium significatio, 435. Sacerdotum veteris Legis conse-

secratio, 443. & seq. Consecrationis Sacerdotum ritus, 444. Ampliatio Sacerdotum veteris Legis ad sacri ministerii functiones, *ibid.* & seq. Quæ Sacerdotibus veteris Legis in uxorum delectu observanda, 458. Sacerdotum abstinentia ab exequiis & luctu funerum, *ibid.* Hujus observantiæ rationes typicæ, 459. Rationes spiritales, 460.

*Sacra.* Leges ceremoniales sacrorum, 413. Quare latæ sunt leges ceremoniales sacrorum, *ibid.* & seq.

*Sacramenta* veteris legis, 442.

*Sacrificia.* Veteris legis sacrificiorum ratio, 399. Sacrificia Israelitis non solùm permittit Deus, sed præcipit, 399. 400. Sacrificia non expetit quasi iis indigens, 400. Nec quasi per se, ei grata & jucunda sint, 400. 401. 402. & seq. Septem causæ institutionis Sacrificiorum, 405. & seq. Sacrificiorum materia, 405. Quæ animalia Deo in sacrificium offerenda, *ibid.* Animalia ex omni parte perfecta in sacrificium offerre Lex jubebat, 407. Quare, *ibid.* Materia inanimata sacrificiorum, 408. Minchæ sacrificium, *ibid.* Mellis usum a sacrificiis suis Deus ablegavit, 409. Quare, *ibid.* Finis sacrificiorum, & quotuplex, 410. Sacrificiorum variæ species, *ibid.* & seq. Ordo dignitatis inter sacrificia, 413.

*Sacrilegium* quid sit, 370.

*Sale* filius Arphaxad Susianorum pater, 120.

*Salomonis* inauguratio, 305. Salomon secundò in Regem ungitur, *ibid.* Salomonici Regni initia, *ibid.* In Adoniam & conjurationis ejus conscios Salomon animadvertit, 305. Sapientia divinitus infusa Salomoni, *ibid.*

*Samgar*, filius Anath, 295.

*Samson* Angelo ortum ejus nuntiante nascitur, 297. Philistæam mulierem ducit uxorem, quæ eo absente alii copulatur, *ibid.* Trecentorum vulpium mirâ copulatione Philistæorum agros incendit, 297. Unde tantus vulpium numerus Samsoni obtigerit, *ibid.* Philistæi a Samsone Asini maxillâ cæsi, *ibid.* Fons ex Asini maxillâ scaturiens, *ibid.* Samson a Dalila proditus, 297. Samson & Philistæi Dagonis Templi ruinis oppressi, *ibid.* Error Josephi in Samsonis historia, 318. & seq. Hercules ex historia Samsonis expressus, 335. Samsonis Cæsaries fabulis de fatali Nisi & Pterelai comâ occasionem dedit, *ibid.* Mos comam falsis Numinibus consecrandi apud Ethnicos ex Nazareatu Samsonis ortus, 335. Samsonis vulpes quibus fabulis occasionem dederint, *ibid.* & seq.

*Samuel* Judicum postremus, 298. Ritus ejus & pietas, 298. Samuel Saul ungit in Regem, 299. Regni lex a Samuele descripta, *ibid.*

*Sancta* prima pars interior Tabernaculi, 418. Sancta Sanctorum quid sit, 410.

*Sanguinis* esus Israelitis prohibitus, 411. Lex de non comedendo cum sanguine, sive super sanguinem, *ibid.* & seq. In quo differat a lege sanguinis esum prohibente, *ibid.*

*Sanhedrin* quid sit, 294. Hujus membra & auctoritas *ibid.*

*Sara* Abrahami uxor. Raptus Saræ a Pharaone, 155. 193. Saræ & Abrahami risus dum filius ei futurus prædicitur, 157. Sara ancillam suam Abrahamo tradit uxorem, 156. Filius Abrahamo ex Sara a Deo promittitur, 157. Sara ab Abimelecho Rege sublata, sed intacta, 158. 194. Mors Saræ & sepultura, 158. Utrùm Sara absque mendacio soror Abrahami vocari potuerit, 194.

*Saraph* quodnam genus serpentis, 287.

*Saturnus*. Ethnicorum fabula de Saturno, & tribus filiis ejus, 128. & seq.

*Saul* primus Israelitarum Rex, 299. Prophetiæ dono illustratus, *ibid.* Saulis fortitudo, clementia, bellicæ expeditiones, *ibid.* Causæ reprobationis Saulis, *ibid.* & seq. David inscio Saule in Regem inungitur, 300. Extrema Saulis, *ib.* Quot annis Saul regnaverit, 300. 301. Filii Saulis Patri superstites, 301. Saulis historia ab Hebræis interpolata vel confirmata, 320. Expeditio Saulis contra Naas Regem Ammonitarum, *ibid.* Jejunium a Saule indictum utrùm laudandum vel reprehensione dignum, 320. Quibus conditionibus Saul Micholem Davidi desponderit, 321. De morte Saulis Josephi errores, *ibid.* Josephus in Saulis laudibus nimius, 321. & seq. Hebræorum & Nicolai de Lira opinio de salute Saulis rejicitur, 322.

*Scenopegia* Festum quid sit, 441.

*Scientia* boni & mali arbor, cujus speciei fuerit, 52. Utrùm huic arbori insita sit vis, quæ boni & mali notitiam tribueret, 52. & seq.

*Sciniphes*, tertia Ægypti plaga, 170.

*Scortatio* utrùm ante Legem prohibita sit, 237. Scortatio primævæ conjugii institutioni contraria, 238. Naturæ & parentum officia per scortationem evertuntur, *ibid.* Israelitæ scortationem seu per se turpem ante legem abominati sunt, 238. Scorta falsis Numinibus apud Ethnicos devota, 377. & seq.

*Scriptura* Sacra ad Philosophorum opiniones & varia sistemata accommodanda non est sed opiniones illæ & systemata cùm sacris literis concilianda, 32.

*Sehon* Amorrhæorum Rex, cum toto exercitu, ab Israelitis deletur, 287.

*Sem.* Filii Semi & nepotes, 119. Quam regionem incoluere 120. Utrùm Semus filiorum Noe sit primogenitus, 137. & seq.

*Semen.* Hominis seminis fluxum patientis immunditiem ejusque purgandæ ritus, 446. Seminum diversorum commixtio prohibita, 467. & seq. Quare, *ibid.*

*Semiramis* Babylonis Regina quare sic dicta, 135. Babylonem auget & ornat, *ibid.* Virtutes ejus & vitia, *ibid.*

*Seniorum* consilium, 294.

*Septuaginta* Versio utrùm sit Hebræo textui anteponenda, 92. 93. & seq.

*Serapidis* cultus apud Ægyptios, 182.

*Serpens* Adami seductor, utrùm vi propria loquutus fuerit, 7.

*Serpens* æneus a Moyse erectus, 490. 287. Serpentes igniti, 286. & 287. Jonathanis Chaldæi Paraphrastis nugatoria de serpentibus ignitis narratio, 313. Serpens æneus non ad exemplum præstigiarum Ægyptiacarum a Moyse conflatus & erectus, 400. & seq. Serpens æneus Signum a Deo institutum in typum Christi Crucifixi, *ibid.*

*Servorum* erga Dominos officia, 371. Judicialia Legis Mosaicæ præcepta circa servos, 486. Servi immodicis operibus non opprimendi, *ibid.* Hebræi servi anno sabbatico & jubilæo libertate donandi, 486. Lex Hebræis vetans ne servum ad se confugientem Domino tradant, quomodo intelligenda, 487.

*Seth*, quando procreatus, 3. Sethi posteri Filii Dei vocati, *ibid.* Quare sic dicti 4.

*Sethosis* Ægypti Rex, 336.

*Sichimitæ* circumcisionis ritu initiantur, 164. Sichimitarum cædes, *ibid.* Sichimitæ a filiis Jacob ob Dinæ raptum iniquè perempti, 230. & seq. Objectiones solvuntur, *ibid.*

*Sicyoniorum* Regni exordium, 135.

*Simeon* Jacobi Patriarchæ filius, & ejus in Sichimitas sævitia, 229. & seq.

*Sin* desertum, 280.

*Sinai* desertum, 283. Sina, vel Sinai mons, *ibid.* Res ad montem Sinai gestæ, 283. 284. 285.

*Sistrorum* usus apud Ægyptios, aliasque gentes profanas ex tintinnabulis Summi Pontificis Hebræorum derivatus, 426.

*Socoth* secunda Israelitarum mansio, 279. Socoth quid significet, *ibid.*

*Sodomæ* conflagratio, 157. Sodomiticum incendium profanorum scriptorum testimoniis confirmatum, 174.

*Sodomia* quid sit, 379. Sodomiæ gravitas, *ibid.* & seq. Sodomia peccatum contra naturam, *ibid.*

*Solis* creatio, 1. Utrùm sol & reliqua sidera prima die cum primigenia luce condita sint, 31. & seq.

*Somnii* immunditiés, & eius eluendæ ritus, 446.

*Spenceri* de ritualibus Hebræorum legibus sententia, 392. & seq. Spenceri momenta expenduntur, & diluuntur, 393. & seq. De sacrificiis veteris legis Spencerus quid senserit, 401. Circa Tabernaculi originem Spenceri errores & argumenta, 415. Spenceri de Urim opinio, 430.

*Subditorum* officia erga Principes & Magistratus, 371. & seq.

*Superstitionum* omne genus lege divinâ prohibitum, 361.

*Sydera* quando creata, 31. Utrùm Cœli partes sint, *ibid.* & seq.

*Syrensis* Imperii fundamenta, 136.

*Syriæ* Deæ Sacerdotes legales Hebræorum immunditias æmulantur, 331. Syriæ Reges, 347.

*Spiritus*, qui super aquas in mundi exordio ferebatur, utrùm aer, aut ventus sit, 21. An vitalis spiritus quo corpora universa moveantur, *ibid.* & seq. An Spiritus Sanctus, 22.

*Stuprum* quid sit, 378. Stuprum simplici fornicatione gravius, *ibid.* Stuprum puellæ desponsatæ ante nuptias illatum, *ibid.*

*Suilla* caro Judæis prohibita. 464.


# T


T*Abernaculum*. Contributio seu capitatio ad opus Tabernaculi, 285. Spontanea donaria ad idem opus, *ibid.* Tabernaculi erectio, *ibid.* Tabernaculorum festum, 441. Tabernaculorum festum quare ab Israelitis celebratum, *ibid.* Utrùm Tabernaculum ex profana Gentium religione originem duxerit, 415. An ex Dei sapientia & voluntate, *ibid.* & seq. Quæ similitudo & affinitas fuerit inter Tabernaculum Testimonii & Tabernaculum Molochi, 415. 416. & seq. Structura Tabernaculi, & præcipuæ illius partes, 418. & seq.

*Tabularum* fractio, 284. Tabularum reparatio, *ibid.* Judæorum fabulæ circa Tabulas Legis, 310.

*Tacitus* [Cornelius]. Mosis & Judaicæ gentis historia a Cornelio Tacito interpolata, 325. Putidæ Taciti calumniæ, *ibid.* & seq.

*Tactus* impudici 380.

*Talionis* lex quid sit, 375. Quando constituta, *ibid.* Naturale jus Talionis non est, nec privatis hominibus permissum, *ibid.* & seq.

*Tenebræ* densissimæ nona Ægypti plaga, 170.

*Tentatio* Dei, & tentatio Diaboli in quo differant, 226.

*Testimonium* falsum contra proximum octavo Decalogi præcepto prohibetur, 385. & seq. Quid testimonii falsi nomine intelligendum, *ibid.*

*Thesei* ætas & gesta, 344.

*Terra*. Creatio terræ, 1.

*Terræ promissæ* fines. 207. Utrùm totus ille terrarum tractus qui ab Ægypti fluvio ad Euphratem interjacet Terræ promissæ finibus contineatur, *ibid.* & seq. Quomodo stat divinæ promissionis veritas, si Hebræi omnem *terræ promissæ* regionem non possederint, *ibid.* Sacrificium in signum Terræ promissæ Abrahamo a Domino præscriptum, 210. & seq. Sacrificium illud pactio fuit fœderis Deum inter & Abrahamum initi, *ibid.* *Terra promissa* cœlestis patriæ figura, 293. *Terræ promissæ* quo tempore facta sit divisio & distributio, *ibid.*

*Thamar* nurus Judæ, 232. Historia Thamaris & Judæ *ibid.* Judæ & Thamaris historia quando contigerit, 233. Utrùm Thamaris cùm Juda concubitus excusari quodammodo possit, 235. & seq. Filii ex Thamare orti, 232. 235. *Vid.* Judas.

*Tharsis* alter filius Javan, Carthaginensium parens, 115.

*Theophrasti* in Judæos calumniæ, 416.

*Thiras*, filiorum Japheti postremus, 114.

*Thogorma* tertius Homeri filius, quibus regionibus nomen dederit, 115.

*Thola* filius Phua, 296.

*Theythi* sive Mercurius, Ægypti Rex, 337.

*Thubal* quintus Japheti filius, 114. Quibus populis originem dederit, *ibid.*

*Thummim*. Quid nomine *Thummim* intelligitur, 427. *Thummim* usus, *ibid.* *Vid.* *Urim*. Thummim unde originem duxerit, an ex moribus Ægyptiorum, 434.

*Thymiamatis* Altare, 418.

*Tiara*, quid sit, 415. & seq.

*Tingitanæ* columnæ, 340.

*Tosorthus* Rex Memphiticus Æsculapius appellatus, 134.

*Troja*, quo tempore condita, 342. Trojani excidii epocha, 344. & seq.

*Tubarum* Festum, 439. Quando & cur institutum, *ibid.* & seq.

*Tunica* talaris linea, 425. Utrùm Ægyptiis aut aliis gentibus profanis accepta ferri debeat, *ibid.* Tunica talaris hyacinthina cum tintinnabulis, 426.

*Turpitudinum* revelatio naturæ adversa, 141.

*Typhonica* sacra, quid sint, 331.

*Typhonis* Ægyptiaci fabula, unde sit expressa, 330.

*Tyrus*, quo tempore condita, 344.


# V


V*Acca* rufæ sacrificium, & aqua lustrationis ex illius cineribus confecta, 448. Cur *vaccam* rufam Deus immolari jusserit, *ibid.* Inanes Marshami & Spenceri conjecturæ, *ibid.* *Vaccæ* rufæ sacrificium typus Christi, 448. & seq. Vaccæ rufæ ritus explicatur, 449.

*Vectigalia*. Furti reus est qui *vectigalia* iniqua, vel inæqualiter distribuit, 381.

*Vellus*. Signum roris in *vellere*, 295. *Vellus* aureum Argonautarum, 334. *Velleris* aurei fabula, 342.

*Venditiones*. Fraus in *venditionibus*, 382.

*Vestes* Sacerdotales, quæ Sacerdotibus omnibus communes, quæve Summo Sacerdoti propriæ, 425. & seq. Vestis ex lino & lana mixta Israelitis prohibita, 456. Legis hujus ratio multiplex, *ibid.*

*Vestitus* utriusque sexûs non confundendus, 465. Hujus observantiæ rationes, *ibid.* & seq.

*Victima* variæ, 406. Victimarum integritas in sacrificiis offerendis, 407. Qui carnes victimæ tetigerat, vel ejus sanguine aspersus fuerat sanctificabatur, 413.


Vi-

*Victoriâ* moderatè utendum, 482. Fructuosę arbores in terra hostili a victoribus non succidendæ, 483.
*Vindicta* quævis quinto Decalogi præcepto prohibita, 374.
*Vini* oblatio unde originem duxerit, 408.
*Vitæ* arbor quare sic nuncupata, 52. Utrùm naturalem virtutem habuerit vitæ in perpetuum propagandæ, *ibid.* & seq. Arbor vitæ quamvis corporea, Vitæ æternæ Sacramentum erat, 53. & seq.
*Vituli* aurei fabricatio, 284. Circa vituli aurei adorationem Hebræorum errores, 309. Cur Moses vitulum aureum in pulverem redegerit, Hebræorum fabulæ, 310. Ad Ægyptiacæ superstitionis imitationem vitulus aureus ab Aarone conflatus est, 487. Non ad similitudinem Cherubinorum, 488. Vitulum aureum Ægyptiaco ritu Judæi coluere, 487. Vituli aurei combustio, comminutio &c. idololatriæ destructionem significat, 489.
*Volucrum* productio, 1. & 32.
*Vota* quando implenda, 362. Infidelitas in votis, 364. Voti conditiones, *ibid.*
*Urim* quid sit, & ejus usus, 427. Cur Urim & Thummim Israelitico populo Deus dederit ratio multiplex, 428. Spenceri de Urim opinio singularis, 430.
*Usura* septimo Decalogi præcepto prohibita, 382. & seq. Utrùm usura vetita sit respectu divitum & pauperum, *ibid.* & seq. An licita sit usura moderata, 383. Omnis omnino usura reprobatur, 384. Usura Legis naturę contraria, 384.
*Vulpinalia* apud Romanos celebrata ex vulpibus Samsonis orta, 335.
*Uxor* proximi non concupiscenda, 387. Judicialia Mosaicę Legis pręcepta circa uxores, 483. Uxores quomodo tractandæ, *ibid.* & seq. Pęnæ in maritum latæ qui falsum crimen imposuerit uxori, 484. Lex cavet ne propter uxoris odium filii detrimentum patiantur, 485.

## Z

*Zambri* historia a Josepho interpolata, 313.
*Zelotypiæ* sacrificium, 376.

*Explicit Index Tomi I. Veteris Testamenti.*